Nº 1

R. 1063

# ANNALES
## ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
## CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
## ODORICO
# RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.
Accedunt in hac Editione
NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,
QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,
AUCTORE
## JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.
## Tomus Septimus.



LUCÆ
Typis LEONARDI VENTURINI MDCCLII.
*De Superiorum Licentia.*



# ANNALES ECCLESIASTICI.

| JESU CHRISTI ANNUS 1356. | INNOCENTII PAP. VI. ANNUS 4. | CAROLI IV. IMP. OCCID. 11. JO. PALÆOLOGI IMP. OR. 16. |
| --- | --- | --- |

I. INvexit ingentem luctum Galliis, capto in acie Joanne Rege ab Anglis, ac magna procerum multitudine cæſa non ſine arcano divini Numinis judicio, annus Servatoris milleſimus trecenteſimus quinquageſimus ſextus indictione nona: quam cladem mox ſubortæ in regno turbæ auxere. Præſenſerat Pontifex ex pertinaci inter potentiſſimos Reges diſcordia graviſſima emerſura exitia cum, ut refert Matthæus Villanus, (a) Angli ob ſuperiores ſecundos ſucceſſus inſoleſcerent, atque ad pericula ruerent intrepidi; Galli vero acceptarum injuriarum dolore, & indictæ cupiditate furerent. Ad quæ avertenda Innocentius apoſtolica ſtudia defixerat: ac licet impenſos jam a ſe labores parum profuiſſe cerneret, creſcentibus tamen odiis, atque exaſperato bello, augendam ſolicitudinem ratus, ut pacem induciaſve redintegraret inter Reges, legationem ad eos decrevit: cujus obeundæ provinciam Talayrando epiſcopo Albanenſi & Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinalibus impoſuit; de qua MS. Vaticani anonymus ſcriptor (b) hæc mandavit hiſtoriæ: *Item ſub MCCCLVI. de menſe junii dominus Talayrandus Petragoricenſis, & dominus Nicolaus Capocii Cardinales tranſmiſſi fuerunt nuntii apoſtolici per dictum Papam ad ponendum pacem finalem vel treuguam fiendam inter Reges Joannem Franciæ & Eduardum Angliæ, ipſorumque regna: qui Cardinales de menſe prædicto de curia receſſerunt, & in regno Franciæ applicarunt continuando ipſorum diætas pro pace vel treugua inter ipſos Reges vel regna ponenda*. His conſentanea alterius MS. author (c) Germanus, & Innocentii vitæ ſcriptor (d) repetunt: quibus hiſtorici conſentiunt (e).

(a) *Matth. Vill. l. 6. c.* 31.

Decreti Cardd. duo ad Anglum Gallumque conciliandos.

(b) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 2040.

Ut facilius legati Cardinales conſilia perducerent, Pontifex adhibendum etiam Carolum Imperatorem pacis interpretem cenſuit, eumque rogavit (f) ut Cardinalibus locum, in quo ipſum convenirent, conſtitueret: *Cum*, inquit, *fili chariſſime, ſicut habet multorum nobis admodum grata relatio, tu diſpoſiturus imperii tui negotia ſis ad civitatem Metenſam vicinam ſatis regno Franciæ in proximo acceſſurus, nos hoc divinæ diſpenſationis & proviſionis credentes eſſe conſilium, ut eo tempore pietas tua regno appropinquaret eidem, quo dicti nuncii ad illud ſunt pro ipſius concordiæ reformandæ negotio acceſſuri; & ex hoc ſpem & fiduciam noſtram hujuſmodi roborantes, ſerenitatem tuam attente rogamus, & petimus inſtantius obſecrantes, quatenus attendens quam gratum Deo præſtabis obſequium, ſi in tam utili tamque accepto Deo negotio epiſcopo & Cardinali coopereris eiſdem, ad aliquem locum, in quo tecum poſſint convenire, divinæ miſerationis intuitu, conſideratione utilitatis publicæ ac noſtræ interceſſionis obtentu declinare non putes oneroſum. Dat. Avin.* VII. *kal. junii anno* IV.

(c) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3765.
(d) *Geſta Inn. VI. apud Boſq.*
Adhibitus Imp. pro pace redintegranda.
(e) *Froſſar. in Joan. I. & alii.*
(f) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 74.

II. Conjuncturus itaque cum imperiali pro conciliandis Francorum & Anglorum Regibus apoſtolicam authoritatem Innocentius, graviſſimis ſententiis Joannem Regem ad amplectenda pacis conſilia præmonuit (g), exortas e bello calamitates expoſuit; contulitque cum præteritæ concordiæ felicitate: laxata licentiæ ſcelerique fræna; divinum cultum obſoleſcere: ad inferendas mutuas cædes incumbere, qui animis armiſque religionis propagandæ ſtudio

Monitus Gallus, ut eam amplecteretur.
(g) *Ib. p.* 93.

dio conjuncti clariſſimas olim de infidelibus victorias reruliſſent : diuturna illorum diſſidia ingentia pontificum de propaganda divina gloria diſcuſſiſſe hactenus: atque adhuc diſſipatura conſilia.

*Innocentius, &c. Joanni Regi Francorum illuſtri.*

Commoda pacis propoſita.

*Pax bonarum artium decora mater, & cunctarum parens fœcunda virtutum, etſi univerſaliter omnibus ſit indifferenter optabilis, Regibus tamen atque principibus quam maxime optanda eſt, ſiquidem ſicut in quiete regnantium quieſcunt ſubditi, & in pace ipſorum pacis beneficio perfruuntur; ſic in commotione principantium commoventur ſubjecti populi, & in eorum turbatione turbantur. Hoc profecto, chariſſime fili, recte conſiderantibus liquet apertius : hoc te experientia docuit : hoc tibi frequenter ſubjecta res oculis indicavit: hoc, ut ita dixerimus, palpaſti ſæpenumero : hoc guſtaſti. Vidiſti namque in tua, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris amara diſſenſione ſubjectam tibi & ei rempublicam, olim pacis opulentia glorioſam, quodam quaſi vehementiori turbine conquaſſatam : vidiſti florentem abundantia populum, ope auxilii aliorum egenum : vidiſti plebem bonis omnibus opulentam, bonis fere omnibus deſtitutam: vidiſti quietiſſimos ſubditos diſſenſione amariſſima laceſſitos : vidiſti [ quod gravius eſt ] deputatos divinis obſequiis ſceleratis operibus inquinatos : vidiſti ſacris pridie miniſteriis inſudantes, nunc rapinis intendere, nunc ſpoliis occupari, nunc effuſioni, proh dolor! humani vacare cruoris: Accingitur enim gladio, ſumit arcum & pharetram, armatur lancea, inſurgit in clypeum, qui nuper librum in manibus, & in ore geſtare Dominum conſuevit : miniſtri altaris dominici miniſtrant, heu, raptoribus virginum, conjugatarum, adulteris, & abductoribus viduarum. Quis igitur, princeps inclyte, fidelis Chriſticola iſta non defleat? quis non ploret quis, non triſtetur & lugeat, Chriſti milites olim adverſus Chriſtiani nominis inimicos, claris victoriam titulis glorioſos, in cæde mutua occupari? Et quos dudum famæ quæſtus toto divulgavit orbe claros atque laudabiles, hos vindictæ noxius appetitus propria coanguſtat in patria, & in ſuis laribus tenet obſcuros. Hæc, inquam, jugiter noſtris amare præſentatur obtutibus, hæc nos lachrymarum mergunt in fluvios, hæc mentem anxiam indeſinenter excruciant, hæc mœrens cor continue inquietant, hæc ab intimis educunt quotidiana ſuſpiria, hæc intrinſeca quæque amaricant, hæc perturbant.*

Et bellorum mala.

III. His medendum eſſe.

*Digne igitur ad ſupputationem diſſenſionis hujuſmodi ac pacis reformationem vias & modos ſolerter exquirimus, & exquiſitos ſolicite promovemus, ut adjuti dono divinæ gratiæ, ſine qua omne opus incaſſum intenditur, tantis poſſimus malis occurrere, tantiſque periculis obviare : ac bona quietis & pacis, quæ pater hucuſque ſuſtulit ſcandali, & profligare longius omnino conatur, inſtaurare fortius valeamus. Et ideo licet noſtra & nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum, aliorumque fidelium ſtudia, quæ circa hoc laborarunt, pacis æmulus, peccatis exigentibus, eluſerit hactenus ac vacuarit effectu; ſperantes tamen in eo, qui concordiam in ſublimibus ſuis parat, quique verus angularis eſt lapis parietem utrumque connectens, quod ipſe hoſtis ejuſdem fraudibus ſuperatis & artibus plebem ſuam in fine non deſeret; quinimmo in ipſius anguſtiis & preſſuris ei pie compatiens, pacis ejuſdem diu concupito negotio noſtris, & communibus fidelium Chriſti votis benignus & miſericors condeſcendet, conſulta cum fratribus noſtris ſuper hoc deliberatione præhabita, venerabilem fratrem Talayrandum epiſcopum Albanenſem, ac dilectum filium noſtrum Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis nuntios, viros utique decoros multis virtutibus, & in magnis & arduis multa & laudabili experientia comprobatos, honoris & ſtatus tui regnique tui fervidos amatores, in quibus timor Domini ſanctus manet, & quorum ineſt affectibus bonum pacis, ad te præfatumque Regem tanquam pacis angelos providimus deſtinandos, &c.* Adjicit ardentiſſimas preces, ut concordiæ interpretes Cardinales audiat, eorumque conſiliis ad ponendum tot malis modum obſequatur. *Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* XII. *kal. junii anno* IV.

Condolendum afflictæ plebi.

Commendati legati.

IV.

Conceptæ ſunt eadem pene verborum forma ad Eduardum pontificiæ literæ (*a*), quibus diuturni belli rei Chriſtianæ funeſtiſſimi mala deſcribit. Solicitatæ (*b*) etiam Iſabella mater, atque Philippa uxor Reginæ, tum alii gratia & auctoritate in Anglicana aula ſpectantiſſimi viri incitati, ut Regem ad concordiam adducerent. Cum vero nonnulli apud Eduardum malevolis ſuſurris Pontificem vocaſſent in invidiam, non tam in ſuperiori fœderis colloquio interpretem conciliatoremque pacis, quam perturbatorem egiſſe, fœdam calumniam his verbis deterſit (*c*) : *Teſtis nobis eſt Deus, cujus vices in terris immeriti gerimus, quod nos, attendentes eſſe proprium cuilibet ſacerdoti, ſed nobis maxime, quem ſuper omnes ſacerdotes dignatio divina conſtituit, pacificare diſcordes, & diſſidentes ad concordiam revocare; & conſiderantes etiam, quod licet omnium pax & concordia ſit optanda, tua tamen & ipſius Regis eo eſt ſtudioſius promovenda, quo tua & illius diſcordia velut quidam turbo validior concuſſit fortius & attrivit gravius populum Chriſtianum,*

(*a*) *Eod. to. 4. ep. ſecr. 94.*

(*b*) *Ead. pag.*

Impacta Pontifici calumnia. Ab ea ſe apud Eduardum vindicat.

(*c*) *Ib. p. 96.*

*pro*



*pro hujuſmodi reformatione pacis & laboravimus cum omni ſinceritate ſolicite, & cum omni attentione impendimus ſtudium, ac dedimus, nec ad ſiniſtram nec ad dexteram declinantes, operam pro viribus efficacem : ſed ſi laboribus noſtris ſperatus non ſucceſſit effectus, propter hoc lingua tertia labores non debuit depravare. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* XIV. *kal. julii anno quarto.*

Diluit eandem de non adhibita pro redintegranda pace diligentia notam, ab invidis & obtrectatoribus aſperſam, pluribus literis (*a*) datis ad Michaelem epiſcopum Londonienſem, atque Anglos proceres : quos Pontifici (in quem facile utpote Gallum genere ſuſpicionibus ſiniſtris imbui poterant) iniquiores fuiſſe, ex Matthæi Villani ſuperius dictis patet; cum is tradat, Henricum Eanclaſtrium & Philippum Borbonium, utriuſque Regis contraria jura ſumma pertinacia defendiſſe. Ne vero rerum novarum converſionibus ac eventibus præliorum concordiæ, pro qua redintegranda legati erant Cardinales, ratio omnis confunderetur, Eduardum Walliæ principem parentis nomine, & comitem Armaniaci Francorum Regis vice in Vaſconia præfectos rogavit (*b*), ut dum Cardinales internuntii ad Reges pergebant, ipſi novandis rebus belloque temperarent. Solicitatus etiam, ut ſæpe antea, Eduardus Rex (*c*), ut Carolum ducem Britanniæ vinculis ſolveret, quo operam una cum Cardinalibus pro reſtituenda concordia poſſet conjungere, atque (*d*) Iſabella & Philippa Reginæ, Eboracenſis, & Cantuarienſis archiepiſcopi, Londonienſis & Wintonienſis epiſcopi, ut Regem, qua pollebant apud ipſum gratia, ad id adducerent : ad quam etiam rem iidem Cardinales juſſi incumbere (*e*).

(*a*) *Ead. ep.* i.

Tractatum fruſtra de pace a Regum oratoribus. Rogati principes ut bellum intermitterent.

(*b*) *Ib. p. 57. 58.*

(*c*) *Pag. 157.*

(*d*) *Pag. 158.*

(*e*) *Pag. 159.*

V. Joannes Francorum Rex in ſuis expilandis ſævus.

Data præterea eſt Cardinalibus internuntiis provincia, ut corriperent Joannem Regem, qui ad conficiendos ingentes bellicos apparatus graviſſimis ſuos premebat vectigalibus, atque eccleſiaſticos viros pluribus aliis gravatos oneribus, imperatis ſine pontificis auctoritate anni unius decumis oppreſſerat, tantam acerbitatem in iis exigendis exercentibus illius adminiſtris, ut ſacerdotes, pars exhauſta opibus, pars conſcientia deterrita templorum curam abiicerent : unde divinus cultus obſoleſcebat, atque aliis principibus pernicioſum dabatur exemplum, ne pari ſævitia eccleſiaſticos ſpoliarent. Joannem etiam Regem admonuit graviſſimis literis (*f*) Innocentius, ut mala hæc ſedaret, vel potius tolleret, quo divinum Numen placatum tribueret optatæ pacis felicitatem.

(*f*) *Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 173.*

*Innocentius, &c. Joanni Regi Francorum illuſtri.*

*Per ſtrepit, fili chariſſime, Romana curia querelis gravibus, & infeſtis rumoribus Apoſtolicæ ſedis tinniunt continuo quaſi aures, quod quidam officiales & miniſtri tui prætextu conceſſæ per te illis, ut aſſeritur, poteſtatis eccleſias, perſonas eccleſiaſticas regni tui, præter alia inſolita gravamina plura, quibus eædem eccleſiæ ac perſonæ premi & angariari dicuntur, indifferenter ſicut & laici ad ſolvendum tibi vel illis nomine tuo decimam ſive ſubſidium ad valorem decimæ unius anni de proventibus eccleſiaſticis eorumdem compellere moliuntur, occaſione cujuſdam conceſſionis ſeu promiſſionis, quam de illa vel illo quidam pauci numero prælati eccleſiaſtici dicti regni, nullum a prælatis illius aliis & perſonis eiſdem mandatum aut conſenſum habentes, tibi abſque licentia ſedis ejuſdem, ſine qua eis id facere non licebat, improvide ac in ſalutis eorum præjudicium feciſſe dicuntur : quodque officiales & miniſtri iidem in exactione hujuſmodi decimæ ſive ſubſidii tantum exercent ſine omni miſeratione rigorem, ut ſi quæ ſint ex perſonis eiſdem, quæ decimam ſeu ſubſidium hujuſmodi ſolvere aut impotentia præeſſe non poſſint, aut conſcientia motæ recuſant, bona earum ad manum tuam capiant & detineant ſub eadem; & tot eas alias preſſuris affligant, ut vitæ neceſſariis deſtitutæ eccleſias & beneficia eorum relinquere compellantur; unde fit, quod Conditor redemptorque tuus, per quem regio ſedes in ſolio, pro modico ſubſidio conferendo tibi debitis ei fraudetur obſequiis, & miniſtrorum ejus voces, ſolitæ illius exerceri ſemper in laudibus, querelis & clamoribus occupantur. Hæc, princeps inclyte, ubi ſemel & iterum noſtris in auribus ſonuerunt, nos conſiderantes attente puritatem devotionis ad Deum, & rectitudinem zeli ad conſervationem & ampliationem eccleſiaſticæ libertatis catholicorum, principum progenitorum tuorum & tuam, credere nulla ratione potuimus : ſed tandem multiplicatæ querelæ, ac excreſcens continuo conquerentium numerus, & etiam ipſa miranda nobis inſinuatio tua retinentes impulerunt nos ad credendum; & eo ampliori amaritudine repleverunt, quo hæc tuæ ſaluti & famæ, quas attenta ſinceritate zelamus, contraria & libertati eccleſiaſticæ præjudicialia potius dignoſcuntur.*

Ut præſules ad decumam extorquendam ſubornarit.

Adminiſtrorum ejus in vexandis eccleſiaſticis ſævitia.

VI. Ut a majorum exemplis defecerit in exigenda decuma ſine Pont. facultate.

*Conſidera itaque, amantiſſime fili, conſidera utrum perſonis eiſdem multiplicium onerum, quorum plurima in tuum, & ipſius regni tui ſubſidium (de licentia tamen ſedis Apoſtolicæ) ſubjerunt, fatigatione laſſatis adiicienda ſit laxitudo. Conſidera utrum paucorum particularis oblatio, ſanctionibus canonicis omnino contraria, ſit ad univerſale omnium extendenda diſpen-*

*dium, & ad ipſius libertatis eccleſiaſticæ præjudicium retorquenda. Conſidera quid catholicis incumbat principibus, quando Pharao ille divinæ legis ignarus, cum ſervituti cæteros ſubjeciſſet, ſacerdotes & poſſeſſiones eorum non ſolum in priſtina libertate dimiſit, quinimmo de publico ſacerdotibus ipſis alimoniam miniſtravit. Conſidera qualia quantaque pericula in inferiores hujus ſeculi poteſtates hæc, ſi (quod abſit) procederent, exemplari quodam alveo derivarent, cum ut noſti imitatores plures facile culpa reperiat, quæ committitur a prohibitore culparum. Quid enim dicent quidve facient reliqui Reges & principes orbis terræ, ſi te, qui eccleſias & perſonas eaſdem ſpeciali ſemper honorificentia proſecutus, & ad conſervationem ac ampliationem libertatis ipſius regios favores impendens, ad id alios exemplis laudabilibus provocaſti, talia ſenſerint vel audierint facientem? Erigent proculdubio ad vetita animos, extendent ad illicita manus, & ad inconceſſa digitos informabunt.*

Pernicies hujus exempli.

*Ad pietatem itaque tuam, ut ſuper his remedia neceſſaria proviſionis acceleres, cum omni fiducia recurrentes, illam attente requirimus, & hortamur in Domino, ac attentius deprecamur, tibi hujuſmodi tuæ ſalutis intuitu paternis conſiliis ſuadentes, quatenus hæc, quæ ex paterna charitate deſcribimus, filiali benignitate recipiens, illaque tecum æqua & tranquilla mente pertractans, malum hoc, ne ſi (quod abſit) irremediabiliter ſteterit perículoſius, quod nos moleſtat, de gremio univerſalis eccleſiæ pro reverentia illius, qui eſt fundator & fundamentum ejus, auferre procures: ſic enim certe Dominus votis tuis benignus aſſiſtet, imponet ſolicitudinibus terminum, curas noxias ſubtrahet, multiplicabit facultates, vires augebit, & quibuſque aſperis in plana converſis, tibi & ſubditis tuis populis, ſicut deſiderantiſſime cupimus, optatæ quietis & pacis tempora propitius inſtaurabit. Super quibus, ut mentis noſtræ amaritudinem ſperatæ proviſionis tuæ medela dulceret, iterum rogamus & petimus, ut quæcumque ſuper his agenda duxeris, nobis e veſtigio intimare procures; iis, quæ venerabilis frater Talayrandus epiſcopus Albanenſis, & dilectus filius noſter Nicolaus tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis nuncii magnitudini tuæ ſuper eis pro parte noſtra retulerint, firmiter crediturus. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis III. non. ſeptembris anno VI.*

Monetur ut male cœptis abſiſtat.

VII.

Conſentiunt his, quæ de Joannis Regis in extorquendo ære militari ſævitia tradunt, hiſtorici, ex quibus Matthæus Villanus ait (a), mercatores externos ob eam diffugiſſe, ac plures urbes, regiis adminiſtris non admiſſis, quandam reipublicæ formam induxiſſe. Nec mirum, ſi conductus ſudoribus pauperum ac ſacerdotum lachrymis potentiſſimus exercitus turpiſſime fuerit profligatus, dum hæc ſubſidia in regni ordinum comitiis poſcebat Joannes. Interceſſiſſe apud populum Carolum Regem Navarræ multis nominibus regiæ Gallicæ beneficiarium, atque etiam proditionem in ſocerum conflaſſe, ferunt (b): ex quo indignatus Joannes illum cuſtodiæ manciparit. [1] Sed Regis Navarræ fratres Caroli vincula ulturi infeſta ſigna extulere, quamvis Pontifex, ut iis occurreret, Ludovicum principem, qui Caroli Regis nomine regnum Navarræ adminiſtrabat, proceresque ac populum multis literis ſit adhortatus (c), ut licet Joannes Rex ad generum cuſtodia liberandum difficilem ſe præberet, tamen mulcerent illum potius, quam illato bello exaſperarent. Ita civili bello arſit Gallia.

(a) *Matth. Vill. l. 6. c. 18.*

Rex Navarræ cuſtodiæ traditus.

(b) *Froſſard. hiſt. l. 1. Paul. Æmil. in Jo. Rege Gaguin. in eod.*

Ejus affines bellum Joanni inferunt.

(c) *To. 4. ep. ſecr. p. 167.*

Joannes Rex in Eduardum juniorem movet.

Eodem tempore Eduardus junior finitimas Aquitaniæ provincias ferro flammaque ſubiiciebat. In quem Joannes Rex ſigna convertit, deprehenditque (d) exuviis onuſtum in Pictavenſi agro copiarum numero admodum imparem. Certa videbatur ſine periculo victoria: ſed vincendi patientia Joanni defuit (e). Inter hæc legati (f) Cardinales Talayrandus & Nicolaus ſubmiſſi ab Innocentio, cum metuerent, ſi adverſæ concurrerent acies, plurimum ſanguinem Chriſtianum effuſum iri, qui potius pro defendenda in Turcas fide, firmandaque orientalis eccleſiæ cum Romana conjunctione ſpargendus erat, ad Francorum Regis ac Walliæ principis caſtra diſcurrere, ut concordiam inter eos redintegrarent. Neque abnuit Anglus periculi terrore perfuſus æquis legibus paciſci concordiam, eamque affinitate firmare: at Joannes pravis temerariorum ſubornatus conſiliis (g), Talayrandum Cardinalem faceſſere juſſit, adjectis verborum minis, ni abiret de vita, periclitaturum (h). Ut vero Franci, qui divinas in ſe iras ob repulſos internuntios

(d) *Matth. Vill. l. 7. c. 69.*

Patientia illi, ut vincat deeſt.

(e) *Paul. Æmil. in Joanne Rep.*

(f) *Matth. Vil. l. 7. c. 20. Froſ. l. 1. Paul. Æmil. & Walſ. in Eduard. III. & alii.*

(g) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Repulſi legati.

(h) *Froſſar. hiſt. l. 1. in Joanne.*

NOTÆ [1] ANnaliſta hic ex incerto tantum rumore acceptam captivitatem Regis Navarræ commemorat. Sed totius hiſtoriæ veritatem ſuffragio ſuo confirmat Nangii continuator, qui tunc in Gallia degebat. Ipſo tamen eodem continuatore teſte, ad quadrageſimam ſuperioris anni 1355. hæc referenda. Eo enim anno & tempore Carolum Navarræ Regem cum aliis nonnullis viris principibus ſolemni convivio a Carolo de Hiſpania comite ſtabuli Galliæ exceptum Joannes improviſus ſuperveniens oppreſſit, captumque ſecum abduxit. Cauſas alii alias prætendebant: omnia incerta. MANSI



tios apoſtolicos pacis interpretes concitarant, magna ſtrage ab Anglis ſint profligati, inter alios deſcribit his verbis MS. Vaticani auctor (a): *In dicto tempore guerra mortalis & terribilis perſeveravit inter Reges Franciæ & Angliæ in regno Franciæ per totam linguam Auxitanam, Britanniam, Normanniam & Picardiam. Ferro & igne Anglici per dictas provincias pene deludentes & occupantes, nec non ultimate ſub anno MCCCLVI. & die lunæ XIX. menſis ſeptembris princeps Gallarum primogenitus Eduardus III. Regis Angliæ bellum habuit cum ſuis gentibus in territorio Pictavenſi contra Regem Joannem filium Regis Philippi de Valoys & ſuas gentes. Quod bellum dictus princeps obtinuit: & dictus Rex cum ſuo filio tertio per dictum principem & ſuas gentes captivati & ducti in Angliam fuerunt cum circa ducentis tam comitibus quam vicecomitibus, banderenſibus, baronibus, militibus, & nobilibus majoribus & melioribus regni Franciæ, cum multis aliis comitibus, baronibus, nobilibus, & communitatibus dicti regni Franciæ.*

(a) *MS. bibl. Vat. ſig. num. 2040. Matth. Vill. l. 7. c. 20. Petr. l. 2. de vita ſolit. ſect. 4. c. 2. & rer. ſenil. ep. 2. Paul. Æmil. in eod. Jo. Rege Wal. in Eduard. II. & alii.*

Galliæ Rex captus.

Non Anglicis viribus, ſed divinæ in Joannem ultioni vulgo adſcripta eſt hæc victoria; de qua hæc habet Innocentii vitæ ſcriptor (b): *Ceſſit victoria dicto Odoardo principi, dicto Rege & ſuis fere omnibus captivatis, cæſis, aut in fugam converſis: quod fuit admodum mirabile & ſtupendum, attento maxime, quod pro uno ex victoribus victi erant decem & ultra. Eorum etiam apparatus tam in armis, quam equis & aliis ad bellum neceſſariis & opportunis, erat multo ſolemnior & validior, & ad vincendum alios magis diſpoſitus in cunctis. Sed talis fuit voluntas Dei ſeu ordinatio, cui reſiſtere nemo poteſt.* Eduardus porro victor agnovit non ſuis viribus, quæ imbelles erant, ſed divini Numinis manifeſta ope potentiſſimum hoſtem debellatum: ejuſque pater Rex non feſtos ignes, ut ſe fumo paſceret, excitandos curavit, ſed divina ſacrificia octo diebus continuis ad agendas Deo grates, ac pro eorum, qui occubuerant in acie, animabus a ſacerdotibus peragi juſſit (c): quo modeſtiæ ſpecimine majorem gloriam, quam filius triumpho collegit. [1]

(b) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Numero ſuperiores erant Galli.

Anglorum pietas commendanda.

(c) *Matth. Vill. l. 7. c. 21.*

VIII.

Delphinum Pontifex ad conſtantiam excitat.

Accepto de Gallica clade nuntio, Innocentius delphinum optimis conſiliis, ut ſe adverſus res aſperas muniret erudivit (d); neque dolori, ſed inſtaurandis lapſis rebus vacaret: probos conſultores ſibi aſciſceret: divinum timorem infereret animo: neve injuſtis oneribus populum opprimeret; atque internuntios Cardinales ad abruptum toties pacis colloquium redintegrandum juſſit incumbere. Tum vero Eduardus (e), licet capto Joanne Rege poſſet ulterius excurrere; veritus tamen ne Galli, collectis novis viribus eundem Regem recuperarent, vel ne in ipſum Carolus Imperator proſiliret, Burdegalam ſpoliis & gloria onuſtus ſe recepit. De cujus in parta victoria moderatione animi egregie ſentiens Innocentius, illum ad clementiam in victos explicandam, accommodandum paci in triumpho animum, ac reponenda divino Numini grati animi officia hiſce literis eſt adhortatus (f).

(d) *To. 4. ep. ſecr. p. 204.*

(e) *Matth. Vill. l. 7. c. 20.*

Burdegalam Joannes ducitur.

(f) *To. 4. ep. ſecr. p. 201.*

*Eduardo primogenito chariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris principi Vualliæ.*

*Quanquam, fili, ex tuorum felicitate ſucceſſuum cum mundo ſentiens, ut probabiliter credimus, glorieris; tenemus tamen indubie, quod ſicut Deo devotus, & ex devotis ei parentibus editus triumphorum gloriam & victoriarum honorem ad Deum creatorem tuum, a quo eſt omnis victoria omniſque triumphus, cum reverentia refers: tenemus, quod in eis effuſionem cruoris humani conſideras: tenemus, quod animarum pericula intueris; & quod proinde in conſpectu ipſius Dei tui eo te humilias amplius, quo ſicut circumſpectus & prudens plane perpendis, debere te illi pro iis referre gratias, pro his ab eo veniam deprecari. Licet enim idem ipſe Deus, prout vult, diſtribuens dona ſua, te victoriarum titulis & triumphorum pompa fecerit glorioſum; deteſtatur tamen plebis ſuæ ſtragem, nec regnantium rancorem aut odium, jus vel injuriam compenſari vult excidio fidelium & innocentium populorum. Quod nos attenta nobiſcum meditatione penſantes, non revocamus in dubium, immo veriſimiliter certi ſumus, quod tu quanto de manu Domini proſperiora te ſuſcepiſſe cognoſcis, tanto ad pacem ſis promptior, tanto ad concordiam favorabilius inclineris; maxime cum ea ſit conſuetudo potentium imitantium pietatem, ut plus eos ad clementiam quotidie proſperitas excitet, plus ad manſuetudinem felicitas indeſinenter inducat; nunquam enim pietas in aliquo*

Pontificiæ ad victorem literæ.

Adhortatio ad clementiam.

NOTÆ [1] SPondanus ad hunc annum memorat concilium quoddam Londinenſe a Simeone Iſlepio Cantuarienſi Archiepiſcopo celebratum, in quo exigente Eduardo rege decimas ſexennes clerus reclamavit; ac tandem poſt multas in utramque partem concertationes, conventum fuit ut pro ſexennali annalis tantummodo decima ſolveretur. Legendus Harpsfeldius hiſt. eccl. Angl. ſæc. XIV. cap. X. Concilii hujus nec Spelmannus in collectione ſynod. Britanniæ, nec Labbeus in ſua collectione generali, meminerunt; Acta hujus non ante multos annos publici juris fecit Wilkins in collectione noviſſima conciliorum Angliæ to. 3. ad hunc annum. MANSI

*quo, niſi cum poſſit: ſævire, perpenditur: nunquam dulcedo manſuetudinis, niſi cum poſſit rigide agere, innoteſcit. Dat ergo potentia occaſionem clementiæ: dat cauſam etiam pietati.*

IX. *Hanc igitur occaſionem, hanc cauſam a te, cum exhibere poſſis, exigimus ut pro pace inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Joannem Regem Francorum illuſtrem, quem ad carcerem tuum bellicus eventus adduxit, & te (actore Domino) reformandam, nobilitatem tuam confidenter adimus; illam quanta poſſumus affectione rogantes, ac per viſcera miſericordiæ Dei obſecrantes attentius, quatenus reddens gratitudinis vicem domino Deo tuo pro his, quæ tribuit ipſe tibi, ad pacem & concordiam habilites animum, cor præpares, diſponas & mentem: noſti enim, quod ille Rex pacificus, per quem vivis & regnas, pacem te diligere præcipit, & immiſericordium cordium refugit incolatum. Et ne longis ſermonibus diffuſius extendamus epiſtolam, precibus noſtris adiicimus, ut quæ venerabilis frater Talayrandus epiſcopus Albanenſis, & dilectus filius noſter Nicolaus tit. S. Vitalis presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis nuncii, vel alter eorum tibi ſuper hoc pro parte noſtra per ſe vel alios retulerint, aut literis indicarint, credas indubie; illaque ſperatis operum fructibus pia velis proſecutione complere. Dat. Avin. v. non. octobris anno* IV.

Et ad pacem.

(a) *Ead. pag.*

Collaudavit aliis literis Pontifex (a) eundem principem, honorificentiſſime excepiſſe Talayrandum Cardinalem, fregiſſe in ſecundis rebus ſuperbiam animi, quæ victoribus dominatur; grateſque ei egit, fuiſſe ſingulari comitate Francorum Regem proſecutum: *Venerabilis,* inquit, *frater noſter Talayrandus epiſcopus Albanenſis A. S. N. per ſuas literas ſcripſit nobis, quod tu nobilitatem, quam derivas ex genere, confirmans & amplians generoſitate animi ac operatione virtutum, tantis eum es proſecutus honoribus, tantiſque favoribus, quantos filium in Chriſto patri decuit exhibere: quodque (quod his omnibus majus eſt) animum tuum æqualiter ad omnia præparans, nulla erectus proſperitate ſucceſſuum, ſed in conſpectu domini Dei tui ſemper humilior, ei omnia deputans, a quo omnia ſuſcepiſti, chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanni Regi Francorum illuſtri, quem ad carcerem tuum bellicus eventus adduxit, honorificentiam quæ tanto principi convenit, benignus impendis: ſuper quo nobilitatem tuam meritis laudibus proſequentes, & ſperantes indubie, quod omnipotens Dominus, qui humilia reſpicit & alta de longe cognoſcit, in te uberius & copioſius gratiam ſuæ benedictionis effundet, &c. Dat. Avin.* II. *non. octobris anno* IV. Commendat Eduardum juniorem Villanus (b), tantis illum officiis Joannem eſſe proſecutum, ut etiam menſæ accumbenti inſervierit.

De legato honorifice excepto actæ gratiæ.

Deque Gallo Rege clementer habito.

(b) *Matth. Vill. l. 7. c. 20.*

X. Levandæ vero Gallorum conſternationis, & impendentium malorum avertendorum ſolicitus Pontifex, ad componendas res Carolum Imperatorem Romanorum adhibendum cenſuit: miſſoque ad eum Androino abbate Cluniacenſi, hortatus eſt (c), ut pacis interpretem Francos inter & Anglos ageret: reſervatam uni ipſi tanti operis gloriam, atque internuntios Cardinales in ea re diligentem operam* locaturos. Quanto vero dolore ex Francorum Regis vinculis confectus eſſet, his verbis deſcripſit (d).

Solicitatus Imp. ut pacis ſequeſtrem agat.

(c) *Ib. pag.* 202.

(d) *Ead. pag.*

*Innocentius, &c. Carolo Imperatori Romanorum ſemper Auguſto.*

*Tanta, fili chariſſime, amaritudine nos replevit, tamque vehementis doloris aculeo cor noſtrum & intima quæque ſauciavit finiſtri caſus eventus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Francorum illuſtris, quem ad te ante receptionem præſentium credimus perveniſſe, ut pene in nobis virtus defecerit, emarcuerit vigor, & ſenſus evanuerint quaſi omnes. Quis enim ſanæ mentis, quis ſui compos, quis carnei cordis, quis humani animi non erumpat in lacbrymas? quis amara de profundis pectoris ſuſpiria non educat? quis prohibeat gemitus? quis compeſcat fletus? quis lamenta contineat? ſingultus etiam quis refrænet in effuſione Chriſtiani ſanguinis, tantorum caſu nobilium populorum, ruina fidelium, & multarum, quæ deploranda ſunt amplius, periculis animarum? Nullum enim cujuſquam tam ſaxeum pectus credimus, quod hæc audita non frangerent: nullum tam ferreum, quod non mollirent, & funderent; nullumque tam rigidum, quod horum conſideratio non leniret. Cumque inter anguſtias plurimas, quibus propter hæc & alia obvolvimur, undique ad neceſſariam reparationem caſus hujuſmodi animum dormientem ſenſu amaritudinis excitamus, utcumque de conamine vel miniſterio humano pene diffiſi, ad eum attollimus attenuatam mœroribus aciem, ad eum deſolatæ mentis erigimus oculos, ad eum devotas preces & orationes effundimus, qui mari & ventis imperat, & ad cujus nutum ſtat ſpiritus procellarum; ut ipſe ſuper tot plebis ſuæ flagellis acerbioribus pia compaſſione commotus, mittens de alto potentiæ ſuæ manum, nos de aquis harum tempeſtatum eripere, ac ſecundum multitudinem dolorum in corde noſtro conſolationibus ſuis animam noſtram lætificare dignetur. Et ſperamus in eo, quod etſi precibus noſtris aurem ſuam pro peccatis noſtris accommodare refugiat, miſerebitur ſaltem calamitatibus populi, quem ipſe pia proprii cruoris effuſione redemit.*

Conceptum a ſe ex Joannis vinculis dolorem illi ſignificat Pontifex.

Et effuſas ad Deum preces.

XI. *Et hinc eſt, quod tenentes firmiter ipſius Redemptoris noſtri munere procuratum, ut*



*ut tu, qui ſolus inter homines languoribus his vehementioribus potes neceſſariam adhibere medelam, hoc tempore turbinum ad extremas imperii tui partes regno Francorum proximas declinaris; ad te, ut hanc rabiem procellarum virtute induſtriæ ac prudentiæ tuæ frænes, & tranquillæ pacis beneficio tollas de medio guerrarum incommoda, & commotiones hoſtiles, confugimus; pietatem tuam per eum, cujus nutu imperiali faſtigio præemines, depoſcentes, quatenus præmiſſa & alia, quæ brevitatis gratia ſubticemus, in debitam conſiderationem adducens pro reverentia Dei, conſideratione ſalutis & honoris tui, publicæ utilitatis intuitu, & noſtræ interceſſionis obtentu, ne moreris; ſed feſtinans deſcendas deſolationi catholici occurrere populi, Chriſtianæ gentis excidia tollere, obviare periculis animarum. Tibi enim hæc gloria, tibi honor, tibi hæc laus a Domino reſervantur; tu namque partibus conjunctus es ſanguine: tu licet ſis proximior alteri, utriuſque tamen cauſam juſte reſpicies, & ad æquitatem, non ad ſanguinem, oculos inclinabis: tu efficax tractator pacis, & promotor concordiæ tam favore dignitatis cæſareæ, quam gratia charitatis. Habebis etiam ibi venerabilem fratrem noſtrum Talayrandum epiſcopum Albanenſem & dilectum filium noſtrum Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis nuncios, quos boni hujus utiles cooperatores invenies, & quorum in occurrentibus conſiliis dirigi, & auxilio poteris adjuvari: ſuper quo, quia dilecto filio Androino abbati monaſterii Cluniacenſis Matiſconenſis diœceſis latori præſentium impoſuimus aliqua clementiæ tuæ oretenus exponenda, precamur attentius, ut ipſius pro parte noſtra relatibus adhibeas plenam fidem. Dat. Avin.* v. *non. octobris anno* IV.

Rogatur Cæſar, ut ad limitem imperii accedat.

Obortam inter Reges litem componat.

XII. Contulit (a) ſe ad eumdem Carolum, qui Metis comitia auguſtalia indixerat, Carolus ipſius nepos ex ſorore dux Normanniæ, ut illum ad præſtandam laboranti regno opem permoveret: nec enim modo Anglici belli terrore, Rege jam capto, ac cæſo nobilitatis flore; ſed inteſtinis etiam ſeditionibus fluctuabat: Regis Navarræ frater Normanniam ob illum in vinculis tentum infeſtabat; plebeji furebant in nobiles, ipſorum proditione vel ignavia Regem captum: qua etiam nota aſpergebatur Gallici ſceptri heres ipſe, qui una cum agmine ſuo poſt leve prælium, fuga arrepta, Joannem deſeruiſſet. Conveniſſe Metis Francorum & Anglorum oratores cum Carolo Imperatore ad feſta natalitia Domini, ſed nullam concordiæ rationem a Germanis principibus inter Francos Angloſque conciliari potuiſſe refert Villanus (b), de quo etiam meminit Rebdorſius his verbis (c): *Menſe decembri præſcriptus Imperator vocatus per dominos & civitates regni Franciæ poſt bellum præmiſſum venit in civitatem Metenſem, ubi jura imperii & claves civitatis ab incolis requiſivit: & per dominum Innocentium Papam Cardinalis Petragoricenſis transmiſſus ad ipſum, ac filius Regis Franciæ conſanguineus Imperatoris, qui de bello ſupraſcripto cum multis armatis fugit, ac multitudo magna principum Alemanniæ & Franciæ convenit ad ipſum; & per feſtum nativitatis dominicæ fuerunt apud ipſum. Demum tranſit in ducatum Brabantiæ, & hujuſmodi guerram ſedavit.*

(a) *Eod. to. 4. ep. ſecr. pag.* 240. *& tom. 3. collect. Plat. pag.* 103.

Galli civili bello impliciti.

Conventus Metis habiti ab Imp.

(b) *Mat. Vill. l. 5. c. 46.*

(c) *Rebd. in annal. hoc ann.*

Adhibuerat Pontifex pro ſopiendo eo bello inter Brabantiæ ducem Wenceſlaum ac Ludovicum comitem Flandriæ ſuborto Caroli Imperatoris authoritatem, ad quem ea de cauſa Petrum epiſcopum Cameracenſem miſerat, ut oſtendunt pontificiæ literæ ad Imperatorem ipſum, nec non ad Wenceſlaum ducem & Ludovicum comitem datæ (d): demumque pax inita, Mechliniaque Flandriæ comitis poteſtati permiſſa. Ita ſæviſſimum bellum reſtinctum Pontificis & Caroli Imperatoris ſtudio. Agunt de eodem bello inter alios Rebdorſius (e), Matthæus Villanus (f), Joannes a Leydis (g) ac MS. Vaticanum, cujus verba decerpemus (h): *Guerra,* inquit, *terribilis & fortis ſurrexit inter ducem Brabantiæ, ſuum germanum, & comitem Flandriæ, ipſorumque communitates & gentes anno* II. *ſuæ coronationis imperii; fuitque bellum campeſtre inter dictos Brabantinos & Flandrenſes prope Bruxellas: quod bellum Flamenghi obtinuerant, & circa octo millia Brabantinorum mortui ceciderunt: & facto bello totus ducatus Brabantiæ fuit in gubernationem & ad mandata comitis Flandriæ per plures menſes: & paulo poſt dictus dux recuperavit totum ducatum præter Malinas.*

Bellum inter Belgam & Brabantinum.

(d) *Tom. 4. ep. ſecr. pag.* 224.

(e) *Rebdorf. in annal.*

(f) *Mat. Vill. l. 7. c.* 88.

(g) *Jo. a Leydis l. 30. c. 16. Ægid. Royan in annal. Bel. Meyer hiſt. Fland. l.* 13.

(h) *MS. bibl. Vat. ſign. n.* 2040.

XIII. Wenceſlao duci reſtituta Brabantia.

Quod ad Carolum Imperatorem attinet, agit pluribus Rebdorſius (i) de Metenſis conventus ſplendore ac magnificentia; cui etiam conſentanea Albertus Argentinenſis (k) & alii referunt: extantque in libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ (l) plures leges ab Imperatore in eo promulgatæ hoc præfixæ titulo.

Metenſes conventus.

(i) *Rebdorf. in annal.*

(k) *Argent. in chron.*

(l) *Lib. priv. Rom. eccl. to.* 1. *pag.* 401. *ext. etiam in arce S. Angel. & inter collect. Platin. to. 3. pag.* 103. 128. *&* 156. *& apud Goldaſt. in collect. conſt. imperial. to.* 1. *in Carolo* IV.

*Infraſcriptæ leges promulgatæ ſunt in curia Metenſi per dominum Carolum IV. Romanorum Imperatorem & Boemiæ Regem Auguſtum anno Domini MCCCLVI. in die natalis Chriſti, aſſidentibus ſibi omnibus ſacri Romani imperii electoribus, præſentibus dominis venerabili in Chriſto patre domino Talayrando epiſcopo Albanenſi S. R. E. Cardinale, ac Carolo Regis Franciæ primogenito Normanniæ duce illuſtri ac delphino Viennenſi.* Prima lege ſtatuuntur graviſſimæ pœnæ in eos, qui in necem electorum principum conjurarint. Dein ad eorumdem electorum principatus confirman-

Ad eos delphinus accedit.

mandos ſancitum, ne Boemiæ regnum, palatinatus Rheni, ducatus Saxoniæ, & marchionatus Brandeburgenſis, atque alia ditio beneficiaria, vectigaleſque urbes agrive diſcindi poſſint aut diſſolvi: ſed principatus, dignitas, & amplitudo in uno capite, majori ſcilicet natu filio, qui fratribus ac ſororibus benignum ſe impertiturus ſit, retineantur. Subiicitur deinde pompæ ordo, cum Imperator inſtructo agmine, auguſtali ornatu inſignis ad comitia pergit. Deſcripta etiam principum munera in hujuſmodi conventibus exercenda. Definitum quæ ſtipendia officialibus tribuenda, cum principes imperatorio beneficio ac liberalitate ditionem acceptam profitentur. Denique, ut principes electores linguas calleant pro expediendis negotiis audiendiſque exterarum gentium oratoribus hac lege cautum.

De filiis principum inſtruendis.

*Statuimus ut illuſtrium principum, puta Regis Boemiæ, comitis Palatini, ducis Saxoniæ, & marchionis Brandeburgenſis electorum filii vel heredes & ſucceſſores, cum veriſimiliter Theutonicorum idioma ſibi naturaliter inditum ſciri præſumatur, & ab infantia didiciſſe, incipiendo a ſeptimo ætatis ſuæ anno in grammatica, Italica & Sclavica linguis inſtruantur: ita quod infra quartumdecimum ætatis annum exiſtant in talibus juxta datam a Deo gratiam eruditi; cum illud non ſolum utile, immo ex cauſis præmiſſis ſumme neceſſarium habeatur, eo quod illæ linguæ ut plurimum ad uſum & utilitatem ſacri imperii frequentari ſint ſolitæ, & in iis plus ardua ipſius imperii negotia ventilentur.* Lata eſt in iiſdem Metenſibus cœtibus ſententia (*a*) a Ruperto comite palatino, eodemque archidapifero Cæſaris & duce Bavariæ, qua ſeptemviratus dignitas juſque creandi Cæſaris, ne qua de iis controverſia moveretur Regi Boemiæ, aſſerta eſt. Conſignatur id decretum hac loci & temporis nota. *Datum Metis anno Domini MCCCLVI. proxima dominica ante feſtum B. Luciæ virginis.*

(*a*) *Ext. apud Goldaſt. in coll. legum imperial.*

Boemo aſſeritur jus creandi Cæſaris.

XIV.

Celebrarat ante Carolus ineunte hoc eodem anno Nurembergæ alia ordinum imperii comitia, de quibus hæc narrat Rebdorſius (*b*): *Menſe januario idem Imperator convocat curiam in Nuremberg, in qua archiepiſcopi Moguntinenſis, Colonienſis, Treverenſis, & alii principes conveniunt electores, & quamplures alii: ſed filii Ludovici duo, Ludovicus marchio Brandeburgenſis & dux Stephanus ad hanc curiam non conveniunt, timentes potentiam Imperatoris prædicti: Ludovicus vero dictus Romanus etiam filius Ludovici bene interfuit huic curiæ cum magno apparatu, & de marchionatu Brandeburgenſi per Imperatorem eſt inveſtitus ibidem.* De iiſdem celeberrimis comitiis Nurembergæ a Carolo Imperatore habitis, in quibus ad componendas res imperii conſtituendaſque leges tulit, meminit vitæ Innocentii author (*c*), de Carolo loquens, his verbis: *Dum ad Alamanniam perveniſſet, vocatis principibus in * Varemberch, multas leges edidit, & conſtitutiones fecit, ſtatum & utilitatem imperii concernentes, ad pacem & concordiam inter ipſum & eccleſiam conſervandas.* Extant eæ in molis Adrianæ tabulario, & inter illuſtria monumenta juſſu Sixti IV. a Platina collecta (*d*) & in libro privilegiorum (*e*) Romanæ eccleſiæ MSS. Vaticani tabularii, e quo præcipuas decerpemus, quarum ferendarum cauſas, rationes, locum, ac tempus Imperator his verbis conſignat.

(*b*) *Rebdorſ. in annal.*

Alia comitia Nurembergæ habita.

(*c*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet.*

Præcipua in eo geſta.

* *Nuremberch*

*Infraſcriptas leges ad unitatem inter electores fovendam & electionem unanimem inducendam, ac deteſtandæ diviſioni prædictis variis periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum, in ſolemni curia noſtra Nuremburgenſi, aſſidentibus nobis omnibus principibus electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus, ac aliorum principum, comitum, baronum, procerum, nobilium, & civitatum multitudine numeroſa, in ſolio majeſtatis cæſareæ imperialibus infulis, inſigniis, & diademate decorati, matura deliberatione prævia de imperialis poteſtatis plenitudine edidimus, ſtatuimus, & duximus faciendas ſub anno Domini MCCCLVI. nona indict. IV. id. januarii regnorum noſtrorum anno X. imperii vero II.* Cavet primum pluribus legibus de tuto ac libero commeatu præſtando ſeptemviris, cum ad comitia pro creando Rege Romanorum erunt profecturi, quive euntes ſtipaturi ſint, deſignat. Quo vero ritu a Moguntino archiepiſcopo principibus, mortuo Imperatore, interregnum ſit ſignificandum, atque indicendi ſolemnes ſeptemvirum conventus, celebrandive Francofurti, vel quo ſuccincti comitatu adituri ſint, his verbis ſancit.

(*d*) *Ext. in arce S. Angel. & inter collect. Plat. to. 3. p. 86.*

(*e*) *Lib. priv. Rom. eccl. to. I. p. 401. ext. etiam apud Panv. poſt lib. de comitiis Imp. & apud Goldaſt. in collect. conſt. imper. in Carol. IV. to. I.*

De creando Rege Romanorum.

XV.

*Cum ad hoc perventum fuerit, quo de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in diœceſi Moguntinenſi conſtiterit, ex tunc infra unum menſem, a die notitiæ obitus hujuſmodi continue numerandum, ſingulis principibus electoribus obitum ipſum & intimationem, de quibus præmittitur, per archiepiſcopum Moguntinenſem jubemus & decernimus ſuis patentibus literis declarari. Quod ſi idem archiepiſcopus in executione & intimatione hujuſmodi negligens aut remiſſus fortaſſis exiſteret, ex tunc iidem principes motu proprio, etiam non vocati, pro fidei ſuæ virtute, qua ſacrum proſequi tenentur imperium, poſthæc infra tres menſes, ſicut in conſtitutione ſupra proximo poſita continetur, in civitate Franckenfort ſæpedicta conveniant electuri Regem Romanorum in Cæſarem promovendum. Debet autem unuſquiſque princeps elector vel ſui nuncii prædictam civitatem Frankenford*

Ut convenire debeant electores.

Equitum ſtipatorum numerus.



*ford cum ducentis equitaturis tantummodo præfatæ electionis tempore introire, in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores introducere ſecum poterit, ſed non plures. Princeps vero elector ad ipſam non veniens vel legales nuntios cum literis patentibus ſigillo ſuo majore ſigillatis, plenamque & liberam ac omnimodam poteſtatem continentibus ad eligendum Romanorum Regem futurum Imperatorem non dirigens, aut veniens, aut hujuſmodi nuntios fortaſſe tranſmittens, ſi poſtea princeps ipſe aut prædicti nuntii a prædicto electionis loco recederent Rege Romanorum futuro Cæſare non electo, nec ad præmiſſa procuratore legitimo ſubſtituto ſolemniter & relicto, electionis voce ſeu jure, quod in eadem electione habuit & tali modo deſeruit, careat ea vice.*

Suffragii jure excidit, qui e conventu abeat.

*Injungimus autem civibus de Franckenford & mandamus, ut ipſi univerſos principes electores in genere & quemlibet eorum ab invaſione alterius, ſi quid inter eos adverſitatis emergeret, & etiam ab omni homine cum omnibus eorum hominibus quos, ipſi & eorum quilibet in præfato ducentorum ſuorum equorum numero ad præfatam duxerint civitatem, in virtute juramenti, quod ſuper hoc ipſos ad ſancta præſtare ſtatuimus, fideli ſtudio & ſolerti diligentia protegant ac defendant: alioquin perjurii reatum incurrant, & nihilominus omnia ſua jura, libertates, privilegia, gratias, & indulta, quæ a ſacro obtinere noſcuntur imperio, omnino amittant, &c.* Incuſſæ aliæ pœnæ: tum prohibiti quemquam alium, dum agitur de eligendo Rege, in urbem inducere. Dein ſervandi in electione ritus his verbis deſcripti.

Sacramento mutuam concordiam ſervent.

XVI.

De peragenda divina re.

*Poſtquam autem ſæpedicti electores ſeu nuntii civitatem Franckenford ingreſſi fuerint, ſtatim ſequenti die diluculo in eccleſia S. Bartholomæi Apoſtoli ibidem in omni ipſorum præſentia miſſam de Sancto Spiritu faciant decantari ad finem, ut ipſe Sanctus Spiritus corda ipſorum illuſtret, & eorum ſenſibus lumen ſuæ virtutis infundat, quatenus ipſi ſuo ſuffulti præſidio hominem juſtum, bonum, & utilem eligere valeant in Regem Romanorum futurumque Cæſarem, ac pro ſalute populi Chriſtiani. Peracta quoque miſſa hujuſmodi, omnes illi electores ſeu nuntii accedant ad altare, in quo miſſa eadem extitit celebrata: ubi principes electores eccleſiaſtici coram evangelio B. Joannis, In principio erat Verbum; quod illic ante ipſos poni debebit, manus ſuas pectori cum reverentia ſupponant: ſeculares vero principes electores dictum evangelium corporaliter manibus ſuis tangant: qui omnes cum tota ſua familia tunc ibi debebunt inermes aſſiſtere. Et archiepiſcopus Moguntinenſis formam juramenti eis dabit, & una cum ipſis, & ipſi vel abſentium nuntii una cum eo juramentum præſtabunt vulgariter in hunc modum.*

Sacramento præſtando ab electoribus.

*Ego N. archiepiſcopus Moguntinenſis ſacri imperii per Germaniam archicancellarius & princeps elector juro ad ſancta Dei evangelia hic præſentialiter coram me poſita quod ego per fidem, qua Deo & ſacro Romano imperio ſum aſtrictus, ſecundum omnem diſcretionem & intellectum meum cum Dei adjutorio eligere volo temporale caput populo Chriſtiano, ideſt, Regem Romanorum in Cæſarem promovendum, qui ad hoc exiſtat idoneus, in quantum diſcretio & ſenſus mei me dirigunt: & ſecundum fidem prædictam vocemque meam, & votum ſeu electionem præfatam dabo abſque omni pacto, ſtipendio, pretio, ſeu promiſſo, vel quocumque modo talia valeant appellari. Sic me Deus adjuvet, & omnes ſancti.*

Illius formula.

XVII.

Non diſcedendum Francofurto niſi creato Rege.

*Præſtito denique per electores ſeu nuntios in forma & modo prædictis hujuſmodi juramento, ad electionem procedant: nec amodo de jam dicta civitate Francoford ſeparentur, niſi prius major pars ipſorum temporale caput mundo elegerit, ſeu populo Chriſtiano, Regem videlicet Romanorum in Cæſarem promovendum. Quod ſi facere diſtulerint infra triginta dies, a die præſtiti juramenti præfati continuo numerandos, ex tunc tranſactis eiſdem triginta diebus amodo panem manducent & aquam, *... & nullatenus civitatem exeant antedictam, niſi prius per ipſos vel majorem partem ipſorum rector ſeu temporale caput fidelium electum fuerit, ut præfertur. Poſtquam autem in eodem loco ipſi vel pars eorum major numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, concorditer celebrata: ſique per tempus aliquod morari, abeſſe, & tardare contingeret aliquem de electoribus ſeu nuntiis antedictis, dum tamen veniret antequam prædicta eſſet electio celebrata, hunc ad electionem ipſam in eo ſtatu admitti decernimus, in quo ipſa adventus ſui tempore conſiſtebat.*

* *bibant*

XVIII.

Creatus Rex principum immunitates confirmet.

*Et quia de antiqua, approbata, & laudabili conſuetudine inconfuſe quod ſubſcribitur ſemper extitit hactenus obſervatum, ideoque & nos conſtituimus, & de imperiali decernimus plenitudine poteſtatis, quod is, qui modo præmiſſo in Regem Romanorum electus fuerit, peracta ſtatim electione hujuſmodi, priuſquam in aliquibus cauſis aliis ſive negotiis virtute ſacri imperii adminiſtret, univerſis & ſingulis principibus electoribus eccleſiaſticis & ſecularibus, qui propinquiora ſacri imperii membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum privilegia, literas, jura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipſi ab imperio uſque in diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſederunt, abſque dilatione & contradictione*

*confirmare & approbare debeas per ſuas literas & ſigilla: ipſiſque præmiſſa omnia innovare, poſtquam imperialibus infulis fuerit coronatus. Confirmationem autem hujuſmodi electus ipſe cuilibet principi electori in ſpecie primo ſuo regali nomine faciet, & deinde ſub imperiali titulo innovabit: & in his ipſos principes omnes in genere, & quemlibet eorum in ſpecie nullatenus impedire; ſed potius abſque dolo gratioſe tenebitur promovere. In caſu denique quo tres principes electores præſentes ſeu abſentium nuntii quartum ex ſe ſeu ipſorum conſortio, videlicet principem electorem præſentem vel abſentem in Regem Romanorum elegerint, vocem illius electi, ſi præſens affuerit, aut nuntiorum ipſius, ſi eum abeſſe contingeret, plenum vigorem habere & eligentium augere numerum, partemque majorem decernimus conſtituere ad inſtar cæterorum principum electorum.*

Tres Electores quartum poſſunt eligere.

XIX. De Dignitate ſedium principum electorum. Earum ordo inter electores archiepiſcopos.

Ad dirimendas contentiones, quæ de ſedium dignitate atque ordine inter ſeptemviros principes exoriri poſſent, hic ordo præſcriptus. Primum, quod ſpectat ad archiepiſcopos, ita conſtituit Carolus.

*De imperatoriæ poteſtatis plenitudine ac edictali lege perpetuo valitura ſancimus quod ſupradicti venerabiles archiepiſcopi, Treverenſis videlicet ex oppoſito lineari directione verſus Imperatoris faciem, Moguntinenſis vero in ſuis diœceſi & provincia, & extra provinciam ſuam in toto archicancellariatu ſuo Germanico, provincia Colonienſi dumtaxat excepta, & demum Colonienſis in ſuis diœceſi & provincia & extra provinciam ſuam in tota Italia & Gallia in dextro latere Romanorum Cæſaris ſedere poſſint, valeant, & debeant in omnibus publicis actibus imperialibus, puta judiciis, collationibus feudorum, & in refectionibus menſarum, ac etiam in conciliis & omnibus aliis agendis, propter quæ contingit ſeu continget eos pro honore ſeu utilitate imperiali tractandis mutuo convenire. Et hunc modum ſeſſionis ſub omni eo ordine, ſicut expreſſatur ſuperius, ad prædictorum Colonienſis, Trevirenſis, & Moguntinenſis archiepiſcoporum ſucceſſores perpetuo extendi volumus, ut nullo umquam tempore ſuper his quævis dubietas generetur.*

XX.

Inter electores laicos.

*Statuimus inſuper, ut quotieſcumque imperialem curiam ex nunc in antea celebrari contigerit, in qualibet ſeſſione, videlicet tam in conſilio, quam in menſa & locis aliis quibuſcumque, ubi Imperatorem vel Regem Romanorum cum principibus electoribus ſedere continget, a dextro latere Imperatoris vel Regis Romanorum immediate poſt archiepiſcopum Moguntinenſem vel Colonienſem, illum videlicet, quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate provinciarum juxta privilegii ſui tenorem dicto lateri dextro Imperatoris aſſidere contigerit, Rex Boemiæ, cum ſit princeps coronatus & unctus primum, & poſt eum continuo comes Palatinus Rheni ſecundum ſedendi loca debeant obtinere. Ad ſiniſtram vero partem immediate poſt illum, quem cum prædictis archiepiſcopis in latere ſiniſtro ſedere continget, primum locum dux Saxoniæ, & poſt eum marchio Brandeburgenſis alterum obtineat. Cæterum quoties & quando deinceps ſacrum vacare continget imperium, ex tunc Moguntinenſis archiepiſcopus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cæteros principes antedictos ſuos in dicta electione conſortes literatorie convocandi. Quibus omnibus ſeu his, qui potuerunt & voluerint intereſſe, in electionis termino invicem congregatis, dictus archiepiſcopus Moguntinenſis, & non alter, eorundem electorum ſuorum vota ſingulariter habebit inquirere ordine ſubſequenti.*

Moguntinus ſuffragia ſcrutatur.

Quo ordine.

*Primo quidem interrogabit a Treverenſi archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe: ſecundo a Colonienſi archiepiſcopo, cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi: tertio a Rege Boemiæ, qui inter electores laicos ex regiæ dignitatis faſtigio jure & merito obtinet primatiam: quarto a comite palatino Rheni: quinto a duce Saxoniæ: ſexto a marchione Brandeburgenſi. Horum omnium vota præmiſſo jam ordine dictus archiepiſcopus Moguntinenſis perquiret: quo facto, dicti principes ſui conſortes ipſum vice verſa requirent, ut & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum.*

Officia electorum.

*Præterea in celebratione imperialis curiæ marchio Brandeburgenſis aquam lavandis Imperatoris vel Regis Romanorum manibus miniſtrabit: primum vero potum Rex Boemiæ, quem tamen ſub regali corona juxta privilegiorum ſuorum continentiam, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur miniſtrare. Comes etiam Palatinus cibum afferre tenebitur: & dux Saxoniæ mareſcallatus officium exercebit, ut ſolitum eſt fieri ab antiquo.*

XXI. Palatinus vacuo ſolio in qua imperii parte adminiſtrator ſit.

*Quoties inſuper, ut præmittitur, ſacrum vacare continget imperium, illuſtris comes Palatinus Rheni ſacri imperii archidapifer ad manus futuri Regis Romanorum in partibus Rheni & Sueviæ, & in jure Frankonico ratione principatus ſeu comitatus Palatini privilegio eſſe debet proviſor imperii cum poteſtate judicia exercendi, ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi redditus & proventus, & inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri imperii recipiendi. Quæ tamen per Regem Romanorum poſtea electum ſuo tempore omnia innovari, & de novo ſibi juramenta ipſa præſtari debebunt, feudis principum dumtaxat exceptis, & illis, quæ*

*von-*



*vonleben vulgariter appellantur, quorum inveſtituram & collationem ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſervamus. Ipſe tamen comes Palatinus omne genus alienationis, ſeu obligationis jurium imperialium hujuſmodi proviſionis tempore expreſſe ſibi noverit interdictum. Et eodem jure proviſionis illuſtrem ducem Saxoniæ ſacri imperii archimareſcallum frui volumus in illis locis, ubi Saxonica jura ſervantur, ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Et quamvis Imperator ſive Rex Romanorum ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat [ſicut ex conſuetudine introductum dicitur] coram comite Palatino Rheni ſacri imperii archidapifero electore principe reſpondere; illud tamen judicium comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in imperiali curia, ubi Imperator ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere.*

In qua Saxo.

Ad antevertendas etiam diſcordias, quæ deferendi in creando Rege Romanorum ſuffragii jure inter principes ex eadem ſtirpe ſatos exoriebantur; ac deinde, ut vidimus, inteſtina imperio bella invexerant, hac lege a Carolo de ſucceſſione regni Boemiæ, palatinatus Rheni, ducatus Saxoniæ, ac marchionatus Brandeburgenſis cautum eſt.

Primogenitus laicus patri electori ſuccedit.

*Decernimus, ut poſtquam iidem principes electores ſeculares, & eorum quilibet eſſe deſierint, jus, vox, & poteſtas electionis hujuſmodi ad filium ſuum primogenitum legitimum laicum, illo vero non exiſtente, ad ejuſdem primogeniti primogenitum ſimiliter laicum & ſine contradictione cujuſpiam devolvatur. Si vero primogenitus hujuſmodi abſque heredibus maſculinis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute præſentis imperialis edicti jus, vox, & poteſtas electionis prædictæ ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternam lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur: & talis ſucceſſio in primogenitis & hæredibus principum eorundem jure, voce, & poteſtate præmiſſis perpetuis temporibus obſervetur; ea tamen conditione & modo, ut ſi principem electorem, vel ejus primogenitum, aut filium ſeniorem laicum mori, & heredes maſculos legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contingeret, tunc frater ſenior ejuſdem primogeniti tutor eorum adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in principe electore decem & octo annos completos cenſeri volumus; & ſtatuimus perpetuo haberi: quam dum attigerit, jus, vocem, & poteſtatem & omnia ab ipſis dependentia tutor ipſe ſibi totaliter cum officio teneatur prorſus aſſignare. Si vero aliquem ex hujuſmodi principalibus ipſorum Imperio ſacro vacare contingeret, tunc imperator ſeu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipſo providere debebit & poterit tanquam de re ad ſe & imperium legitime devoluta; ſalvis tamen ſemper privilegiis, juribus, & conſuetudinibus regni noſtri Boemiæ ſuper electione Regis in caſu vacationis per regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Boemiæ, facienda, &c.*

Quo caſu frater ſuccedat.

De principatu vacante Cæſar providet.

Adjectæ aliæ leges de Boemorum immunitatibus, ut extra regnum accerſiri in judicium non poſſint: de fodinis auri, argenti, alteriuſve metalli in regno Boemiæ conſtitutis: de auro argentoque ſignando: de Trevirenſis, Colonienſis, & Moguntinenſis archiepiſcopatuum clientibus, ad ſubſellia judicum extra eorum fines non vocandis; qua prærogativa cæteri laicorum electorum ſubditi etiam exornati: de ſolemnibus imperii conventibus habendis. Abrogata privilegia quibuſvis conceſſa, quæ ſeptemvirum dignitati & juribus detrahebant: ac plura alia de fiduciariis clientibus, de opprimendis conjuratoribus, tuendis urbium juribus, ſceleſtiſque reprimendis conſtituta. Ad fovendam præterea inter ſeptemviros conjunctionem animorum præſcripta eſt ab Imperatore literarum forma, ſuis concepta verbis, quibus coelectores ad comitia in interregno pro Rege deſignando vocandi ſint: ſi princeps procuratorem ad id conſtituat, qua ratione procuratio committenda conficiendave: definitum etiam qui admittendus ad comitia, cum duo de principatu diſceptant.

XXII. Latæ de regno Boemiæ leges.

*Præſenti edicto imperiali perpetuo valituro ſancimus, unumquemque principatuum prædictorum, cum jure & voce electionis, ac officio, cæteriſque omnibus dignitatibus, juribus, & pertinentiis ad ipſum ſpectantibus ita perſeverare & eſſe debere unitum perpetuis temporibus indiviſibiliter & conjunctim, quod poſſeſſor principatus cujuſlibet etiam juris, vocis, officii, dignitatis, & pertinentiarum omnium ad illum ſpectantium quieta debeat & libera poſſeſſione gaudere, ac princeps elector ab omnibus reputari, ipſeque & nemo alius per cæteros principes electores ad electionem & omnes actus alios, pro ſacri imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore aſſumi ſine contradictione qualibet & admitti, nec aliquid præmiſſorum ab altero, cum ſint & eſſe inſeparabilia, dividi vel nullo tempore debeant ſeparari, aut in judicio vel extra diviſim repeti valeant vel evinci, vel etiam per ſententiam ſeparari, nec aliquis unum ſine alio impetens audiatur. Quod ſi per errorem vel alias auditus quis fuerit, aut proceſſus, judicium, ſententia, vel aliquid hujuſmodi contra diſpoſitionem noſtram emanaverit, ſeu quomodolibet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his & quolibet eorum ſequentia, eo ipſo viribus non ſubſiſtant.*

Lex de non dividendo ſeptemviratus principatu.

XXIII. Deſcriptus præterea ordo, quo inſtructo agmine religioſo una cum Imperatore incedant ſeptemviri: *Archiepiſcopus Treverenſis in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem tranſeat, illique ſoli medii inter eos ambulent, quos imperialia vel regalia continget inſignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex abſque inſigniis eiſdem inceſſerit, ex tunc idem archiepiſcopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedat; ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus archiepiſcopis electoribus loca ſua juxta diſtinctionem provinciarum ſuarum circa ſeſſionem ſuperius declaratam etiam circa proceſſionem perpetuo ſervaturis.* Et infra: *Dux Saxoniæ, imperialem ſeu regalem enſem deferens Imperatorem ſeu Regem immediate præcedat, & inter illum & archiepiſcopum Treverenſem medius habeatur: comes vero Palatinus pomum imperiale portans a latere dextro, & marchio Brandeburgenſis ſceptrum deferens a ſiniſtro latere ipſius ducis Saxoniæ linealiter gradiantur: Rex autem Boemiæ Imperatorem ſeu Regem ipſum immediate, nullo interveniente, ſequatur.*

Ordo in ſeptemvirum inceſſu.

*Quoties inſuper in Imperatoris vel Regis Romanorum præſentia miſſarum ſolemnia celebrari, ac Moguntinenſem, Treverenſem, & Colonienſem archiepiſcopos vel duos ex eis adeſſe contigerit, in confeſſione, quæ ante miſſam dici conſuevit, ac in porrectione evangelii oſculandi, & pace poſt Agnus Dei portanda; nec non in benedictionibus poſt finita miſſarum ſolemnia, ac etiam ante menſam faciendis, & in gratiis poſt cibum acceptum agendis, is inter eos ordo ſervetur, prout de ipſorum conſilio duximus ordinandum, quod prima die hæc omnia & ſingula a primo, ſecunda a ſecundo, tertia vero a tertio peragantur: primum autem vel ſecundum aut tertium hoc caſu ſecundum quod prius vel poſterius quilibet eorum conſecratus exiſtit, debere intelligi declaramus. Et ut ſe invicem honore condigno præveniant, & exemplum aliis præbeant invicem honorandi, is quem circa præmiſſa ordo tetigerit ad hoc alterum convenientia & charitativa inclinatione invitet: & tunc demum ad præmiſſa procedat, ſeu quodlibet præmiſſorum.* At de cæſareis rebus hactenus; nunc ad Ungaricas traducenda narratio.

Quis inter archiepiſcopos ſervandus.

XXIV. Hoc anno Ludovicus Ungariæ Rex, cum Stephanus Rex Raſciæ, qui antea ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem Ungaricæ potentiæ terrore ſe rediturum ſpoponderat, in hæreſi & ſchiſmate obdureſceret, ſacram, auctore B. Petro Thoma epiſcopo Pactenſi apoſtolico internuntio, qui e Raſcia in Ungariam ſe contulerat, expeditionem in eum decrevit, ut regnum illud Ungarico imperio adjungeret, atque ex eo hæreſim & ſchiſma excinderet. De quo Card. Baronius (a) in ſuis ad hunc annum notis hæc appoſuit: *Anno Chriſti MCCCLVI. indictione* IX. *Ludovicus Rex Ungariæ præliaturus adverſus Raſcios, quod illorum regnum pertineret ad Ungariæ ditionem, legationem miſit ad Romanum Pontificem, ut pro hac ipſa cauſa crucem indiceret; ſpondens idem regnum ad arbitrium ſedis Apoſtolicæ diſpoſiturum. Habentur literæ libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ.* Adducendas in medium ex eodem libro privilegiorum (b), atque ex codice MS. Vallicellano (c) decerpendas regias literas duximus.

Ludovicus Ung. Rex.

Raſciæ bellum indicit.

(a) *Card. Baron. in not. MS. bibl. Vall.*

*Nos Ludovicus Dei gratia Rex Ungariæ.*

*Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod cum nos jam diu, divina gratia favente ac Domino inſpirante, & ut catholicus & Chriſtianiſſimus princeps optaverimus, & affectanter optemus intuitu Dei & ſanctæ matris eccleſiæ, ac totius fidei Chriſtianæ, & ad ipſius laudem & augmentationem regnum nuncupatum Raſciæ, quod juris prædeceſſorum noſtrorum ac noſtri fuit & exiſtit, & quod de facto tentum eſt & tenetur occupatum per ſanctæ & unicæ matris eccleſiæ rebelles, ſchiſmaticos, infideles, & catholicæ fidei contemptores, atque veſanos, ipſum regnum ad fidem Chriſtianam & ſanctæ matris eccleſiæ unitatem, obedientiam, reverentiam debitam, & honorem, & ad jus noſtrum trahere & traducere, prout etiam tenemur, & ad prædicta ex debito ſumus aſtricti; potiſſime cum regnum illud noſtro, quod poſſidemus, contiguum exiſtat & propterea crucem ſanctam ſumere, & per ſubditos noſtros, in quantum poſſumus ſumi facere inceſſabili affectione peroptemus; hinc eſt, quod ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter dominus Innocentius, divina providentia Papa VI. auditis & intellectis præmiſſis optatu & affectione noſtris ſanctitatique ſuæ intimatis ſeu relatis per dilectum Joannem capellanum noſtrum, ſeu alios de prædictis notitiam habentes, per ſuas patentes literas apoſtolicas more Romanæ curiæ bullatas nobis filio obedientiæ ſcribere dignatus eſt, præfatos affectum & voluntatem multipliciter commendando, ac ſibi ſeu ſanctitati ſuæ grata & accepta ſignificando.*

(b) *Lib. priv. Rom. eccl. to. 2. pag. 185. ext. etiam in arce S. Angeli.*

De pio illius ſtudio ad ſchiſma in eo regno excindendum.

(c) *MS. bibl. Vall. ſign. lit. B n. 12. p. 146.*

Ut pactus ſit cum Innocentio.

*Unde movemur & inducimur formam, modum, conditionem, & ſtatum, ſecundum quos prædicta intendimus adimplere, ſanctitati ſuæ notificare, & procuratores ſeu procuratorem, nuntium ſeu nuntios ſpecialiter ad hoc conſtitutos deſtinare, qui in animam & ſuper animam noſtram ad ſancta Dei evangelia corporaliter tacta jurent ſeu juret, quod ipſos modum & formam infraſcriptos attendemus & obſervabimus, ac attendi & obſervari faciemus omni poſſe totaliter extenſo.*

*Qua-*



XXV. *Quapropter, prædicta ſic [ divina gratia favente ] excogitata, ac nutu divino ad propoſitum noſtrum jam diu deducta exequi volentes, prout poſſumus & debemus authoritate, licentia, & aſſenſu ipſius ſacratiſſimi Pontificis prædicti, ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ut merito dici valeamus juſtum & catholicum bellum inire, fovere & habere, prout etiam vere fovemus & habere nitimur, per præſentes literas ſeu inſtrumentum ſigillo noſtro majori meliori modo, jure, & forma quibus poſſumus, facimus, conſtituimus, creamus, & ordinamus noſtrum certum miſſum, nuncium, factorem, ac legitimum ſpecialem, & indubitatum procuratorem, & alias quidquid dici, & eſſe melius poſſet; videlicet honorabilem virum dominum Stephanum Vaudenſis eccleſiæ præpoſitum capellanum noſtrum fidelem & ſpecialem, ſpecialiter ad comparendum coram domino noſtro Papa, vel ab eo ſeu a ſede Apoſtolica ad hoc deputato, ſeu coram ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus pro obtinendo, & ad obtinendum pro nobis quaſcumque literas apoſt. in præmiſſis & circa præmiſſa, & quodlibet eorumdem neceſſarias ſeu opportunas; & ad jurandum in manibus dicti domini Papæ, ſeu cujuſcumque ſuper hoc poteſtatem ſeu conſenſum habentis, in animam & ſuper animam noſtram, & ad ſancta Dei evangelia corporaliter tacta, quod præfatum bellum, ſeu verius ſanctæ crucis aſſumptionem contra prædictos facimus, inimus, ſeu facere, inire, & habere ſatagemus, & properamus ad honorem domini noſtri Jeſu Chriſti & ejus ſanctæ matris glorioſæ Virginis Mariæ, & ad honorem, reverentiam, & laudem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & zelo fidei Chriſtianæ inducti, & ad ipſius augumentationem, nec non ad noſtri memoriam bonam in poſterum recolendam; & ad conſervationem & reformationem juris noſtri, quod prædeceſſoribus noſtris & nobis competiit & competit, ne de negligentia ſeu deſidia argui valeamus; & quod regna, civitates, caſtra, terras, villas, & alia loca, quæ per fideles Chriſtianos teneantur, prætextu præmiſſorum invadere ſeu occupare minime intendimus, nec noſtræ intentionis exiſtit, præterquam ad paſſum ſeu tranſitum faciendum: nec non quod ipſum regnum, civitates, caſtra, villas, terras, & tenutas, quæ de dicto regno, Deo annuente, nos invadere, recuperare, & habere continget, ultra jus debitum non gravabimus: ſed ſuis privilegiis antiquis & laudabilibus & honeſtis uti volumus & permittemus, & ad unitatem, reverentiam, & obedientiam in divinis dictæ S. R. E. deducemus, prout facultas nobis erit, & poteſtas, Domino concedente: & quod eccleſias, monaſteria, & alia pia loca ad libertates eccleſiaſticas, ac ſua privilegia & immunitates deducemus, & reduci faciemus: & ipſa in eiſdem conſervabimus, & alias honorem & ſtatum ipſorum augumentabimus juxta poſſe: ac quod parati ſumus & erimus quandocumque, quinimmo affectamus recipere legatum apoſtolicum, qui crucem prædicet contra prædictos, & alias faciat, prout & quemadmodum dicto domino noſtro Papæ, & ſedi Apoſtolicæ placuerit, & viſum fuerit opportunum.*

De miſſo oratore.

Quæ ſponſiones nuncupatæ.

De fidelium juribus non invadendis.

Tuenda Raſſiorum libertate.

Inſtauranda eccleſiaſtica immunitate.

*Item alias facimus, conſtituimus, & ordinamus dictum procuratorem ad jurandum promittendum, & faciendum quidquid & quæque circa præmiſſa, & quodlibet præmiſſorum fuerint neceſſaria ſeu opportuna, & etiam ſi talia ſint, quæ mandatum exigant ſpeciale, & etiam quæ præſens procuratio emiſſa non præſtabit, quæ noſmet facere poſſemus ſi perſonaliter eſſemus præſentes; promittentes in omnibus, & per omnia ſtare & obedire mandatis, diſpoſitioni, & ordinationi dicti domini Papæ, ſacrique collegii Cardinalium, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ in his, quæ in præmiſſis & circa præmiſſa viſa fuerint neceſſaria ſeu opportuna, & ejus ſeu eorum arbitrio cuilibet conquerenti omnia damna & intereſſe occaſione præmiſſorum per nos illata [ quod tamen Deus avertat ] reſarcire: dantes & concedentes dicto procuratori noſtro liberam facultatem, & generale mandatum prædicta faciendi, jurandi, obligandi, & exercendi, ut præmittitur, & alias omni modo, jure, & forma, quibus melius poſſunt ſeu poterunt, & quæ nos facere poſſemus, ſi præſentialiter compareremus. Et volentes eum relevare ab omni onere ſatiſdandi verbo noſtræ regiæ celſitudinis promittimus nomine & vice quorum intereſt, ſeu intererit quomodolibet in futurum, habere ratum & firmum quidquid per prædictum procuratorem noſtrum, actum, geſtum, & factum fuerit in præmiſſis & circa præmiſſa; ex nunc ratum, gratum habemus ſub hypotheca, & obligatione omnium bonorum noſtrorum præſentium & futurorum, & etiam regni ſeu regnorum noſtrorum, in quantum debemus, poſſumus, & valemus, præſentium ſub noſtræ majeſtatis teſtimonio literarum. Dat. Zagabriæ indictione* VIII. *menſis junii die quarto, anno Domini MCCC. quinquageſimo ſexto.* XXVI.

Cum acceſſiſſet ad ſedem Apoſtolicam Stephanus Ungariæ Regis orator, e præpoſito Vaudenſis eccleſiæ Zagabrienſis epiſcopus deſignatus, contendit a Pontifice (a), ut ſacram expeditionem in Raſcios hæreticos & ſchiſmaticos decerneret, illiuſque conficiendæ Ludovico Ungariæ Regi provinciam daret; cujus petitis aſſenſiſſe Innocentium, indicat Matthæus Villanus (b), dum ait, Pontificem menſe auguſto maximis honoribus Regem Ludovicum affeciſſe, illumque in Cardinalium conſiſtorio ſigniferum eccleſiæ adver- XXVII.

Indicta ſacra expeditio in Raſcios.

(a) *To. 4. ep. ſecr. p. 165.*

(b) *Matth. Vill. l. 6. c. 60.*

verſus infideles creaſſe: quibus ſubjectæ pontificiæ ad Ungarum literæ conſentiunt (a).

(a) Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 150.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

Pontificiæ de ea literæ.

*Per venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Pactenſem & dilectum filium electum Zagabrienſem nuntium tuum & literas regias nobis exhibitas per eumdem nuntium quas & eum benigne placideque recepimus, nobis noviter intimaſti, quod tu moleſte ferens injurias, contumelias, & opprobria, quæ Redemptori tuo per eoſdem ſchiſmaticos & hæreticos dicti regni Raſſiæ ac terrarum, quæ Oroſii ſe Regem Raſſiæ nominantis ſubſunt tyrannidi, & quæ vicinantur eiſdem, jugiter inferuntur; illaque ultrici dextera tua cupiens vindicare, ac deſiderans, ut ſchiſmaticorum & hæreticorum ipſorum alliſa perfidia, ac confutatis & eradicatis erroribus eorumdem, Chriſtiana fides ubique clariore luce reſplendeat, & nomen domini Dei tui puris & devotis catholicorum vocibus collaudetur, eoſdem ſchiſmaticos & hæreticos ſub ſpe divini auxilii & favoris expugnare conſtanti animo decreviſti; humiliter ſupplicans, ut ad tam pii, tamque favorabilis executionem operis tibi ſpiritualis favoris præſidio aſſiſtentes, adverſus illos crucem, in cujus ſigno per virtutem ejus, qui pependit in illa, ipſius fidei hoſtes delere confidis, cum conſuetis indulgentiis & remiſſionibus prædicari mandaremus, teque hujuſmodi negotii Chriſtiani & populi proficiſcentis ad promotionem illius capitaneum generalem conſtituere dignaremur. His itaque, princeps inclyte, per quæ catholicorum principum, ex quibus ducis originem, prioris ætatis geſta magnifica in memoriam redeunt, & eis adiicitur multæ gloriæ titulus, lætanter auditis & lætantius intellectis, magnificavit anima noſtra Dominum, & noſter in Deo ſalutari noſtro ſpiritus exultavit; apud eum devotas preces & humiles effundentes, ut te in hoc fervore zeli, in hoc ardore ſpiritus, in hac ſinceritate fidei per tempora longiora conſervans, greſſus tuos dirigat, actiones informet, proceſſibus faveat, viribus vires adiiciat, tibi de ſolio ſancto ſuo mittat benignus auxilium, & de ſede majeſtatis ejus opportunis te indeſinenter favoribus proſequatur, quatenus in brachio potentiæ tuæ ac virtutis virga infidelibus quibuſque converſis, & ſchiſmaticis & hæreticis pravitatis & errorum ſuorum abjuratis tenebris, ſacroſancta mater eccleſia, toto terrarum orbe in Chriſti fundatoris rectoriſque ſui glutino adunata, una ſit fides mentium & pietas actionum. Votis igitur & petitionibus tuis in his de fratrum noſtrorum conſilio gratanter annuimus, & hujuſmodi verbum crucis in eodem regno tuo, & nonnullis partibus aliis [in conficiendis ſuper hoc literis exprimendis] ſub certis modis, formis, & conditionibus conceſſimus proponendum.*

Pio Ludovici ardori obſecundatum.

*Eja ergo, pugil Chriſti, athleta Domini, miles fidei Chriſtianæ, accingere gladio, tolle arcum & pharetram, ſume arma in virtute illius, qui manus docet ad prælium, & digitos informat ad bellum: in virtute, inquam, ejus, in conſpectu cujus non eſt differentia in multis liberare, vel in paucis, & qui belli victoriam fortitudinemque largitur, fidem ipſam impugnantes impugna: aufer opprobria ipſi tuo exprobrantium Creatori. Et quamquam teneamus indubie quod tu, qui in remotis infideles & ſchiſmaticos perſecutus es hactenus, & proponis perſequi, [ut præfertur] eos in ipſo regni tui gremio pati non debeas, quoniam reprehenſibile eſſet tibi ſuſtinere in propriis partibus, quod in aliis execraris, ut tamen fervens in hoc propoſitum tuum noſtris exhortationibus fortius accendamus, ſerenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente precantes, tibique tui honoris ac ſalutis intuitu paternis & ſanis conſiliis ſuadentes, quatenus prudenter attendens quod ignis, cujus longe poſiti vitatur incendium, periculoſius in proximo eſt, & ſerpentis morſus & venena propinqui timenda ſunt amplius, quam remoti; ante omnia pelle de Boſnenſibus & aliis dicti regni tui partibus hæreticam pravitatem: morbus enim infectivus eſt hæreſis, & velut ſerpens latenter inſerpens, facile inficit, ſimplices maxime, niſi prudentum ſtudio & peritia confutetur, &c. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* III. *id. Auguſti pontificatus noſtri anno* IV.

Additi ſtimuli, ut e Boſnia excindat hæreſim.

XXVIII. Cæterum impoſitæ ſunt nonnullæ leges (b) Ungaro Regi in iis, quæ ad cruceſignatam illam expeditionem ſpectabant: ad quas ſervandas electus Zagabrienſis regio nomine ſacramento ſe devinxit. Qui cum, his geſtis, ſuperiores Ludovici literas a Pontifice repeteret, Innocentius Regi ſignificavit, illas de more ob rei dignitatem in Romanæ eccleſiæ tabulario reconditas. Ad conciliandam autem eidem Regi divinam opem, ut felices triumphos de Raſciis reportaret, atque etiam regnorum ſucceſſorem ex conjuge ſuſciperet, encyclicis literis fideles ad preces apud Deum ea de re fundendas, propoſitis quadraginta dierum indulgentiis, pellexit (c). *Cum*, inquit, *chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Ungariæ illuſtris tactus dolore cordis intrinſecus ſuper injuriis & opprobriis, quæ ab infidelibus & ſchiſmaticis regni Raſſiæ, ac partium regno vicinarum, eidem fidei memoratæ, immo Chriſto, qui ejuſdem inſtitutor, & caput eſt fidei multipliciter inferuntur, ad tollendum illa vivificæ crucis inſi-*

(b) Super ep. pag. 165.

Decretæ pro victoria adipiſcenda preces.

(c) Eod. to. 4. ep. ſecr. pag. 162.



*gnitus ſignaculo viriliter ſe accingat; nos ipſum in tam pio ac laudabili opere, & ut vitæ longioris conſequatur ſpatia, & numeroſæ prolis felicitate lætetur, orationum veſtrarum opitulatione juvari apud Dominum, a quo victoria omnis eſt, quique largitor vitæ ac indultor benignus eſt ſobolis, cupientes; univerſitatem veſtram monemus, requirimus, & hortamur in Domino, vobis in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus pro victoriæ & vitæ longitudine Regis ipſius, ac ut eum ſuſceptione prolis amplificæ fœcundet omnipotens, apud eum devotis orationibus inſiſtatis. Nos enim, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus vobis vere pœnitentibus & confeſſis, qui pro præmiſſis orationes effundetis ad Dominum, quotiens effuderitis illas, quadraginta dies de injunctis vobis pœnitentiis relaxamus. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* XV. *kal. ſeptembris anno* IV. Ut felicius bellum hoc ſacrum geri poſſet in Raſſios, Pontifex Aquilejenſi & Gradenſi patriarchis atque archiepiſcopo Salisburgenſi munus injunxit (a), ut omnes catholicos, qui hæreticis & ſchiſmaticis præſtarent auxilia, locarentve operam cenſuras eccleſiaſticas contraxiſſe denuntiarent.

Solicitati fideles ad preces fundendas pro impetranda Ludovico prole.

(a) Ibid. ep. ſecr. pag. 152.

XXIX. Implicitus porro erat alio cum Venetis bello Ungarus. Junxerant enim cum Raſciis fœdera Veneti, ut vires adverſus Regis Ungarorum potentiam, cum quo ipſis intercedebat vetus de Jadera ac nonnullis Dalmatiæ locis controverſia, confirmarent, in quos tum Ungarus ſigna converterat, antequam meditatum Raſciis bellum inferret: quo primum nuntio perculſus Pontifex, qui arma ſtringi in ſchiſmaticos, non in fideles peroptabat, Bonioannem epiſcopum Firmanum Apoſtolicæ ſedis internuntium miſit, ut Ungaros ac Venetos conciliaret, quo ſacra in Raſcios expeditio gereretur. Graviſſimis vero literis apud Ludovicum eſt queſtus (b), meditata in hoſtes fidei arma in catholicos converti: *Sperabamus*, inquit, *in eodem regno Raſſiæ latentem ſub modio lucernam ipſius fidei Chriſtianæ, per miniſterium tuum ſuper candelabrum eminentius reponendam, lucere clarius & fulgere limpidius iis, qui longe ſunt, & qui prope. Sperabamus, quod dextera tua infidelium cervices indomitas, & tumentia colla humiliaret in Domino, & elata ſchiſmaticorum contereret cornua, ſubactiſque fidelibus, quos in dicto regno Raſſiæ furor tyrannicæ poteſtatis angariat, beneficium redderet libertatis. Sed ecce extrema gaudii mœror occupat, dulcedo in amaritudinem verſa eſt, & lætitiæ jubilum doloris converſum eſt in clangorem: fertur enim quod pacis æmulus, ejuſdem fidei inimicus, Dei negotia ſatagens impedire, inter te & dilectum filium nobilem virum ducem Venetiarum diſcordiæ ſemina ſpargere nititur, & te uſque adeo provocavit, ut robur potentiæ tuæ, quod adverſus ipſius fidei æmulos exercere decreveras, contra renatos fonte baptiſmatis experiri convertereque proponas.* Adjungit preces, ut fœdus cum Venetis redintegret, atque arma in hoſtes fidei convertat. *Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* IV. *non. julii anno* IV. Scriptæ ſunt aliæ eodem argumento ad pacem hortatoriæ literæ (c).

Cur Veneti fœdus junxerint cum Raſciis.

(b) Pag. 128.

De intermiſſo ſacro bello querelæ.

(c) Eod. to. 4. ep. ſecr. pag. 152.

Obſecutus monitis Pontificiis Ludovicus Rex paratum ſe ad dirimendas æquitate & benevolentia controverſias cum Venetis ſuſceptas, & apoſtolico arbitrio committendas eſt profeſſus: tum exercitum, quem Venetæ ditioni infuderat, ſe revocaturum. Cui Pontifex ob eximia illa concordiæ ineundæ oſtenſa ſigna gratias egit. Tum B. Petrum Thomam Carmelitam epiſc. Pactenſem, ut cœptam concordiam perduceret, tranſmiſit (d): ſolicitavitque Joannem Gradenicum ducem, ut internuntio apoſtolico æquas aures præberet: ne reſpueret pacis conſilia, cum bellum illud Venetum Ungariæ Regem ab expeditionis ſacræ in Raſcios ſchiſmaticos conſiliis retardaret. Deſcribit ejus belli cum Venetis cauſas eventuſque Matthæus Villanus (e), Ludovicum ſcilicet Regem Jaderam atque alia plura in Dalmatia loca, quæ olim ditionis Ungaricæ fuerant, repetiiſſe; præfectumque (f) a Carolo Imperatore bello in Venetos pro Tarviſio atque aliis urbibus Romano ereptis imperio, dum inteſtinis ſeditionibus exarſit, recuperandis: quadraginta equitum millia extremo junio marchæ Tarviſinæ infudiſſe: verum inedia in caſtris ob maximam multitudinem ingraveſcente, Germaniſque cum Ungaris diffidentibus, Tarviſinæ urbis obſidionem ſolvere, inque Ungariam abſcedere coactum (g).

Agitatum de concordia.

(d) Ib. p. 153.

(e) Matth. Vill. l. 6. c. 36. & 60. Bonfi. dec. 2. l. 10.

(f) Matth. Vill. ſuper c. 60.

Diſſolutus ejus exercitus.

(g) Cap. 66.

Antequam Ungariæ Rex exercitum, cujus aſpectu perhorruerat Italia, diſſolveret, Pontifex illius in marchiam Tarviſinam adventus occaſione utendum ratus, ad debellandos reliquos tyrannos, qui ditionis eccleſiaſticæ in Flaminia urbes oppreſſerant, ipſum literis pluribus refertis encomiis ſolicitavit, ut qui ſæpius maximis præliis Tartaros, Lithuanos, Ruthenos, Raſcios obtriviſſet, clientelam eccleſiæ ſuſciperet; ipſumque adverſus Franciſcum Ordelaffum & Manfredos, aliosque perduelles ducem eccleſiaſtici exercitus creavit (h).

XXX. Solicitatus Ungarus ad porrigendam opem eccleſiæ.

*Innocentius, &c. Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

(h) To. 4. ep. ſecr. p. 152. & to. 5. ep. ſecr. p. 185.

*Quanta te, fili chariſſime, gratiæ ſuæ ubertate prævenerit diſtributor ille gratiarum munificus Dei filius Jeſus Chriſtus, qui dat omnibus ſine improperio affluenter, quam-*

*quamque præcordia tua ſuæ benedictionis imbre copioſe perfuderit, luculenter apparet: ipſe namque tibi adhuc juveniles annos agenti animum provectioris infudit ætatis: ipſe adhuc tenello corpori tuo robuſtiorem ſpiritum inſpiravit: ipſe tuum circa beneplacita ſua direxit propoſitum, firmavit cor, roboravit & mentem; ita ut non mollia quælibet aut levia, quibus ut plurimum implicari ſolet juventus illecebris multis obnoxia, complexus extiteris: ſed velut annis maturior, abhorrens delitias & otia fugiens, ardua quærens appeteres, ſtrenua interciperes, magna & virtuoſa diligentius ſectareris. Nec ſatis fuit tibi famæ tuæ clare naſcentis auſpicia intra regni tui ſinus latiſſimos contineri; immo ut nomen tuum longe lateque clareſceret, peregrinas perluſtrare provincias, & adire nationes extraneas voluiſti. In quibus licet more principum ſtudueris ipſius famæ compendiis providere, principalis tamen ad hoc tua pia dirigebatur intentio, ut Conditoris redemptoriſque tui beneplacitis ætatis & operum tuorum primitias devotus offerres. Probaſti hoc certe idololatras Tartaros ab ipſius regni tui finibus in manu forti & excelſo brachio coanguſtans. Hoc ſæpe, Lithuanos & Ruthenos infideles impugnans & expugnans potenter & ſtrenue oſtendiſti. Hoc ſæpius, regni Raſſiæ ſchiſmaticos & hæreticos invicta magnitudine perſequens, demonſtraſti. Hæc, princeps inclyte, regni tui primordia: hæc fundamenta virtutum tuis natalibus debebantur, ſuper quibus actionum tuarum ſtructura conſurgens, altius præemineret.*

Ludovici elogium.

Præclara ejus in fidei hoſtes geſta.

*His [per quæ catholicorum principum, ex quibus trahis originem, magnifica geſta prioris ætatis in memoriam redeunt, & in ſpeculo quodam operum tuorum intuenda poſteris proponuntur, quibuſque illis accreſcit cumulus honoris & laudis] magno cum gaudio crebrius revolutis, ſpem amplam concipimus, & fiduciam gerimus ampliorem, quod tu, qui virtutum amore ac æternæ ſalutis obtentu labores ſpontaneus adhuc annis infirmior in remotioribus aſſumpſiſti, perfectum jam productus in virum injurias & opprobria, quæ matri tuæ Romanæ eccleſiæ a ſuis filiis olim & ſubditis, quos obſtinata rebellio vertit in hoſtes, & in preſecutores ejus perfidia commutavit, aſſidue inferuntur, æquo animo pati non debeas: quinimmo ad propulſanda illa, & ipſorum colla rebellium ſubjicienda ſuavi jugo ejuſdem eccleſiæ, tanto promptior devotiorque conſurges, quanto injurias & opprobria hujuſmodi in vicino poſitus & ſentis & palpas, & quanto manifeſte cognoſcis, Redemptoris tui & eccleſiæ prædictorum ſic fore connexa negotia, ut qui offenderit alterum, pariter offendat utrumque. Sub hujuſmodi ergo ubere conceptu fiduciæ, ex quo uberiorem proculdubio ſperamus effectum, te adverſus Franciſcum de Ordelaffis Forlivienſem & Guillelmum ac Joannem natos quondam Ricciardi de Manfredis Faventinos cives & alios rebelles ipſius eccleſiæ, qui ſunt in omnibus terris ejus in Italia conſtitutis, ad laudis & mercedis tuæ cumulum duximus de fratrum noſtrorum ipſius eccleſiæ Cardinalium conſilio capitaneum ordinandum, &c.* Subdit ſe ad ſuſtinendos ſumptus bellicos trium annorum decimas vectigalium eccleſiaſticorum regni Ungariæ, adjectis certis legibus, in militum ſtipendia attribuere. *Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* III. *id. auguſti anno* VI. Decretum jam ante fuerat ſacrum bellum in hos tyrannos, ac fideles, propoſitis indulgentiarum præmiis, excitati crucis ſymbolo inſigniebantur (a) duce Ægidio legato Cardinale. Neque Itali modo, verum e finitimis etiam regnis, præcipueque ex Ungaria a præſulibus conductæ ſubſidiariæ copiæ ſubmittebantur pro aſſerendo eccleſiaſtico imperio vel, ut loquitur Pontifex (b), *ad eripiendum de jugo tyrannicæ ſervitutis fideles & devotos ejuſdem eccleſiæ partium Italiæ, quorum ſudores & lachrymas lamberunt & lambunt damnationis filii rebelles eccleſiæ memoratæ.*

Nova gloriæ ſuggeſta materies.

De tyrannis excindendis.

(a) *Matth. Vill. l. 6. c. 14.*

(b) *To. 4. ep. ſecr. p. 117.*

In Inſubria graviſſimum bellum adverſus Bernabonem & Galeatium Mediolanenſes tyrannos exarſit: Marquardus enim epiſcopus Auguſtenſis cæſareus in Italia legatus (c) prædatrices turmas ad ſigna imperialia traxit: ac legibus primum acturus Bernabonem & Galeatium in jus vocavit, ſacerdotia magno eccleſiæ imperiique contemptu conferre, inſidias Imperatori Piſis ſtruxiſſe, Inſubriæ dominatum tyrannide corripuiſſe, revertenti Imperatori urbium portas clauſiſſe, ac mœnia ſepſiſſe armatis. Conſtituta dies undecima octobris ad dicendam cauſam cum effluxiſſet, Marquardus ſigna per Inſubriam circumtulit, atque Parmenſem, Placentinum, Mediolanenſem, Cremonenſem agros eſt populatus. Conjunxit etiam arma cum Marquardo Joannes Montisferrati marchio, nonnullaſque urbes cepit (d): qua occaſione uſi Genuenſes, cum graviſſimo bello Vicecomites implicitos vidiſſent, jugum excuſſere, atque evocato Piſis Simone Buccanigra ſe in libertatem aſſeruerunt (e). Ita Simon iterum Genuenſem præfecturam iniit, depulſis Vicecomitum adminiſtris aliiſque præſidiariis. In tot adverſis Bernaboni ingruentibus Pontifex (f) illum admonuit, ut in ſe deſcenderet, & quæ divinas iras aſperare poſſent, tolleret.

Quanta foret horum tyrannorum acerbitas.

(c) *MS. bibl. Vat. ſig. num. 2040. Matth. Vill. l. 7. c. 23. & Rebdorf. in annal.*

Bernabos edictis & armis petitus.

(d) *Matth. Vill. l. 7. c. 35. & 40.*

Genua ejuſdem jugum excutit.

(e) *Eod. c. 40. Foliet. l. 7. hiſt. Gen. Bizar. hiſt. Gen. l. 6. & Aug. Juſt. l. 4.*

Arriſere poſtea Bernaboni & fratri Galeatio feliciores ſucceſſus: Marquardum enim Imperatoris legatum nimium ſibi præfidentem adorti fudere, cepereque cum pluribus aliis (a): cumque Pontifici ſignificaſſent, poſt plura, quæ ipſis evenerant, demum ſecundis rebus potitos ipſe ſuaque etiam illi obſequia addicerent (b), Pontifex, ſequenti ineunte anno datis literis ipſos excitavit, ut humanæ inſtabilitatis memores eſſent, divinamque ſibi gratiam conciliarent. Verum licet Bernabos & Galeatius pontificiam amicitiam colere viſi ſint, tamen paulo poſt cum Innocentius Bononiam ereptam antea ſcelere eccleſiæ recuperaret, apertum illi bellum movere. Subjecerat ſibi eam, ut dixi, urbem Joannes Olegianus, in quem plures hoc anno conjurationes, jubente Bernabone, conflatæ (c): ſed patefactæ authoribus ſuis exitium attulere. Cumque Joannes in Bernabonis conatibus ſuperandis pari ſemper uſurum felicitate diffideret, de Bononia eccleſiæ reſtituenda agitavit, ac Pontifex Ægidio Cardinali legato rei tranſigendæ poteſtatem contulit (d): quæ poſtea, ut dicetur, Firmano dominatu Joanni Olegiano tradito, perfecta eſt.

Bernabos hoſtem fundit capitque.

(f) *To. 4. ep. ſecr. p. 237.*

(a) *Matth. Vill. l. 7. c. 37.*

(b) *To. 5. ep. ſecr. p. 6.*

(c) *Matth. Vill. l. 6. c. 6. 7. 64.*

Olegianus de Bononia Pontifici reſtituenda paciſcitur.

(d) *To. 4. ep. ſecr. pag. 226.*

XXXI. In Sicilia citeriore, proceribus populiſque Aragonicum jugum excutientibus, Ludovici Regis res ſe extulere, quem Innocentius apoſtolicis ſtudiis adjuvit. Adegerat quidem ſuperiori anno ſacramento Petrum Regem Aragonum, ne ſtirpis Aragoniæ principes, qui injuſto dominatu Trinacriam tenebant, armorum potentia in tyrannide fulciret; conceptamque illius ſacramenti formulam pontificiis inſertam literis divulgavit (e), ne Trinacrii ſpe Aragonici auxilii in perduellione perſtarent: Meſſanenſes vero, Panormitanos, Agrigentinenſes, & alios, qui ad Ludovici Regis ac Joannæ Reginæ redierant obſequium, in eo confirmavit (f).

Inſulani Siculi ad Gall. imperium redeunt.

(e) *To. 4. ep. ſecr. p. 4. & miſcel. papyr. pag. 196. & 296.*

(f) *To. 4. ep. ſecr. p. 21.*

Interea exorta eſt religioſa contentio de ſanctorum Fortunati & Hermagoræ reliquiis inter Venetos & patriarcham Aquilejenſem, cum Nicolaus patriarcha ſacras illas exuvias e Gradenſi templo ad Aquilejam ornandam evexiſſet: qua de re Joanne Gradenico ac Venetis apud ſedem Apoſtolicam expoſtulantibus, Innocentius Nicolaum eſt adhortatus (g), ut ea lipſana reſtitueret, ne qua inde diſſidia erumperent, cauſamque addidit ſubjectis verbis: *Idem dux ſubditos ſibi populos eo amplius aſſerit contriſtari quo ipſi in opportunitatibus eorum Deum ſibi propitium eorumdem ſanctorum meritis & interceſſionibus cognoverunt.*

(g) *To. 4. ep. ſecr. p. 60.*

XXXII. Prætermittendum non duximus ad Joannem Gradenici ducis Venetorum commendationem, ipſum de ſacro fœdere in Turcas redintegrando egiſſe cum Innocentio, atque ad liberandum orientem egregie affectum ſe exhibuiſſe. Cui Pontifex actis gratiis, ut oratores conſtituta die mitteret, ſuaſit (h): *Literas*, inquit, *tuas per quas circa negotia unionis ad reprimendos inſultus Turcorum infelicium, actore Domino, faciendæ affectionis tuæ nobis innotuit plenitudo benigne recepimus, zelum tuum circa Dei negotia meritæ commendationis laudibus proſequentes. Et quoniam attente cupimus Chriſtiano populo partium orientis ſuper anguſtiis ſuis multis opem ferre, nobilitatem tuam non quod credimus expediens, ſed ad rememorationem quamdam attente rogamus, quatenus hujuſmodi ad unionis conſummandum feliciter, Deo juvante, negotium in conſtituto termino nuntios tuos tranſmittas huc, ſicut liberaliter promiſiſti. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* IV. *non. julii, anno* IV.

Joannes Graden. de inſtaurando bello Turcico agit.

(h) *Ib. p. 119.*

Laudatur ab Innoc. ut cœpta perficiat.

Promovere (i) cœpta revocandæ ad Romanæ conjunctionem & obſequium orientalis eccleſiæ conſilia annitebatur Innocentius: extremo enim anno ſuperiori, ut diximus, Joannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator ſacramento ſe devinxerat, Romano ſe Pontifici Imperatorum & Regum catholicorum more obſequentem futurum, cujus exceptis hoc anno oratoribus Pontifex de ſubmittendis illi auxiliis agitabat. Meminit de oratoribus Conſtantinopolitanis MS. Vaticani author his verbis (k): MCCCLVI. *infra octavas pentecoſtes nuntii Imperatoris Conſtantinopolitani cum parva galea applicant juxta eccleſiam B. Mariæ de miraculis Avinionenſis, offerentes dominum ſuum rediturum ad eccleſiæ unitatem, ut ſibi ab eccleſia ſubſidium fieret contra Turcas.* Ut igitur Græcos ad fidem orthodoxam pelliceret Dei vicarius, B. Petrum Thomam Pactenſem & Siſopolitanum epiſc. legavit in Græciam, quos Hugoni Regi Cypri, Ludovico Regi Ungariæ, Rogerio e Pinibus Rhodiorum equitum magiſtro commendavit (l): Palæologum vero hortatus eſt (m) ut eorum conſiliis morem gereret.

Aſtringendæ Græcorum conjunctioni navata opera.

(i) *Ib. p. 140.*

(k) *MS. bibl. Vat. ſig. num. 3765.*

(l) *Ib. p. 162.*

(m) *Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 140.*

*Magnifico principi Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri.*

*Venerabilis frater noſter Paulus archiepiſcopus Smyrnenſis & nobilis vir Nicolaus Sigeros Megateriarcha & apocriſiarii magnitudinis tuæ, ad ſedem Apoſtolicam ve-*

XXXIII. Miſſi a Palæologo oratores.

*nientes, [1] quaſdam clauſas, per quas eorum adhiberi fidem relatibus petiiſti, & quaſdam alias patentes literas tuas, aurea bulla tua & imperialis manus ſubſcriptione munitas, nobis tuo nomine obtulerunt, inter cætera continentes, quod tu, ut literarum ipſarum verbis utamur, juraveras tactis per te ſacroſanctis ſcripturis ad ſancta Dei evangelia & ſanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum verum Deum & tres perſonas, & per Jeſum Chriſtum Deum & Salvatorem noſtrum, & per virginem Dei genitricem Mariam, ac per ſanctam & vivificantem crucem Chriſti, ac per Apoſtolos alioſque ſanctos; ac eidem inſuper archiepiſcopo nomine ac vice noſtris recipienti promiſeras, quod abſque dolo, fraude, ac defectu toto poſſe ac omnibus viribus tuis & cuncto conatu eſſes fidelis, obediens, reverens, & devotus nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus: & quod reciperes legatos & nuntios noſtros & eorum cum omni reverentia & devotione, ac faceres toto poſſe totoque conatu tuo, quod omnes populi ſub tuo imperio conſiſtentes & tuæ juriſdictioni ſubjecti, ſive eſſent laici ſive clerici, cujuſcumque conditionis & ſtatus aut dignitatis exiſterent, eſſent fideles, obedientes, reverentes, & devoti nobis & ſucceſſoribus noſtris antefatis.*

Facta ab eo de reducendis ad eccleſiam Rom. Græcis promiſſa.

*Hæc, princeps inclyte, tuæ converſionis initia, hæc devotionis primordia, hæc firma fidei fundamenta hujuſmodi literæ tuæ, ut præmittitur, continebant. Hæc iidem apocriſarii vivæ vocis miniſterio clarius & ſerioſius reſerarunt, humiliter ſupplicantes, ut tibi, velut de regione diſſimilitudinis venienti, effunderemus benedictionis apoſtolicæ gratiam, panderemus paternæ dulcedinis gremium, & adverſus inſultus & impugnationes hoſtiles Turcorum infidelium, ac rebellium dictorum audaciam auxilii dexteram ſalutaris extendere dignaremur.*

Petita contra Turcas auxilia.

*In quorum lectione melliflua, & placito auditu verborum, tanto nos & fratres noſtri S. R. E. Cardinales aliique prælati, exultavimus gaudio, tanta fuimus reſperſi lætitia, tantaque jucunditate perfuſi, quantam vix intellectus capere ſufficit, vix humana poteſt lingua narrare. Exultavimus ſiquidem in tuo diu deſiderato & expectato reditu ad ipſius eccleſiæ unitatem: exultavimus in converſione numeroſæ multitudinis quam, præſtante Deo & cooperante te, abſque dubitatione ſperamus: exultavimus, quod malignus hoſtis, ſuperatis fraudibus ejus, eluſis artibus, & vinculis diſſolutis, ingemiſcit & plangit plebis, quæ ſub ipſius antea tyrannide fuerat, libertatem & animarum millia, quæ gehennæ flammis crucianda immaniter expectabat, ſentit & videt paradiſi gaudiis inferenda. Sed licet nobis & univerſis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, una lætandi communis ratio; tibi tamen principalis eſt cauſa gaudendi, tibi exultationis materia ſingularis, tibi jubilationis occaſio potior, tibi gloriæ principatus: tu enim principii princeps, tu miniſter hujus miniſterii ſalutaris, tu hujuſmodi opifex operis, tu promotor, tu populorum dux & director errantium, tu auriga, tu currus, tu illuminatus ab eo, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, lucernam in te fidei & veritatis accenſam ſic ſuper candelabrum altius ponere ſatagis, ut non ſolum tibi, ſed habitantibus in regione umbræ mortis luceat ad ſalutem. Tu terreni regni gubernacula ſic ſtudeas ſecundum beneplacita illius, a quo tibi conceſſa ſunt, moderari ut nationes, quæ imperio tuo ſubſunt, & temporaliter juſte regens, & ſpiritualiter ea dirigens, eorum deliramenta, quibus hactenus peccatis exigentibus oculi eorum, ne lumen veritatis agnoſcerent, tenebantur, pio laboras abiicere ſtudio ab eiſdem.*

Quanta de his concepta lætitia.

Joannis Palæol. elogium.

XXXIV.

*Hæc ſunt, quæ regnantium ſceptra clarificant: hæc principantium culmina erigunt: hæc imperia roborant: hæc regna confirmant: hæc certe catholicorum fides principum exigit, hæc requirit. Fides enim eſt, qua in principe pulchrius nil refulget: fides eſt, quæ juſtificat impios: fides eſt, quæ de impiis efficit ſanctos: fides eſt, extra quam nulli eſt gratia, nulli ſalus; quæ cum una & indiviſibilis ſit, quiſquis ab ea diviſus eſt, abſciſſus eſt a ſalute. Age itaque, & conſidera, quod ſi bonum opus in intentione fuerit, erit in perfectione quod laudabile proſequaris, & ad finem uſ-*

NOTÆ [1] LEgatos illos, qui a Joanne Palæologo ad pontificem hoc anno miſſi ſunt, de quibus Annaliſta hic, ad Carolum etiam Imperatorem divertiſſe merito ſuſpicor. Nam apud Schannat Vindem. liter. to. II. pag. 130. leguntur Caroli ejuſdem Imperatoris literæ ad Joannem Palæologum, in quibus Imperator nuncios ſe ab illo accepiſſe teſtatur, ex his certiorem factum ait de reſtitutione ejuſdem Palæologi, atque Cantacuzeni dejectione, quæ omnia anno præcedenti geſta. Porro de Cantacuzeno hæc reſcribit Carolus: *Male malum perdidit* (Deus) *qui inter iniquos computari promeruit.* Quæ verba præterquamquod indicant, quibus coloribus Palæologus in Epiſtola ſua Cantacuzenum depinxerit; ſatis etiam demonſtrant; ea quæ Cantacuzenus in ſua hiſtoria ſcribit de relicta ſibi ſponte a Palæologo imperiali dignitate, vanam eſſe vaniſſimi hominis jactationem. Accuſatur etiam in iiſdem literis idem Palæologus, de inito cum Turcis & rege Ruſſiæ in exitium imperii fœdere; quorum quidem alterum ex ipſa Cantacuzeni hiſtoria innotuerat, aliud vero nunc uſque ab eruditis ignoratum arbitror. MANSI



*uſque perducas optatum. Conſidera, quod ſi gaudium eſt Dei angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quantis curia illa cœleſtis perſtrepet gaudiis, quantis beata illa ſupernorum civium agmina laudum præconiis exultabunt in pœnitentia & converſione tam innumerabilium populorum. Perſta, ſatage, & labora, ut ille, cujus perfecta ſunt opera, perficiat benignus per te, quod per te dedit pius & miſericors inchoare: unaquæque enim res denominatur ab exitu: & ſicut civilis ſapientia clamitat, nihil actum videtur exiſtere cum ſupereſt aliquid ad agendum: ac juxta evangelicam veritatem, non qui incœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit.*

Additi pro conjunctione perficienda ſtimuli.

*Ut ergo exitus acta probet, & nihil ſupereſſe penitus videatur, opere feliciter conſummato, ac uſque ad finem conſtantius perſeverans ſalutis æternæ mercedem percipere merearis, inſta juxta doctrinam Apoſtoli non ſolum opportune, ſi ſufficit; ſed etiam ſi expedit, importune: tunc enim læta tibi & feſtiva celebritate præfata occurret eccleſia in adjutorium tuum, intrudet ſolicita ſupplicationibus apud Deum: tunc tibi ſpiritualibus auxiliis aderit: tunc principum Chriſtianorum præſidia in tuum ſubſidium implorabit, ut eorundem infidelium perſecutione ſublata, ac rebellium tuorum humiliata cervice, tibi & eiſdem populis tuis hic pacis & quietis arrideat plenitudo, & in futuro cum ſanctis & electis Dei gloria præſtetur æterna. Cæterum ut noſtra tibi ſuper his affectio certius & plenius pateat, & quod ſcriptura nequit compendioſa comprehendere, ſuppleat * homo vivus, venerabiles fratres noſtros Petrum Pactenſem & Guillelmum Siſopolitanum epiſcopos Apoſtolicæ ſedis nuncios, latores præſentium, viros utique pauperes ſpiritu, ſed inſignes virtute, & in lege Domini plenius eruditos, ad te ac partes ipſas providimus deſtinandos. Et ideo ſerenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique tuæ ſalutis intuitu injungentes, quatenus eoſdem nuncios pro noſtra & dictæ ſedis reverentia benigne recipias, & eorum & cujuſlibet eorum ſalutaribus monitis, ſicut ſperamus & credimus, acquieſcas. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis XII. kal. auguſti anno IV.*

* ſermo

Miſſi in Græciam internuntii apoſtolici.

XXXV.

Commendati fuere iidem legati Franciſco Cteluſio (a) Genuenſi Mitylenes principi, quem Palæologum lævirum reſtitutum ipſius opera imperio ad Urbanum V. Romam venientem ſtipaſſe viſuri ſumus: tum patriarchæ Græcorum (b), ad quem perceptæ a ſe ex Imperatoris ad Romanæ eccleſiæ ſinum adducti nuntio lætitiæ indices extant literæ, in quibus hæc ſubiicit: *Quanto exultavimus gaudio, quanta fuerimus lætitia & jucunditate perfuſi, difficile humana poſſet lingua narrare: ſed illud nobis ad lætitiæ cumulum potioris accrevit, quod te, cujus in omnibus idem Imperator, ſicut fertur, conſilio regitur, principalem ſalutaris hujuſmodi credimus operis promotorem: quamquam, ſcribentibus nobis ſuper hoc multis Latinis & Græcis, ad gaudium nulla nobis litera tua fuerit præſentata, quod vel ex incuria nunciorum, aut ex aliquo caſu fortuito, non ex propoſito credimus contigiſſe.*

(a) *Ib. p.* 164.
(b) *Ib. p.* 163.

Solicitatus patriarcha Conſtantinop. ad eccleſiarum conjunctionem.

Excitati etiam aliis literis (c) ad tantum opus perficiendum Maximus, Caloſeros, & Caloiſeros, aliique plures imperii proceres: tum Hugo Rex Cypri, Joannes Gradenicus Venetorum dux, Rhodiorum equitum magiſter, ac Genuenſes rogati (d), ut poſtquam Græcorum Imperator cœptam cum Romana eccleſia conjunctionem confirmaſſet, auxiliaribus copiis ad frangendos Turcicos impetus, reſtituendaſque imperii ruinas munirent. Cum vero illi in ſuperiori bello cum Venetis geſto, quod tantas clades rei Chriſtianæ invexit, ſe turpiſſimo fœdere, Cantacuzeni Conſtantinopolitani imperii invaſoris odio, Turcis conjunxiſſent, Pontifex ipſos ab infanda ſocietate abſcedere, ac potius Joanni Palæologo ad retundendos infideles ſubſidio eſſe juſſit (e), datis literis, in quibus ubi pluribus Genuenſium in eccleſiæ tuenda dignitate, ac religione Chriſtiana amplificanda ardorem extulit, infelicitati temporum inita cum Turcis fœdera tribuit.

(c) *Ib. p.* 164.

Socii principes in Turcas concitati.

(d) *Pag.* 142.

Genuenſes moniti ut fœdus cum Palæologo ineant.

(e) *Pag.* 157.

XXXVI.

Hoc anno Turcas adornaſſe claſſem ad Græcos divexandos bello, refert Matthæus Villanus (f) ac magnas iis clades intuliſſe magnatis cujuſdam fide Chriſtiani, ſed ſcelere Mahometanis non imparis opera, cui ut referrent gratiam barbari portu ab ipſo excepti, prædarum, quas e Chriſtianis avexerant, decumas perſolvebant. Ita Chriſtianorum perfidia res Chriſtiana eſt collapſa: cui erigendæ intentus Pontifex Cyprio Regi, Rhodiis equitibus, Venetis, ac Genuenſibus, ut triremes eo numero, qui a Clemente VI. erat conſtitutus, egregie inſtructas in Smyrnenſi portu tenerent, imperia dedit (g); atque archiepiſcopo (h) Cretenſi, ut exercitatum ducem Smyrnæ præficeret, ne tanto ſanguine Chriſtiano parta in Turcarum recluderet ſervitutem. De congreganda porro in Smyrnenſi portu ſociali claſſe in Turcas non prætermittendæ viſæ ſunt ſubjectæ literæ (i).

Turcæ in Græcos graſſantur.

(f) *Matth. Vill. l.* 6. *c.* 30.

(g) *Tom.* 4. *ep. ſecr. p.*44.

(h) *Pag.* 48.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Hugoni Regi Cypri illuſtri.*

(i) *Lib. miſcell. papyr. p.* 202.

*Quot & quanta commoda puſillo gregi dominico, populo ſcilicet Chriſtiano partium orientis ex ordinatione per felicis recordationis Clementem Papam VI. prædeceſſorem noſtrum cum tuis & dilecti filii ma-*

Pium fœdus adverſus illos initum.

*magiſtri & conventus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, ac nobilis viri ducis Venetiarum procuratoribus de tenendis galeis quibuſdam in mari partium earundem olim facta provenerunt, magnitudo tua, fili chariſſime, non ignorat, & nos etiam hucuſque ſentimus: cum per gentes galearum ipſarum infidelium Turcarum Chriſti & crucis hoſtium in virtute Domini audacia præſumptioneque repreſſa, & alliſa potentia, fideles iidem a perſecutionibus & anguſtiis, ac afflictionibus multis & variis, quibus infideles iidem eos vexabant immaniter, quietis optatæ beneficio reſpirarint. Nec te latet, quod eodem duce, ac dilectis filiis communi civitatis Januenſis diſſidentibus invicem, ac proinde ordinatione hujuſmodi minus debite obſervata, memorati Turchi reſumpſerunt audaciam, & per mare ipſum hoſtiliter diſcurrentes, eiſdem fidelibus gravamina & damna plurima intulerunt: ac multis locis fidelium eorundem abſumptis incendio, & ruina deſtructis, ac incolis & habitatoribus eorum, qui perſecutorum evaſerunt gladios, miſerabiliter abductis in prædam, & ſubactis jugo abominabilis ſervitutis, nomen Domini pollutis blaſphemare labiis non verentur. In quibus tam execrandis & abominandis operibus, etſi damna gregis defleamus ipſius; perſonarum tamen excidia animarumque pericula, & contumelias ipſius Salvatoris noſtri peramplius & amarius deploramus.*

*Ad occurrendum itaque damnis, & periculis obviandum hujuſmodi, ac ejuſdem Salvatoris noſtri opprobria ſibi exprobrantium refellenda, anxiæ perſcrutationis & ſolicitudinis ſtudio remedia opportuna quærentes, illud conſideratis omnibus provenire potiſſimum credimus, quod hujuſmodi ordinatio uſquequo ſuper hoc ordinandum duxerimus aliud, inconcuſſe ac inviolabiliter obſervetur: Et ideo ſerenitatem tuam requirimus & hortamur in Domino, illam attente rogantes, tibique tuæ ſalutis obtentu paternis affectibus ſuadentes, quatenus galeas illas, quas juxta ordinationem hujuſmodi tenere debes, & quas te tenuiſſe ac tenere continue lætanter audimus, teneas (prout tenes) ſufficienter armatas, & procures omnino, quod in kal. julii proximo futuri cum galeis dictorum magiſtri & conventus ac ducis, quibus reſpective ſuper hoc ſcribimus, in portu civitatis Smyrnarum, legitimo impedimento ceſſante, poſſint authore Deo invicem convenire: ac inſuper procuratores tuos cum pleno & ſufficienti mandato ad ordinationem hujuſmodi roborandam, vel innovandam & firmandam aliam ad ſedem Apoſtolicam tranſmittere non poſtponas, ſicque ipſorum acceleres & diſponas acceſſum, quod infra kal. novembris immediate venturi, duce Domino, infallibiliter hic interſit; ita quod ipſis tuis ac magiſtri & conventus necnon ducis prædictorum nuntiis, quos ad hujuſmodi terminum ad eandem ſedem ſimiliter convocamus, convenientibus invicem, idem negotium & diſponatur utiliter & feliciter dirigatur, dictorumque Turcorum ſub manu Domini in conſpectu, cujus non eſt differentia in multis liberare vel paucis, quique molimina iniqua debilitat, & injuſtam potentiam potenter enervat, fœda multitudo diſpereat, conterantur elata ſuperborum cornua, elidatur iniquitas, & audacia reprimatur, & fideles ipſi quietis & pacis dulcedine in id ipſum, quod eſt pax & quies vera credentibus, perfruantur. Dat. apud Villamnovam Avin. diœceſis* XII. *kal. aprilis anno* IV.

Comparata in eo claſſis.

XXXVII

De Genuenſibus Aragoni conciliandis actum.

Eodem anno conciliandis occidentis principibus intentus Pontifex, colloquium pacis inter Genuenſes & Regem Aragonum cœptum redintegrandum ratus, pluribus eos literis ad pacis conſilia provocavit, utque oratores mitterent ſolicitavit (*a*). Propendere ad eam Genuenſes ſignificarunt, qua de re Pontifex gratulatorias ad ipſos literas dedit (*b*) VIII. id. octobris antequam jugum Vicecomitum depellerent. Petro vero Regi nova bella incubuere: auctæ enim ſunt veteres fidelium principum diſcordiæ novo eoque atrociſſimo bello inter præpotentes duos Reges Aragoniæ & Caſtellæ accenſo: qui ſi arma in Mahometanos more majorum vertiſſent, fidem magna laude facile propagare potuiſſent. Cepit ex ea diſſenſione maximum dolorem Pontifex, atque Guillelmo tit. S. Mariæ in Coſmedin Apoſtolicæ ſedis in Hiſpania legato munus impoſuit (*c*), ut diſſidentes Reges in concordiam revocaret: Caſtellanumque & Aragonium admonuit (*d*), Saracenos inde adverſus utrumque potentiam confirmaturos. Cumque eadem diſſenſio ingraveſceret, Bertrandum Convenarum epiſcopum legato adjungendum putavit (*e*), ipſumque authoritate, ut coitiones diſſolveret, juramenta reſcinderet, indiceret inducias, inſtruxit, ac Reges, ut illius conſiliis ſalubribus obtemperarent, eſt adhortatus (*f*). Iterumque repetitis literis cauſas, ob quas agente in Hiſpania Cardinale legato internuntium tranſmitteret, Aragonio expreſſit (*g*).

(*a*) *To.4. ep. ſecr. p.165.*

(*b*) *Ib. p. 212.*

Ortum inter Caſtellanum & Aragonem bellum.

(*c*) *To.4. ep. ſecr. p.194.*

(*d*) *Ib. p. 192.*

Adjunctus Card. legato Convenarum epiſc.

(*e*) *Ib. p. 195. & 196.*

(*f*) *Super. p.195.*

(*g*) *Pag. 230.*

*Quia*, inquit, *habet id proprium charitas, ut non putet in negotiis dilectorum providiſſe ſufficienter, ſed proviſionem proviſioni exiſtimet adjungendam; nos charitatis, quam ad te dictumque Regem*, nimirum Caſtellæ, *gerimus affectione commoniti venerabilem fratrem noſtrum Bertrandum epiſcopum Convenarum A. S. N. latorem præſentium ad te & Cardinalem ac Regem prædictos providimus deſtinandum, &c. Dat. Avin.* VIII. *id. novemb. anno* IV. Conceptæ ſunt iiſdem verbis ad Petrum Regem Caſtellæ literæ (*h*), quibus etiam conqueritur, ipſos levibus de cauſis ad graviſſima bella prorumpere. Agunt de hoc bello Matthæus Villanus, (*a*) Rodericus (*b*), Mariana (*c*), Surita, (*d*) & alii.

(*h*) *Ead. pag.*



(*a*) *Matth. Vill. l. 6. c.83.*

(*b*) *Roder. p.4. c.17.*

XXXVIII.

(*c*) *Marian. l.17. c.1.*

(*d*) *Sur. l.9. c.1. & ſeqq.*

(*e*) *To.4. ep. ſecr. p.97.*

Monet officii Caſtellæ Regem Pontifex.

(*f*) *Ib. pag. 147.*

Accerſebat vero ſibi exitium criminibus ſuis Petrus Caſtellæ Rex, in quem Pontifex ob abjectam Reginam Blancam turpiaque adulteria legum acerbitatem diſtricturus Joannem Galliæ Regem conſuluit (*e*): hinc enim & fœditas criminis eccleſiæque contemptus apoſtolicam ſeveritatem aſperabant; hinc Reginæ ſalus, quæ periclitatura erat, Pontificem ab exerendis cenſuris deterrebat. Sumptum demum eſt a Pontifice conſilium illud, ut antequam legibus in Petrum ageret, iterum illum ex adulterii cœno graviſſimis monitis excitare pertentaret. Expoſuit itaque (*f*) vitii turpitudinem, ſolicitudinem apoſtolicam pro eo ad ſaniorem mentem revocando, ingentia pericula quibus ſe obiiceret, divinas iras, firmandum ſuſcipienda ex Regina prole ſolium: ni vero conſiliis ſalubribus obſequeretur, apoſtolicam ſeveritatem illi intentavit.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri.*

*Si diligenter attenderes, & debita meditatione penſares, quantum citra decentiam regiæ dignitatis, ac in tuæ ſalutis & famæ diſpendium, regnorumque tuorum periculum evidens, affectionibus tuis licenter indulgens & ſenſualitati, quæ ad peccandum prona eſt non repugnans; immo enerviter illi aſſentiens & molliter favens, in abjectione propriæ conjugis, & in ſuperinductione ac detentione publica concubinæ, Creatorem tuum vehementer offenderis, & adverſum te graviter provocaris, profecto credimus, & ſine dubitatione tenemus, quod tu, qui per juveniles illecebras a te receſſiſſe videris, ad te quandoque reverſus te peccaſſe cognoſceres, & commiſſa deflens, retraheres a lubrico pedes tuos, greſſus in ſalutem dirigeres, & errata priorum temporum fruge vitæ redimeres melioris. Sed ita in te ſuccubuit ratio, proh dolor! voluntati; ita virtus paſſionibus tuis ceſſit, quod ad percipiendum veritatis & juſtitiæ lumen non ſolum per te non excutis tenebras, quibus involutus es peccatorum, immo ſalutaribus monitis Romanæ frequenter ſolicitatus eccleſiæ, ac præceptorum nonnunquam acrimonia punctus ipſius, defixam carnalibus & lubricis deſideriis aciem non attollis.*

Proponit ob oculos illatam Deo injuriam.

*Ecce jam multorum annorum exacta ſunt ſpatia, ex quo unius mulierculæ amore pellectus, & carnis, quæ cinis mox futura eſt, decore ſeductus, contemnis famam, honorem deſpicis, pericula domus regiæ, ipſorumque regnorum, quorum ſtatus tuo pendet ex filo tenui, negligis; & [quod gravius eſt] tuæ populorumque tuorum, qui [ut ſubditorum moris eſt dominorum conformare ſe moribus] peccantem te ſectantur etiam peccatores, contemnis animarum ſalutem: immo te ac illos in damnationis præcipitium præceps mergis. Super quo, licet apud te nunc per literas iteratas ſæpius, nunc per nuncios apoſtolicos plures, & tandem per dilectum filium noſtrum Guillelmum S. Mariæ in Coſmedin diaconum Cardinalem A. S. L. ſolverimus debitum apoſtolicæ ſervitutis; quia tamen monentem & monita, ac mittentem reſpuere probaris & miſſos, immo quaſi dormiens ſomnum mortis obaudis obturatis auribus, verba vitæ ſilere non poſſumus; immo compellimur adjicere monita monitis, exhortationes exhortationibus inculcare, ac in vocem clamoris erumpere potioris. Ad quod duplex cauſa nos incitat, amoris videlicet, & timoris: amoris, quo vellemus greſſus tuos dirigi ſemper in melius, & tuas inceſſanter diſponi conſultius actiones; ac timoris, ne ſi te patiamur in peccato deficere, ſanguis tuus de noſtris manibus a Domino requiratur. Novimus enim, quod licet ſummus ſacerdos Heli bonus in ſe juſtuſque fuiſſet; quia tamen delinquentes filios, quos corrigere potuit, non correxit, divini judicii ultione percuſſus, de ſella corruens fractis cervicibus expiravit. Quid igitur mirum ſi nos, quem peccatrix conſcientia indeſinenter accuſat, apud Deum de peccatis tuis pertimeſcimus, quando ſacerdos idem, qui bonus in ſe nequaquam deſcriberetur & juſtus, ſi peccati vinculo teneretur, pro aliena culpa ſententiam in ſe mortis excepit?*

Adulterii fœditatem.

Dolet de illius in ſcelere pertinacia.

Adactum ſe muneris religione ad inculcanda monita.

XXXIX.

*Quæſumus itaque magnitudinem tuam, & per viſcera miſericordiæ Dei attentius obſecramus, tibi ſub interminatione divini judicii obteſtantes, quatenus prudenter conſiderans, quod cum in virum jam creveris, evacuandi ea, quæ ſunt parvuli, tempus advenit. Abiice adulteram: repelle libidinis incentivum: dimitte peccati fomitem: eiice mortis tuæ laqueum. Concubinam denigrantem famam, offuſcantem gloriam, honorem penitus abſorbentem pellicem non ſolum expelle, ſed fuge: ſectare pudicitiam: caſtitatem ſequere: amplectere honeſtatem; ac præceptis Domini humilis & devotus obtemperans, abjectam conjugem readmitte, admiſſam dilige, & honorificentia, quæ tantæ principiſſæ tantoque principi matrimonio copulatæ conveniat, proſequere jam deinceps. Propter hanc certe, patrem, ſi viveret, matremque dimittere, huic adhærere, hanc diligere, hanc ſicut teipſum amare juberis: una etenim caro tecum eſt, unum corpus. Sic namque famæ tuæ conſules, ſic honoris diſpendiis præcavebis, ſic regnorum ipſorum occurres periculis: ſic ſaluti, quæ præferenda eſt omnibus, providebis. Sic Deus ſuper te gratiam*

Divinam in amanda uxore legem ſequatur.

Hæredem ſceptrorum ſuſcipere nitatur.

*tiam ſuæ benedictionis effundet : ſic, ut pie credimus, tollens de domo tua ſterilitatis opprobrium, & gremium tuum ſuſceptione prolis numeroſæ fœcundans, ſtabiliet ſolium, inſtaurabit thronum, & roborabit fortius ſceptra tua : ſic inimicorum & hoſtium enervabit vires, ſic rebellium tuorum humiliabit ſuperbiam, audaciamque frænabit : ſic aſpera quælibet in plana convertens, dies tuos in utriuſque hominis pace ac ſalute diſponet.*

*Quia igitur ſperamus & credimus, quod tu his ultimis obſecrationibus noſtris, ſere quantumlibet, condeſcendes : petimus, ut tuæ in melius emendationis auſpicia reſcribas, per literas tuas nobis, pro certo tenens, quod niſi benigne monentem, & obſecrantem ſuaviter patrem audieris humilis & obediens filius, rigorem deinceps judicis ſævientis agnoſces : quoniam patientia noſtra, negligentia notaretur de cætero, & honor, qui tibi deferretur ulterius, injuria Chriſti Jeſu, per quem vivis & regnas, potius cenſeretur. Super quo quia præfato legato plenius ſcribimus, verbis, quæ in longius materia texeret, finem imponimus, & ipſius legati pro parte noſtra relatibus adhibere te cum effectu ſatisfactionis & fructu, petimus iterum, plenam fidem. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* VI. *kal. auguſti anno* IV.

Intentatæ cenſuræ.

Illaqueatus adeo erat Caſtellanus voluptatum illecebris, divinumque omnem timorem extinxerat, ut nullis monitis ad revocandam Reginam flecti potuerit; qua de re hæc Rodericus Sanctius tradit hiſtoriæ (a) : *Legatus, Regem inflexibilem reperiens, parum profecit.* Et infra : *Sic igitur in noſtra miſera Hiſpania verificatum eſt illud Nahum prophetæ vaticinium* (b) : *Ecce corruet civitas propter fornicationem meretricis ſpecioſæ & gratæ, habentis maleficia, quæ vendit ad gentes & familias in maleficiis ſuis.* Et ſequitur : *Propterea, dicit Dominus exercituum, revelabo pudenda tua, & oſtendam regnis nuditatem tuam. Quod ad literam calamitoſa Hiſpania experta & paſſa eſt.*

Averſæ Caſtellani aures pontificiis monitis.
(a) *Rod. San. p.4. hiſt. Hiſp. c.14.*
(b) *Nahum.3.*
Caſtella divina ultione percuſſa.

XL.
Petrus Rex ſævitiam in ſuos exercet.

Cumularat ſuperiora flagitia Petrus non modo ſævitia in ſuos, de qua plura immania narrant hiſtorici, verum etiam rapinis in eccleſiaſticis vectigalibus in regium ærarium convertendis : nam & Ægidii Cardinalis, Italica legatione clariſſimi, ſacerdotiorum, quæ obtinebat in Hiſpania, redditus invaſit : cumque increbreſceret ipſum avidas manus pari exemplo aliis Cardinalium ac præſulum, qui in aula pontificia verſabantur, bonis injecturum, Innocentius ipſum ſubjectis literis corripuit (c).

Opprimit eccleſiaſticos.
(c) *To. 4. ep. ſecr. p. 36.*

*Innocentius, &c. Petro Regi Caſtellæ illuſtri.*

*Quis ſanæ mentis crederet, quod princeps catholicus, ex Chriſtianiſſimis parentibus editus, miniſtris Dei, per quem majeſtatis regiæ ſplendore coruſcat in terris & æterna gloria coronari ſperat in cælis, alimenta ſubtraheret, quando ille Pharao divinæ legis ignarus, ſubactis cæteris ſervituti, ſacerdotes Dei & poſſeſſiones eorum donavit priſtina libertate, ac ſacerdotibus ipſis alimoniam de publico miniſtravit? Quis rationis capax facile crederet, quod tu, cujus progenitores eccleſias & perſonas eccleſiaſticas extulerunt, honoribus decoraverunt, privilegiis ampliarunt, gratiis dotarunt, libertatibus & immunitatibus munierunt; quique pro fidei dilatatione catholicæ velut athletæ ac pugiles Chriſti fortes adverſus hoſtes ejus ſtrenue decertarunt, & in virtute Domini, qui ejuſdem author eſt fidei, ſuffragantibus & opitulantibus etiam miniſtrorum ejus orationibus, ipſorum hoſtium domita ſuperbia & alliſa potentia, regnorum ſuorum fines & terminos ampliarunt; velis eorumdem progenitorum tuorum virtutum derelinquere ſemitam, & id agere, aut agi permittere, per quod eis impar meritis habearis ac fama : & per quod detrahatur eccleſiaſticæ libertati, ipſi derogetur Chriſtianæ fidei, & ipſe inſuper Chriſtus graviter offendatur?* Et infra.

Corripitur a Pont.

*Serenitatem tuam monemus, requirimus, & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, tibique ſanis conſiliis & ſinceris ac paternis affectibus ſuadentes, quatenus prudenter conſiderans, quod Cardinales iidem ad regendum univerſalis eccleſiæ firmamentum indefeſſa nobiſcum operatione laborant, & quod ipſis velut quibuſdam columnis innititur ſtructura eccleſiæ memoratæ; ac intuens etiam, quod qui ſervitio eccleſiæ generalis inſiſtunt, debent veluti reſidentes in eccleſiis & beneficiis, quæ obtinent, reputari, quod noſtris & dictorum Cardinalium obſequiis immorantes abſentiam ſuam ab eccleſiis, in quibus beneficiati ſunt, quæ ubertim in neceſſaria præſtatione favorum, in occurrentibus frequenter caſibus compenſant; pro reverentia Dei, tuæ conſideratione ſalutis, & noſtræ interceſſionis obtentu animum tuum omnino ab hujuſmodi propoſito revoces : & ſi forſitan propoſitum hujuſmodi proceſſit in actum, quidquid attentatum eſt, irrites & annulles, &c. Dat. apud Villamnovam Avin. diœceſis* x. *kal. aprilis anno* IV.

XLI.
Cardinales hoc anno creati ab Innoc. VI.
(d) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Auctum hoc anno Cardinalium collegium ab Innocentio, refert ejus vitæ author his verbis (d): *Eodem anno die* XIII *menſis decembris dictus Innocentius Papa VI. creavit ſex novos presbyteros Cardinales, videlicet dominos Petrum de Foreſta Gallicum, tunc archiepiſcopum Rothomagenſem & cancellarium Regis Franciæ : Eliam de ſancto Arelio diœceſis Lemovicenſis monachum ordinis S. Benedicti, tunc epiſcopum Uticenſem : Franciſcum de Cuderto* Italicum, tunc epiſcopum Florentinum : Petrum*

* Tudertò

de



*de Monturuco diœceſis Lemovicenſis nepotem ſuum ex ſorore, tum electum Pampilonenſem : fratrem Guillelmum Farinerii de Gordonio diœceſis Caturcenſis tunc generalem miniſtrum ordinis fratrum Minorum : & fratrem Nicolaum Roſſelli Catalanum, tunc inquiſitorem hæreticæ pravitatis provinciæ Aragonum.* Conſentiunt his MS. Vaticani (a) author, Contelorius (b), & alii : meminitque poſtremi Surita (c), quem virtutibus fuiſſe inſignem ait. Ad cujus gratiam cum Petrus Rex Aragonum urgeret Innocentium, ut pileum rubeum ad ipſum tranſmitteret, ei expoſuit ſequentis anni kalen. februar. Pontifex (d), non moris eſſe, ut cuiquam niſi pontificia manu detur : ſeque ea de re Cardinales, ut regiis votis morem gereret, conſuluiſſe; neque ipſos ad ſuam ſententiam adducere potuiſſe. Cum vero Petrus Rex Petri Rothomagenſis Cardinalis exemplum attuliſſet, ad quem Pontifex pileum rubeum tranſmiſiſſet (e), reſcripſit Innocentius diſparem eſſe rationem, cum ille miſſus Burdegalam fuiſſet, ut de pace inter Anglorum & Francorum Reges ageret.

(a) *MS. bibl. Vall. ſign. num. 2040.*
(b) *Contel. in elench. Card. creatione 2. In Inn. VI. & alii.*
(c) *Sur. l. 9. c.6.*
(d) *To.5. ep. ſecr. p. 18.*
(e) *Pag. 16. 18.*

XLII.
Carthuſianos Innoc. beneficiis complectitur.
(f) *Ib. p. 82.*

Ad hujus anni calcem addimus, Innocentium commendaſſe ſe enixe precibus (f) Carthuſianorum, quibus ex ſingulari in eos ſtudio eccleſiam B. Joannis Baptiſtæ ſacram Villanovæ, atque ædes, quas ad religioſorum virorum uſus in palatio quod ante adeptum pontificatum poſſederut adornari juſſerat, dono contulit. Extat de ea donatione diploma, in quo pluribus elogiis Carthuſianos effert (g). Complexum fuiſſe Innocentium ſingulari ſtudio Carthuſianos, refert etiam faſciculi temporum author, atque de eo ordine ſanctitatis opinionem conceptam e cœleſtis cujuſdam viſi ſancto eremitæ objecti occaſione narrat (h) : *Viſio*, inquit, *flebilis facta cuidam eremitæ in præſentia domini Innocentii Papæ VI. dum adhuc Cardinalis eſſet, unde ajebat : Vidi animas in infernum deſcendere ſicut nives denſiſſimas, in purgatorium ſicut nivem rariſſimam : ſed ad paradiſum tantum tres vidi introire, ſcilicet illius epiſcopi, ac illius viduæ Romanæ, & illius prioris Carthuſienſis. Quæ omnia ſic poſt reperit vera & ex tunc maximam devotionem erga viros religioſos habuit, & præcipue Cluniacenſes & Carthuſienſes. Hos enim duos ordines ſpecialiter præ cæteris privilegiavit & ab omni patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & quorumcumque principum, &c. juriſdictione, viſitatione, taxatione, & qualicumque vexatione exceptos eſſe decrevit ſub anathematis vinculo : eoſque ſub ſancti Petri ac Romanæ eccleſiæ protectione ſuſcepit.*

(g) *Ead. ep.*
(h) *Faſcic. temporum in ſext. ætat.*
Viſum cœleſte mirabile.

Humanæ

I. HUmanæ ſalutis anno quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione decima, cum Galliæ ob captum Regem mœrore oppletæ tumultibus undique quaterentur, Germania & Belgium in armis eſſent, Hiſpania ab impudiciſſimo Caſtellæ Rege Petro fœdaretur, nec bellicis motibus careret, atque Italiæ pars a tyrannis vexaretur; communi parenti, ut tot malis occurreret conſuleretque, non parum fuit deſudandum, ut ex iis, quæ infra afferentur conſtabit. Quod igitur ad Joannem Francorum Regem attinet; tenebatur in vinculis Burdegalæ ab Eduardo Walliæ principe. Cui Pontifex kal. martii datis literis animum ſuum optatiſſimæ pacis expectatione pendere, ac languere deſiderio ſignificavit, ut Chriſtianus orbis e tot tantiſque calamitatibus, quas funeſtæ ipſorum diſſenſiones invehunt, poſſet emergere. Adducta eo demum res eſt, ut pacis leges Talayrandi epiſcopi Albanenſis & Nicolai tit. S. Vitalis presbyteri Cardinalium Apoſtolicæ ſedis internuntiorum ſtudiis compoſitæ inter victum victoremque fuerint, de quibus meminit ſubjectis verbis MS. Vaticanum (*a*).

Gallus Rex tentus in cuſtodia Burdegalæ.

(*a*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 2040. *in Clem. VI.*

De pace actum.

*Dominus Talayrandus Petragoricenſis Cardinalis & dominus Nicolaus Capotii Urgellenſis Cardinalis nuntii apoſtolici, miſſi per dominum Innocentium Papam VI. in regno Franciæ & Angliæ pro pace vel treugua tractanda inter dictos Reges & eorum regna, gratia Dei mediante, & ipſorum operationibus treuguam firmaverunt dictorum Regis & principis Vuallenſis & ipſorum regna, incipiendam in proximo feſto reſurrectionis Domini & finiendam ad feſtum S. Joannis Baptiſtæ, non primum, ſed venturum ſeu ſecundum. Dicti vero Cardinales tractaverunt de conſenſu & voluntate dictorum Regum de pace finali habenda inter ipſos Reges & regna. Item prædicti Cardinales ſub die ſecunda julii dicti anni cum maximo honore recepti fuerunt apud Londonium per Regem Angliæ.*

Arte & dolo pacis colloquia tractabat Anglus: cum enim a Walliæ principe paternus aſſenſus fuiſſet deſideratus, tum is (*b*) ad deludendos Vaſcones, quorum fidei Joannes ſe commiſerat, quique obſtabant, ne in Angliam aveheretur, finxit ad firmandam pacem omnino perneceſſarium, ut diſſidentes Reges in colloquium venirent: atque ita Joannem Regem, ac Philippum filium & alios principes Francos in acie captos in Angliam abduxit. Quibus de rebus a Cardinalibus internuntiis certior factus Pontifex, Eduardo Anglorum Regi; cujus arcani doli arteſque nondum patuerant, magna ſe ex fœderis initi nuntio lætitia ipſum perfuſum ſignificavit (*c*): hortatuſque eſt, ut qui maximis a Deo beneficiis exornatus eſſet, grati animi in pace populo Chriſtiano, graviſſimis attrito calamitatibus, reſtituenda officia reponeret: ipſius ac Regis Francorum vires non in mutuas cædes, ſed ad Syriam dominico imbutam ſanguine e Mahometanorum ſervitute eripiendam convertendas: *Quæſumus*, inquit, *pietatem tuam, & per viſcera miſericordiæ Dei attentius obſecramus, quatenus gratiæ ipſius dona, quibus te copioſa diſtributione prævenerat, filiali gratitudine recognoſcens; & diligenter attendens, quod tanto ipſi creatori tuo magis es debitor, quanto ab eo majora beneficia percepiſti, cum adauctis donis, donorum creſcant etiam rationes; nec minus rememorans diſpendia rerum, diſcrimina corporum, & animarum pericula, quæ in tua & Regis Francorum diſcordia multifarie perpeſſus eſt populus Chriſtianus [ut impedimenta negotiorum Dei, & præcipue terræ ſanctæ, quæ ancilla canibus & tributaria Saracenis tuum & ipſius Regis Francorum auxilium in ſua liberatione deplorat & expectat anxia, taceamus] animum tuum ad pacem habilites, cor præpares, diſponas & mentem. Sic enim famæ tuæ titulos clariores efficies: ſic honoris gloriam conſtitues ampliorem: ſic laudibus tuis indeficientem adjicies cumulum: ſicque Romanam eccleſiam matrem tuam lætificabis in gaudio; & quod his omnibus majus eſt, æternæ ſalutis præmia conſequeris.*

(*b*) *Matth. Vill. l.* 7. *c.*57.

Joannes Rex una cum filio & proceribus in Angliam ducitur.

(*c*) *To.*5. *ep. ſecr. p.*87.

Pontificia ſtudia pro pace concilianda.

Vertenda eſſe in Saracenos arma.

Optarant Talayrandus & Nicolaus Cardinales internuntii, ut Petrus ipſorum collegio nuper cooptatus, qui regii ſigilli præfecturam geſſerat, ac Joannis Regis omnium conſiliorum particeps extiterat, ipſis ſocius adjungeretur: ac ne dignitatis inſignibus diſcrepare videretur, pileum rubeum ipſi tranſmitteret. Quibus Pontifex ſub anni initio hæc de more dandi pilei cardinalitii reſcripſerat: (*d*) *Cum fratribus noſtris hujuſmodi literis eis ſerioſe perlectis, deliberationem habuimus, & eorum fere omnium in hoc conſilia reſederunt, quod licet ſupplicatio veſtra favorem & gratiam mereretur, & idem Cardinalis conſideratione potiſſime utilitatis publicæ, cui multum præſentia ejus hujuſmodi conferre poterit, honorandus exiſteret; non erat tamen priſcæ conſuetudini, quam ſanctorum patrum immutanda poſteris obſervantia introduxit, aliquatenus derogandum: unde nos hujuſmodi conſuetudinis rigorem temperare quærentes, hanc viam elegimus, ut capellum ipſum Pictavis Cardinali mitteremus eidem; ita tamen, quod Cardinalis ipſe illo in caſu,*

II. Petrus Rothomag. Card. pacis interpres expetitus.

De tranſmittendo illi pileo rubeo agitatum.

(*d*) *Ib. ep. ſecr. p.* 16.

Cur ea in re difficultas oborta.

quo



*quo accedendi ad prædictum Regem ſalvum poſſet habere conductum, & non aliter, uteretur. Cumque nec ad viam hanc ipſorum fratrum immutari conſilia potuiſſent, cogitavimus inter nos, quod vobis capellum ipſum Burdegalam mitteremus, per vos tradendum præfato Cardinali, ſi veniendi ad antefatum Regem hujuſmodi poterit habere conductum, vel alias retinendum. Dat. Avin. kal. februarii anno* v. Tranſmiſſum poſtea ipſi pileum Cardinalitium, ex literis ad Regem Aragonum ſcriptis colligitur, de quibus ſuperiori anno mentionem fecimus: ac IX. kalend. junii, aſſentiente Eduardo, liberi commeatus ſyngrapha ad Angliam adeundam data (*a*) illi eſt ab Innocentio. De Petro ac Talayrando & Nicolao Cardinalibus in Angliam profectis meminit Walſingamus (*b*), ut paci conciliandæ operam navarent: ſed fruſtra eam conſumptam addit: *Qui in Anglia*, inquit, *moram traxerunt biennalem, ſæpius cum Regibus & eorum conſiliis colloquentes; ſed tandem diſcordes receſſerunt.* Quibus conſentanea vitæ Innocentii ſcriptor narrat. At non integro biennio moratos Cardinales internuntios indicat Matthæus Villanus; dum ipſos ait (*c*) extremo auguſto abſceſſiſſe, cum animadvertiſſent, Eduardum Regem quamvis magnificentiſſime Francorum Regem excepiſſet (*d*), pacis colloquium initum, in quo perficiendo ipſius tantum aſſenſus deſiderabatur, variis coloribus extraxiſſe, ut rerum gerendarum occaſionem captaret (*e*), acerbioreſque leges victis imponeret.

(*a*) *To.*5. *ep. ſecr. p.*73.

Profecti in Angliam Cardinales legati.

(*b*) *Vualſing. in Eduard. III.*

(*c*) *Matth. Vill. l.* 7. *c.*95.

(*d*) *Cap.* 66.

(*e*) *Super. c.*95.

III. Gall. inteſtino bello impliciti.

Favebant ejuſdem Angli conſiliis inteſtina diſſidia Francorum, qui licet initio pacis leges, quæ nonniſi graviores capto Rege eſſe poterant, reſpuerent, atque ad repetendam ultionem ſubſidiarium æs ingens exigerent; ſolutis tamen ordinum regni conventibus in maximas diſcordias diſtracti, regnum in diſcrimen conjecere, (*f*) quod ſocialium prædonum exercitus laniarunt (*g*), qui fræna furori ac licentiæ laxabant, præcipuo duce Arnaldo (*h*) e Cervola. Cumque glomerata illa prædonum tempeſtas effundenda in Provinciam comitatui Venuſino ingrueret, Innocentius Avenionenſes in armis juſſit eſſe, (*i*) & Caroli Imperatoris promiſſam opem imploravit (*k*).

(*f*) *Cap.* 53.

(*g*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

(*h*) *To.*5. *ep. ſecr. p.*160.

Avenione trepidatum eſt.

(*i*) *Matth. Vill. l.*7. *c.*96.

(*k*) *To.*5. *ep. ſecr. p.*155.

Imploratum Cæſaris auxilium.

*Innocentius, &c. Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Magnificavit anima noſtra Dominum: quod ipſe talem univerſæ reipublicæ temporibus noſtris præſidere conceſſit, qui quanto poteſtate terrena præeminet amplius, tanto zelo purioris devotionis ad Deum potius fervens ſincerioris fidei fulgore reſplendens, in humilitatis ſpiritu, quæ virtutum omnium comprobatur origo, ad noſtra beneplacita ſic ſe liberaliter obtulit, ut de ſe ipſo ſibi nihil reliquerit inoblatum. Ex quo poſt laudes & gratias Deo, cujus locum immeriti gerimus, & B. Petro Apoſtolorum principi, cujus nos illius dignatio conſtituit ſucceſſorem, & quibus in humilitate noſtra impendis honorem, exhibitas reverenter, Creatori redemptorique tuo humiles preces offerimus, ut te proſperorum dierum longitudine gaudere concedat, gremium tuum numeroſæ prolis ubertate lætificet, & imperii tui latiſſimos ſinus optata pace componat. Cæterum oblationem tuam hujuſmodi acceptantes, præſidia & favores tuos ad extinguendum ſpiritum tempeſtatis quæ in partibus iſtis peccatis exigentibus, ſicut per alias literas noſtras tibi latius ſcribimus, procurante inimico homine ſuſcitatur, confidentiſſime & inſtantiſſime imploramus, &c. Dat. Avin.* VIII. *kal. auguſti anno* v.

Significavit eidem aliis literis (*l*), prædatrices turmas in provinciam per Venuſinum comitatum irrupiſſe, utque exortis inde malis occurreret rogavit, cum imperialis eſſet muneris & ſedis Apoſtolicæ concordiam tueri, & provinciam imperii fiduciariam ex prædonum tyrannide vindicare (*m*): *Tu*, inquit, *qui potes ſolo nutu omnia iſta comprimere, de illo remedio ſuper iis provideas per te ipſum, quod curationi tantarum plagarum putaveris neceſſariam poſſe conferre medelam: gratiſſimum etenim B. Petro Apoſtolorum principi, quem honoras in nobis, præſtabis obſequium: &, ut loquamur paterne tecum, debitum tuum ſolves, ſi pacem nobis & fratribus, ac ſecuritatem curiæ curialibuſque prædictis inſtaures, & lacerationi comitatus, qui de feudo tuo eſt, occurras ipſius, &c. Dat. Avin.* XIV. *kal. ſeptembris anno* v.

(*l*) *Ead. pag.*

(*m*) *Ib. p.* 194.

Tuetur Romanam curiam.

Queſtus etiam eſt Pontifex graviſſime, datis ad Joannem Regem Francorum literis, ut has copias reprimeret, revocaretque e Provincia (*n*): quamvis enim ex Provinciæ invaſione ille indoluiſſet, & filio Carolo delphino dediſſet imperia, ut proſcriptionis pœnas renovaret exerceretque in eos, qui e regno ac delphinatu ſigna infeſta in Provinciam attollerent; viciſſe tamen ſceleratorum audaciam regiam diligentiam, ac plures turmas, quas criminum licentia coegerat, in Provinciam ſe effudiſſe, quam luxuria, crudelitate, rapinis, ferro flammaque fœdent.

IV. Gallus Rex de ſuorum excurſione in Provinciam fit certior.

(*n*) *Ib. p.* 164. & 177.

*Innocentius, &c. Joanni Regi Francorum.*

*Quoniam morbus hic, præſtante per miniſtros membraque ſua fomenta diabolo, ſic excrevit, ut ad curam ejus, in qua modicum aut nihil lenitiva proficeret, præciſionis & aliis validioribus remediis ſit utendum; tibi, cui læta & placida libenter inſinuare vellemus, amara proh dolor!*



& tri-

*& triſtia compellimur nuntiare. Siquidem nonnulli de regno* (Galliæ ſcilicet) *& delphinatu prædictis hujuſmodi probitione dicti ducis* (nimirum Caroli Normanniæ) *omnino contempta, aſſociatis ſibi quibuſdam eorum in hac parte complicibus,*

De patratis a latronum exercitu malis.

*comitatum noſtrum Venuſini diebus iis non longe præteritis intraverunt: ubi diebus aliquibus commorati, tandem poſt aliqua damna, quæ intulerunt ibidem, in dictum comitatum Provinciæ deſcenderunt: ubi licet indifferenter & univerſaliter omnibus pro viribus noceant eccleſiis, tamen & perſonis eccleſiaſticis potiſſime ſunt infeſti; ita ut detur omnibus patenter intelligi, quanta ſit in cordibus eorum malitia, dum Deum in miniſtris ejus offendere tam graviter non* [illegible] *tur: occuparunt enim in* [illegible] *vinciæ aliqua loca, &* [illegible] *xerunt, quæ dumtaxat* [illegible] *ſteria quædam perti*[illegible]*t inibi mala nefan*[illegible]*orreat calamus illa* [illegible] *epromere erubeſcat.* [illegible] *quaſi eccleſiæ filios ang*[illegible] *pprimi, torqueri, truncari,* [illegible] *variis ſuppliciis vita. Audimus* [illegible] *virgines, adulterari nuptas, viduas violentiam pati, ipſiſque Deo dicatis ſanctimonialibus a viris impiis non deferri. Audimus* (*quod etiam apud infideles inauditum eſt*) *confugientibus ad loca*

Nullus ab iis locorum ſacrorum reſpectus habitus.

*ſacra loca ipſa remedium non afferre. Audimus matres patreſque, derelictis filiis in manibus hoſtium, ſe pro vitæ remedio fugæ committere. Audimus filios, confuſo pietatis officio, id agere e converſo.*

*Conſidera itaque, princeps inclyte, conſidera quantus ſit dolor noſter, anguſtia quanta, quantaque triſtitia. Conſidera utrum talia in renatos fonte baptiſmatis ab iis, qui cenſentur profeſſione ac nomine Chriſtiani, deceat exerceri. Conſidera utrum hæc famæ conveniant ejuſdem regni tui fidelium populorum, qui timorem Deo, honorem eccleſiis & miniſtris Dei, eccleſiaſticis videlicet viris ſoliti ſunt reverentiam exhibere. Conſidera, quod licet omnium mala nos urgeant, cum affectum dilectionis omnibus pater omnium debeamus; horum tamen calamitas eo vehementius nos affligit, quo in conſpectu quaſi noſtro hæc ab impietatis filiis impune committuntur, &c.* Addit preces, ut cum Romana eccleſia certiſſimum aſylum in ipſius domo Chriſtianiſſima ſemper repererit, regiis imperiis imminentem eam tempeſtatem propulſet. *Dat. Avin.* II. *id. auguſti anno* v. Solicitavit iterum (*a*), ut viros authoritate graves mitteret, qui e Provincia turmas Gallicas abducerent. At capti Regis authoritas in vinculis obſoleverat, catervæque Vaſconum prædatrices in Provincia, dum Maſſiliam Martinenchi aliique de Jeruſalem dicti in factiones dividebant,

(*a*) *Eod. to.* 4. *ep. ſecr. pag.* 164. *&* 216.

(*b*) graſſari aulamque pontificiam turbare perrexerunt; ad quas reprimendas, cum Rodulphus dux Auſtriæ ſe Pontifici paratum exhibuiſſet, Innocentius egregiam illius in ſedem Apoſtolicam voluntatem admiſit, grateſque egit (*c*).

(*b*) *Pag.* 113. 114.

Rodulphus Auſtriacus Pontifici operam defert.

V.

Cæterum ſuſceptas a patre Alberto reſtituendi in gratiam cum eccleſia Ludovici marchionis Brandeburgenſis, ob ſecutas Ludovici Bavari parentis ſchiſmatici partes cenſuris notati, curas urgere cupidus Rodulphus dux Auſtriæ, publicis literis datis (*d*) ad Paulum epiſcopum e Gurcenſi ad Friſingenſem ſedem traductum Apoſtolicæ ſedis internuntium ac Petrum abbatem, quibus marchionis cauſæ cognitio delata erat a Pontifice, profeſſus eſt, ut Albertus dux, miſſis oratoribus ad Innocentium VI. fidem ſuam obſtrinxiſſet, Ludovicum marchionem demiſſe veniam poſcere, omneſque pœnas ad ſcelus illud expiandum imponendas ſubiturum; flexumque ad ſupplices preces Pontificem Ortholpho archiepiſcopo Saliſburgenſi & Paulo Gurcenſi epiſcopo provinciam dediſſe, ut rite marchionem cenſurarum nexu exolverent.

(*c*) *Pag.* 234. 244.

(*d*) *Ext. in arce S. Ang. & inter collect. Plat. to.* 3. *p.* 144. *& lib. privil. Rom. eccl. to.* 1. *pag.* 227. *& MS. bibl. Vall. ſig. lit. B. n.* 12. *pag.* 552.

Ludovicus marchio Brandeb. eccleſiæ gratiam expetit.

*Reverendis in Chriſto patribus Paulo Friſingenſi olim Gurcenſi epiſcopo, & Petro abbati monaſterii S. Lamberti Salczeſburgenſis diœceſis, ſuper infraſcriptis a ſede apoſtolica commiſſariis ſpecialiter deputatis, Rodulphus Dei gratia dux Auſtriæ, Stiriæ, & Carinthiæ reverentiam in omnibus debitam & condignam.*

*Ad paternitatum veſtrarum deducimus notitiam, nos pene olim ſciviſſe & ſcire, quod claræ memoriæ dominus Albertus dux Auſtriæ genitor noſter, cupiens quod magnificus princeps dominus Ludovicus marchio Brandeburgenſis conſanguineus noſter ad gratiam & communionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, extra quas erat, rediret & gratioſe reciperetur ab ea; & ut omnia & ſingula, quæ dictus dominus marchio ea occaſione offerret, promitteret, juraret, ac facere implere ſecundum mandata apoſtolica debere* [illegible] *firmiorem conſequeretur effectum, vo*[illegible]*num Paulum, tunc Gurcenſem nunc ver*[illegible] *ſingenſem epiſcopum, ac Fridericum* [illegible]*item Ciliæ ſuos procuratores conſtituit, & ad præſentiam ſanctiſſimi patris domini Innocentii, divina providentia Papæ VI. vobis & eidem comiti ab eodem genitore noſtro mandato ſuper hoc tradito, ſui nomine promittendi ac ipſum etiam obligandi, quod ipſe genitor noſter faceret & facere curaret, quod idem marchio ea omnia & ſingula, quæ offerret, promitteret, & juraret, & effectualiter adimpleret; & quod omnes pœnitentiam, ſatisfactionem, & emendam, quæ dicto domino marchioni pro ejus culpis & exceſſibus, per præfatum dominum Papam, vel alium, ſeu alios ejus nomine & mandato ſo-*

Miſſi ab eo oratores.

Albertus Auſtriacus interpres adhibitus.



*forent impoſitæ, infra tempora, ſuper his per ipſum dominum Papam, vel alios deputatos ab eo præfigenda, devote, realiter, & cum effectu perageret, & compleret.*

Moriens filio Rodulpho id munus demandat.

*Et quia, ſicut domino placuit, antequam prædicta fieri poſſent, genitor noſter debitum naturæ perſolvit; nos, intendentes voluntatem & factum paterna proſequi reverentia filiali, aſſerimus nos vidiſſe, & audiviſſe literas dicti domini Papæ ſuper præmiſſis vobis directas, & eorum contenta, nobis per literatos viros fore expoſita, & vulgarizata, quarum literarum tenor ſic incipit; Innocentius epiſcopus, ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Ortholfo archiepiſcopo Salzeburgenſi, & Paulo epiſcopo Gurcenſi, ac dilecto filio Joanni abbati monaſterii S. Lamberti Salzeburgenſis diœceſis ſalutem, &c. Patris miſericordiarum, & Salvatoris noſtri domini Jeſu Chriſti, ſancta Romana eccleſia cunctorum mater, & magiſtra fidelium, cujus, licet immeriti, regimini præſidemus, &c.* Et finiunt, *rata, firma, & grata habebo, & approbabo, & nihilominus per eundem marchionem adimpleri curabo. Dat. Viennæ* XVI. *die novembris anno Domini MCCCLVII.* Aggregarunt fidelium conſortio Paulus epiſcopus ac Petrus abbas Ludovicum marchionem Brandeburgenſem, de quo inferius agendum erit: creatus vero fuerat Paulus (*a*) v. id. junii Apoſtolicæ ſedis internuntius in Saliſburgenſi diœceſi, ampliſſimiſque prærogativis exornatus (*b*). Præterea data ei provincia fuerat (*c*) extremo ſuperiori anno, ut exortam inter Albertum ducem Auſtriæ Rodulphi memorati parentem atque Joannem marchionem Moraviæ Imperatoris fratrem controverſiam, quæ in atrox erumpebat bellum, componeret, induciiſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate indictis hoſtiles excurſiones compeſceret.

(*a*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 96.

(*b*) *Ib. p.* 101.

Auſtriacus & Moravus diſſident.

(*c*) *Ib. p.* 1.

VI.

Cruciferorum in Lithuaniam expeditio.

Hoc anno confecta eſt a Vinricho cruciferorum equitum magiſtro expeditio (*d*) adverſus Lithuanos infideles, cum plures e Germania principes, atque ex ipſa Anglia turmæ in Pruſſiam confluxiſſent: iis enim auctus irrupit magno terrore in Lithuaniam, atque infidelibus in aciem deſcendere non auſis, late agros populatus ſpoliis & manubiis hoſtium onuſtus rediit. Felicius quidem Germanæ illæ Anglæque copiæ a ſuis dimiſſæ Regibus arma vertere adverſus infideles, quam aliæ, quæ Lando duce ad exercenda in Italia latrocinia, omniſque generis patranda ſcelera ferrum converterant, ac demum, vaſtata Inſubria, ſe Romanæ eccleſiæ terris infuderant: ad quas inde revocandas Pontifex Carolum Imperatorem ſolicitavit (*e*). Premebat tum legatus Cæſenam obſidione, cum fœderati prædones eccleſiæ hoſtibus ſubſidio miſſi (*f*) ſunt. De quibus imminentibus a

(*d*) *Michov. l.* 4. *c.* 25.

Lando prædonum Italiam evaſtantium dux.

(*e*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 79.

Cæſena expugnata.

(*f*) *Matth. Vill. l.* 7. *c.* 64.



Pontifice monitus (*g*), obſidionem die noctuque urſit: ac demum urbem inito cum civibus fœderis colloquio obtinuit, arcemque ſubrutis propugnaculis expugnavit, in qua Ciam cepit (*h*) Ordelaffi tyranni conjugem, pertinaciſſimi pectoris fœminam, quæ cæſis ferro iis (*i*), a quibus ſe proditam putabat, incredibili audacia interiora mœnia cum fidiſſimis militibus tuebatur. Cujus victoriæ nuntio recreatus Pontifex, ad Ægidium Cardinalem legatum gratulatorias literas dedit (*k*).

(*g*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 78.

(*h*) *Vit. Nic. Laur. c.* 18.

(*i*) *Matth. Vill. l.* 7. *c.* 58. *&* 64.

(*k*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 58.

In ea Cæſenæ expugnatione Ungaricum equitem egregiam legato operam navaſſe, refert Nicolai Laurentii vitæ auctor (*l*): Ludovicum quippe Ungariæ Regem Pontifex crucesignati exercitus ducem adverſus eccleſiæ peduelles, ac præſertim Ordelaffum crearat, ut eo honoris titulo ipſum ad præſtanda legato auxilia obſtringeret; in deprecatoriis enim ea de re literis ineunte anno datis hæc ad Regem ipſum ſcribebat (*m*): *Adverſus eum*, nimirum Ordelaffum, *velut hæreticum juſto judicio ſententialiter condemnatum, ut ſpirituali ſimul & temporali virga percuſſus redderetur omnino impotens ad nocendum, crucem cum conſuetis indulgentiis mandavimus prædicari, te ſicut ſpecialem filium eccleſiæ Dei, & athletam Domini ſtrenuum, contra illum ſpecialiter & contra alios rebelles ejuſdem eccleſiæ capitaneum generalem deputantes, &c. Dat. Avin. id. januarii anno* v. Procurrebant in Ordelaffi opem prædonum ſociæ turmæ: ſed Ægidii legati ſtudio diſſolutæ (*n*) diſſipatæque fuerunt. Qua de re Innocentius Ægidio Cardinali eſt gratulatus: *Receptis*, inquit, *nuper literis tuis benignitate ſolita, & tam iis quæ continebantur in illis, quam iis, quæ dilecto filio noſtro Androino tit. SS. Joannis & Pauli presbytero Cardinali ſcripſeras intellectis, gaviſi ſumus, quod ſocietas illa peſtilens tuo ſtudio diſſoluta ſit, ſperantes firmiter multis malis, quæ ſocietate ipſa neſciente a vetitis & ſolitis abſtinere, ventura fidelibus Italiæ populis timebantur, ſalubriter obviatum.*

(*l*) *Vit. Nic. Laur. c.* 18.

(*m*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 3.

Cruceſignata militia indicta in Ordelaffum.

(*n*) *Ib. ep. ſecr. p.* 209.

Prædonum ſociæ copiæ diſſipatæ.

Cumulati ſunt ſecundi ii ſucceſſus Caſtri novi & Britenorianæ arcis expugnatione (*o*): tum Ægidius Cardinalis caſtra promovit ad Forumlivium (*p*), in qua urbe Ordelaffus ſedem tyrannidis fixerat; propugnabatque tanta pertinaciæ ferocia (*q*) ut cum Ægidius legatus ipſi conjugem ac liberos Cæſenæ captos reddituram ſe polliceretur, opportunaſque pacis leges offerret, tyrannus illum accuſaret amentiæ, ac ſi in ſuam poteſtatem caderet, laqueo præfocaturum jactaret. Si quos vero in eruptionibus cruceſignatos caperet, ipſos ludibrii cauſa detracto crucis ſymbolo veſtibus affixo, quod facile marcere ac deleri ajebat, candenti ferro in formam crucis efformato inu-

(*o*) *Matth. Vil. l.* 7. *c.* 79. 83. *& Vita Nic. Laur. c.* 18.

Ordelaffus Forlivii obſeſſus.

(*p*) *Matth. Vill. l.* 7. *c.* 94.

Ipſius inſana pertinacia.

(*q*) *Vita Nic. Laur. c.* 18.

Ejuſdem crudelis impietas.

Filium confodit.

Filiam capite truncat.

rebat, vel exquiſitiſſimis ſuppliciis conficiebat. Cumque filius amicorum conſiliis madentibus oculis lacrymis eum obſecraret, ut legati clementiæ ſe permitteret, ſeque ac ſuorum vitam redimeret indignatus ſuo negavit ſatum ſanguine, extractoque cultro fugientem transfixit, ex quo vulnere a crudeli patre necatus filius paucis poſt horis animam efflavit. Par crudelitatis genus experta eſt illius filia nupta, quæ cum ipſum paſſis comis in genua provoluta deprecaretur, ut matrem e vinculis liberaret; Ordelaffus nullo reſponſo dato, arrepta manu coma filiæ collum ferro ſecuit. Quibus editis immanitatis in ſuos exemplis, nemo ipſum de facienda deditione interpellare auſus eſt, ac producta obſidione, Ægidius legatus, relicto in caſtris ſucceſſore Androino Cluniacenſi abbate, ad aulam pontificiam rediit, fruſtratuſque eſt votis ſuis Pontifex, qui Androino dare operam juſſerat (a), ut antequam Ægidius Italia abſcederet, Franciſcus Ordelaffus tyrannide depulſus eſſet.

Ægidius Card. abſcedit ex Italia.

(a) *To.5. ep. ſecr. p.* 210.

VII. Ungari contra Venetos progreſſus.

Quod attinet ad Ludovicum Regem Ungariæ, [1] cujus equeſtribus copiis in domandis hoſtibus Pontificem uſum vidimus; vexabat ipſe acerrimo bello Venetos in Dalmatia & marchia Tarviſina, cujus molem cum ſuſtinere poſſe diffiderent Veneti, Tranum ac Spalatrum, miſſis oratoribus, ad redimendam pacem obtulere. Quo audito eæ urbes, ne divendi viderentur, ſponte in Ungarorum potentiam conceſſerunt (b): neque ita multo poſt Jadera impetu noctu capta ab Ungaris (c): qua urbe potitus Ludovicus obſidendarum Venetiarum terrorem Venetis incuſſit: Fluebant ipſi ſecundæ Tarviſinæ res: commiſſo enim cum Tarviſinis prælio, Ungari victoriam retulere (d). Quibus cladibus attritus Joannes Delphinus dux pacis leges a victore accipere ac Dalmatiæ arces Ungaro reſtituere coactus eſt.

(b) *Matth. Vill. l.* 7. *c.* 82.
(c) *Id. l.* 8. *c.* 19. *Appen. hiſt. Andr. Dand. in Jo. Delphino Diarium Venet. MS. & alii.*
(d) *Matth. Vill. l.* 8. *c.* 30.

VIII. Aragoniorum in Trinacria res depreſſæ.

In Sicilia Ludovicus Rex ac Joanna Regina, recuperandæ Trinacriæ atque ex invaſorum manibus eripiendæ intenti, inſulanorum ſtudiis pluribus ſecundis ſucceſſibus ſunt aucti: ac Pontifex abolendæ in ea Aragoniæ tyrannidis cupidus, Thomam e S. Severino Marſicanum comitem, alioſque citerioris Siciliæ proceres ſolicitavit (e), ut Regi opem certatim explicarent. Defixerat caſtra apud Cataniam Ludovicus Rex (f), in qua Fridericus Catalanorum ope duce præcipuo Artale de Alagona ſe tuebatur, demumque veniente Catalonorum auxiliari claſſe, Ludovicus turpiter obſidionem ſolvit.

(e) *To.5. ep. ſecr. p.* 42.

(f) *Matth. Vill. l.7. c.72. Fazel. poſt. dec. l.9. c.14. & alii.*

Genuenſis reipub. res inſtauratæ.

Quod ad Genuenſes Ludovici Regis in Catanenſi bello fœderatos ſpectat; præerat iis Simon Buccanigra, qui hoc anno publicam rem admodum auxit, Savona, Vigintimilio, & Monacho illi reſtitutis (g) volvenſque majora, in Sardiniam claſſem immiſit (h). Ne vero ea diſcordia majora pareret bella, Pontifex apoſtolicam authoritatem adhibendam ratus, de redintegrando fœdere Petrum Regem (i) ac Simonem Buccanigram (k) interpellavit.

(g) *Vill. eod. lib.* 7. *c.*49. 86. & 93.
(h) *Eod. lib.* 104.
(i) *To.5. ep. ſecr. pag.*108.
(k) *Ib. p.* 109.

IX. Caſtellani in Aragoniam irruptio.

Implicitus alio bello graviſſimo erat Petrus Rex, atque urgebatur a Petro Rege Caſtellæ, qui ineunte anno magnis ſuccinctus copiis irrupit (l) in Aragoniam, ac Tiraſonam menſe februario cepit: in quam urbem mox pulſis Aragoniis coloniam Caſtellanorum deduxit, interque eos agros circumjacentes diviſit. Attulit is caſus ingentem terrorem Aragonio, ut ſe nec Cæſarauguſtæ mœnibus tutum putaret, contraxitque mox ad Caſtellanum reprimendum quantum potuit exercitum. Conſtiterant menſe aprili (m) adverſæ acies ad pugnam accinctæ, in qua plurimus ſanguis Chriſtianus fundendus erat, cum Guillelmus S. Mariæ in Coſmedin diaconus Cardinalis A. S. L. per caſtra diſcurrit (n), ac Reges principeſque divini Numinis ac religionis metu commovit, ne qui vires in barbaros conjungere erant ſoliti, ſe mutuo attererent, ac Mahometanis Hiſpanias invadendas exponerent. Delegit utraque pars Cardinalem legatum pacis interpretem, ut æquitate controverſiam dirimeret: ac ſacramento ſe obſtrinxit, illius ſententiæ pariturum: detrectanti centum millium marcharum mulcta incuſſa, atque interdictum eccleſiaſticum intentatum. Sancitum etiam, ut captæ utrinque arces ipſius fidei committerentur, quod de iis, uti viſum foret, ſtatueret. Induciæ præterea non modo firmatæ inter Reges, verum etiam Genuenſes inter & Aragonios conſtitutæ.

(l) *Matth. Vill. l.* 7. *c.* 50. *& Geſta Innoc. VI. apud Boſq. Marian. l.*17. *c.*1. *& alii.*

Guillelmi Card. curæ pro redintegranda pace.

(m) *Matth. Vill.* 7. *c.*60.
(n) *Sur. l.*9. *c.* 11. *Marian. l.*17. *c.*1.

Cum

NOTÆ [1] PAx inter Hungaros Venetoſque exeunte hoc quidem anno tractata fuit; ſed nonniſi ineuntis anni exordio conſtitit. Qua in re ſcriptores omnes eorum temporum æquales conveniunt, apud quos pariter diem adnotatam reperies, qua Sadera in manum Hungarorum conceſſit, id enim accidiſſe ſcribunt die XVII. Septembris anni 1357. Vide Hiſtoriam Cortuſiorum, Rer. Italic. to. XII. Fallitur vero Annaliſta ad annum ſequentem ſcribens Janderitinam arcem, quo tempore pax ſancita fuit, nondum Hungaris ceſſiſſe. Nam præter urbem, arcem pariter armorum vi expugnaſſe Hungaros ſcribit Galeatius Gatarus in Hiſtor. Patav. vulgata Rer. Italic. to. XVII. MANSI



Cum ita res compoſitæ putarentur, inopino caſu in majorem diſcordiam exarſerunt: recuſarunt Regis Caſtellæ præſidiariæ copiæ controverſis arcibus, ut erat ſancitum (a), abſcedere; ſed Legati nomine eas retenturas reſpondere (b): urgente vero oratore Aragonio, ut legati poteſtati literæ ſubiicerentur, Caſtellanis repugnantibus, diſſenſio aucta eſt. Cujus pacandæ cupidus Pontifex utrumque Regem, conceptis eadem verborum forma literis, ad fidei religionem colendam hortatus eſt (c): *Verbum*, inquit, *regium obtinere debet vim & vinculum juramenti*, &c. Impoſita præterea Guillelmo Cardinali provincia (d), ut cum Regibus intentatum eſſet anathema, interdictumque eccleſiaſticum ipſorum terris, ſi a promiſſis diſcederent, cenſuris violatæ fidei reum percelleret. Pronuntiatum fuiſſe a legato Tudelæ XXVI. junii die Regem Caſtellæ anathemate ſe devinxiſſe, atque illius regnum ſacris interdictum, donec Tiraſonam ex fœderis tabulis ſibi liberam tradidiſſet, narrat Surita (e): ac tum magis exaſperatis rebus, Reges Aragoniæ & Caſtellæ Anglos & Francos alioſque finitimos ad armorum ſocietatem pellicere meditatos. Cum porro Pontifex Cardinalem legatum bellum accenſum reſtinguere non poſſe conſpiceret, ipſum ex Hiſpaniis revocavit (f); ac Regem Aragonium, cujus precibus datum erat, ut aliquandiu ſubſiſteret in Hiſpania (g), rogavit (h) ut rem moderate ferret, utque legato Cardinali cenſuras eccleſiaſticas incuſſuro Petro Regi Caſtellæ, quem flectere ad adulteram a ſe abiiciendam non poterat auxilio eſſet (i). Sæpius jam ante in adulterii cœno jacentem Caſtellanum erigere paternis ſtudiis, atque ad divinarum legum obſervantiam traducere erat conatus Innocentius, & hoc ipſo anno violatæ in abjecta Regina Blanca divinæ majeſtatis commonefecit (k).

(a) *To.* 5. *ep. ſecr. p.*122.
(b) *Sur. l.*9. *c.*12.

Solicitati ad pacem Reges Hiſpani.

(c) *To.* 5. *ep. ſecr. p.*122. 123.
(d) *Ib. p.* 223.
(e) *Sur. ſuper. c.* 12.
(f) *To.* 5. *ep. ſecr. pag.* 174. 175. *& pag.* 229.
(g) *Pag.* 174.
(h) *Pag.* 175. 201.
(i) *Pag.* 193.
(k) *Pag.* 114.

X.

*Si*, inquit, *quandoque petitiones tuæ quædam nequaquam ad gratiam exauditionis introeunt moleſtum, princeps inclyte, habere non debes, nec imputare voluntati, quod eſt potius rationis: cum enim illud poſſe dicamur, quod de jure poſſimus, quoties juris tranſcendimus limites, rapimur extra potentiam: & Deo, cui eſt accepta juſtitia, liquido diſplicere probamur*. Et infra: *Cæterum quia non poſſamus ſine præjudicio ſalutis noſtræ ea, quæ ſaluti tuæ ſunt contraria reticere, cum per prophetam annunciare populo Domini peccata jubeamur eorum, poſt ſalutaria monita, exhortationes, & preces, quibus apud te frequentiſſime recolimus inſtitiſſe, iterum petimus, & per viſcera miſericordiæ Dei attentius obſecramus, quatenus prudenter attendas, quod in abjectione chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Blanchæ Reginæ Caſtellæ & Legionis illuſtris uxoris tuæ Deum creatorem tuum vehementer offendis, famæ tuæ detrahis, derogas & ſaluti*, &c. *Dat. apud Villamnov. Avin. diœceſis* XI. *kal. julii. pontificatus noſtri anno* V.

Commonitus Caſtellanus, ut uxorem recipiat.

Nec Pontifex modo & Guillelmus Cardinalis legatus ad revocandum ad ſaniorem mentem Petrum Caſtellæ Regem incubuere; verum etiam Bertrandus epiſcopus Convenarum, quamvis præcipue ad pacem ipſum inter & Aragonium redintegrandam legatus eſſet a ſede Apoſtolica, operam navare juſſus eſt (l). Quæ omnia cum cecidiſſent irrita, hæc ad legatum ſcripſit Pontifex (m): *Attendentes, quod patientia noſtra negligentiæ notaretur; nec intendenter deferre amplius homini contra Deum, habita cum fratribus noſtris deliberatione matura, decrevimus adverſus eundem Regem [juſtitia ſuadente] procedere, prout tanti negotii qualitas exigit, tantuſque contemptus clavium expoſcit eccleſiæ, & regnorum dicti Regis conditio miſeranda requirit*. Data demum menſe auguſto legato imperia (n), ut legationis fines egreſſus judiciario ordine adulterum Regem, conſiliarios, & fautores cenſuris defigeret.

(l) *Ib. pag.* 4.
(m) *Ib. p.* 69.

De legibus in eum exerendis actum.

(n) *Pag.* 174.

XI. Alfonſi Reg. Luſitaniæ obitus.

Addimus Hiſpanicis rebus, Alfonſum Luſitaniæ Regem hoc anno e vivis ereptum, quo ferme tempore Pontifex ipſi literas VIII. kal. jul. de exceptis oratoribus mittebat (o); cum regnaſſet annos triginta & eo amplius. Corpus Ulyſſipone ad aram templi maximam conditum (p). Succeſſit Alfonſo in Luſitaniæ regno Petrus filius: a quo de paterno obitu certior factus Innocentius, magno ſe dolore ideo affectum ei ſignificavit: cum egregium principem, qui præclaris virtutibus dignitatem regiam decorabat, præcipuo amore eſſet proſecutus, optaretque ut diutiſſime magno publicæ Chriſtianæ rei beneficio vixiſſet. Tum Petrum ſolatus hortatuſque eſt (q), ut parentis optimi imitaretur virtutes, Romanam univerſalem eccleſiam obſequiis ac beneficiis complecteretur, eccleſiaſticis viris faveret, orphanorum & viduarum tutelam ſuſciperet, omneſque optimi principis partes impleret.

(o) *Pag.* 160.

Petrus Luſitanum ſceptrum capeſſit.

(p) *Jo. Marian. de reb. Hiſp. l.*17. *c.*1.
(q) *To.*5. *ep. ſecr. p.*161.

*Innocentius &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Portugalliæ illuſtri.*

Pontificiæ ad eum literæ.

*Claræ memoriæ Alfonſi Regis Portugalliæ patris tui ab hac luce tranſitus, quem nobis literas tuas fama præveniens nunciavit, gravi nos amaritudine, gravique mœrore conſperſit. Siquidem virtutes ejus, quibus dignitatem regiam illuſtrabat, debita conſideratione penſantes; ac proinde illum inter cæteros catholicos orbis terræ principes, charum acceptumque habentes, deſiderabamus attentius, ut longitudinem*

*tem-*

*temporum ei tribueret Dominus, & regni ſui dilataret terminos, paceque firmaret: ſicque cum plenus dierum, in ſenectute bona cum patribus ſuis illum (Deo vocante) quieſceret, natus pro patre filius gubernacula regni ſuſcipiens, illis feliciter præſideret. Sed quoniam vitæ mortiſque arbiter & diſtributor omnipotens, quem cum libuit, naſci dedit; eum cum placuit in dicto fine vitæ ad ſe (ut pie credimus) revocavit, dolori terminum ponimus, & in eo, qui dedit & abſtulit, conſolamur; ſperantes firmiter, quod ipſe, qui in terris poſitus ſtuduit operatione virtutum, & exercitio bonorum operum placere omnium Conditori, ab eo, apud quem nullum bonum irremuneratum eſſe conſtat, mercedis præmia eſt adeptus in cælis.*

*Quamobrem ſerenitatem tuam monemus & hortamur in Domino, illam attentius deprecantes, quatenus tu quoque, fili chariſſime, in Domino conſolationem recipias: & attendens, quod illi ſuccedis, qui ſe*

Hortatur ipſum ad virtutes dignas principe.

*totum exhibebat vita & moribus Chriſtianum, ſta ſemper in timore Domini: honora ſponſam ſuam ſanctam Romanam & univerſalem eccleſiam: perſonis eccleſiaſticis fave: jura & libertates earum illibate cuſtodi: pupillorum & orphanorum, viduarumque protector & defenſor exiſte: ſubditorum tuorum gravamina releva, & injurias deteſtare; ſicque ſine perſonarum acceptione, juſtitiæ verum exhibe te cultorem, quod nomen Regis implere operibus comproberis. Sic enim agens, temporum proſperitate lætaberis, & optata pace frueris, ipſumque Deum propitium amplius tibi conſtitues, & eandem eccleſiam ad honores & commoda tua promovenda reddes ſpeciali quodam debito promptiorem, &c. Dat. Avin. x. kal. auguſti anno* v.

XII. Diſtrictæ leges in Fraticellos. (a) An. 5. ep. cur. 12.

Hoc anno cœptum in Fraticellos, qui ementito religioſo cultu pravarum opinionum virus ſpargebant, judiciorum ordinem urſit Innocentius; atque encyclicis literis (a) in Italiam miſſis, archiepiſcopos, abbates, alioſque ſacerdotes, ad comprimendam illorum nequitiam excubias agere juſſit. Ii contra Apoſtoli oraculum, *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* hæreticorum more ſibi concionum habendarum munus ſine præſulum auctoritate arrogabant. De quibus hæc habet Innocentius (b): *Sibi officium prædicationis uſurpant, & contra catholicæ fidei puritatem varias inducunt ſectas, erroreſque varios damnabiliter ſeminant.* Commoniti etiam principes, urbium prætores, ac magiſtratus fuere, ut ad comprehendendos hos pſeudoprophetas ſtudio non deeſſent:

(b) Ib. ep. 11.
Horum princeps Thomas pſeudominorita exepiſcopus.

cumque Fraticellorum magiſter Thomas Franciſcani ordinis exepiſcopus Aquinas apud Albenſes cum ſociis impietatis delitefceret, Pontifex Albæ præſidi dedit imperia (c), ut eos vinculis traderet: quorum ſcelera hypocriſis involucro aureo ſubornata in luce collocavit.

(c) Ep. cur. 13.

*Innocentius &c. dilectis filiis nobili viro juſticiario comitatus Albæ, ejuſque locum tenentibus.*

*Turbavit jam diu, nec immerito, mentem noſtram rumor infeſtus, qui de nonnullis ſuperſtitioſis viris, Fraticellis vulgariter nuncupatis, per partes illas evagantibus, eorumque deteſtandis auſibus vulgabatur. Sed tanto nunc inde majori dolore perfundimur, quanto eorum damnata temeritas in adhærentium ſeu credentium eis multitudine ac præſumptionis audacia quotidie, ſicut accepimus, periculoſius invaleſcit. Intelleximus equidem quod hujuſmodi Fraticelli (quorum ille perditionis filius Thomas olim Aquinas epiſcopus dicitur dux & caput, & quorum nonnulli in comitatu Albæ & aliis terris tuis ſæpius ſe receptant) velut pſeudoprophetæ, a quibus juxta præceptum Domini attendendum eſt, ſub veſtimentis ovium lupinam rabiem tegentes interius, ſibique prædicationis uſurpantes officium, ac in cœlum os ponere non verentes, novas & damnabiles induxerunt & inducunt ſectas, erroreſque varios ſeminant, edocent & obſervant, & ſub cujuſdam ſimulatæ humilitatis habitu, fictiſque ſermonibus multos ſimplices decipiunt & ſeducunt, aliaque plura enormia dicunt, faciunt, & committunt, quæ in divinæ majeſtatis offenſam, catholicæ fidei detrimentum, ac præfatæ ſedis contemptum, animarum periculum & ſcandalum plurimorum cedere dignoſcuntur, &c. Dat. Avin. x. kal. novembris anno* v. Finxiſſe hos hæreticos ſe puriſſima ſancti Franciſci inſtituta ſectari, & ſimplices aſperiore Minoritarum cultu circumveniſſe, jam antea indicatum eſt, atque ex Lucæ Wadinghi hiſtoria confirmatur.

Ut pſeudoprophetæ mitti a Deo ad prædicandum mentiebantur.

XIII. Pia lex de ægrotis lata.

Addimus ad hujus anni calcem ex Matthæo Villano (d) inſtauratam Florentiæ academiam, quam aliquot ante annis Clemens VI. inſtituerat (e), latamque ſanctiſſimam legem, ut morientium animabus conſuleretur, ne medici duabus exceptis vicibus adirent ægros, niſi prius vocato ſacerdote conſcientiam expiaſſent incuſſa tranſgreſſuris quingentarum librarum mulcta: præterea annis ſingulis ſacramento a magiſtratu medici obſtringi juſſi ſunt. Quæ pia lex paulo poſt exolevit.

(d) Clem. VI. an. 8. l. 4. p. 2. lit. diverſ. form. ep. 83.
(e) Matth. Vill. l. 7. c. 92.

Re-



I. Reſtituta eſt pluribus populis pax anno a virgineo partu milleſimo treceteſimo quinquageſimo octavo indictione undecima: recepit enim e diuturno carcere emiſſum Regem ſuum Scotia: pacata felici fœdere Inſubria: Etruria compoſita: liberata inteſtino bello citerior Sicilia; Venetoſque inter & Ungaros poſt diuturna & atrocia prælia revocata concordia. Succumbere cœperat Veneta reſpublica diuturno attrita bello ſub Ludovici Ungariæ Regis potentia, & Jaderam ob quam ſuſceptum potiſſime erat bellum amiſerat, neque ulla ſecundorum ſucceſſuum ſpes collapſis rebus affulgebat. Exoravit itaque pacem (a), quæ iis legibus percuſſa, ut Ludovicus Ungariæ Rex marchiam Tarviſinam, quæ Romani erat imperii, quamque ille imperialibus erectis ſignis oppugnarat, Venetis permitteret: terras quas ſuas contendebat in Dalmatia & Iſtria ſitas una cum Jadertina arce quæ valido munita præſidio etiam capta urbe adhuc a Venetis tenebatur, reciperet: præterea obſtricti Veneti ad maritimam claſſem vigintiquatuor triremium numero, cum libitum foret, regio ſumptu inſtruendas.

Veneti Ungarico bello oppreſſi.
(a) Matth. Vill. l. 8. c. 30. Diar. MS. Ven. Append. ad And. Dan. hiſt. auct. in Jo. Delphino & alii.
Pacem a Lud. redimunt.

Feſſi etiam bellorum cladibus Inſubres in amplectenda concordia conſenſere (b): Vicecomites quidem, licet pollerent viribus, plures tamen in Pedemontio terras, ac Novariam, Ticinum, Novocomum, Savonam, Genuam amiſerant: captata quippe belli occaſione jugum Liguria excuſſerat. Fœderati viciſſim Genuenſes nimirum, Joannes marchio Montiſferrati, Ateſtini marchiones, Bononienſes, Ticinenſes, ac Mantuani ſumptibus triennalis belli erant exhauſti. Quievit tum Etruria, cum Senenſes, qui de Cortona cum Peruſinis magno tumultu contenderant, ab iis profligati, meliores pacis fructus decerpere maluiſſent. (c) Quo etiam tempore cum Androinus abbas Cluniacenſis rei militaris minus peritus eſſet (d), Ægidius Cardinalis iterum in Italiam legatus eſt ab Innocentio (e): & inteſtini tumultus in Sicilia citeriori prudentum virorum ſtudiis ſedati ſunt (f), ac poſt comitis Altimuri Palatini ignominioſam mortem (qua ille, qui ſe Regem Apuliæ dixerat, latronis inſtar papyracea corona, in qua deſcripta erant ſcelera, redimitus laqueo eſt præfocatus (g) Ludovicus Dyrrachinus princeps conjurationis particeps Ludovico Regi conſanguineo eſt conciliatus. At ulteriorem Siciliam inſulanorum diſcordiæ veteres laniabant, cum Meſſana, quæ ad juſti Regis, Ludovici ſcilicet generis Gallici, obſequium reverſa, illius partes tueretur: Catania vero Friderici principis Aragonii dominatum ferro flammaque firmare niteretur; ex quo maximæ clades ultro citroque acceptæ.

Inſubres ad pacem inclinant.
(b) Matth. Vill. l. 8. c. 57.
Pacata Etruria.
(c) Cap. 102.
Abbas Cluniac. rei militaris minus peritus.
(d) Ib. c. 103.
Ægidii Card. ſecunda in Italiam legatio.
(e) Eod. cap.
Siculæ turbæ compoſitæ.
Trinacria bello laniata.
(f) Ib. c. 53.
(g) Vit. Nic. Laur. c. 16.

Exagitabat etiam Gallias civilis furor: ad quem ſedandum Pontifex Talayrandum Albanenſem epiſcopum & Nicolaum tit. S. Vitalis presbyterum Cardinales omni ſtudio & contentione extremo anno ſuperiori dare operam juſſerat (h), ut delphinum ac Navarræ Regem inter ſeſe conciliarent, eumdemque delfinatus & Normanniæ principem, ut Cardinalium conſiliis ſe accommodaret, propoſitis ingentibus malis, quæ pareret diſcordia ſolicitavit (i), quo firmari cum Anglo fœdus, Joanneſque Rex libertati reſtitui poſſet.

II. Duo Cardinales ad ſedandas turbas legati.
(h) To. 6. ep. ſecr. p. 5.
(i) Ib. p. 6.

*Innocentius, &c. dilecto filio nobili viro Carolo duci Normanniæ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Francorum illuſtris primogenito.*

*Et ſi te gravis negociorum multitudo circumſtrepat, variæque ſolicitudines, ultra quam tenella adhuc ætas tua requirat, pectus tuum ad expedienda, quæ imminent multipliciter interpellentur; nihilominus tamen illud tuis ſemper infixum eſſe debet affectibus, ut genitoris tui liberationem procures quanto ardentius feſtinare, quæ una cum deſiderata nobis & toti Romanæ eccleſiæ pace inter ipſum & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum Regem Angliæ illuſtrem fienda, ex hujuſmodi diſcordiis, quaſi obſtaculis oppoſitis, recepiſſe veriſimiliter creditur tarditatem. Igitur, fili, ut liberationem præfati genitoris tui, & ſtatum pacificum ſuum ac tuum, & præfati regni videre dignius merearis, audi & vide, inclina aurem tuam in monita patris tui: nec te adeo conceptus ex quacumque cauſa juvenilis fervor incendat, ut non ſentias plura inteſtinis diſcordiis, quam exteris bellis regna & imperia, & ſæpenumero potentiſſimas ac famoſiſſimas toto orbe reſpublicas corruiſſe. Attende quanta ſit pacis dignitas, ſine cujus conſortio bona cætera facile pereunt & turbantur: neve velis, quantum tibi fuerit ex alto conceſſum, præfatum nobile regnum, quod* [*Deo annuente*] *annis ordine ſuo currentibus tibi felici dominio reſervatur, in manibus tuis taliter collabi, & ſuis in ſanguinem ſuum converſis viribus conquaſſari, ut ſibi nocuiſſe magis domeſtica ſcandala, quam arma hoſtilia videantur. Nos enim plenam gerentes de divina pietate fiduciam, ac ſedari hujuſmodi domeſticos turbines opportunis adhibitis remediis cupientes, venerabili fratri Talayrando Albanenſi epiſcopo, & dilecto filio noſtro Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali*

Monitus delphinus ut patrem liberet.

Civiles diſcordias componat.

Apo-

*Apoſtolicæ ſedis nuncii tractatum hujuſmodi, & ſtabilitionem dictæ concordiæ duximus committendum, qui nobiſcum in tantorum continuo excreſcentium malorum labore & afflictione participes, ad præfatam jungendam inter vos concordiam ſecundum datam eis a Deo prudentiæ plenitudinem inſudabunt, prout etiam non ceſſant ſinceris continuo affectibus inſudare. Datum Avin.* VIII. *kal. januarii anno* VI.

III.

(a) *Ib.p.7.*

Conceptæ ſunt eadem pene verborum forma literæ (*a*) ad Carolum Navarræ Regem, ut ruentis patriæ miſereretur. Sed ſprevit ipſe pontificia monita: ad Gallicum enim ſceptrum materno jure Anglico antiquiore contendebat, eoque licentius graſſatus in Gallos, quo imparatiores erant, cum rumor increbreſceret

Propoſitæ ab Anglo pacis leges.

Reges inter ſe de pace in Anglia conveniſſe: Eduardus enim Gallo has fœderis leges menſe majo propoſuerat (*b*), ut Normanniam, Anghienſem, Ghinenſem, atque Itienſem comitatus, ac ſexcenta aureorum millia adipiſcendæ libertatis cauſa traderet: quibus cum aſſentiretur Joannes Francorum Rex, mutuis Regum oſculis ſancita pax divulgata eſt.

(b) *Matth. Vill. l.8.c.51.*

Idem, ne mandentur operi, obſiſtit.

Fefellit tamen exitus omnium expectationem: licet enim Joannes ſincero animo rem ageret, Eduardus tamen cum civili bello ardere Gallias videret, illud magis inflammabat, ut eas ſibi ſubjiceret: utque violatæ pacis dedecus Gallo aſpergeret, obſiſtebat (*c*), ne pactum aurum contraheretur; & miſcebat Gallias, ſubmiſſo Regi Navarræ plurimo auxiliari milite, quo ille ſuccinctus late ferrum flammaſque circumferebat. Ea vero fama perculſus Pontifex, qui ex ſpe pacis ingentem perceperat lætitiam, ſe dolore ex novis tumultibus confectum Nicolao tit. S. Vitalis presbytero Cardinali, qui una cum Talayrando Card. epiſcopo Albanenſi apoſtolica legatione (ut dixi) fungebatur, ſignificavit (*d*).

(c) *Eod. l.8.c.101.*

(d) *Lib. 6. ep. cur. 12.*

*Pridem*, inquit, *exultantibus animis intellecto, quod Rege pacifico chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Joannis Franciæ & Eduardi Angliæ Regum illuſtrium corda tangente, ac tuæ & venerabilis fratris noſtri Talayrandi epiſcopi Albanenſis, quos ad Franciæ & Angliæ regna pro pace inter ipſos Reges, auctore Domino, reformanda dudum antea duxeramus velut pacis angelos deſtinandos, ad id operationis inſtantia laborante, pax & concordia inter Reges eoſdem inita fuerat & firmata; lætati ſumus in Domino, devotaſque ſibi laudes reddidimus, & vitulum labiorum. Sed poſtmodum pacis æmulo humani generis inimico inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Navarræ Regem illuſtrem, & dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Normanniæ primogenitum ſuſcitante rancorem, gravique inter eos commotione ſuborta, per quam non ſolum executioni pacis prædictæ impedimenta aut ſaltem obſtacula dilationis afferri, ſed & regnum ipſum Franciæ inteſtini belli furore, ex quo mala jam plurima ſunt ſecuta, & majora etiam non abſque animarum periculis ſecutura veriſimiliter formidantur, pernicioſe nimis conquaſſari timetur; gravis nos dolor arripuit, ac vexavit & vexat aſſidue turbationis vehementia mentem noſtram, &c. Dat. Avin.* III. *kal. ſeptembris anno* VI. Urſit eoſdem Cardinales legatos pluribus imperiis (*e*), ut ad delphinum ac Navarræ Regem in concordiam redigendos incumberent. At ipſi cum animadverterent Anglorum dolo conſumi labores menſe octobri ad aulam apoſtolicam ſunt reverſi.

(e) *Ib. to. 6. ep. ſecr. p.5.*

IV.

(f) *Matth. Vill. l. 8. c.101. Valſin. in Eduard. III.*

Quod ad res Anglicas ſpectat; tradunt authores (*f*) Eduardum in conviviis, ludis, atque haſtiludiis luxum explicuiſſe, dum duos Reges Gallum Scotumque bello captos oſtentabat. Reſtitutum autem hoc anno ab Eduardo Rege Angliæ libertati Davidem Regem Scotiæ, indicat Matthæus Villanus (*g*), cujus fœderis leges Hector Boethius his verbis perſtringit (*h*): *Communi conſenſu utriuſque regni David liberatus eſt undecimo ex quo captus fuerat anno, numeratis quingentis millibus marcharum ſterlingorum præſenti pecunia, tantumdem pollicens ſeſe per penſiones daturum, datis in fidem obſidibus.* Addit author reverſum in Scotiam Davidem ſeveritate uſum in eos, qui ipſum in prælio deſeruiſſent, ac Robertum Stuart a Roberto Bruſio Rege avunculo ſecundum regni heredem ſcriptum communi regni conſilio, ſi abſque prole maſcula obiret, hereditario jure ob præteritam culpam privaſſe, regnique jura in Alexandrum Sutyrland ex ſorore nepotem transfudiſſe, adactis in illius verba ſacramento proceribus; ſed eo immature ſublato, priſtina jura Roberto Stuart ſanguine conjunctiſſimo reſtituiſſe: coegiſſe præterea regni ordines, ut ſi Scoti aſſentirentur, regnum ad Angliæ Regis filium derivaret, cum id Eduardo eſſet pollicitus: ſed in medio procerum ſenatu tantam ex eo obortam indignationem, ut ſe numquam, dum tela in dextris geſtare poſſent, Anglo Scoticum Sceptrum permiſſuros exclamarent.

Scotiæ Rex libertati reſtitutus.

(g) *Eod. l. 8. c.36.*

(h) *Hector Boeth. hiſt. Scot. l.15.*

Detrectant Scoti Anglis ſubiici.

Oppreſſit porro Angliæ Rex, ut effuſos ſumptus ſuſtentaret, viros eccleſiaſticos, ex quibus Joannes Elienſis epiſcopus ad ſedem Apoſtolicam perfugit (*i*): motuſque illius querelarum æquitate Innocentius, nonnullos ſanctioris regii conſilii ſenatores feriit anathemate, atque eorum, qui cenſuris devincti obierant, corpora exhumari juſſit: qua ſeveritate exaſperatus Eduardus, ut ob ſucceſſus bellicos faſtu turgidus erat, iras concepit, eiuſque adminiſtri plura in apoſtolicæ authoritatis contemptum pertentarunt.

(i) *Vvalſin. in Eduar. III.*





V.

Clerus Angl. mendicantes vexat.

Nec levis etiam perſecutio religioſos viros mendicantes exercuit in Anglia, cum nonnulli clerici ſuffuſi invidia falſa in eos dogmata ventilarent [1]. De quo graviſſimis querelis pulſatam ſedem Apoſtolicam, Innocentius ad clerum Anglicanum ſcripſit (*a*): *Gravem*, inquit, *dilectorum filiorum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum ordinum fratrum querelam accepimus continentem, quod ipſi tam prætextu quarumdam prædicationum in regno Angliæ per nonnullos contra ſtatum dictorum fratrum, illum de facto depravantium & condemnantium, & non eſſe in ſtatu ſalutis falſo aſſerentium, olim factarum; quam quæſtionis, quæ inter venerabilem fratrem noſtrum Richardum archiepiſcopum Armachanum ex una parte, & fratres prædictos ex altera ſuper nonnullis articulis per partes ipſas hinc inde propoſitis coram quibuſdam ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ex commiſſione noſtra apud ſedem Apoſtolicam pendere dignoſcitur in confeſſionibus Chriſti fidelium audiendis, prædicationibus verbi Dei, & libera ſepultura, nec non & eleemoſynis ab eis fieri eiſdem fratribus conſuetis, quas eis facere aſſerunt mendaciter eſſe peccatum; contra juſtitiam impediuntur, & etiam perturbantur in ipſorum fratrum præjudicium, & maximam læſionem, &c.* His addit imperia Innocentius, intentata anathematis religione, ut ab his abſtineant, neve eorum privilegiis a ſuperioribus Pontificibus conceſſis detrahant, donec ab Apoſtolica ſede ſecus conſtitutum fuerit: quibus literis adjecta dies kal. octobris anno VI.

(a) *An. 6. l.1. ep. com. 282.*

Primas Hiberniæ iiſdem litem apud ſedem Apoſt. movet.

De mota a Richardo archiepiſcopo Armachano in Hibernia lite graviſſima ordinibus mendicantibus memorat Innocentii vitæ ſcriptor (*b*), & has affert cauſas, quæ ipſum in eam contentionem impulere: *Quia ſecundum eum in multis extendebant falcem ſuam in meſſem alienam, hoc eſt pluſquam a jure eis permittitur ſeu conceditur de pertinentibus ad eccleſias parochiales, earumque rectores, uſurpando ſibi: duravitque quæſtio hujuſmodi per aliquod tempus.* Conſentit ſubjectis verbis MS. Vaticani author (*c*): MCCCLVII. *novembris die octavo dominus Armachanus archiepiſcopus primas Hiberniæ quæſtionem cœpit coram domino Papa contra omnes ordines mendicantium.*

(b) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Quæ illum cauſa moverit.

(c) *MS. bibl. Vat. ſig. num. 3765.*

VI.

Exponit nitide hujus controverſiæ capita & argumenta præcipua Henricus Bictvvelt ordinis Prædicatorum theologus, qui de errore Joannis e Poliaco, de quo plura a nobis alias dicta ſunt, (*d*) locutus alium illi affinem ab Armachano confictum ait, confutatque; e quo hæc decerpimus; (*e*) *Alius error fuit Armacani, qui dictus eſt Richardus primas Hiberniæ, contra quem fecit & concluſit magiſter Guillelmus Jordani de Anglia coram Papa. Primo recitavit, ſed aſſerere non audebat, ut patet in ſuo ſermone coram Papa facto, qui incipit, Juſtum judicium judicate; propter condemnationem articulorum præmiſſorum Joannis de Poliaco, quod propter rationes, quas ſolvere non poſſet, ſequitur quod ſtante ſtatuto, Omnis utriuſque, quod populus parochialis a nullo peccato abſolvi poſſet niſi ſemel in anno confiteretur ſuo proprio ſacerdoti, ideſt plebano, propterea quia eſſet contemptus, qui eſſet peccatum mortale & unum non dimittitur ſine alio. Ergo quicumque confiteretur fratribus, adhuc prima omnia teneretur confiteri propter præceptum plebani. Et iſte differt a primo errore in hoc, quod Joannes de Poliaco negat poteſtatem abſolvendi in fratribus: ipſe autem concedit eos habere poteſtatem, ſed nihilominus etiam de abſolutis tenentur confiteri, ſuo propter cap. Omnis utriuſque, curato: & hoc probat multipliciter. Primo ſic: Voluntarium non tollit præceptum circa*

(d) *Annal. to.15. A. C. 1321. n.20. &c.*

Armacanus primas Hiberniæ.

(e) *MS. bibl. Vat. ſign. n. 4109. p. 262.*

Parochorum adverſus religioſos partes tuetur.



NOTÆ [1] AGendum hic ſuſcipit Annaliſta de lite in monaſtici ordinis viros mendicantes ab Archiepiſcopo Armachano coram Pontifice intentata. Quam tamen melius cum continuatore Nangii in annum præcedentem retuliſſet, cum, ipſo fatente ſcriptore geſtorum Innocentii, cujus verba Annaliſta hic recitat, anni præcedentis 1357. die VIII. Novembris idem Archiepiſcopus cauſam in adverſarios illos ſuos agitare cœperit Avenione. Diutius vero perſeveraſſe ſuſpicandi conjecturam ſuppeditat idem, qui ſupra, Nangii continuator, qui nondum ceſſaſſe deſignat quo tempore a ſcribendo ipſe abſtinuit, nempe anno 1368. Quod ſi admiſerimus, alterum plane ſuccenturiatum Armachano oporret, cum ille anno ſequenti exeunte 1359. in Montenſi Hannoniæ urbe deceſſerit, teſte Wadingo in Annal. ad A. 1357. quod & notat Bellarminus de ſcript. eccl. ubi de hoc Richardo archiepiſcopo. Vera tamen adnotaſſe credo Authorem codicis MS. Vaticani cujus verba Annaliſta hic laudat (quamquam ipſum judico Theodorici Niemii Chronicon, legendum apud Eccardum in corp. hiſt. med. ævi to. I.) ſcribentem, defuncto brevi poſt tempore archiepiſcopo, & vices ejus aſſumente nemine, litem jacuiſſe neglectam. Sunt tamen qui ſcripſerint Archiepiſcopum cauſam ſuam contra religioſi ordinis viros perorantem coram pontifice ſuccubuiſſe, cujus rei gratia *arreſtatus fuit authoritate apoſtolica in curia, & ibidem tandem miſerabiliter defunctus, quaſi incarceratus.* Verba hæc ſunt Hermanni Corneri, cujus chronicon, ad A. 1445. perductum, Eccardus in eodem corp. Hiſt. to. II. vulgavit. Sed hujus & ſimilium recentium ſcriptorum authoritas mihi ſuſpecta eſt, nec præferenda vetuſtis Hiberniæ Annalibus a Camdeno vulgatis, in quibus obiiſſe Archiepiſcopus in Montibus Hannoniæ traditur. Baluzius in notis ad vitas paparum Avenion. col. 950. nonnullos ſcriptores affert, qui deceſſiſſe hunc ſcribunt non quidem anno 1359. ſed anno 1361. MANSI

*idem. Ergo confeſſio facta fratri non tollit præceptum, Omnis utriuſque ſexus. Conſequentia patet, quia primum eſt voluntarium, ut patet per cap. Dudum; & per hoc præceptum idem revocatur in cap. Omnes, &c. Ergo, &c. Et ponit duo exempla, ſcilicet ter in anno in eccleſia parochiali offerre ex præcepto, & frequenter offerre de beneplacito in anno apud fratres: ſimiliter de audiendo miſſam in die dominico, & ex debito apud parochiam, ut per cap. Dominic. de parochiis, & eodem die audire apud fratres. Ex quo ſunt duæ affirmativæ, quæ ſimul ſe non impugnant, & quia utrumque eſt meritorium. Ergo meritorie iterari poteſt confeſſio ſicut & miſſæ & offerre. Et ſic duo ponit pro quæſtione quia Papa poteſt mandare, quod eadem peccata confeſſa reiterentur apud plebanum, quæ confeſſa ſunt apud fratres, ex quo ſub merito utrumque cadere poteſt: propter quod doctores frequenter perſuadent, ut ſæpius de eodem quis confiteatur, ut dicunt S. Thomas, & Bonaventura, & Auguſtinus lib. de pœnit. c.* IX.

Quæ fuerint ejus argumenta.

*Secundo probatur ſic, quia Martinus Papa IV. conceſſit fratribus bullam talem, ſcilicet quod confeſſi fratribus teneantur juxta cap. Omnis utriuſque, æque plebanis confiteri, & hoc ſic eſt fixum, ut dicit. Ergo. Et quia cap. Vas electionis videtur huic repugnare. Ergo concordantiam contrariorum petivit a Papa. Tertio probatur ſic: Si fratres dicerent, quod ſimul ſtare non poſſent, ſcilicet fratribus confiteri & eodem anno plebano eadem peccata, cum ipſi in ſtatutis habeant hoc, ut fertur, omnia peccata ſua ſimul confiteri prælato ſuo. Ergo & hoc. Quarto quia dominus Benedictus XI. in extravagante, Inter cunctas, dicit quod fratres hortentur populum, ut eadem peccata plebanis reiterent eis confeſſa. Ergo, &c.*

*Sed contra hoc, Primo quod peccata confeſſa fratribus non cadunt ſub præcepto reiterationis cap. Vas electionis, ubi Papa dicit, quod non tenentur reiterare, ſicut nec ille, qui proprio ſacerdoti eſt confeſſus.* Et infra: *Certior eſt determinatio eccleſiæ univerſalis, quam privatæ rationes doctoris, propterea alias de facili cedendum eſſet hæreticis, qui rationibus ſuis declarationem eccleſiæ impugnant, di.* II. *cap. Nolite.* Quis porro hujus controverſiæ fuerit exitus, narrat memorati ſupra MS. Vaticani auctor, dum ait (*a*), vita functum Armachanum nondum lite deciſa: quam cum nemo urgeret, ſopitam fuiſſe. Præcipuum vero illius argumentum, contemni nempe parochorum ordinem, ſi fideles apud viros religioſos conſcientiam expient, & apud parochos expiare abnuant, & noxam inde lethalem ſuſcipi, falſum patebat. Ipſum autem pio ductum ſecularis cleri majeſtatis obſoleſcentis reſtituendæ ſtudio, non livore in religioſos ordines permotum, putandum eſt: micuiſſe enim miraculis poſt obitum ferunt (*b*), atque de iis in examen adducendis Bonifacium IX. dediſſe imperia, ut ſanctorum cultus illi decerneretur. Tantum vero abeſt, ut privilegia mendicantium religioſorum reſciſſa fuerint ob intentatam ab illo actionem, ut potius novo diplomate pontificio confirmata, Walſingamus teſtetur (*c*). Extat vero illud in regeſto Innocentii, a quo Joannis XXII. in Joannem e Poliaco ſententia ad magiſtri Auguſtinianorum preces repetita (*d*), inſtaurataque.

(*a*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3765. *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

(*b*) *Vvad. ſub ann.* 1357. *n.* 8.

Confirmata mendicantium privilegia.

(*c*) *Valſin. in Eduard. III.*

(*d*) *An.* 2. *ep diverſ. form.* 342.

VII.

Thomas Ungarus Martyr.

In oriente ob defenſam fidem ac promulgatam inter Mahumetanos Thomas Ungarus, defectionis ad Mahumeticam ſuperſtitionem pœnitens, Chriſti fidem imperterrito animo profeſſus, ab Ægyptio ſoldano Alexandriæ cæſus glorioſam martyrii palmam una cum tribus Minoritis Nicolao, Franciſco, & Petro collegit (*e*): quorum ſacra corpora, dum a carnificibus ſecabantur, cœleſti ſplendore circumfuſa fuere. Quo etiam anno in occidente apud Belgas Gertrudes virgo piiſſima ſanctitate & miraculis illuſtris, ex hujus vitæ palæſtra ad immortalitatis bravium a divino Agonotheta vocata eſt, cujus felicem obitum deſcribit vitæ illius auctor his verbis (*f*): *Cum jam annos non paucos inter Beghinas egiſſet Gertrudis, in fervore & vitæ duritia atque ſeveritate haud vulgari, ad eam pervenit diem, qua erat itura ad ſponſum cœleſtem, de quo ſolebat & loqui ſuaviter, & pie meditari, & etiam canere dulciter. Itaque ſacroſanctis Chriſti munita myſteriis ad Beghinas ait: Sorores meæ, ego domum proficiſcor. Illis exiſtimantibus præ morbi dolore ſic eam loqui, dicentibuſque ipſam domi eſſe, rurſum ait ſana mente: Nequaquam ſum domi, ſed illic volo eſſe, ubi plateæ ſternuntur auro mundo. His dictis, paulo poſt ſpiritum ſuum Deo commendans in pace obdormivit, videbanturque in manibus ejus defunctæ tanquam eburnei digiti. Obiit anno a Chriſto nato milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octavo ipſo ſancto epiphaniæ die, humatumque eſt corpus ejus extra oſtium turris antiquæ Delphenſis eccleſiæ parte ea, quæ vergit ad auſtrum.*

(*e*) *Boz. de ſign. eccl. l.* 7. *c.* 3. *ſign.* 27. §. 14. *ex annal. Franciſc. Vvad. in annal. Minor. to.* 4. *hoc ann. n.* 4.

(*f*) *Apud Sur. to.* 7. *die* 6. *Jan.*

Gertrudis pia mors.





I.

ANno decimertii ſeculi quinquageſimo nono indictione duodecima, cum Eduardus Anglorum Rex fallacis pacis expectatione Francos deluderet, tacito primum deinde aperto eos bello confecit. Delphinus vero, repreſſis ſeditioſis (quorum princeps (*a*), cum ſe Jaquæorum Regem eſſe jactaret, ac plurimum cruorem fudiſſet, candenti tripode caput inuſtus, & ejuſmodi corona ignita a carnifice cinctus, ſoliique vice patibulum nactus, ſtultæ ambitionis pœnas dedit) ad conciliandam ſibi majeſtatem, facta prius a patre poteſtate, Gallicam coronam, ut regnum melius ab hoſte vindicare poſſet, ſuſcipere decrevit. Sumpta (*b*) inde eſt ab Eduardo Angliæ Rege occaſio vocandi in invidiam Gallos, qui fœderis ſuperioris cum Joanne Rege agitati leges aſpernarentur: atque in ſpem regni Francorum ſibi ſubijciendi erectus, florentiſſimum contraxit (*c*) exercitum, trajecitque menſe octobri in Gallias. Expoſito in terram exercitu, prædatrices Anglorum turmæ, quæ in Galliis graſſatæ erant, ipſius caſtris acceſſere (*d*): quibus maximis viribus ſuccinctus veluti ad ineundam regni poſſeſſionem Rhemos contendit, in qua urbe ſacro Francorum Reges perungi oleo conſuevere: ſed quam irrito exitu, dicetur ſequenti anno.

(*a*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet.*

Ambitioſi latronis ſupplicium.

(*b*) *Matth. Vill. l.* 9. *c.* 53.

Carolus regia corona redimitus.

(*c*) *Id ib. Walſing. in Eduar. III. Froſſ. hiſt. l.* 1.

Angli Regis expeditio in Gallias.

(*d*) *Vill. l.* 9. *c.* 37.

Rhemi obſeſſi.

Interea Carolus comes Alenconius regia ſtirpe Gallorum ſatus, caducarum rerum tædio affectus, rerumque divinarum contemplationi ſe totum addicere meditatus, Prædicatorum ordini nomen dedit. Ex cujus ſeceſſu Maria mater comitiſſa maximum dolorem percepit, conatuſque omnes, ut ipſum ad ſeculi curas & honores revocaret, adhibuit. At Pontifex, ut pium illius conſilium an juvenili levitate an ſpiritus Sancti inſtinctu conceptum eſſet, exploraturus Joannem marchionem Montisferrati rogavit (*e*) ut comitis animum pertentaret antequam tyrocinio religioſo egreſſus votis evangelicis ſolemni ritu ſe devinciret: *Licet*, inquit, *præfatæ comitiſſæ ejuſque filiis complacere, quantum cum Deo poſſumus, ac vaſſallorum & ſubditorum dicti comitis ſecuritati & quieti providere plurimum affectemus; nihilominus animarum ſalutem & vocationem Domini ſecularibus deſideriis & inanibus hujus mundi honoribus præponentes nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus ab eodem comite cures ſui propoſiti ſeriem diligentius indagare. Quod ſi illum inveneris evangelica proſequi conſilia, & mundum cum pompis & fallacibus ſuis illecebris voluiſſe, & velle conſtanti perſeverantia relinquere propter Deum; nos laudabile propoſitum ſuum multipliciter in Domino commendantes, nullatenus eum volumus ab incœptis diſtrahi, aut etiam aliquatenus impediri. Quinimmo noſtris eum conſiliis ad conſummanda quæ cœperit exhortamur, & per te cupimus ſimiliter exhortari, eumque egregii doctoris Hieronymi ſententiam ſuis quotidie auribus inculcari, per calcatum patrem eſſe pergendum; & licet ubera, quibus nos nutrierat mater oſtendat, ad vexillum crucis ſiccis oculis eſſe evolandum. Si vero, quod abſit, juvenilis ei hoc levitas perſuaſerit, ac deinde vel complexionis ſuæ debilitas, vel forte ignota ſibi prius religionis aſperitas ex nunc ſibi perſeverantiam interdicant; tunc eum tutioribus prævenire conſiliis, & debita providentia præmunire, ut ne peior priore in poſterum foret error, dum licet, ante ſtatutum a jure profeſſionis terminum futura provideat, & ſibi ac ſuis pro rerum gravitate conſulat, eadem nobilitas tua velit. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* x. *kal. julii anno* VII.

Alenconius comes religioſam vitam amplectitur.

(*e*) *Tom.* 7. *ep. ſecr. pag.* 50.

Illius conſtantiam tentari jubet Pontifex.

Inſigne etiam de mundi contemptu documentum dediſſe per ea tempora memorant (*f*) alium in Hiſpania regii ſanguinis principem, nimirum Petrum Jacobi II. Regis Aragonium filium Ripacurtiæ comitem, & Petri ſceptrum Aragonium ſuſtentantis patruum: qui temporum ſimiliter iniquiſſimorum pertæſus ſeculo abire in animum induxit: atque e vivis erepta Joanna conjuge comitis Fuxenſis ſorore, ac ditionem liberis ex ea ſuſceptis partitus, Minoritarum familiæ ſe aggregavit. Hæc pluribus Wadinghus (*g*) de tanto viro, de quo mentio alibi celebranda erit.

Petrus Regiæ Arag. princeps Minoritis ſe addicit.

(*f*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet. Wad. in annal. Min. hoc anno n.* 2.

(*g*) *Wad. ib.*

II.

Dum Petrus princeps in religionis portum ſe recipiebat, concitatum jam ante in Hiſpania (*h*) bellum recruduit. Avertendique in hoſtes fidei tanti diſcriminis ſolicitus Innocentius, Guidonem epiſcopum Portuenſem A. S. L. in Hiſpanias miſit (*i*); qui a Regibus honorifice exceptus cultuſque: de quo tum Aragonio tum Caſtellano nonis julii gratias egit Pontifex (*k*), ipſoſque hortatus eſt, ut ad pacis conſilia proniores ſe præſtarent. Graviſſima etiam ipſos ſolicitaſſe oratione ad vertenda in barbaros arma Cardinalem Bolonienſem refert Surita (*l*), ac de pacis legibus agitaſſe etiam: de quo bello deque legato ad illud ſopiendum miſſo memorat etiam Innocentii vitæ ſcriptor (*m*), qui præcipua tum ſuperiori, tum hoc anno ac ſequenti geſta cumulat. Nec modo Guidonem dare operam juſſit Innocentius, ut Reges ad concordiam adducere; verum, ut Caſtellanum ad ejectam a ſe Blancham Reginam recipiendam ur-

(*h*) *Matth. Vill. l.* 9. *c.* 10.

(*i*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet. Marian. l.* 17. *c.* 2. *Sur. l.* 9. *c.* 21.

Guido Card. ad Hiſpanias pacandas incumbit.

(*k*) *To.* 7. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 63.

(*l*) *Sur. l.* 9. *c.* 21.

(*m*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

(a) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 30. 100. (b) Ib. p. 29.

geret (a): quem etiam apoſtolicis literis hortatus eſt (b) ut Reginam uxorem moribus gravem, nobilitate illuſtrem, ut animæ ſuæ ſaluti conſuleret, ad ſe revocaret, atque ex divinis imperiis conjugali amore complecteretur.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri.*

Monita Caſtellano Regi data.

*Pii patris more, qui etiam obaudientem filium verbis ſemper ex eodem amoris fonte prodeuntibus pulſare, & in viam rectam quoad per eum fieri poſſit, reducere non deſinit oberrantem; eo minus tacere poſſumus, quo te per amplius gerimus in viſceribus charitatis. Suſcipe itaque, fili chariſſime, verba patris, quæ pro tuæ animæ ſalute & honore regio in tuam magnitudinem diriguntur. Poſitus es, princeps inclyte, ſicut & cæteri principum, quos in ſublime provehunt faſtigia dignitatum, in populorum gentiumque conſpectu, ut ſicut dominando præficeris, ita illis eſſe debeas in virtutis exemplar. Ex quo tibi majori eſt diligentia præcavendum, ut ſic Dei beneplacito te coaptes, ſic illius mandatis obtemperes, ne tuæ dignitatis titulis, & tot tantarumque virtutum donis, quibus excellentiam tuam ab ipſis indolis tuæ primordiis Deus ipſe de ſuæ munificentiæ largitate multipliciter inſignivit, poſſet in aliquo derogari. Conſiderare namque decet excellentiam tuam, fili chariſſime, ſi cum Reginam habeas verecundia famoſam, moribus gravem, & magnitudine nobilitatis illuſtrem, maritali tibi & inſeparabili connexione conjunctam, ad tuæ animæ ſalutem & regiam videatur decentiam pertinere, illam non tantum a conjugali thoro, ſed ab omni etiam tuo conſortio ſeparare. Nec illud minus attendere eidem excellentiæ tuæ convenit, & quia brevis & inſtabilis eſt, & omni mutabilitate fugacior vitæ præſentis excurſus, maturo conſilio providere, quod tu, in quo ſolo claræ memoriæ progenitorum tuorum titulus, & regiæ ſtirpis ſucceſſio conſervatur, ſpe tibi legitimæ prolis hujuſmodi abjectione uxoris adempta poſt ſolutum naturæ debitum regni tui ſucceſſionem, quod de fœmore tuo ducem præſtolatur & Regem, ad heredes extraneos non tranſmittas, &c. Datum Avin. VII. id. aprilis anno VII.*

De ſuſcipiendo regnorum hærede cogitet.

Repetitæ ſunt iterum a Pontifice eadem monita (c) extremo anno, ac legatus juſſus (d) divinum illius animo timorem inſerere: ſed durius adamante illius cor molliri numquam potuit: quocirca qui Pharaonis pertinaciam imitari non perhorruit, infelices illius exitus expertus eſt, ut ſuo loco dicetur.

(c) Ib. p. 99. (d) Ib. p. 100.

III. Inſtaurata Terraconen. eccleſiæ privilegia.

Interea Innocentius ad tuenda Terraconenſis ſedis privilegia, Romanæque eccleſiæ jura, ne vetuſtate temporum collatæ olim B. Petro principum pietate donationes ex hominum memoria delerentur, in quibus inſignis illa erat Berengarii Raimundi comitis Barchinonenſis, qui Terraconæ, divina ope ex Maurorum ſervitute ereptæ, ſupremum imperium in ſedem Apoſtolicam contulit; edito ea de re diplomate, illud Innocentius hoc anno pontificiis inſertum litteris (e) una cum literis Urbani II. qui beneficium admiſerat, divulgavit hac forma.

(e) Tom. 7. ep. ſecr. p. 119.

*Innocentius &c. ad futuram rei memoriam.*

*Tenores quarumdam literarum felicis recordationis Urbani Papæ II. prædeceſſoris noſtri, & quondam Berengarii Raimundi comitis Barchinonenſis in libro cenſuali apoſtolico, in archivis apoſtolicis exiſtente, repertas de libro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi & annotari præſentibus fecimus qui fuit tales: Urbanus epiſcopus, &c.* prætermittimus eas literas, cum a Card. Baronio in lucem fuerint editæ (f), inſcriptæque ſunt Berengario epiſcopo Auſonenſi ad Terraconenſem tranſlato; deque eccleſiæ Terraconenſis privilegiis agunt, quibus aliæ Berengarii Raymundi adiectæ an. MXC. conſignatæ. His addimus Pontificem ad reprimendos eos, qui aulam apoſtolicam ad jura imploranda adituros afficerent injuriis in Catalonia, Michaeli epiſcopo Barchinonenſi provinciam contuliſſe (g), ut anathemate ipſos defigeret.

(f) Baron. annal. to. 11. A. C. 1091. n. 9.

(g) To. 7. ep. ſecr. p. 50.

IV. Ludovicus Neap. cenſuris irretitus.

In Sicilia citeriori Ludovicus Rex contraxerat jam diu anathema ob non ſolutum conſtitutis temporibus Romanæ eccleſiæ cenſum, atque eccleſiaſticarum pœnarum, quæ animam feriunt, acerbitatem ſano vegetoque corpore non ſentiebat; cum gravi ægritudine percuſſum Deus ad expiandam quam intulerat eccleſiæ injuriam, poſcendamque veniam excitavit. Pie enim Chriſtiano more illum ad obeundam mortem ſe compoſuiſſe, pontificiæ ad Neapolitanum & Beneventanum archiepiſcopos oſtendunt literæ (h). At divina miſericordia, quæ Regem ipſum afflixerat ut in viam ſalutis aberrantem revocaret, non perderet, culpæ pœnitentem morbo erexit. Quo nuntio recreatus Innocentius graviſſimis eum literis monuit (i), ut ex præterito morbo meliorem vitam inſtituere diſceret, curaret valetudinem, ac damna eccleſiæ illata ſarciret.

Morbo correptus reſipiſcit. (h) To. 7 p. 1. ep. ſecr. pag. 22.

(i) Ead. pag.

*Excellenti principi Ludovico Regi Siciliæ illuſtri ſpiritum conſilii ſanioris.*

Salubribus inſtruitur monitis.

*Fili, quem utinam tam cito, quam libenter appellare chariſſimum valeamus, viſitavit te Dominus: & cum minus forſitan metuebas, ac vitæ longitudinem & bonæ ſpem valitudinis juvenilibus tibi perſuaſionibus promittebas, tunc invaſit incautum, & morbi vehementioris aculeo te percuſſit, ut per hujuſmodi ſuæ viſitationis antidotum te ipſum reformare curares in melius, prout catholicum decet principem, digito Dei tactus*



*ctus ferventiori cordis deſiderio, illi te pro viribus de cætero gratiorem redderes & coram percutiente devotius, diſciplinabilem exhiberes. Cognoſce igitur, princeps inclyte, viſitantem: intellige corrigentem, nec minus, ſi interius aſpicias, diligentem. Et qui conſtanti propoſito, ad quod te arctat, ut verbis tuis utamur, facta in Deo promiſſio, quod ſi ſupervixeris, in novitate vitæ melioris & beneplacito Dei ambulabis, ad omnem reverentiam & obedientiam eccleſiæ ſanctæ ſuæ in vitæ emendatioris ſemitas dirigere te diſponis, ita fac, ut laudabile hoc tuum propoſitum [de quo te paternis præconiis, & ſinceris affectibus commendamus] non ex ſervili timore, ſed ex filialis potius videatur dilectionis, ac reverentiæ fomite proceſſiſſe: nam niſi factis verba, & verbis facta reſpondeant; niſi ſemen divini timoris, immo amoris potius, in terram probetur fructiferam cecidiſſe, facile de miſerente facere poteris iraſcentem; & eum, qui te in extremo corporalis vitæ diſcrimine poſitum, ut utrumque hominem ſalvum faceret liberavit, indignationis acerbitate vehementius irritare.*

*Expergiſcere, fili, & quaſi Rex alter Ezechias, ad parietem Domini cum lacrymis & devotione convertere: ne obdormias. Jam tempus eſt, ut ſomnum mentis ſoporatæ diſcutias, & te ipſum ſatisfactione debita recognoſcas. Neque velis a tuorum ſplendore natalium: & a progenitorum tuorum, quos noſti in reverentia & obedientia ſedis Apoſtolicæ uſque ad ſolutum naturæ debitum fama perſtitiſſe celebri, ſemitis deviare. An forte, bonum tibi videtur, & titulis tuæ magnitudinis aſcribendum, ſi cum poſſis, ut debes, filius eſſe benedictionis & gratiæ, & apoſtolicis favoribus inter cæteros mundi principes confoveri, velis filius contumaciæ reputari? Non ſic, fili, non ſic: ſed exurge potius, & mentis oculis tui pectoris arcana circumſpice: honora eccleſiam matrem tuam, & magnitudinis tuæ thronum debita juſtitiæ adminiſtratione confirma. Nec recuperatæ jam forſitan ſoſpitatis inani perſuaſione fallaris, quo minus ſalutiferæ promiſſionis tuæ debita exequaris, cum ſcias quod in manu Dei conſiſtit languor & ſanitas, valetudo atque debilitas, mors & vita: & quod ſæpe ille extremo incomprehenſibilique judicio gravius homines ferit, ut pereant, quos primo levius percuſſerat, ne perirent. Dat. Avinion. III. kal. martii anno VII.*

V. (a) Matth. Vill. l. 9. c. 11. & 51. (b) To. 7. ep. ſecr. p. 1. pag. 19.

Exercuere porro Ludovicum gemina bella: hinc enim Fredericus (a) Aragonii ſanguinis princeps Catalanis auxiliis fultus in Trinacria Meſſanam ac Panormum vexabat; hinc fœderatæ vagorum militum turmæ Apuliam depaſcebant (b). Cui Ægidium Cardinalem auxiliares copias ſubmittere juſſit Pontifex (c) eidemque in Siciliæ regno legationis apoſtolicæ munus demandavit (d), ut prædones coerceret, ſtatumque regni componeret: diſciplinam eccleſiaſticam in priſtinum ſplendorem aſſereret: tum Fraticellos hypocritas reprimeret. De qua ipſi decreta provincia Ludovicum & Joannam, nondum ob intermiſſam vectigalis penſitationem, cenſuris ſolutos, certiores fecit (e).

(c) Ib. p. 39. (d) An. 7. ep. cur. 13.

(e) Ep. cur. 14.

*Innocentius, &c. excellentibus principibus Ludovico Regi & Joannæ Reginæ ſpiritum conſilii ſanioris.*

Neapolitani regni collapſus ſtatus.

*Cum ad audientiam noſtram & ſedis prædictæ infeſtus rumor deduxerit, quod in dicto regno & terris citra pharum, in quibus nos & Romana eccleſia majus & ſupremum dominium obtinemus, quæ multo jam tempore ſæva fuerunt tam ab exteris quam internis gentibus guerrarum & commotionum tempeſtate quaſſata, & adhuc, humani generis inimico turbatore quietis afflante, ipſius tempeſtatis reliquiæ multæ remanent, favillæ recaleſcunt, ſeditiones repullulant, vigent ſcandala, commotiones ſuſcitantur aſſidue, malorum furit audacia, publicæ quietis & juſtitiæ turbativa diſſoluta prædonum temeritas undecumque liberius debacchatur, & extra regnum etiam, ſolum inobedientiæ & rebelliones inſurgunt; & , quod fortius eſt dolendum, divinus ibidem cultus negligitur, hæreticorum quamplurium, & præſertim illorum, qui Fraticelli vulgariter nuncupantur, damnata rabies invaleſcit, eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum bona & jura violentis prædationibus exponuntur, & ut plurimum etiam clerici; eccleſiaſticæ diſciplinæ laxatis habenis, inhoneſtis actibus & vitiis ſe inquinant; nos mala hujuſmodi, & inde procedentia animarum pericula, ac fidelium ſubditorum excidia, rerumque lapſus & damna profundæ cogitationis moleſtiis attendentes, illiſque tanto diligentius remedium apponere cupientes,* & infra, *eundem legatum* [nempe Ægidium] *ad regnum & terras citra pharum prædicta tanquam pacis angelum & reformatorem eorum, ſibi in eis vices noſtras & plenæ legationis officium committendo, ut in ipſis evellat & deſtruat, diſſipet & diſperdat, deformata reformet, ædificet, & plantet, ac ſtatuat ſalubriter in nomine Domini,* & infra, *de ipſorum fratrum conſilio deſtinamus, &c.*] Addit univerſa edicta, quæ legatus pro temperando regni ſtatu ferret, a ſede Apoſtolica rata habitum iri. *Dat. Avinion. X. kal. maii anno* VII.

Ad eum reſtituendum miſſus Ægidius legatus.

VI. (f) Matth. Vill. l. 9. c. 2. 3. 4. 7. 26. ad 31. & 42. 45. 50.

Intulere etiam reliquæ Italiæ ingentem populationem alia palantium militum agmina, ductore Lando comite viro nefario, cujus excurſiones recenſet Matthæus Villanus (f), quaſque brevi narratione per-

(a) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 23.

perſtringit Innocentius in literis datis (a) ad Ludovicum Regem Ungariæ, cujus opem implorabat, cum Franciſcus Ordelaffus, ab Ægidio legato in anguſtias conjectus, ad retundendas vires pontificias prædonum ſociales turmas in auxilium vocaret.

(b) Matth. Vill. l. 9. c. 6. & 7.

Ordelaffi deditio.

Cæterum avertendi ab eccleſiaſtica ditione ſocialis latronum exercitus ſolicitus Ægidius Card. legatus, illum pacta quadam auri vi placavit: quod Villanus vitio tribuit (b): ſed neceſſitas eo Cardinalem adegit, cum Forumlivium ex Ordelaffi tyrannide liberare aliter non poſſet, niſi ab illius fœdere prædatrices turmas abſtraheret; quæ quidem illectæ promiſſo auro, cum jam Forolivienſes depaſti, vix quæ poſſent abſumere reperirent, diſceſſere. Ac tum Ordelaffus periculi extremi terrore cinctus, quippe qui Forolivienſium ob inductos in eorum domos prædatores fœderatos in ſe accenderat, miſericordiæ legati Apoſtolici, ſcelerum ſuorum veniam pactus, ſe commiſit (c). Ita redactum ad eccleſiæ obſequium Forumlivium eſt: quam urbem legatus magna celebritate IV. julii die, ut narrat Matthæus Villanus, ingreſſus eſt. Ex qua victoria Pontifex ingenti gaudio eſt affectus, atque Ægidio eſt gratulatus (d): *Licet*, inquit, *famæ volantis affatibus, ante tuarum literarum miſſionem, felix tuus ingreſſus in civitatem Forlivienſem, ad noſtram notitiam perveniſſet; facti tamen deinde ex ipſarum literarum ſerie certiores, gaviſi fuimus in Domino, & exultavit in illo cor noſtrum, cum ſperemus indubie, quod de cætero tam in Marchiæ, quam Romaniolæ provinciis, noſtris & Apoſtolicæ ſedis laboribus ſumptuumque profluviis Deus, eccleſiæ ſuæ gubernator & rector ac jurium ſuorum ſuæque juſtitiæ defenſator, finem propitiatus imponet. Tibi quoque [ ut quod interius gerimus, exterius exprimamus ] ſicut anxietatum multiplicium tuæ mentis non eſſe participes minime valebamus, ſic congratulari cogimur, qui tecum etiam in tuis turbationibus turbabamur. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis non. auguſti anno* VII. Confirmata ſunt a Pontifice (e) inita conventa ab Ægidio Cardinale cum Franciſco Ordelaffo, quem ait Matthæus Villanus (f) in publicis comitiis habitis Faventiæ a Cardinale legato flagitia ſua ſolemni ritu execratum; veniamque popoſciſſe: ac legatum clementiam in eum explicuiſſe, hæreſeoſque nota & cenſuris liberaſſe, injunxiſſeque ut ad expianda crimina deſignata ab eo templa Faventiæ pie luſtraret, ac preces in iis funderet: tum uxorem ac filios, quos in Cæſenæ expugnatione ceperat, reſtituiſſe. Deinde Imolæ inſignes provinciæ conventus habitos XVII. julii die, in quibus interfuit Jo. Olegianus Bononienſis præfectus, cujus opera Franciſcus Ordelaffus ad officium erat revocatus, atque in iis Ordelaffum Foripopulii ad decennium præfectura auctum: ſed illum inſigni perfidia apoſtolica clementia abutentem, redeuntemque ad vomitum inferius viſuri ſumus.

(c) Cap. 36.

(d) To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 71.

De ſubiecto Forolivio gratulatur Ægidio Pont.

Pontificia in Ordelaffum clementia.

(e) Ib. p. 73.

(f) Matth. Vill. l. 9. c. 36.

VII. Ludovicus Brand. ad Eccl. obſequium reverſus.

Conciliatus quoque eſt hoc anno Ludovicus marchio Brandeburgenſis eccleſiæ una cum uxore Margareta comitiſſa Charinthiæ, & cenſuris omnibus ac pœnis, quibus ob contractum legibus vetitum connubium, ac Ludovici patris, quem diuturno bello ac ſchiſmate eccleſiam afflixiſſe vidimus, ſecutas partes devinctus fuerat, ab apoſtolico internuntio ſolutus eſt, cum prius rite admiſſa antea ſcelera execratus, illa ſe expiaturum, pœnaſque injunctas ſuſcepturum, pollicitus eſſet; de quo hæc Cardinalis Baronius: *Anno Chriſti MCCCLVIII. ind.* XI. *injungitur pœnitentia, ut conſtrueret monaſterium Ludovicus marchio filius Bavari ob contractum matrimonium in tertio gradu conſanguinitatis. Extant de his literæ in libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ, &c.* Extant in tabulario molis Adrianæ earum autographum (g), & a Platina (h) juſſu Sixti IV. inter inſignia monumenta, quæ ad Romanæ eccleſiæ majeſtatem pertinent, collecta, inſertæ ſunt, producendæque a nobis in hiſtoriam viſæ.

(g) Ext. in arce S. Angeli.
(h) Et inter coll. Plat. l. 3. pag. 45. & lib. privil. Rom. Eccl. to. 1. pag. 227. & in M.S. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 553.

Ejus literæ.

*Nos Ludovicus de Bavaria primogenitus quondam Ludovici de Bavaria, qui pro Romanorum Imperatore, dum viveret, ſe geſſit, ſed judicio eccleſiæ reprobati, in præſentia coram reverendiſſimis patribus dominis Paulo Friſingenſi epiſcopo, & Petro abbate monaſterii S. Lamberti Salzeburgenſis diœceſis commiſſariis, ſuper infraſcriptis a ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatis, ſponte, humiliter, & ex certa ſcientia omnia & ſingula per vos, domine Paule epiſcope, & per dominum Fridericum comitem Ciliæ procuratores noſtros pro noſtra reconciliatione a, & cum dicta ſancta Romana eccleſia obtinenda olim per nos cum noſtro procuratorio ad dictam ſedem Apoſtolicam deſtinatos, procuratorio nomine noſtro coram domino Papa & reverendiſſimis patribus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, in præmiſſis nomine noſtro expoſita, confeſſata, recognita, aſſerta, & promiſſa, prout in dictis literis apoſtolicis continetur, de quibus omnibus reputamus nobis plene conſtare, & ea plene intelligimus ac ſcimus; ex certa ſcientia & expreſſe rata, & grata habemus, & ea omnia & ſingula perſonaliter ratifimus, ac in omnibus & per omnia approbamus, confirmamus, recognoſcimus, aſſerimus, promittimus, & juramento quod præſtamus ad ſancta Dei evangelia eis tactis confirmamus. Et nihilominus de novo in*

Promiſſa ab oratoribus confirmat.

*pro-*



*propria perſona confitemur, & recognoſcimus, quod olim propriæ ſalutis obliti, Deum & Romanam eccleſiam multipliciter & graviter offendere non formidantes, quondam Ludovicum genitorem noſtrum contra monitiones & mandata ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac proceſſus adverſus eum & ſibi obedientes, obſequentes, ac præſtantes auxilium, conſilium, & favorem, factos & habitos per eamdem, ſcienter habuimus, reputavimus, nominavimus, & recognovimus pro Romanorum Imperatore, eumque tamquam Romanum Imperatorem ad invadendum, occupandum, & detinendum Romanum imperium, ejuſque terras, loca, juriſdictiones, & jura, eaque ac alias terras, loca, & bona, quæ jure hereditario ſeu alias quomodolibet, dum viveret, poſſidebat; etiam poſt reprobationem de ipſo per dictam ſedem factam defendendum, cum noſtris perſonis, gentibus, & facultatibus pro viribus adjuvimus, ejuſque requiſitionibus, mandatis, & beneplacitis, quantum in nobis fuit, efficaciter obedivimus: ab ipſo quoque tamquam, ut præfertur, Romanorum Imperatore feuda recepimus, recognovimus, & tenuimus, & alias multipliciter eidem adhæſimus, obſecuti fuimus, & dedimus conſilium, auxilium & favorem; ipſumque, ac ejus conſiliarios, auxiliatores, fautores, & complices, ac eidem in rebellione ipſius contra dictam ſanctam eccleſiam Romanam adhærentes, gravibus ſententiis & pœnis a præfata eccleſia propterea prolatis & inflictis, multipliciter irretitos, receptavimus, fovimus & defendimus, ac cum eodem noſtro genitore divinis officiis, quamquam nos ambo eſſemus diverſarum excommunicationum vinculis irretiti, ſcienter & temere intereſſe præſumpſimus; illaque ſic ligati in terris & locis noſtræ juriſdictioni ſubjectis, licet ea ſciremus eccleſiaſtico fore, prout erant, interdicto ſuppoſita, celebrari, quinimmo quantum in nobis fuit profanari auſu temerario mandavimus & fecimus: & in multis guerris ac præliis, in quibus nonnullæ eccleſiæ, & eccleſiaſticæ perſonæ in earum bonis & juribus graviter moleſtatæ & damnificatæ fuerunt, perſonaliter extitimus, & ad ea frequenter noſtros ſubditos deſtinavimus.*

Veniam poſcit, ſi patrem Imperatorem appellarit.

Ipſi ut Imperatori inhæſerit.

VIII. Tridentum occuparit.

*Præterea confitemur & recognoſcimus, quod civitatem Tridentinam, & nonnulla oppida, caſtra, terras, villas, loca, bona, jura, & juriſdictiones, ad eccleſiam Tridentinam ſpectantia, occupavimus & per duodecim annos vel circa detinuimus occupata: ſed ea omnia nuper vobis reverendis patribus dominis commiſſariis prædictis, vice & nomine dictæ Romanæ eccleſiæ recipientibus, ſecundum præfati domini Papæ mandatum libere, realiter, & expedite reſtituimus, & aſſignavimus, ſeu aſſignari fecimus, prout noſtis: & alia bona ſpectantia ad capitulum dictæ eccleſiæ Tridentinæ, per nos, ſeu alios noſtro nomine, ſeu favore hactenus occupata & detenta, ipſis capitulo reſtituimus, aſſignavimus, tradidimus, & dimiſimus, ſeu per alios occupata noſtro favore tenentes aſſignari, reſtitui, & dimitti plene & libere fecimus, prout de hoc per literas eorundem capituli, eorum ſigillo munitas, clare & ſufficienter docuimus coram vobis. Et caſtrum Furſcemberg Curienſis diœceſis, ſpectans ad Curienſem eccleſiam diu etiam tenuimus occupatum, ſed illud jam diu libere & expedite reſtituimus venerabili in Chriſto patri domino Petro epiſc. Curienſi, prout de hoc per literas dicti epiſcopi Curienſis ejus ſigillo munitas docuimus coram vobis.*

Erepta eccleſiis reſtituere profitetur.

*Item confitemur, & recognoſcimus humiliter, quod olim cum nobili muliere Margareta duciſſa Carinthiæ ( quamvis ipſa & nos ſimul eſſemus in tertio conſanguinitatis gradu ex utroque latere conjuncti, & juſtitia etiam publicæ honeſtatis inter nos ex eo exorta fuiſſet, quod antea eadem Margareta per magnificum virum dominum Joannem marchionem Moraviæ nobis in quarto gradu conſanguinitatis attinentem, per verba de præſenti fuerat deſponſata, licet ab eodem domino Joanne fuiſſet poſtmodum judicio eccleſiæ ſeparata de facto ) matrimonium ſcienter & temere contraximus, & in eo per decem & ſeptem annos vel circiter contra jus, proceſſus, & ſententias per felicis recordationis, dominos Benedictum XII. & Clementem VI. Romanos Pontifices, ſeu alios eorum ſive alterius ipſorum authoritate & mandato, ſuper hoc contra nos & dictam Margaretam ſpecialiter habitos & prolatas permanſimus, & filios & filias procreavimus ex ea: & quod alias multipliciter contra proceſſus prædictos Deum verum patrem & dominum, ac præfatam Romanam eccleſiam omnium fidelium matrem & magiſtram, aliaſque eccleſias & eccleſiaſticas perſonas offendimus: propter quæ diverſarum excommunicationum, privationum, inhabilitationum in dictis præfatorum ſummorum Pontificum & aliorum, & aliis apoſtolica, ſeu alia quavis auctoritate factis & habitis proceſſibus contentas, ſeu alias ab homine & a jure, ac conſtitutionibus provincialibus & ſynodalibus ob præmiſſa latas & inflictas ſententias atque pœnas, & infamiæ notam damnabiliter incurrimus: a quibus ferventibus votis abſolvi, & liberari deſideramus, & ad ejuſdem Romanæ eccleſiæ gremium a quo imprudenter cecidimus, revocari; in eo tanquam devotus filius, perpetuis temporibus permanſuri.*

Contra fas duxiſſe Margaretam Carinthiacam.

Læſiſſe inique eccleſiam.

Cenſuras contraxiſſe.

IX.

*Aſſerimus etiam, quod non credimus, nec unquam credidimus, quod Romanus Imperator, etiam per dictam Romanam eccleſiam approbatus, Romanum Pontificem poſſit deponere, & eidem alium ſubrogare:*

Negat Pontificem poſſe exauctoraria Cæſare.

*re : immo credimus & reputamus hoc aſſerere, eſſe hæreſim damnatam, & ab eccleſia reprobatam : & quod nulli perſonæ unquam conſenſimus, nec conſentimus, nec in futurum conſentire intendimus in aliqua hæreſi per Romanam eccleſiam prælibatam, vel ejus authoritate damnata, vel etiam in antea damnanda :*

Schiſma ejurat.

*& omne ſchiſma in propria perſona abnegamus, ac dicimus & aſſerimus, quod de commiſſis hujuſmodi ſumus vere pœnitentes & contriti, & omnes pœnitentiam, ſatisfactionem, & emendam,*

Ad crimina expianda paratum ſe offert.

*quas nobis propter præmiſſa imponetis, pure, devote, & ſincere acceptabimus, agemus, & perficiemus cum effectu. Item ſponte aſſerimus, & promittimus, quod eccleſias, monaſteria, canonicatus, præbendas, & alia beneficia eccleſiaſtica, & alia omnia & ſingula, civitates, oppida, caſtra, terras, villas, loca, juriſdictiones, jura, & bona quorumcunque aliorum, eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum eccleſiaſticorum & piorum locorum & eccleſiaſticarum perſonarum, per nos ſeu noſtro nomine, mandato, permiſſione, conſenſu, auxilio, & favore*

Ad reſtituenda erepta eccleſiis.

*quomodolibet occupata ſeu detenta, ipſis eccleſiis, monaſteriis, & locis, ſeu perſonis, ad quæ ſeu ad quas ſpectant, plene, libere, & expedite ac realiter, ad mandatum veſtrum aſſignabimus, reſtituemus, tradimus, & dimittemus, & aſſignari, reſtitui, tradi, & dimitti faciemus, & ea redintegrabimus, & redintegrari faciemus ad illa, ac de fructibus, redditibus, proventibus, & bonis ex eiſdem eccleſiis, monaſteriis, canonicatibus, præbendis, & beneficiis, ac civitatibus, oppidis, caſtris, terris, villis, & locis aliis occupatis ac detentis, occupationis & detentionis eorum tempore per nos, vel alios noſtro nomine, mandato, permiſſione, conſenſu, auxilio, & favore perceptis & habitis, illis ad quos pertinent ſatisfaciemus & ſatisfieri faciemus ſeu cum eis concordabimus : nec ea, vel aliqua eorum in poſterum occupabimus per noſtros ſubditos, aut alios noſtro conſilio, auxilio, & favore, aliquove quæſito colore directe vel indirecte occupari permittemus ; & quod ſuper dicto præſumpto matrimonio, & ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis devote, & efficaciter parebimus mandatis prædicti domini Papæ ac eccleſiæ, atque veſtris : quodque ſanctiſſimo patri domino Innocentio Papæ VI. digniſſimo, & ſuis ſucceſſoribus canonice intrantibus, tanquam altius verus & catholicus Chriſtianus, fideles & obedientes erimus : & quod nullo tempore erimus in liga, ſocietate, ſeu confœderatione cum quibuſvis hæreticis per dictam Romanam eccleſiam denotatis ſeu denotandis :*

Pariturum ſe Pontifici ſpondet.

*nec eis, ſeu alicui per nos vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice, vel occulte, dabimus aliquod conſilium, auxilium, vel favorem : ſed quod de terris noſtris & noſtræ adminiſtrationi ſubjectis & ſubjiciendis univerſos hæreticos, per eandem Romanam eccleſiam, vel ejus authoritate denotatos, exterminare & etiam expellere pro viribus procurabimus.*

X. *Item offerimus, & ſolemniter promittimus, quod pro ſatisfactione injuriarum irrogatarum, & damnorum illatorum per nos Romanæ eccleſiæ prælibatæ, quandocumque per dictum dominum Papam ſeu officiales ipſius Romanæ eccleſiæ, in partibus Italiæ conſtitutos, fuerimus requiſiti,*

Mulctæ nomine centum equites ſuo ſumptu contra eccleſiæ hoſtes ſubmiſſurum.

*infra unum menſem a requiſitione hujuſmodi computandum, centum armigeros galeatos, viros fideles, ac in equis & armis bene munitos, quorum quilibet habebit unum ſocium armatum, & tres equos, ad quaſcunque partes Italiæ eidem eccleſiæ contra rebelles & hoſtes, & alias, prout fuerit expediens, fideliter ſervituros deſtinabimus, eoſque per duodecim menſes integros continuos vel interpolatos, ſecundum eorundem requirentium voluntatem, incboandos a die, quo iidem galeati intrabunt terras præfatæ Romanæ eccleſiæ, in hujuſmodi ſervitio retinebimus; eiſque de ſtipendiis & emendis, ac paghis duplis, ſi faciendæ occurrerint, providebimus noſtris ſumptibus & expenſis, &c. Dat. Monaci Friſingenſis diœceſis penultima die menſis auguſti anno Domini MCCCLVIIII.* Reliquos etiam Ludovici Bavari filios ad obſequium eccleſiæ rediiſſe, ac paternos damnaſſe errores; atque ita retuliſſe ampliſſimum triumphum eccleſiam de perſecutoribus ſuis, viſuri ſumus. Ex his aliiſque ſupra expoſitis refellendi recentiores (*a*), qui Ludovicum Bavarum inter legitimos Imperatores, contemptis eccleſiæ cenſuris, effutiunt. Solutam porro ad Ludovici & Margaretæ gratiam fuiſſe legem de impedimentis conſanguinitatis pontificia indulgentia, & Bavaros cenſuris liberatos, narrat Rebdorfius (*b*).

XI. Extinctis ſchiſmatis illius in Germania reliquiis, nonnulli nova ſcandala iniicere pertentarunt. De coitionibus initis in ſedem Apoſtolicam meminit Innocentius in literis ad Ademarum Metenſem & Joannem Argentinenſem epiſcopos datis (*c*), quos hortatur, ut ad eas diſſolvendas incumberent. Inſtillatum etiam eſt Carolo nonnullas apoſtolicas conſtitutiones a Clemente V. editas in dedecus imperii, ac præſertim Henrici avi Imperatoris opprobrium editas, in quibus Imperatores fidei ſacramento ſedi Apoſtolicæ obſtrictos decernitur, atque lata in Robertum Regem Siciliæ ab avo ſententia revocatur : quas ille ab Innocentio aboleri popoſcit. Cui Pontifex ipſas juri canonico inſertas, atque in publicis ſcholis legi ſolitas, conſtanter reſpondit (*d*), neque ulla ratione reſcindi poſſe. Impulſus quoque eſt Carolus, ut vitiorum, quibus notati eſſent

(*a*) *Georg. Hervacar. & Nicol. Burgundus in Lud. Bav.*
(*b*) *Rebdorf. in annal.*
(*c*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. p. 97 98.*
(*d*) *Ib. p. 72.*





eccleſiaſtici in Germania, caſtigandorum ſpecie, ſacerdotiorum vectigalia invaderet, libertatemque eccleſiaſticam labefactaret;

De inſtauranda apud Germanos eccleſ. diſciplina actum.

quamvis enim pietatis ſtudio Carolus ad reſtituendum eccleſiæ Germanicæ primævum ſanctitatis ſplendorem accendi viſus ſit : inita tamen ab ipſo ratio non ſecundum ſcientiam fuiſſe demonſtrat: qui enim Romanum Pontificem veterum Imperatorum more rogare debuerat, ut legatum apoſtolicum ad ea, quæ cenſura erant digna, emendanda mitteret, aut præſules hortatoriis literis ad id excitare, minacia edicta propoſuit, eccleſiaſtica vectigalia a laicis occupatum iri, ni clerus obſoletiores mores excoleret. Ex quo cum eccleſiaſtica res periclitatura foret, ac ſacerdotes laicorum licentiæ, calumniis, avaritiæ, ac latrociniis eſſent exponendi, Innocentius Cavallicenſem epiſcopum Apoſtolicæ ſedis in Germania internuntium ut occupata reſtituerentur, operam dare juſſit (*a*), Imperatoremque monuit ut ejuſdem internuntii conſiliis morem gereret (*b*), cœptaque revocaret (*c*).

*Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Habet fidedigna inſinuatio facta nobis, quod tua ſerenitas, attendens quoſdam clericos & eccleſiaſticas perſonas tam ſeculares quam regulares, in partibus Alemanniæ conſtitutos, effrænata quadam vivendi licentia contra eccleſiaſticæ religionis decentiam & clericalis habitus honeſtatem ſecularibus ſeſe actibus immiſcentes, ad coercendos illorum errores, & tranſgreſſiones temerarias refrænandas, imperialis ſolicitudinis operam adhibere fervore devotionis intendit, jamque ſuper his nonnullis prælatis earundem partium certas literas deſtinavit, comminationes ſequeſtrationis eccleſiaſticorum proventuum faciendæ per ſeculares principes continentes, ne clerici ipſi, qui tanquam Dei miniſtri eſſe debent cæteris modeſtiæ & gravitatis exemplar, in ſuam aliorum perniciem incorrecti ulterius per vitiorum lubricum gradiantur. Siquidem, chariſſime fili, zelum tuum, quem habes ad domum Domini multipliciter commendamus,*

Cæſarea ad id ſtudia converſa.

*dum tanquam princeps catholicus miniſtros eccleſiæ fore modeſtia graves, pudicitia nitidos, denique & moribus exemplares, ſtudio piæ devotionis affectas; ut qui dati ſunt ad abluendas peccatorum ſordes in aliis, ſuis ipſi maculis non ſordeſcant. Verum, cum tu defenſor egregius & zelator præcipuus eccleſiaſticæ libertatis exiſtas, decet excellentiam tuam accurata diligentia providere, ne per id, quod ortum ex puritate devotionis accepit, debitos tranſeundo terminos, noſtro & Apoſtolicæ ſedis honori, ac præfatæ libertati eccleſiaſticæ, quam potius defenſare te convenit, poſſit in aliquo derogari.*

*Ideoque magnitudinem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus ab hujuſmodi comminationibus ſequeſtrationis eccleſiaſticorum proventuum faciendæ, quod abſit, per ſeculares principes, de cætero abſtinens ; & ſi quid per comminationes ipſas attentatum forſan extiterit, quod non credimus,*

Monetur Carolus, ut ſuis limitibus regiam potentiam coerceat.

*cum id proculdubio foret illicitum, & in poſterum eidem libertati poſſit præjudicium non modicum generare, in ſtatum priſtinum reformare procurans, prælatos de quibus expedire ſublimitas tua cognoverit, debita charitate ſolicites & inducas, ut contra eoſdem tranſgreſſores ſui officii debitum exequantur ; ut taliter delinquentes ad cenſuram debitam remittendo, aberrantes etiam Chriſti miniſtros tractare videatis honorificentia debita propter Chriſtum. Nos enim, ad quorum ſpectat officium, ex injuncto nobis deſuper onere miniſterii paſtoralis prælatos prædictos per alias noſtras literas ſolicitatos reddemus & vigiles, ut ſuper hujuſmodi prædictorum clericorum & eccleſiaſticarum perſonarum exceſſibus limam correctionis intendant : alias tam contra prælatos eoſdem, ſi circa præmiſſa negligentes extiterint, quam eorum ſubditos, cum de eorum defectibus ſufficienter informati fuerimus,*

Sedem Apoſt. ſuo non defuturam muneri.

*apoſtolicæ proviſionis remedium tam ſolicite quam efficaciter curabimus adhibere. Cæterum eidem magnitudini ſuper præmiſſis per dilectum filium Guillelmum decanum Viſſegradenſem ambaſſiatorem tuum latorem præſentium noſtræ mentis intentio, quam eidem longiori ſermone duximus reſerandam, latius & apertius innoteſcet. Datum Avin.* XII. *kalendas maii anno* VII.

XII. Dabat igitur hæc imperia Innocentius Carolo Imperatori, non ut clerum Germanum in vitiorum ſordibus foveret, ſed ita eorum vitia corriperentur, ut eccleſiaſtica dignitas non violaretur; atque judicio præſulum, non laicorum ſacerdotes ſubjicerentur :

Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ in Germania data opera.

Germanos enim archiepiſcopos Colonienſem, Moguntinum, Bremenſem, Salisburgenſem, & Trevirenſem graviſſimis literis excitavit (*d*), ut in clericos, qui veſtium luxu ſuperbirent, inirent haſtiludia, vectigalia eccleſiaſtica in profanos ſumptus effunderent, vel in cœno impudicitiæ jacerent, cenſuram eccleſiaſticam exercerent.

*Innocentius, &c. venerabili fratri archiepiſcopo Treverenſi.*

*Nuper ad aures noſtras rumor infeſtus, de partibus Alamanniæ progreſſus fidedigna reſeratione perduxit, quod nonnulli, ſolo vocabulo clerici, & eccleſiaſticæ perſonæ, non ſolum in minoribus gradibus conſiſtentes, ſed etiam ad faſtigium paſtoralis dignitatis erecti de partibus prælibatis, effrænato quodam vivendi more libitum pro licentia capientes, & per diſſolutionis lubricum ſine ullo rationis imperio gra-*

(*a*) *To. 7. l. 2. ep. ſecr. pag. 38.*
(*b*) *Ib. pag. 38.*
(*c*) *Ib. p. 31.*
(*d*) *To. 7. p. 1. ep. ſecr. pag. 32.*

*dientes, neglecta clericalis honeſtatis obſervantia, & gravitate eccleſiaſticæ religionis abjecta, vitam ſuam, Deo & eccleſiaſticis myſteriis dedicatam, quibuſdam ſecularibus actibus contra ſacrorum canonum prohibitiones immiſcent, in ludis, haſtiludiis, torneamentis, ac aliis militaribus & prohibitis eis actibus, nec non in deferendis veſtibus ſutellaribus, & aliis quibuſdam a jure prohibitis ornamentis dilapidantes bona pauperum, & patrimonium Jeſu Chriſti in Dei offenſam, propriæ ſalutis diſpendium, & perniciosum populi talia conſpicientis exemplar.*

Luxus haſtiludiaque clericis prohibita.

*Nos igitur attendentes, quod qui tanquam Dei miniſtri poſiti ſunt ad abolendas maculas ſubditorum, immaculatam & irreprehenſibilem debent ducere vitam ſuam, & quaſi lumen accenſum ſuper candelabro poſiti, gregem dominicum ſibi commiſſum in viam rectam dirigere verbo pariter & exemplo; conſiderantes quoque quod ſæpe pejora malis addere ſolet impunitas delictorum, ac propterea hujuſmodi talium perſonarum exceſſibus debitis obviari remediis cupientes, fraternitatem tuam requirimus & hortamur attente, per apoſtolica tibi nihilominus ſcripta mandantes, quatenus juxta villicationis tuæ debitum, & incumbens tuis humeris onus miniſterii paſtoralis attenta diligentia & diligenti attentione te ſolicitum reddas & vigilem circa prælatos & clericos aliaſque perſonas eccleſiaſticas, cujuſcunque gradus & dignitatis exiſtant, tibi ſubjectos, ab hujuſmodi exceſſibus coercendos, ſi quos in præfatæ temeritatis laſciviam inveneris incidiſſe; ut a talibus actibus prorſus abſtineant, ſeculares hujuſmodi mores gravitati eccleſiaſticæ penitus indecentes abjiciant, & divinis obſequiis, vocationis ſuæ non immemores, integritate vitæ & geſtibus modeſtis intendant, correctionis tuæ limam in pertinaces & negligentes, prout ad tuum ſpectat officium, efficaciter impenſurus: ac etiam venerabilibus fratribus noſtris .. epiſcopis ſuffraganeis tuis mandaturus, ut circa ſubditos ſibi clericos, & perſonas eccleſiaſticas ſimilem curam adhibeant, & ad hujuſmodi corripiendos abuſus vigilanter advertant. Sic ergo diligenter exhibeas debitæ ſolicitudinis tuæ curam, & tuum miniſterium impleas in prædictis, quod apud nos, cum tolerare negligentiam non poſſemus, adhibitæ ſolertiæ præconium merearis, & contra delinquentes eoſdem aliud adhibere remedium non ſit opus. Dat. Avin. III. kalend. maii anno VII.* Hæc ſanciebat ſummus Pontifex ad laxiorem diſciplinam eccleſiaſticam adſtringendam, ut pio Caroli Imperatoris ſtudio obſecundaret: quem viciſſim imperialis muneris in tuendis eccleſiarum juribus contra potentiorum vim & injuriam admonuit. (a)

Præſules corruptos cleri mores emendare juſſi.

Monitus Cæſar, ut jus eccleſiaſticum tueatur.

(a) *Ib. pag.* 31.

XIII.

Non defuit cæſareo muneri Carolus Imperator, inſignem enim hanc conſtitutionem ad tuendum jus eccleſiaſticum tulit (b).

(b) *Ext. in M. S. Vall. & apud Gold in collect. leg. imper. to. 3. in Carolo IV.*

*Carolus IV. divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Boemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad imperialis majeſtatis audientiam pro parte honorabilium præpoſiti, decani, & aliorum prælatorum, & capituli Magdeburgenſis, Moguntinenſis, & Colonienſis eccleſiarum devotorum noſtrorum dilectorum per inſinuationem queruloſam ſuppliciter eſt deductum, quod ſeculares quidam, in poteſtatibus & officiis publicis conſtituti, videlicet duces, comites, & barones & alii domini temporales; nec non conſules civitatum, oppidorum, villarum, & locorum rectores dictarum Magdeburgenſis, Moguntinenſis, & Colonienſis provinciarum, Dei nomine poſtpoſito, ſtatuta ſingularia & iniquas ordinationes motu proprio & de facto contra perſonas eccleſiaſticas, eccleſiarum & locorum religioſorum libertates & privilegia condiderunt, eiſdemque publice & de facto inſiſtere præſumpſerunt contra legitimas, civiles, canonicas ſanctiones; ut puta, quod nulla bona temporalia in poteſtatem eccleſiaſticam transferantur, neve clerici in ſacris conſtituti ad agendum & teſtificandum in civilibus, & maxime in piis cauſis, aliquatenus admittantur: quod excommunicati laici, & publice denuntiati in civili foro minime repellantur.*

Inſigne ejus edictum.

*Item præfati domini temporales, conſules, & rectores per ſecularem poteſtatem res & bona clericorum occupant & arreſtant: oblationes fidelium diminuunt & reſtringunt: exactiones & tallias indebite & de bonis eccleſiæ & redditibus exigunt & extorquent: poſſeſſiones eccleſiarum & perſonarum earumdem devaſtant incendiis & rapinis: contractus inter clericos & laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum, & locorum recuſant inſcribere ac ſigillare: donata & legata ad fabricas & eccleſiarum ſtructuras contra prælatorum voluntatem & aliorum, quorum intereſt, præſumunt uſurpare contra juſtitiam in fraudem & odium clericorum; de rebus & bonis etiam clericorum, quas non cauſa negotiationis, ſed pro uſibus propriis per terras ducunt ſeu duci faciunt, telonium exigunt, & recipere non verentur, & confugientes ad eccleſias & cœmeteria inde extrahere contra ſanctiones imperiales præſumunt. Quæ omnia, & quælibet abinde ſecuta, cum per ſacras & civiles & canonicas ſanctiones expreſſe reprobata ſint, & in fraudem eccleſiaſticæ libertatis de facto præſumpta; de principum, ducum comitum, baronum, fideliumque noſtrorum conſilio ex certa ſcientia authoritate imperiali caſſamus, irritamus, & annullamus; caſſaque & irrita, & nullius eſſe momenti*

Laicorum in clericos coercita licentia.



*ti penitus deducimus, & expreſſe pronuntiamus: præcipientes ſub indignatione imperialis banni univerſis & ſingulis dictorum Magdeburgenſis, Moguntinenſis, & Colonienſis provinciarum & locorum vicinorum principibus & dominis temporalibus, conſulibus, & poteſtatibus, & in officiis publicis conſtitutis, quatenus mox, viſis & intellectis præſentibus, dicta ipſorum ſtatuta & ordinationes, ſicut in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis edita ſunt, omnino revocent & de luce tollant: quodque ſecundum ea non judicent amplius, nec ſententias dictent, aut eiſdem in judicio vel extra judicium quomodolibet pro ſe & contra eccleſiaſticam libertatem potiantur.*

Conſtitutæ in eos, qui clericis atrocem intulerint injuriam, pœnæ.

*Item pronuntiamus & declaramus imperiali authoritate, quod quicumque laicus, cujuſcumque ſtatus vel conditionis exiſtat, auſu ſacrilego & propriæ temeritatis audacia ſacerdotem vel clericum ſecularem vel religioſum diffidaverit vel captaverit, proſcripſerit, ſpoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujuſmodi maleficia perpetrantes ſcienter receptaverit, vel favorem in his eis præſtiterit, præter pœnas a ſacris imperialibus & canonicis ſanctionibus eis inflictas ſint ipſo facto infames & omni honore privati, nec ad placita vel concilia nobilium admittendi quovis modo.*

*Volumus etiam & hortamur & requirimus ipſos prælatos eccleſiaſticos, ut hanc noſtram legem & conſtitutionem in ſynodis & eccleſiis publicari procurent, & requiſiti executionem pœnarum & ſententiarum denuntient, ne in præmiſſis excedentes per ſimulatam ignorantiam ſuas malitias valeant excuſare. Nulli ergo, &c.* Intentata eſt contra molientibus quinquaginta marcharum auri puri mulcta: adjectiſque teſtium principum nominibus, conſignatum eſt hac loci & temporis nota diploma imperiale. *Datum Pragæ anno Domini MCCCLIX. indictione* XII. III. *id. octob. regnorum noſtrorum anno* XIV. *imperii vero* V. Hæc Caroli conſtitutio ad aſſerendam ordinis eccleſiaſtici immunitatem Bonifacii IX. & Martini V. Pontificum decretis (a) poſtea confirmata eſt.

(a) *Ext. apud eund. Goldaſt. ib.*

(b) *Inn. to.7. p.1. ep. ſecr. p.*53.

(c) *Cortuſ. hiſt. l.*10. *c.*3.

XIV.

Monitus Auſtriacus de reſtituendis eccl. Aquil. juribus. Reliquiæ SS. Hermag. & Fortunati eccleſiæ Grad. reſtitui juſſæ.

Solicitavit præterea Innocentius (b) Carolum, ut nonnulla oppida & agros, quibus Windeſgarz, Trivin, Wipacum, Venzonumque nomen erat, ab Auſtriaci ducis patre Alberto olim erepta, de quo meminit Cortuſiorum hiſtoria (c), retentaque a filio Rodulpho Aquilejenſi eccleſiæ reſtituenda curaret. Tum Ludovicus Ungariæ Rex ſolicitatus eſt (d), ut Auſtriacum ad id perpelleret, quem etiam graviſſime Innocentius urſit (e), ne amplificationem principatus animæ ſaluti præferret. Detinebat etiam alia eccleſiæ Aquilejenſis loca Gorithiæ dux ſibi obſtricta pignori a Nicolao patriarcha: cujus ſucceſſor Ludovicus cum ea repeteret, ducem Pontifex monuit officii (f): idemque ſanctorum Hermagoræ & Fortunati martyrum corpora, quæ Nicolaus e Gradenſi eccleſia ad Caſamatæ oppidum clam avexerat, Gradenſi eccleſiæ ad preces Venetorum reſtitui, inſtructaque religioſa pompa transferri juſſit (g).

(d) *Inn. to.7. ep. ſecr. pag.* 54.

(e) *Ib. p.* 55.



(f) *Pag.* 54.

(g) *Pag.* 27.

Non prætermittendum hic viſum eſt ex Rebdorſio (h) in Eyſtetenſi S. Walpurgis monaſterio in Germania ſacrum oleum, quod ex ſanctæ illius virginis ſepulchro ſtillare conſueverat, exaruiſſe XI. kal. aprilis aliquandiu ob quorumdam furum flagitium, qui æditum adorti, ut trucidarent, aliquot cum vulneribus ſauciarant; ſed poſtea imminente ejuſdem virginis feſto die ubertim profluxiſſe: *Propter quod* inquit, *ſtillicidium de reliquiis B. Vualpurgis conſuetum hactenus manare ceſſavit per quatuor ſeptimanas vel circa: & poſt octavas paſchæ, appropinquante feſto ejuſdem virginis, manavit ut ante. In octava pentecoſtes, S. Vunibaldi confeſſoris in Haydenhaim facta eſt tranſlatio in novum chorum.* Subdit author cum deferrentur ejuſdem ſancti lipſana, ſacrum balſamum e B. Walpurgis virginis magna copia ſtillaſſe.

(h) *Rebdorſ. in annal. hoc anno.*

Oleum e S. Walpurgis oſſibus manat.

Reliquiarum ejus tranſlatio.

XV.

Geſtæ ſunt hoc anno vario eventu catholicorum in ſchiſmaticos, Polonorum quidem in Moldavos, Ungarorum in Raſcios ac Servios expeditiones. Et quidem quod ad Moldavicam ſpectat, infelix ea exititit, quam Michovias (i), & Cromerus (k) deſcribunt. Succeſſit felicius Ludovico Regi Ungariæ altera expeditio (l) in Raſcios, adverſus quos a Romano Pontifice ſubmiſſa antea cruceata ſigna, & illum ſacri belli imperatorem creatum vidimus; ſed Danubium traiicere facile non poterat: cum duorum principum mutuæ inimicitiæ ipſi aditum præbuere. Hos Raſciæ Rex fruſtra diu in concordiam adducere conatus, iraque percitus faceſſere, ſeque invicem bello inſectari juſſit: ex quo, cum alter viribus potentior in æmulum infeſta ſigna circumferret; impar alter bello Danubiique accola Ungaricas copias excivit, quibus adverſarium profligavit. Mox etiam Ludovicus Rex Ungariæ menſe majo Danubii trajectu potitus (m) Raſciam, qua parte in æquam planitiem patet, victoriis percurrit, in montana nemorumque receſſus fugiente Serviorum Rege, in quibus ſcrutari hoſtem tutum erat. Ita victor Ungarus, cum nemo illi reſiſtere auderet, exercitum in Ungariam reduxit.

(i) *Michov. l.*4. *Polon. rer. c.*20.

(k) *Cromer. l.*12.

Ludovici Ungar. Regis in Raſcios expeditio.

(l) *Matth. Vill. l.* 9. *c.*22. & 32.

(m) *Eod. lib. c.*16.

Retulere etiam nobilem victoriam hoſpitalarii equites de Turcis in Græcia, quamvis longe numero impares: invecti enim quatuor tantum triremibus, atque oneraria, viginti novem barbarorum naves, dum in eas vicinorum agrorum prædas infere-

Turcæ ab Hoſpital. victi.

(a) *Ib. c.* 40.

ferebant, intercepere, ut narrat Matthæus Villanus: qui etiam addit (*a*) Ottomannum Megi poſt redactam in ſuam poteſtatem prænobilem Græciæ urbem ad Conſtantinopolim ſed conatu irrito excurriſſe, ſicque in Turciam revertiſſe.

XVI. Ad coercendas ejuſmodi Turcarum graſſationes Pontifex fideles orientales ad ſacram in illos expeditionem concitare aggreſſus eſt, ipſique promovendæ B. Petrum Thomam ordinis Carmelitarum epiſcopum Coronenſem in Peloponeſo, ſanctitatis opinione conſpicuum, demandato illi apoſtolici legati munere, præfecit (*b*): [1] cui ac partiarchæ Conſtantinopolitano, aliiſque archipræſulibus orientis Latinis de vindicanda contra impiorum conatus in ſuum ſplendorem religione has literas dedit (*c*).

(b) *An. 7. ep. cur.* 6.

(c) *Ep.* 27.

*Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Petro epiſcopo Coronenſi A. S. L. nec non patriarchæ Conſtantinopolitano, ac Nicoſienſi, Cretenſi, Smyrnarum, Patracenſi, Athenienſi. Thebano, Corinthienſi, Coloſſenſi, Nixienſi, Corphienſi, Duracenſi, Neopacenſi, & Neopatriæ archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis &c.*

Turcæ Græciam vaſtant.

*Dudum anxie cogitantes inſultus acerrimos, graviumque perſecutionum anguſtias & damna maxima, quibus Turcorum infidelium furor immanis fidelium Chriſtianorum populos illarum partium eorumque terras & loca, & præcipue Romaniæ civitatiſque Smyrnarum, ut illa ſuæ ſævæ poteſtati ſubjicerent, diu afflixerat, & quotidie crudelius affligebat; ut ipſorum infidelium obſiſteretur inſultibus, & infidelibus opportuna remedia pararentur, frequenter idoneos nuncios noſtros ad partes illas direximus, ac legatum conſtituimus ibidem, ſuffragia multa præſtitimus, alioſque fideles ad illa etiam ſolerter induximus tribuenda; & nonnullos alios in prædictis labores pertulimus, & quantum nobis poſſibile fuit, opem & operam adhibuimus diligentem. Sed licet hujuſmodi noſtra dictorumque fidelium ſtudia & opera fructuoſa felicem ſatis, auctore Domino, hucuſque progreſſum habuerint; tamen dictorum Turcorum ſæva rabies non tepeſcit, ſed tam ipſi quam nonnulli alii infideles & ſchiſmatici ad ipſorum & eorum terras & loca continuis invaſionibus atque damnis & afflictionibus perſequuntur: & non ſolum partes ipſas, ſed etiam patriarchatum Conſtantinopolitanum ejuſque provincias, in quibus Chriſtiani nominis favor viget, invadunt immaniter & percurrunt, Chriſtianos ipſos in ore gladii inhumaniter concidunt, alioſque velut animalia bruta vendunt, eoſque in feram ſervitutem redactos præfatam fidem abnegare compellunt: & ſacratiſſimam crucem, mortem redemptoris domini Jeſu Chriſti ac ſalutem humani generis indicantem, lacerant & confringunt, pedibuſque conculcant; eccleſias & eccleſiaſtica loca aliaſque terras & villas, quas per ſe tenere & cuſtodire non poſſunt, ignis incendio concremant, cunctaque depopulantur & vaſtant: & in tantum eorum invaluit & invaleſcit audacia, quod niſi per Chriſti fideles ſub ſpe divinæ potentiæ viriliter obſiſtatur eiſdem, peſtifer ignis ipſe ſemper ulterius excandeſcens, ſingulas partes ipſas proh dolor! diſſipabit, &c.*) Addita imperia, ut piam militiam profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent, noxarumque veniam bellicis laboribus promerendam, ſtipemve in ſumptus militares collaturis pollicerentur. *Dat. Avin.* V. *idus maii anno* VII.

De comprimenda ingraveſcente Turcica tyrannide extant aliæ pontificiæ literæ datæ ad eundem beatum Petrum Thomam, geſtis apud Raſciæ Regem (cujus faſtum, regios pedes aliorum more deoſculari ob ſedis Apoſtolicæ majeſtatem dedignatus tempſit) apud Venetos (quibus adverſa ni pacem cum Ungaro percuterent, prædixit) ad Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum (quem in Romani Pontificis obſequio diſcuſſis doctrinæ luce ſchiſmaticorum erroribus confirmavit) legationibus illuſtrem, de quo admiranda plura fideque digniſſima acta (*a*) recenſent, in quibus literis his elogiis ab Innocentio exornatur (*b*): *Ad te, qui vir timoratus & providus & in lege Domini, ipſaque fide catholica admodum eruditus, ac frequenter in arduis, & præſertim in illis partibus comprobatus, clarus ſcientia, plenuſque multis virtutibus prædicaris, noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris præhabita diligenti; tibi in eiſdem patriarchatu Conſtantinopolitano & regno Cypri & in Cretenſi, Smyrnarum, Patracenſi, Athenienſi, Thebano, Corinthienſi, Coloſſenſi, Nixienſi, Corphienſi, Duracenſi, Neopacenſi, & Neopatriæ archiepiſcopatibus, & eorum dictique patriarchatus provinciis, pro ſubſidio fidelium & partium earundem, omnem alium legatum in partibus illis deputatum revocantes*, extat ad Urſum archiepiſcopum Cretenſem de abrogata ei apoſtolica legatione pontificium diploma (*c*), *plenæ legationis officium auctoritate apoſtolica de dictorum fratrum conſilio committimus per præſentes; ut ibidem auctore domino recta regens, & indirecta dirigens in directa, & aſpera convertens in plana, ſicut diligens cultor evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas, ædifices & plantes quæ pro negotiorum hujuſmodi ac morum & eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum regni, patriarchatus, ac provinciarum, & partium prædictarum informatione & ſtatu, ac alias legati ad officium pertinent, & ſicut Dominus miniſtrabat, &c. Dat. ut ſup.*

(a) *Philip. e Mazer. in vita B. Petri Thom.*

(b) *An. 7. ep. cur.* 5.

B. Petrus Thomas creatus ad eos reprimendos legatus.

(c) *Ib. ep. cur.* 28.

XVII. De hac legatione apoſtolica in oriente B. Petro Thomæ demandata, cum ex Syria, ubi luſtrato ſepulchro dominico, concepto martyrii ſubeundi ardore evangelium Chriſti inferre Mahometanis niſus erat, rediiſſet ad curiam Pontificiam, ut Chriſti vicarium de re orientali faceret certiorem, meminit Philippus e Mazeriis (*d*) Cypri Regis ſcrinii præfectus: additque illum multa ſanctitatis documenta præbuiſſe in Cypro, adeo ut Armeni, Græci ſchiſmatici, & infideles lucem cœleſtem in cubiculum, in quo orabat, cœlitus delapſum ſe vidiſſe teſtarentur; idemque auctor præcipua ejuſdem ſancti legati geſta recenſet his verbis: *Ab eo tempore*, nimirum ex quo legatus ſedis Apoſtolicæ creatus eſt, *formidandum magnopere ſeſe exhibuit omnibus Chriſti Jeſu hoſtibus, cujus partes fortiter tueri ſtatuiſſet: multoſque fructus fecit, prædicando, docendo, diſputando, confirmante Deo & probante ſervi ſui verba pluribus ſignis & prodigiis. Modo ſacro regenerationis lavacro abluebat infideles, reducebat ſchiſmaticos, & hoc pacto eccleſiam Dei adaugebat. Ille idem fortiter & animoſe corporeis viribus decertabat modo Smyrnæ, modo Rhodi, modo Conſtantinopoli, modo in Cypro & Creta, modo inter Turcas cum multis aliquando triremibus, cum paucis. Aliquoties multas pertulit infidorum hominum, falſorumque Chriſtianorum calumnias & opprobria: multos exantlavit corporeos labores pro tuenda & augenda fide; multaque maris, bellorum, & hominum pericula ſubiit, & falſorum potiſſimum fratrum petitus inſidiis: & tandem divino roboratus auxilio tantum effecit, ut durante toto ſuæ legationis tempore, victoriæ ſemper de Turcisglorioſiſſimæ fuerint reportatæ. Præterea unum e maximis principibus Turcarum, dominum Ætiloci nuncupatum, vectigalia ſolvere coegit, quæ quidem nullus legatorum aut Chriſtianorum principum exegerat: & ab illo tempore maximi fecit in ſua patria Chriſtianos.*

Sanctitas B. Petri Thomæ comprobata prodigiis.

(d) *Philp. e Mazeriis in Petri Th. vita.*

Illius geſta in legatione orientali.

Ut Turcas repreſſerit.

Alti loci principem vectigalem eſſe coegerit.

XVIII. Perfunctus eſt adeo egregie contra Turcas apoſtolica legatione, ut creatum poſtea ab Urbano legatum in crucesignato exercitu adverſus Ægyptios, & in Alexandria expugnanda glorioſiſſima pro Chriſto vulnera accepiſſe viſuri ſimus. Nec minus ſtudii ad excindendos hæreticos collocavit, in quos hæc ab Innocentio imperia acceperat (*e*): *Cum te ad Conſtantinopolitanæ ac Romaniæ & nonnullas alias provincias atque partes, in literis tuæ legationis expreſſas, pro quibuſdam arduis catholicæ fidei & eccleſiæ Romanæ negotiis deſtinemus; nos cupientes, ut catholica fides in eiſdem partibus ex ſtudiis tuis, authore Domino, dilatetur extirpatis erroribus hæreticæ pravitatis, fraternitati tuæ inquirendi & procedendi, durante legatione hujuſmodi, contra quoſcumque hæreticos atque ſchiſmaticos, & de hæretica ſeu ſchiſmatica pravitate ſuſpectos, aut etiam diffamatos, ſeu qualitercumque in ipſa culpabiles, ipſorumque adjutores, fautores, & receptatores eoſdem; & ipſos & ipſorum quemlibet puniendi juxta canonicas ſanctiones & civiles, & ſpecialiter ſecundum conſtitutiones a quondam Frederico olim Romanorum Imperatore editas contra hæreticos, fautores, & receptatores eoſ-*

(e) *Inn. an. 7. ep. cur.* 30.

Ampliſſimis contra hæreticos mandatis fultus.

NOTÆ [1] QUæ hic narrat Annaliſta de legatione orientali S. Petro Thomæ demandata, ex authore geſtorum ejus Petro e Mazeriis paulo diligentius explicanda, & in ſuos annos accurate diſtribuenda ſunt. Igitur in literis Pontificiis, quas Annaliſta hic recitat, Petrus ille Epiſcopus, non quidem Pactenſis, uti prius, ſed Coronenſis appellatur, eo quod a pontifice legatus in Orientem deſtinatus, ſimul & epiſcopus Coronenſis renunciatus fuit in *augmentationem ſtatus ſui*, ut ſcribit Mazerius cap. VII. ex quibus verbis ſuſpicor utriuſque ſimul epiſcopatus Pactenſis, & Coronenſis curam geſſiſſe. Ea dignitate auctus Smyrnas prius, tum & Conſtantinopolim ſe contulit. Quæ omnes excurſiones eo tendebant, ut legiones in Turcas armaret, quod & præſtitit, nam valida collecta manu Lampſacum oppidum Aſiæ ad Helleſpontum, a Turcis occupatum aggreſſus expugnavit. Tum & navali commiſſo prælio victoriam, non ſine periculo reportavit. *Poſtea*, ſubdit Mazerius, *in Cretam contendit, ubi tantum adniſus fuit, ut hæreſim*, de qua in Annalibus, *& ſagaciter detexerit & feliciter extinxerit*. Id vero cum ſine magnis laboribus aſſequi non potuiſſet, contracto ex eorum gravitate morbo elanguit quo *circa feſtum Natale Domini* primum correptus, aduſque feſtum Paſchæ oppreſſus fuit. Eo appropinquante feſto, cum Hugo, Cypri Rex fatis jam conceſſiſſet, ejuſque filius Petrus in regno ſucceſſor regiam coronam de manu legati accipere optaret, nondum plane reſtitutus ſanitati, regis tamen votum explere conſtituit, quod illi percommodum fuit ope S. Georgii a quo valetudinem, ſtupentibus ad prodigium omnibus, ſubito impetravit. Ex hac Mazerii relatione diſcimus, Hugonem Cypri regem aliquandiu ante Paſcha anni hujus 1360. obiiſſe; cum enim, teſte Mazerio, Petrus ejus filius, patre jam vita functo, in feſtis Paſchæ regiam unctionem, & coronam regni Jeruſalem obtinuerit; id utique de Paſchate anni 1361. accipi non poteſt. Hugone enim diu ante menſem Julium anni 1360. fatis functo, ut demonſtrant literæ Bonifacii ad Petrum datæ, & in Annalibus recitatæ ad A. 1360. 13. ejus ſucceſſorem regiam unctionem ad Paſcha anni ſequentis diſtuliſſe quis credat? Aptius igitur reputaremus Petrum feſtis paſchalibus anni 1360. regiam unctionem & coronam regni Hieroſolymitani (nam Cypri coronam ante patris obitum eo remittente acceperat) ſibi procuraſſe. Ex quo pariter reſultat legati in Turcas expeditiones, ejuſque de hæreticis Cretenſibus animadverſiones, quæ morbum ejus, quo ante natale Domini anni 1359. elanguit, præceſſerunt, ad annum eumdem 1359. pertinere. MANSI

*eoſdem, dum adhuc in ſedis Apoſtolicæ gratia Fredericus perſiſteret, nec non & juxta formam privilegiorum ſedis Apoſtolicæ conceſſorum inquiſitoribus hæreticæ pravitatis; & invocandi ad hoc, cum opus fuerit, auxilii brachii ſecularis*, & infra, *plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem, &c. Dat. Avin. v. id. maji anno* VII. Accepta hæc ab Innocentio mandata B. Petrus Thomas adeo ſtrenue perfecit, ut fœdam hæreſim in Cretæ inſula obortam flammis repreſſerit, ut ejuſdem vitæ acta referunt (a).

(a) *Philip. e Mazeriis in Petri Th. vit.*

XIX. Nova hæreſis ab eo in Creta extincta.

*D. Petrus Thomas, plurimum in ſua legatione commendatus, audivit quandam hæreſim diris execrandam in Creta pullulare tum potiſſimum inter nobiles & primarios illius inſulæ. Cupidus ergo iſtius hæreſeos germen radicitus evellendi, poſthabitis omnibus aliis ad legationem ſuam ſpectantibus negotiis & rebus, ſpreta etiam corporis morte, Candiam Cretæ urbem venit impavidus, quam in urbem fuit non ut legatus aut amicus, ſed ut hoſtis exceptus. Dux Cretæ cum minis & ſuperbia ei locutus eſt; ſed Dei ſervus, ſapienter rem diſſimulans, de falſo hoc & perverſo dogmate ſtudioſius inquirebat. Quo quidem comperto jubet omnes coram ſe convocari hæreticos quicumque in dicta urbe degebant: inter quos præcipuus erat quidam uxoris ducis cognatus. Congregati ergo hæretici maxima cum indignatione & faſtu comparuere. Sed D. Petrus Thomas, piis eos & amicis verbis affatus, de ſua doctrina rogat. Sed illi, verborum amorem & benignitatem aſpernanti, valde arroganter & non appoſitam fecere reſponſionem. Tunc B. Petrus Thomas, ſeparatim eos audire cupiens, a duce totius eccleſiæ Romanæ nomine præſidium petit. Dux vero, his acceptis, in furiam actus eſt, & peſſimo uxoris ſuæ conſilio D. Petrum Thomam adiit multa minitatus mala, & comminatus ei vehementer, omni ope denegata in terra. Hæreticorum fautores peſſime rumorem ſparſerunt per urbem & per totam inſulam, nec alia fiebant verba, quam ut D. Petrus Thomas cum ſuis omnibus internecione deleretur.*

Ejuſdem conſtantia.

*Videns autem D. Petrus Thomas ſuos omnes puſillanimes & timidos, confortavit & animoſe cohortatus eſt, ut mortem ſi foret opus, pro religione catholica fortiter oppeterent. Poſtera luce, divinam & eccleſiæ ſanctæ virtutem omnibus patefacere volens ducem ipſum & univerſam civitatem ferivit anathemate juſſitque omnes eccleſias claudi, probibens ne pulſarentur campanæ; & hanc dominationem ſubhaſtari voluit,*

Severitas in hæreticos.

*his verbis ad ducem uſus maximo univerſorum terrore & metu: Eccleſia Romana concedit regna fidelibus, & eadem aufert a perfidis: etſi forte pertinacem te præſtiteris & hæreſum fautorem, ſummus Pontifex auferet a te Cretenſe dominium, & tradet aliis melioribus. Hæc verba tantum metus & timoris incuſſerunt duci, ut pœnitentia ductus, venerit ipſemet rogatum veniam D. Petrum Thomam. Qui quidem excepit illum humanitus & benigne ad ſummam hæreticorum ignominiam & dedecus: qui fuerunt omnes ad ignem damnati. Sed illi errorem ſuum & culpam deteſtati, veniam rogantes, impune tulerunt, miſericordiam conſecuti præter unum uxoris ducis cognatum, qui pertinacior factus & in hæreſi obſtinatus igne vivus eſt abſumptus. Divus autem Petrus Thomas exuta penitus ex animis hominum impia hareſi, dictaque inſula lumine fidei colluſtrata, ex Creta profectus eſt cum omnium amore & ſingulari benevolentia, laudibuſque innumeris. Inter eundum autem per aliquam Cretæ urbem nomine Canilam iter habuit, ubi juſſit effodi cadaver defuncti cujuſdam hæretici, cujus oſſa juſſit igne cremari præ ſummo ſuo fidei Chriſtianæ, divinique nominis zelo.* Hactenus Philippus e Mazeriis de geſtis B. Petri Thomæ apoſtolici in Græcia, Cypro, Creta & aliis orientalibus oris legati, ut hoſtes fidei edomaret, hæreticos excinderet, ſchiſmaticos ad ſalutis tramitem revocaret. Cæterum ut B. Petro Thomæ in Creta, Cypro, Græcia inquirendi in hæreticos injunctum munus vidimus, ita Philippo ordinis Prædicatorum authoritas commiſſa (b) in Cumania ac Tartarorum Perſarumque imperiis, ut in hæreticos cenſuram fidei exerceret. Ex quo patet, diſciplinam eccleſiaſticam in hæreticorum, qui inanis gloriæ vel commodi ſtudio peſtifera dogmata comminiſcuntur, coercenda temeritate maxime viguiſſe.

(b) *An. 5. ep. cur. 51.*

Cum vero in oriente plures mercatores ferendarum infidelibus mercium facultatis obtentæ a ſede Apoſtolica occaſione avaritia obcæcati varia telorum & armorum genera infidelium oris inveherent, quibus res Chriſtiana lædebatur, Pontifex eccleſiaſticas cenſuras, aliaſque pœnas a prædeceſſoribus conſtitutas hujuſmodi prævaricatoribus incuſſit, quas archiepiſcopis Patracenſi in Achaja, Nicoſienſi in Cypro, Colocenſi in Dalmatia, Cretenſi in Creta, Cæſarauguſtano in Hiſpania, Narbonenſi in Gallia, Neapolitano, Capuano & Salernitano in Sicilia, Ægidio Cardinali A. S. L. in reliqua Italia divulgandas tranſmiſit (c) addita hac cauſa: *Attendentes, quod communis utilitas eſt privatis commodis præferenda quodque abſurdum eſt penitus & indignum, quod bujuſmodi licentiæ gratioſæ conceſſæ in detrimentum fidelium & utilitatem infidelium convertantur, &c.*

Vetitæ merces infidelibus invehi.

(c) *To. 7. ep. ſecr. p. 91.*

Publica privatis anteferenda.

Anno



I. Rhemorum urbs fruſtra oppugnata ab Eduardo.

(a) *Matth. Vill. l. 9. c. 83. 85. 98. Vualſing. in Eduard. III. & alii.*

ANno a virgineo partu milleſimo trecenteſimo ſexageſimo indictione tertiadecima concuſſis Anglico turbine, impulſiſque in extremi exitii diſcrimen [1] Galliis, optata quies divino nutu reſtituta eſt: cum enim Eduardus corripiendæ vi & armis, ut vidimus, Gallicæ coronæ cupidine arderet, ac menſe januario cœptam Rhemorum urbis, in qua Reges ſacro balſamo liniri ſolent, obſidionem irrito tamen conatu produxiſſet; infeſta ſigna per Burgundiam, Pariſienſem agrum, aliaſque provincias populabundus circumtulit (a). Tum vero divinum Numen Galliam ſua providentia texit, nec levibus ſignis: nam *viſum eſt*, inquit Mayerus cæteroqui Gallici nominis æmulus, *orbatæ atque oppreſſæ Galliæ cœlum veniſſe ſuppetias*; tanta quippe tempeſtas concitata eſt, ut homines & equos proſterneret, ac necaret plures: quo territum Eduardum Regem votum admittendæ pacis, quam paulo ante in caſtris apud Pariſios repudiarat, addita ea voce, non ſe illius leges accepturum, ſed quas vellet daturum, concepiſſe referunt (b). Cujus etiam tempeſtatis meminit Walſingamus his verbis (c): *In craſtino octavæ paſchæ convertit ſigna cum exercitu verſus Aurelianum, prædando, vaſtando, & igni conſumendo plurima. Quo tempore ingruebat tam ſæva tempeſtas & inaudita, ut plura millia hominum & equorum in Regis exercitu itinerando perirent, ſubito mortua corruendo præ frigoris imminentis aſperitate. Quæ tantum Regem & ſuos terruerunt, quin procederent cum incœptis.* Subdit author paulo poſt apud Carnutes in caſtris pacem ab Eduardo Rege initam: ad quam firmandam miſſi ab Innocentio Papa Androinus abbas Cluniacenſis, & Hugo Gebennenſium principum ſtirpe ſatus Hautonii dominus.

In eum pugnat pro Gallis cœlum.

(b) *Froiſſ. hiſt. l. 1. in Jo. Paul. Æmil. in cod. Meyer. l. 13.*

Vovet pacem ſe illis daturum.

(c) *Vualſin. in Eduard. III.*

Androinus vero impoſitum munus adeo egregie obiit (d), ut menſe majo apud Carnutes fœdus percuſſum ſit. Servatum ritum ad illud ſanciendum deſcribit his verbis Walſingamus: (e) *Rex*, nimirum Anglorum, *annuit ut juratis in corpore dominico partibus, tactiſque ſacroſanctis evangeliis, pacta ſtabilirentur. Mittuntur igitur ex utraque parte, Angliæ videlicet & Franciæ, duo barones: duo quoque milites corporale ſacramentum domini Caroli regentis Franciæ primogeniti Joannis Regis ejuſdem, ac domini Eduardi Regis Angliæ audire & admittere. Pariſiis igitur celebrata ſolemni miſſa, dictoque ter*

*Agnus*

Androinus abbas pro ea promovenda miſſus.

(d) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

(e) *Vualſin. in Eduard. III.*

NOTÆ [1] Pacis hoc anno initæ inter Gallos & Anglos acta publica in lucem extracta legenda occurrunt apud Martene Anecdot. to. I. col. 1422. & ſeq. Primo quidem ſeſe offerunt literæ Joannis Gallorum regis adhuc in Gallia captivi, quibus Carolo filio ſuo cæteriſque Galliarum principibus facultatem impertit, ut cum Anglo pacem tractent, atque componant. Signantur illæ die prima Aprilis 1359. ſtatim vero ſuccedunt literæ patentes ejuſdem Caroli cæterorumque Gallorum, teſtantes conveniſſe ſe cum Anglis de induciis a die, qua literæ illæ ſignatæ ſunt uſque ad proximum feſtum S. Michaelis, & ex inde uſque ad recurrens feſtum S. Michaelis ſuccedentis anni 1361. Datæ ſunt Carnuti die VIII. Maji 1360. Proxima his legitur ſponſio Joannis regis, fidem ſuam obſtringentis, numquam ſe in libertatem aſſerturum, rege Angliæ inſcio vel nolente; quin & pollicetur, ut ſi forte extra ditionem vel poteſtatem ejuſdem regis rapi ſe vel efferri contigerit, continuo Londinum rediturum nulla interjecta mora, nec etiam obſiſtente diſpenſatione ab ipſo etiam pontifice obtenta. Pertinent hæc ad diem XIV. Junii 1360. Qua pariter die ambo reges initas apud Berniacum prope Carnutum inducias, ſeu ut ibidem legitur, *tractatum pacis*, die VIII. Maji ratas habuerunt & firmas. Ejuſdem rei extant publicæ tabulæ, ſignatæ Londini eodem ipſo anno menſe & die. Pacis hujus Carnutenſis authores ſuaſoreſque in literis illis induciarum Canuti obſignatarum die VIII. Maji anni 1360. memorantur Abbas Cluniacenſis, Hugo Genuenſis, & magiſter Ordinis Prædicatorum, qui a pontifice nuncii & pacis ſequeſtres veniſſe ibidem aſſeruntur. Ita vero rebus compoſitis, rex Joannes aliis in literis, ibidem legendis, ad Repellenſes miſſis, teſtatur Caletum ſe veniſſe die VIII. Julii, deductum ſumptibus regis Anglorum, ut erat ante conventum, ut idem rex Joannes aſſerit literis ſuis datis Caleti die XXII. Octobris 1360. ibi pariter relatis. Qua pariter die & loco expeditæ ſunt aliæ plures literæ, quibus alias quidem pacis conditiones uterque rex exequitur; alias vero ſuo tempore executurum ſe ſpondet. Eo vero loci pax olim Brictiniaci compoſita, non confirmata quidem, ſed potius reformata fuit, ut ex literis conſignatis hoc anno Bononiæ (Boulogne) die XXVI. Octobris, in quibus articuli pacis ſic reformatæ continentur, intelligimus. E poſtremis hiſce literis diſcimus pacem ita conciliatam correctioni & approbationi ſummi pontificis ſubjectam fuiſſe, ut ſi quis paci authoritate eccleſiæ confirmatæ refragaretur, cenſuris eccleſiaſticis coerceri poſſet. Demum novis literis, Bononiæ hoc anno die XXVI. Octobris ſignatis, fœdus & inter utrumque regem ſocietas jungitur, qua ab inferendis utrinque injuriis abſtineretur, & nullus umquam favor alterutrius adverſariis præſtaretur, exceptis tamen pontifice, & qui tunc Romanum Imperium regebat imperatore, a quibus juvandis protegendiſque, nullo fœdere prohiberi ſe Rex Gallorum paſſus eſt. Quin nec ex eo cum Anglis fœdere derogatum quidquam voluit priori fœderi, ante annos aliquot cum Scotiæ rege ſancito, qua de re extant literæ eadem die, anno, & loco ſcriptæ. Acta publica hac occaſione confecta claudit tractatus pacis cum Rege Navarræ hoc anno apud S. Dionyſium Decembri menſe conſignatus. MANSI

Quo ritu ſacro admiſſum a delphino fœdus.

*Agnus Dei, adjecto dona nobis pacem,* dictus Carolus in præſentia prædictorum & aliorum plurium dextram ſuper patenam cum corpore Dominico & lævam ſuper miſſale poſuit, hæc verba proferens: *Nos Carolus juramus ad ſacroſancta corpus Domini & evangelia firmiter ſervare penes nos pacem & concordiam formatas inter Reges, & nullo modo in contrarium venire.* Poſt hæc, datis militibus reliquiis de corona Chriſti in teſtimonium omnibus, valefecit.

II. Cerrior de inita inter Francos & Anglos pace, quam continentibus votis ab evolutis retro tot annis eccleſia expetierat, Pontifex ingenti perfuſus lætitia, grates Deo retulit, & gratulatorias haſce literas ad Eduardum dedit (a), ut ipſum ad implenda citiſſime præſcripta pacta incitaret.

(a) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 93.

*Innocentius, &c. Chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

Gratulatoriæ ad Anglum Pontificis literæ.

*Vox exultationis & gaudii, vox jucunditatis & lætitiæ, nobis ac Romanæ eccleſiæ & Chriſti fidelium populis expectata diutius, nuper auribus noſtris inſonuit, & diuturnam noſtræ mentis amaritudinem, quam dolenter ex filiorum noſtrorum diſſenſione guſtavimus, ſuaviſſimæ inſinuationis beneficio dulcoravit. Quid enim lætius aut ſuavius audire potuerant aures noſtræ, quam quod ille rerum omnium moderator, cujus factus eſt in pace locus, & in cujus manu Regum ac principum corda conſiſtunt, animum tuum, princeps inclyte, ad habendam cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne Rege Francorum illuſtri pacem ac concordiam inclinarit? Profecto nobis & univerſis Chriſti fidelibus non parva ſuggeritur gratulandi materia, cum duo tam generoſi, & non modo ſuis in regnis, ſed toto terrarum orbe famoſiſſimi principes, & vinculo conſanguinitatis aſtricti, ex quorum diſcordiis tot, proh dolor! tam animarum pericula quam corporum, ac rerum damna provenerant, nunc tandem ex inimicitiis ſint in amplexus, in colloquia, & in perpetuas amicitias redituri. Equidem, chariſſime fili, licet ad exprimendum noſtræ mentis affectum circa proſecutionem hujuſmodi inter vos reformandæ concordiæ minime ſatis ſufficiat ſeries literarum; noſtri tamen intima pectoris, & hærentia noſtris præcordiis deſideria, quanto poſſumus viſceroſius, aperimus.*

Propoſita præterita mala e bello exorta.

*Meminiſſe poteſt non ſine compaſſione multiplici tua ſerenitas, quanta ex diſcordia inter te & Regem præfatum exorta, & quam innumera mala provenerint: quam dura & aſpera fuerit veſtra contentio: quam multis damnoſa populis: quot innocentibus ira veſtra nocuerit; quantas hominum ſtrages effecerit: quot rerum depopulationes, quot agrorum vaſtationes, quot locorum incendia exinde proceſſerint; ut pudori (prout convenit) deferentes, commiſſa interim ſcelera ſolis horrenda nominibus taceamus, in quibus ſiquidem malis etſi tibi ſucceſſus plurimos felices ac famoſos providentia ſumma permiſerit; in eis tamen humanos caſus deplorare, & victis victor compati, & in ipſis incertos bellorum eventus agnoſcere, & humana formidare pericula, & quam levi momento fortuna ducum pendeat, intelligere merito potuiſti.*

*Jam ergo tempus eſt, ut cedat paci diſcordia, cedant amicitiis odia, occupet locum iræ tranquillitas, ſitque inter vos de cætero tam generoſa, quam glorioſa contentio, ut ſcilicet non de regnis, ſed de charitate certetis. Nam ſi uſque ad extremum duraverint odia, ſi non temporum decurſu, & humanorum malorum tædio ira lenteſcat; ſi nulla feroces animos dies emolliat, tota humani generis vita in confuſione verſabitur, concidet regnorum ac rerum publicarum ſtatus, & quæ multorum fuerint parta laboribus, facile bellorum vaſtatione peribunt. Noſti quam ſæpe multis arriſerit volubilis fortuna certaminis, quos tandem in extremæ locum confuſionis adduxit. Conſidera, fili chariſſime, quanta ex concordia veſtra proventura ſint commoda, quot parentibus ſervandi ſint liberi, quot conjugibus viri, quot illibatæ manſuræ ſint virgines, quam multæ in earum integritate permanſuræ reſpublicæ, quæ vobis diſſidentibus deperirent.*

Oboritura e pace bona.

*Jam pigeat effuſi ſanguinis: & futuris malis, quæ facile valent ex prioribus prævideri, providi conſilii maturitate parcatur. Hæc proculdubio & alia, quibus ad exprimendam noſtræ mentis ſeriem non ſatis eſt miniſterium literarum, ſi intra regiæ manſuetudinis clauſtra revolvas, finem tot futuris periculis impoſuiſſe gaudebis. Nos quoque, licet te ſuper hujuſmodi terminanda concordia longis non credamus exhortationibus indigere, quinimmo te illis adminiculis, quibus ea compleri facilius valeat, efficacem daturum eſſe operam nullatenus dubitemus; paterni tamen affectus continere ſpiritum non valentes, ſerenitatem tuam rogamus attentius, & plenis deſideriis obſecramus quatenus ut inchoata inter te & dilectum filium nobilem virum Carolum ducem Normanniæ præfati Regis primogenitum facilius ac celerius perduci valeant ad effectum, circa liberationem dicti Regis promptam ſe oſtendere velit tua magnificentia, ac etiam liberalem. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* II. *non. julii anno* VIII.

(b) Matth. Vill. l. 9. c. 105.

III. Caletii a Regibus pacis formula confirmata.

Diligentiſſimum ſe ſponte præbuit Eduardus in conventis implendis: trajecerat enim jam in Angliam (b), atque julio menſe una cum Joanne Rege Francorum Caletum applicuit; qua in urbe conventa iterum ſolemni ritu confirmanda erant. Divinis operatus eſt Androinus abbas Cluniacenſis in templo D. Nicolao ſacro: cumque corpus Chriſti conſecraſſet, perveniſſetque ad ea verba: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem;* ſacratiſſimam hoſtiam manu præferens, convertit ſe ad Reges: qui in genua reverenter provoluti, manu admota Euchariſtiæ fœdus ſervaturos ſacramento ſe obſtrinxere: eoſque abbas, diviſis ſpeciebus, ſanctiſſimo Chriſti corpore pavit. Dein porrectis ab illo evangeliis, Reges jusjurandum iterum renovarunt: tum Gallici & Anglici ſceptri hæredes futuri filii, una cum aliis principibus fidem pariter devinxere. Denique dux Aureliani nomine Regis Francorum, Philippus princeps nomine Caroli fratris Regis Navarræ injurias eos oblivioni daturos, culturoſque amicitiam, ſpopondere. Recenſent pluribus hiſtorici (a) hujus concordiæ formulas: interque alios vitæ Innocentii ſcriptor paucis perſtringit, quibus urbibus Anglus, abjecta obtenſi in Gallicum ſceptrum juris controverſia, ingentiſque auri vi donatus, ex fœdere ſit potitus; utque Eduardus junior, abjecto ducis nomine, ſe principem Aquitaniæ dixerit: *Commiſſarii,* inquit, *Regis utriuſque proceſſerunt ad integram & realem executionem præmiſſorum fuitque poſitus per miniſterium prædictorum dictus Odoardus pro tunc princeps Valliæ in poſſeſſionem civitatum & diœceſis Agenenſis, Condomienſis, Vaſatenſis, Pictavenſis, Malleacenſis, Lucionenſis, Engoliſmenſis, Petragoricenſis, Sarlatenſis, Lemovicenſis, Tutellenſis, Ruthenenſis, Vabrenſis, ac Caturcenſis cum civitate Montiſalbani & parte diœceſis ejuſdem, quæ per flumen Tarni dividitur a comitatu Toloſano. Quibus expeditis dictus Odoardus princeps venit in propria in ducatum memoratum, in quo mutato nomine ducis, princeps Aquitaniæ voluit nominari: dominatuſque eſt cum maximo potentatu, cunctaque diſpoſuit pro ſuæ libito voluntatis.* Flagitarunt fœderati Reges a Pontifice, ut Androinum abbatem Cluniacenſem, quem felicitate ſumma & contentione in conciliandis Regibus & conventis implendis deſudaſſe vidimus, merito Cardinalatus præmio afficeret: verum Innocentius arcanis de cauſis rem extrahendam cenſuit (b).

Servatus ſacer ritus.

Poſitum ab Anglo Gallicum inſigne.

(a) Froſſard. hiſt. l. 1. in Joan. I. Matth. Vill. l. 9. c. 105. & alii.

Quos principatus Anglus ſibi pepererit ex fœdere.

Eduardus Junior principem Aquitaniæ ſe dicit.

Expetita a Regibus Androino ſacra purpura.

(b) To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 119.

IV. Hic addemus, Pontificem Gallicæ rei, quæ ſuperioribus bellis collapſa erat, in ſuum ſplendorem reſtituendæ cupidum, Joannem Regem Francorum, recenter libertati redditum, præceptis ſaluberrimis inſtruxiſſe (c), ut pacem cum Eduardo coleret, eccleſiaſticos veneraretur, ſectaretur juſtitiam, foveret inopes, prudentia conſpicuos viros adhiberet in conſilium, eoſque reprimeret, qui adhuc eccleſiaſticos in Galliis divexare pergerent.

(c) Ib. ep. ſecr. p. 118.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Joanni Regi Franciæ illuſtri.*

Gratulatur Joanni Pontifex de pace confecta.

*Noſtris admodum grata ſenſibus, ac menti noſtræ læta nimium & jucunda fuit tuarum ſeries literarum, quas nuper ſuper concordia inter te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum Regem Angliæ illuſtrem [duce Domino] conſummata ac liberatione perſonæ tuæ, nobis per dilectum filium Guerrinum de Montecherio, latorem præſentium, tua ſerenitas deſtinavit. Hanc enim vere dicere poſſumus, diem eſſe, quam fecit Dominus, in qua non nobis tantum, qui ex paterno affectu, quem ad filios benedictionis extendimus, in Regum ac principum unitate & concordia delectamur: ſed univerſis Chriſti fidelium populis exultationis in Domino cauſa miniſtratur, cum tandem poſt graves inimicitias, ac damnoſa non minus quam annoſa diſſidia, in duorum toto orbe famoſiſſimorum principum pectoribus tranquillitatis & quietis inſpiraverit ſpiritum Deus pacis. Equidem nos tantæ utilitatis & commodi communis authori in exultatione mentis aſſurgimus, eique quas pro tanto bono valet humana debilitas, gratiarum humiles referimus actiones; noſtris illum precibus ſuppliciter exorantes, ut concordiam ipſam, inter te & Regem præfatum feliciter conſummatam, perpetua in vobis ſtabilitate conſervet. Sed ut ab aliis, quæ ſufficienter exprimere juxta noſtræ mentis deſiderium literarum miniſterio non valemus, ad ea, quæ excellentiæ tuæ ac regni tui ſtatum & commodum reſpiciant, veniamus.*

V. Ut reſtaurandis regni rebus det operam eum hortatur.

*Jam tibi, chariſſime fili, ſopitis exterioribus malis, interioribus regni tui diſpoſitionibus eo eſt efficacius providendum, quo regnum ipſum, annis plurimis Regis ſui gubernaculo deſtitutum, multiplicibus extitit adverſitatibus laceſſitum. Aſſurgat itaque regiæ magnitudo prudentiæ, & ſuper miſerabile regnum, innumeris pene calamitatibus oppreſſum, diligenter invigilet, ipſumque providi conſilii maturitate reformet. Illud vide, princeps inclyte, ut in Dei timore & reverentia ſanctæ matris eccleſiæ, prædeceſſorum tuorum in virtuoſis ac famoſis operibus veſtigia imitando perſiſtas; reginam quoque virtutum juſtitiam (ſine qua ſicut rerumpublicarum facile ſtatus deperit, ac regnorum culmina decidunt in ruinam, ita cum illa reſpublicæ & regna ipſa conſervantur & creſcunt) facias perſonis ſingulis tibi ſubjectis efficaciter ac favorabiliter miniſtrari. Ad quod ſerenitatem tuam diligenter intendere, nullatenus dubitamus, ſi memineris regnum præfatum conſueviſſe hactenus normam fore juſtitiæ, & toti mundo juſti exempla regiminis præbuiſſe. Miſeris ſubveni: oppreſſos ſubleva: in malignatores quoſcunque & viros nequam rapto vivere aſſuetos, pro*

Colat juſtitiam.

*eorum nequitia dexteram tuæ poteſtatis extende. Præterea ſalutem in bonis conſiliis fore poſitam conſiderare ſæpius non omittas, ut tales proinde tibi conſiliarios eligas, qui juxta ſanctum mentis tuæ propoſitum honeſta conſulant, juſta ſuadeant, & quæ pro tui bonore culminis ad quietem & pacem regii ſtatus pertinere noverint, tam libere quam libenter exponant. Eccleſias inſuper & eccleſiaſticas perſonas ac earum libertates ſub tuarum alarum umbra ſuſcipias, ipſuſque tui favoris præſidio protegas, ac per tuos officiales & ſubditos opportunis facias præſidiis confoveri & defendi: & quæ contra eas attentata temere per malignatores aliquos forſitan extiterunt, prout magnitudinem tuam decet, ſtudeas efficaciter revocare. Adbuc enim, ſicut babet querula plurimorum nobis facta relatio, nonnulli perditionis filii, regiam præſentiam non verentes, contra eccleſias & eccleſiaſticas perſonas eaſdem non deſinunt rapinis & incendiis malignari: quorum temeritatibus eo per te attentioribus eſt ſtudiis obviandum, quo plurimum regii honoris, & ſtatus ab ipſo reditus tui principio noſcitur dependere. Hæc in paterni amoris affectu, quem ad perſonam tuam gerimus ſerenitati tuæ duximus intimanda: per ea namque, ſi illis, prout de te ſperamus indubie, diligenter intenderis, præter divinæ retributionis præmia, ſolidabit in pace Dominus thronum tuum, & multiplicium adverſitatum tuarum labores diuturnæ quietis beneficio compenſavit. Dat. Avin.* v. *kal. decembris anno* VIII. Imbuebat his monitis Joannem Regem Pontifex, cum plures e regio exercitu dimiſſi laxatis licentiæ frænis prædas paſſim agerent, maximeque furorem in eccleſiaſticos effunderent. Quorum prædonum metu antea Innocentius, cum nonnullos in delphinatu ſocietatem militarem conflare accepiſſet, Carolum delphinum rogaverat (*a*), ut ad eam diſſolvendam authoritate uteretur. Ut autem in eos ſacrum bellum ſuſcipiendum fuerit duce Cardinale legato, dicetur ſuo loco: nunc ex Gallicis rebus ad Italicas digredimur.

Probos conſiliarios deligat.

Prædonum ſociales turmas coerceat.

(*a*) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 3.

VI. Olegianus de reſtituenda eccleſiæ Bononia agitat. Cur admittenda fuit ejus ceſſio.

Suſceptum eſt ab Ægidio Albornotio in Italia Card. legato difficillimum bellum adverſus Bernabonem Vicecomitem Mediolanenſem, pro reſtituenda eccleſiæ Bononia, quam antea a Pepulis, poſtea autem dolo & vi a Joanne archiepiſcopo Mediolanenſi ereptam Clementi VI. vidimus. Non enim deerant rationes graviſſimæ, ob quas Bononia recuperanda videretur: nullam in primis Bernaboni fieri injuriam, ſi nondum lapſo duodecim annorum ſpatio, ad quod excurrens traditam a Clemente præfecturam Bononienſem vidimus, cum jam illam Bernabo ſua culpa amiſiſſet, ac liceret ex cujuſvis tyrannide ſua recuperare. Adde vi & injuria Vicecomites illam præfecturam extorſiſſe, quam illis reſtituere tutum non erat: conſtare de eorum perfidia, lapſo triennio Bononiam non reddituros eccleſiæ; immo ad aliam ditionem invadendam vires intenſuros: ſubmiſiſſe perduellibus eccleſiæ auxilia, ad ipſos in tyrannide confirmandos, ob quod flagitium quamvis Bononia potiri fuiſſent, illius imperio juſte eſſent deturbandi. Atque adeo Innocentius legato arcanis literis rem totam permiſit (*b*): exhauſtam tamen ærario eccleſiam ſignificavit. Cenſuit legatus Cardinalis recuperandæ Bononiæ occaſionem non abiiciendam: eamque demum, cum Olegiano Firmanam toparchiam pactus, in ſuam poteſtatem redegit. Furenſque tum ira Bernabos Bononiæ obſidionem magis urſit (*c*): ad cujus reprimendos conatus Pontifex Ludovici Neapolitani Regis & aliorum Italorum principum & magnatum auxilia imploravit (*d*). Nec Italos modo verum tranſalpinos principes ſolicitavit Innocentius, ut legato ad Bononiam contra Bernabonem defendendam auxilia explicarent.

(*b*) *Ib. p.* 7. & 8.

Contrahit undique auxilia Pontifex. Bernabos bellum infert eccleſiæ.

(*c*) *Matth. Vill. l.* 9. *c.* 90. & 102.

(*d*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 41. 46. 47. 48. 53. 54. 56. 57. 74. 84. & 105.

Comprimendus videbatur facilius Bernabos Imperatoris auctoritate, cujus beneficio ac nomine præfecturam Mediolanenſem gerebat: atque ideo rogavit Pontifex Boemundum Trevirenſem, Arneſtum Pragenſem, Moguntinum & Salisburgenſem archiepiſcopos, Ulricum Auguſtenſem, Henricum Conſtantienſem epiſcopos, Rudolphum ducem Saxoniæ, Albertum ducem Bavaræ ſtirpis principem, aliosque nonnullos proceres, ut Carolum ad ſuſcipiendum eccleſiæ patrocinium permoverent: quem etiam ad coercendos tyranni impetus ipſemet excitavit (*e*). Suſceptura quidem erat gravem ignominiam eccleſia, ſi Bernabos Bononia potiretur, nec minora ingruebant pericula, ne depreſſi antea rebelles eo caſu erecti cervices attollerent. Quare Innocentius non modo Italos, Germanos atque Imperatorem eundemque Regem Boemiæ, verum etiam Eduardum Angliæ Regem (*f*), illius filium Walliæ & Aquitaniæ principem (*g*), Henricum ducem Lanclaſtriæ (*h*), tum Ludovicum Regem Ungariæ (*i*) (in quo veluti Romanæ eccleſiæ ſignifero, quique ad Manfredios & Ordelaffum edomandos magno auxilio fuerat, præcipua ſpes ſita erat) ad explicandam decertanti adverſus Bernabonem legato opem excitare conatus eſt: eaque de cauſa Ægidium epiſcopum Vicentinum, quem ad Imperatorem miſerat, etiam ad Ungaricam aulam proficiſci juſſit (*k*), atque Eliſabetham Ludovici matrem ejuſque nominis conjugem Reginas (*l*), Nicolaum (*m*) Strigonienſem tum Colocenſem archiepiſcopos, Ladiſlaum Veſprimienſem Stephanum Nitrienſem epiſcopos, Contum co-

Rogatus Carolus, ut Bernabonem coerceat.

(*e*) *Ib. p.* 52.

Flagitata ab aliis Regibus auxilia.

(*f*) *Ib. p.* 109.

(*g*) *Pag.* 112.

(*h*) *Ead. pag.*

(*i*) *Pag.* 50.

(*k*) *Pag.* 46.

(*l*) *Pag.* 44.

(*m*) *Super. pag.* 46.



comitem palatinum & Cumanorum judicem precibus urſit, ut Ludovicum Regem ad Bononiæ tutelam contra Bernabonem capeſſendam hortarentur. Conceptæ ſunt eo argumento ad Regem ipſum pontificiæ literæ ſubjectis verbis (*a*).

(*a*) *Eod. to.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 50.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

VII. Pontificiæ ad Ungarum literæ.

*Ingentis devotionis affectum, quem ad nos & Romanam geris eccleſiam, & laudabilium operum ſtudia, quæ tu, tamquam benedictionis & reverentiæ filius inter cæteros mundi catholicos principes nobis & eidem eccleſiæ ſpecialiter reſervatus, noſtris & eccleſiæ ipſius obſequiis intendendo tam prompte, quam magnifice ac libenter exerces, ac experti ſumus hactenus, & argumentis continuo evidentioribus experimur. Sane venerabili fratre noſtro Ægidio Epiſcopo Sabinenſi A. S. L. nobis noviter intimante percepimus, quod ad notitiam celſitudinis tuæ perducto, qualiter civitatem Bononienſem, ad nos & Romanam eccleſiam pleno jure ſpectantem, Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanenſis manu armata hoſtiliter oppugnare, Dei timore poſtpoſito, temerariis auſibus conabatur; tu, ejuſdem eccleſiæ matris tuæ negotia tua reputans, & oppreſſiones, eidem in terris & juribus ſuis factas, non minus tibi quam ſibi tamquam piæ matris ſincerus & virilis defenſor aſcribens, ſublato moræ diſpendio, dilectum filium Joannem præpoſitum Colocenſem, nuncium & ambaſſiatorem tuum cum tuis literis deſtinare ad ipſius Bernabonis præſentiam curaviſti; inter cætera tam per literas ipſas quam ambaſſiatorem eumdem ſibi ſignificans ipſumque requirens, quod ipſe ab obſidione terrarum eccleſiæ, & ipſarum impugnatione ceſſaret: alioquin tu tamquam princeps catholicus, & honoris ac exaltationis ſanctæ matris eccleſiæ zelator, ſuorumque jurium conſervator aſſiduus & defenſor tolerare nequires eccleſiam ipſam in ſuis juribus, aut terras ejuſdem per ipſum, aut per quamcumque perſonam aliam impugnari, vel quomodolibet moleſtari. Equidem, chariſſime fili, aperta ſunt iſta tuæ devotionis inſignia, & magnis laudum præconiis, ac ſingulari paternæ benedictionis gratia compenſanda; & eo noſtræ mentis affectibus gratiora, quo liberaliorem in eis regiæ magnitudinis animum oſtendiſti.*

De miſſo ab eo ad Bernabonem oratore.

VIII. Actæ Ludovico gratiæ.

*Hujuſmodi itaque devotionis promptitudinem multipliciter in Domino commendantes, ac uberibus proſequentes actionibus gratiarum, ſerenitatem tuam rogamus attente, & ſinceris affectibus obſecramus, quatenus cum poſt hæc præfatus Bernabos fictis quibuſdam prætenſis coloribus (qui in examen diligentioris conſiderationis adducti, non tueri fruſtratoriam ejus cauſam videbuntur, ſed eos potius aperte conſtabit de malignæ adinventionis ſuæ nequitia proceſſiſſe) non tantum ab oppugnatione dictæ civitatis, ejuſque diſtrictus uſque modo non ceſſet, ſed pejora malis addendo, & ſe velut noſtrum & Apoſtolicæ ſedis hoſtem publicum nequiori quotidie patratione operum demonſtrando, per gentes ſuas armigeras, nonnullas terras & loca alia ipſius eccleſiæ, in provincia Romandiolæ conſiſtentia, prædis ac rapinis & incendiis diſcurrat hoſtiliter & perturbet; noſque propterea adverſus hujuſmodi temeritatis audaciam ſpiritualibus & temporalibus noſtris & aliorum filiorum & devotorum ipſius eccleſiæ obſtare remediis intendamus, tu erga nos & dictam eccleſiam matrem tuam devotionis obſequiis intendens liberaliter, ut cœpiſti, ac negocia ſua in prædictæ civitatis Bononienſis, aliarumque terrarum ſuarum defenſione commendata ſuſcipiens, præfato legato, in his pro conſervatione & defenſione prædictis, prout expedire videris & alias, prout ipſe excellentiam tuam duceret requirendam, pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia tuis aſſiſtere velis auxiliis & favoribus opportunis: ut tandem Deo favente, ac tuis aliorumque filiorum & devotorum ejuſdem eccleſiæ præſidiis, ipſius inconſulta temeritas comprimatur: tuque, præter divinæ retributionis præmia, circa tui ſtatus exaltationem, & tui culminis augmentum, noſtrum & Apoſtolicæ ſedis favorem, & abundantioris benevolentiæ gratiam ſemper uberius merearis.*

Propoſita Bernabonis pertinacia. Ejus in Æmiliam excurſiones.

*Cæterum ad noſtram juſtitiam, & ejuſdem Bernabonis injuſtitiam, & frivolas cauſas per ipſum prætenſas, ſeu quas forte prætenderet in negotio prælibato, ſerenitati tuæ vivæ vocis expoſitione latius, quam ſcriptorum ſerie dici valeant, exponendas; & ut clare cognoſcas dictæ ſedis maturitatem in ſuis proceſſibus nihil agere quod in ſtatera debitæ conſiderationis appenſum habuiſſe non pateat in ſoliditate juſtitiæ fundamentum, venerabilem fratrem noſtrum Ægidium epiſcopum Vicentinum latorem præſentium, ſuper præmiſſis & ea concernentibus per nos plenarie informatum ad tuam providimus præſentiam deſtinandum: cui in his, quæ tibi pro parte noſtra retulerit, dare fidem indubiam ſerenitas ipſa velit. Dat. Avin.* VI... *maji anno* VIII.

Vicentinus epiſc. jus eccleſiæ Ungaro juſſus exponere.

IX. Bernabonis vafrities.

Non deterritus eſt Bernabo Ungariæ Regis imperiis ac precibus a cœptis, cum tardos illius impetus fore putaret: exceptiſque honorifice regiis oratoribus, atque ornatis muneribus reſcripſit (*b*) cauſam ſuam æquitate niti, ac diſceptari apud ſubſellia Apoſtolica. Excitabat (*c*) is in aula pontificia magnos clamores: illatam a legato apoſtolico injuriam, cum adhuc anni quatuor Bononienſis præfecturæ non effluxiſſent. Verum agitata cauſa, lata ſen-

(*b*) *Matth. Vill. l.* 9. *c.* 90.

(*c*) *Eod. lib. c.* 91.

Litem intentat, eaque cadit.

(a) *Ibid.*

ſententia eſt (a) recuperatam juſte ab eccleſia Bononiam, cum illius poſſeſſione excidiſſet, eaque urbs Romanæ eccleſiæ juris eſſet: cumque ſententiæ non ſtaret Bernabo atque eccleſiam armis fatigaret, jure judiciario & legibus in eum agi cœptum eſt. Meminit Urbanus V. de lata in eum ab Innocentio VI. ſententia, præcipuaque illius capita in ſubjectis literis ad Ægidium Cardinalem legatum datis perſtringit. (b)

Hanc urget armis.

(b) *Urb. V. an. I. ep. com. 6.*

*Urbanus, &c. venerabili fratri Ægidio epiſcopo Sabinenſi*

*A. S. L.*

Innocentii in Bernab. acta judiciaria.

*Dudum cum ad felicis recordationis Innocentii Papæ VI. prædeceſſoris noſtri auditum ex multorum querelis crebriſque rumoribus perveniſſet, quod vir peſtilens, maledictionis alumnus Barnabos de Vicecomitibus civis Mediolanenſis contra Deum & ſacroſanctam Romanam aliaſque eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas multa nefaria committebat, ex quibus Creatori noſtro gravis irrogabatur offenſa, multiſque fidelibus periculoſum admodum ſcandalum parabatur; & inter cætera, ut ſe hoſtem Dei & ſacræ fidei ac hæreticorum fautorem (quorum erat prout eſt imbutus perfidia) demonſtraret,*

Objectum illi tuliſſe opem Ordelaffo hæretico.

*verbum crucis, quod idem prædeceſſor contra damnationis filium Franciſcum de Ordelaffis civem Forlivienſem, juſto Dei & ejuſdem eccleſiæ judicio ut hæreticum condemnatum, mandaverat prædicari in nonnullis civitatibus, caſtris, & locis, quæ ipſe Bernabos tyrannice detinebat, auſu temerario non permiſerat prædicari, eidem damnato Franciſco alias tribuens conſilium, auxilium, & favorem; nonnullos quoque eccleſiarum & monaſteriorum prælatos, etiam pontificali præditos dignitate, quibus a cunctis Chriſti fidelibus debetur honor & reverentia ſpecialis, publicis injuriis, & opprobrioſis contumeliis afficere non expaverat; & inter alios proprium ſuum antiſtitem & paſtorem, videlicet bonæ memoriæ Robertum archiepiſcopum Mediolanenſem coram ſe genuflectere coegerat impudenter, ac poſt multas contumelias ſibi dictis, eum temerarie incarcerari,*

Indigne in Rober. Archiep. ſe geſſiſſe.

*& quamplures clericos & eccleſiaſticas perſonas ſeculares & regulares etiam in ſacerdotio conſtitutas capi, publicis carceribus mancipari, crudeliterque torqueri, ac ignis, gladii, ſuſpendii, aliiſque acerbiſſimis pœnis occidi, alioſque beneficiis & bonis propriis denudari fecerat, alios vero a propriis laribus exulare compulerat, cæteroſque talliis graviſſimis & importabilibus exactionibus opprimendo,*

Clerum oppreſſiſſe.

*ac nonnullos in beneficiis eccleſiaſticis intruſerat, intruſoſque defenderat; ac viſitationes & correctiones ordinariorum, & alias exercitium juriſdictionis eccleſiaſticæ, etiam inquiſitorum hæreticæ pravitatis, quæ in ſuo nequam ardebat pectore, auſu temerario impediverat, ac poteſtatem eccleſiaſticam in eiſdem civitatibus & terris; quas tyrannice detinebat, quantum in eo erat, totaliter enervare & conculcare præſumpſerat, libertatem eccleſiaſticam in ſervitutem miſerabilem deducendo, nec non eccleſias & monaſteria eorum caſtris, villis, juriſdictionibus ſpoliari:*

Eccleſiaſticam poteſtatem invaſiſſe.

*ac ut veſaniam ſuam patentius demonſtraret, & honori & authoritati ſanctæ matris eccleſiæ, quam ſicut alienatus filius præ nimia ſua ſuperbia conatur contemnere, non deferens, præfatum prædeceſſorem & venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales excommunicatos per quemdam ſacerdotem publice proclamari;*

Ludibrio anathema Pontifici & Cardinalibus irrogaſſe.

*nec non apoſtolicas & legatorum Apoſtolicæ ſedis ac inquiſitorum hæreticæ pravitatis literas & proceſſus, ac etiam literas clauſas, quæ jam dicto prædeceſſori ac eiſdem Cardinalibus & aliis ad Romanam curiam de diverſis mundi partibus mittebantur, aperiri, legi ac etiam lacerari, eorumque latores capi & carceribus mancipari ſæpiſſime mandaverat & fecerat; ac etiam prohibuerat, quod nullus ad dictam Romanam ac tuam curias ire præſumeret, in eis gratiam vel aliud impetraturus, ac eiſdem prædeceſſori & legato de his, quæ debebantur eiſdem, aliquatenus reſpondere, aut dare auxilium, conſilium, & favorem;*

Subditos ab aditu curiæ Romanæ arcuiſſe.

*& quod abſque ſua vel cujuſdam ſui deteſtabilis miniſtri nomine Geraldoli licentia nulla electio, poſtulatio, ſupplicatio, ſeu proviſio fieret in eccleſiis ac monaſteriis & locis eccleſiaſticis, & mulierum, civitatum caſtrorum, villarum, & locorum prædictorum, quæ [ut præmittitur] detinebat, facientes contrarium puniendo graviter, & quæ ſuper his facta fuerant revocando de facto;*

Jus conferendorum ſacerdotiorum ſibi arrogaſſe.

*ac, non veritus ponere os in cælum authoritatem apoſtolicam imperialemque poteſtatem, & [quod eſt nefandiſſimum] divinam potentiam pollutis labiis certiſque verbis ſacrilegis denegaverat:*

Divinam pontificiam imperialemque auctoritatem verbis blaſphemis negaſſe.

*quæ idem prædeceſſor attendens in gravem Dei offenſam, dictæ ſedis contemptum, animæ ſuæ periculum, eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum grave præjudicium & gravamen, ac læſionem eccleſiaſticæ libertatis, & plurimorum ſcandalum redundare, & non carere ſcrupulo dictæ hæreticæ pravitatis; cum ad ipſius prædeceſſoris pertineret officium tam abominanda ſcelera non dimittere incorrecta, licet illa adeo eſſent notoria, quod nulla poterant tergiverſatione celari: ad cautelam tamen & majorem certitudinem eorumdem ſe de præmiſſis legitime ac plenarie informavit, ac per informationem hujuſmodi reperit eadem facinora eſſe notoria & etiam manifeſta.*

Judiciario propterea ordine in Bernabonem inquiſitum.

*Propter quæ prædeceſſor ipſe, habens eumdem Bernabonem merito ſuſpectum de hæreſi, eum qui propter ſuam crudelitatem manifeſtam perſonaliter citari non poterat, per*



*publicum citavit edictum, ut certo termino peremptorio competenti ſe ſuo conſpectui perſonaliter præſentaret, de ejuſdem fidei articulis reſponſurus. Et cum idem Bernabos in dicto termino comparere contumaciter non curaſſet,*

Indicta illi dies peremptoria.

*præfatus prædeceſſor poſt vocationem ſeu proclamationem de ipſo Bernabone factam ad portam palatii apoſtolici ut eſt moris, eumdem Bernabonem de fratrum ſuorum conſilio authoritate Apoſtolica reputavit, prout erat, exigente juſtitia, in hujuſmodi cauſa fidei contumacem, & in eum propter hujuſmodi contumaciam excommunicationis ſententiam promulgavit; decernens authoritate prædicta contra eum fore ad pœnas alias procedendum, prout exceſſuum prætactorum enormitas, & contumacia prædicta exigerent, & juſtitia ſuaderet, &c. Dat. Avin.* IV. *kal. maji anno* I.

Aucta Bernabonis ſcelera.

(a) *Urban. ſup. ep. 6.*

Obduruit (a) in pertinacia Bernabos, atque expectatus ut reſipiſceret, vocatuſque in jus non comparuit: ſed ſcelera cumulavit ſceleribus, ac latius tyrannidem, Deo hominibuſque contemptis, propagare anniſus eſt: quare judiciariis aliis edictis ipſum defixum viſuri ſumus. Cæterum Galeatius Vicecomes ejus frater veritus, ne iiſdem pœnis una cum fratre involveretur, cauſam ſuam apud Pontificem egit (b), a crimine oppugnatæ Bononiæ purum eſſe. Admiſſæ illius preces (c) ea lege ne fratri in eccleſiaſtica ditione invadenda ſtuderet. Molitus porro eſt plura nefaria conſilia adverſus rem pontificiam Bernabo: ſed illius conatus irriti cecidere.

(b) *Matth. Vill. l. 9. c. 92.*

(c) *Eod. cap.*

Eluſi ejus conatus.

Tentavit primum Forumlivium ad rebellionem concitare, ac Stephanum Judicem, & nepotem Franciſci Ordelaffi ex ſpuria ſubornavit (d): ſed conjuratio authorum ſanguine extincta eſt. Centum in Bononienſi agro adortus propulſatus eſt (e): proditione Bononiam ſibi ſubjicere ſtuduit (f): ſed illius participes affecti ſupplicio. Dein ut legatum novo in Piceno bello implicaret, atque ab inferendis Bononienſibus auxiliis retardaret, Boſcheretum, Montemnovum, Corinaltum Piceni oppida ad defectionem traxit: (g) ſed horum poſtremum ſubito legati adventu oppreſſum (h), alia duo arctiori obſidione, propulſatis Bernabonis copiis, perdomita (i).

(d) *Cap. 79.*

(e) *Cap. 80.*

(f) *Cap. 99.*

(g) *Cap. 106.*

(h) *Eod. cap.*

(i) *Cap. 111.*

Lenire ejus furorem nititur Innocentius.

Ut vero furentem hominem leniret Pontifex, Nicolaum Accajolum Florentinum Melphienſem comitem, qui a Ludovico Rege Siciliæ, ut dicetur inferius, miſſus fuerat ad aulam Avenionenſem, permovit (k) ad ſuſcipiendas pacis interpretis partes, atque Ægidium legatum paciſcendi cum Bernabone facultate inſtruxit (l). Profectus in Inſubriam Nicolaus, Bernabonem ad eas pacis leges adduxit, ut labente quinquennio octuaginta centumve aureorum millia annua ab eccleſia acciperet: quas quamvis iniquas, ſi temperari non poſſent, admittendas cenſuit Innocentius hac de cauſa (m).

(k) *To. 8. p. 1. ep. ſecr. pag. 101.*

(l) *Ib. p. 100.*

(m) *Ib. p. 101.*

*Super prædictis*, inquit, *habito cum quibuſdam ex venerabilibus fratribus noſtris ſecreto ac diligenti conſilio, attendentes quanta damna & diſpendia in proſecutionibus guerrarum, quantacunque honeſtate vallentur, invitis proſequentibus oriantur, & quanta incommoda & pericula ex proſecutione hujuſmodi guerræ civibus Bononienſibus, noſtris, & eccleſiæ præfatæ fidelibus, veriſimiliter provenirent; quodque ſemper Romana eccleſia magis conſuevit pacem & concordiam eligere, quam bella gerere, in quibus humanus ſanguis effunditur, & mala plurima committuntur; conſiderantes etiam expenſarum profluvia, quæ nos ſubire in proſecutione hujuſmodi oporteret, quibus camera apoſtolica propter diverſorum ſumptuum onera, quæ ipſam oportuit annis elapſis plurimis pro recuperatione & defenſione ſuorum jurium tolerare, ad præſens inſufficiens redditur, & alias (faciente temporum malitia) ſolito minus potens;*

Ingentem vim auri illi pendere deliberat.

*concordiam hujuſmodi pro bono ac publico & tranquillo ſtatu dictorum civitatis comitatus, & diſtrictus eligibilem reputamus, dummodo concordiam ipſam ſimiliter eligendam ducat tua fraternitas, quæ tam dicti Bononienſis negotii, quam aliorum noſtrorum & dictæ eccleſiæ negotiorum pleniorem habere poteſt notitiam de propinquo. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* VI. *id julii anno* VIII.

X.

Pacis formula a Bernabone repudiata.

(n) *Matth. Vill. l. 9. c. 110.*

Deſciviſſe a promiſſis Bernabonem, ut erat ambiguæ ſuſpenſæque ex eventu fidei, ex Matthæo Villano (n) colligitur: cum enim Nicolaum Accajolum pro concordia inter ipſum & legatum interceſſiſſe referat, addit legatum nonnulla pacta, de quibus nimirum ſuperioribus literis erat edoctus, propoſuiſſe Bernaboni: hunc vero ad ſingula capita reſpondiſſe, ſe Bononiæ imperitare velle: ac plura maledicta in legatum profudiſſe: ita abruptum cœpti fœderis colloquium, ac Bernabonem Picenum & alia ditionis eccleſiaſticæ loca infeſtaſſe.

Soluta Bononiæ obſidio.

Sed propulſati ſtrenue illius conatus fuere (o), atque etiam Bononia arcta obſidione, qua premebatur, liberata (p) tum expugnata propugnacula munitiſſima (q) a tyranno ad coercendos intra portas Bononienſes excitata. Ampliora etiam Ungariæ Rex pollicitus eſt eccleſiæ auxilia (r) ea lege, ut quæ loca Mediolanenſi eriperet, Ungarici juris eſſent: cumque ita belli moles creſceret, de conciliando eccleſiæ Bernabone agitarunt Florentini, ſed Bernabos (s) colloquium eſt aſpernatus.

(o) *Ib. c. 111.*

(p) *Lib. 10. c. 4.*

(q) *Ib. c. 11.*

(r) *Cap. 5.*

Inſtaurata pacis colloquia.

(s) *Cap. 14.*

Orta inter Florentin. & Piſanos diſſidia.

Retuliſſe in eo Pontifici gratiam viſi ſunt Florentini, inter quos ac Piſanos cum gravis arderet diſſenſio, Innocentius concordiam redintegrare ſtuduit, ac Bertrandum archie-

chiepiſcopum Neapolitanum ad eos legavit (*a*) graviſſimiſque monitis utrumque populum ad mutuam colendam pacem ſubjectis verbis informavit (*b*): *Dilecti filii, ſilere non poteſt erga vos paternus affectus, nec lenteſcere boni paſtoris officium, cum eos, quos loci vicinitas & mutuæ converſationis velut innata neceſſitas facere deberet unanimes, & pro utriuſque partis publica utilitate concordes, hoſtiles imbuere animos cernimus, & odiorum interpoſitione disjungi: eſtis enim gemini populi, & duæ non modo Italia, ſed multo terrarum orbe famoſæ reſpublicæ, altera alterius adminiculis indigentes, & adeo locis & mutua converſatione conjunctæ, ut inter vos ſuſcitari ſcandala, & exoriri odia, aut bellorum commoveri tumultus, civilia potius moveri bella, & dextras, ut de bellis civilibus dici ſolet, in ſua converti viſcera videatur &c. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* v. *idus julii anno* VIII.

(*a*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. pag.* 80. & *to.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 104. 105.
(*b*) *Pag.* 148.

XI. Hoc anno miſſus in Liguriam eſt Andreas epiſc. Ariminenſis apoſtolicus internuntius, ut Simonem Buccanigram Genuenſium prætorem ac ſenatum illum Corſicæ ſedis Apoſtolicæ fiduciariæ nomine in pontificia verba ſacramento adigeret, exigeret cenſum (*c*), deque nonnullis aliis paciſceretur: *Cum* inquit, *peculiaris Apoſtolicæ ſedis civitas Januenſis eidem ſedi ad præſtationem cujuſdam certi cenſus annui ex cauſa mediæ Corſicæ inſulæ, quam obtinet, teneatur cum præſtatione alias ſoliti juramenti*. Cæterum diremiſſe Genuenſes hoc ipſo anno veterem controverſiam, quæ ipſis cum Petro Rege Aragonum de Sardinia & Corſica intercedebat, refert Surita (*d*) ferente ſententiam Aſtæ Joanne marchione Montisferrati vigeſimo ſeptimo martii die, cum utraque pars illum anno ſuperiori arbitrum pacis conſtituiſſet: Caſtellano enim bello implicitus Petrus Rex Aragonum Sardico facile vacare non poterat.

(*c*) *To.* 8. *p.* 2. *ep. ſecr. p.* 31.

Compoſita inter Aragonem & Ligurem de Corſica lis.

(*d*) *Surit. l.* 9. *Annal. c.* 29.

XII. Hoc anno ad eccleſiam Leodienſem comitatum Loſſenſem, de quo antea motæ ingentes turbæ fuerant, devolutum vita functo ſine liberis Theodorico comite refert Innocentii vitæ ſcriptor (*e*). Subditque de cruciferorum equitum in Lithuanos expeditione: *Fratres inſuper ordinis S. Mariæ Theutonicorum in Pruſſia Caiſtor Regem Lithuanorum in bello capiunt: ſed tamen captum detinere ſeu cuſtodire neſciverunt, nam de carcere eorum evadens multa ipſis damna poſt intulit, & injurias irrogavit*. His conſentientia ſcribunt Cromerus (*f*) & Michovias (*g*), quorum poſterior ait, ſuſceptum hoc bellum ob Ludovici marchionis Brandeburgenſis adventum; ac ter Chriſtianos irrupiſſe in Lithuaniam deſcribit: *Anno*, inquit, *Domini MCCCLX. Vinrichus de Kniprode magiſter Pruſſiæ, adventu marchionis Brandeburgenſis animatus, in Lithuanos expeditionem egit, & exercitui Schindelcop marſchalcum Pruſſiæ præficiens, terras Lithuaniæ vaſtavit, ſpoliaque & captivos in Pruſſiam reduxit. Alteram expeditionem hyeme inſtante in Lithuanos reſumpſit; & tertiam eadem hyeme peregit. Quibus quidem tribus expeditionibus Lithuaniam adeo vehementer afflixit, ut pro majori parte deſertam reliquerit. Expeditio tertia reliquis duabus ducis Keyſtud captivitate viſa inſignior, qui datis pluribus catholicorum captivis apud Pruſſiam captis, eodem anno a captivitate ſolutus fuit*.

(*e*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Lithuania a fidelibus domita.

(*f*) *Cromer. l.* 12. *in Caſimir. II.*
(*g*) *Michov. l.* 4. *c.* 26.

Keiſtutus dux captus. Redditis Chriſtianis captis ſe redimit.

XIII. Exemptus eſt ex humanis eodem anno Hugo Rex Cypri, ac ſceptrum Petro filio reliquit: quem Pontifex ut conceptum ex paterna morte dolorem moderate ferret, ac regias virtutes ſectaretur, eſt adhortatus (*b*).

In Cypro Hugoni Patri ſuccedit Petrus.

(*b*) *To.* 8. *p.* 1. *ep. ſecr. p.* 90.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Cypri illuſtri ſalutem, &c.*

*Licet prius ad noſtram perveniſſet audientiam de morte claræ memoriæ Hugonis Regis Cypri patris tui, tuarum tamen literarum ſeries, & dilectorum filiorum nobilium virorum Raimundi Babini bucilerii regni Cypri, & Joannis de Carmayno ambaſſiatorum tuorum latorum præſentium pia ac diligens expoſitio, mortem Regis ejuſdem, noſtri chariſſimi filii & tui patris, affirmans, compaſſionis materiam noſtris ſenſibus renovavit. Non enim non turbari de tam catholici principis, & nobis & ſedi Apoſtolicæ ac Romanæ eccleſiæ ſpecialis filii morte patris præcordia potuerunt, quoniam inter cæteros orbis terræ Reges & principes propter grandis ſuæ devotionis & fidei, quam ad nos & dictam gerebat eccleſiam & alias, ſonorum claræ ſuæ famæ præconium hunc non immerito ſingularem & chariſſimum habebamus. Tibi quoque, chariſſime fili, affectione paterna compatimur, tuiſque doloribus condolemus. Verum ex hoc materiam conſolationis aſſumimus, & te conſolari ex eo ſimiliter affectamus, quod licet patrem benevolum amiſeris; Rex ipſe tamen, utpote princeps Chriſtianiſſimus, in dierum longitudine ſenuit, & tandem receptis, ut catholicum decet principem, ſalutaribus ſacramentis finivit, prout læti didicimus, in bonorum curſu operum dies ſuos, æternæ benedictionis gaudiis, ſicut ſperamus, in Domino cum ſupernis principibus potiturus. Cæterum de eo, quod tam per dictos ambaſſiatores quam literas eaſdem, te ad omnem reverentiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ atque noſtram, liberaliter obtuliſti; ſerenitatem tuam dignis laudum præconiis attollimus, ipſamque exinde multipliciter in Domino commendantes, propoſitum tuum hujuſmodi tuis quotidie magis inhærere præcordiis affectamus.*

Conſolatoriæ ad eum Innocentii literæ.

De officiis delatis actæ gratiæ.

Pa-



XIV. *Paternis itaque exhortationibus excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus conſiderans diligenter, quod in hoc regiæ dignitatis exordio, qualis evaſurus ſis princeps in poſterum, maxime colligetur, in timore Domini & reverentia dictæ eccleſiæ vitæ tuæ ſtabilias fundamentum: eccleſias quoque & eccleſiaſticas perſonas ob Dei honorem, & ſponſæ ſuæ dictæ eccleſiæ reverentiam commendatas ſub tui culminis poteſtate ſuſcipias, & tuis confoveas favoribus & defendas; ac per laudabiles tui patris bonorum operum ſemitas, ejus ſequendo famoſa veſtigia, gradiaris. Juſtitiam, ſine qua facile magna depereunt, & cum qua minima proſperantur & creſcunt, in regno tuo ſtudeas perſonis ſingulis miniſtrare. Sicut namque ſcire te convenit, ubi ſub æquitate regnantium vivitur, rerum publicarum ſtatus, thronus regius ſolidatur; utique, chariſſime fili, per hæc, & alia virtutum opera præter divinæ retributionis præmia, felicium tibi ſucceſſuum continue provenient incrementa. Nos quoque ſperantes, te prædictis aliiſque ſalutaribus conſiliis tanquam benedictionis filium cum operum efficacia diligenter intendere, libenter curabimus excellentiæ tuæ votis, quantum cum Deo poterimus, complacere.*

Commendata juſtitia.

*Poſtremo hoc exhortationibus noſtris adjicimus, quod juſtitiam, quam faceres per tuos ſubditos perſonis ſingulis obſervari, in te ipſo obſervare procurans, in cauſa dilecti filii nobilis viri Hugonis de Liſignano nepotis tui benignus tui cenſor exiſtas, prout requirere videatur ipſa juſtitia, quæ in ſingulis ſemper eſt humanis negotiis præferenda, prout pro parte noſtra præfatis tuis ambaſſiatoribus, cum quibus in noſtra conſtitutis præſentia latius ſuper materia iſta contulimus, informationem recipere poterit eadem tua ſerenitas pleniorem. Dat. apud Villamnovam Avin. diœceſis* IV. *kal. julii anno* VIII.

Eam in nepotis cauſa exerceat.

XV. Intenderat Hugo, Petri nepos ex fratre Guidone majore natu, judicium patruo apud ſedem Apoſtolicam de regno Cyprio, quo injuſte ſpoliatum ſe diſceptabat, cum patrem Guidonem, qui ſi Hugoni avo ultimo Regi ſuperſtes extitiſſet, ſceptrum erat correpturus, referret; præterea Hugo Rex pactus eſſet, dum filio Guidoni majori natu Mariam Imperatricem deſpondit, ſuſcipiendum ex iis filium regno ſucceſſurum. At Petrus Rex, licet eſſet ſecundus natu, contendebat tamen, ſe proximo gradu ultimum Regem attigiſſe, regnique poſſeſſionem iniverat. Cum vero metueret Pontifex, ne civile inde bellum conflaretur in Cypro, ex quo inſula infidelibus circumfuſa in eorum ſervitutem procumberet, hæc ad Petrum Regem ad Hugonis nepotis gratiam ſcripſit (*a*).

Lis de Cyprio regno inter Regis defuncti ſecundum natu & nepotem ex primogenito.

(*k*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.* 68.

*Innocentius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Cypri illuſtri ſalutem.*

*Nuper dilectus filius nobilis vir Hugo de Liſignano, primogenitus quondam Guidonis de Liſignano primogeniti claræ memoriæ Hugonis Regis Cypri patris tui, nobis expoſuit cum querela, quod licet in regno Cypri fuerit obſervatione continua hactenus conſuetum, quod primogenitus Regis ejuſdem regni, qui eſt pro tempore, eidem Regi debeat in ipſo regno ſuccedere; ac præter hoc tempore tractatus matrimonii inter chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Mariam nunc Imperatricem Conſtantinopolitanam, & tunc dicti Guidonis conſortem ac præfati Hugonis de Liſignano matrem contrahendi, pro parte & nomine dicti Regis conventum fuerit ſolemniter & firmatum, quod primogenitus ex ipſis Guidone & Maria naſciturus in regno ſuccederet prælibato, & propterea dicti regni ſucceſſio ad ipſum conquerentem, qui dicti ſui patris noſcitur repræſentare perſonam, & primogenitus dicti Guidonis exiſtit, pertinere noſcitur; tu tamen ſecundogenitus Regis ejuſdem regnum ipſum injuſte occupas, regiæ dignitatis titulum & regni ipſius adminiſtrationem & regimen indebite uſurpando; aſſerens, quod hujuſmodi jus ſuum intendit proſequi per omnem viam, quam ſibi noverit melius valituram; quodque ad illius conſecutionem magis optaret per apoſtolicæ interpoſitionis remedium, quam per quemcumque modum alium devenire: quare nobis humiliter ſupplicavit, quod cum ipſe paratus ſit de juſtitia ſua noſtram ſufficienter informare conſcientiam, & plenarie facere nobis de illa conſtare, ſuper iis, prout videremus expediens, partes noſtras interponere, & paternæ proviſionis adhibere remedium ab ipſo hujuſmodi negotii principio dignaremur.*

Hugo Liſinian. cauſam apud ſedem Ap. diſceptat.

*Nos igitur, qui paternæ dilectionis affectum, quem ad præfatum tuum genitorem tanquam ad noſtrum & Romanæ eccleſiæ filium prædilectum, & inclytum in ſuo regno fidei catholicæ defenſorem, & eccleſiæ militantis athletam habuimus, libenter in ſuos poſteros derivamus, tuique ac præfati Hugonis & dicti regni pacem & quietem, ac proſperitatis augumentum tanto cordialius affectamus, quanto his regnum ipſum inter hoſtes Chriſtianæ fidei ſitum, & eis quaſi continuis oppugnatoribus quodammodo circumſeptum, magis noſcitur indigere; conſiderantes, quod idem Hugo generoſis & potentibus vallatum ſe invenit conſanguineis & amicis, qui ad proſequendum ejus jura tam favorabiliter quam potenter ſua eidem præſtare valerent auxilia & favores; quodque ſi inter te & ipſum (quod abſit) oriretur ſcintilla diſcordiæ, in damnoſum nimium creſcere poſſet incendium,*

Oſtendit Pont. bellum imminere, ni Hugoni jus ſuum reddatur.

quod

*quod neque pro tuo neque pro illius arbitrio ſopiretur, cum facile ſit initium dare diſcordiis, ſed ſæpe ultra quam difficile illas ſine laudabili terminare; ac proinde perſonarum ſtrages, damna rerum, multorum turbationes fidelium, guerrarum diſcrimina, ac plurimorum ſcandala, cædes, incendia, & his pejora, quibus arma commota verſantur, & bellici furoris incitatus ardor inſanit (quodque magis timendum eſt animarum pericula non ſolum eidem regno, ſed multis Chriſti fidelium populis ex hujuſmodi proventura fore diſcordia veriſimiliter formidantes; cum tantis malis & ſcandalis noſtris obviare remediis, prius quam eis detur aditus, ex injuncto nobis ſummi apoſtolatus officio cura vigili debeamus, & inter cunctos Chriſti fideles, præſertim principes & potentes & ſanguinis unitate conjunctos, quorum ſicut pluribus concordia proficit, ita eorum diſſidia in damna derivantur plurium, pacis & unitatis vinculum conſervare; magnificentiam tuam rogamus, & in paternæ charitatis affectu attentius exhortamur, quatenus non quid velis, ſed quid velle te deceat, quid dictet ratio, quid juſtitia ſuadeat, quid honeſtas expoſcat, tranquilla mente diſcutiens; ſi eſt ita, ut idem Hugo propoſuit coram nobis, benignus tui ipſius cenſor exiſtas, & veritati [quæ ſingulorum ſine forenſi querela conſcientiam indicat] manſuetudinis tuæ colla ſubmittas, animo humili juſtitiæ debitum privatis affectibus præferendo.*

XVI. Humana felicitas vitrea eſt.

*Neque tibi per nos, chariſſime fili, ſuaderi rem factu difficilem videatur: in hoc enim paterna conſilia majori debes devotione ſuſcipere, ſi id agere conamur, ut per occupationem indebitam (ſi eſt ita) temporalis regni, & vanam hujus mundi gloriam, quæ eſt adinſtar puncti, veram ac ſolidam & duraturam perpetuo æterni regni gloriam non amittas: illud quoque circumſpecte conſiderans, quod cum tu, præfati Hugonis patruus exiſtas, ac propterea ipſe caro & ſanguis tuus fore protinus cenſeatur, ſi in regno prædicto ſibi faveat juſtitia, tu non immerito ſui honoris & ſtatus ac dignitatis ejuſdem fore particeps diceeris: & ſi (quod abſit) jus, quod ei debetur, dictum regnum violenter occupando ſurriperes, præter offenſam Dei, qui juſtus eſt judex, & vult unicuique tribui quod eſt ſuum, non Regis titulum meruiſſe apud homines, ſed occupatoris nomen, quod utique eſſe debet a tui generoſitate ſanguinis alienum, potius videreris; ac per hoc illam, quam quærere debes, gloriam non haberes; nec non & Regnum ipſum multis exponeres periculis & jacturis. Sed ne de uno loquendo tacere forte de jure alterius videamur, cum illius debeamus imitatores eſſe, apud quem non eſt acceptio perſonarum, & qui ſingulis ſuam vult juſtitiam miniſtrare; exhortatione ſimili te rogamus, quatenus ad obviandum malis hujuſmodi, quæ ex tua & dicti Hugonis diſcordia poſſent veriſimiliter exoriri, de jure tuo, per perſonas ſolemnes, noſtram non differas conſcientiam plenarie informare.*

*Nos enim inter te & Hugonem eundem, non perſonis, ſed juſtitiæ potius deferentes (cum ſedis Apoſtolicæ conſulta maturitas non perſonas accipere, ſed honorare debeat in ſingulis veritatem) pro utriuſque jure cognoſcendo & declarando ac debita ſtabilitate firmando, nec non commodis & honoribus promovendis (quantum nobis ſuadere juſtitia, in qua debitores ſumus omnibus, videatur) libenter laborare proponimus, & uſque ad præmiſſorum terminationem, quam cum favore divinæ gratiæ ſperamus futuram eſſe proſperam & votivam, indeſinentibus ſtudiis interponere partes noſtras. Super præmiſſis autem, per dilectum filium Angelum de Luca ſervientem armorum & familiarem noſtrum, latorem præſentium, expectamus tuæ magnitudinis literas reſponſales. Datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſ. IX. kal. junii anno VIII.*

Petrus a B. Petro Thoma regia inunctione linitus.

Retinuit Cyprium ſceptrum Petrus Rex, atque a B. Petro Thoma epiſcopo Coronenſi Apoſtolicæ ſedis in oriente legato regia inunctione liniri exoptavit (*a*). Agebat tum Rhodi graviſſimo morbo implicitus legatus ſanctiſſimus: cumque divinæ gloriæ augendæ pio accenſus ardore mare conſcendiſſet, jamque inter vitæ mortiſque confinia luctari videretur, repente cœleſti virtute ad B. Gregorii imploratam opem valetudini eſt reſtitutus, ac Petrum Cypria & Jeroſolymitana corona Famaguſtæ in eccleſia principe ritu ſolemni redimivit (*b*). Ut vero mox ad Græcanici ſchiſmatis excindendas reliquias ex apoſtolico mandato ſtudia converterit, deſcribit Philippus e Mazeriis Cypri regni ſcrinii magiſter: *Dehinc*, inquit, *audiens epiſcopos & ſacerdotes Græcos, reliquumque populum Græcorum, qui in Cypro degerent, eſſe ſchiſmaticos, nec eos velle Romanam eccleſiam audire, inducendo pro viribus fideles Chriſtianos ſuis adhærere ritibus & legi, bona Regis venia vocavit coram ſe in eccleſiam majorem Nicoſienſem primum ac præcipuum epiſcopum Græcorum cum ſuis omnibus ſacerdotibus. Cum veniſſent omnes, D. Petrus Thomas ſingulas eccleſiæ portas juſſit claudi, tumultum Græcorum veritus: ſedenſque ante majus altare benigne eis & aperte errorem ſuum ſacræ ſcripturæ explanationibus indicavit, conatus eos ad veram fidem & eccleſiæ Romanæ obedientiam revocare. Multi igitur errorem cognoſcentes, & culpam confeſſi ad ſe reverſi ſunt. Dæmon autem, tanti boni tantique fructus eccleſiæ*

(*a*) *Philipp. e Mazeriis in vita B. Petri Thomæ.*

Ut in eo itinere ſancto legato valetudo ſit divinitus reſtituta.

(*b*) *Id. ib.*

Ejuſdem ſtudia pro evellendis ſchiſmatis reliquiis.





*invidus, per auxilium cujuſdam obſtinati & pertinacis presbyteri cæteros inflammavit movitque ad ructandos D. Petro Thomæ cachinnos. Populus vero extra portas eccleſiæ congregatus rumorem audiens, cœpit iraſci & clamare contra D. Petrum Thomam: ſubitoque totius multitudinis ad eccleſiam factus eſt concurſus, quæ diceret occidendum eſſe legatum. Impii ſacerdotes Græci, furias & rabiem populi intelligentes, portas eccleſiæ aperuerunt: & illico furiis agitata multitudo in eccleſiam ruit. D. Petrus Thomas videns iſta, multis ex ſervis ejus & familia in fugam converſis, dixit reliquis, qui ſecum remanſiſſent: Confidite in Domino. Afferte crucem coram me, & moriamur fortiter pro tuenda fide catholica. Prorupit hæc in verba ante majus altare, reſiſtens immobilis ubi ſederat, conſtantior ante hoſtes perſeverans, & mortem expectans acriter. Rex vero, cum audiiſſet quæ peragerentur in eccleſia, fratrem ſuum principem Antiochenum miſit: qui ſtatim conſcendens equum, armatus cum multis militibus ad eccleſiam accurrit; eiicienſque foras multitudinem, de hoc periculo D. Petrum Thomam liberavit: qua de re fideles univerſi gratias Deo retulerunt. Et quamvis hanc capitis aleam incurrerit D. Petrus Thomas, minime deſtitit a ſuſceptis: nam prædicans Græcis, inſtruenſque eos modo minis, modo blanditiis, diligenter munere functus legationis adeo effecit, ut præcipuum ac primarium illorum epiſcopum cum aliis, immo etiam & pene omnes Græcos ſacerdotes illius inſulæ in obedientia eccleſiæ Romanæ confirmarit, quod nullus unquam prælatorum aut legatorum perficere potuerat.*

Conſtantia in ſpernendis pro fide vitæ periculis.

Plures Græci ab eo conciliati eccleſiæ.

XVII.

Addimus ad hujus anni calcem pontificiæ liberalitatis in Joannem e Brena monumentum: in quo cum de ſacris ornamentis agatur, ad veteres ritus deſignandos pontificias literas (*a*) afferemus.

(*a*) *To. 8. p. 2. ep. ſecr. p. 71.*

*Innocentius &c. dilecto filio nobili viro Joanni de Brena militi Lemovicenſis diœceſis.*

*Ad nos nuper veniens inſtitiſti ut infraſcriptum furnimentum divino cultui dedicatum, ad ejuſque uſum tibi concedere dignaremur. Tuis ergo ſupplicationibus inclinati, ut infraſcripta, quibus te indigere aſſeris, fulcimenta, videlicet unam caſulam de Syndone aurifrigiatam, tres pannos integros de Syndone roſis ſeminatos, unaque albam ſimplicem cum amictu, zonamque unicam fili albi cum tribus mappis altaris, & unam ſtolam cum manipulo, ac pixide lignea, miſſale quoque cum auriculario de ſerico, & calice argenteo cum patena marcharum quatuor & duarum ponderis unciarum ſeu circa; duo quoque vinageria cum patena argenti unius marchæ dimidii ponderis, ſeu circa; corporalia quoque cum eorum propitiatorio, duobus quoque candelabris cupreis, atque cruce parva argenti ad uſum hujuſmodi habere valeas & tenere, de liberalitate noſtra tibi & tuis poſteris univerſis liberaliter elargimur. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. V. kal. januarii anno VIII.*

Antiquus ſacrorum ornamentorum mos.

I. ANnus poſt Chriſtum natum ſexageſimus primus ſupra milleſimum treceſimum indictione quartadecima epidemiæ ſævitia, incendiis, terræmotibus, oſtenſis cælo ſignis, prædonum populationibus, denique tyrannorum ditionem eccleſiaſticam laniare ambientium bellis aſperrimus fuit: quo maxime Ægidio Cardinali A. S. L. adverſus Bernabonis Vicecomitis, Bononiæ ſibi ſubiiciendæ cupiditate inſanientis, impetus deſudandum fuit. Profectus is in Ungariam eſt, ut Ludovicum Regem ad capeſſendam Romanæ eccleſiæ clientelam, tuendaque armis illius jura excitaret: ſed alia agitantem conſilia ad id adducere non potuit (a). At Carolus Auguſtus nova tyranno dedit imperia, ut a Romanæ eccleſiæ ditione infeſtanda ſibi temperaret, omnibuſque honoribus, ac beneficiis Romani imperii liberalitate acceptis exuendum pronuntiavit, (b) ni excurrente viginti dierum ſpatio pareret. Defixit illum etiam Pontifex apoſtolica ſententia (c), atque hæreſeos nota ob pertinaciam in auctoritate eccleſiaſtica contemnenda inſignem inuſſit: ſed qui rationis, legum, ac divini timoris jugum excuſſerat, his vocibus & minis ludibrio habitis, jactabat arroganter, invitis omnibus Bononia ſe potiturum.

Ægidii Card. in Ungariam profectio.

(a) Matth. Vill. l. 10. c. 41. 45. & 49.

Bernabos imperiali defixus ſententia.

(b) Eod. c. 49.

(c) Eod. c.

Et pontificia.

Nec modo vires ſuas omnes, quæ erant maximæ, tum ad agrum evaſtandum, tum ad urbem oppugnandam effudit; verum periculoſiſſimas conjurationes Forilivii & Bononiæ, quæ feliciter oppreſſæ ſunt, conflavit (d), & Franciſcum Ordelaffum (e), ac Joannem Manfredum (f), quos legatus ægre antea ad officium coegerat, novarum rerum ſpe elatos ad rebellionem concitavit, inſtruxitque copiis, quibus ſtipati plura intulere damna. Sed dum in Ariminenſem agrum illi excurrunt (g), Galeottus Malateſta (h) Bononiam cum aliquot auxiliaribus turmis noctu venit, ipſeque ſubinde ac Malateſta nepos, qui pontificiis copiis Bononiæ præerat, urbe ſummo mane egreſſi Bernabonis caſtra, magna hoſtium ſtrage edita [1], ac Joanne Bilegio duce in vincula adducto, vigeſimo julii expugnarunt, de quibus fuſe Matthæus Villanus. Qui etiam narrat (i) Nicolaum Turrianum patriarcham Aquilejenſem, dum eccleſiæ ſuæ jura tuebatur, poſt magnas contentiones cum duce Auſtriæ conveniſſe, ut Caroli Imperatoris ſententiæ ſtarent: cumque ad eam excipiendam Viennam fraude ac dolo pellectus fuiſſet, traditum cuſtodiæ: illum vero ea perfidia cognita, mox arcanis literis clientes omnes ſuos monuiſſe, ut fortiſſime ditionem Aquilejenſem defenderent; nec metu cujuſcumque adverſi caſus, quem ipſe foret ſubiturus, terrerentur.

Ejuſdem molimina.

(d) Cap. 29. & 74.

(e) Cap. 53. 56.

(f) Cap. 42.

(g) Cap. 56.

(h) Cap. 58. 59.

Fortiter propulſata.

(i) Cap. 68.

Aquilejenſis Patriarcha dolo captus.

II. Quod ad Carolum Imperatotem attinet, ſuſcepit hoc anno e conjuge filium, quem magna pompa ſacris baptiſmalibus a Germanis præſulibus, Wenceſlai nomine indito, initiandum curavit; ad cujus celebritatis augendam lætitiam ſacra paſſionis Chriſti inſtrumenta, quæ una cum aliis imperialibus inſignibus aſſervantur, populis magno pietatis ſenſu ex illorum intuitu delibutis oſtendit, quæ Rebdorfius horum ſpectator his verbis proſequitur (k): *Hic filius baptizatus eſt dominica qua cantatur, Miſericordia Domini, quæ tunc fuit* III. *id. aprilis in parochia S. Sevoldi in Nurnberg Babenbergenſis diœceſis: & levatus de fonte per archiepiſcopos Moguntinenſem, Colonienſem, Pragenſem, & per epi-*

Wenceſlai ortus.

(k) Rebd. in annal.

NOTÆ [1] ANnum hunc illuſtrat victoria memorabilis, quam de exercitu Bernabonis Vicecomitis Legatus pontificius Ægidius reportavit. Mediolanenſium exercitum equitibus 2000. conſtitiſſe teſtatur Author Hiſtoriæ Miſcellæ Bononienſis. Acies Bononienſium erat ex militibus Bononienſibus 4000. adiectis 700. galeatis, ſeu, ut tunc appellabantur, barbutis, cum 300. Hungaris auxiliariis. Locus conſerti prælii deſignatus ad amnem *Savenam* ubi pons S. Raphaelis conſiſtit. Victoria ſtetit a Bononienſibus, e quibus tamen ceciderunt non pauci, quamquam de numero cæſorum utriuſque partis variant ſcriptores. Nam ex victis 1500. cecidiſſe ſcribit author chronici Placentini, Rer. Italic. to. XV. Cæſos utrinque ad *960.* & 400. equites prodit Matthæus Villani, lib. X. cap. LIX. Author Miſcellæ ex Mediolanenſibus deſideratos 500. & captivos ad *946.* Bononiam deductos, ex ſupputatione in publicas tabulas relata, affirmat. Diem & menſem initi prælii Matthæus Villani, & ex eo Annaliſta diem XX. Julii deſignat: ſed mendum, ex depravato Villani codice derivatum non dubito; cum ſcriptores alii, Miſcella, Authores Chronici Placentini, ac Mutinenſis & menſem Junium & diem XX. ejuſdem menſis prodant, quibus & facile cohæſiſſe cenſendus eſt Villanus, cum die Dominica (quod & notat Author Miſcellæ) commiſſum prælium animadvertat; dies enim Dominica hoc anno in diem quidem XX. Junii, non vero in diem XX. Julii incidit. Hac victoria res eccleſiaſtica, quam Vicecomitum potentia concuſſerat, Bononiæ ſtabilita eſt; quare Bononienſes inſignis a Deo accepti beneficii perenne monumentum conſtituendum rati, feſtum S. Silverii Papæ & martyris, quod die illa XX. Junii agebatur; tum & feſtum S. Roſilii vel Raphaelis, cui in loco prælii templum ſtabat, ſolemnia deinceps Bononienſibus fore ſanxerunt, ut in Miſcella traditum eſt. S. Roſilius inter primos Foropompilienſes Epiſcopos martyrio clarus, teſte Ferrario de SS. Italiæ, celebratur. MANSI



*ſcopos ſex & quinque abbates; & nomen ejus Vvenceſlaus appellatum: & duravit hæc curia cum magno gaudio per octo dies. Nam & inſignia imperialia Imperator jubet deduci de Boemia & ſolemni apparatu ea oſtendit ibidem, & exiſtentibus ibidem denunciantur magnæ indulgentiæ, quas Innocentius VI. Papa tunc gratioſe conceſſit, videlicet eaſdem indulgentias, quas in Urbe Romani Pontifices in die cœnæ Domini concedere conſueverunt. Et habita ibi ſunt haſtiludia, & alia ſolatia infinita.* Obſervatum autem ferunt, (a) illum baptiſmales fontes contaminaſſe lotio, & deinde impoſitum altari ut corona cingeretur, illud ſtercore inquinaſſe: datumque ita exemplo Conſtantini Copronymi triſte præſagium, ſub hoc Rege omnia ſacra ab hæreticis fædatum iri. Pergit Rebdorfius: *Poſt hæc Imperator diſponit* * *habitare limina B. Virginis Aquiſgrani: ſed deliberat mittere offertorium illuc pro filio ſuo nato, unde jubet filium ponderare in ſtatera cum auro, qui ponderavit ſedecim marchas auri, quas mittit Aquiſgranum: & ipſe cum uxore & filio & inſignibus ſupraſcriptis in Boemiam eſt reverſus. Et nota quod inſignia imperialia, quæ tunc vidi, de quibus Papa feſtum indixit, ſunt hæc: primum ferrum lanceæ, quæ transfixit latus Chriſti: item clavus cum aliquali petia ligni ſanctæ crucis, quæ tranſivit manum Chriſti: item gladius Caroli magni primi Imperatoris Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus; & corona, qua coronatus eſt in Imperatorem a Leone Papa III. item gladius Mauricii martyris: item petia brachii S. Annæ matris Mariæ virginis, & dens Joannis Baptiſtæ: item petia cordæ, qua Chriſtus fuit ad columnam ligatus: ſpongia, qua fuit in cruce potatus; & aliæ plures reliquiæ ſanctorum.*

Celebrata magna pompa illius ſacra baptiſmalia.

(a) Dubr. hiſt. Boem. l. 23. & alii.

* *viſitare*

Oſtenſæ ſacræ reliquiæ.

III. Tradit Michovias (b) hoc anno inflictam divinitus repentinam mortem cuidam Prædicatori, dum e ſacro ſuggeſtu virginem peccati originalis labe non caruiſſe declamabat: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXI. *quidam lector ordinis Prædicatorum in Cracovia, frater Paulus nomine, coram clero & populo in majori eccleſia Cracovienſi B. Mariam virginem non abſque originali peccato fuiſſe in Polonico declamans & prædicans, cecidit & expiravit.* Eadem narrantur in faſciculo temporum (c) ex Henrico de Haſſia: ac plures, qui in eo argumento ſcribebant, exterruiſſe. Scribit quoque Michovias (d), Wratiſlaviam conflagraſſe. Quo anno etiam Gandavum, Brugas, Mechliniam incendiis deformatas refert Meyerus (e), Matthæus autem Villanus teſtatur (f) Lateranenſem eccleſiam cœmentarii incuria dum plumbo tectum opertum reficiebat, arſiſſe, atque ſacella, quæ in eccleſiæ circuitu ornata viſebantur, abſumpta: reliquias tamen pretioſiſſimas, quæ in ædicula ſancta ſanctorum nuncupata conditæ erant, e mediis flammarum globis ereptas: quas etiam in alio incendio, ſedente Clemente V. divinitus ſervatas vidimus.

(b) Michov. l. 4. c. 26.

(c) Faſciculi tem. auctor.

Deformatæ urbes incendio.

(d) Michov. ſuper. c. 26.

(e) Meyer. l. 13. Matth. Vill. l. 10. c. 54. & alii.

(f) Matth. Vill. eod. lib. c. 69.

Auxit ſuperiora mala peſtilentia ſæviſſima, quæ præcipue eas partes infecit, quæ in præterita epidemia aeris ſalubritate potitæ mali vim evaſerant. Quam calamitatem ita luget Petrarcha in literis ad Joannem Boccatium datis (g), dum eorum ineptias ac deliria refellit, qui ſyderum aſpectibus, non mortalium ſceleribus epidemiam aſcribunt: *Annum*, inquit, *ætatis hujus ultimæ* MCCCXLVIII. *luximus: nunc lugendi principium illud fuiſſe cognoſcimus, neque ex illo ceſſaſſe unquam hanc inſolitam & inauditam a ſeculis mali vim, huc illuc, dextra lævaque, dimicatoris more promptiſſime ferientem. Itaque toto ſæpius orbe tranſcurſo, cum nulla maneat pars immunis, quaſdam bis terque repetiit, nonnullas anniverſaria tabe peſſum dedit. Mediolanum urbem Ligurum caput ac metropolim, uſque ad invidiam hactenus horum neſciam laborum, & cæli ſalubritate ac clementia, & populi frequentia gloriantem, ſexageſimus primus annus & vacuam fecit & ſqualidam.* Hæc Petrarcha, cui plures alii authores conſentiunt. Nec Mediolanum modo, verum aliæ multæ Italiæ urbes afflictæ: inter quas Venetiæ ducem Delphinum hoc oppreſſum morbo amiſere (h), cui Laurentius Celſus publicæ rei gubernaculis ſuffectus. Tum plura Illyrici, Galliarum, & Angliæ loca lue evaſtata (i) immo Syria & Ægyptus, in quibus Damaſcus & Alexandria morbi ejuſmodi contagione graviſſime laborarunt.

Peſtis Inſubriam depaſcitur.

(g) Petrarch. l. 3. rer. ſenilium ep. 1.

Et plura occidentis & orientis regna.

(h) Matth. Vill. l. 10. c. 64.

(i) Eod. l. 10. c. 38. 46. 103.

IV. Periiſſe Avenione maximam præſulum multitudinem, & plures etiam Cardinales, refert Rebdorfius (k); adeo ut major terror, quam Clementis VI. temporibus iis, qui in aula pontificia erant, offuſus fuerit. Et Cardinales quidem novem cum magna prælatorum & cleri multitudine peſtis ſævitia abſumptos hos memorat Matthæus Villanus (l) [1] vicecancellarium, epiſcopum Præneſtinum, Cardinalem Ciſtercienſem, Petrum epiſcopum Oſti-

(k) Rebdorf. in annal.

Plures Cardinales peſte extincti.

(l) Matth. Vill. l. 10. c. 71. Vvalſing. in Eduard. III.



NOTÆ [1] QUotnam Cardinales ex lue per Italiam & Europam graſſante ſublati ſint, ex confuſa ſcriptorum etiam coævorum relatione ambiguum efficitur. Nam Villanus lib. X. cap. XLVI. novem memorat; ſed inferius cap. LXXI. octo tantummodo recenſet. Rei huic obſcu-

Oſtienſem, Cardinalem e Culamagna, Andream Tudertinum Florentinum appellatum, Turrianum, tum eum qui ſupremus olim Minoritarum magiſter fuerat, atque alium, cujus nomen non exprimit. In quorum locum ſuffecit Innocentius eodem anno alios viros inſignes, cum quibus totius eccleſiæ onera partiretur, atque hos ejus vitæ author deſignat (*a*): *Iſto etiam eodem anno die* XVII. *ſeptima menſis ſeptembris, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum, præfatus Innocentius Papa fecit ordinationem octo Cardinalium, quinque presbyterorum, & trium diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus frater* * *Fortaminis Vaſſalli diœceſis Caturcenſis ordinis fratrum Minorum, tunc patriarcha Gradenſis: dominus Petrus Iterii diœceſis Petragoricenſis, tunc epiſcopus Aquenſis: dominus Joannes de Blandiacho diœceſis Vticenſis, tunc epiſcopus Nemauſenſis: dominus Ægidius Ayſellini de Monteacuto Arvernigena, tunc epiſcopus Morinenſis & cancellarius Regis Franciæ; & dominus Androinus de Roca natione Burgundus, tunc abbas Cluniacenſis. Diaconi vero fuerunt, dominus Stephanus Alberti diœceſis Lemovicenſis, tunc electus Carcaſſonenſis nepos Papæ: dominus Guillelmus Biagolæ diœceſis Mimatenſis, tunc electus Vabrenſis: & dominus Hugo de S. Martiali diœceſis Tutellenſis legum doctor præpoſitus Doacenſis.*

(*a*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq. Contel. in Innoc. VI. & alii.*

Novorum Cardinalium creatio.

* *Fortanerius*

V.

Quamvis vero peſtilentia genus humanum adeo, ut diximus, affligeretur; obſervat tamen Matthæus Villanus (*b*), vitia hominum non emendata fuiſſe, ſed in iis effrænata licentia volutatos pecudum more, quæ dum ſocias in laniena trucidari intuentur, ſalire ac laſcivire non abſiſtunt; ac rapinis & bello ut antea vacaſſe. Exercuere cæteris licentius prædones fœderati omnia ſcelerum genera, qui cum diuturno tempore in caſtris verſati, aſſuetique armis & rapinis, priſtinum vitæ genus abiicere aſpernarentur, præfectis ſibi ducibus juſtos æquarunt exercitus, pluraque regna evaſtarunt. Luxit ſub horum furore præcipue Gallia, inque magnas anguſtias aula pontificia adducta eſt, ut narrat Rebdorſius: (*c*) *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXI. *menſe januario quædam ſocietas armatorum ſe congregat iterato ut ſupra circa Avenionem ſupra Rhodanum, & capiunt caſtrum Spiritus ſancti & pontem Rhodani ibidem, ut probiberent victualia deferre curiæ Romanæ; ac prædas & cædes faciunt circumquaque. Et ſic ſocietas triplex, una circa Rhodanum ab Aquilone, alia ex parte auſtrali verſus Montempeſſulanum, tertia ab oriente verſus Carpentracum; ita quod curia timuit ſibi multum: ſed tamen aſſeruerunt, quod Papam & curiam nollent damnificare. Securus autem non patuit introitus curiæ Romanæ: propter quod* * *magna, quam propter priorem ſocietatem curia eſt valde turbata, & pro ſubſidio dominus Papa legationem domino Carolo Imperatori & Alemanniæ principibus dirigit ſerioſam.*

(*b*) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 46.

Prædonum graſſationes.

(*c*) *Rebdorf. in annal. Vualſing. in Eduard. III.*

* *magis.*

Confugit itaque ad ſolitum in extremis rebus perfugium Innocentius & crucis inſignia attolli juſſit (*d*), ac ſacræ expeditioni Petrum Oſtienſem epiſcopum præfecit, præmia indulgentiarum iis pollicitus, qui ipſum adverſus hoſtem ſequerentur, ut Innocentii vitæ ſcriptor ſubjectis verbis exponit (*e*): *Innocentius Papa cum tota ſua curia, nec immerito, fuerunt plurimum conturbati: & ob hoc ad obviandum eorum malitiæ per ipſum Papam tanquam contra hoſtes Dei, fidei, & eccleſiæ ſuæ fuerunt facti proceſſus, & data cruciata, conceſſaque indulgentia plenaria omnibus expugnantibus & perſequentibus ipſos. Quibus per varias partes divulgatis, venerunt quamplurimi crucis ſignaculo inſigniti, adverſus eos dimicare & certare diſponentes: quibus idem Innocentius conſtituit capitaneum & ductorem dominum Petrum Cardinalem Oſtienſem ſuperius nominatum. Sicque per Dei gratiam actum eſt, quod dicti malefici locum prædictum ſatis cito poſt dimiſerunt.* Moviſſe rurſus, poſtquam Petrus Oſtienſis lue extinctus fuit, eaſdem ſocias turmas, ac Venuſinum comitatum infeſtaſſe, donec Marchio Montisferrati ipſas conduxit, ut eas adver-

Cruceata militia in eos conſcripta.

(*d*) *Matth. Vill. l.* 10 *c.* 27.

(*e*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet.*

NOTÆ obſcuræ lucem affundere conabor ex Polyhiſtore F. Bartholomæi Ferrarienſis, qui tunc in vivis agebat. Narrat ille cap. XLII. Rer. Italic. to. XXIV. hoc anno die VI. Octobris nunciatum fuiſſe Ferrariæ D. Fortanerum ex ordine FF. Minorum Patriarcham Gradenſem (quem Ferrarienſis Archiepiſcopum Ravennatenſem ideo appellat, quod Ravennatenſis Eccleſiæ adminiſtrationem a pontifice ſuſcepiſſet teſte Rubeo hiſt. Raven. lib. VI.) in Cardinalium collegium cooptatum fuiſſe. Quod præſtitum die XVII. Septembris optime Ciaconius notat. Sed obtenta dignitate non diu frui licuit Fortanerio, nam die XII. Novembris obiit Ferrariæ, non vero Patavii, ut Ciaconius ſcripſit ex eo deceptus, quod locum ſepulturæ (nam Patavii ſepultum notat Ferrarienſis) pro loco emortuali accepit. Novem ergo Cardinales hoc anno ſublati ſunt, ſed æſtate quidem nonniſi VIII. quos Villanus recenſet, quibus acceſſit nonus Fortanerus, nonniſi tamen exeunte anno defunctus. Nihil ergo mendi apud Villanum, qui cap. XLVI. Cardinales ex hac luce ſublatos toto hoc anno novem aſſignat. Capite vero LXXI. octo illos memorat, qui ante menſem Septembrim fatis ceſſerunt. Errat vero Annaliſta, qui Fortanerum hoc anno Septembri menſe in cardinalem aſcitum notat, ut in locum novem cardinalium, qui jam obierant, ſubſtitueretur. Ex his etiam certa dies emortualis Fortanerii, quæ hucuſque latuerat, innoteſcit. Mansi



verſus Vicecomites Mediolanenſes immitteret, quarum ope in Pedemontio plura loca expugnavit, e Rebdorſio (*a*) & Matthæo Villano (*b*) colligitur. Ex iis vero palabundis copiis, nonnullæ audax facinus intercipiendæ Avinionis diripiendæque ſunt meditatæ: atque ideo ſubmiſſi ſunt exploratores, de quibus captis, affectiſque ſupplicio hæc tradit laudatus Reborſius (*c*): *Eodem anno menſe decembri quidam de ſocietate redeuntes præſcriptam clam intrabant civitatem Avenionenſem, tradere volentes eandem, quorum aliqui deprebenſi fuerunt & uno die decem perſonæ in fluvio Rhodano ſuffocatæ, & undecim patibulo ſuſpenſæ.* His conſentientia ſcribit Matthæus Villanus (*d*).

(*a*) *Rebd. in annal.*
(*b*) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 43.
(*c*) *Rebdorf. in annal. hoc ann.*

Intercepti Avenionem prodere molientes.

(*d*) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 82.

Dum tot tantaque mala humanum genus conſternebant, oſtenſa e cælo prodigia impendentium aliorum minaci ſpecie magis terruerunt. Hæc enim inter cætera recenſet Thomas Walſingamus (*e*): *Burgundiæ cecidit pluvia ſanguinea &* VI. *kal. junii in feſto corporis Chriſti Boloniæ apparuit crux ſanguinea in aere a mane uſque ad horam ſextam, eam multis videntibus: & tunc ſe movebat, & in medio mari cecidit.* Nonnulliſque interjectis: *In æſtivo tempore bujus anni in Anglia & Francia in locis deſertis & planis, pluribus ſæpe videntibus, ſubito apparuere duo caſtella, de quibus duo exercitus egrediebantur armatorum, quorum unus ſignis militaribus ornabatur, alter vero nigro colore veſtiebatur: & congredientes milites vicerunt nigros. Interim adunati nigri milites ſuperabant, & regredientes in caſtella omnia diſparuerunt.* Non ea vana fuiſſe, rerum exitus docuerunt: Burgundia quidem defuncto Philippo ſuo duce magnis calamitatibus implicita eſt: crucis oſtentum ſecuta eſt cruceſignatorum in Saracenos expeditio: denique in Caſtella Angli & Franci, ſecuturis annis adverſorum Petri & Henrici Regum partes ferro defenſuri, viſa in Galliis & Anglia caſtella, commiſſaſque pugnas futurorum fuiſſe præſagia demonſtrarunt.

Crux ſanguinea oſtenſa e cœlo.

(*e*) *Valſing. in Eduard. III.*

Exercitus in aere viſi.

VI.

Commigraſſe autem hoc anno in Gallias Henricum Traſtamaræ comitem atque alios fratres, qui ſibi a Regis Caſtellæ ſævitia male metuebant, ut vagas Gallorum turmas ad Caſtellam invadendam ductarent, refert Joannes Mariana (*f*), cum nimirum initæ inter Aragonium & Caſtellanum concordiæ occaſione ex pacis legibus abire Aragonia juſſi eſſent. Conciliati vero ſunt diſſentientes Reges præcipua Guidonis epiſcopi Portuenſis opera (*g*), quem ab Innocentio miſſum vidimus, eaque conditione ſancitum fœdus (*h*), ut quæ in eo bello utrinque capta erant, reſtituerentur: ſed nec diuturnum futurum, nec ſinceris animis pactum. Neque recreata propterea eſt Caſtella belli metu, ſed in majore inſtaurando occupata fuit, cum Galli ob Blanchæ Reginæ atroces injurias regiorum fratrum ſignis acceſſuros ſe minitarentur.

(*f*) *Marian. de reb. Hiſp. l.* 17. *c.* 4.

Pax inter Aragonem & Caſtellanum inita.

(*g*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſquet.*
(*h*) *Marian. ſuper. c.* 4.

Auxiſſe inde Regem ſæviſſimum in Reginam odium, ac veneno medici opera propinato illam de medio ſuſtuliſſe ſcribit Mariana (*i*): *Deteſtandam*, inquit, *veſaniam, impium & crudele facinus, puellam inſontem regio ſanguine nobiliſſimam, lectiſſima forma, ſanctiſſimis moribus prudentiaque, vigeſimoquinto ætatis anno peremptam.* Et infra: *Sed te, Rex truculente; fera verius immanis, divina ira manet: tuum caput boc ſanguine conſecratur.* Nonnulliſque interjectis verbis, quæ ſceleris odium ab auctore expreſſit, ſubdit: *Fama eſt, & idonei auctores confirmant, Regi ad Aſſidoniam venanti paſtorem occurriſſe vultu veſteque borridum, capillo barbaque ſqualidum, extrema comminantem, ni mutata mente Blancæ calamitate moveretur. Miſſi qui indagarent, an Reginæ ſuaſu ea paſtor renuntiaſſet, nixam genibus caſtiſſimis, precibus vacantem, invenerunt aditu ita clauſo, ut omnis ſuſpicio amoveretur. Opinio bominum magis confirmata, cum paſtor e vinculis emiſſus nunquam comparuiſſet, aliquo inſtinctu inflatuque divino prædixiſſe futura.* Hactenus Mariana.

Regina Caſtellæ a viro necata.

(*i*) *Eod. cap.*

Monitus Caſtellanus imminentis exitii.

VII.

Hoc eodem anno liberatus eſt Anglico carcere Joannes Francorum Rex, cum prius ſacro ritu pacem ſervaturum ſe ſanctiſſime ſpopondiſſet, ut deſcribit Walſingamus (*k*): *Celebrata*, inquit, *miſſa de ſancta Trinitate a Cantuariæ archiepiſcopo cum magna ſolemnitate, aſtante Rege cum filiis ſuis, & accenſis luminaribus & crucibus erectis, ſuper ſacroſanctum corpus Dominicum & miſſale ſinguli, qui non prius juraverunt, hoc ſacramentum præſtiterunt in ſcriptis, archiepiſcopo Cantuarienſi incipiente: Nos Nicolaus archiepiſcopus Cantuarienſis juramus ad ſacroſancta corpus dominicum & evangelia, firmiter ſervare penes nos pacem & concordiam firmatas inter Reges, & nullo in contrarium venire. Quibus expletis, ſinguli ſuas ſchedulas regiis notariis tradiderunt. Rex autem Francorum cum ſuis nobilibus idem præſtitit juramentum: ſicque firmata pace inter duo regna liberatus eſt Rex Joannes.*

Joannes Rex Anglico carcere liberatus.

(*k*) *Vualſ. in Eduar. III.*

VIII.

Pandebatur hoc tempore egregia Chriſtianis rei præclare gerendæ adverſus Saracenos occaſio, quorum vires in Syria, Damaſceno regno & Ægypto ob peſtis ferociam, ut ſupra indicavimus, attritæ admodum fuerunt (*l*). Inteſtinæ etiam ipſos diſcordiæ exagitarunt, dumque in rebelles ſigna attolleret ſoldanus Babylonius, a conjuratis cæſus occubuit (*m*); faterque ad ſolium evectus qui cum in ſe novam conjurationem conflatam accepiſſet, ſingulos illius participes variis occaſio-

Syria inteſtino bello vexata.

(*l*) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 30.

Soldanus a ſuis cæſus.

(*m*) *Cap.* 39.

ſionibus e medio ſuſtulit: ſed demum & ipſo ab aliis necato, regnum puero fratri moderando ſceptro impari, traditum eſt. Schiſmaticorum porro Græcorum res magis in dies dilapſæ proſtratæque a Turcis: quorum princeps Amurates, ut ſcribit Matthæus Villanus (a), cum ob Joannis Palæologi cum Cantacuzeni ſequacibus diſſidia ſæpius Conſtantinopolim tentaſſet, in ſpem potiundæ urbis erectus, ſi Imperatorem inſidiis tolleret, mortem illi inferre eſt molitus. Qua aperta conjuratione, etſi nefarium conſilium ad exitum non perduxit; cum tamen Gallipolim magnis præſidiis teneret, terra marique graviſſimas Græcis clades inflixit. Tradit idem author (b), eumdem barbarum menſe novembri, inito cum ſequacibus Cantacuzeni fœdere, Didymotichum ampliſſimam urbem Theſſalonicam inter & Conſtantinopolim ſolo terrore oppreſſiſſe. His addunt annales Turcici, (c) capta Didymoticho Ypſalam & Hadrianopolim ignava Græcorum deditione ab Amurate in ſervitutem redactas.

(a) *Cap.* 40.

Tentata a Turcis Conſtantinopolis.

(b) *Cap.* 78.

(c) *Annal. Turc. n.* 31. *&* 32. *& Jo. Leuncl. in pandect. hiſt. Turc. ibid.*

IX.

Sinopenſes a Genuenſibus profligati.

At contra catholicis adverſus infideles feliciter bellicæ res ceſſere: Sinopenſes enim ad Pontum Euxinum, qui Theodoſiam Genuenſium coloniam, vulgo Caffam, tentarant irrito conatu, a claſſe Genuenſi profligati ſunt (d). Reportata etiam a Petro Rege Cypri celebris victoria: in ſpem enim propagandæ rei Chriſtianæ erectus, ſancito cum Rhodiis equitibus fœdere, ac magna comparata claſſe, Sataliam Turcarum, urbem opulentam triplici cinctam muro adventu improviſo cepit (e). Nec minus in ea defendenda adverſus Turcarum, collectis raptim copiis ingruentium, conatus prudentia Rhodiorum equitum virtuſque eluxit. Inde in Candelorium belli molem convertit Cyprius: cujus terrore barbarus toparcha ſe illius vectigalem futurum, eſt pollicitus. Nonnullæ etiam aliæ arces ereptæ barbaris a Cyprio, de quibus & Satalia expugnatis extant Urbani V. literæ (f) ad Imperatorem ac Reges, quibus ampliſſimam inde Aſiæ debellandæ occaſionem affulgere ſignificat, inferius a nobis afferendæ. Porro B. Petrum Thomam, creatum ab Innocentio VI. adverſus Turcas in oriente legatum, ad inſtaurandum religionis cultum mox Sataliam provolaſſe, referunt ejus acta (g): *D. Petrus Thomas, pleniſſime legationem obiens, maximos animarum fructus faciebat, quas ad viam ſalutis reducebat. Audiens igitur, quod Petrus Rex Cypri inexpugnabilem urbem Sataliam vi oppugnando cepiſſet, nulla mora ſe illuc contulit, ibique plantavit eccleſiam, inſtituit ſacerdotes & religioſos, qui divinum officium celebrarent: animavitque vehementer Chriſtianos, quos urbis cuſtodes in præſidio Rex collocaſſet, multas eis gratias & privilegia relinquens. Tum rediens in Cyprum proceſſiones & miſſas ſolemnes præcepit pro habendis gratiarum actionibus de victoria, quam Deus Regi contra fidei Chriſtianæ hoſtes dediſſet, & Regem, nobiles, reliquumque populum Cypri in amore divino confirmavit.* Subdit Philippus e Mazeriis teſtis oculatus Cyprum, cum hoc tempore peſtis eam depaſceret, ejuſdem B. Petri ad Deum precibus non ſine inſigni miraculo fuiſſe liberatam.

(d) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 63.

Satalia a Cyprio expugnata.

(e) *Cap.* 62.

Candelorii toparcha vectigalis factus.

(f) *Urban. to.* 1. *ep. ſecr. pag.* 161.

Sataliæ religio a B. Petro A. S. L. reſtituta.

(g) *Philip. e Mazeriis in vita Petri Thomæ.*

*Hiſce temporibus*, inquit, *maxime lues circum Cypri regnum graſſabatur: & tandem Famaguſtam infecit cum tanto furore, ut quicumque inficerentur, uno die aut altero perempti efferrentur. D. Petrus Thomas miſericordia motus, ſalutis populi cupidus, ſine ullo peſtis timore inſtituta proceſſione ſolemni, nudis pedibus in prima & præcipua urbe Cypri Nicoſia nomine, inductoque ad peragendam pœnitentiam populo, Famaguſtam venit, ubi creſcebat in dies, & adeo augebatur peſtilentia, ut ſingulis diebus triginta vel quadraginta homines de medio tollerentur. D. Petrus Thomas, volens iram Dei cobibere, diem dixit, qua ſolemnis fieret proceſſio; & unumquemque cohortatus eſt, ut vellet intereſſe nudis pedibus, & pararet ſe jejuniis & abſtinentiis pane & aqua contentus. Die dicta univerſa multitudo convenit in eccleſia cum innumeris luminaribus, nudis pedibus, & in aqua & pane jejunantes. Tunc D. Petrus Thomas pontificalibus veſtimentis ornatus proceſſionem inſtituit, ſuiſque concionibus & cohortationibus eo pietatis & fervoris populum incendit, ut non modo Chriſtiani, ſed etiam infideles Saraceni, Turcæ, & Judæi lachrymas ſiſtere non valentes, nudis pedibus pariter cum aliis incederent. Qua proceſſione finita, contritoque vehementer populo, ſubito miraculo civitas Dei miſericordiam experta eſt per merita ſervi ſui fidelis: nam Deus, populi ſui peccata oblitus, omnes urbis infirmos ſanavit, nec ullus occubuit, quamvis peſte infecti in ducentis locis mortem expectantes jacerent: quodque miraculum effecit majus, revolutionem luna peragebat, & tunc pro medicorum ſententia pauci ſolent evadere: & ab eo die peſtis Famaguſtæ extincta eſt & in reliquis regni Cypri partibus per Dei miſericordiam & per merita B. Petri Thomæ.*

Ejuſdem in Cyprios peſte laborantes charitas.

Ut precibus placato Numine eam averterit.

Commoti ad criminum dolorem infideles.

X.

His præmittit idem author egregium aliud miraculum non prætereundum ſilentio, dum nimirum ad impoſitæ ſibi a ſede apoſtolica legationis munus ſtrenue obeundum mare ſulcabat, projecta cruce frementes procellas ipſum compeſcuiſſe: *Alias*, inquit, *navigante D. Petro Thoma Rhodo in Cyprum, tantum incurrit periculum navis, ut naufragium præſens crederetur. Nautæ, ut mortem rati proximam,*

om-



*omni humano deſtituti auxilio, clamantes ad cælum, ſexdecim anchoras fortiſſimas in mare projecerunt: quæ nihil profuerunt, intumeſcentibus maris fluctibus. Tunc omnes ad D. Petrum Thomam confugerunt, qui in eadem navi eſſet: qui pronus & fervens in orationes a Deo exauditus ſurrexit & projecta in mare devotiſſima cruce, quam ſecum geſtabat, facta eſt ſubito maris tranquillitas maxima. Stupuere vehementer omnes, qui verſabantur in navi præ miraculo; qui quidem gratias Deo reddiderunt, qui ſervi ſui meritis ex præſenti naufragio eripuiſſet.*

Æſtuoſum mare projecta cruce ſedatum.

Annus

I. ANnus a Virginis partu milleſimus trecenteſimus ſexageſimus ſecundus indictione quintadecima, ſublato Innocentio Pontifice optimo, magnum eccleſiæ luctum attulit. De cujus obitu antequam dicamus, geſta extremo pontificatu ſunt exponenda. Recuperatæ ab eccleſia Bononiæ dolore furens Bernabos Vicecomes inferendi belli Pontifici cauſas affectaturus, indignas pacis leges Innocentio propoſuit (*a*): ut nimirum filius Mediolanenſi archiepiſcopatu ornaretur, edictoque apoſtolico caveretur, ut Mediolanenſis archiepiſcopi electio ex Vicecomitum voluntate penderet: reſtitueretur ab Imperatore omnibus honoribus, quibus ob Romanam eccleſiam injuſto appetitam bello exutus fuerat: bellum in quoſcumque gerere, excepta eccleſia, poſſet; ea tamen lege, ut iis Pontifex non ſtuderet, Bononia vero Piſanorum cuſtodiæ traderetur. Inſultantem tyrannum, ac viribus ſuperiorem eccleſia propulſare non poterat, neque injuſtis ejus poſtulatis aſſentiri; cum aliunde turbidis rebus lux affulſit. Magnates enim Itali Bernabonis finitimi Caniſſignorius Veronenſis, Carraria Patavinus, & Ateſtinus marchio Ferrariæ præfectus, veriti in ſe belli molem ſubacta Bononia, a tyranno verſum iri, (*b*) Ægidium Cardinalem legatum de faciendo fœdere appellarunt. Ita junctis horum principum ac Pontificis armis, mox Bernabonis potentia contundi cœpit (*c*). Pœnituit illum, acceptis nonnullis adverſis caſibus, pacem reſpuiſſe, atque ad eam exorandam oratores Avenionem miſit: ſed lubricam & inconſtantem hominis fidem noverat Pontifex, atque de inito cum principibus Italis fœdere a Cardinale legato certior factus, non fidendum Bernabonis verbis, ſed illius vires, ne poſtea noceret, infringendas cenſuit. (*d*) Dum itaque arma in eum legatus una cum ſociis expediebat, Innocentius legibus ac judiciario ordine in illum agere perrexit (*e*), atque anathemate non ipſum modo, ſed omnes, qui adverſus eccleſiam auxilio forent, devinxit. Lata in eum ab Innocentio edicta producere non poſſum, cum hujus & ſuperioris anni regeſta non repererim: ex iis tamen, quæ Urbanus V. adverſus Bernabonem edidit, conſtat Innocentium juſtiſſime in eumdem Bernabonem tamquam impium atheum & crudelem carnificem, ac perſecutorem eccleſiæ fuiſſe concitatum, de quibus iterum in Urbano ſermo recurret. Jam quæ ſub Innocentio evenere, conjungemus.

Bernabos Vicecomes eccleſiam vexat.

(*a*) *Matth. Vill. l.*10. *c.*90.

Propoſitæ ab eo indignæ pactiones.

Principes Itali in eum arma jungunt.

(*b*) *Cap.* 96.

(*c*) *Lib.*11. *c.*4. 9. 14.

(*d*) *Lib.*10. *c.*99.

Lata in ipſum pontificia ſententia.

(*e*) *Eod. cap.*

II. Rediere ad pontificis obſequium Romani, qui ob nonnullas inteſtinas turbas ſe ab illius imperio ſubduxerant. Corripuerat (*f*) inter ipſos publicæ rei adminiſtrationem plebejus vir Lellus Pocadote qui ſutoriam calceorum exercebat. Is invidia ſtimulatus nobiles Romanos urbe exegerat: qua ipſi injuria laceſſiti recuperandæ patriæ deſiderio prædonum ſocietatem conduxere. Horum itaque pavore perculſi Romani, ut periculum imminens depellerent, ſeſe Innocentio ſubjecere, ea tamen lege, ne Ægidius Cardinalis legatus ipſis præeſſet: frænari enim ejus diſciplina pertimuerunt, quam ante experti erant: extant enim illius conſtitutiones, quas pro ſtatu urbano & Piceno componendo edidit, quibus poſtea Sixtus IV. Apoſtolicum robur adjecit (*g*), eaſque ſervari juſſit. Cæterum coiverat memorata prædonum ſocietas exorti Piſanos inter & Florentinos belli occaſione, ut refert Matthæus Villanus (*h*), qui fuſe in eo bello acceptas illataſque clades proſequitur (*i*).

Roma ab homine plebcio adminiſtrata.

(*f*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.* 25.

Pontifici ſe ſubiiciunt Romani.

(*g*) *Ext. in bullar. to.* 1. *in Sixt. IV. conſt.* 15.

(*h*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.*23.

Tradit idem author (*k*), Ludovicum Siciliæ Regem Neapoli menſe majo hujus anni lethali morbo correptum obiiſſe (*l*), cum paulo ante, quaſi divino quodam afflatu imminentem mortem præſagiiſſet, anteactæ vitæ ſcelera expiaturus peregrinationem ad ſacra Apoſtolorum Andreæ, Bartholomæi, ac Matthæi, qui Amalphi, Beneventi, & Salerni quieſcere exiſtimabantur, veneranda ſepulchra magno pietatis ſenſu delibutus cultu modeſto admodum ſuſcepiſſet (*m*). Quo vita functo, Pontifex, ne quid detrimenti regnum eccleſiæ vectigale caperet, neve Fridericus Aragonius, qui partem Trinacriæ retinebat, ex qua proferebat in reliquam imperium, a Petro Rege Aragonum ſocero adjutus novas res moliretur, Guillelmum Grimoardum abbatem, qui ipſi in pontificatu ſucceſſit, Neapolim legavit (*n*); cujus mentionem facit MS. Vaticani auctor (*o*), dum ait: *Eodem anno mortuus eſt Ludovicus Rex Siciliæ, cujus exequias fecit fieri dominus Papa de menſe junii die vigeſima, mittens ad partes illas nuntium dominum Guillelmum Grimoaldi, tunc abbatem Maſſilienſem, qui poſtea electus eſt, ibidem exiſtens, in Papam, & Urbanus V. appellatus.* Hæc ibi.

Lud. Regis Neap. mors.

(*i*) *Lib.* 10. *c.*2. 17. 18. 19. 20.

(*k*) *Lib.*10. *c.*100.

(*l*) *Summ. hiſt. Neap. l.*3.

(*m*) *Matth. Vill. ſup. c.* 100.

(*n*) *Ib. l.* 11. *c.*26. *& geſta Urb. V. apud Boſq.*

Guillelmus Grimoaldus abbas in Siciliam miſſus.

(*o*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3765.

Regio funeri pontificium adjungimus, nimirum Innocentii Papæ, de quo idem auctor ſubdit: *Poſt hæc dominus Innocentius modicum decumbens, cum eſſet ſenio & ætate confectus, die* XII. *menſis ſeptembris obiit, &* XIV. *ſepelitur in eccleſia D. Mariæ de donis, ibique manſit uſquequo tranſlatus fuit.* Eadem confirmat & enarrat ipſius vitæ ſcriptor (*p*): *Tandem*, inquit, *poſt labores multos & anxietates innumeras, quas habuit tam in corpore quam in mente propter varias & plurimas infirmitates & turbationes, quæ ſuo tempore tam ſibi quam toti mundo (ut præmittitur) contigerunt, in pace quievit anno Domini MCCCLXII. die* XII. *menſis ſeptembris pontificatus ſui anno decimo: fuitque ſepultus in eccleſia majori Avinionis, demum transferendus ad domum Carthuſienſem Villænovæ, in qua vivens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam, vacavitque ſedes diebus quadraginta quinque.* Quod vero ad diem obitus attinet; duodecimum ſeptembris fuiſſe confirmatur etiam ex Urbani ſucceſſoris literis encyclicis paulo poſt afferendis, qui Innocentium pridie idus ſeptembris mortuum teſtatur, [1] cui adſtipulatur Rebdorfius (*a*) ejus temporis author: *Qui*, inquit, *deceſſit Avenione anno Domini MCCCLXII.* II. *id. ſeptembris, qui fuit feria ſecunda ante feſtum exaltationis ſanctæ Crucis.* Ex quibus corrigendus error, qui in Matthæum Villanum (*b*) irrepſit, dum loco XII. XI. collocatur. Sedit annos novem, menſes octo, dies viginti ſex, ac laudibus ab omnibus tum ob vitæ integritatem, tum ob pontificatum egregiæ adminiſtratum cumulatur. Ab eodem pontifice affirmat Petrarcha (*c*) ſe rogatum ut ei ab epiſtolis eſſe vellet: ſed vitæ priſtinæ ſtudium ac ſenectutem excuſaſſe, cum etiam apud prædeceſſores Pontifices, atque Imperatorem Regemque Francorum, qui ipſum magnis promiſſis allicere contendebant, eadem excuſatione uſus eſſet. Et quidem Innocentium politioribus literis excultos honoribus & benevolentia proſecutum, refert ejus vitæ ſcriptor (*d*), ex quo decerpenda, addendaque hic nonnulla Innocentii geſta inſignia putamus.

Innocentii Papæ obitus.

(*p*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

Sepultus apud Carthuſianos.

(*a*) *Rebdorf. in annal.*

(*b*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.*26.

(*c*) *Petr. rer. ſenil. ep.* 1. *&* 3.

(*d*) *Geſta Innoc. VI. apud Boſq.*

III. *Dictus*, inquit, *Papa ſuo tempore fecit claudi & circuiri totam civitatem Avenionem*

Cincta ab eo muris Avenio.



NOTÆ [1] INnocentius Papa hoc anno, die & menſe ab Annaliſta indicato obiit. Virum hunc a literarum ſcientia, morum probitate, ſtudio ditionis Eccleſiaſticæ tuendæ atque recuperandæ commendant omnes. Verum difficile eſt in medio virtutis conſiſtere, & facile in alterutram partem inclinare. Propenſiorem in ſuos fuiſſe, quos Eccleſiaſticis dignitatibus paulo liberalius cumulavit, teſtatur Author primæ ejus vitæ apud Baluzium; *quamquam*, addit, *ut plurimum boni, & ſufficientes* fuerunt. Juſtitiæ rigidus exactor durior nonnihil eſt habitus: *Vir fuit durus, & magnæ probitatis*, ſcribit Andreas Ratiſponenſis, ſæculi XV. ſcriptor. Tranquillitatem amaſſe magis quam vitam actuoſam afferit Martinus Fuldenſis, qui ad annum 1378. Chronicon ſuum perduxit vulgatum ab Eccardo in Corp. Hiſtoric. med. ævi to. I. *Hic fuit homo grandævus, & cum tranquillitate ſedit, & modicum fecit.* In eodem pontifice accuſando acerbior eſt Petrus Azarius Novarienſis tabellio in chronico de geſtis principum Vicecomitum, quem librum ad uſque præſentem annum ſibi emortualem perducit. Nam cap. XII. pontificem hunc ſugillat ceu curiæ Romanæ *vaſtatorem, qui nemini cuique gratiam fecerit; & qui beneficia voluit*, addit, *habuit ab ipſo & curialibus emere.* Sed criminationes iſtas a ſcriptore Vicecomitibus addicto in Pontificem arma in vicecomites tractantem, nemo prudens meliori teſte non perſuaſus admiſerit; nec ſane congruunt cum laude inſignis probitatis, & juſtitiæ, qua reliqui omnes ſcriptores Innocentium commendant.

Juſtis defuncto pontifici de more perſolutis, cardinales ad ſucceſſorem deligendum coiverunt. Admiſſus cum cæteris Androlinus, quem Innocentius in cardinalium quidem cœtum adſcripſerat; ſed arduis in regno Galliæ occupatus, ad pontificem pro abſolvendo ritu oris claudendi, & aperiendi venire nondum potuit. Diſceptatum aliquandiu inter Cardinales utrum ad jus ſuffragii exciperetur. Judicum ſententia admiſſus. Neque id novo exemplo factum animadvertit Pagius in breviario geſtorum Pontificum to. 4. pag. 109. edit. Luc. cum Gualterius Winkterburnus, Eduardo Angliæ Regi a ſacris confeſſionibus, presbyter cardinalis renunciatus ad conclavim anno 1304. venerit, & jus ſuffragii obtinuerit, *quamvis nondum haberet titulum, nec anulum, nec capellum*, ut ſcribit Bernardus Guidonis (non Guido ut per errorem ſcripſit Pagius) in catalogo cardinal. aſſumptorum ex ordine Prædic. apud Baluzium de vit. papar. Avenion. to. I. col. 980. Hanc cardinalium ſententiam ſequenti ſæculo revocavit Eugenius IV. edita conſtitutione cavens, ne ad jus ſuffragii admitteretur Cardinalis, qui in conſiſtorio jus promendæ ſententiæ nondum obtinuiſſet. Verum S. Pius V. ac demum Gregorius XV. conſtit. XIX. jus priſtinum cardinalibus ſtatim ab electione reſtituendum ſanxerunt.

De Pontifice deligendo diſceptantes Cardinales primo quidem ſatis frequentibus ſuffragiis convenerunt in cardinalem monachum Nigrum Lemovicenſem, teſte Matthæo Villani lib. XI. cap. XXVI. quo nomine deſignari Hugonem Rogerii Ord. S. Benedicti optime deducit Baluzius. Sed cum ille nondum propalatis ſuffragiis dignitatem deprecaretur ac detrectaret, alio ſe convertentes electores tandem Guillelmum Grimoaldum S. Victoris Maſſilienſis abbatem ex legatione Neapolitana quam ab Innocentio pontifice miſſus obiverat, reducem elegerunt. Dies electionis, & præſtiti ab illo in novam dignitatem conſenſus ab Annaliſta recte ſignatur. F. Bartholomæus Ferrarienſis in Polyhiſtore cap. ultimo ſcribit, Guillelmum hunc vix comperta ſua in pontificem deſtinatione voto fidem ſuam Deo obſtrinxiſſe, ut pontificiam ſedem Romam reduceret. Vera narrare hiſtoricum hunc colligo ex authore itiner. Italici Urbani V. apud Baluzium in collect. actor. veter. ad vitas papar. Avenion. col. 769. narrat enim pontificem cum ſacris operatus fuiſſet Romæ in ara S. Petri gratias Deo egiſſe eo nomine, quod voluit, *ut ipſe compleret votum & voluntatem ſuam.* Reliqua de hoc pontifice ab Annaliſta repetas. Unum hoc addam, Annalibus eccleſiaſticis apprime conducens, epocham ſcilicet annorum Urbani hujus pontificis non a die quidem electionis, ſed ab aſſumptæ coronæ exordiri, ut demonſtrant ejus literæ relatæ ab Annaliſta ad A. 1366. quæ cum ſcriptam ferant diem III. Kal. Novembris anni illius, anno tamen pontificatus IV. ſignantur, hæc ſane epocha ita cum annis a coronatione convenit, ut cum alio quocumque annorum exordio non congruat. MANSI

*nem muris & turribus altis & fortiſſimis, ac vallibus ſeu foſſatis ab extra: ex quibus dicta civitas, quæ per prius erat omnino aperta, effecta eſt fortiſſima, & ad reſiſtendum quibuſcumque eam expugnare volentibus multum bene diſpoſita & parata: voluitque, quod clauſura hujuſmodi haberet magnum ambitum ad hoc, ut proceſſu temporis infra ipſam poſſint fieri nova ædificia, ex quibus dicta civitas ampliaretur, includerentur etiam infra eam multa viridaria & loca amœna circa ipſam tunc exiſtentia, ac etiam hoſpitale miræ pulchritudinis pro tunc noviter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Raſcaſii legum doctorem civem Avenionenſem. Ædificavit inſuper idem Pontifex & dotavit in Villanova prope Avenionem domum Carthuſienſem, Vallis benedictionis nominatam, conſtituens in ea certum numerum fratrum ſeu monachorum ejuſdem ordinis, pro quorum ſuſtentatione ſufficienti multa bona deputavit. In Tholoſa vero, ubi a principio ſtuduerat, fundavit nobile collegium pauperum ſcholarium, quod ſancti Martialis voluit appellari, pro cujus dotatione multa bona expoſuit a Deo ſibi data.*

Carthuſianum monaſterium Villanovæ poſitum.

Collegium pauperum Toloſæ excitatum.

Recuperata ab eo ditio eccleſiaſtica.

*Ipſe fuit valde ſolicitus & curioſus circa recuperationem terrarum eccleſiæ in partibus Italiæ exiſtentium, pro qua expendit & expoſuit pecunias infinitas; & per Dei gratiam non in vanum: nam, ut ſupra tangitur, pro majori parte ſuo tempore recuperatæ fuerunt, & in ipſis pro earum tuitione multa caſtra ſeu fortalitia noviter inſtructa & antiqua reparata. Circa etiam bonam & debitam expeditionem & proſecutionem aliorum ſibi incumbentium, ac pertinentium ad officium ſibi creditum, cum magna diligentia vacavit & intendit: proceſſitque in omnibus cum deliberatione & conſilio tam Cardinalium quam aliorum peritorum, nihilque de contingentibus omiſit, quandiu potuit laborare. Fuit tamen multum oppreſſus & gravatus gutta & podagra, propter quod multoties fuit impeditus in prædictis, & præſertim in ſuis ultimis diebus, in quibus fuit admodum debilitatus & valetudinarius, cum eſſet ſatis annoſus, immo & ſenio confractus: ſemper tamen habuit bonam intentionem in ſuis omnibus agendis. Dilexit etiam pauperes, & eis libenter ſubvenit. Viros inſuper literatos fovit, eiſque benefecit & multos promovit. Juſtitiam manutenuit, & conſervavit, & in curia ſpecialiter voluit & ordinavit malos & inſolentes puniri. Suo enim tempore inſurrexit in Avenione quædam ſocietas, quæ Damperica vocabatur, cujus ſectatores de nocte incedentes furta, ſtupra, & maleficia multa committebant: de quibus idem Papa juſtitiam ſatis rigidam fieri mandavit; ſic quod multi ex eis etiam, qui ſe nobiles æſtimabant, erantque apparenter ſatis magni ſtatus, ſubmerſi fuerunt aut alias trucidati; quorum exemplo alii perterriti aut fugerunt, aut de prædictis deſtiterunt: & ſic dicta ſocietas evanuit ſatis cito. Plures ex ſuis tam nepotibus quam conſanguineis in eccleſia promovit & exaltavit: ad quod faciendum caro ipſum aliqualiter traxit & inclinavit, tamen ut plurimum boni & ſufficientes fuerunt, & in ſtatu eis dato bene & laudabiliter ſe habuerunt. Paucos habuit in ſtatu laicali ſibi multum propinquos, illis tamen ſic benefecit, quod poſt ipſum bene & honorifice cum eorum potentiis vivere & ſtare potuerunt: non tamen alias ipſos magnis dignitatibus aut honoribus ſublimavit.* Hactenus Innocentii Papæ geſtorum author.

Literas & jura coluit.

Sontes repreſſit.

In ſuos fuit indulgentior.

IV.

Sepulturæ tradito Pontifice, Cardinalium collegium Ægidium Card. Albornotium epiſcopum Sabinenſem Apoſtolicæ ſedis in Italia legatum de communis parentis obitu certiorem fecit (a).

(a) Apud Urb. V. to. I. ep. ſecr. p. I.

*Miſeratione divina epiſcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales, venerabili fratri Ægidio, Dei gratia epiſcopo Sabinenſi A. S. L. ſalutem in Domino.*

Cardinalium literæ ad Ægidium de morte Innocentii.

*Lacrymantibus oculis, profundiſque ſuſpiriis fraternitati veſtræ cogimur intimare, quod Altiſſimus, cujus pietas confert laborantibus requiem, & infirmantibus perpetuam ſanitatem, felicis recordationis domino Innocentio Papæ VI. multis laboribus & infirmitatibus jam confracto, ſua benignitate compatiens, ejus animam benedictam, poſt devotam ſuſceptionem eccleſiaſticorum ſacramentorum, pridie ad cæleſtem patriam, ut pie creditur, evocavit: hodieque in eccleſia Avinionenſi ſolemnibus pro ipſo exequiis fuit depoſitum honorabile corpus ejus. Veſtram igitur fraternitatem, quam gratiarum Dominus dotavit patientiæ munere, munivitque clypeo fortitudinis in adverſis, hortamur & rogamus attente, quatenus de tam flebili caſu, & damno tam grandi eccleſiæ ſanctæ Dei, prout decet veſtram prudentiam, & malæ conditiones temporum exigunt, conſolationis & confortationis ſpiritum aſſumatis, &c.* Rogant eum, ut clientes eccleſiæ omni ſtudio in officio contineat. *Dat. Avin. XVIII. kal. octobris dicta Romana eccleſia paſtore vacante.* Scriptis eodem die literis (b) Cardinales hortati ſunt Bononienſes, quos Bernabonis ſævitia infeſtabat, ut urbem ſtrenue contra illius impetus tuerentur, ac legati imperiis obtemperarent. Quo etiam argumento ad Nicolaum, Hugonem, & Albertum Ateſtinos marchiones; tum ad Canemſignorium & Paulum Albuinum fratres Veronenſes, tum ad Franciſcum Carrariam Patavinum fœderatos datæ literæ (c), ac de ſubrogando brevi optimo Pontifice ſpes ipſis datæ.

(b) Ead. pag.

(c) Ead. pag.

V.

Orta lis an Cardinalis, cui nondum os apertum, collaturus ſit ſuffragium.

Dum conclavi de more Cardinales includebantur, ſuborta eſt controverſia, an Androinus ad electionem una cum aliis





liis celebrandam admittendus eſſet, de qua hæc Urbani geſtorum ſciptor (a): *In hac electione,* nimirum Urbani, *fuit præſens tanquam in ipſa vocem habens admiſſus, & in conclavi cum aliis Cardinalibus introductus dominus Androinus de Roeba prius abbas Cluniacenſis, qui per dictum Innocentium Papam VI. factus fuerat presbyter Cardinalis; cum tamen nondum haberet titulum: nec vivente dicto Innocentio in conſiſtorio fuerat inſtallatus: intravit enim primo curiam dum dictus Innocentius laborabat in extremis, immo & quaſi hora, qua moriebatur. Quod ideo hic notanter inſerendum duxi, ut appareat, quod ſola aſſumptio ſeu promotio ad Cardinalatum dat vocem in electione Papæ & non tituli aſſignatio: & hoc expreſſe denotat regularis, ſeu communis obſervantia, quæ habet, quod noviter promoto ad dictum ſtatum per Papam clauditur os antequam ſibi titulus aſſignetur, ſicque manet ore clauſo, & vocem in nullo habens, donec demum ſibi aperiatur: & tunc ſibi titulus aſſignatur, & ut in poſterum loquatur, vocemque liberam habeat tam in dicta electione, quam aliis actibus ad ſtatum hujuſmodi pertinentibus, tribuitur & conceditur facultas, quæ per dictum oris clauſuram ſuſpenſa fuerat & effectualiter interdicta. Hoc etiam denotat verbum claudere, quod non poteſt locum habere niſi in re jam aperta: & ita pro vero & indubitato & de jure tunc tentum, habitum, & determinatum extitit concorditer per dominos Cardinales.* An vero poſtquam os clauſum eſt, nec dum apertum, ſuffragium in creando Pontifice ferre poſſit, certatum inferius viſuri ſumus.

(a) Geſta Urb. V. apud. Boſq.

VI.

Agitata pontificia electione, Cardinales in contrarias diſtracti ſunt ſententias; cum alii Lemovicenſem natione, cujus gentis imperium recens ad Anglum traductum erat, evehere ad ſolium affectarent, repugnarent alii, nec in aliquo e collegio conſentirent: demum Guillelmum Grimoaldum (de quo in regnum Neapolitanum legato ab Innocentio meminimus) genere Gallum, patria Belliquadrenſem, abbatem S. Victoris Maſſilienſis ordinis S. Benedicti, ſexagenarium, ut ait Matthæus Villanus (b), honeſtate morum, rerum peritia inſignem (quem narrat, audita Innocentii morte, Florentinis, a quibus magnificentiſſime erat exceptus, dixiſſe, ſi aliquando Pontificem qui ſedem Apoſtolicam in Italiam reduceret, ac tyrannos edomaret, intueri ſe contingeret, magna cum lætitia ſequenti die mortem obiturum) eccleſiæ catholicæ præfecerunt.

Grimoaldus abbas eligitur Pont.

(b) Matth. Vill. l. 11. c. 26.

Illius primitiæ.

De ejus primordiis, ac geſtis ante pontificatum muneribus, vitæ genere & electione anonymus ſcriptor hæc narrat (c): *Urbanus Papa V. natione Gallicanus de loco de Griſaco diœceſis Mimatenſis poſt dictum Innocentium VI. Avenione fuit electus in Papam die XXVIII. menſis octobris anno Domini MCCCLXII. & die VI. menſis novembris immediate ſequentis conſecratus & coronatus. Hic prius vocatus eſt Guillelmus Grimoardi, cujus pater fuit Grimoardus miles: & in adoleſcentia ſua ſub habitu monaſtico Domino voluit famulari, fuitque receptus in monachum in prioratu de Chiriaco dictæ diœceſis, a monaſterio S. Victoris Maſſilienſi dependente: ubi poſtquam fuit inſtructus in regularibus obſervantiis, ſe tranſtulit ad ſtudia literarum, in quibus adeo diligenter inſtitit & inſudavit, quod demum fuit effectus ſolemnis doctor decretorum; legitque ex tunc multis annis tam in Montepeſſulano, quam in Avenione. Tandem vero, ſuis ſuffragantibus meritis, primo ad monaſterium S. Germani Antiſſiodorenſis, poſtea vero ad monaſterium prædictum S. Victoris Maſſilienſis ſub quo primitus ordinem S. Benedicti profeſſus extiterat, promotus fuit, & abinde aſſumptus in Papam.* Et infra: *Modus autem ſuæ aſſumptionis ſeu electionis magis a Deo, quam ab homine videtur proceſſiſſe; attento præſertim, quod dicta ſede Apoſtolica tunc vacante erant in collegio Cardinalium multi valentes & ſufficientes viri, qui tamen [ut creditur] Deo ſic diſponente, concordare nequiverunt, ut ipſorum aliquis eligeretur: ſed poſt ſatis diuturnam vacationem, habentes aſpectum ad merita, virtutes, & ſufficientiam, de quibus magnam experientiam habuerant, cum inter ipſos in pleriſque officiis deputatus longis temporibus fuiſſet converſatus, in eum pro tunc abſentem, & in partibus Neapolitanis pro negotiis eccleſiæ Romanæ exiſtentem, ſua vota direxerunt.*

(c) Geſta Urb. V. apud Boſq.

Ut divino nutu vocatus ſit ad pontificatum.

Adorat inter alios divinæ providentiæ conſilia arcana Petrarcha (d) in evehendo ad pontificatum Urbano, præſagivitque ideo cœleſti nutu factum, ut Italiæ ſedem Apoſtolicam reſtitueret; ita enim in ſcriptis poſtea ad eum literis ipſum compellat: *Attendiſti acriter, certus ſum, ſervaſque memoriter quibus viis ad hoc culmen aſcenderis: neque enim in Deum fas eſt ingratum ſuſpicari eum, qui gratiſſimus in homines ſis. Non eſt quidem poteſtas niſi a Deo: non mentitur Apoſtolus, qui hoc ait. Verum hæc poteſtas, quæ aliunde utique non eſt, aliter atque aliter hinc eſt: ſæpe enim divina ſapientia ad ſuæ voluntatis effectum humanis actibus utitur ſucceſſione, electione, donatione, acquiſitione, & ſi qui alii ſunt modi, quibus homines ad aliquam poteſtatem perveniunt. Ubi humanorum actuum veſtigia atque effectus apparent, voluntas, ac diſpoſitio Dei latet: doctis tamen ac fidelibus non ignota. Et hoc calle ad papatum ante te noſtra memoria pervenerunt omnes. Eſt ubi ipſa*

(d) Petrarc. rer. ſenil. l. 7. ep. 1.

Expenditur res a Petrarcha.

ipſa Dei voluntas tam evidenter emineat, ut lippis quoque cæciſque etiam nota ſit: ſic ſe Deus per ſeipſum ſine medio velle aliquid oſtendit, ut nullæ ibi partes hominum videantur, quorum linguis aut manibus pro organo quodam inſtrumentoque utitur, illis ipſis quid per eos fiat ignorantibus, factumque mirantibus, ac fortaſſe dolentibus. Hoc tu noſtra ætate ſolus tramite conſcendiſti. Nemo te fallat, pater prudentiſſime: nemo tibi perſuadeat eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel unquam cogitaverit te ad papatum, non dicam promovere, ſed poſcere: ſi quis forte tibi aliud inſuſurrat, verba dat, te ſibi mendacio obligatum cupit. Deus te profecto, Deus [inquam] ſolus, & nemo mortalium elegit, linguis licet illorum (ut dixi) uſus, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſequium quodque ipſe volebat [dictu mirabile!] per volentes fecit. Hoc tibi acutiſſimo hominum quomodo rear incognitum, quod nemo fere vulgarium ignoravit?

Sed ſi nunc etiam notius fieri vis, quorum electus es vocibus, mores atque animos tibi notiſſimos contemplare. Pone ante oculos faſtum illum: nuſquam tanta rerum ſuarum exiſtimatio, parque contemptus alienarum. Alto loco aſſueti omnes, ad ſummum ſinguli aſpirant, quo vix eſt, qui alium quam ſe unum dignum cenſeat: ſed quoniam nominare alios eſt neceſſe, quiſque ſe cogitans, alium nominat, viciſſim ab aliis nominandus; ita neque quiſquam nominare poteſt, neque alium vult, niſi ex eodem numero, unde tanti beneficii vicem ſperet. Quando ergo illi hoc judicio & his moribus, quamvis vita conſpicuum, literis excellentem, humilis abbatem cœnobii nominaſſent, aut tantæ rei idoneum judicaſſent? aut quomodo illis in animum veniſſet, quod ſibi quiſque ſuis optabat, exteris dare; ſeu quem ex alto deſpicerent, ſupra ſe cernere; ſeu quo miniſtro uſi eſſent, dominum habere? Audacter forſan, ſed [ni fallor) vere dixerim, nunquam quo ſunt animo tale aliquid ſponte pati, ne dicam facere, potuiſſent. Non refert autem quid homines velint, ſed quid Deus: is te vero, non alium volebat, conſiliumque ſuum ultro non conſenſuris occultabat: quibus, ſcrutinia profunda verſantibus, ſic clanculum tuum nomen inſeruit, ut ex tot nominibus Romano cardine fulgidis, cum ſolus abbas Maſſiliæ ſonuiſſet, dolor & timor malos, gaudium & ſpes bonos, admiratio ac ſtupor omnes arriperet: omnes tamen una voce, variis licet affectibus, in laudem Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, ſtupentia ora reſolverent. Et ſi tanta de re ſententiam meam vis audire, quantum ſeu ſolem veſpertilio, ſeu peccator homuncio divinum conſilium intueri poteſt dicam. Et infra: Incipit, credo, Chriſtus Deus noſter ſuorum fidelium miſereri. Vult, ut arbitror, finem malis imponere, quæ multa per hos annos vidimus. Vult pro aurei ſeculi principio eccleſiam ſuam, quam vagari propter culpas hominum diu ſinit, ad antiquas & proprias ſedes ſuas, & priſcæ fidei ſtatum revocare. Non fefellit ſuam Petrarcham ſpes, revocatam enim ab eo in Italiam ſedem, prænuntiatamque mortem, ſi rediret in Gallias, viſuri ſumus.

Præſagit velle Deum ut Urbanus ſedem Apoſt. reſtituat Italiæ.

VII. Obſervat porro Urbani vitæ auctor, Cardinales non promulgaſſe deſignatum illum Pontificem, donec ad ipſos Avenionem acceſſiſſet: quamquam ad eum decretum electionis tranſmiſſum, M. S. Vaticani auctor refert his verbis (a): Peractis exequiis domini Innocentii more ſolito novem diebus, die decima Cardinales numero viginti intraverunt conclave, die videlicet B. Mauritii: & cum inter ſe concordare non poſſent, in dominum Guillelmum Grimoaldi, tunc abbatem S. Victoris Maſſilienſis abſentem in regno Siciliæ nuntium ſedis Apoſtolicæ, vota ſua major & ſanior pars direxit. Qui, decreto electionis accepto, in vigilia omnium ſanctorum reverſus eſt Avinionem. Interim vero quod Cardinales erant in conclavi, prælati quolibet die miſſas celebrabant, & ſermones faciebant, rogando Deum pro felici & celeri Pontificis proviſione, quodam ſpeciali officio miſſæ ad hoc ordinato, quod incipit: Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, &c. Die vero XXVII. cum D. Guillelmus Papa futurus applicuiſſet Maſſiliam, eodem die miſit dominis Cardinalibus conſenſum electionis de ſe factæ. Tum deſcribit, uti ſolemni ritu in ſacroſancto ſolio ſit collocatus: In vigilia, inquit, omnium ſanctorum inthronizatus fuit: & facta inſinuatione ad populum, quod Urbanus V. vocaretur, mox ab omnibus cantatum fuit, Te Deum laudamus. Die quoque dominica ſequenti, videlicet in feſto ſancti Leonardi poſt feſtum omnium ſanctorum, fuit in palatio apoſtolico coronatus per dominum Magalonenſem, qui tunc erat Oſtienſis epiſcopus; ſed poſt coronationem non equitavit per villam, ut moris eſt, licet omnia parata fuiſſent.

Accedente Avinionem Urbano, patefacta electio.

(a) MS. bibl. Vat. ſign. n. 3575.

VIII. Initiatus itaque ſacris pontificalibus Urbanus de ſuſceptis a ſe eccleſiæ catholicæ gubernaculis poſt Innocentii VI. obitum omnes orbis Chriſtiani præſules certiores fecit, atque ad conjungenda cum ipſo ad populum Chriſtianum optimis inſtituris informandum, ſuſtentandamque apud Deum precibus ipſius imbecillitatem de more eſt adhortatus Inſcriptæ ſunt eæ (b) Ægidio epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ ſedis in Italia legato, patriarchæ Aquilejenſi, Rhemenſi archiepiſcopo, aliiſque antiſtitibus, tum religioſorum ordinum ſupremis magiſtris, quorum omnium texitur catalogus: conceptæque ſunt iiſdem pene verbis. Nobis eæ viſæ ſunt adducendæ, quæ primæ occurrunt ad Ægidium Cardinalem datæ (a).

(b) Urb. to. I. ep. ſecr. p. 3. 4. 5. 6. 7.



(a) Ead. pag. 3.

Urbanus, &c. Venerabili fratri Ægidio epiſcopo Sabinenſi.

A. S. L.

Encycliex Urb. literæ de adepto pontificatu.

Nuper, videlicet II. idus ſeptembris proxime elapſi, piæ recordationis Innocentio Papa VI. prædeceſſore noſtro viam univerſæ carnis ingreſſo, ejuſque corpore cum ſolemnibus exequiis in eccleſia Avenionenſi depoſito, ad locum alium, quem ipſe (dum ageret in humanis) elegerat, poſtmodum transferendo, venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, tempore debito ſecundum præcepta canonum miſſarum ſolemniis in honorem Spiritus ſancti in electionem ſummi Pontificis, quæ facienda imminebat, eiſdem per ſuam affuturi gratiam, devotiſſime celebrandis, convenerunt inſimul in palatio apoſtolico Avinionenſi, in quo idem prædeceſſor tempore ſui obitus habitabat, de ſubſtitutione ejuſdem Pontificis tractaturi. Aliquibuſque tractatibus in hoc præhabitis, prout tanti negotii qualitas requirebat, tandem iidem fratres ad nos, qui tunc in minori conſtituti officio certæ nuntiationis miniſterium a præfato prædeceſſore nobis injunctum gerebamus in partibus Italiæ, intuitum dirigentes, nos in ſummum Pontificem & paſtorem univerſalis eccleſiæ concorditer elegerunt. Nos autem, qui ſumus cinis & pulvis, ex hoc fuimus non immerito ſtupefacti, cum oculi noſtri imperfectum noſtrum evidenter cernerent, & nec vires corporis, nec virtutum merita, nec ſcientiæ donum nobis ſuppeterent ad apoſtolici culminis ſpeculam conſcendendam, & graviſſimam totius orbis ſarcinam noſtris debilibus humeris perferendam. Cogitantes tamen quod eccleſiæ prædictæ diuturna vacatio, præſertim diebus iſtis, quibus (peccatis exigentibus) totus fere orbis in maligno eſt poſitus, magna poſſet pericula generare; ac confidentes in Deo, qui nos, licet indignos, ad paſcendum oves univerſi ſui gregis elegit, quod ſua conſueta miſericordia ad ipſius laudem & gloriam, ac noſtram & totius populi Chriſtiani ſalutem in ejuſdem populi ſalubri regimine dabit fortitudinem debili, indigno virtutem, & ſcientiam ignoranti; cum timore ac tremore divinæ voluntati paruimus, ac eorumdem fratrum deſideriis annuentes, fragilitatis noſtræ colla jugo ſubmiſimus apoſtolicæ ſervitutis, & heſterna die octavo idus novembris conſecrationis & benedictionis munus & coronationis inſignia recepimus, ut eſt moris.

Qua die ſacratus ſit Pontifex.

Ad præmiſſa itaque nobis neceſſaria obtinenda facilius tuarum orationum ſuffragiis indigentes, fraternitatem tuam hortamur ac obſecramus in Domino, quatenus debilitatem noſtram apud Altiſſimum tuis devotis precibus, adjuvans, injunctum tibi ab Apoſtolica ſede legationis officium ſolitæ tuæ prægrandis prudentiæ ſolicitudine proſequaris in terris tuæ legationis, charitativo comportans ſtudio impoſitam nobis univerſalis oneris gravitatem, ut mediantibus tuis auxiliis de grege nobis a ſupremo epiſcopo & paſtore commiſſo bonam eidem rationem reddere valeamus. Cæterum prægravem tuorum laborum ſarcinam, ſolicitudinis indefeſſæ ſolertiam, & variarum cogitationum anfractus ætatis tuæ gravedine cumulatos, quibus pro felici ſtatu & honore ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cujus honorabile membrum exiſtis, adeo vexaris aſſidue, quod dulcedinem quietis ignoras, per experientiam, qua illos tecum quandoque communicavimus in minori officio conſtituti, certa ſcientia cognoſcentes, tibi de illis paterne compatimur, & majoris adſtringimur vinculis charitatis; gerentes in votis ac propoſito illa (Domino adjuvante) peragere, quæ tuis conſolationi ac deſideriis reddantur accepta, honorem ejuſdem fraternitatis adaugeant, ac noſtris & eccleſiæ prædictæ ſubjectis, quos provide regis & protegis, expectatæ quietis tribuat incrementum. Dat. Avin. VI. id. novembris anno I.

IX. Excitatis itaque univerſis præſulibus ad munus ſtrenue obeundum, Imperatorem ad explicandam ſedi Apoſtolicæ opem, coercendos improbos, æquitatem tuendam, atque eccleſias ex impiorum injuriis vindicandis provocavit (b): Lætificat, inquit, non modicum mentem noſtram, & revelationis impoſiti nobis oneris ſpem etiam repromittit celſitudinis tuæ devota ſinceritas, per quam te cæleſti Regi reddis acceptum, & cunctis præbes amplectendæ imitationis exemplum. Quare imperialem ſerenitatem paternis affectibus hortamur in Domino ac rogamus attente, quatenus perſeveranter in Domini timore perſiſtens, ipſius ſtudeas cuſtodire mandata, colens juſtitiam & diligens æquitatem, virtuoſos exaltans & reprimens contumaces; memor, quod ad extollenda bonorum præconia, & refrænandas inſolentias tranſgreſſorum, accepiſti a Domino poteſtatem: pacemque, prout tibi poſſibile redditur, ſtudioſe procures univerſo populo Chriſtiano. Præfatam quoque Romanam eccleſiam, cujus es ſpecialiſſimus protector & filius, aliaſque eccleſias & perſonas eccleſiaſticas, tuo indigentes præſidio, præcipuis habeas favoribus commendatas, &c. Datum Avinion. VII. idus novembris anno primo. Invitati iiſdem ferme ſententiis Chriſtiani Reges (c) Joannes Francorum, Eduardus Angliæ, David Scotiæ, Petrus Caſtellæ, Petrus Luſitaniæ, Carolus Navarræ, Petrus Aragoniæ, Ludovicus Ungariæ, Caſimirus Poloniæ, Waldemarus Daniæ, Magnus Sueciæ, Aquinus Norvvegiæ, Petrus Cypri, ac Robertus dictus Imperator

(b) Eod. to. I. ep. ſecr. p. 8.

Rogatus Imperator ad fulciendam eccleſiam cæſareo ſubſidio.

(c) Ib. p. 8. & 9.

tor Conſtantinopolitanus, ut ſceptra juſte moderarentur, ac populum Chriſtianum in mutua pace & conſpiratione voluntatum foverent. Quo argumento extant etiam ad Eliſabetham Ungariæ & Joannam Galliarum Reginas (*a*): tum ad (*b*) Carolum Normanniæ, Ludovicum Andegaviæ, Joannem Biturigum, Philippum Turonum, Philippum Aurelianenſium duces, & alios Angliæ, Hiſpaniarum, Italiæ, ac Siciliæ principes: præterea ad Romanos, & alios eccleſiæ clientes inſigneſque populos datæ literæ, quibus omnibus ſtudia apoſtolica eſt pollicitus.

(*a*) *Ibid.*
(*b*) *Pag.* 11. 12. 13. 14.

X.

Significavit Urbano Joannes Francorum Rex, ſummam ſe ex ejus creatione lætitiam percepiſſe, ipſiuſque conveniendi conſilium ſumpſiſſe. Cui Pontifex peramanter ipſum a ſe exceptum iri reſpondit (*c*): Nos, inquit, *prout intelleximus per earundem literarum ſubſequentiam, perſonaliter viſitare proponis. Super iis igitur, fili chariſſime, ſerenitatis tuæ, quem mentis oculis intuemur & videre corporeis oculis ardenti deſiderio expectamus, te plene confidere volumus, quod nos, qui de tuo regno exiſtimus oriundi, ad ea, quæ tuum regnique præfati honorem, ſtatum, & incrementa concernant, mentem intentam habebimus. Dat. Avin.* VII. *id. novembris anno* I. Meminit de illius adventu (præter Matthæum Villanum (*d*), & alios) MS. Vaticani auctor (*e*) his verbis: *Idem Rex menſis hujus*, nempe novembris, *die* XX. *intravit curiam*. Et infra: *Eo præſente & tota frequentia curiæ corpus domini Innocentii fuit portatum ad monaſterium Carthuſienſe, ibique tumulatum in die S. Cæciliæ*. Refert Villanus (*f*) inter cætera poſtulaſſe Regem ab Urbano, ut filius Joannæ Reginæ viduæ connubio jungeretur: ac Pontificem ſubjeciſſe, rem ſibi gratiſſimam fore ea lege, ut in regno verſaretur, ac fidem ſedi Apoſtolicæ obſtringeret, annuumque vectigal penderet. De Philippo filio Turonum duce natu minimo ſibi chariſſimo, utpore qui in acie nunquam a paterno latere divelli potuiſſet, dum alii filii ac frater ipſum una cum copiis deſeruere, ad Siculum regnum evehendo agitabat: atque ad illius gratiam Pontifex, ſine cujus auctoritate Joanna Regina virum ducere non debebat, eam eſt adhortatus (*g*), ut ex regia Francorum familia, ex qua genus traxerat, virum ſibi matrimonio jungeret. At illa Jacobum Balearicæ ſtirpis principem inopem & profugum deſpondit, atque hæc conventa (*h*) cum ipſo iniit.

(*c*) *Ib. p.* 20.
(*d*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.* 31. 32.
(*e*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3765.
Gallorum Rex Urbanum adit.
(*f*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.* 32.
De filio Turonum duce Joannæ Reginæ deſpondendo agitat.
(*g*) *To.* 1. *ep. ſecr. p.* 17. & 18.
Joanna Baleari nubit.
(*h*) *Ext. apud Urb. an.* 1. *ep. diverſ. form.* 1.

XI.
Conventa inter eos inita.

*In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Amen. Anno nativitatis ejuſdem milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo indictione quintadecima die mercurii, quartadecima menſis decembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris domini noſtri domini Urbani, divina providentia Papæ V. anno* 1. *Univerſis præſens inſtrumentum publicum inſpecturis, pateat evidenter, quod dudum de contrahendo matrimonio inter sereniſſimos principes Jacobum, Dei gratia Regem Majoricarum, comitem Roſſilionis & Ceritaniæ, ac Montiſpeſſulani dominum, & dominam Joannam, eadem gratia Reginam Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Provinciæ, & Folcarquerii ac Pedimontis comitiſſam, certis tractatibus habitis hinc inde, tandem divina favente clementia de hujuſmodi inter eos matrimonio contrahendo per ipſos concordato his pactis & conditionibus inter eoſdem conventis & initis, quæ talia ſunt.*

*Primo quod ſufficiat domino Regi Majoricarum intitulare ſe titulo regni ſui Majoricarum, & non titulo regni Siciliæ; nec debeat nec poſſit petere coronationem nec inunctionem, ac ligium homagium a comitibus, baronibus, & regnicolis aliis, cujuſcumque conditionis, ſtatus, & gradus ſint, tanquam Rex Siciliæ vir dictæ Reginæ, ſed ſolum habeat ſacramentum aſſecurationis: nec de adminiſtratione dicti regni ac comitatuum Provinciæ & Folcarquerii ſe quomodolibet intromittet, ſed penes ipſam dominam in ſolidum debeat remanere.*

Prohibitum Jacobo ne Regis Siciliæ nomen affectet. Ne Siculos in ſua verba ſacramento adigat.

*Secundo quod non tractet, nec debeat habere ſeu tenere, vel haberi ſeu teneri facere per ſe vel concurrentes cum voluntate ſua, cujuſcumque nationis, fortalitia ubicumque per regnum: nec prætextu aliquorum ſumptuum, quos ſubire ipſum forſan prætenderet, vel contingeret in defenſione regni vel recuperationis inſulæ Siciliæ ſeu alio modo quocumque, competat ſeu competere poſſit tenuta ipſorum fortalitiorum vel terrarum & locorum regni: ſed ſemper remaneant in diſpoſitione dominæ, & ad ſuam proviſionem atque mandatum.*

Ne præſidia imponat arcibus.

*Tertio quod ſi contingeret dominam prædecedere, ſuperſtitibus filiis ex utroque, & ipſo Rege ſuperſtite, filios ipſos ſive infra legitimam ſive poſt quandocumque præcedere ſibi nullum jus vendicet vel acquirat in ſucceſſione regni & hereditate materna ipſorum filiorum: ſed devolvatur ſucceſſio ad illos de genere dictæ dominæ, ad quos deferri contingeret ſecundum tenorem conventionum regni, legibus ſeu viribus quibuſcumque in contrarium loquentibus nullatenus obſtituris.*

Ne ſuccedat filiis e Joanna ſuſceptis.

*Quarto quod idem Rex Majoricarum ſemper concurrat & teneatur concurrere cum ipſa domina Regina in reverentia & obedientia ſanctæ matris eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis, quibuſcumque aliud dicere vel audire ſuadentibus non acquieſcet: ac pure & ſimpliciter aſſiſtet, & favebit toto poſſe circa ſatisfactionem cenſus impendendam eidem eccleſiæ ſeu Apoſtolicæ ſedi pro regno Siciliæ annis ſingulis, & circa ipſam eccleſiam perpetuo contentandam.*

Perſtet in obſervantia ſedis Apoſt.



Si quæ lis de his emerſerit, pontificio judicio dirimenda.

*Quinto quod de præmiſſis, ſicut præcedentibus, ſi forte contingat in poſterum ſuper illis difficultatem aliquam exoriri, vel forſitan hæſitari, ipſa difficultas & hæſitatio declarandæ remaneant in judicio domini ſummi Pontificis, qui pro tempore erit; & ad eum ſpectet declaratio eorundem, interpretando ſicut ſibi conſulte & libere viſum erit: cujus judicio & interpretatione ſine replicatione alia ſtetur & ſtari debeat, & pars utraque reputare ſe exinde contentam, &c.* His Urbanus pontificium robur adjecit II. kal. maii anni proximi, quo Jacobus Neapolim applicuit. At de Jacobo hactenus: nunc ad Gallicas res ſermonem traducimus.

XII.
Bernabos eccleſiæ gratiam flagitat.
(*a*) *Matth. Vill. ſuper. c.* 32.
(*b*) *Cap.* 31.
Datum ab Urbano reſponſum.

Flagitarat ab Urbano Joannes Rex (*a*), ut Bernabonem Mediolanenſem in gratiam reſtitueret: veniam enim ille, acceptis aliquot a fœderatis cladibus, deprecabatur, atque oratores ad Urbanum miſerat (*b*), tum ut de adepto pontificatu ei gratularetur, tum juſte ob ſcelera iratum mulceret. Quibus reſponderat Pontifex, ut Bernabos erepta eccleſiæ loca redderet, ſcelerumque pœniteret; ac tum rite in gratiam admiſſum iri. Quo etiam reſponſo importuna Joannis Regis poſtulata (quadringenta aureorum millia ſibi Bernabonis nomine ad prætenſa in Bononiam jura abjicienda dari poſcebat) eluſit. Cumque Bernabos ab eccleſiæ injuriis ſibi temperare abnueret, immo tyrannidem in dies magis proferre niteretur, Urbanus in primis Ægidii Cardinalis authoritatem confirmavit (*c*): monuitque (*d*) XVI. kal. decemb. de miſſis a Bernabone oratoribus factiſque ab eo promiſſis: ſed brevi ſe diligenterque diſcuſſurum, an vere illum ſcelerum pœniteret, an dolis & artibus conſuetis ſedem Apoſtolicam deludere meditaretur: rem vero cum fœderatis principibus communicari juſſit. Judiciariam demum in Bernabonem actionem inſtauraſſe Urbanum, refert ſubjectis verbis MS. Vaticani (*e*) author: *Dominus Papa citari fecit coram ſe dominum Bernabonem, termino ſibi præfixo ad primam diem martii ad audiendum ſententiam condemnationis*. Extat in pontificio regeſto id Urbani edictum (*f*) ad præſules tranſmiſſum, ut promulgaretur, quo geſta in Bernabonem ab Innocentio ordine judiciario complectitur, neque altius repetita, exponit ut certiſſima fama ad ſedem apoſtolicam, vivo adhuc Innocentio VI. perduxiſſet, Bernabonem calcata omni officii religione defeciſſe ab eccleſia, ſeque hæreſeos crimine irretiiſſe, ſuſcepto hæreticorum patrocinio ac Franciſci Ordelaffi damnati de hæreſi arreptis partibus vetuiſſe ſacram in iis locis, quæ obtinebat, expeditionem pro concione adverſus illum promulgari. Ut vero tantum ſcelus novis ſceleribus cumularit, ita enarrat.

(*c*) *To.* 1. *ep. ſecr. p.* 44.
Diſtrictæ in Bernabonem leges.
(*d*) *Ib. p.* 51.
(*e*) *MS. bibl. Vat. ſign. num.* 3765.
(*f*) *To.* 1. *ep. ſecr. p.* 21.
Judiciaria in eum acta.
Ut faverit Ordelaffo.

*Inſuper ſuam, quam contra Deum & præfatum prædeceſſorem, alioſque Dei miniſtros, ac prædictam Romanam & alias eccleſias repletus diabolico ſpiritu diutius geſſerat, prout gerebat, in mente perfidam voluntatem, per ſubſequentia execranda facinora deducens in publicam notionem, bonæ memoriæ Robertum archiepiſcopum Mediolanenſem, pro eo quod quemdam monachum monaſterii Claravallis ordinis Ciſtercienſis Mediolanenſis diœceſis noluerat, prout nec debebat, ad præſentationem cujuſdam intruſi in eodem monaſterio ad ordinem promovere, ad ſuam præſentiam accedere compulerat, omnique reverentia Dei & officii pontificalis abjecta, eidem archiepiſcopo ſermonibus contumelioſis, multis ibidem præſentibus, dixerat: Genuflecte ribalde; & cum ſic genuflexus exiſteret, adjecerat: Neſcis pultrone, quod ego ſum Papa & Imperator ac dominus in omnibus terris meis, & quod nec Imperator, immo [ut verbis ſacrilegis & profanis aſſeruerat] nec Deus poſſet in terris meis facere, niſi quod vellem, nec intendo quod faciat? ipſumque archiepiſcopum deinde poſt multa ignominioſa opprobria ſibi dicta in quadam camera recludi auſu ſacrilego fecerat. Et virgam ſui furoris contra eundem prædeceſſorem & dictam eccleſiam præſumptuoſus extendens, per eadem civitates, caſtra, villas, & loca, quæ [ut præfertur] tenebat, fecerat etiam publice proclamari, quod nullus de civitatibus, caſtris, villis, & locis ejuſdem ſub pœna concremationis ad dicti prædeceſſoris, ſeu etiam venerabilis fratris noſtri Ægidii epiſcopi Sabinenſis in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legati curias præſumeret accedere, aut inibi gratiam vel aliud impetrare; ſeu etiam eidem prædeceſſori aut dicto legato de aliquibus ipſi prædeceſſori & Romanæ eccleſiæ, vel eidem legato debitis aliquatenus reſpondere, aut dare conſilium, auxilium, vel favorem; quodque abſque ejus vel cujuſdam ſui familiaris Gerardoli nomine, quem vulgus Papam nominat, licentia, nulla electio, poſtulatio, ſupplicatio, ſeu proviſio fieret in eccleſiis ac monaſteriis & locis eccleſiaſticis [etiam mulierum] civitatum, caſtrorum, villarum, & locorum prædictorum: ordinarios quoque & alios, qui aliquos ad monaſteria, eccleſias vel alia beneficia eccleſiaſtica abſque ipſius Bernabonis licentia receperant, graviter puniri, & quæ ſuper iis fecerant revocari; nec non apoſtolicas & legatorum Apoſtolicæ ſedis ac inquiſitorum hæreticæ pravitatis literas & proceſſus, ac etiam literas clauſas, quæ jam dicto prædeceſſori & eiſdem Cardinalibus & aliis de Romana curia de diverſis mundi partibus mittebantur, aperiri, legi, & ſæpiſſime lacerari, eorumque latores capi & carceribus mancipari.* Ad-

Mediolanenſem archiepiſcopum injuriis affecerit.
Atheum ſe profeſſus ſit.
Rogos eccleſiæ parituris intentarit.
Contulerit eccleſiarum monaſteriorumque adminiſtrationem.
Pontificiã læſerit majeſtatem.

XIII. Horrenda Bernabonis tyrannis.

Àddit Pontifex varia crudelitatis genera a Bernabone in ſacerdotes & viros religioſos injuſte exercita: alios in cavea ferrea flammis exuſtos: alios in equuleo diſcruciatos: alios amputatos capite: ejectum e civitate Brixienſem epiſcopum: Minoritam ſpectatæ virtutis auribus ardenti ferro perforatum; pluresque eccleſiaſticos viros in carcerem conjectos, & exquiſitiſſimis ſuppliciis per nefas diſcruciatos: contemptas ab ipſo eccleſiaſticas cenſuras, quibus ſe devinxerat, atque ad eccleſiæ conjunctionem redire neglexiſſe: eo etiam prorupiſſe, ut Parmenſem ſacerdotem turrim conſcendere, atque ex ea Innocentium VI. & Cardinales anathemate defixos proclamare cogeret: ad ſuam vero ac ſuorum ſatellitum avaritiam ſatiandam in bona eccleſiaſtica adeo graſſatum, ut plures ſacerdotiorum vectigalibus exuti divina miniſteria abjecerint, cultuſque religionis in iis partibus admodum exoleverit: tum pro libidine alios in ſacerdotia intruſiſſe, deturbaſſe alios, ſacrorum locorum vectigalia ad ſuum ærarium derivaſſe; multaque alia patraſſe, ob quæ juſta hæreſeos infamia ac ſuſpicione aſperſus eſſet. Licet vero hæc adeo conſpicua & explorata eſſent, ut latere neminem poſſent, Innocentium tamen Guilielmo S. Mariæ trans Tyberim presbytero Cardinali, ut de iis inquireret, partes demandaſſe: qui cum officio perfunctus commiſſa a Bernabone ſcelera retuliſſet, Innocentium Bernaboni non immerito de fide ſuſpecto VIII. kal. ſeptembris pontificatus ſui anno VIII. denunciaſſe, ut quarta die menſis novembris imminente, apoſtolico tribunali ſe ſiſteret, ipſiuſque ſecuritati, ne inanes cauſas prætenderet, caviſſe: cumque ſtata die non comparuiſſet, Innocentium ipſum Raynaldo S. Adriani & Joanni S. Georgii ad velum aureum diaconis Cardinalibus præcepiſſe, ut ad portam palatii apoſtolici Bernabonem alta voce appellarent: nec Bernabone, aliove pro ipſo ſe ſiſtente, pronunciatum in cauſa fidei contumacem, atque anathematis ſententiam in eum vibratam fuiſſe, ac ſancitum, ut ad diſtringendas alias in ipſum pœnas juris ordo ſervaretur. Tum ſubdit Urbanus, licet eccleſia Bernabonis ad ſanitatem mentis revocandi deſiderio ducta diutius ipſum expectarit, ut crimina expiaret; nedum tamen ad pœnitentiam frangi potuiſſe, ſed biennio, clementia apoſtolica atque ejus authoritate ſpreta, in pertinacia obduruiſſe: atque ideo cum jure velut hæreticus damnandus ſit, ac membrum putridum, ne ſua labe cætera inficiat, amputandum, e Cardinalium conſilio peremptorie eidem Bernaboni indicere, ut die prima imminentis menſis martii hora conſiſtoriali coram apoſtolico tribunali ad excipiendam in cauſa fidei ſententiam compareat: quæ literæ exaratæ *Avin. II. kal. decembris anno I.* Juſſi (a) vero ſunt patriarchæ, archiepiſcopi, & epiſcopi, hujuſmodi edicta in Bernabonem lata divulgare: ac Matthæus Villanus ſequenti anno Florentiæ XXIX. januarii die populo fuiſſe denuntiata teſtatur (b), atque hæreſeos & ſchiſmatis criminibus Bernabonem in iis fuiſſe notatum, interque alia objectum impium ab hoc atheo dictum, non alium in ipſius terris Deum, quam ipſummet Bernabonem exiſtere: tum ob atrocia flagitia diem ad hæc diluenda illi conſtitutum.

Ut judicium hæreſeos illi intentatum fuerit.

Urgeatur ſummo jure.

(a) To. I. ep. ſecr. p. 21. & 36.

(b) Matth. Vill. l. 11. c. 31.

Bernabos habitus Atheus.

XIV. Comparata in eum arma.

Frangenda erat armis tyranni, qui jura legeſque audacia proterebat, pertinacia: atque ideo Urbanus undique ſubſidiaria arma conquiſivit. Cumque Ludovicus marchio Brandeburgenſis ad centum equites egregie armis inſtructos pro expiando ſcelere ob ſecutum paternum ſchiſma oppugnatamque eccleſiam ſuis ſumptibus in pontificiis caſtris anno integro in Italia ſuſtentandos a ſe obſtrinxiſſet, Pontifex Ægidio Cardinalii legato partes impoſuit (c), ut Ludovici marchionis jam extincti heredes ad exolvendum id officium cogeret. Quas literas afferemus, cum ex iis Ludovicum Brandeburgenſem rite paternum ſchiſma damnaſſe oſtendatur: emendanduſque ſit Rebdorfius, dum tradit (d), Ludovicum prius vita functum, quam eccleſiæ conciliatus eſſet.

(c) Ib. p. 33.

(d) Rebdorf. in annal. ſub ann. 1349.

*Urbanus, &c. venerabili fratri Ægidio epiſcopo Sabinenſi A. S. L.*

*Dudum, cum quondam Ludovicus de Bavaria marchio Brandeburgenſis, quondam Ludovici de Bavaria pro Romanorum Imperatore, dum viveret, ſe gerentis, ſed eccleſiæ Romanæ judicio reprobati, primogenitus pro eo, quod dicto ſuo patri de hæreſi & ſchiſmate per Romanam eccleſiam condemnato adhæſerat, faverat, & ex aliis ipſius marchionis culpis & exceſſibus, diverſarum eſſet excommunicationum ſententiis irretitus & pœnis ſubjectus, cuperetque, ut dicebat, ad eccleſiæ gremium redire humiliter & devote; ac felicis recordationis Innocentio Papæ VI. prædeceſſori noſtro per certos ſuos procuratores & nuncios feciſſet offerri, ſe acturum omnem pœnam & pœnitentiam, quæ ſibi imponeretur per prædeceſſorem eundem; prædeceſſor ipſe, more pii patris ſalutem filiorum deſiderans, eundem Ludovicum ad gratiam reconciliationis & abſolutionis admiſit, eique fecit beneficium abſolutionis impendi, ac interdicta ( quibus eccleſiæ, monaſteria & loca eccleſiaſtica, ac civitates, oppida, caſtra, villæ & loca de terris ejuſdem marchionis propter hujuſmodi culpas eorundem Ludovici patris & Ludovici marchionis & aliarum quarumcunque de terris ipſis perſonarum, quæ dictis Ludovico patri & marchioni adhæſerant contra Romanam eccleſiam ſupradictam, ac dederant auxilium, conſilium, vel favorem, erant ſuppoſita ) relaxari; ipſumque marchionem, ac ejus filios & nepotes ad quæcumque beneficia eccleſiaſtica obtinenda, & ad omnia & ſingula, ad quæ per ſententias, quas idem marchio incurrerat, ipſe ac ejus filii & nepotes inhabiles reddebantur, habilitari & habiles reddi, & ad omnia privilegia, indulgentias, gratias, & immunitates reales & perſonales, ipſi marchioni per dictam ſedem conceſſa; nec non ad feuda, honores, officia, bona, jura, & juriſdictiones, quæ obtinebat, & ad ſtatum & famam, in quibus erat, antequam excederet in præmiſſis ( dummodo in eiſdem feudis, honoribus, officiis, bonis, juribus, & juriſdictionibus tempore reſtitutionis faciendæ, non eſſet alii ſeu aliis ſpecialiter jus quæſitum ) in integrum reſtitui. Ipſeque marchio ſolemniter promiſit, ac juravit ad ſancta Dei evangelia pro ſatisfactione injuriarum irrogatarum, & damnorum illatorum per eum Romanæ eccleſiæ prælibatæ, quandocumque per dictum prædeceſſorem, ſeu officiales ipſius Romanæ eccleſiæ, in partibus Italiæ conſtitutos, foret requiſitus, infra unum menſem, a requiſitione hujuſmodi computandum, centum armigeros galeatos ( viros fideles, ac in equis & armis bene munitos, quorum quilibet haberet unum ſocium bene armatum & tres equos, ad quaſcunque partes Italiæ eidem eccleſiæ contra rebelles & hoſtes ipſius, & alias, prout foret expediens, fideliter ſervituros ) deſtinaret, eoſque per duodecim menſes integros continuos vel interpolatos ſecundum eorundem requirentium voluntatem ( inchoandos a die, qua iidem galeati intrarent terras præfatæ Romanæ eccleſiæ ) in hujuſmodi ſervitio retineret, eiſque de ſtipendiis & emendis, ac pagis duplis, ſi faciendæ occurrerent, provideret ſuis ſumptibus & expenſis. Dictuſque prædeceſſor voluit, ac in hujuſmodi abſolutione, relaxatione, reſtitutione, & aliis ſupradictis apponi fecit ſpecialiter & expreſſe, quod ſi præfatus marchio eadem promiſſa & jurata per eum non faceret & non adimpleret, ſeu contra ea aut eorum aliquod veniret, eo ipſo in eaſdem pœnas & ſententias relaberetur, ejuſque civitates, oppida, caſtra, terræ, villæ, & loca, ac eccleſiæ, monaſteria, & loca eccleſiaſtica eorundem interdictis hujuſmodi ſubjacerent ut prius, ac habilitatio, & reſtitutio ſupradictæ haberentur ex tunc penitus pro non factis, prout in dictis prædeceſſoris literis, & publicis inſtrumentis exinde confectis plenius continetur, &c. Datum Avin. IX. kal. decembris anno I.*

Ludovicus Brandeb. ab Innoc. VI. conciliatus eccleſiæ.

Liberatus ſuſceptis omnibus pœnis.

Quæ promiſſa ab ipſo pro ſarciendis eccleſiæ injuriis.

Succeſſiſſe parenti Ludovico Meinhardum filium adoleſcentem, refert Rebdorfius (a): ac de tutela illius gerenda, cum magnis opibus viribuſque polleret, gravem controverſiam Bavaros duces Rupertum ac Stephanum Seniorem ac juniorem, fœderatos inter, ac Ludovici marchionis conſiliarios & amicos exarſiſſe.

Meinardus Ludovico Brandeburg. ſuccedit.

(a) Rebdorf. in annal.





XV. De aliis Bavari filiis.

Nondum autem univerſi Germani, qui ob Ludovici Bavari amplexam factionem deſciverant ab eccleſia, ad ejus gremium fuerant revocati: nam licet Guillelmus, Albertus, & Otho Ludovici exauthorati Cæſaris filii a Petro Cameracenſi epiſcopo ſacrorum communioni fuiſſent juſſu pontificio reſtituti; non tamen clerus, qui in eorum ditione verſabatur, cenſurarum nexu ſolutus fuerat: nec, quamvis Stephanus dux ejuſdem Ludovici filius ab Innocentio VI. flagitaſſet, ut in piorum cœtum admitteretur, poſtulato beneficio erat potitus. Urbanus itaque cum Bavari prioribus precibus inſiſterent, Innocentii diploma extremo illius pontificatu editum (b) ſubjectis conceptum verbis inſtauravit. (c)

(b) Ext. apud Urb. an. I. ep. com. 219.
(c) Ead. ep.

*Innocentius, &c. venerabilibus fratribus Auguſtenſi & Ratiſponenſi ac Gurcenſi epiſcopis.*

*Nuper pro parte nobilis viri Stephani ducis Bavariæ nati quondam Ludovici de Bavaria, pro Romano Imperatore dum viveret ſe gerentis, ſed juſto Romanæ eccleſiæ reprobati judicio, fuit nobis expoſitum reverenter, quod idem Stephanus poſt & contra proceſſus quorumdam prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, adverſus dictum Ludovicum factos & habitos, ipſum Ludovicum ſcienter habuit & reputavit, nominavit & recognovit pro Romano Imperatore, eumque tanquam Romanorum Imperatorem ad invadendum & occupandum ac detinendum Romanum imperium ejuſque terras, loca, juriſdictiones, & jura, eaque & alias terras, loca, & bona, quæ jure hereditario ſeu alias quomodolibet dum viveret, poſſidebat, etiam poſt reprobationem hujuſmodi, defendendo cum ſuis perſona, gentibus, & facultatibus pro viribus adjuvit, ejuſque requiſitionibus, mandatis, & beneplacitis ( quantum in eo fuit ) efficaciter obedivit, & alias multipliciter eidem adhæſit, obſecutus fuit, & dedit conſilium, auxilium, & favorem; ipſumque ac ejus conſiliarios, auxiliatores, fautores, & complices, ac eidem in rebellione ipſius contra dictam eccleſiam adhærentes gravibus ſententiis & pœnis, a dicta eccleſia propterea prolatis & inflictis, multipliciter irretitos receptavit, fovit, & defendit, & cum eodem ſuo genitore divinis officiis, quamquam ipſi ambo eſſent diverſarum excommunicationum vinculis irretiti, ſcienter & temere intereſſe præſumpſit; illaque ſic ligatus in terris & locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis, licet ea ſciret eccleſiaſtico fore ( prout erant )*

Stephani ducis veniam poſcentis confeſſio.

rant ) interdicto ſuppoſita, celebrari quinimmo ( quantum in eo fuit ) profanari auſu temerario mandavit & fecit ; & in multis guerris ac præliis, in quibus nonnullæ eccleſiæ ac eccleſiaſticæ perſonæ in eorum bonis & juribus graviter moleſtatæ & damnificatæ fuerunt, perſonaliter extitit, & ad ea frequenter ſuos ſubditos deſtinavit : & quod alias multipliciter contra proceſſus prædictos & Deum verum patrem & dominum, ac præfatam Romanam matrem & magiſtram fidelium, aliaſque eccleſias & eccleſiaſticas perſonas offendit, & nonnullarum eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum bona & jura indebite recepit, & etiam occupavit ; propter quæ diverſarum excommunicationum, privationum, inhabilitationum, in dictis & aliis apoſtolica ſeu alia quavis authoritate factis & habitis proceſſibus contentas, ſeu alias ab homine & a jure, ac conſtitutionibus provincialibus ob præmiſſa latas & inflictas ſententias atque pœnas, & infamiæ notam damnabiliter incurrit, a quibus ferventibus votis abſolvi & liberari deſiderat, ac ad ejuſdem Romanæ eccleſiæ gremium ( a quo imprudenter exciderat ) revocari, in eo tanquam devotus filius perpetuis temporibus permanſurus : & quod idem Stephanus non credit nec unquam credidit, quod Romanus Imperator, etiam per dictam Romanam eccleſiam approbatus, Romanum Pontificem poſſit deponere, & eidem alium ſubrogare ; immo credit & reputat, hoc aſſerere eſſe hæreſim damnatam, ab eccleſia reprobatam : & quod nulli perſonæ unquam conſenſit nec conſentit, nec in futurum conſentire intendit in aliqua hæreſi : & quod paratus eſt omne ſchiſma in perſona propria abnegare, & tanquam de commiſſis hujuſmodi vere pœnitens & contritus omnes pœnitentiam, ſatisfactionem, & emendam, quas ſibi propter præmiſſa per nos vel alium ſeu alios duxerimus imponendas, pure, devote ac ſincere acceptabit, aget, & perficiet cum effectu.

Damnat hæreſim quod Papa a Cæſare exauctorari poſſit.

Ac inſuper pro parte dicti Stephani nobis fuit expoſitum & oblatum, quod bona & jura ac jurisdictiones quarumcumque eccleſiarum ac monaſteriorum & eccleſiaſticarum perſonarum per eum ſeu ejus nomine, mandato, auxilio, & favore quomodolibet occupata & detenta illis, ad quos ſpectant, plene, libere, & expedite, ac realiter & effectualiter, omnibus dolo & fraude remotis, infra tempus per nos ſeu alios a nobis in hac parte deputatos ſeu deputandos præfigendum aſſignabit, reſtituet, tradet, & dimittet, ac per ſuos ſubditos & ſequaces aſſignari, reſtitui, tradi, & dimitti faciet ; nec ea vel eorum aliqua in poſterum occupabit, nec per ſuos ſubditos aut alios ſuo conſilio & favore aliquo vel quæſito colore directe vel indirecte occupari permittet : & quod ſuper omnibus & ſingulis præmiſſis devote & efficaciter parebit mandatis eccleſiæ atque noſtris : quodque nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, tanquam verus & catholicus Chriſtianus, fidelis & obediens erit : & quod nullo tempore erit in liga, ſocietate, ſeu confœderatione cum quibuſvis hæreticis per dictam Romanam eccleſiam denotatis, ſeu etiam denotandis ; nec eis ſeu eorum alicui per ſe vel alium ſeu alios directe vel indirecte, publice vel occulte, dabit aliquod auxilium, conſilium, vel favorem : & quod de terris ſuis, & ejus adminiſtrationi ſubjectis & ſubiiciendis univerſos hæreticos per eandem Romanam eccleſiam vel ejus auctoritate denotatos & denotandos exterminare & expellere pro viribus procurabit : & quod omnia & ſingula præmiſſa, pro ejus parte nobis expoſita & oblata & ex certa ſcientia & expreſſe ante abſolutionem ſibi ab hujuſmodi proceſſibus, pœnis, & ſententiis impendenda, perſonaliter ratificabit, & in omnibus & per omnia approbabit, & de novo confitebitur, recognoſcet, promittet, & juramento confirmabit : & quod præmiſſa oblata faciet & complebit, ac pro illis faciendis & complendis ſe & ſuos ſucceſſores & bona efficaciter obligabit, & inſtrumentum publicum de hujuſmodi ratificatione, approbatione, confeſſione, recognitione, & promiſſione, ac juramento & obligatione, & aliis, quæ fieri contigerit in hac parte, totum tenorem præſentium continens, confici faciet, ejuſque ſigillo communiri ; illudque ſic munitum ſtatim, cum ſuper hoc ex parte noſtra fuerit requiſitus, tradet & aſſignabit illi ſeu illis, quos in hac parte duxerimus deputandos.

Sarcire damna ſpondet.

XVI. Quibus quidem expoſitione & oblatione [ ut præmittitur ] factis, & per nos benigne auditis & admiſſis, dicti Stephani, nec non dilectorum filiorum Guillelmi & Alberti ac Othonis fratrum ducum Bavariæ natorum dicti quondam Ludovici parte fuit nobis humiliter & reverenter ſupplicatum, ut cum ipſi Guillelmus, Albertus, & Otho olim per venerabilem fratrem noſtrum Petrum epiſcopum Cameracenſem auctoritate apoſtolica, ſibi in hac parte commiſſa, a dictis ſententiis & proceſſibus, quibus ligati erant, fuerint abſoluti ; ſed ex certis cauſis eccleſiarum & monaſteriorum prælati, aliæque perſonæ eccleſiaſticæ ſeculares & regulares, ac nobiles aliique laici terrarum de dicto ducatu, ad ipſos Guillelmum, Albertum, & Othonem ſpectantium, hujuſmodi abſolutionis beneficium non fuerint conſecuti, & interdicta, quibus eccleſiæ, monaſteria, & civitates, caſtra & alia loca dicti ducatus non fuerint relaxata ; nos ipſi Stephano, nec non omnibus & ſingulis epiſcopis, abbatibus, aliiſque eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum eccleſiaſticorum prælatis ſeu re-

De reliquis ſequacibus conciliandis eccleſiæ agunt Bavari.



ctoribus, ac clericis & eccleſiaſticis perſonis ſecularibus & regularibus, nec non capitulis, collegiis, & conventibus eccleſiarum & monaſteriorum quorumcumque ordinum exiſtant ; nec non comitibus, baronibus, militibus, aliiſque perſonis ſecularibus, cujuſcumque ſtatus & conditionis extiterint, ac communitatibus & univerſitatibus civitatum, oppidorum, caſtrorum, terrarum, & locorum prædicti ducatus, & aliarum quarumcumque terrarum ad ipſos fratres communiter vel diviſim ſpectantium, qui & quæ propter hujuſmodi proceſſus, contra jam dictum Ludovicum ejuſque fautores & complices ipſiſque adhærentes, obſequentes, & participantes factos & habitos, & eorum occaſione ſententias & pœnas in eis contentas ſeu alias quomodolibet incurrerant [ qui ſimiliter optant ad noſtram & Apoſtolicæ ſedis humiliter redire obedientiam & mandata ] abſolutionis, relaxationis, diſpenſationis, abolitionis infamiæ, & habilitationis, reſtitutionis, & aliis opportunis circa hæc beneficiis providere miſericorditer dignaremur.

Nos igitur, qui more pii patris emendationem & ſalutem ſemper appetimus delinquentium filiorum, dictorum fratrum nobis in hac parte humiliter ſupplicantium precibus inclinati, fraternitati veſtræ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum præfatum Stephanum, poſtquam ipſe confeſſiones & promiſſiones ſupraſcriptas in præſentia veſtra ſeu alicujus veſtrum perſonaliter & humiliter fecerit, & juramento firmaverit, ut præfertur, & ſchiſma quodlibet abnegaverit ; ac etiam poſtquam ab eodem Stephano, quod eccleſias, monaſteria, canonicatus, præbendas, & alia beneficia eccleſiaſtica, & alia omnia & ſingula caſtra, terras, villas, loca, juriſdictiones, jura, & bona quarumcumque eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum eccleſiaſticorum & piorum locorum, & eccleſiaſticarum perſonarum, per eum ſeu ejus nomine, mandato, promiſſione, conſenſu, auxilio, & favore quomodolibet occupata ſeu detenta, ipſis eccleſiis, monaſteriis, & locis ſeu perſonis, ad quæ ſeu quas ſpectant, plene, libere, & expedite, ac realiter ad mandatum noſtrum aſſignabit, reſtituet, tradet & dimittet, & aſſignari, reſtitui, tradi, & dimitti faciet, & ea redintegrari faciet ad illa, & de fructibus, redditibus, proventibus, & bonis ex eiſdem eccleſiis, monaſteriis, canonicatibus, præbendis, & beneficiis, ac caſtris, terris, villis, & locis aliis occupatis & detentis occupationis & detentionis eorum tempore per eum vel alios ſuo nomine, mandato, promiſſione, conſenſu, auxilio, & favore perceptis, & habitis, illis ad quos pertinent ſatis faciet, & ſatisfieri faciet, ſeu concordabit cum eis ; & quod pro ſatisfactione injuriarum irrogatarum, & damnorum per dictum Stephanum ac ſuos, & præfatorum Guillelmi & Alberti ac Othonis ſubditos de præfato ducatu Bavariæ Romanæ eccleſiæ prælibatæ illatorum, quandocumque per nos ſeu officiales ipſius Romanæ eccleſiæ in partibus Italiæ conſtitutos iidem Stephanus & alii ſui fratres fuerint requiſiti, infra unum menſem a requiſitione hujuſmodi computandum, ducentas barbutas ſeu armigeros equites, viros fideles & in equis & armis bene munitos, quorum medietatem dictus Stephanus & ejus ſubditi, & alteram medietatem dicti ſui fratres & ejus & eorum ſubditi de præfato ducatu ad quaſcumque partes Italiæ eidem eccleſiæ contra rebelles & hoſtes ipſius & alias, prout fuerit expediens, fideliter ſervituros deſtinabunt, eoſque per ſex menſes integros & continuos vel interpolatos ſecundum eorumdem requirentium voluntatem, inchoandos a die qua iidem armigeri intrabunt terras præfatæ Romanæ eccleſiæ in hujuſmodi ſervitio retinebunt, eiſque de ſtipendiis & emendis ac pagis duplis, ſi faciendæ occurrerint, providebunt ſuis ſumptibus & expenſis ; & quod ipſe Stephanus infraſcriptis noſtris mandatis faciendis eiſdem devote parebit, & ea inviolabiliter per ſe obſervabit, & per ſuos poſteros & ſubditos bona fide mandabit & faciet obſervari efficaces & ſolemnes promiſſiones & obligationes ac juramenta nomine noſtro & dictæ Romanæ eccleſiæ, & omnium quorum intereſt ſeu intererit receperitis, & infra, authoritate noſtra juxta formam eccleſiæ abſolvatis, impoſita præfato Stephano, ultra prædictum ſubſidium militare, & ſingulis aliis, quos abſolvendos duxeritis, prout eorum culparum & exceſſuum gravitas exegerit, & veſtræ circumſpectioni videbitur, pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, ac injunctis eis quæ de cætero de jure fuerint injungenda, &c. Dat. Avin. non. julii pontificatus noſtri anno x. Confirmata ſunt hæc ab Urbano datis ad eoſdem præſules aliis, quibus ſuperiores fuere inſertæ, literis, quibus hæc temporis nota adjecta eſt. Datum Avin. VII. kal. decembris pont. noſtri anno I.

Data a Pont. venia.

Ducenti equites ſubſidiarii ab iis exacti.

Alterius pœnæ irrogandæ poteſtas epiſcopis delegatis reſervata.

Conciliatis ita eccleſiæ Bavaris omnibus, qui ob Ludovici partes ſecutas ſe ſchiſmate vel hæreſi, variiſve cenſurarum nexibus irretierant, reliquiæ hæreſeon Marſilii, Janduni & Okami hæreſiarcharum peſtiferæ penitus evulſæ fuerunt, diſciſſæque eccleſiæ partes feliciſſime redintegratæ coaluerunt, conferente Deo Chriſti meritis eccleſiæ Rom. triumphum de hoſtibus, qui armis ſcriptiſque hierarchiam eccleſiaſticam oppugnarent.

XVII. Implicito mutuis bellis occidente, ad promovendam expeditionem Aſiaticam con-

Regis Cypri in occidentem adventus. (a) *Matth. Vill. l.* 11. *c.* 34. *Geſta Urb. V. apud Boſq.* B. Petrus Thom. expeditionis in terram ſanctam auctor. (b) *Epitom. MS. geſtor. B. Petri Th. ex Philip. e Mazeriis.* E Coronenſi epiſcopatu ad archiepiſc. Cretenſem tranſlatus.

concitandoſque Europæos Reges Petrus (a) Rex Cypri, partis de Turcis Aſiaticis victoriis illuſtris, tertia decembris die Avenionem acceſſit. Venit etiam una cum Cyprio B. Petrus Thomas geſta in oriente apoſtolica legatione amplificatoque Chriſti cultu clariſſimus, quo hortatore Petrum Regem Jeroſolymæ ab infidelium ſervitute liberandæ pium ardorem concepiſſe, refert Philippus Mazerius (b) regii ſcrinii præfectus: *Comitante*, inquit, *Rege Cypri, Avenionem revertitur, ubi eſſet curia papalis, invenitque Urbanum eo nomine V. qui recenter fuiſſet creatus Pontifex: cui declaravit quemadmodum perſuaſiſſet Regi Cypri ut bellum moveret pro recuperanda Jeroſolyma & ſanctum ejuſdem propoſitum. Hoc valde fuit cordi Papæ: & ille conſiderans recte vivendi conſuetudinem, & melius inſtitutum D. Petri Thomæ, ſummoſque ſumptus, quos in legatione feciſſet, Archiepiſcopatum Cretenſem ei contulit in ſui ſtatus augmentum.* Subdit author, ut ad Italiæ pacandos motus, quo arma Chriſtiana in hoſtes fidei averterentur, adhibitus fuerit: de cujus laboribus eam ob cauſam ſuſceptis, dicetur inferius. Offuſus autem ingens terror eſt Saracenis ex hac Cyprii Regis in occidentem peregrinatione, & Chriſtianos in Syria, Damaſco, & Ægypto graviſſimis malis affecere, ac plures in vincula conjecerunt. Ex quo, ut obſervat Matthæus Villanus (c) docetque experientia, elicitur hujuſmodi ſacræ in Mahometanos ineundæ expeditionis conſilia ex arcano agitanda, ne pro vano terrore infidelibus tantum incuſſo veræ ab iis clades Chriſtianis, qui inter ipſos agunt, inferantur. De creato hujus cruceatæ expeditionis ſupremo duce Francorum Rege ſequenti anno dicendum erit: nunc Granatenſis belli hiſtoriam percurramus.

(c) *Matth. Vill. ſuper c.* 34.

XXIII.

(d) *Idem Vill. l.* 10. *c.* 88. *Marian. l.* 17. *de reb. Hiſp. c.* 5. *Surit. l.* 9. *annal. c.* 37. Caſtellæ Regis in Granatenſes expeditio. Mahomaldes ab iis ſolio reſtitutus. (e) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 89. (f) *Eod. cap.* (g) *Cap.* 97. *Marian. l.* 17. *c.* 5.

Accepit hoc anno ineunte Petrus Caſtellæ Rex magnam a Ruffo Maro Granatenſi tyranno cladem (d) cum quo bellum gerebat, ut Mahomadem pulſum regno reſtitueret. Qua victoria elatus Ruffus excurſiones in Caſtellam egit. At efferatus his injuriis Caſtellanus, mox eluendæ ſuſceptæ ignominiæ cupiditate potentiſſimo ſuccinctus exercitu, in quo ad decem equitum & triginta peditum millia recenſebat, irrupit (e) in Granatenſe regnum, ac pluribus oppidis eſt potitus. Quocirca terrore percuſſi barbari, ne Chriſtianorum jugum ſubire cogerentur, Mahomadem ſuis urbibus exceperunt (f): ea rerum converſione attonitus Ruffus Mahomadis æmulus deliniendum muneribus, & obſequiis Caſtellæ Regem putavit; collectoque ingenti theſauro, Petro ſignificavit (g) ſe in illius obſequium procumbere paratum: acceptoque, ut plerique ajunt, incolumitatis ſacramento, Hiſpalim acceſſit: quem Petrus humaniter, ut viſum eſt, fallaci eblanditus vultu excepit. Tum una cum proceribus conjici in vincula jubet atque opibus ingentibus, ad octingenta enim aureorum millia attulerat, ſpoliat: ac nullo judiciorum ſervato ordine, ut erat ad inſaniam ſævus, impoſitum aſino, ſequentibus illum pone quatuor proceribus, ac deinde alios unum & quadraginta Mauros conſiliorum participes fune ligatos in Campum Hiſpalenſem abduci juſſit: in quos ipſe carnificinam exerciturus una cum ſuis cataphractus impulſis equis irruit; ſuaque manu Ruffum lancea transfixit, cæteri equorum pedibus momento obtriti. Tam ſævum & horridum ſpectaculum, violato gentium jure, Petrus ludi ſpecie dedit. Paulo vero poſt Mahomades Petri fiduciarium ſe profeſſus (h) eſt, oblatis de Saracenorum more urbium ſuarum ſignis, & Chriſtianos omnes libertate donavit.

Petri Caſtellani immane facinus. (h) *Matth. Vill. l.* 10. *c.* 98.

(i) *Lib.* 11. *cap.* 11. *Marian. l.* 17. *c.* 6. (k) *Sur. l.* 9. *annal. c.* 40. Aragonium bello appetit. Carnificinam exercet in innocentes. (l) *Vill. ſuper c.* 11. (m) *Marian. ſup. c.*

Confecto ita bello Granatenſi Petrus, cujus cauſa fœdus cum Aragonio pepigerat, contra jura gentium initam anno ſuperiori pacem violavit (i), traxitque in ſuas partes finitimos Reges ac principes. Carolus quidem Navarræ Rex inferendi Aragonio belli eam occaſionem obtendit (k), ſibi affini & fœderato in turbis Gallicis adverſus delphinum non lata auxilia. Ut vero imparatum Petrum Aragonium occuparet Caſtellanus, contracto exercitu Calatajubam obſidione cinxit: quam cum cives ſtrenue ſuſtinerent, ſævus tyrannus demum ea potitus, ad ſex & eo amplius hominum inermium millia trucidavit (l). Cum ruentem in ſe feram ejuſmodi vidiſſet Aragonius, a qua ob pactam Guidonis Cardinalis legati opera pacem ſe tutum putabat (m), Henricum, & Tellium Caſtellani fratres ſpurios una cum Gallorum vagis turmis excivit; de quibus hæc MS. Vaticani author refert (n): *De menſe augusti ſocietas prædicta, quæ depopulata eſt Franciam & Burgundiam, recepta pecunia a Rege Franciæ receſſerunt de Francia, & tranſitum faciebant per Villamnovam Avinionenſis diœceſis, ituri in auxilium Regis Aragonum contra Petrum Regem Hiſpaniæ: contra quem fuerunt eodem tempore proceſſus publicati & portis eccleſiarum affixi, quos dominus Bononienſis Cardinalis fecerat, eo quod pacta per ipſum Cardinalem, cum eſſet legatus, ordinata non ſervavit.* De horum in Caſtellam irruptione inferius diſſeremus: nunc claudemus hunc annum nonnullis ab Urbano geſtis, quæ ſilentio non ſunt viſa prætereunda, ex vitæ illius ſcriptore (o) in medium adductis.

(n) *MS. bibl. Vat. ſign. num.* 3765. Socialis exercitus in Caſtellam e Gall. eductus. Judicio poſtulatus Caſtellanus. (o) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

XIX.

Guill. Bragoſe presbyter Cardinalis.

*Dictus*, inquit, *Urbanus Papa modo præmiſſo electus, conſecratus, & coronatus, ſatis cito dominum Guillelmum Bragoſe S.*

Geor-



Anglicus Grimoaldus Pont. frater creatus epiſc. Avenion.

*Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem ac majorem pœnitentiarium, virum utique ſatis grandævum, qui per prius in ſtudio Toloſano doctor ſolemnis decretorum exiſtens, annis pluribus cathedram doctoralem ad perutilem inſtructionem ſeu informationem plurimorum rexerat, in presbyterum Cardinalem ordinavit, ſibique titulum presbyteralem aſſignavit, videlicet S. Laurentii in Lucina: ad quod faciendum præcipue motus extitit Romano officio pœnitentiariæ, quod presbytero magis quam diacono convenire judicavit. Ad eccleſiam inſuper Avenionenſem, quæ diu paſtore caruerat, cum per duos prædeceſſores ſuos pro ſuis & eccleſiæ neceſſitatibus vacans continue retenta fuiſſet, promovit dominum Anglicum Grimoardi priorem Dignenſem fratrem ſuum de quo quaſi communiter dicebatur, quod in omni probitate, honeſtate, religionis obſervantia, ac diſcretione ſeu circumſpectione naturali cum literatura convenienti ordo ſuus, ſcilicet canonicorum regularium, etſi ſibi pares haberet paucos, tamen excedentes vero nullos. Qui etiam ſuo tempore & ſucceſſive ultra bona multa, quæ fecit in eccleſia memorata in Avenione a ſolo ædificavit monaſterium cum officinis & habitationibus neceſſariis pro monialibus de Furnis ordinis S. Benedicti, quæ prius erant ab extra collocatæ in ſuo loco campeſtri & aperto: deditque eis multa bona, & reliquias aliquorum ſanctorum ſpecialiter S. Luciæ * munitum & incaſſatum in argento. In Aptenſi etiam civitate a ſolo ædificavit & dotavit monaſterium monialium ordinis Ciſtercienſis, & in Montepeſſulano monaſterium canonicorum regularium ſub nomine S. Ruffi, in quo conſtituit certum numerum canonicorum, qui Deo ibi ſervirent, & nihilominus intenderent circa ſtudia literarum; dotavitque collegium hujuſmodi de redditibus & proventibus ſatis ſufficientibus ad ſuſtentationem dictorum canonicorum, quibus etiam providit de pluribus bonis, libris, ac aliis ornamentis pro divino ſervitio, & ſui continuatione ſtudii neceſſariis & opportunis.*

Pia ejuſdem opera.

* *munitas & incaſſatas*

Obſcuratæ

I. Urbani curæ ad reprimendos tyrannos.

OBſcuratæ religioni priſtinum ſplendorem reſtituere meditatus Urbanus Pontifex, Italicos tyrannos, nullo diſcrimine ſacra profanaque evertentes, domandos ſuſcepit anno humanæ ſalutis milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio indictione prima. Quod conſilium Germaniæ epiſcopis, a quibus ſubſidiarium aurum expectabat, his verbis patefecit (a): *Prædeceſſore, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto, ad apicem (licet immeriti) ſummi apoſtolatus aſſumpti nolentes & etiam non valentes hujuſmodi pravitatem hæreticam, ac cleri & aliorum fidelium ac eccleſiarum oppreſſiones, injurias, offenſas, ac exceſſus & alia ſcelera, quæ etiam, dum eſſemus in minoribus conſtituti, oculate cognovimus, quæve in tantam divinæ majeſtatis offenſam, dictæ ſedis contemptum catholicæ fidei præjudicium, ac enormiſſimam ejuſdem Romanæ eccleſiæ læſionem cedere dignoſcuntur, ſub diſſimulatione tranſire, prædictos cœpimus continuare proceſſus, illoſque ſub potentiæ divinæ fiducia intendimus prout ex debito tenemur paſtoralis officii, viriliter proſequi, & ad laudem divini nominis ac exaltationem ipſius catholicæ fidei recuperationem jurium ejuſdem eccleſiæ, cunctorum exultationem fidelium, & ipſorum hæreticorum exterminium, Deo faciente ſalubriter terminare, &c. Dat. Avin. III. kal. februarii anno* I.

(a) An. I. ep. com. 9.

Bernabos de pace colloquium redintegrat.

Attriverat inter alios Bernabos Vicecomes graviſſimo jugo Inſubres, & cum Bononiam atroci bello peteret, officiorum tamen ſignis inanibus dolos ſubornabat: vocatus enim in jus, Avenionem oratores ampliſſimos miſerat (b) honorem impenſuros, qui novis Pontificibus a Chriſtianis principibus exhiberi conſuevit, pangendæque pacis ſpecie adhibuit iterum Joannem Francorum Regem, ut concordiæ interpretem ageret (c): quas partes Bernabonis mendaciis ac dolis circumventus idem Rex ſuſcepit. E quibus ut ſe Pontifex expediret, Ægidium Cardinalem in Italia legatum hoc reſponſo docuit (d): *Solitas Mediolanenſium malitias cognoſcentes, tam loquentibus pro parte dicti Regis, quam ambaſciatoribus reſpondimus, quod nullum tractatum vellemus audire, niſi caſtra diſtrictus Bononienſis prius libere reſtituantur eccleſiæ prælibatæ, ac idonee caveatur, quod de clericis & eccleſiaſticis perſonis terrarum, quas regunt & eorum bonis ſe nullatenus intromittent: & eo caſu omnem tractatum concordiæ ad tuam, & dilectorum filiorum colligatorum cum dicta eccleſia providentiam remittemus, &c. Dat. Avin. kal. februarii anno* I.

(b) To. I. ep. ſecr. p. 82.

(c) Ib.

(d) Ibid.

Exigit Urbanus, ut eccleſiæ fœderatorumque ditione abſtineat.

Aſpernatus eſt Bernabos juſta Pontificis poſtulata, quippe qui non injuſte occupata dimittere, ſed proferre ulterius ambitionem meditaretur.

II. Urget in eum judiciorum ſeveritatem.

Indicta ſuperiori anno exeunte, ut vidimus, Bernaboni die, cum ſpargerent in vulgus ejus oratores, ipſum ad cauſam ſuam defendendam acceſſurum, atque ideo judiciarius ordo fuiſſet extractus, demum cum dies adeſſet (e), purpuratorum patrum ſacer ſenatus coactus eſt; ac Stephanus S. Mariæ in Aquiro & Hugo S. Mariæ in porticu diaconi Cardinales ad fores palatii miſſi a Pontifice, qui Bernabonem, ut ſe apoſtolicis ſubſelliis ſiſteret, appellarent: tumque Gualdiſius Lovixellius ſe Bernabonis procuratorem eſſe affirmavit, ut in judicio reſponderet. Sed cum eam authoritatem ſibi collatam non probaret, atque exceptiones excuſationeſque inanes afferret, Urbanus hac Bernabonem pœna defixit (f).

(e) Urb. to. I. ep. ſecr. pag. 115.

(f) Matth. Vill. l. II. c. 41. Geſta Urb. VI. apud Boſquet.

*Quia idem Bernabos in reprobum ſenſum datus, imitatus Pharaonis duritiam cor ſaxeum ſibi fecit, ſpernens ad gremium eccleſiæ præfatæ redire, ac mala malis accumulans, claves eccleſiæ auſu temerario contemnendo; nos tantam divinæ majeſtatis offenſam, tantumque clavium prædictarum contemptum nequeuntes ſalva conſcientia amplius tolerare, Chriſti cujus, licet immeriti, vices in terris gerimus nomine invocato, de dictorum fratrum conſilio eundem Bernabonem, ſicut prædicitur, per dictum prædeceſſorem noſtrum citatum, ut de fide reſponderet, nec comparere curantem, & propter ejus contumaciam dicta cauſa fidei excommunicationis vinculo innodatum [quam per annum & annos, ut præfertur, animo ſuſtinuit pertinaci] per hanc noſtram ſententiam dicta auctoritate apoſtolica velut hæreticum condemnamus, decernentes & declarantes ac nunciantes eundem Bernabonem militari cingulo ac omnibus honoribus, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, bonis, & juribus ſuis univerſis & ſingulis fore privatum, ac univerſis pœnis & ſententiis per ſanctiones canonicas & civiles promulgatas adverſus hæreticos ſubjacere, & eum velut hæreticum & ab eccleſia Dei præciſum ab omnibus Chriſtifidelibus evitandum. Omnes inſuper & ſingulos, qui in poſterum ipſi Barnaboni favebunt, ipſumque defendent ſeu receptabunt, tanquam fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum eſſe cenſendos, ac pœnis & ſententiis, quibus ſubiiciuntur fautores, defenſores, & receptatores hæreticorum exiſtere obnoxios & ſubjectos, &c. Actum & datum Avin. in palatio apoſtolico* V. *non. martii pontificatus noſtri anno* I.

Damnatur hæreſeos nota.

Conſtitutæ in eum pœnæ hæreticis incuſſæ.

III.

Tranſmiſſa eſt (g) hujus ſententiæ formula ad Italiæ, Germaniæ, & Galliarum præſules, ut eam in templis coram circumfuſa populi multitudine divulgarent, cujus perſtringit præcipua capita Matthæus Villanus (a): ac narrat, Pontificem ea pronuntiata aſſurrexiſſe e ſolio, atque in genua procubuiſſe, junctiſque & ſublatis in cælum manibus, oraſſe Chriſtum, ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, atque univerſam cæleſtem aulam, ut quibus vinculis crudelem & infidelem tyrannum ipſe tamquam Dei vicarius conſtrinxerat in terris, illum in cælis illigarent, opemque eccleſiæ e cælo explicarent. Nec ſecuti ſucceſſus iniectas a Pontifice ſpes fefellere. Meminit de eo MS. Vaticanum (b) his verbis: *Martii die tertio in conſiſtorio publico declaratus fuit hæreticus dominus Bernabos Mediolanenſis, & non longe poſt perdidit conflictum prope Bononiam.*

(g) To. 4. ep. ſecr. p. 115. & 155.



Petitam ad ſententiam mandandam operi divinum præſidium.

(a) Matth. Vill. ſuper c. 41.

(b) MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765.

Magna clade profligatus Bernabos.

[1] Ad Mutinam Bernabonem magna clade a fœderatis eccleſiæ principibus menſe aprili profligatum, narrat Matthæus Villanus (c): de qua parta victoria Pontifex Nicolao marchioni Ateſtino, quem tyrannus opprimere in eo bello affectabat, his literis eſt gratulatus. (d)

(c) Matth. Vill. l. II. c. 44. Pigna de Ateſt. principib. l. 5.

(d) To. I. ep. ſecr. p. 143.

Partam victoriam Ateſtino gratulatur Pontifex.

*Dilecto filio nobili viro Nicolao marchioni Eſtenſi, in civitate Ferrarienſi & ejus diſtrictu pro nobis & eccleſia Romana vicario, ſalutem.*

*Grandis lætitiæ jubilum tranſmiſſæ nobis tuæ nobilitatis literæ continentes victoriam, quam nuper gentibus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac tuis & aliorum cum ipſa eccleſia ligatorum de illo hæretico Bernabone de Vicecomitibus, ſuiſque ſequacibus & defenſoribus exercituum Dominus ſua pietate conceſſit, nobis & noſtris fratribus attulerunt. Licet enim de ſtrage redemptorum Chriſti ſanguine non lætemur, ſed potius doleamus ab intimis; de confuſione tamen dicti Bernabonis impœnitentis & perfidi, ſuorumque ſequacium, quorum fretus auxilio contra Deum & fidem catholicam præfatamque eccleſiam elationis ſuæ non veretur erigere cornua, merito in Domino gratulamur. Proinde itaque laudes & gratias referentes Altiſſimo, potentiæ ſuæ mirabilis dextera diſpergenti ſuperbos, & ſuam eccleſiam ejuſque devotos filios exaltanti, diligentiam tuam de celeri notificatione dictæ victoriæ commendamus, ac devotionem tuam aliorumque colligatorum hujuſmodi hortamur & rogamus attente, ut tu & ipſi colligati contra dictum hæreticum & defenſores ejuſdem cum gentibus præfatæ eccleſiæ ac veſtris tanto promptius procedatis, quanto ipſos hoſtes exiſtimare debetis magis eſſe attonitos, & ipſorum potentiam vergere in ruinam: quantoque de proſperis futuris ſucceſſibus amplius in humilitatis ſpiritu ſperare debetis, brachium Domini vobis aſſiſtere certiori experientia ſentientes. Datum Avin.* V. *kalend. maji anno* I.

Affectus ea clade Bernabos ambiendæ eccleſiæ gratiæ ſpeciem præ ſe tulit (e); quare Pontifex ad illum, ſi pœniteret ſcelerum, in ſinum eccleſiæ admittendum paratiſſimus legatum Cardinalem ſpondendæ vis auri, & eccleſiaſtica vectigalia & oppida pignori ſubjiciendi poteſtate auxit, paciſque leges ex fœderatorum conſilio conſtituendi (f); ea tamen conditione, ut Bononienſis comitatus oppida a Bernabone occupata eccleſiæ reſtituerentur (g); ſed fractus tyrannus blandiebatur his artibus, ut opportunius noceret, doloſque ſtruxit, ut fœderatos eccleſiæ ab illius ſocietate divelleret, bellove implicaret.

(e) To. I. ep. ſecr. p. 175.

(f) Ib. p. 146.

(g) Pag. 147.

IV. Indicta in Bernabonem expeditio

Indixit itaque, ut ante decreverat (h), Urbanus crucesignatam adverſus Bernabonem expeditionem, ac brevi verborum compendio immania illius flagitia, atheiſmum ſcilicet, ut qui Numinis divini potentiam ſibi in Mediolanenſi principatu arrogaret; impietatem in præferenda ſua auctoritate pontificiæ in conferendis ſacerdotiis, & crudelitatem in ſacerdotibus novis ſuppliciorum generibus excarnificandis, afficiendo atrocibus injuriis Mediolanenſi archiepiſcopo, fovendis eccleſiæ hoſtibus, & expugnanda ejus ditione tyran-

(h) Pag. 98.

NOTÆ [1] AFfectum ingenti clade a pontificiæ factionis exercitu Bernabonem narrat hic Annaliſta. Nec ſane unus eſt coævus hiſtoricus, qui illam omittat. Locus initi prælii non ſatis accurate in Annalibus expreſſus in hiſtoria Miſcella, & in Polyhiſtore, Solaro (qui locus eſt ultra Mutinam parum ab ea diſtans) appellatur. Menſis ab Annaliſta cæteriſque recte expreſſus. Dies vero in Annalibus ſiletur, apud Matthæum Villani lib. XI. cap. XLIV. mendoſe ſignatur. Neque enim pugnatum fuit die XVI. Aprilis, ut in ejus hiſtoria legitur; ſed potius die VI. ejuſdem menſis ut in Polyhiſtore & hiſtoria Miſcella Bononienſi legitur; in qua & recte adnotatur dies illa in feriam V. incidiſſe; id enim cum die VI. non vero cum die XVI. ejuſdem menſis congruit. Porro textum Villani non ſatis emaculatum eſſe ad numerales notas quod attinet, hoc exemplo & altero anni 1361. de quo nos in nota, probatur. Matthæus Villani hiſtoriam ſuam hoc anno cum vita abſolvit, eo morbo correptus, quo plures in Italia Urbes hoc anno afflictæ ſunt. Ejus mutilam hiſtoriam Philippus Villanus proſequitur, ut in Annalibus hic num. VII. legitur. Philippum hunc parenti & avo Villanis in peritia hiſtoriæ ſcribendæ, multo inferiorem Annaliſta hic agnoſcit. Cujus judicium ut de Matthæo Villano admittendum cenſeo, ita de Joanne Villano ad examen revocarem. Matthæus enim hiſtorici accurati numeros omnes implevit; neque enim ſive in rebus ipſis narrandis, ſive in rerum circumſtantiis indicandis errare vehementer numquam deprehendi. Joannes vero vulgi rumores captabat facile, & pro veris hiſtoriis obtrudebat, in rebus ætatis ſuæ referendis non raro alteram pro altera obtrudit; diſtincta confundit ac miſcet; tota denique quanta quanta ejus hiſtoria rapſodia eſt, caſu potius quam arte in hiſtoriam digeſta. MANSI

(a) An. 1. ep. com. 6.

rannidem in luce collocavit (a). Neque in Italia modo, verum in Germania quoque & aliis regnis ſacrum illud bellum promulgatum: & concionatores, quo majus ſubſidiarium æs in belli Mediolanenſis ſumptus a fidelibus poſſent elicere, inſignibus prærogativis ſunt inſtructi: de quibus hæc ad Ægidium legatum ſcripſit (b):

(b) To. 1. ep. ſecr. p. 214.

*Negotium prædicandi verbum crucis contra eum incœpimus recenſere, ac de prædicatoribus deputandis in Alamannia primo, & deinde in aliis partibus ordinare: tuaque fraternitas in totius Italiæ partibus ſecundum commiſſionem noſtram, quam eidem fraternitati direximus, procedat ad prædicationem hujuſmodi, cum viderit expedire: noſque alias literas ſuper certis caſibus, de quibus prædicatores abſolvere poterunt, de proximo tranſmittemus: nec ad prædicationem crucis in negotio ultramarino permittemus procedi, ſicut hoc chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Joanni Franciæ & Petro Cypri Regibus illuſtribus prædiximus, niſi dicti hæretici negotio per bellum vel converſionem expedito, quorum alterum dignetur concedere miſericordia Salvatoris. Dat. Avin. v. id. julii anno* I.

Sacrum bellum in Aſiaticos dilatum donec Bernabos redactus foret ad officium.

Cenſebat Pontifex, non ſucceſſuram e ſententia orientalem expeditionem, niſi pacata eſſet Italia; atque eccleſia Bononienſi bello libera, illi vacare poſſet.

Francus vero & Cyprius Reges recuperandæ Syriæ cupidiſſimi oratores ad Bernabonem miſere, qui illum ab infeſtanda ditione eccleſiaſtica revocarent; ſed ipſos flectere tyrannum ad æquitatem non potuiſſe, Joanni Regi Francorum ſignificavit (c) ſubjectis literis Pontifex.

(c) Eod. to. 1. ep. ſecr. pag. 229.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Joanni Regi Franciæ illuſtri.*

*Dilecti filii nobiles viri Rogerius de S. Severino Comes Mileti, ac Philippus de Molinis licentiatus in legibus ambaxiatores tui ad partes Italiæ deſtinati, nuper ad noſtram venientes præſentiam retulerunt, quod ipſi, & alii ambaxiatores chariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, ad illius maledictionis alumni, & hæretici deteſtandi Bernabonis de Vicecomitibus primo, & deinde ad venerabilis fratris noſtri Ægidii epiſcopi Sabinenſis A. S. L. præſentiam accedentes, eis illa, quæ ſuper negotio reconciliationis dicti Bernabonis ambaxiatoribus ipſis tua & dicti Regis Cypri celſitudo commiſerat, fideliter exponere curaverunt. Sed idem Bernabos in ſua obſtinatus duritia regiam benignitatem, quæ ſuam hominis utriuſque ſalutem, ac ſtatus proſperitatem ſolicitis procurabat ſtudiis, non agnoſcens; immo ex hoc unde humiliari debuerat, ſpiritum majoris elationis aſſumens, ut bene ageret intelligere noluit, & quæ ſibi tua & dicti Regis ſuadebat ſerenitas, facere recuſavit: dictuſque legatus ordinationem tuam & ejuſdem Regis libenti animo, ac promptis effectibus ſe obtulit impleturum, prout venerabilis frater noſter.. epiſcopus Nivernenſis etiam ad hoc ambaxiator tuus tibi latius forte jam retulit, & idem Philippus refert oraculo vivæ vocis.*

Gallus & Cyprius Reges flectere ad officium Bernabonem tentant.

De ejus ſuperbia.

V.

*Ex præmiſſis igitur, fili chariſſime, potes agnoſcere, quod ea, quæ dicti Bernabonis nuntii tibi, dum tu & ipſi eratis apud Romanam curiam, regiæ ſublimitati obtulerunt, & etiam ſuggeſſerunt, fuerunt ipſorum & dicti Bernabonis, a quo emanabant, deceptiones & mendacia conſueta: & quod idem perverſus hæreticus, Deum & ſanctam eccleſiam ſponſam ſuam perfida temeritate contemnens, etiam illuſtribus Regibus illudere non veretur: & quod eandem eccleſiam matrem tuam & univerſorum fidelium, quam ſponſus ejus dominus noſter Jeſus Chriſtus non dereliquit hactenus, nec relinquet in poſterum, nititur (licet incaſſum] ſuis pravis conatibus ſubjugare. Nos autem tuæ devotæ magnitudini, quæ in hac parte fidelibus ſtudiis laboravit, proinde multiplices grates referimus: & ſicut per nos & dictum legatum non ſtetit, quin impleta fuerint & impleantur illa, quæ tua & dicti Regis circumſpectio in hujuſmodi pace facienda providit; ſic nec ſtabit etiam in futurum. Cæterum quia ſic ſævi hoſtis ſuperbia ſemper aſcendit, & ejus exterminationi locus relinquitur, cum ab ipſo indurato quælibet prædicatio contemnatur, & per ipſum Bernabonem, in ſua protervia & potentia conſiſtentem, negotium ultramarini paſſagii, quod promptis ac devotis affectibus aſſumpſiſti, impediatur indubie; ſerenitatem eandem rogamus attente, quatenus eccleſiæ prædictæ negotia contra dictum hoſtem Dei & ipſius eccleſiæ tanto habere digneris favorabilius commendata, quanto ipſius hoſtis ſuperbam nequitiam plus agnoſces. Dat. Avin. non. auguſti anno* I.

Illuſiſſe Regibus oſtenditur.

VI.

De Bernabone communibus armis obruendo agitatum.

Tulit gravate Joannes Francorum Rex Bernabonis affinis improbitate expeditionem Aſiaticam, cui ſe devoverat, diſturbari; vireſque omnes, ut concordiam redintegraret, contulit. Conjunxit etiam operam Cyprius Rex ſacri belli author, quibus alii Chriſtiani Reges favebant, ac pertimuit Mediolanenſis, ne univerſorum Chriſtianorum odia & arma in ſe concitaret. Egit itaque de concordia cum Urbano, qui ea de cauſa Andruinum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem ob pacem Anglos inter & Gallos firmatam clariſſimum, Apoſtolicæ ſedis legatum in Inſubriam vergente anno miſit (d); inſtruxitque authoritate, ut Bernabonem omnibus cenſuris ac pœnis, quibus erat devinctus, exolveret. De pace cum Bernabone ineunda moniti ſunt nonis decembris principes fœderati (e) Scaligeri Ve-

Miſſus in Ital. Andruinus Card. legatus.

(d) To. 2. ep. ſecr. p. 28. 30.

(e) Ibid. p. 32. 33. 34. & 43.



ronenſes, Gonzagæ Mantuani, marchiones Ateſtini, & Carraria Patavinus; ſi vero pax exitu carebit, pontificias omnes vires in Bernabonem converſum iri: qui etiam, ut Andruino legato animis conjuncti eſſent ac juſſis parerent, rogati (a). Utque facilius Andruinus ſancire cum Bernabone fœdus poſſet, pluribus a Pontifice eſt ornatus privilegiis (b), ac Bononienſis legatio, quam Ægidius Albornotius maxima laude hactenus geſſerat, in eum transfuſa (c), ut Bernaboni, qui ab Ægidio vehementer abhorrebat, id daret: extantque ad Bononienſes literæ (d), ut Andruino obſequantur. Ægidius etiam Cardinalis quos in vinculis hoſtes tenebat, illi tradere juſſus (e). Ut vero feliciter præcipua Francorum & Cypri Regum contentione, quo occidentis arma in Syriam traducerentur, pax revocata ſit, ſequenti anno dicetur.

(a) Ib. p. 38. & 39.

(b) An. 2. ep. cur. 2. ad 14. & ad 22. ad 34.

(c) To. 2. ep. ſecr. p. 37. 38.

(d) Ibid.

(e) Ib. p. 42.

Incubuit eandem ob cauſam Urbanus ſummo ſtudio ad Italica bella pacanda: utque a Patavino ducamus exordium, de quo ſuperius eſt facta mentio; exortum illud fuerat Mediolanenſis occaſione, cum nimirum Bernabos in Franciſcum Carrariam Patavii præfectum Venetos exaſperaſſet: intentata enim a Venetis Franciſco lis eſt de certis ſalinis, quas mox ii armis occuparunt. Laceſſitus vero a Venetis Carraria cauſæ ſuæ æquitate fretus, ſe ad experiundum judicio jus, ac legibus controverſiam dirimendam paratum obtulit. Cui Pontifex non defuturum eſt pollicitus (f), ac Laurentium Celſum, qui Delphino in Venetæ publicæ rei adminiſtratione ſucceſſerat, eſt adhortatus, (g), ne ad Bernabonis gratiam Franciſcum Carrariam bello appeteret, injuſtamve cauſam contra dignitatis ſuæ decus ſuſciperet, obſcuraretve veteres Venetorum laudes, quas paucis hiſce verbis delibat:

Patavinis & Venetis conciliandis data opera.

(f) To. 1. ep. ſecr. p. 213.

(g) Pag. 198.

Venetorum laudes.

*Inter omnes populos, qui ſub profeſſione Chriſtiana cenſentur, populus cui præes de zelo ſacræ fidei, devotione ad ſanctam Romanam eccleſiam, cultu juſtitiæ, ſingularique in ſuis actibus gravibus gravitate, ac prudentia commendatur: de patientiaque tanta laudatur, quod dicatur, potius ſuſtinuiſſe aliqualiter prius lædi, quam lædere incœpiſſet. Ex harum ſiquidem præconialium agro virtutum, a bonis ſeminato veteribus, & uſque ad noviſſimos bene culto, non ſolum odor bonæ famæ progreditur; ſed, ut pie ac probabiliter exiſtimatur, fructus pacis, libertatis ubertas, potentiæ magnitudo, & divitiarum copia eidem populo ſingulariter provenerunt, ut de ipſo merito dici poſſit, quod ſit populus, cui Dominus benedixit.* Tum repetitis literis expoſuit (h), ut ipſos a cœptis revocaret: non tutum, neque ipſorum gloriæ congruum tuendi hominis hæretici cauſa eccleſiam laceſſere nullum ad ipſos commodum ex illius patrocinio, atque aucta potentia derivatum iri: patere Bernabonis ambitioſa conſilia, qui tyrannidem proferre, & finitimos quoſque ſibi ſubjicere meditetur: ſi in ejus poteſtatem veniret Bononia, ipſum in Ferrariam belli molem verſurum; qua expugnata Veneta reſpublica in diſcrimen adduceretur: addiditque preces, ne expeditionem Aſiaticam, quam promovere deberent, diſturbent: neque ita virium magnitudini præfidant, ut juſtitiam violare, parteſque eccleſiæ oppugnare, vel Carrariam quamvis imparem ipſorum potentiæ opprimere aggrediantur. Aſſenſit amantiſſimis & prudentibus conſiliis ſenatus Venetus, ac pacem cum Franciſco Carraria Patavii Caroli Imperatoris nomine præfecto compoſuit: de qua certior factus a Laurentio Celſo duce Urbanus, ſummas illi gratias egit (i).

(h) Pag. 218.

Sopita lis Patavina.

(i) Eod. to. 1. ep. ſecr. p. 243.

Interpoſitum pariter ſtudium ab Urbano eſt, pro diſcordia inter Galeatium Vicecomitem Bernabonis fratrem, & Joannem marchionem Montisferrati ſopienda; ad quos hortatoriæ ad pacem extant datæ literæ (k): tum ad Amedeum (l) Sabaudiæ comitem & Marcum ſupremum Minoritarum præfectum (m), ut fœderis interpretes inter ipſos agerent. Data etiam eidem Marco provincia (n), ut Galeatium cum epiſcopo Vercellenſi, cui Burgellæ & S. Agathæ oppida ad Vercellenſem epiſcopatum ſpectantia eripuerat, in concordiam adduceret tum etiam inter dictum Amedeum comitem (o) & illius avunculum marchionem Montisferrati, quos ad mutuum amorem eſt adhortatus, diſſenſiones extinguere ſtuderet. Exagitabat atrocior diſcordia Florentinos & Piſanos, atque Etruriam ferro, flamma, rapinis fœdabat, (p) de qua Matthæus Villanus (q), Leonardus Aretinus (r), & alii pluribus agunt. Quæ mala ut tolleret Pontifex, Petrocini archiepiſcopi Ravennatis & Jacobi Muti opera uſus eſt (s).

(k) Ib. p. 255. & 256.

(l) Pag. 255.

(m) Pag. 254. & 260.

Pacandis aliis Italorum principum diſſidiis inſudatum.

(n) Pag. 264.

(o) Pag. 201. & 211.

(p) Pag. 222.

Florentinos inter ac Piſanos diſcordia.

(q) Matth. Vill. l. 11. c. 37. 39. 40. 45. ad 53.

VII.

Epidemia vexatur Etruria.

Augebat belli calamitates epidemiæ ſævitia quæ Piſanos ac Florentinos depaſcebatur: atque ex ea Pontifex ad utrumque populum in concordiam revocandum occaſione ſumpta objecit Florentinis, (t) ſi non ex belli cladibus ad ponendas iras flecterentur, ſaltem ne divinas in ſe amplius exaſperarent iras, peſtilentiæ atrocitate terrendos: quid enim de ambobus populis olim florentiſſimis ſperandum, ſi dum morbus ipſos abſumit, in ancipiti mortis periculo, laxatis furori habenis, ſe mutuis cædibus conficiant? cum maxime alia bella, in quibus divina propaganda gloria & cœleſtes coronæ acquirendæ, a fidelibus ſuſcipienda ſint.

(r) Leonard. Aret. l. 8.

(s) To. 1. ep. ſecr. pag. 106. 193. & 270.

(t) Ib. ep. 193.

*Urbanus, &c. regimini & conſilio & communi civitatis Florentiæ.*

*Hæc ſi eorumdem malorum punctura conſide-*

Suadendæ pacis inde ſumpta occaſio.

*ſiderare non excitet, ſaltem divinæ flagellationis judicium, epidimiæ ſcilicet depopulatricis humani generis, quæ tam veſtros quam eorumdem Piſanorum fines invaſit, deberet induratos animos terrore concutere & a ſua pertinacia revocare: alia nempe bella, utique grata exercituum Domino, & opportuna fidelibus, modernis temporibus ſunt gerenda, in quibus devoti Chriſtiani pro Deo & ſtatu fidei tota devotione totiſque debent niſibus laborare, ac exponere ſe & ſua, inſurgendo videlicet contra hæreticos, aut contra infideles perſecutores nominis Chriſtiani, quorum alios ſancta mater eccleſia de præſenti perſequitur, & alios perſequi cum potenti brachio Regum & principum aliorumque fidelium provida ordinatione diſponit.*

Vertenda in Saracenos arma.

*Iſtiſque bellis dominicis pendentibus, magis pudere debet ſanguine redemptos Jeſu Chriſti agitare ſe invicem congreſſibus bellicoſis, ac non pugnare pro illo, qui pro ſalvatione totius humani generis pugnavit contra hoſtem, a quo idem genus tenebatur miſerabiliter captivatum, & de ipſo triumphavit in cruce per proprii ſanguinis ſparſionem. Cavete igitur, filii, ne verbum Altiſſimi dictum per prophetam videlicet,* Diſſipati ſunt, nec compuncti, *ſub comminatione tremenda de veſtra duritia repetatur, &c. Dat. Avin. kal. junii anno* I. Fuiſſe Florentiam peſtilentia hoc anno admodum divexatam, refert Matthæus Villanus (*a*); in qua idem author periit, ut ipſius filius Philippus, (*b*) narrat, qui paternum opus perducere aggreſſus eſt ad Piſani belli exitum: at hiſtoriæ ſcribendæ peritia parenti Matthæo, & Joanni conſanguineo impar admodum fuit. Neque Etruria modo, verum Veneta etiam ditio, Iſtria, Dalmatia, ac præcipuæ oriens, Syria, & Ægyptus funeribus oppletæ ſunt. Meminit de ea lue ac Florentino bello Petrarcha his verbis (*c*): *Tertius hic annus*, nempe a ſexageſimo ſupra milleſimum treceteſimum, *ex ordine ab initio malorum ſextus decimus, multas quidem urbium nobilium, inter quas & Florentiam, reinvaſit: quam ſic præſens æſtas exercuit & afflixit, ut parum ſextædecimæ retrocedat æſtati, cui acceſſit ad domeſticam cladem belli furor externi; quod varie cum Piſanis geſtum magna partis utriuſque pernicie & majore periculo, nunc maxime dubiis pendet eventibus*. Hæc Petrarcha menſe ſeptembri hujus anni ſcribebat. De conciliatis porro poſt acceptas illataſque plures clades Florentinis & Piſanis agemus inferius.

(*a*) *Matth. Vill. l.* 11. *c.* 37.
(*b*) *Philip. Vill. ſuper lib. c.* 60.
(*c*) *Petrarc. l.* 3. *rer. ſervil. ep.* 1.

Florentia gravibus cladibus attrita.

Reſtituere Urbi ſedem meditatur Urbanus.

Cæterum impulerat Pontificem inter cæteras cauſas graviſſimas ad pacandam Italiam transferendæ in Urbem ſedis deſiderium, quod Romanorum id flagitantium oratoribus aperuit, datiſque etiam ad ſenatum populumque literis commendavit (*d*): *Super adventu*, inquit, *noſtro ad Urbem deſiderium noſtrum, prout latet in corde, ipſis ambaſſiatoribus aperuimus confidenter: quod impleretur celeritur, ſi quædam ingruentia impedimenta non modica, quæ eiſdem ambaſſiatoribus diximus, & ut ſperamus, tollet Altiſſimus, non obſtarent. Dat. Avin. x. kal. junii anno* I.

(*d*) *To.* 1. *ep. ſecr. pag.* 150.

VIII. Joanna Regina Sic. cenſuris ſoluta.

Decrevit ad Urbanum hoc anno Joanna Regina Siciliæ oratorem Nicolaum Urſinum comitem Nolanum, ut vectigal penderet, cenſuriſque, quibus ob illud non ſolutum nec præſtitam clientelarem ſponſionem erat irretita, ſolveretur. In quam Pontifex clementiam explicuit (*e*). Tum ad Siciliæ alendam pacem Jacobum Baleares ſine re titulos gerentem, qui Joannam uxorem acceperat, initaſque antea cum ea pactiones de non affectanda Neapolitana corona, neque imponendis arcibus præſidiis ſervare detrectabat (ex quo illum inter & Gallicæ ſtirpis principes ſeditionum diſcrimina impendebant) admonuit (*f*), ne aſſentatorum ſuſurris ſubornari ſe pateretur: *Serenitatem*, inquit, *tuam paterna charitate monemus, ac hortamur & rogamus attente, quatenus prudenter attendens, quod adulator eſt blandus hoſtis; quodque hujuſmodi aſſentatorum perverſa malitia habet jucunda principia, ſed exitus ſolet parere triſtiores; & quod contra promiſſiones eaſdem abſque gravi ſcandalo venire non poſſes; quodque ſi aliquid contra præmiſſa hujuſmodi attentares, ſedes prædicta exinde graviter læderetur, & forſan unde tui ſtatus ſperares augmentum, ſiniſtro eventu ſentires veriſimiliter detrimentum; ſuggeſtores eoſdem non audias, ſed repellas, ac de ſtatu tibi a Deo conceſſo ſic humiliter contenteris, quod ille, qui exaltat humiles, prout jam in perſona propria probaviſti, & alta cognoſcit a longe, eorum videlicet ſuperbiam ſupprimendo, ſtatum tuum licito & honeſto incremento, quod patienter expectes, augere ſuæ largitatis dextera inclinetur. Datum Avin.* III. *non. ſeptembris anno* I. Non demiſit in animum hæc monita Jacobus, ſed poſtea uxorem deſeruit, abiitque in Hiſpanias ſub Petro Rege Caſtellæ ſtipendia facturus, captuſque ab hoſte vinculis traditus eſt, ut ſuo loco dicetur.

(*e*) *An.* 1. *ep. com.* 195.

Jacobus Balearis cum ea diſſidet.

(*f*) *To.* 1. *ep. ſecr. pag.* 244.

Monitus ut inita pacta ſervet.

IX. Intendit litem apud Pont. de regno Balearico.

Cum vero is paterni regni ex Aragonum Regis manibus vindicandi cauſa Urbanum communem omnium Chriſtianorum parentem ac judicem appellaſſet, ut cauſæ ſuæ æquitatem tueretur; Pontifex ad extinguenda bellorum ſemina Aragonium hortatus eſt, ut cum nepote, qui acceptas injurias ex animo delere paratus erat, concordiam componeret.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Aragonum illuſtri.*

*Dilectus filius magnificus vir Jacobus infans Majoricarum illuſtris, nepos tuus,*





Monitus Aragonius ut litem componat.

*nuper nobis fecit exponi, quod cum ipſe inimicitiarum, quæ inter tuam ſerenitatem, ac claræ memoriæ Jacobum Regem Majoricarum genitorem ſuum illas (ſatore zizaniæ ſeminante) fuerunt ac pœnarum carceris, aliarumque injuriarum, quas a te aſſerit recepiſſe, diſpoſitus ſit oblivîſci totaliter illaſque ex toto remittere, ſi tuæ benevolentiæ gratiam valeat obtinere, geratque in votis, te non ſolum ut avunculum, ſed ut patrem chariſſimam filialiter revereri, & cum amicis ſuis tuæ ſublimitati fideliter adhærere; apud ſerenitatem eandem dignaremur noſtras partes apponere, ut eum ad gratiam, & benevolentiam tuam reciperes, ac regnum Majoricarum, & comitatum Roſſilionis & Ceritaniæ ad ipſum ſpectantia, quæ tenes, ſibi reſtituere dignareris. Nos autem inter omnes Chriſti fideles, præſertim inter principes, & potiſſime junctos ſanguinis vinculo, vigere charitatem & pacem præcipuis deſideriis affectantes; ac firmitati & proſperitati ejuſdem tui culminis expedire credentes, quod idem infans ad tuam benevolentiam reducatur, & quod ex contrario (quod abſit) majora poſſent ſcandala provenire; magnitudinem tuam rogamus attente, quatenus provide, menteque quieta præmiſſa conſiderans, eidem infanti te reddas placabilem, benignum, ac etiam gratioſum, dando viam & ordinationem, quibus de prædictis, vel aliis rationabilibus & utilibus circa ea tractari commode valeat, eaque feliciter, Domino adjuvante, diſponi: nos enim pro bono & pace utriuſque veſtrum, quia utrunque brachiis ſinceræ charitatis amplectimur, in his offerimus paternis ſtudiis laborare. Dat. Avin. kal. decembris anno* II.

X. Oborta inter Genuenſem & Aragonem lis de Alguerio.

Recrudeſcenti etiam veteri diſcordiæ Petrum Regem inter ac Genuenſes occurrere Urbanus ſtuduit, illumque ut oratores ad ſedem Apoſtolicam pro ea componenda mitteret, eſt adhortatus (*a*). Vertebatur de Alguerio Sardiniæ arce controverſia, quam a Joanne marchione Montisferrati ſuperioris initi fœderis arbitro, lata Aſtæ ſententia adjudicatam Genuenſibus contendebat Gabriel Adurnius dux: reſtituendam vero negabat pluribus de cauſis Aragonius. Ne itaque res in bellum erumperet, Pontifex Gabrieli, ſenatui, populoque Genuenſi, ſe pacis interpretem, obtulit (*b*), cum etiam cauſæ cognitio ad ipſum ut ſupremum Sardiniæ dominum ſpectaret: *Offerentes nos*, inquit, *inter dictum Regem & vos (ſi juſtam querelam contra eum habeatis) amicabilem concordiam tractaturos, vel etiam de jure, cum ratione feudi cognitio quæſtionis feudalis ad nos feudi dominum pertinere noſcatur, & cognitio rei, &c.* Aſſentiebatur Rex Aragonum, ut controverſia Pontifici dirimenda permitteretur: at Genuenſes Urbano reſpondere (*c*), perſpicuo & explorato jure Alguerium Sardiniæ ad ipſos ex lata ab arbitro ſententia ſpectare, neque iterum judicio veluti de re ambigua experiendum videri: & ad comparandam claſſem ad invadendam Sardiniam incubuere. At Pontifex iterum ipſos etiam atque etiam VI. kal. decembris rogavit, ne proſilirent in arma: cum negarent Aragonii oratores Alguerium ipſis adjudicatum, rem in controverſiam vocari quæ jure diſcutienda & dirimenmenda eſſet: atque vel eo magis armis temperandum videri, quo Rex Aragonum ſe æquitati accommodaret.

(*a*) *To.* 1. *ep. ſecr. pag.* 230.
(*b*) *Ib. pag* 234.

Illam ut ſupremus Sard. dominus dirimere vult Urbem.

(*c*) *To.* 2. *ep. ſecr. pag.* 12.

Caſtellanus Aragonium bello urget.

Implicitus is erat alio graviore bello, cujus molem ægerrime ſuſtinere poterat: Petrus enim Caſtellæ & Legionis Rex, devinctis ſibi fœdere Luſitaniæ, Navarræ, Angliæ, nec non Granatæ & Africæ Regibus, infeſta in Aragoniam ſigna una cum Carolo Rege Navarræ intulit, neque agri modo evaſtati, verum plures nobiles urbes occupatæ, de quibus Mariana (*d*), ac Surita (*e*) fuſius agunt, utque de pace & jungendis affinitatibus habita fuerint colloquia. Sanciendæ vero erant hæ affinitates alieno ſanguine, ſeque Aragonius ad fratrem Ferdinandum, atque Henricum Traſtamaræ comitem Caſtellani fratrem ſpurium trucidandos obſtrinxiſſe ferunt. Ita Ferdinandus, ad quem ex omnium conſenſu Caſtellæ & Legionis ſceptra ſi Petrus Crudelis nullos relinqueret ilberos legitimos, ſpectabant, a fratre Aragonio cæſus (*f*), ejuſque ditio proditionis impacto crimine occupata. Adibat idem periculum Henricus, ſed vir prænobilis Navarrus, cujus fidei commiſſa erat arx, in qua tum Henricus verſabatur, pluris integritatem conſcientiæ, quam duorum Regum indignationem fecit (*g*): ex quo Petrus Crudelis cum promiſſa ab Aragonio non impleri obtenderet, redintegrare bellum eſt meditatus. Quæ vero ex his ſint ſecuta, dicetur inferius.

(*d*) *Marian. l.* 17. *c.* 6.
(*e*) *Surit. lib.* 9. *an. c.* 43. 44. 45.

Expetitus a Caſtellano hoſtium ſanguis.

(*f*) *Cap.* 47. & *Mar. c.* 6.

Fugit Henricus Traſtamaræ comes.

(*g*) *Ma. eod. c.* 6.

XI. Jacta inter Cæſarem & Ungarum belli ſemina.

Conflabatur etiam tum bellum rei Chriſtianæ perículoſiſſimum inter Carolum Imperatorem, cujus partibus marchio Moraviæ adhærebat, & Ludovicum Regem Ungariæ ac Rodulphum Auſtriæ ducem fœderatos, niſi Urbanus Papa illud apoſtolica ſolicitudine extinguere ſtuduiſſet. Miſſus eſt eam ob cauſam Petrus epiſcopus Vulteranenſis Apoſtolicæ ſedis internuntius in Ungariam ac Germaniam: de qua impoſita provincia ſubjectum diploma exaratum. (*h*)

*Urbanus, &c. venerabili fratri Petro epiſcopo Vulteranenſi Apoſtolicæ ſedis nuncio ſalutem.*

(*h*) *To.* 1. *ep. ſecr. pag.* 69.

*Nuper in noſtræ promotionis ad apicem ſummi apoſtolatus exordio, de imperii Romani, ac Regum & principum aliorumque*

Præfocata pontificio ſtudio.

*Chriſti fidelium tranquillitate ſoliciti, de ipſorumque ſtatu paterna inveſtigatione quærentes, admodum dolenter audivimus, quod quædam diſcordia dudum inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, ac dilectum filium nobilem virum Joannem de Boemia marchionem Moraviæ fratrem ſuum ex parte una, & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Ungariæ illuſtrem & dilectum filium nobilem virum Rodulfum ducem Auſtriæ ex altera, procurante ſatore zizaniæ ſuſcitata, nondum fuit prout ſperabatur, ad finem optatæ pacis adducta; quamvis ſub pendulo ſufferentiarum deducatur in longum. Nos igitur timentes, ne ſcintilla tenuis non extincta, in flammam (quod abſit) tranſeat deſtructivam, apoſtolicæ proviſionis remedium in hac parte providimus adhibendum: & de zelo pacis, ac circumſpectionis induſtria tuæ fraternitatis in his & aliis gerentes in Domino fiduciam pleniorem, te velut pacis angelum, de fratrum noſtrorum conſilio, ad præfatorum diſcordantium partes, ac præſentiam propterea duximus deſtinandum, &c. Datum Avin.* IX. *kal. februarii anno* I. Solicitati ſunt pluribus hortatoriis literis Imperator (*a*) & Moraviæ marchio (*b*) illius frater, ut a bello temperarent: tum Arneſtus (*c*) Pragenſis, Gerlacus (*d*) Moguntinus archiepiſcopi, Albertus Zvverinenſis epiſcopus, aliique plures præſules ac principes, ut ſopiendæ exortæ diſſenſioni operam darent. Pariterque Rudolphus dux Auſtriæ (*e*) ac Ludovicus (*f*) Ungariæ Rex moniti, ut faciles ſe ad controverſiam ex conſilio internuntii apoſtolici componendam præberent: quo etiam argumento ad Reginas matrem & conjugem datæ literæ (*g*) IX. kal. februarii. Sed jam Eliſabetha ſenior e vivis exceſſerat: cujus rei audita fama, Urbanus Ludovicum Regem amiſſæ matris dolori indulgentem ad Chriſtianam conſtantiam ſpe immortalitatis erexit (*h*). Initam porro ejuſdem internuntii apoſtolici opera inter Ungarum ac Germanum pacem, tradunt Poloni ſcriptores (*i*) hoc anno: quam ad ſequentem conferendam ex pontificiis literis viſuri ſumus. Nunc res Polonicas perſtringemus.

(*a*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 70
(*b*) *Pag.* 71.
(*c*) *Ead. pag.*
(*d*) *Pag.* 72.
(*e*) *Pag.* 71.
(*f*) *Pag.* 70. 75.
(*g*) *Pag.* 71.
(*h*) *Pag.* 75.
(*i*) *Michov. l.* 4. *c.* 20. *Crom. l.* 12.

XII. Caſimiri Regis Pol. veſania.

Volutabatur in libidinum cœno Caſimirus Rex Poloniæ, qui ut licentius fræna intemperantiæ laxaret, Adleidem Reginam thoro regio pepulerat: quem adeo ad obſcœna proſtratum referunt authores Poloni, ut Eſthere Judæa abuteretur, ex qua ſuſceptas filias ad cumulum impietatis in Judaica ſuperſtitione educari ſit paſſus. Ut vero veſanum Regem ex flagitiorum volutabro erigeret Pontifex, ad quem de Reginæ Adleidis divortio controverſia erat delata, Caſimirum paterno amore eſt adhortatus (*k*), ut Reginam ad ſe revocaret. Ex his vero authores Polonicos emendes, qui longe ante hæc tempora Adleidis Reginæ mortem collocant, deque aliis Caſimiri nuptiis agunt, quæ nonniſi adulterinæ eſſe potuerunt. Cæterum poſcenti apoſtolicam opem adverſus Lithuanos & Tartaros Caſimiro Regi, Pontifex veniæ ſpem fidelium pollicitus eſt, (*l*) qui in pugnæ adverſus fidei hoſtes ardore caderent; vel ex acceptis vulneribus mortem obirent.

(*k*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 103.
(*l*) *An.* I. *ep. com.* 443.

*Urbanus, &c. univerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis.*

Noxarum venia Polonis in bello contra impios morientibus propoſita.

*Petitio pro parte chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſimiri Regi Poloniæ illuſtris nobis nuper exhibita continebat, quod ipſe pro regni ſui Poloniæ, quod prope nationes perverſas infidelium conſiſtit, defenſione fidelium eget ſubſidiis adjuvari. Nos itaque ipſius Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi; & illa, quam dominus noſter Jeſus Chriſtus (licet indignis) ligandi atque ſolvendi contulit poteſtatem, omnibus Chriſtifidelibus, qui eidem Regi pro defenſione dicti regni, contra Lithuanos, Tartaros, & alios infideles ac ſchiſmaticos auxilium dabunt infra duodecim annos, a data præſentium computandos, & inibi pro defenſione hujuſmodi inſultum, guerram, vel bellum faciendo deceſſerint, ſeu fuerint vulnerati, ſi alibi ubicumque de talibus vulneribus decedere eos contingat, ſuorum de quibus fuerint veraciter corde contriti & ore confeſſi, plenam remiſſionem peccaminum indulgemus. Datum Avin.* VIII. *id. julii anno* I.

XIII.

In Suecia Magnus Rex, imbutus in epiſcopum Lincopenſem malevolentia, ipſum apud ſedem Apoſtolicam multis criminibus oneravit (*m*): nefarias nimirum in regiam dignitatem, ac Suecum regnum conjurationes meditatum; orabatque ut deturbaretur epiſcopali ſede, & ad eam Gotſcalis familiæ Dominicanæ alumnus, qui ipſi a ſacris confeſſionibus erat, transferretur. Sed cum objecta crimina non probaret, Pontifex ne ad regiam gratiam juſtitiæ lancem inflecteret, hæc Regi reſcripſit: *Quia idem epiſcopus ſecundum jura a dicta ſua eccleſia, cui alligatus exiſtit, abſque rationabili cauſa probata amoveri non debet, & privationum ipſius non ſervato juris ordine juſte ac honeſte facere non poſſemus, tua devota prudentia moleſte non ferat, ſi (ut petiſti) tuam petitionem hujuſmodi non duximus adimplendam. Verum ſi aliquis vel tuo nomine, vel alias velit eundem epiſcopum accuſare, accuſationemque proſequi ſecundum viam juris & conſuetudinem Romanæ eccleſiæ, parati ſumus*

(*m*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 242.
Suecus Lincopenſem epiſc. exauctorari a Pont. poſtulat.
Negat Pont. non probato crimine deturbandum transferendumve.



*mus in hac parte, quanto citius poterimus, facere juſtitiæ complementum. Dat. Avin. kal. ſeptembris anno* I.

Everſus regno Suecus a Lincopenſi epiſc.

De Nicolao epiſcopo Lincopenſi agit Suecarum rerum author (*a*), ac tradit, ipſum una cum aliis proceribus tyrannidis a Magno exerceri ſolitæ odio Albertum Magnopolenſis ducis filium ex ſorore Magni nepotem ad Gothorum Suconumque ſolium communibus ſuffragiis vocaſſe hoc anno: ipſoque ad Stocholmiam Suecorum regiam deducto, populos acceptis a Magno injuriis feſſos ejus jugum excuſſiſſe: ac præſulum & aliorum regni ordinum habitis conventibus, eidem Magno publicæ rei male adminiſtratæ, ſpretæ eccleſiæ authoritatis ac fidei Chriſtianæ, ſacramenti in ſolemni regia inunctione dati ludibrio habiti, violatarum legum omnium, populorum nimiis vectigalibus oppreſſorum judicium intentatum: cumque non compareret, a ſenatu Sueco indignum regia dignitate pronuntiatum: atque ita Albertum Regem creatum, tradit idem author: Albertum deinde in eam concordiam conſenſiſſe, ut regni partem, nimirum Gothiam Magno permitteret (*b*): neque ita multo poſt, dum Albertus Finlandico bello eſſet implicitus, Magnum Haquini filii, qui Norvvegianum regnum tenebat, ac Waldemari Regis Daniæ auxiliis fretum, recuperare regnum pertentaſſe: ſed deletum prælio a nepote Alberto conjectum in vincula, in quibus ſeptennio fuit, donec filius Haquinus fortiſſimo ſuccinctus exercitu ad Stocholmiam uſque regiam pervagatus, e carcere eripuit parentem: qui demum infeliciter aquis merſus periit. Hæc licet temporibus diſcreta, hoc tamen loco conjungenda viſa ſunt.

(*a*) *Magnus l.* 21. *c.* 9. & 10. *Albert. Crant. Suec. l.* 5. *c.* 30. 31. 32.
Quæ objecta illi fuerint crimina.
Gotiæ reſtituitur.
(*b*) *Magn. c.* 10. *Crantz. c.* 31.
Captus in acie a nepote carceri traditur.
Liberatur a filio, & demum aquis perit.

XIV. Danus Pontificem adire cogitat.

Agitabat hoc tempore Waldemarus Daniæ Rex adire ſedem Apoſtolicam, piumque deſiderium Urbano ſignificavit. Cui Pontifex amantiſſime a ſe exceptum iri reſcripſit his verbis (*c*): *Gratanter recepimus, valdeque lætanter audivimus, quod tua perſona magnifica & devota intendit de proximo ſedem Apoſtolicam viſitare: proindeque tuæ devotionis plenitudinem commendantes, te ſicut chariſſimum filium noſtrum, quem jucunde videbimus, deſiderabiliter expectamus, petitaſque literas de ſecuro conductu pro te ac gentibus tuis conceſſimus incunctanter. Dat. Avin.* XI. *kal. januarii anno* II. Extat in pontificio regeſto hujuſmodi liberi commeatus ſyngraphe formula data (*d*) ad eundem Regem, quem quidem poſtea ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſſe, ut de inſtruenda expeditione pro recuperando oriente conſilia conferret, mox viſuri ſumus.

(*c*) *Tom.* 2. *ep. ſecr. p.* 42.
Datum illi a Pont. reſponſum.
(*d*) *Ib. p.* 52.

Convenerant (*e*) antea Urbanum verno tempore Joannes Francorum & Petrus Cypri Reges, ut univerſos fideles accenderent ad delendam infamiam, qua Mahometani Chriſtianum nomen inuſſerant, occupato oriente, ſuæque ſubjecta ſervituti Palæſtina dominico olim cruore conſecrata: Joanneque Francorum Rege (qui verterat religioni ac divinæ vindictæ ob neglectas belli ſacri a patre voto ſuſcepti curas omnia mala, quibus fuerat obrutus) Chriſtianas copias cruce inſignitas ductare in Saracenos ſpondente, Urbanus univerſorum fidelium, qui ex omnibus regnis ad Jeſu Chriſti ſigna accederent, expeditionem adverſus Saracenos Aſiaticos indixit, cui memoratum Francorum Regem præfecit; de quo hæc MS. Vaticanum refert (*f*): *Ejuſdem menſis, nimirum martii hujus anni, die mercurii* XXIX. *dominus Petrus Rex Cypri intravit curiam, & in die veneris ſancta cruce ſignatus eſt per dominum Papam una cum filio Regis & multis nobilibus contra Turcas. Aprilis die* XII. *Papa prædicavit crucem contra Turcas, ordinans paſſagium generale, cujus capitaneum conſtituit Joannem Regem Franciæ tunc præſentem, qui ibidem juravit paſſagium facere a martio præterito infra duos annos.* Eadem confirmat vitæ Urbani author (*g*). *Poſt dictam*, inquit, *promotionem Urbani Papæ ad ipſum ſatis cito venerunt, Joannes Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges cauſa ipſum viſitandi, ſibique reverentiam exhibendi: qui demum cum ſuis voluntate & deliberatione & conſilio ad faciendum generale paſſagium ultramarinum, & ſpecialiter contra Turcos, ſe mutuo aſtringunt; fueruntque cum multis aliis magnis & notabilibus viris crueeſignati per dictum Papam: qui etiam pro tunc crucem contra Turcos prædicavit, ordinans dictum generale paſſagium, cujus capitaneum conſtituit præfatum Joannem Francorum Regem, perſonaliter onus hujuſmodi in ſe ſuſcipientem.*

(*e*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 170.
Gallus & Cyprius Reges de bello in oriente gerendo paciſcuntur.
Indictum ab Urbano ſacrum bellum.
(*f*) *MS. bibl. Vat. ſig. num.* 3765.
(*g*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

XV. Rex Francorum creatus expeditionis dux.

Extat de his pontificium ad Francorum Regem diploma (*h*), quo exercitus crucesignati dux decernitur. Indictæ vero expeditionis tres cauſæ afferuntur: indignitas rei, ut conſecrata Chriſti veſtigiis redemptioniſque myſteriis loca a Mahometanis contaminari ferant Chriſtiani: recuperandæ Syriæ eximia occaſio, cum peſtilentia exhauſtæ ſint Saracenorum vires: ingraveſcentis Turcicæ tyrannidis reprimendæ neceſſitas, cum proximi diſcriminis terror impendeat, ne Chriſtiana reſpublica a Turcis opprimatur, ni mature eorum graſſationes coerceantur.

(*h*) *An.* I. *ep. com.* 26.

*Urbanus, &c. Joanni Regi Franciæ illuſtri.*

Pontificiæ ea de re literæ.

*Dolenter referimus, quod olim peccatis exigentibus terram ſanctam Agarenorum gens perfida, ejuſdem Salvatoris & ſuæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non abſque damnoſa negligentia*

Chri-

De Satac. Turcorumque graſſationibus.

*Chriſtiani populi occupavit; prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione ſcelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium debet eſſe. Accedit quoque ad hujuſmodi infelicitatis augmentum illa ærumnoſa calamitas, quam ex oppreſſione Turcorum crudelium patitur Chriſtianus populus orientis, & quæ tanto gravior redditur, quanto iidem Turci viciniores fidelibus extiterint, graſſantur ſævius & facilius in eoſdem: quantoque ipſorum rabies ſemper excreſcens, & cruorem Chriſtianum aſpirans effundere, majus poteſt Chriſtianitati generare periculum, niſi eorum, qui in ſua feritate confidunt, præſumptuoſa temeritas per ipſorum fidelium potentiam reprimatur. Quæ omnia nuper divino ſpiritu, (ut pie credimus) inſpirante, chariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus Rex Cypri illuſtris prudenter conſiderans, & his majora pericula toti Chriſtianitati, ſi opportunum in præmiſſis non apponatur remedium, probabiliter proventura formidans; de ſtatu dictorum infidelium, [quem ex ipſorum mortalitatibus & diſcordiis debilitatum & proſtrationi diſpoſitum aſſerit, præſertim ex captione civitatis Sataliæ, ac nonnullorum caſtrorum & locorum, quæ idem Rex ſuis providentia perſonalibuſque laboribus & expenſis de manibus infidelium prædictorum eripuit, ex quo infideles ipſos multus, ut aſſeritur, timor invaſit] plenarie informatus, ſicut princeps magnanimus & devotus, non vitatis pro Dei ſervitio itinerum longorum periculis, ad Apoſtolicam ſedem ſe tranſtulit, nobis & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac tibi & aliis catholicis principibus & magnatibus, aliiſque fidelibus populis vias ac modos vivæ ſuæ vocis oraculo prudenter oſtendens, per quos iſtis temporibus poteſt faciliter eorundem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio dictæ terræ.*

Ut Peſtilentia debilitatæ ſint eorum vires.

Contremiſcant pavore. Expoſitus a Cyprio eorum ſtatus.

*Hæc ſiquidem tu, fili chariſſime, devote ac gaudenter accipiens, deſiderium transfretandi, quod aſſeruiſti diutius in tuo corde geſſiſſe, nunc in lucem devotius produxiſti: nam tu & præfatus Rex Cypri aliique multi nobiles cum tua & eorum potentia pro recuperatione terræ ſanctæ prædictæ promiſiſtis perſonaliter transfretare, ac recepiſtis de manibus noſtris venerabile ſignum crucis, quod multi nobiles & magnates ad ſedem venientes eandem, cum devotionis plenitudine quotidie poſtulant, & recipiunt reverenter: noſque præmiſſa cum ingenti conſiderantes lætitia, cupienteſque tam tuam ſublimitatem & eundem Regem Cypri, quam alios fervore hujuſmodi devotionis accenſos in tanto Salvatoris noſtri prædicti promovendo negotio ſpiritualibus & temporalibus auxiliis confovere, matura ſuper his deliberatione præhabita, de dictorum fratrum conſilio indiximus ad dictam terram ſanctam & alias partes infidelium orientis paſſagium generale, omnibus qui ad hoc transfretabunt, indulgentias & privilegia, transfretantibus in dictæ terræ ſubſidium conſueta concedi, auctoritate apoſtolica concedentes; ac te ipſius paſſagii & totius exercitus Chriſtiani, qui transfretabit in illo, rectorem conſtituimus & capitaneum generalem: ac nihilominus alias noſtras literas inde confectas verbum crucis cum certis gratiis & indulgentiis in regno Franciæ mandavimus prædicari: & tam tibi quam cæteris crucesignatis & crucesignandis kal. martii anni Domini milleſimi trecenteſimi ſexageſimi quinti proxime ſecuturi pro termino ad transfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandas. Tuque hujuſmodi capitaneatum reverenter acceptans, perſonaliter in eiſdem noſtris manibus ad ſancta Dei evangelia juraviſti, quod in eiſdem kalen. vel ante, dicti paſſagii iter arripies, illudque deinde, juſto & legitimo impedimento ceſſante (ſub certis tamen conditionibus modis, & formis in aliis noſtris literis (a) ſuper hoc confectis ſerioſius annotatis] realiter & perſonaliter proſequeris, &c.* Adduntur plura de colligendo auro ſubſidiario ad belli ſacri inſtruendum apparatum, ſumptuſque conficiendæ expeditionis ſuſtentandos. *Dat. Avin. 11. kal. aprilis anno* 1. Initas porro inter Pontificem Gallumque Regem pactiones pro ſacra expeditione promovenda ſilentio præterimus, cum ob Joannis intempeſtivum obitum irritæ ceciderint.

Gallus & Cyprius a Pont. crucis ſymbolo inſigniti.

Conſtituta expeditionis dies.

(a) Ext. ib. ep. 17.

XVI. Talayrandus Card. creatus in exercitu legatus.

Demandatum vero eſt legationis apoſtolicæ munus Talayrando Cardinali, ut veteri more ſacris rebus in oriente præeſſet, ac neceſſaria ad divinæ amplificationem gloriæ urgeret; de quo refert hæc Urbani vitæ author (b): *Adjunxit dominum Talayrandum de Petragoriis epiſcopum Albanenſem Cardinalem, quem legatum de latere ordinavit ſecum profecturum.* Præterea fuere imperatæ ſacerdotibus decumæ (c), aliæque pro conficiendo bello ſacro rationes conquiſitæ. Tum præſulibus data imperia (d), ut indictam religioſam militiam e ſacro ſuggeſtu promulgarent, eamque profeſſuros crucis ſymbolo diſtinguerent. Tum intentatum anathema iis omnibus, qui Gallum Regem a ſuſcepto pio conſilio reſtituendæ Syriæ religionis revocare molirentur: quo argumento tranſmiſſæ encyclicæ literæ, preceſque ſolemnes ad opem divinam conciliandam indictæ (e).

(b) Geſta Urb. V. apud Boſq.

(c) An. 1. ep. com. 17.

(d) Ib. ep. 18. uſque ad 36.

(e) Ead. ep. 36.

*Urbanus, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Rhemenſi & ſuffraganeis.*

Objectum anathema Gallum a bello avocaturis.

*Providere volentes, ne dictus Rex Franciæ malitioſis aliquorum ſuaſionibus vel inductionibus a tam ſancto propoſito quomodolibet retrahatur, ſub anathematis pœna diſtrictius inhibemus, ne quis Regem ipſum a propoſito proſequendi & perficiendi dictum ſanctum paſſagium malitioſe retrahere ſeu revocare præſumat. Et quia nemini venit in dubium, decimam & alia ſubſidia memorata ad tanti proſecutionem negotii non ſufficere, ipſumque negotium longe majoris ſubventionis beneficio indigere, & ad illud coadjuvandum cunctorum fidelium grata ſubſidia exiſtere opportuna; fideles eoſdem ad hoc quibuſdam ſpiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet & remiſſionibus providimus invitandos.*



XVII.

*Quocirca fraternitati veſtræ de dictorum fratrum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, vos nihilominus obſecrantes per aſperſionem pretioſi ſanguinis Jeſu Chriſti, quatenus commemorantes attente ſtatum lugubrem dictæ terræ, ac provide conſiderantes, quod cum fidelium ſuorum regimini vos velut in ſolicitudinis partem aſſumptos præfecerit Dominus, ad promotionem hujuſmodi ſancti negotii plus cæteris tenemini ex officio paſtorali tanquam præcones fideles & fortes athletæ fidei contra prædictos perfidos hoſtes Chriſti, ſinguli videlicet veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus per vos & alias perſonas eccleſiaſticas ſeculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore videritis, cunctis Chriſti fidelibus juxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis; & venerabile ſignum ejus quibuſcumque fidelibus illud ſuſcipere devote volentibus (quos ad hoc utiles fore credideritis) concedatis, ipſorumque humeris imponatis; fideles eoſdem, quos ad audiendum propoſitionem ipſam, quoties expedierit, ad loca idonea convocare poſſitis, ſolicitis exhortationibus & opportunis inſtantiis inducentes, ut ſuſcipientes cum reverentia ſignum crucis, ipſumque ſuis cordibus imprimentes, contra hoſtium prædictorum perfidiam, & ad ejuſdem terræ ſanctæ ſuccurſum aſſurgant viriliter, ac negotium ipſum ferventer aſſumant, & ferventius proſequantur, &c.* Interjectis pluribus de habendis ſacris concionibus ad fideles in ſacram militiam alliciendos, proponenda iis veniæ ſpe, recipiendis in clientelam apoſtolicam bonis eorum, qui Francorum Regem ſtipaturi eſſent in Aſiatica expeditione, hæc decernit ad contrarios obices diſcutiendos.

Juſſi præſules e ſuggeſtu fideles incitare ad pia arma.

Piratis eorumque participibus pœnæ intentatæ.

*Cæterum quia curſarii & piratæ nimis impediunt ſubſidium terræ ſanctæ, capiendo & ſpoliando tranſeuntes ad illam & redeuntes ab ea, ipſos quoque & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo curabimus denuo innodare, ſub interminatione anathematis inhibendo, ne quis ſcienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu; ac injungendo rectoribus civitatum & locorum ſuorum, ut eos ab hac inquietatione revocent & compeſcant; alioquin in perſonas & terras eorum per eccleſiarum prælatos volumus ſeveritatem eccleſiaſticam exerceri. Quia vero ad hoc negotium exercendum eſt permaxime neceſſarium, ut principes & populi Chriſtiani ad invicem aſtringantur vinculo charitatis & pacis, injungimus eccleſiaſticis prælatis, ut diſcordantes ad veram pacem reducere ſtudeant, aut ad firmam treugam inviolabiliter obſervandam; & qui acquieſcere forte contempſerint, per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terris eorum arctiſſime compellantur; niſi forte tanta fuerit inimicorum malitia, quod ipſi non debeant tali pace gaudere. Quod ſi forſan cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per authoritatem eccleſiaſticam contra eos tanquam turbatores negotii Crucifixi ſecularis potentia inducatur, &c.* Paucis interjectis de truncis concavis tribus clavibus obſerandis, in quos fideles ſtipem in ſacri belli uſum vertendam demitterent, ſubdit.

XVIII. Indictæ ſolemnes preces pro felici ſucceſſu.

*Porro deſiderantes, quod hujuſmodi negotium optatum ſortiatur effectum, & ejuſdem Regis & aliorum Chriſti fidelium pia devotio orationum adjuta ſuffragiis circa proſecutionem dicti negotii efficacius roboretur; authoritate præſentium ordinamus, ut in ſingulis ſupradictis & aliis etiam regularibus eccleſiis dicti regni qualibet hebdomada ſemel certa die, pronuntianda populo, unam miſſam pro liberatione dictæ terræ de manibus hoſtium prædictorum, præfata proſecutione durante, cum infraſcriptis orationibus ſolemniter celebretur; ita tamen quod in prima de Trinitate, in ſecunda de cruce, & in tertia hebdomadis de beata Maria Virgine, & ſic deinceps miſſæ hujuſmodi debeant celebrari; niſi forſan id feſtivitatis alicujus ſolemnitas impediret: quo caſu poſt orationes feſti ordine ſuo ſemel in hebdomada dicantur orationes hujuſmodi, ut præfertur. Cunctis vero fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui durante proſecutione dicti negotii pro ipſius conſummatione felici devote ad Dominum preces effundunt, decem dies, videlicet diebus ſingulis, quibus oraverint, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Prædictæ autem orationes ſunt iſtæ; Deus qui admirabili providentia cuncta diſponis, te ſuppliciter exoramus, ut terram, quam Unigenitus tuus proprio ſanguine conſecravit, de manibus inimicorum crucis eripias, & eam in Chriſtiana religione tuo nomini ſervire concedas. Per eumdem, &c.* Oratio ſecunda: *Sacrificium Domine, quod immolamus intende, ac propugnatores tuos ab hoſtium malignitate cuſtodias, & in tuæ protectionis ſecuritate conſerves.* Alia poſt communionem: *Protector noſter aſpice Deus, & fideles tuos ab hoſtium defende periculis, ut ab omni per-*

Propoſitæ eas fuſuris indulgentiæ.

*perturbatione ſecuri libera tibi mente deſerviant. Per Dominum noſtrum, &c. Dat. Avin. II. kal. aprilis an. I.* His ita decretis non modo ſacri concionatores Chriſtianam juventutem armis idoneam ad ſacrandas Chriſti vires accendere aggreſſi ſunt, verum etiam ad urgendam magis eam expeditionem viſum eſt, ut Petrus Rex Cypri, partis de Turcis triumphis clariſſimus, occidentis regna obiret, principeſque ad tantæ gloriæ ſocietatem alliceret, ut narrat Urbani vitæ ſcriptor (*a*): *Pro paſſagii,* inquit, *hujuſmodi proſecutione fuit pro tunc de conſenſu unanimi prædictorum miſſus dictus Petrus Rex Cypri ad partes occidentales cauſa exhortandi & inducendi earum principes, ut vellent ſe aſtringere ac diſponere ad paſſagium memoratum.*

(*a*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

XIX. Cum vero Joannes Francorum Rex niſi vertente biennio iter aggredi non poſſet, ut labefactatum ſuperioribus bellis regni ſtatum componeret, neceſſariumque apparatum inſtrueret, Petrus Rex Cypri univerſo crucis ſymbolo inſignito exercitui præire conſtituit, ut illi viam muniret; cui Pontifex auxilia e regnis elicienda attribuit (*b*): *Quia*, inquit, *Rex Franciæ, prout nobis aſſeruit, commode nequit niſi circa præfatum terminum, nimirum biennalem, verſus dictas terras & partes arripere iter ſuum: & tu, qui es ad præſens apud ſedem conſtitutus eamdem, ad ſuccurrendum eiſdem fidelibus & conatus eorumdem infidelium deprimendum velut athleta Chriſti ac præcurſor intrepidus proponis, prout nobis aſſeruiſti, ſatis ante dictum terminum cum auxiliis citramarinorum fidelium transfretare; nos tibi certa ſubſidia fidelium in Gradenſi, Salzeburgenſi, Strigonienſi, Colocenſi, Jadrenſi, Spalatenſi, Raguſinenſi, Antibarenſi, Duracenſi, Patracenſi, Corinthienſi, Athenienſi, Neopatrenſi, Pairenſi, Coloſſenſi dicta Rhodo, Cretenſi, Corſienſi, & Nicoſienſi, Panormitana, Meſſanenſi, & Montis regalis civitatibus, diœceſibus, & provinciis; ac etiam in Aquilejenſi, Concordienſi, Tergeſtina, Juſtinopolitana, Polenſi, Parentina, Emonenſi, Pecenenſi, ac Pecenſi & Caffenſi civitatibus & diœceſibus, cæteriſque partibus ultramarinis duximus concedenda, &c.* Tradita etiam eidem Regi pia legata, quæ ſexennali flexu pro terra ſancta liberanda relinquerentur. *Dat. Avin. II. kal. Aprilis anno I.*

Cyprius Rex præire Gallo conſtituit.

(*b*) *Eod. an. I. ep. com. 58. & to. I. ep. ſecr. p. 170.*

In quibus provinciis decreta illi ſubſidia.

Derivatæ (*c*) etiam in ejuſdem belli ſumptus omnes mulctæ, quæ a fœneratoribus raptoribuſque repeterentur cum de dominis, quibus rapta reſtituenda eſſent, non conſtaret, tum eleemoſynæ, quæ a fidelibus in capſas in locis ſacris expoſitas demitterentur. Conceſſum (*d*) etiam jus, ut quantas poſſet maximas in iiſdem regnis & provinciis copias contraheret. Ex aliis vero regnis duo millia equitum, peditum ſex millia conſcriberet, excepta Gallia, e qua ducentos equites cataphractos educeret: *Tibi*, inquit, (*e*), *concedimus, quod ducentos nobiles equites armatos de dicto regno Franciæ, ac duo millia equitum, & ſex millia peditum cum eorum comitivis, familiaribus, commenſalibus de quibuſcumque mundi partibus, excepto regno Franciæ, & quaſcumque gentes armigeras de quibuſcumque ſocietatibus ubilibet conſtitutas; nec non univerſos & ſingulos de Aquilejenſi, Gradenſi, & Salzeburgenſi provinciis, ac Ungariæ & Cypri regnis, & partibus Sclavoniæ, ac inſula Siciliæ & inſulis ei adjacentibus, nec non Romaniæ & cæteris aliis partibus ultramarinis ducere ſeu mittere & tenere valeas etiam ante terminum memoratum, &c.* Proponit indulgentiarum præmia Petri Cypri Regis ſigna ſecuturis, ac præſules auctoritate inſtruit, ut ſacrum crucis ſymbolum iis imponant. Quibus literis VIII. kal. junii adjecta. Ut vero Cyprius Rex plures trahere ad ſacrum bellum poſſet, & conficere exercitum, multis eum Urbanus apoſtolicis beneficiis & privilegiis auxit (*f*).

(*c*) *Eod. an. I. ep. com. 59.*

(*d*) *Ibid. ep. 60.*

(*e*) *Ib. ep. 58. & to. I. ep. ſecr. p. 170.*

Comparandi exercitus data ei poteſtas a Pont.

(*f*) *Eod. to. I. ep. ſecr. pag. 173.*

XX. His de gemina expeditione a Cypri & Francorum Regibus conficienda conſtitutis, Dei vicarius alios Reges ac principes ad tanti operis & gloriæ ſocietatem pellicere apoſtolicis adhortationibus, atque in primis Carolum Imperatorem Romanorum eundemque Regem Boemiæ pio ſtudio accendere ad ſacra arma corripienda, ac nunquam intermorituras palmas colligendas annifus eſt. (*g*) Expoſuit, ut Cyprius Rex jam Turcas edomare cœpiſſet: Sataliam ac plures arces alias eripuiſſet Turcis: Mahometanos peſtilentiæ flagello attritos adeo, ut ſuſtinendis Chriſtianorum armis pares eſſe non poſſent: liberandæ ex impiorum ſervitute Syriæ tempus, continentibus tot ætatum votis flagitatum appetiiſſe.

Admoniti Reges de ſacro gerendo bello.

(*g*) *Ib. p. 161.*

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto ſalutem.*

Urbani ad Carolum Imp. literæ.

*Deſcendens a Patre luminum Spiritus mentium illuſtrator mirificus, datorque optimus gratiarum, ubi & quando vult catholicorum principum aliorumque ſuorum fidelium cordibus illa inſpirat cupere & cupita proficere, quæ ſint ad Dei laudem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, ejuſque hoſtium repreſſionem, ac ſalutem eorundem fidelium animarum: datque tempus acceptabile, & dies ſalutis indulget, quibus proprium exequendo debitum ſicut filii benedictionis & gratiæ, Patris & domini noſtri ulciſcantur injurias, ut digni reddantur hereditatem paternam & dominicam poſſidere; tollantque Chriſtianitatis opprobrium, adeo jam quaſi dimiſſum, quod infideles illud exiſtimant ſempiternum. Sane dolenter referimus, quod olim, peccatis exigentibus, terram illam, quam ſalvator noſter Dei filius dominus Jeſus Chriſtus, ſuæ præſentia converſationis illuſtrans, in ipſa pro noſtra redemptione mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam ſuæ reſurrectionis gloria reparavit, Agarenorum gens perfida, ejuſdem Salvatoris & ſuæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non abſque damnoſa negligentia Chriſtiani populi occupavit, prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione ſcelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium ſolet eſſe. Accedit quoque ad hujuſmodi infelicitatis augmentum illa ærumnoſa calamitas, quam ex oppreſſione Turcorum crudelium patitur Chriſtianus populus orientis, qui tanto gravior redditur, quanto iidem Turci, viciniores fidelibus exiſtentes, graſſantur ſævius & facilius in eoſdem, quantoque ipſorum rabies ſemper excreſcens, & cruorem Chriſtianorum aſpirans effundere, majus poteſt Chriſtianitati generare periculum, niſi eorum, qui in ſua feritate confidunt, præſumptuoſa temeritas per ipſorum fidelium potentiam reprimatur.*





Argumenta pro ſuſcipiendo bello ſacro.

Petita ex Palæſtinæ ſervituto.

Ex tyrannide Turcarum.

XXI. *Quæ nuper, divino Spiritu inſpirante, chariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus Rex Cypri illuſtris, cujus regnum eſt in ipſorum infidelium faucibus conſtitutum, prudenter conſiderans, & majora pericula toti Chriſtianitati, ſi opportunum in his non apponatur remedium, probabiliter proventura formidans, de ſtatu dictorum infidelium (quem ex ipſorum mortalitatibus & diſcordiis debilitatum, & proſtrationi diſpoſitum aſſerit; præſertim ex captione civitatis Sataliæ, ac nonnullorum caſtrorum & locorum, quæ licet admodum fortia idem Rex ſuis providentia, perſonalibus laboribus, & expenſis de manibus infidelium prædictorum eripuit, ex quo infideles ipſos multus, ut aſſeritur, timor invaſit) plenarie informatus, ſicut princeps magnanimus & devotus, non vitatis pro Dei ſervitio itinerum longorum periculis, ad partes occidentales, & demum ad Apoſtolicam ſedem acceſſit, nobis ac fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, & catholicis principibus ac magnatibus, aliiſque fidelibus populis vias & modos prudenter oſtendens, per quos iſtis temporibus poteſt faciliter eorumdem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio terræ ſanctæ.*

Ex imminenti diſcrimine ni bellum illis inferatur.

Ex pronis in exitium eorum rebus.

*Hæc ſiquidem chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Rex Franciæ illuſtris gratanter accipiens, deſiderium transfretandi, quod diutius (ut aſſeruit) geſſit in corde, produxit in lucem: nam ipſe ac præfatus Rex Cypri, aliique multi nobiles cum eorum potentia, pro recuperatione terræ ſanctæ prædictæ promiſerunt perſonaliter transfretare, ac receperunt de noſtris manibus venerabile ſignum crucis: quod multi magnates, & nobiles ad ſedem venientes eamdem, cum devotionis plenitudine quotidie poſtulant, & recipiunt reverenter. Noſque præmiſſa cum ingenti lætitia intuentes, & cupientes tam dictos Reges, quam alios in tanto Salvatoris noſtri prædicti promovendo negotio ſpiritualibus & temporalibus auxiliis confovere, matura ſuper iis deliberatione præhabita, de dictorum fratrum conſilio indiximus ad dictam terram ſanctam & alias partes infidelium orientis paſſagium generale, inchoandum kal. martii anni nativitatis Domini milleſimi treceuteſimi ſexageſimi quinti proxime ſecuturi; & conſueta indulgentiam ac privilegia omnibus ad hoc transfretaturis duximus concedenda: & deinde diligentius attendentes, quod idem Joannes Rex eximiæ devotionis ardorem, quem claræ memoriæ nonnulli Reges Franciæ pro ipſius terræ ſanctæ recuperatione hactenus habuerunt, pie memorans, illum in ſe virtuoſæ ſucceſſionis ſalutari funiculo derivavit: provida ſuper iis cum eiſdem noſtris fratribus deliberatione præhabita, eumdem Joannem Regem præfati paſſagii & omnium, qui transfretare voluerint, capitaneum conſtituimus generalem. Quæ omnia magnitudini tuæ, aliiſque catholicis Regibus atque principibus, ac magnatibus & populis decrevimus intimanda, ut tempus illud acceptabile datum a Domino in humilitatis ſpiritu cognoſcentes, interim ſi qui eorum habeant cum aliis Chriſtianis diſcordiam, pacem & concordiam, ſine quibus negotium ipſum proſperari non poſſet pro Dei reverentia ſtudeant firmis ſtabilitatibus invicem reformare, ac ad proſequendum hujuſmodi Dei & fidei præfatæ negotium magnifice ſe accingant, illud in perſonis propriis vel alias, prout eis poſſibile fuerit, proſequendo.*

Ex Galli & Cyprii jurata ſocietate.

De indicta expeditionis die.

Gallorum Rex cruceſignatorum dux creatus.

XXII. *Inter alios autem principes, quos plus deceat ad hujuſmodi tam ſalubre negotium excitari, & ad ipſius proſecutionem plenis effectibus dare opem, imperiali celſitudini convenire proſpicimus, ut ad hoc tanto ferventius animeris quanto ab excellentia tua hoc magis exigitur inter omnes principes orbis terræ: quantoque Regi regum, domino dominantium, qui magna potentia & gentibus aptis ad bellum dominicum te vallavit, exinde majus præſtabis obſequium, & ab ipſo præmium proſequeris. Ea propter imperialem ſublimitatem paterna charitate requirimus, & affectuoſe rogamus, eidem pro ſua ſalute, ſuique culminis glorioſius extollendo præconio ſuadentes, quatenus præmiſſa devote conſiderans, ad aſſumendum cum tua præcellenti potentia tam pium tamque acceptum Deo negotium, per quod contenditur certius ad excelſa, more Chriſtianiſſimi ac potentiſſimi principis ardentius inducaris; & ad proſe-*

Rogatus Carolus ut ſacrum bellum promoveat.



cu-

*cutionem ipſius tam magnifice te diſponas, quod aliis Chriſtianis principibus & magnatibus glorioſum exemplum tribuas ſimiliter faciendi, teque ſecurius imitandi. Quis enim poterit diffidere vel trepidare fidelium hujuſmodi ſancto ſe dedicare negotio, ubi potentiæ tuæ robur adeſſe præſenſerit, & tam magnanimi principis firmiſſimum fundamentum? Profecto ſi, prout indubia credulitate tenemus, præfatum negotium ferventer ac potenter aſſumpſeris, multos & magnos principes, alioſque fideles ad tui imitationem allicies, & allectos in ſancti propoſiti perſeverantia conſervabis: ex hoc enim tibi & aliis fructuoſus exiſtes, & ex aliorum operibus, quæ tuo cauſabuntur exemplo, multiplicabitur tibi meritum apud Deum. Ut autem ad aſſumptionem & proſecutionem hujuſmodi eo libentius te diſponas, quo de gratia & favoribus dictæ ſedis te ſenſeris certiorem, eidem ſublimitati in omnibus, quæ ad ipſius honorem & commodum noverimus cedere, promptis affectibus, & prout cum Deo poterimus, gratis effectibus aſſiſtemus. Dat. Avin.* VIII. *kal. junii anno primo.*

Cæteris principibus exemplo prælucceat.

XXIII.

Conceptæ ſunt ſimillimis ſententiis pontificiæ adhortationes ad præpotentes duos Reges partis victoriis clariſſimos Eduardum (a) Angliæ & Ludovicum (b) Ungariæ, ut armorum potentiam bellandique peritiam ad comparandam Chriſto Aſiam explicarent. Vocavit etiam Urbanus ad ſacrum fœdus in Chriſtianæ religionis hoſtes Carolum Regem Navarræ (c), ut ſoceri, Joannis nimirum Regis Francorum pium ardorem imitaretur, ac ſi quod in illum ob ſuperiores ſimultates odium concepiſſet, deleret ex animo, ac vel acies e regno educeret, bellicos pro Chriſto ſuſcepturus labores, vel auxilia communicaret.

(a) *Eod. to.* 1. *ep. ſecr. pag.* 163. (b) *Ib. p.* 166.

Anglus & Ungarus ad eandem gloriam excitati.

(c) *Pag.* 127.

Nec hos modo & alios Reges ad religionem in oriente inſtaurandam provocavit Urbanus (d), verum etiam ſingulos principes dignitate, opibus armiſve florentiſſimos: in Germania quidem Joannem marchionem Moraviæ, Wenceſlaum Lucemburgi ducem Imperatoris fratres, Rodulphum Auſtriæ, Rodulfum Saxoniæ, tum ſingulos Bavariæ duces (e) ad id excitavit: quod de pluribus aliis præterimus. Solicitavit etiam (f) ad conſecranda Chriſto arma vagas turmas, quæ Gallias depaſcebantur: extincto enim Regum bello, diſſolutiſque exercitibus, ad latrocinia ſe converterant; precibuſque contendit, ut bellicum furorem non in Chriſti, ſed Mahometi cultores exercerent, divinique nominis opprobrium (purgata ſuperſtitione Palæſtina) vindicarent. Parandæ vero claſſi daturus operam ſummus Pontifex, ad Venetos ac Genuenſes (g) ſpes ſuas preceſque convertit (h), ac Laurentium Celſum & Gabrielem Adurnum duces, ut triremes ac naves inſtruerent ad tranſportandas quas Cypri Rex copias adduceret. Subjectis vero ſententiis conceptæ ſunt, quæ duci Venetorum, qui cum Cyprio Rege fœdus in hoſtes fidei percuſſerat, inſcriptæ (i).

(d) *Ib. p.* 163. 164.

Provocati Germani principes ad bellum Aſiaticum.

(e) *Ibid.* (f) *Pag.* 168.

Et fœderati vagorum militum exercitus.

Veneti & Genuenſes ad claſſem inſtruendam excitati.

(g) *Ib. p.* 164. (h) *Pag.* 165.

(i) *Super p.* 164.

*Urbanus, &c. Laurentio Celſi duci Venetiarum.*

*Nobilitatem tuam paterna charitate requirimus & rogamus, ac pro ſua ſalute ſuademus eidem, quatenus præmiſſa devote conſiderans, ad aſſumendum cum tua grandi potentia tam pium tamque acceptum Deo negotium, per quod certius ad excelſa conſcenditur, animeris: ac ad ipſius proſecutionem tam prudenter, prout negotii qualitas exigit, quam libenter expedientia navigia viroſque idoneos & neceſſarios in eiſdem, ac arma, victualia, & alia opportuna diſponas, quod Chriſtianis principibus atque magnatibus glorioſum exemplum tribuas dictum negotium audacius proſequendi.* Et infra: *Profecto indubia credulitate tenemus, quod ſi præfatum negotium ferventer & potenter aſſumpſeris, multos ac magnos fideles allicies, & allectos in ſancti propoſiti perſeverantia conſervabis, qui ſine tua potentia (quod abſit) deficerent in negotio memorato.* Et infra.

Ad Venetum ducem ea de re hortatoriæ literæ.

*Cæterum quia præfato Regi Cypri, qui tanquam præcurſor magnificus ſatis ante dictum terminum cum auxilio fidelium, quos habere poterit, ad partes ultramarinas remeare proponit, viam tutam & diſpoſitionem accommodam populo Dei cum ipſius aſſiſtentia paraturus, certa ſubſidia gentium armigerarum nonnullarum partium (inter quas locus Venetiarum cum ſuis terris exiſtit) & inter alia quod ituri cum ipſo etiam ante præfatum terminum indulgentiam hujuſmodi conſequantur, duximus concedenda; nobilitatem eandem, a qua idem Rex in præfato negotio grandia promiſſa ſe recepiſſe lætatur, rogamus attente, quatenus hujuſmodi navigia, viros, arma, victualia, & alia neceſſaria ad tantum negotium ſtudeas præparare ac eidem Regi & nunciis ſuis, prout tantæ rei utilitas ſuadet, efficacibus favoribus in terra tui dominii devote aſſiſtere non poſtponas, &c. Dat. Avin.* VIII. *kal. junii an.* 1.

XXIV.

Ingeminatæ ſunt ab Urbano devexo jam anno eædem preces apud eundem Venetorum ducem, ut claſſem pro reducendo Cypri Rege tranſportandoque exercitu ipſum ſecuturo citiſſime compararent. Saraceni enim, captata (k) illius abſentiæ occaſione Cyprum invadere moliebantur, ac Sataliam inſignem urbem, quam paucis ante annis Chriſtiano imperio adjunxerat, obſidione cinxerant. Ne itaque adduceretur in diſcrimen in oriente Chriſtiana res, Urbanus Petrum Cypri Regem literis urſit (l), ut Regibus quos

Rogatur, ut claſſem pro reducendo Cypri Rege comparet.

(k) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 34. (l) *Ib. p.* 13.



quos adire conſtituerat, ſalutatis excitatiſque ad Aſiæ expugnationem, reditum in Cyprum maturaret. Feſſos interea Cyprii cunctatione proceres cruceſignatos, qui Venetias confluxerant receſſiſſe, queritur Philippus e Mazeriis.

Meminere authores de Petro Cypri Rege Italiam (a), Gallias, Angliam (b), Germaniam, Poloniam, Ungariam obeunte, ut Reges ad ſacrum bellum inflammaret. Qui cum proximo anno appetente vere traducere copias in Aſiam cogitaret, Pontifex Ludovicum Ungariæ Regem exoravit (c), ut quæ ſubſidia Cyprio conferre decreverat, mature ac diligenter inſtrueret: *Quia*, inquit, *poſtmodum idem Rex, prout nobis notificare curavit, nonnullas partes fidelium peragravit, & præſentiam aliquorum Regum & principum adiit, multoſque magnates & potentes ad transfretandum ſecum, Domino cujus negotium agitur inſpirante, induxit; & tempore veris proximi futuri ſperat cum multitudine nobilium, & aliorum fidelium eſſe Venetiis, & interim, vel poſtquam inde receſſerit inclytam tuam videre perſonam; ſublimitatem tuam ſolicitam reddimus & attentam, eamque cordialiter deprecamur, quatenus ea, quæ eidem Regi Cypri in galeis vel alias pro dicto ſubſidio exhibere volueris, ſtudeas præparare. Et quia dicto Regi aliqua ſubſidia in tuo regno conceſſimus, in eorum receptione nuntiis & procuratoribus ſuis ad hoc deputandis velis favorem regium exhibere. Dat. Avin. non. decembris anno* II. Non reſpondiſſe Ungarum, neque alios Reges Pontificis Cypriique Regis votis, deplorat laudatus Philippus e Mazeriis. (d)

(a) *Foliet. l.* 7. *hiſt. Gen. l.* 7. (b) *Vualſing. in Eduar. III. Michov. l.* 4. *c.* 20. *Cromer. l.* 12. (c) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 31.

Exoratus Ungarus, ut ſubſidia conferat.

(d) *Philip. e Mazer. in vita B. Petri Th. apud Jo. Bolland. to.* 2. *die* 29. *jan.*

XXV.

At ne, dum hæc gerebantur in occidente, infideles quos Sataliam adortos vidimus, Smyrnam etiam, quæ magno labore etiam tum retenta a Chriſtianis erat, opprimerent; Urbanus ad illam muniendam incubuit, eique Petrum Rachanellum patria Genuenſem præfecit, a quo hæc ſacramenti forma exacta eſt (e): *Ego Petrus Rachanelli civis Januenſis capitaneus & cuſtos civitatis Smyrnæ pro ſancta Romana eccleſia deputatus, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro ſanctæque Romanæ eccleſiæ, ac domino meo Urbano Papæ V. ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus.* Et interjectis nonnullis: *Papatum Romanum & regalia S. Petri & omnia jura Romanæ eccleſiæ, quæ habet ubique, & ſpecialiter in civitate prædicta, manutenebo totis viribus & defendam. Dictam civitatem per me, vel alium, ſeu alios fideliter cuſtodiam ad opus ſacræ fidei & dictæ eccleſiæ: ipſamque civitatem cum pertinentiis ſuis non reſignabo niſi legato Apoſtolicæ ſedis, ſi fuerit in partibus illis, aut alteri per dominum Papam vel eundem legatum ad hoc deputato. Supradicta omnia & ſingula promitto & juro attendere & obſervare ſine omni dolo & fraude ac malitia. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.*

Smyrna a Turcis tentata.

(e) *To.* 1. *ep. ſecr. p.* 189.

Præfectus illius cuſtodiæ in pontificia verba adactus.

XXVI.

Illuſtrabatur hoc tempore Provincia ingentibus miraculis, quæ Deus ad B. Delphinæ preces imploratamque opem edebat: neque enim modo pluribus ægris valetudo reſtituta, verum cœci oculorum, ſurdi aurium, paralytici membrorum uſum illius ſuffragiis receperunt: & revocati etiam ad vitam mortui. Quibus permotus Pontifex, ac piorum precibus exoratus, Aquenſi archiepiſcopo ac Vaſionenſi & Siſtarienſi epiſcopis mandavit, ut de miraculis ejuſdem Delphinæ beneficio editis cognoſcerent, eorumque teſtes in religioſum examen vocarent. Extant enim pontificiæ ad ipſos datæ eo argumento literæ (f), in quibus ubi paucis eſt præfatus de illius patria, ſtirpe, nimirum e Podio Michaele in Provincia oriundam ex prænobili familia, ac nuptam Elzeario e Sabrano Ariani comiti, ſubiicit: *Omnipotens Dominus per ejuſdem Dalphinæ ſancta merita in civitate Aptenſi, ubi corpus requieſcit ejuſdem, plures ſuſcitavit mortuos, cœcos illuminavit, mundavit leproſos, ſurdis auditum reſtituit, mutis loquelam, & paralyticis & contractis reſtituit ſanitatem: eandem Dalphinam honorat in terris, quam [ut pie creditur] coronavit in cælis. Quare nobis pro parte dictorum clericorum, laicorum, & univerſitatum fuit humiliter ſupplicatum, ut cum de prædictis vita, meritis, & miraculis, quæ in dictis provinciis & comitatibus quaſi notoria & manifeſta fore dignoſcitur, poſſit fieri per fide dignos & ſolemnes viros ac factorum evidentiam plena fides ſuper eis, per aliquos probos viros mandaremus inquiri, & demum veritate comperta, & certitudine habita præmiſſorum, cum non deceat apud homines ſine veneratione relinqui, quam merita & miracula ſanctam monſtrarunt, ipſam dignaremur ſanctorum catalogo aggregare.*

(f) *An.* 1. *epiſt. diverſ. form. p.* 25.

De ea ſanctor. catalogo aggreganda actum.

*Nos igitur, quos non feſtinos, ſed graves convenit in dubiis inveniri, de prædictis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ, de quorum circumſpectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum noſtrorum conſilio committimus & mandamus, quatenus vos vel duo veſtrum ad dictam civitatem Aptenſem vos perſonaliter transferentes, de vita & meritis dictæ Dalphinæ, ac miraculis & cæteris circumſtantiis juxta interrogatoria, quæ vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus interclusa, veritatem diligentius inquiratis: & quæ ſuper hæc inveneritis ſcripta, fideliter ſub veſtris ſigillis cum veſtrarum literarum, ha-*

*habitam ſeriem continentium, teſtimonio nobis intimare curetis. Dat. Avin.* III. *non. martii anno* I. Fuerat Delphina & nupta & virgo; coluerat enim, ut ſuo loco diximus (*a*), una cum viro S. Eleazaro virginitatem S. Chunegundis Imperatricis exemplo: de quibus ſanctis conjugibus vitæ illorum author (*b*) admiranda recenſet.

(*a*) *Annal. to.* 15. *A. C.* 1323. *n.* 51.
(*b*) *Apud Sur. to.* 15. *die* 27. *ſeptemb.*

XXVII. Dum vero divina gloria in iis regionibus tot miraculorum ſplendore effloreſceret, ac populi ad pietatem allicerentur, non deerat dæmon ſolitis artibus, ut religionem obſcuraret, ſimpliceſque erroribus inficeret. Ad tuendum itaque fidei decus, evellendaſque ſerpentis mali fibras Urbanus cenſorem fidei Ugonem Cardinalem Minoritam creavit (*c*) in Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi, & Viennenſi archiepiſcopatibus: earumque provinciarum præſules ad porrigendam illi adverſus impie ſentientes opem excitavit. Infecerat vero præcipue hæreſeos lues Ebredunenſem diœceſim, ut queritur his verbis Urbanus: *Cum, ſicut diſplicenter accepimus, in quibuſdam partibus diœceſis & provinciæ Ebredunenſis hujuſmodi pravitas ſic abundet, ſicque multitudo hæreticorum excreverit in eiſdem, quod fidelibus circumpoſitæ patriæ peſtilens eorum virulentia, quæ ſerpit ut cancer & interficit ut venenum, gravia pericula comminatur.*

Creatus cenſor fidei adverſus hæreticos.

(*c*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 205.





I. ANno a Virgineo partu milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto indictione ſecunda, Romana eccleſia poſt tot a tyrannis ejus ditioni inhiantibus excitatas tempeſtates, reverſo ad ſedis Apoſtolicæ obſequia Bernabone Vicecomite omnium tum procellarum authore, optata quiete potita eſt. Adegit ad id Mediolanenſem non officii religio, quam ſuis utilitatibus metiebatur, ſed principum Chriſtianorum terror qui eum urgebant precibus ac minis, ut turbare Italiam deſineret, quo expeditio orientalis ſuperiori anno decreta confici poſſet. Et quidem cum hactenus Bernabos obduruiſſet in perfidia, Carolus Imperator eccleſiæ patrocinium ſuſcepturus, in illum, ni legibus pareret, ſigna imperialia attolli juſſit. Quæ res Pontifici gratiſſima fuit, ut ipſe teſtatur in literis XI. kal martii ad Petrum Florentinum epiſcopum Apoſtolicæ ſedis in Germania internuntium his verbis (*a*): *Quod idem Imperator fecit de capitaneo & vexillo ſuis contra hoſtes ejuſdem eccleſiæ tranſmittendis valde gratum habuimus, ſibique proinde referimus multas grates.* Data etiam ab eodem erant imperia illius in Italia præfectis, ut pontificiam cauſam omni contentione defenderent; qua de re ipſi ab Urbano actæ gratiæ (*b*).

Suſceptum ab Imperatore eccleſiæ patrocinium.

(*a*) *An.* 2. *ep. cur. p.* 100.
(*b*) *To.* I. *ep. ſecr. p.* 992.

II. Ludovicus etiam Ungariæ Rex, quem ab Innocentio Romanæ eccleſiæ creatum ſigniferum vidimus, Urbano ad Bernabonis tyrannidem proſternendam regias vires offerebat: cujus officioſa promiſſa, cum magnifica & iſtis ætatibus inaudita dicat Urbanus, facile colligitur, illum ad ductandum exercitum in Mediolanenſem ac labores caſtrenſes ſuſcipiendos paratum fuiſſe: cui grates ampliſſimis exornatas elogiis perſolvit Urbanus (*c*).

Ungarus ad debellandum Bernabonem paratum ſe offert.

(*c*) *Ib. p.* 103.

Actæ illi ab Urbano gratiæ.

*Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

*O princeps devotiſſime, ac præclariſſime fili eccleſiæ ſanctæ Dei, qui ardore pietatis ignitus vehementer matri compateris indigenti, qui cæleſtis Regis obſequiis devote militare deſideras, & ejus ſponſam a malignorum incurſibus defenſare! Tu es vere gratitudinis filius, qui datam tibi a Deo potentiam in humilitatis ſpiritu recognoſcis, dum eam in ſuis beneplacitis nunc contra Chriſtianos iniquos hoſtes eccleſiæ, nunc contra ſchiſmaticos & hæretica fœditate reſperſos, nunc contra infideles & ethnicos ſatagis exercere. Tu vere Rex & & princeps Chriſtianiſſimus, qui non vacas vitioſis delitiis, ſed jugiter laboras pro tui nomine Redemptoris terrenum regnum in cæleſte cupiens laudando commercio commutare. Tua ſiquidem oblatio prædicta magnifica, ſeculis inaudita modernis, mentem noſtram conſolationis plenitudine recreavit: & licet ipſius effectu non indigeamus ad præſens, quia hoſtes olim eccleſiæ ſunt ad gratiam reconciliationis admiſſi; oblationem tamen ipſam multipliciter habentes acceptam, eam in neceſſitatibus ejuſdem eccleſiæ, quæ pro tempore poſſent occurrere, pro theſauro pretioſiſſimo retinemus; & proinde regiæ liberalitati copioſas gratiarum referimus actiones, rogantes Deum, quod in ſalute & proſperitate votiva multiplicet dies tuos. Dat. Avin.* V. *kal. martii anno* II. Nec Ludovicus modo & Carolus contundere Bernabonem meditabantur, verum etiam Francorum & Cypri Reges, aliique plures principes pro conficienda pace interceſſerant, quos ſine ingenti periculo, niſi fureret Bernabos, contemnere non poterat. Pontificem vero non modo pacandæ Italiæ, atque arma in Mahometanos convertendi deſiderium incitabat; verum perpendebat Bononiam diuturno feſſam bello: aliaſque Æmiliæ urbes oppreſſas diutius auxilia præſtolari non poſſe: Carolum Imperatorem & Ludovicum Regem Ungariæ mutuis diſſenſionibus implicitos; ſeque ob eas cauſas ad pacis fœdera cum Bernabone ſancienda deſcendiſſe Carolo Imperatori ſignificavit (*d*).

Sancita cum Bernabone pax.

(*d*) *Ib. p.* 99.

III. Firmata eſt pax Androini A. S. L. opera (*e*), quem ſuperiori anno devexo in Italiam miſſum vidimus. Extant ejus fœderis formulæ in publicis actis (*f*) Bononiæ tum confectis, quæ inſertæ ſunt collectaneis Platinæ tribus ingentibus voluminibus diſtinctis in tabulario Vaticano aſſervatis, ex quibus atque ex duobus MS. Vallicellanis hæc decerpimus.

(*e*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*
(*f*) *Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to.* 3. *p.* 188. *& MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n.* 15. *p.* 41. *& ſeq. & ſign. lit. D. n.* 1. *p.* 30.

*Primo quod dominus Bernabos libere, pure, ſine ulla exceptione, cum effectu ad omnem requiſitionem dicti reverendi patris domini Andruini A. S. L. reſtitui faciet caſtra Lugi & Crepacorii, & quæcumque alia caſtra, fortalitia, rochas, & baſtitas, quæ per ipſum dominum Bernabonem vel ejus nomine tenentur in diſtrictibus Bononienſi & Mutinenſi, ac provinciæ Romandiolæ, dicto domino Andruino legato & in ejus manibus, vel illi ſeu illis, cui vel quibus idem dominus Andruinus Cardinalis mandabit, & quos deputabit ad receptionem & cuſtodiam dictorum caſtrorum, fortalitiorum, rocharum, & baſtitarum; cuſtodienda expenſis eccleſiæ a die habitæ realis & efficacis reſtitutionis & traditionis dictorum caſtrorum, fortalitiorum, rocharum, & baſtitarum. Item quod per dominum noſtrum Papam vel per eum, cui mandabit, vel per dictum dominum Andruinum legatum nominibus antedictis dabunt dicto domino Bernaboni vel ejus heredibus, ſi contingeret ipſum hoc medio deficere (quod abſit) libere, pure, & ſine ulla exceptione & cum effectu infra annos octo a die prædictæ*

Præcipuæ fœderis leges.
Reſtituendæ a Bernabone ereptæ arces eccleſiæ ejuſque fœderatis.

Pendenda illi partitis vicibus quingenta aureorum millia.

*efficacis reſtitutionis caſtrorum, fortalitiorum, rocharum, & baſtitarum prædictorum, proxime futuros vel ante, quingenta millia florenorum boni auri & juſti ponderis ſecundum curſum civitatis Florentiæ, videlicet quolibet anno ſexaginta duo millia & quingenta floreni &c.* Adjunctæ plures aliæ pacis formulæ ad hæc firmanda, adjectaque eſt his verbis dies. *Dat. Bononiæ, &c. an. Domini MCCCLXIV. III. menſis martii.*

IV. Datæ poſtea fidei, quam ſuis commodis tantum metiebatur immemor Bernabos in eccleſiæ fœderatos minas vertit: ſed iis repreſſis novæ ipſum inter & illos pacis formulæ ſancitæ, ac ſubjectis verbis conceptæ fuerunt (a).

(a) *MS. bibl. Vat. ſign. num.* 1671.

Aliæ fœderis tabulæ.

*In nomine Domini. Amen. Suborta dudum inter reverendiſſimum in Chriſto patrem & dominum dominum Ægidium epiſcopum Sabinenſem A. S. L. nomine Romanæ eccleſiæ occaſione vicariatus civitatis Bononienſis ejuſque diſtrictus & ex aliis certis cauſis, & magnificum virum dominum Bernabonem de Vicecomitibus Mediolan. gravis & nociva diſſenſio; & deinde inter eandem eccleſiam & magnificos viros dominos Franciſcum de Carraria civitatis Paduanæ imperialem vicarium, & Nicolaum, Hugonem, & Albertum marchiones Eſtenſes civitatis Ferrarien. pro eccleſia præfata vicarios, & Canemſignorium & Paulum Albuinum de la Scala Veronen. dominos, &c. nec non Guidonem, Ludovicum, & Franciſcum civitatis Mantuæ, ac Feltrinium de Gonzaga civitatis Rhegii imperiales vicarios, eidem eccleſiæ colligatos ſuoſque colligatos, ſubditos, ſequaces, officiales, & gentes ex parte una; & præfatum dominum Bernabonem ſuoſque colligatos, ſubditos, ſequaces, officiales, & gentes ex altera, guerra peſtifera inde ſecuta, quaſi totam provinciam Lombardiæ ac partes vicinas in diſcrimine poſuerunt. Et tandem pro hujuſmodi guerra ſedanda, & quæ ex illa provenerant & proveniebant continue ſumma rerum & perſonarum diſcrimina removenda, quamplures compoſitionis & pacis habiti fuerunt hinc inde tractatus: ſuper quibus intervenientibus invictiſſimo domino domino Carolo IV. divina clementia Romanorum Imp. ſemper Auguſto & Boemiæ Rege ac ſereniſſimis dominis dominis Joanne Franciæ, Ludovico Ungariæ, ac Petro Jeruſalem & Cypri illuſtribus Regibus, qui per eorum ambaxiatores & literas apud partes prædictas pro pace hujuſmodi ſæpius inſtiterunt; & deinde hujuſmodi pacis tractatum continuantibus inceſſanter ambaxiatoribus dicti domini Regis Cypri, videlicet reverendo in Chriſto patre domino Petro archiepiſcopo Cretenſi, & egregio milite domino Philippo de Maſeriis cancellario regni Cypri, qui ad Romanam curiam propterea pluries acceſſerunt & redierunt ab inde (prout hæc omnia aſſeruntur plurium teſtimonio eſſe vera) demum, cooperante pacis principe redemptore noſtro domino Jeſu Chriſto, partes ipſæ ſuper concordia & pace hujuſmodi convenerunt.*

Qui fuerint eccleſiæ ſocii.

Qui Reges concordiæ interpretes.

*Ad gloriam igitur Dei, & laudem B. Mariæ virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniumque ſanctorum, ad honorem quoque ſanctiſſimi patris & domini noſtri domini Urbani divina providentia Papæ V. ſanctæque Romanæ eccleſiæ ac reverendiſſimorum patrum & dominorum dominorum ſacri collegii Cardinalium, ac ſacri imperii Romani & ſereniſſimorum dominorum dominorum Imperatoris & Regum prædictorum; & ad exaltationem, commoditatem, & ſtatum pacificum & tranquillum partium prædictarum, ac civitatum, terrarum, & ſubditorum ipſorum, & cujuslibet eorundem, &c.*

Subdunt hæ tabulæ, ut Androinus Cardinalis A. S. L. ac fœderatorum principum oratores neceſſaria inſtructi auctoritate convenerint: utque Veronenſes oratores ſint conteſtati, Mantuam & Rhegium ipſis jure fiduciario obnoxia; idemque Bernabos jus ſibi aſſerere contenderit: adverſati vero utrique Gonzagæ fuerint, adſtipulante iis legato, ſua omnia ſalva eſſe debere contenderit. Demumque ſubjecta capita ſervare ſpoponderint. Remiſſæ in primis inde acceptæ illatæve injuriæ: omnibus, qui ſe adverſis partibus implicuiſſent venia data; ac ſinguli priſtinis juribus reſtituti. Quod vero ſequitur hac forma conceptum eſt: *Item quod dictæ partes, ſeu aliquis prædictorum, non occupabunt aut occupabit per ſe vel alium ſeu alios civitates, terras, caſtra, rochas, villas, & fortalitia ſubjecta mediate vel immediate eccleſiæ Rom. ſeu dominis ſupradictis, ſeu etiam colligatis, adhærentibus, ſequacibus, ſeu ſubditis eorundem vel cujuſlibet eorum, vel quæ per ſe vel alios eorum nomine tenentur & poſſidentur; nec ſe de illis quomodolibet per ſe vel alium ſeu alios impedient, vel intromittent. Quod ſi quis contra fecerit (quod abſit) eo ipſo habeatur pro pacis violatore, ſalvis & reſervatis declarationibus, & pronuntiationibus fiendis per dictum dominum legatum vigore compromiſſi in eum facti.* Sancitum præterea, ut judiciaria acta in eos edita, qui parti adverſæ adhæſiſſent, reſcinderentur in primis ab eo tempore, quo Bernabos copias adverſus Bononiam immiſit menſe ſeptembri anni MCCCLIX. tum nonnulla alia ad horum gratiam ſancita. Decretum etiam, ut Caniſignorius & Paulus Albuinus Scaligeri ereptas Bernaboni in agro Brixienſi arces & alia in litore lacus Gardæ occupata reſtituerent. Si qua oriretur de fœdere fracto controverſia, eaque illuſtris foret, liceret læſo vim vi repellere, nulla denuntiatione præmiſſa: ſi anceps ac dubia, duo

Præteritarum injuriarum imperata oblivio.

Obſtrictus Bernabos ad non invadendos fœderatos eccleſiæ.

Diſſoluta judiciaria in eum acta.



Conſtituta in Bononienſi re confirmata.

duo equites hinc inde de ea pronuntiaturi deligerentur. Quæ ad Bononiam & caſtrum Lugi ſpectabant, eadem, quæ antea ſancita erant, confirmata. Pergunt publicæ tabulæ.

V. Cautum immunitati ordinis eccleſiaſtici.

*Item promiſerunt & juraverunt dicti procuratores dicti domini Bernabonis nomine, & in animam ipſius, quod ipſe dominus Bernabos libertatem eccleſiaſticam pro poſſe ſuo, quantumcumque poterit, fideli ſtudio conſervabit & faciet conſervari: quodque prælatos præfectos & præficiendos, ac clericos inſtitutos & inſtituendos per dominum noſtrum Papam vel ejus auctoritate, aut ordinarios quoſcumque libere admittet & permittet, & [ſi expedierit] faciet admitti ad eccleſias, dignitates, & beneficia ſua: nec eis vel perſonis eccleſiaſticis quibuſcumque gravamina vel collectas imponet, nec eos arreſtabit, nec in ſuis carceribus detinebit: quinimmo ipſos prælatos, clericos, & perſonas eccleſiaſticas, eorumque eccleſias, res & bona in civitatibus, terris, caſtris, & locis, quas ſeu quæ gubernat & tenet, ac tenebit ac gubernabit favorabiliter pertractabit, & pertractari faciet, eoſque in ſua libertate reſtituet & dimittet & reſtitui faciet, & admitti efficaciter & pura fide: & quod quoſcumque officiales & nuncios domini noſtri Papæ ac ſedis Apoſtolicæ & Romanæ eccleſiæ, vel legatorum ipſius ſedis, in terris ſuis, prædictis & alias ubicumque gratioſe recipiet & admittet, & ipſos permittet & permitti faciet libere commiſſa eis officia exercere.*

Reſtituendus a Pont. priſtinis juribus Bernabos.

*Item præfatus dominus noſter Papa & ſacrum collegium Cardinalium, & ſucceſſores eorum curare & facere debeant pura fide, quod dominus Imperator redintegrabit & in integrum reſtituet dictum dominum Bernabonem ad titulum & honorem vicariatus Mediolanenſis, & aliarum civitatum & terrarum, quas tenet, ſicut ipſe dominus Imperator alias eum conſtituit; & ad omnia privilegia, literas, jura, honores, & bona, quibus dictus dominus Imperator eundem Bernabonem privavit, & ad ſtatum & gradum in quo ipſe dominus Bernabos erat ante præſentem guerram inchoatam: & quod ipſe dominus Imperator per omnia reducet ad ſuam gratiam ipſum dominum Bernabonem. Item quod prædicta omnia & ſingula locum habeant, ut præfertur, ſalvis & reſervatis declarationibus, pronuntiationibus, & definitionibus fiendis per præfatum dominum dominum Andruinum legatum ſemel & pluries vigore compromiſſi in eum facti per partes prædictas.* Hactenus publica documenta.

Dirimenda a legato dubia in his oboritura.

VI. Quod vero in iis de Petro Cretenſi archiepiſcopo pacis interprete fit mentio: non præterimus fuiſſe illum B. Petrum Thomam Carmelitam, ſanctitate & rebus in oriente geſtis celeberrimum, [1] quem illius ſocius Cypriæ regiæ ſcrinii præfectus in pacanda Italia ſummos labores pro eccleſia exantlaſſe: inſignique prodigio ex inſidiatorum, qui a pace abhorrebant, manibus evaſiſſe, narrat (a): *Foret referre difficillimum quot labores ſuſceperit, quas operas poſuerit, quam fortiter & quanto animo ſe geſſerit Bononiæ, Venetiis, & aliis pluribus in locis pro tuendis eccleſiæ partibus, & conſervandis ſanctis aditibus & viis multis ſe exponens vitæ periculis & caſibus: quorum aliquot ad majorem Dei gloriam & honorem ejus ſancti referemus. Namque principes bene multi, caſtellani & tributarii, deſiderantes continuari bellum, & ex eo viventes, quærebant nos quotidie interficere. Cum aliquando de caſtro ad caſtrum tranſiremus, ecce triginta circiter Ungari & alii tributarii, qui pacem abhorrentes, & a nobis vindictam ſumere volentes, incitatis equis ex improviſo incurſionem in nos fecerunt diſtrictis enſibus, & emicantibus gladiis ut nos perimerent. Sed D. Petrus Thomas, ſpem omnem in Deo reponens, firmior & conſtans reſtitit. Tum verſus ad hoſtes graviter eis dixit: Quid vultis? Ipſi vero, hanc vocem audientes, quaſi de cælo percuſſi, gladios ſubito in vaginas recluſerunt: & ſic nos dimiſerunt retrocedentes. Accidit ſæpius, dum belli horror vehementius ingrueret, quod nos procedentes & equitantes per medias hoſtium acies*

VI. De B. Petro Thoma archiepiſc. Creten.

(a) *Geſta MS. B. Petri Thom. ex Phil. e Mazeriis.*

Ut ad Italicam pacem conficiendam deſudarit.

Circumfeſſus ab hoſtibus eos ſola voce fugat.

NOTÆ [1] QUamquam Annaliſta S. Petri Thomæ adventum in Italiam, & Inſubriam hoc primum anno memorat; ejus tamen iter ad annum præcedentem revocandum eſſe diſcimus ex teſtimonio Ferrarienſis, qui Hiſtoriam Miſcellam Bononienſem per hos annos ſcribebat. Teſtatur enim ille die XIII. Junii præcedentis anni 1363. Bononiam conveniſſe a pontifice & Rege Galliarum miſſos legatos, cum Archiepiſcopo Cretenſi, & viro altero regis Cypri a ſecretis, ab eodem rege in cauſa tractandæ pacis deſtinatis. Sed cum verba ipſa Authoris Bononienſis coævi ad commendandam viri hujus ſancti in rebus gerendis dexteritatem plurimum conferant, juvat illa vernaculo ſermone, prout edita ſunt, hic tranſcribere: *Queſto Arciveſcovo* (Cretenſis nempe) *era dell' Ordine de Frati del Carmine, e aveva fatte molte paci, come era quella del Re di Francia e del Re d' Inghilterra. Egli andò a Venezia per far quella de Veneziani, e di quei di Candia. Per certo eſſo era in grazia d' ogni uomo per ſi fatte cagioni, e la ſua perſona molto valſe a far queſte paci, e grande affanno ne durò, e fugli di grandiſſimo onore e utile all' anima ſua.* Gallicam ergo pacem in ſpeciem tantummodo tractavit Androinus cardinalis; re tamen S. Petri Thomæ labore & dexteritate coaluit. MANSI

*deies armis omnibus deſtituti, ut pacem tractaremus, videremus continuo ante & retro ſpoliatos homines, & ſuo ſanguine cruentatos: & tamen per medios illorum tranſibamus ab omnibus periculis immunes per merita D. Petri Thomæ. Tandem ex multis caſibus & diſpendiis divinitus ereptus, multis petitus inſidiis ſpiritualibus & corporeis, pluribuſque perfunctus laboribus & ærumnis, pluribus probris oneratus, dum procuraret unitatem eccleſiæ & pacem, interclusoſque terræ ſanctæ aditus aperiens, in curiam papalem rediit, & a Cardinalibus & amicis tamquam e cœlo progreſſus aliquis exceptus eſt. Summus Pontifex ad ejus aſpectum valde gaviſus eſt, laudans magnopere probanſque labores ejus & opera, &c.* Addit ab Urbano creatum patriarcham Conſtantinopolitanum & legatum in cruceſignato exercitu: at de eo fuſe inferius agetur. Nunc ad res Italicas, a quibus digreſſa eſt, revocanda oratio.

Conficiendæ ſacræ expeditione iter pandit.

VII. Pertinaciſſimo odio bellum inter ſe gerebant Florentini ac Piſani, cum utrinque prædonum ſocietates, id eſt carnifices, ad mutuum ſupplicium conduxiſſent; de quorum excurſionibus hoſtilibus fuſe Philippus Villanus (*a*): additque (*b*), Pontificem legaſſe Marcum patria Viterbienſem ſupremum Minoritarum præfectum ad concordiam agitandam; de quo nos anno ſuperiori meminimus: extant vero plures ad ipſum datæ hoc anno literæ ad illius ſtudia accendenda. Eluſa demum diligentia Marci ac Petrocini archiepiſcopi Ravennatis, quem quoque ad id muneris adhibuerat (*c*), ob odiorum pertinaciam Urbanus: qui etiam Florentinos & Piſanos ad mutuam concordiam hortari non deſinebat (*d*); atque Ægidium epiſcopum Sabinenſem (*e*), & Andruinum presbyterum (*f*) Cardinales Apoſtolicæ ſedis legatos conferre ad eoſdem in concordiam revocandos induſtriam ac ſolertiam juſſit: *Quia*, inquit, *iidem nuncii, licet fideliter & ſolerter in hac parte ſtudiorum ſuorum labores impenderint, & adhuc duo ex eis impendere non deſiſtant, nondum peccatis exigentibus proficere potuerunt; cogitavimus de fortiori remedio, videlicet quod tu,* Ægidium alloquitur, *& dilectus filius noſter Andruinus tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis A. S. L. vel ſaltem alter veſtrum, ad dictas civitates vos perſonaliter conferentes, præfatam concordiam longis jam ruminatam tractatibus cum Authoris pacis auxilio completuri. Dat. Avin.* VII. *id. julii anno* II.

(*a*) *Phil. Vill. in append. ad l.* 11. *Matth. Vill. c.* 79. 81. 82.
Florentini & Piſani bello impliciti.
(*b*) *Super. c.* 82. *Vuad. in annal. hoc ann. n.* 2. *& ſeq.*
(*c*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 95. 149. 150. 210. 249. *&* *to.* 3. *ep. ſecr. pag.* 4.
(*d*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 210. 249.
Duo Cardinales ad eos tranſmiſſi.
(*e*) *Ibid. pag.* 249.
(*f*) *Ead. pag.*
(*g*) *Philipp. Vill. appen. l.* 11. *c.* 85. *ad* 89.
(*h*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 285.

Cum vero accenſo in dies bello (*g*), funeſti alicujus congreſſus terror immineret, Pontifex Petrocino archiepiſcopo Ravennati imperia dedit (*h*), ut dirimere acies, ne ferro decernerent, omni ſtudio conaretur. At non potuere Florentinorum & Piſanorum ira ardentes animi mulceri: atque ad Caſcinam collata ſigna, poſt atrox prælium Florentini, qui ſociales turmas a Piſanis abſtraxerant, demum victoria potiti (*i*). Concidit ea clade Piſanis animus, ac Bernabonem in belli ſocietatem vocaverunt; demumque internuntiorum pontificiorum opera Florentini Bernabonis metu, ne ex eorum diſcordiis Etruriam ſibi ſubjiceret, fœdus cum Piſanis honeſtiſſimis ſibi legibus percuſſerunt (*k*): quibus appendicem ad Matthæum Villanum patrem Philippus abſolvit. Agunt etiam de his pluribus Leonardus Aretinus (*l*), & S. Antoninus (*m*). Ubi vero Pontifex de redintegrata, Deo authore, inter Floretinos & Piſanos concordia certior factus eſt, ingenti gaudio delibutus, Petrocini & Marci internuntiorum labores commendavit (*n*), atque utrique populo e bello emerſiſſe eſt gratulatus (*o*), eoſque excitavit aliis literis, ut ad purgandam prædonum turmis ſocialibus Etruriam vires conjungerent (*p*), ac dictos internuntios apoſtolicos ad id magno ſtudio juſſit incumbere (*q*): exhauriri enim hujuſmodi hominum ſentinam ut tuta foret innocentia, ac tranquillitas reſtitueretur Italiæ cupiebat: quos ipſum in Galliis inſectatum, ac feliciter deleviſſe, viſuri ſumus.

Piſani fuſi.
(*i*) *Phil. Vill. c.* 97. *Leon. Aret. l.* 8.
Revocata pax.
(*k*) *Phil. Vill. append. l.* 11. *c.* 102.
(*l*) *Aret. l.* 8. *hiſt. Flor.*
(*m*) *Ant.* 3 *p. tit.* 21. *c.* 9. *&* 10.
(*n*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 112.
(*o*) *Ib. p.* 314.
(*p*) *Ib. p.* 346.
(*q*) *Pag.* 342.

VIII. Eluxit etiam pontificia diligentia in avertendo bello, quod Genuenſes inter ac Venetos exoriundum timebatur: ſolicitati enim fuere Genuenſes a Cretenſibus, qui Venetorum jugum excuſſerant, de corripiendo Cretæ imperio, quo ab iis auxilia elicerent. At Urbanus legatum apoſtolicum ad Cretenſes miſit (*r*), ut eos ad Venetorum obſequium revocaret, & Gabrielem Adurnium ducem cæteroſque Genuenſes enixe rogavit, ne ulla perduellibus auxilia ſubmitterent, cum ea diſcordia graviſſima exitia ipſis ac Venetis, univerſæque rei Chriſtianæ parere poſſet, ac Petri Cypri Regis redituri in orientem prudentia brevi Cretenſis res componenda eſſet: *Speramus*, inquit, *in divina gratia ac diſcretione dicti legati nec non providentia chariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, qui in eiſdem ciſmarinis partibus adhuc conſtitutus ad dictas ultramarinas partes de proximo cum potentia fidelium in ſubſidium præfati paſſagii conferre ſe debet, quod cito fiet reconciliatio memorata. Dat. Avin.* IV. *non. junii anno* II. Dum trajicere Cyprius Rex parabat, cum quo ſumptum erat conſilium, ut orientem repetens, prætervecturus cum exercitu Cretam, inſulanos vel vi vel officiis ad Venetum imperium redigeret. Reportata a Venetis clariſſima victoria ac fractis perduellibus, univerſam inſulam ad obſequium

Solicitati Genuenſes ad ſubiiciendam ſibi Cretam.
(*r*) *Pag.* 206.
Admoniti a Pontifice ne illius tutelam ſuſcipiant.



um rediiſſe increbuit. Celebrat confectæ tantæ expeditionis gloriam inter alios (*a*) Petrarcha eleganti oratione, nuntioſque de parta victoria pridie non. junias portu Veneto exceptos, refert his verbis (*b*): *Ubi in terram egreſſi nuntii verba in conſilio fecere, ſupra ſpem ſupraque fidem læta omnia: victi enim, cæſi, capti, fugatique hoſtes: cives vinculis eruti: urbes ad obſequium reverſæ: reimpoſitum Cretæ jugum: poſita arma victricia: peractum denique ſine cæde bellum, & pax parta cum gloria. Quibus cognitis dux Laurentius, vere Celſus, vir (niſi me forſitan amor fallit) & magnitudine animi, & ſuavitate morum, & virtutum ſtudio, ſuperque omnia ſingulari pietate atque amore patriæ memorandus; ſciens, nil rite nilque feliciter fieri, niſi ſumptum fuerit a religione principium, in laudes Dei & gratiarum actiones toto cum populo ſe convertit, perque urbem omnem, ſed conſpectius in baſilica B. Marci Evangeliſtæ (qua nulla, ut reor uſquam pulchrior facta eſt, quantum fieri per hominem Deo poteſt) ſacris celeberrimis, & proceſſione inſigni ante & circa templum habita: ubi non ſolum populus cleruſque omnis affuit, ſed prælati etiam externi, quos hic vel caſus, vel vivendi amor, vel vulgata devotio detinebat.*

(*a*) *MS. diar. Venet. & MS. appen. ad hiſt. And. Dan. & alii.*
Creta ad Venetum imperium revocata.
(*b*) *Petr. l.* 4. *Senil. ep.* 2.
Actæ Deo a Veneto duce ſolemni ritu gratiæ.

IX. Hujus quidem triumphi laudem Veneti non ſuæ, ſed divinæ virtuti aſcripſere: in quo ipſorum virtutem bellicam conjunctamque pietatem Urbanus gratulatoriis hiſce datis ad Laurentium Celſum ducem literis commendavit (*c*).

(*c*) *Eod. tom.* 2. *ep. ſecr. pag.* 230.

*Urbanus, &c. dilecto filio nobili viro Laurentio Celſi duci Venetiarum.*

Gratulatoriæ de parta victoria Pontificis literæ.

*Nobilitatis tuæ literas continentes novum proſperum, & univerſitati Chriſtianitatis acceptum, de veſtra recuperatione videlicet inſulæ Cretenſis (cujus rebellionem inimicus pacis & impeditor ſancti paſſagii ſuſcitarat) nuper recepimus, ac perlegimus cum immenſa lætitia cordis noſtri: Deoque grates referimus, a quo tantum donum noſcitur proveniſſe, quique non ſolum impedimentum præfati paßagii miſericorditer ſuſtulit; ſed illi ex hoc, de gente tua, videlicet, ut audivimus, numeroſa exiſtente in dicta inſula, validum præbuit ſua providentia fundamentum. Ex eoque noſtrum gaudium cumulatur quod, prout nobis ſignificare curaſti, tu tuuſque populus tantam victoriam non a veſtris meritis, potentia, vel virtute; ſed ſolum a divina clementia recognoſcitis proceſſiſſe: proindeque vos gratitudinis filios & humilitatis alumnos, in conſpectu tantæ gratiæ largitoris acceptos, ac digniores hujuſmodi munere reputamus. Eoſdem itaque nobilitatem & populum paternis exhortamur affectibus, ut hujuſmodi recognitionem humilem ſemper in veſtris cordibus & actibus conſervantes, in ſubſidium dicti paſſagii veſtram ſubventionem magnificam pro illo, qui vobiſcum magnificavit ſuam miſericordiam, augmentantes gentem eandem in dictum paſſagium, prout poteritis, convertatis. Dat. Avin.* v. *kal. julii anno ſecundo.*



X. Redacta ad officium Creta, meliores orientalis rei tuendæ amplificandæque ſpes illuxere, ſolutis belli Cretenſis cura Venetis: auctæque ſunt ex inſtaurato inter Imperatorem ac Regem Ungariæ ineunte anno fœdere, ſarciente (*d*) nimirum Carolo injuriam, qua Elizabethæ Reginæ Ungari matris nomen affecerat. Functus eſt egregie ſuis partibus in extinguendo periculoſiſſimo bello, quod ex levi ſcintilla ſuſurronum flabello ventilata, ad Germaniam, Ungariam, Poloniam, Daniamque depaſcendas incendio exardeſcebat, Petrus epiſcopus Florentinus (*e*), cui Guido Aquenſis epiſcopus & Prædicatorum ſupremus magiſter adjuncti (*f*) fuere. Aſtricta eſt affinitate ea concordia, ſolemneſque habiti Cracoviæ conventus, quibus Imperator & quatuor alii Reges, Ungariæ ſcilicet, Poloniæ, Daniæ, & Cypri præter alios inſignes principes interfuere. Tradunt plura de conviviorum egregio apparatu & haſtiludiorum magnificentia Polonici ſcriptores (*g*). Gratulatus vero Urbanus Papa internuntio Petro epiſcopo Florentino mandavit (*h*), ut Imperatori ejuſque fratri Joanni marchioni Moraviæ, tum Ludovico Ungaro Regi & Rodulpho duci Auſtriæ fœderatis ob poſitas inimicitias diremptaſque arbitrorum judicio lites pontificio nomine gratias ageret: tum ad promovendam in Saracenos Aſiaticam expeditionem concitaret. Acceſſerat vero Cyprius Rex ad memoratos cœtus, ut præſens Reges principeſque ad tanti facinoris gloriam accenderet. His compoſitis, Petrus Florentinus epiſcopus redire e Germania juſſus (*i*) Avenionem ad aulam pontificiam acceſſit, & ſancitæ pacis capita publicis monumentis conſignata attulit (*k*): quibus viſis Urbanus magno affectus eſt gaudio. Scribebant etiam de his ad Pontificem Carolus (*l*) Imperator & Ludovicus (*m*) Ungariæ Rex, atque mutui belli cura exonerati armorum potentiam adverſus eccleſiæ hoſtem Bernabonem pollicebantur: ſed is periculi imminentis præſcius, in Urbani gratiam redierat hoc ipſo tempore, ut diximus. Præterea Carolus promittebat, Urbano, ſedem Romam transferre meditanti, ſe in eo itinere illum ſtipaturum: de quibus ei Pontifex hiſce literis gratias egit (*n*).

(*d*) *Michov. l.* 4. *c.* 20. *Crom. l.* 12.
Inter Imper. & Ungarum fœdus initum internuntiorum pontificiorum opera.
(*e*) *Ann.* 2. *ep. cur. p.* 100.
(*f*) *Ibid.*
Solemnes Regum conventus Cracoviæ habiti.
(*g*) *Michov. ſup. c.* 20. *Crom. l.* 12.
(*h*) *An.* 2. *ſuper ep. cur. pag.* 100.
(*i*) *Ead. ep.*
(*k*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 192.
(*l*) *Ead. p.* 192.
(*m*) *Pag.* 203.
Cæſar offert ſe paratum ad ſtipandum Pont. ut redeat in Italiam.
(*n*) *Super p.* 192.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

XI. *Nuper venerabilis frater Petrus epiſ-*

*copus Florentinus, a tua reverſus præſentia, capitula pacis, quæ cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Ludovico Rege Ungariæ illuſtri ac dilecto filio nobili viro Rodulpho duce Auſtriæ tua fecerat magnitudo ( de qua pace, toti populo Chriſtiano perutili, ſicut per alias literas imperiali ſerenitati ſcripſiſſe meminimus, habuimus, & habemus plenitudinem gaudiorum ) & ea, quæ imperialis magnificentia nobis & Romanæ eccleſiæ obtulit, ſi diſcordiæ, quas habebat cum eiſdem Rege & duce, & quibus durantibus nequibat eidem eccleſiæ, quæ tunc agitabatur bellorum impetibus, in potenti ſubvenire brachio, ſedarentur; & etiam illam oblationem magnificam multiplici devotione præclaram, quam nobis perſæpe feciſti de comitando nos ad urbem, vel alias partes Italiæ, ad quas greſſus noſtros dirigi pie cupis; nobis retulit fideliter, & prudenter. Hæc igitur oblata grandia, quæ a radice devotionis eximiæ prodire conſpicimus, merito habentes accepta, providæ tuæ ſublimitati referimus gratiarum multiplices actiones.*

Actæ illi a Pont. gratiæ.

*Et licet non ſolum deſiderium, ſed etiam propoſitum habeamus urbem & alias partes Italiæ viſitandi; tamen conſideratis malis conditionibus iſtarum partium propter vicinitatem & hoſtilitatem pravarum comitivarum, & periculo, cui civitatis Avenionenſis & comitatus Venayſini, ad Romanam eccleſiam pertinentes, nondum opportunis fortificationibus communiti, vacuati, ac indefenſi propter ſubitum noſtrum receſſum, poſſent veriſimiliter ſubjacere;* ( de ſocialibus prædonum turmis, quæ circumpoſitas Avenioni & comitatui Venuſino regiones infeſtabant, Urbani ſtudio profligatis, dicendum erit inferius, ne orationem cœptam abrumpamus: adjungit aliam Urbanus retardati in Urbem reditus rationem ex Etruriæ motibus petitam ) *nec non diſcriminibus partium Tuſciæ noſtrum & tuum in hac parte deſiderium nondum poſſumus adimplere: ſed expectamus ampliorem Dei gratiam, quæ iſta impedimenta ſubmoveat, tranſitus libertatem tribuens & tutelam. Et licet ad magnum cederet noſtræ conſolationis augmentum habere in iſto itinere imperialis celſitudinis comitatum, ipſius recreari affatibus, multaque ſimul pro reipublicæ utilitate conferre, collata diſponere, ac diſpoſita ( gratia ſuffragante divina ) executioni mandare; tamen inclytam perſonam tuam nimia longinquitate diſtantem, in hoc caſu honeſte non poſſumus fatigare, reputantes nihilominus tantæ liberalitatis munificentiam ab Auguſtali culmine recepiſſe. Dat. Avin. x. kal. junii anno ſecundo.*

XII. Novæ in Germania turbæ.

Imminebant graviſſima mala ex alia diſcordia, quæ archiepiſcopo Salisburgenſi ac Rodulpho Auſtriæ duci intercedebat cum Stephano duce Bavariæ, cum univerſæ Germaniæ principes ad arma concitarentur. Ad quam compeſcendam Pontifex, miſſo epiſcopo Æſculano (*a*), Ludovicum Ungariæ Regem (*b*) & Carolum Imp. rogavit, ne illos infeſtis ſignis concurrere paterentur.

(*a*) *To. 2. ep. ſecr. p.326.*
(*b*) *Ib. p.* 327.

*Urbanus, &c. Carolo Romanorum Imperatori ſemper auguſto.*

Pontificiæ de iis ſedandis lit.

*Didicimus, quod orta dudum diſcordia inter venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Salzburgenſem, & dilectos filios nobiles viros Rodulphum ducem Auſtriæ ex una parte, ac Stephanum ducem Bavariæ ex altera, procurante zizaniæ ſatore, ſic crevit, ſic utriuſque partis animos inflammavit, quod partes ipſæ, propriarum virium terminos excedentes, conſanguineos & amicorum quamplurimorum auxilia invocant, jamque incipiunt congregare: & cum ipſi duces generoſitate præpolleant, magnaque potiantur gloria facultatum, totam pene Alamanniam & vicinas partes ad mutui congreſſus excidium trahere moliuntur: ex quo, niſi de feſtinæ pacis ſuccurratur remedio, cum illarum partium populi ſint naturaliter bellicoſi, ſi [quod abſit] partes ipſæ ad prælium deveniant generale, Chriſtiani ſanguinis grandis effuſio, & per conſequens mala quamplurima, quæ bellorum calamitas ſolet producere, probabiliter formidantur. Nos igitur adverſus mala ipſa, ne vires ſumant ulterius, cupientes [prout tenemur] opportunam diligentiam adhibere, de tua interpoſitione adhibenda in hac parte ſolicite ſpem præcipuam obtinentes, venerabilem fratrem noſtrum Agapitum epiſcopum Æſculanum* A. S. N. & infra, *duximus deſtinandum, &c. Datum Avin.* III. *non. ſeptembris anno* II. Adhibiti præterea a Pontifice (*c*) Joannes epiſcopus Olomucenſis, ac plures alii præſules & principes ad diſcordiam componendam: tum Stephanus Bavariæ ac Rodulphus Auſtriæ duces & archiepiſcopus Salisburgenſis a bello graviſſimis ſententiis deterriti (*d*). Perſtringunt hujus belli cauſas hiſtorici (*e*), nimirum de Maynardi filii Ludovici marchionis Brandeburgenſis ſuperiori anno vita functi ſucceſſione certatum: additque (*f*) Philippus Villanus, eum a matre Margareta Tirolenſi veneno extinctum, cum illi filius patrem ab ipſa ſublatum toxico objeciſſet. Quæ ſi vera ſunt, inſigni exemplo eſſe poſſunt, qui fructus ex præſumpta a Ludovico Bavaro ſolvendarum canonicarum legum de conjugiis auctoritate ſint conſecuti. Cæterum comitatus Tirolenſis, cujus cupiditate facinus a Bavaro patratum vidimus, non ad Bavaram ſtirpem, ſed in Auſtriacam tranſmiſſus a Margareta fuit: bellumque ea de cauſa ſuſceptum Cæſaris & Ungari ſtudio pacatum eſt (*g*).

(*c*) *Ib. p.* 328.
(*d*) *Ead. pag. & pag* 327.
(*a*) *Rebdorf. in annal. Phil. Vill. in append. ad l.*11. *c.*78. *Avent. hiſt. Boior. l.*7.
(*f*) *Phil. Vill. ſup. c.*78.
Auſtriacus Tirolenſi comitatu auctus.
(*g*) *Ib. Rebdorf. in annal.*

XIII.

Neque augere modo principatum Rodulphus annitebatur, verum etiam literis exornare; flagitavitque ab Urbano (*a*), ut Viennæ academiam inſtitueret, in qua Auſtriaci ſcientiis expolirentur: dataque eſt a Pontifice Joanni tit. S. Marci presbytero Cardinali provincia, ut exploraret, an ea urbs apta in id eſſet. Quo referente, idoneam videri, reſcripſit Rodulpho Pontifex, ſe antequam de ea condenda diploma apoſtolicum ederet, habere in votis, ab ipſo certiorem fieri, quibus privilegiis eam academiam ipſe ac fratres decorare vellent. Rogavit etiam Pontificem Caſimirus, ut cum Poloni ab academiis celebrioribus tanto locorum eſſent intervallo diſſiti, ut plures a literarum ſtudio ob viarum diſcrimina abducerentur; atque inde pauciores in eo regno literati viri eſſent, tum etiam alii graviſſima pericula adirent, in urbe florentiſſima Cracovienſi academica ſtudia excitaret, ut tanquam ex fonte perenni in totam Poloniam ac vicina regna ſcientiarum rivi dimanarent. Cujus petitis morem geſſit Urbanus, exarato ea de re ad (*b*) perpetuam rei memoriam apoſtolico diplomate, cujus præcipuam partem ſubiicio: *Non ſolum*, inquit, *ad ipſorum, ſed etiam aliarum regionum circumiacentium incolarum commodum & profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica ſtatuimus & etiam ordinamus, ut in dicta civitate Cracovienſi de cætero ſit ſtudium generale, illudque perpetuis temporibus inibi vigeat tam in juris canonici & civilis, quam alia qualibet ſcientia, præterquam in theologica facultate: & quod legentes & ſtudentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis doctoribus legentibus, & commorantibus in ſtudio generali gaudeant, & utantur, &c. Datum Avin. kal. ſeptembris, anno* II.

(*a*) *To. 2. ep. ſecr. p.*310.
De Vienenſi academia inſtituenda actum.
(*b*) *An.*2. *ep. cur.* 113.
Inſtituta Cracovienſis.

XIV. Dania ſanctor. reliquiis exorata.

Ornata eſt Dania ſanctorum reliquiis, quas in pluribus templorum regni Daniæ ſacellis collocandas Urbanus Regi Waldemaro contulit. Ad cujus etiam gratiam ac preces, ut populos ad eas venerandas pelliceret, Pontifex nonnulla indulgentiarum præmia iis eſt impertitus (*c*), qui ea ſacella ſtatis diebus pie obirent. *Cum*, inquit, *ſicut accepimus, chariſſimus in Chriſto filius noſter Vvaldemarus Rex Daciæ illuſtris de B. Mariæ virginis glorioſæ crinibus, & veſtibus, & ligno S. Crucis, & de B. Joannis Baptiſtæ, S. Georgii & S. Vincentii, ſanctorum Nerei & Achillei ſacris reliquiis certas particulas, nuper eidem Regi per nos traditas & conceſſas, in capellis ſanctorum Mariæ de Vvermburght & Jacobi de Gorne & Georgii in Kalmgeburgh & Chriſtophori de Sytburg caſtris Roskildienſis diœceſis ponat cum devotione debita collocare, &c.* Affecit etiam Chriſti vicarius nonnullis indulgentiarum præmiis (*d*) pios Danos, qui pro Rege Waldemaro ſacras apud Deum preces funderent: tum etiam ipſum ac regnum in B. Petri ſedis Apoſtolicæ clientelam accepit (*e*): tum omnium piorum operum, quæ in eccleſia fiunt, ſingulari quadam prærogativa participem eſſe voluit (*f*); qua de re datum diploma afferimus:

(*c*) *An. 2. lit. diverſ. form. p.* 24.
(*d*) *Ib. ep.* 17.
Daniæ Rex in clientelam Apoſt. ſedis acceptus.
(*e*) *Ib. ep.* 19.
(*f*) *Eodem an.*2. *lit. div. for. p.*102.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Vvaldemaro Regi Daciæ illuſtri.*

*Eximiæ affectionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam geris eccleſiam, promeretur ut Apoſtolica ſedes, quam nuper ex immenſæ devotionis affectu perſonaliter viſitaſti, celſitudinem tuam maternæ dilectionis brachiis & ſingularibus gratiis amplectatur. Hinc eſt, quod nos, votis tuis in hac parte affectu benevolo concurrentes, te cum regno tuo & aliis omnibus, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſides, ſub B. Petri Apoſtoli & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Et inſuper ut ex præmiſſo tuæ viſitationis labore & aliis tuis devotis operibus aliquod ſpirituale præmium digne reportes, te bonorum omnium, quæ in Dei eccleſia, ipſius operante clementia, ex nunc fieri contigerit, te participem eſſe volumus; idque tibi apoſtolica authoritate concedimus de munere gratiæ ſpecialis. Nulli ergo &c. Datum Avinione* VII. *id. martii, anno* II.

Omnium piorum operum ſingulari privilegio fit particeps.

De Waldemari Regis Daniæ ad Pontificem acceſſu agit Urbani vitæ ſcriptor (*g*): atque una cum Rege Cypri de Aſiatica expeditione conficienda ſacramento ſe obſtrinxiſſe, cujus verba inferius adducemus, conſentit etiam in hiſtoria (*h*) Danica Crantzius de Waldemari ad aulam Avenionenſem adventu, & quadrageſimæ tempore roſa aurea ab Urbano ipſum donatum tradit. Suſcepti vero itineris cauſas Wandalicarum urbium defectionem fuiſſe indicat, cum quibus grave antea bellum geſſiſſe ſcribit (*i*) vario eventu: in quodam prælio filium Chriſtophorum lapide ictum ab hoſte amiſiſſe: potitum fœderata rebellium claſſe: deinde, alternante victoria in portu Viſmarienſi ipſius claſſis præfectum profligatum. Neque a Crantzii dictis diſſonant pontificiæ literæ, cum oſtendant graviſſimas querelas fudiſſe Waldemarum apud ſedem Apoſtolicam in plures proceres, urbiumque ac provinciarum extra Daniam ſitarum magiſtratus, qui cum Waldemaro fidei ſacramento ſeſe obſtrinxiſſent, ab eo deſciverant, ac jurata obſequia præſtare abnuebant; imploraſſeque pontificiam opem, ut apoſtolica authoritate ad officium cogerentur. Cujus juſtis

(*g*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*
Waldemarus Rex roſa aurea donatus a Pont.
(*h*) *Albert. Crantz. Dan. l.*7. *c.*39.
(*i*) *Eod. lib. c.*38.
Varii in illius regno motus.

Objectæ perduellibus cenſuræ.

(a) An. 2. diverſ. form. ep. 22.

(b) Crantz. l. 7. Dan. c. 39.

ſtis querelis permotus Pontifex, Caminenſi, Lincopenſi & Lubicenſi epiſcopis provinciam dedit (a), ut cenſurarum eccleſiaſticarum incuſſa religione perduelles comprimerent. Reverſo in Daniam Waldemaro, concitatos majores motus refert Crantzius (b). Hæ vero Danicæ turbæ magnum rei Chriſtianæ in Aſia detrimentum attulere, cum ab obeunda ſacra profectione, votoque religionis in Aſia inſtaurandæ diſtraxerint. Nec minus ſacri illius fœderis ducem Joannem Regem Francorum improviſi caſus, novæ ſcilicet cum Rege Navarræ diſcordiæ, ſociarum turmarum latrocinantium excurſiones in Galliis, placandi Regis Angli curæ, denique mors pium conſilium obruerunt. Utque de ſuborta cum Navarro controverſia primum dicamus.

XV. De Burgundia inter Francum, & Navarrum certatum.

Vertebatur illa de Burgundiæ ducatu inter Reges, extincto duce puero: cum Joannes principatum Gallicæ coronæ beneficiarium ad ſe devolutum contenderet, Carolus vero Rex Navarræ jure hereditario illum ad ſe derivaret. Ad quos Reges arctiſſima affinitate conjunctos, paratos bello decernere, in concordiam revocandos Pontifex Guidonem epiſcopum Portuenſem, & Ægidium tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinales legatos in Gallias miſit (c), ampliſſimaque inſtruxit authoritate (d). Augebant porro ejus diſcordiæ formidinem vagæ ac palabundæ cohortes, quæ regnum illud vaſtabant. Ad quas comprimendas corripi a fidelibus arma juſſit Chriſti vicarius, graviſſimis edictis (e) IV. kal. martii promulgatis, horrendaque ab iis patrata flagitia ita deplorat: *O quantus dolor ſenſibus noſtris ex facinoribus tam horrendis ingeritur, cum videmus tantam multitudinem gregis dominici in luporum feritatem & rabiem converti! O quantus luctus ſanctæ matris eccleſiæ, quæ dilectos filios, quos contra omnes barbaricas nationes habere debet defenſores, & pugiles, nunc tortores atrociſſimos quaſi ethnicos experitur! O quanta fidelium inundatio lachrymarum, dum ſe talibus interius hoſtilitatibus debilitari conſpiciunt, & infidelium quorum incurſus ſunt formidandi plus ſolito ſanguine redemptorum: nam illi, in poteſtate ſathanæ conſtituti, quæcumque ille ſuggerit adimplere contendunt; & beſtiali quadam ignorantia licitum ab illicito non diſcernunt, &c.* Accendit fideles propoſita veniæ ſpe ad arma adverſus inteſtinos hoſtes expendenda. Nec mora: Galli Narbonenſes conſurrexere in arma adverſus fœderatos prædones, qui eorum ſanguinem lambebant, ipſoſque locis munitiſſimis divino pene miraculo, quod optimi Pontificis meritis aſcriptum, deturbarunt: pars celeri ac rapida fuga aut armis domita aut juſto oppreſſa ſupplicio, aut vitæ incommodis attrita evanuit, ut Urbani vitæ author deſcribit (f).

(c) To. 2. ep. ſecr. p. 124.

Prædatrices turmæ.

(d) Ead. pag.

(e) An. 2. ep. cur. 32. 33. 34. & 132. & ep. diverſ. form. 127. 396.

Plangit earum crudelitatem impietatemque Pont.

(f) Urb. vit. ſcript. apud Boſq.

XVI.

Regum conventus Londini habiti.

Hac magna ex parte ſub primis novi Regis Francorum Caroli V. initiis geſta, cum Joannes pater in Anglia obiiſſet: cujus profectionis in eam inſulam cauſam illam afferunt (g), ut filii obſidis abitionem excuſaret; liberaretque cæteros. Nec modo contendiſſe in Angliam Joannem, ut de initæ pacis legibus implendis ageret; verum ſacræ expeditionis una cum Cypri Rege adornandæ ſtudio, indicat Walſingamus (h), dum tradit quatuor Reges Francum, Anglum, Cyprium Scotum Londini conveniſſe. Addunt plura ſcriptores de magnifico apparatu, quo Francorum Rex fuit exceptus. Verum inter hæc lethali morbo correptus, extinctus eſt corpuſque relatum in Gallias regio more conditum. Cujus exequiæ a Cyprio Rege ex amiſſo expeditionis Aſiaticæ ſocio dolore gravi affecto cohoneſtatæ. Quatuor relicti ſunt a Joanne ſuperſtites filii, nimirum Carolus delphinus idemque Normanniæ dux, Ludovicus Andium & Cœnomanum comes, Joannes Biturigum, & Philippus Burgundiæ duces, quorum major natu Carolus ejus nominis V. ſceptrum Gallicum de more ſacratus (i) Rhemis ſuſcepit; de quo hæc MS. Vaticani author [1] (k): *Anno Domini MCCCLXIV. menſis januarii die XVII. dominus Joannes Rex Franciæ reverſus ad*

(g) Phil. Vill. append. ad l. 11. c. 76. Froſſ. hiſt. l. 1. Paul. Æmil. in Jo. Gaguin. in eod.

(h) Valſing. in Eduard. III.

Joannis Franc. Regis mors. Succedit Carolus Rex.

(i) Phil. Vill. c. 93. Froſſard. l. 1. Paul. Æmil. in Jo. & alii.

(k) MS. bibl. Vat. ſign. n. 3765.

NOTÆ [1] Verba illa, quæ ex MS. Vaticano Annaliſta hic recitat, recurrunt in Chronico Theodorici de Niem, quod ex codice papyraceo Guelferbitano vulgavit Eccardus, inter Hiſtoricos Medii ævi to. I. num. XXI. Eadem pariter ſe ſe offerunt in ſecunda vita Urbani V. quam Baluzius edidit, & Bunnenſi cuidam canonico ex eo tribuit, quod poſt verba, *Die martis ſeptima Maji*, legitur: *Maji die tertia reverſus fui Avenionem proſecuturus litem contra capitulum Bunnenſe, eo quod me a fructibus præbendæ meæ ſuſpenderunt*. Id ipſum quoque exhibet Chronicon Eccardianum: Poſt hæc in eodem chronico ſubditur coronatio Caroli Regis Galliæ, quæ pariter iiſdem verbis ac in vita Baluziana, & in codice Vaticano narratur. Atque tunc demum finis chronico Eccardiano imponitur his verbis: *Finis chronici Theodorici Nyem, famoſiſſimi literarum apoſtolicarum, & fundatoris hoſpitalis Alimannorum in urbe, qui obiit, & ſepultus eſt Trajecti Leodicenſis diœceſis in Eccleſia S. Gervaſii, in qua erat canonicus, anno Domini MCCCC.* Hoc documento inductus Eccardus opus iſtud tribuit Theodorico Niemio ſcriptori Operis: *De ſchiſmate inter Papas, & Antipapas* in tres libros digeſti, quod ab anno 1378. ad annum uſque 1410. quo Alexander V. cœpit, res in Eccleſia geſtas perſequitur. Verum hoc uno argumento revinci Eccardus potuit, chronici authorem, qui anno 1400. fatis ceſſit, ab hoc operis de ſchiſmate ſcriptore



*captivitatem in Anglia obiit, & fuerunt ejus exequiæ in capella Papæ celebratæ die martis VII. maji. Die XVIII. dominicæ Trinitatis coronatus fuit in Regem Carolus primogenitus domini Joannis Regis Franciæ ſupradicti defuncti.* Ad eum Urbanus mox atque de Joannis Regis obitu certior eſt factus, datis literis omni refertis officio, ingentem e tanti principis deſiderio dolorem percepiſſe ſignificavit (a): verum acerbitatem doloris ſucceſſoris virtutum memoria temperaſſe, quarum ornamentis, nimirum pio juſtitiæ ardore, clementiæ ſuavitate, optimæ mentis nitore, egregio erga Romanam eccleſiam ſtudio, gravitate morum, cæteriſque eximiis animi dotibus inſtructum, optime regnum adminiſtraturum ſperaret.

Excitatur a Pont. ad regias virtutes.

(a) To. 2. ep. ſecr. p. 161.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciæ illuſtri.*

XVII. Pont. lit. conſolatoriæ.

*Lugubris rumor plurimum fidedignorum jam aſſertione firmatus, obitum claræ memoriæ Joannis Regis Franciæ tui genitoris inſinuans, noſtram & fratrum noſtrorum mentes gravis doloris aculeo ſauciavit, dum chariſſimum filium ſubtractum conſpicimus, qui fervens plenitudine devotionis ad Deum honorabat eccleſiam, & libertatem eccleſiaſticam conſervabat, ardoreque divinæ charitatis ignitus, zelo ſacræ fidei, qua ſalvamur, ſe militem Regis Regum prompta pollicitatione conſtituit, crucem ſuam humeris bajulans, redemptorem ſuum [pro cujus reventia paratus erat proprium fundere ſanguinem] ſicut princeps Chriſtianiſſimus ſecuturus? O quantus dolor totius ſui populi, tam prudentis & magnanimi principis regimine deſtituti! O quantus mœror Chriſtiani exercitus, ad recuperationem terræ ſanctæ profecturi de proximo, tenentis ſe ducis tam providi tamque ſtrenui amiſiſſe ducatum. Profecto cum iis dolentibus merito condolemus, & dolere debet univerſa eccleſia ſancta Dei, quia nullus fidelis expers poteſt eſſe mœroris, cum conſtat generale diſpendium accidiſſe. Verum quia non eſt inſtandum doloribus, ubi præſertim conſolationis remedia divinæ bonitatis gratia, quæ nunquam deeſt in ſperantibus, tribuuntur, de tanta merito conſolamur mœſtitia, pie credentes, quod juſtus judex, bonas conſiderans & præmians voluntates, ejuſdem tui genitoris transfretandi propoſitum pro facto clementer recipiet, eumque certantis athletæ diademate cum ſecum regnantibus coronabit. Dumque tuæ magnitudinis circumſpectionis induſtriam, juſtitiæ zelum, magnanimitatis animum, clementiæ benignitatem, conſcientiæ nitorem, ac devotionis intimæ ad Romanam eccleſiam puritatem, aliorumque morum regalium gravitatem eximiam paterna conſideratione penſamus, triſtitiæ nebulas digne abiicimus in ſucceſſore ſic laudabili recreati: digneque tui nobiles & plebeii, & præcipue perſonæ eccleſiaſticæ, quas in ſua libertate, dextera Domini tibi aſſiſtente, tueberis & [ut ſperamus] regalibus favoribus proſequeris, poſſunt mœrorem deponere, & in regimine tam virtuoſi principis jucundari.*

*Ea propter, fili chariſſime, in Domino conforteris, præmiſſarum & aliarum virtutum exercitio ſtudioſius intendens, tuumque populum, longorum bellorum impetibus conquaſſatum coneris, prout in te fuerit, tranquillitatis & pacis dulcedine refovere. Et quia honor Regis judicium diligit, & firmatur juſtitia thronus ejus, illam amplexeris devotius, nullo tempore relinquendam: ac eandem Romanam & alias eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas, ob illius reverentiam, per quem, ipſo propitio regnabis feliciter, habeas commendatas; nos velut patrem benevolum, qui tuam ſublimitatem ac regnum in viſceribus charitatis habemus, ad ea, quæ tuam & ejuſdem regni proſperitatem reſpiciant, requirens cum fiducia filiali. Dat. Avin. II. kal. maii anno ſecundo.*

(b) To. 2. ep. ſecr. p. 177.

Inſtaurata lis de Burgundia.

XVIII.

Recruduit (b) mox a ſuſceptis Gallicæ rei gubernaculis ipſum inter ac Regem Navarræ ſuperior de ducatu Burgundiæ Philippo fratri attributo controverſia, quæ Joannem exercuerat; immo in apertum bellum erupit (c): in cujus initiis nonnulla loca, quæ obtinebat in Galliis Navarro erepta: fuſus (d) etiam a Bertrando Geſ-

(c) Phil. Vill. append. ad l. 11. Matth. Vill. c. 83. Paul. Æmil. in Carol. V. Froſſ. hiſt. l. 1.

(d) Phil. Vill. c. 92.

NOTÆ tore longe diverſum eſſe. Inſuper Niemius vulgatus non canonicus Trajectenſis, ſed epiſcopus Cameracenſis deceſſit. Duo ergo Theodorici Niemii ſedulo diſtinguendi ſunt; niſi forte mendum irrepſiſſe in adnotationem illam Chronici Eccardiani ſuſpicemur, cum forte pro *Theodorico Niem*, *Joannes Niem* legendum fuerit. Conjecturæ huic meæ veritatis color ex eo accedit quod *Joannes de Niem* inter ſcriptores hiſtoriæ pontificiæ huius ætatis haberi poſſit, quippe cujus nomen legatur præfixum Vitæ Joannis in editione Meibomii Francofurtenſi anni 1620. quod quamvis mendoſe pro Theodorico Niemio poſitum eſſe non dubito; ex vero tamen aliquo ſcriptore non diſſimilis operis adumbrari potuit. Sed quod caput eſt Chronicon idem ac illud quod in codice Guelferbitano Eccardus offendit, inter MSS. Bibliothecæ Epiſcopalis Tridentinæ pariter legi aſſerit idem Eccardus in præfatione ad tomum I. Scriptorum medii ævi; in eo vero author operis non *Theodoricus*, ſed *Joannes Niemius* ſcribitur. Joannes igitur iſte forte chronicon iſtud Eccardianum dedit; idemque ſtatuendus facile eſt Author operis codicis Vaticani, quem toties laudat Raynaldus, itemque author vitæ Anonymæ a Baluzio editæ, quarum lucubrationum mirus eſt ubique cum chronico Eccardiano conſenſus. MANSI

Illi ſopiendæ data a Pont. opera.

Geſquinate, bellicis facinoribus clariſſimo duce, Navarræ Regis copiarum præfectus: ac ſubinde plura ad victorem prona fuere. Horum motuum fama ingentem dolorem Pontifici Chriſtiana arma in hoſtes fidei avertendi cupidiſſimo attulere: abbatemque monaſterii e Cluſa diœceſis Taurinenſis ad bellum naſcens extinguendum VI. kal. ſeptembris miſit (a); ac Reges ad concordiam adhortatus, controverſiam æquitate ſe dirempturum (b) eſt pollicitus. Implicitus erat Carolus Navarræ Rex alio graviſſimo bello, quod magna contentione inter Aragoniæ Caſtellæque Reges gerebatur; ac renovatum (c) inter eumdem Carolum & Aragonium atque Henricum Traſtamaræ comitem fœdus kal. martii de Caſtella inter ipſos dividenda, ut nimirum Cantabria citeriorque Caſtella Navarro, Murcia Toletumque Aragonio, reliqua Caſtella Henrico cederent. Cæterum in hoc bello Caſtellanus, cum mari periclitatus eſſet, quaſſata vi tempeſtatis, claſſe pietatis ſpecimen edidit, viſuſque ſcelerum pœnitere: *Voti enim reus,* ut ait Mariana, *vicinum D. Mariæ templum, reliquis indumentis detractis, in linea tunica adiit, reſti etiam collum implicitus,* non tamen propterea bello abſtitit.

(a) *To. 2. ep. ſecr. p.* 203.

Navarrus alio in Caſtellanum bello implicitus.

(b) *Ib. p.* 8.

(c) *Marian. l.17. c.7. Surit. l.9. c. 52.*

Caſtellanus mari periclitatus.

Pietatis ſpecimen edit.

Ex funeſtis Regum congreſſibus, quibus res Chriſtiana deprimebatur, ingenti affectus dolore Pontifex Petrum abbatem S. Michaelis ordinis S. Benedicti diœceſis Taurinenſis abbatem, quem ad Navarrum Regem pro eo cum Gallo conciliando miſſum vidimus, tractandæ Aragonium inter & Caſtellanum concordiæ munere & authoritate inſtruxit (d): de quo ad Petrum Caſtellæ Regem has literas dedit (e).

Internuntius a Pont. ad eum miſſus.

(d) *To.3. ep. ſecr. p.*188.

(e) *An.3. lit. cur. p.*190.

*Urbanus, &c. Petro Regi Caſtellæ illuſtri.*

*Cum de tuo ac magnifici principis Petri Regis Aragonum illuſtris bello graviſſimo toti Chriſtianitati damnoſo, doleamus ab intimis, ſæpeque non abſque multa mœſtitia memoremus, quod remedia, quæ providentia Apoſtolicæ ſedis adhibuit hactenus, ut te Regemque præfatum ad concordiam revocaret, ad tuum ac ejuſdem Regis regna bina vice legatos de latere deſtinando, morbo tam gravis diſſidii hucuſque minime valuerunt; nos gerentes in votis per noſipſos in præfato laborare negotio, ſi forſan Altiſſimus dignetur concedere, quod illud ad finem optatum perducere valeamus, ſerenitatem tuam requirimus & rogamus, ac etiam obſecramus inſtantius, quatenus aliquos ambaxiatores diſcretos & fideles, Deum timentes, & appetitores pacis hujuſmodi, de tuis juribus & intentione plenius informatos cum plenaria poteſtate in dicto negotio, quamcito commode poteris, ad noſtram non omittas præſentiam deſtinare; interim firmando treugas congrui temporis, quod pro tractatu tanti negotii fuerit opportunum. Super quibus dilectum filium Petrum abbatem monaſterii S. Michaelis de Cluſa Taurinenſis diœceſis Apoſtolicæ ſedis nuntium latorem præſentium, virum utique fidelitate præclarum, ac circumſpectione & ſcientia decoratum, ad tuam & jam dicti Regis, cui ſuper iis ſimiliter ſcribimus, præſentiam deſtinamus, &c. Dat. Avin. XVIII. kal. jun. anno* III.

Solicitatur ad pacem cum finitimis.

Conceptæ (f) ſunt eadem verborum formula aliæ ad Regem Aragonum literæ, ita ob contractas ab eo cenſuras inſcriptæ: *Magnifico principi Regi Aragonum illuſtri ſpiritum conſilii ſanioris.* Sed antequam de contractarum ab Aragonio cenſurarum cauſis agamus, coniungendum ſuperioribus videtur; cum novi belli inter ipſum ac ducem Venetorum diſcrimen emergeret ob enatas mutuas ſimultates illataſque viciſſim injurias actas nimirum mari in mercatores prædas, Pontificem alendæ pacis inter principes Chriſtianos ſolicitum a Petro (g) Rege Aragonum ac Laurentio Celſo duce Venetorum contendiſſe (h), ut ipſi quoque oratores pro componendis ipſorum controverſiis ad aulam apoſtolicam legarent.

(f) *Ead. pag.*

De eadem etiam poſtulatus Aragonius.

(g) *Ead. pag. &* *pag.*191.

(h) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 197.

XIX.

Sacerdotales cenſus occupati ab Aragonio.

Dum ita Urbanus ad Regis Aragonum ſalutem ac publicam populorum pacem incumberet, non leves ille Dei vicario injurias repoſuit: invaſit enim pontificia vectigalia (i), quæ a pontificiis quæſtoribus cogebantur: tum etiam Cardinalium, ac præſulum, vel ſacerdotum, qui in eccleſiis ad divinum cultum præſentes non incumberent. Hic rapinarum exercendarum ſpecioſus color fuit, repetito Regis Angliæ, de quo alias dictum eſt, perverſo exemplo: neque enim Regis Aragonum erat ſacras ob id opes diripere. Neque ab æquitate diſſonum erat, ut Cardinales, ac præſules, ſacerdoteſve, qui Apoſtolicæ ſedis obſequiis atque adeo publicæ utilitati inſiſtebant, vectigalibus ſuis ſpoliarentur. Urbanus itaque ne eccleſiaſticam libertatem opprimi ſineret, Aragonium qui ſacerdotum abſentium a ſuis eccleſiis bona ſub haſta divendi juſſerat, ac bonorum proſcriptionem neciſque diſcrimen repugnantibus intentarat; paternis primum literis monuit, ut ſacras reſtitueret opes, injuſtaque edicta revocaret. Qui rem ſe ex ſapientum ſuorum conſilio ſanxiſſe reſpondit, viſamque juſtitiæ conſentaneam ob temporum difficultatem; licet minus idonee de iis reſtituendis bonis caveret, cum exhauſtum ærarium refeciſſet. Quibus acceptis Dei vicarius ad regiam pertinaciam edomandam, conſiliarios improbos reprimendos, ac jura eccleſiaſtica ex deprædantium manibus vindicanda judicium Petro Regi apud ſubſellia apoſtolica intendit III. id. martii, ni occupata bona bimeſtri excurrente dimitteret: objectaque illi & conſiliorum ejuſmodi participibus anathematis religio. Quod edictum in arcis Adrianæ tabulario reconditum, & inter inſignia monumenta Sixti IV. imperio a Platina (a) collecta extat.

(i) *Ib. p.* 383. *& MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n.* 12. *p.*339.

Intentatum illi judicium.



(a) *Collect. MS. Plat. to.3. p.*167.

XX.

Sardicum vectigal ab eod. intermiſſum.

Accerſitus etiam eſt in Sardiniæ & Corſicæ cauſa Petrus Rex in judicium (b), ob intermiſſam annis decem annui cenſus ſolutionem, nec præſtitam Urbano clientelarem ſponſionem, minatuſque eſt Pontifex a ſe Sardiniæ regnum ac eccleſiaſticum imperium revocatum iri, ſi officio ille deeſſet.

(b) *To.2. ep. ſecr. p.* 381. *& an.2. lit. cur. p.*371 *ext. etiam in arce S. Ang. & inter collect. Platinæ to.3. p.* 171. *& lib. priv. Rom. eccl. to.2. pag.* 354. *& in MS. bibl. Vall. ſig. lit. B. n.*12. *p.* 310.

*Urbanus, &c. ad futuram rei memoriam.*

Pontificium in eum edictum.

*Olim, cum in conceſſione per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. prædeceſſorem noſtrum, claræ memoriæ Jacobo Regi Sardiniæ & Corſicæ de regno Sardiniæ & Corſicæ, quod Romanæ eccleſiæ juris & proprietatis exiſtit, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto Regi, & ſuis heredibus ex ſuo & ipſorum corporibus legitime deſcendentibus utriuſque ſexus, natis tunc & etiam naſcituris, in perpetuum feudum ſub modo, forma, tenore, conditionibus, & conventionibus in ejuſdem prædeceſſoris literis declaratis, ab ipſo prædeceſſore ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, & dicta Romana eccleſia tenendum gratioſe facta; inter alia contineretur, quod tam ipſe Rex, quam quilibet ſuorum heredum in dicto regno pro ipſo regno dicto prædeceſſori & eidem Romanæ eccleſiæ præſtaret ſeu præſtare teneretur, prout idem Rex & nonnulli ſui in eodem regno ſucceſſores præſtiterunt, ligium homagium, vaſſallagium plenum, & fidelitatis juramentum ſub certa forma in ejuſdem prædeceſſoris literis annotata: & quod ipſe Rex ſimilia fidelitatem, vaſſallagium plenum, & homagium ligium, & juramentum renovaret, faceret, & præſtaret unicuique Romano Pontifici & dictæ eccleſiæ infra annum a die, quo electus eſſet in Romanum Pontificem computandum; & ſimilia præſtaret & faceret, & ſimiliter renovaret, & facere, præſtare & renovare teneretur unuſquiſque heredum ſuorum in dicto regno unicuique Romano Pontifici, qui eſſet pro tempore & ipſi Romanæ eccleſiæ ſecundum formam eandem, nomen Romani Pontificis, qui tunc eſſet, & ſuum proprium exprimendo: ſed poſtquam ipſe Rex & heredes ſui in regno Sardiniæ & Corſicæ ſupradicto præſtitiſſent & feciſſent perſonaliter juramentum, fidelitatem, vaſſallagium ſecundum prædictam formam uni Romano Pontifici, non aſtringerentur perſonaliter præſtare & facere, dummodo illa præſtarent & facerent infra annum per idoneum vel idoneos ſubſtitutos, ad hoc plenum mandatum habentes: & ſi plus placeret Romano Pontifici vel Romanæ eccleſiæ ſupradictis, juramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium prædicta præſtarent & facerent ipſe Rex, & heredes ſui, nomine ſummi Pontificis & Romanæ eccleſiæ illi vel illis, quæ vel quos ad hoc ſpecialiter ipſe Romanus Pontifex vel ſedes Apoſtolica deputaret: & pro eodem regno tam dictus Rex, quam quilibet ſuorum heredum in regno Sardiniæ & Corſicæ pro ipſo regno cenſum duorum millium marcharum argenti bonorum & legalium ſterlingorum, ubicumque Romano Pontifici, qui eſſet pro tempore, vel eidem eccleſiæ, ubi ipſa eſſet ſede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, & pro portione collegium ipſius eccleſiæ Cardinalium contingente, in feſto beatorum Petri & Pauli annis ſingulis integraliter pro dicto regno Sardiniæ & Corſicæ perſolverent; ad quem cenſum, ut præmittitur, perſolvendum tam idem Rex, quam quilibet heredum ſuorum in dicto regno tenerentur & eſſent aſtricti: & quod ſi Rex idem vel quicumque ſuorum in dicto regno heredum in præfato ſtatuto termino non ſolviſſent integre (ut præmittitur) dictum cenſum, expectati per quatuor menſes, terminum ipſum immediate ſequentes, de illo ad plenum non ſatisfacerent, eo ipſo eſſent excommunicationis vinculo innodati; quod ſi ſecundo termino infra ſubſequentes quatuor alios menſes eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſolverent, totum regnum Sardiniæ & Corſicæ eſſet eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto: ſi vero nec in tertio termino, nec infra alios quatuor menſes proximos per plenam ſatisfactionem ejuſdem cenſus idem Rex & ſui heredes ſibi non ducerent conſulendum, ita quod tranſactis eodem tertio termino & quatuor proxime ſequentibus menſibus non eſſet de hujuſmodi cenſu primi termini ipſi eccleſiæ integre ſatisfactum; ab eodem regno Sardiniæ & Corſicæ ipſo jure caderent ex toto, & regnum ipſum ad dictam Romanam eccleſiam ejuſque diſpoſitionem libere & expedite reverteretur: nihilominus pro ſingulis duobus millibus marcharum ſingulorum terminorum, ſi ſimili modo in eorum ſolutione ceſſarent, vel illa non ſolverent, idem Rex aut quivis ſuorum heredum in dicto regno Sardiniæ & Corſicæ pœnas ſimiles incurrerent, ſalvis aliis pœnis, proceſſibus, & ſententiis, quæ vel qui de jure inferri vel haberi ſeu proferri poſſent per Romanum Pontificem vel ſedem eandem ſpecialiter in hoc caſu.*

Quibus legibus tradita ſit Sardinia.

De clientelari ſponſione præſtanda.

Solvendo cenſu.

Objectæ pœnæ, ſi officio defuerit.

*Quam quidem conceſſionem ſeu infeudationem ſub hujuſmodi forma, tenore, conditionibus, & conventionibus ipſi Jacobus Rex & ſui in dicto regno ſucceſſores acceptarunt, & ratas & acceptas etiam habuerunt, prout hæc & alia in dicti prædeceſſoris ejus bulla, & etiam in præfati Jacobi & nonnullorum ſuorum ſucceſſorum Regum Sardiniæ & Corſicæ, & ſpecialiter magnifici principis Petri Regis Aragonum illu-*

illuſtris, qui eidem Regi Jacobo in dicto regno Sardiniæ & Corſicæ poſtremo ſucceſſit, ipſorum aureis bullis munitis literis plenius continetur. Et cum idem Petrus Rex in ſolutione hujuſmodi cenſus annis quamplurimis ceſſaviſſet, felicis recordationis Innocentius Papa VI. prædeceſſor noſter ejuſdem eccleſiæ diſpendiis occurrere, ac præfati Regis ſaluti & ſtatui providere paterna ſolicitudine cupiens, ſuper hoc fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium frequenti querela pulſatus, per diverſas ſolemnes perſonas ac per apoſtolicas literas Regem ipſum ſalutaribus monitis excitavit, & hortatus fuit benevole more patris, attente rogans eumdem, ut ipſe conſiderans pericula gravia, quibus propter non ſolutum cenſum hujuſmodi ſubjacebat: & attendens provide quam benigne ipſe prædeceſſor ſecum egiſſet, eum de militari ſervitio, in quo etiam eidem eccleſiæ pro dicto regno tenebatur, multo tempore expectando, eiſdem periculis per debitam ſolutionem occurreret, ac commiſſam in ipſa ſolutione dicti cenſus moram ſatisfactione celeri compenſaret; ita quod, incumbenti circa hoc ſibi debito reali exhibitione ſoluto, idem prædeceſſor (ſuadente juſtitia) aliud contra Regem eumdem non compelleretur in hac parte remedium adhibere. Sed idem Rex exhortationes & preces præfati Innocentii prædeceſſoris obaudiens, poſt primum annum pontificatus dicti Innocentii prædeceſſoris de cenſu præfato quidquam ſolvere non curavit.

Ut Petrus Rex pactis non ſteterit.

De judiciariis in eum actis Innocentii.

XXI. Poſtremo vero præfato Innocentio prædeceſſore, ſicut Domino placuit, viam univerſæ carnis ingreſſo, cum nos (divina favente clementia) ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, memoratum Petrum Regem de ſolutione dicti cenſus expectaviſſemus de benignitate paterna, ipſeque patientiam & benignitatem dictæ ſedis in augmentum ſuæ convertens duritiæ, quam debuerat emollire, nihil de dicto cenſu ſolviſſet: nec etiam nobis infra primum annum noſtri pontificatus, nec etiam poſtea fidelitatis juramentum per ſe vel alium præſtitiſſet, nec feciſſet homagium prælibata (propter quod, quod jam fluxiſſent decem anni a tempore ultimæ ſolutionis dicti cenſus factæ Innocentio prædeceſſori præfato ſecundum præmiſſa, ipſe Petrus Rex dictam ſententiam excommunicationis, dudum per eumdem Bonifacium prædeceſſorem in conceſſione dicti regni in Regem Sardiniæ & Corſicæ, qui eſſet pro tempore, ſi in terminis ad hoc ordinatis dictum cenſum non ſolveret, ut præmittitur, promulgata incurrerat, & totum regnum prædictum erat eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto; & idem Rex a dicto regno ex toto ceciderat, illudque ad dictam Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem integre & libere reverſum erat) nos attendentes, quod quanto Apoſtolica ſedes præfato Petro Regi ſe reddidit proniorem ad gratiam, tanto eum (quod diſplicenter referimus) reperimus ad ſolutionem dicti ſui debiti tardiorem, cum de culpa dicti Petri Regis commiſſa in hujuſmodi negligentia non factæ ſolutionis dicti cenſus appareat manifeſte: hac prælatorum & aliorum fidelium in publico conſiſtorio præſente multitudine copioſa præfatum Regem authoritate apoſtolica præſentium tenore peremptorie citamus per hoc publicæ citationis edictum, cujuſmodi citandi modum ex certis rationabilibus cauſis elegimus, ut tertia decima die menſis maji proxime futuri, ſi conſiſtorium erit, alioquin prima die conſiſtoriali ex tunc proxime ſequenti hora conſiſtorii, quam ſibi pro peremptorio termino aſſignamus, compareat legitime coram nobis auditurus declarationem noſtram ſuper incurſione dictarum ſententiarum excommunicationis in ejus perſonam, ac interdicti in præfatum Regnum Sardiniæ & Corſicæ; ac ſuper amiſſione dicti regni & reverſione ipſius ad Romanam eccleſiam prælibatam, & ad liberam & expeditam diſpoſitionem ipſius, per nos (authore Domino) prout de jure fuerit, faciendam: aperte prædicentes eidem, quod ſive compareat, ſive non compareat in termino memorato, nos contra ipſum ad declarationem hujuſmodi faciendam, vel alias, prout juſtum fuerit, & nobis videbitur expediens procedemus ipſius Petri Regis abſentia, ſeu contumacia non obſtante, &c. Dat. & actum Avin. in palatio apoſtolico III. id. martii anno II.

Inſtauratus ab Urbano judiciorum ordo.

Intentata regni privatione.

XXII. Defeciſſe mox a Petro Rege regulum Arboreæ, ſcribit Surita, atque ingentes in univerſa inſula Sardiniæ motus concitatos: quibus ut occurreret, Aragonium miſſis oratoribus pontificias iras mulcere pertentaſſe ait, ac non ſoluti cenſus cauſam retuliſſe ad ſummas regii ærarii difficultates in tot bellorum periculis, non quod ſe vectigalem ſedis Apoſtolicæ negaret. Et quidem extant in libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ (a) Petri Regis Aragonum ad Urbanum literæ XV. auguſti die Cæſarauguſtæ regni anno XXIX. conſignatæ, quibus pacta inter Jacobum & Bonifacium VIII. olim conventa religioſe ſervaturum ſe profitetur, ac diplomatis Bonifacii VIII. ſeriem univerſam inſerit, admittitque.

Arboreæ regulus Aragoniis bellum movet.

Aragonius Sardicam rem reficere nititur.

(a) Lib. priv. Rom. eccl. to. I. pag. 427. ext. etiam in arce S. Angel. & inter collect. Plat. to. 3. p. 207.

Ejus ad Urbanum literæ.

Sanctiſſimo, & beatiſſimo in Chriſto patri & domino domino Urbano, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ & Corſicæ, comeſque Barchinoniæ, Roſſilionis, & Ceritaniæ, ejus humilis filius & devotus, pedum ſuorum oſcula beatorum.

Sanctitati veſtræ, tenore literarum noſtrarum præſentium pateſiat, quod viſo & ple-



plenarie intellecto papali reſcripto ſuper collatione, conceſſione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor veſter fecit illuſtriſſimo domino Jacobo eximiæ recordationis Regi Aragon. avo noſtro, ſuiſque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum juribus omnibus & pertinentiis ſuis ſub certo ſervitio certiſque conventionibus, largius ſcriptis in prædicto papali reſcripto, cujus ſeries ſic ſe habet: Bonifacius epiſcopus, &c. (a) Super Reges &c. (Inſeruntur Bonifacianæ literæ ſuis conceptæ verbis, quas cum antea ſuo loco attulerimus, repetendæ non ſunt, quibus ſubjungit Petrus Rex.)

(a) Ext. in annal. to. 14. A. C. 1297. n. 2. &c.

Ideo ad memoriam reducto dictum dominum Regem avum noſtrum, cujus ſucceſſores in dicto regno exiſtimus, tempore præinſertæ conceſſionis, memorato domino Papæ Bonifacio juxta continentiam dicti reſcripti ex cauſis in eo ſcriptis juramentum, fidelitatem, homagium, & vaſſallagium, perſonaliter præſtitiſſe; & poſtmodum nos & noſtri, ut tenebamur, juxta formam dicti papalis reſcripti poſt celebrationem noſtræ coronationis, uni Romano Pontifici juramentum, fidelitatem, homagium, ſeu vaſſallagium ſupradicta, & etiam poſtea per dilectos conſiliarios noſtros Lupum de Gorrea tunc camerlengum, & Bernardum de Thous milites, procuratores, ambaxiatores, & nuncios ſpeciales, olim per nos ad Romanam curiam deſtinatos, juramentum, fidelitatem, & homagium prædicta renovaſſe, feciſſe, & præſtitiſſe domino Innocentio felicis recordationis anteceſſori veſtro, & per eoſdem nuncios eidem domino Innocentio ſummo Pontifici dediſſe literas noſtras aurea bulla noſtra bullatas recognitionis & acceptationis contentorum in reſcripto papali prædicto juxta ejuſdem tenorem; conſiderato etiam nos nunc ex ejuſdem reſcripti ſupra inſerti ſerie inductos, dilectos Franciſcum de Perilionibus militem camerlengum, & Franciſcum Romæ legum profeſſorem vicecancellarium, conſiliarios noſtros & procuratores ſolemnes ad eadem juramentum, fidelitatem, vaſſallagium & homagium veſtræ ſanctitati præſtanda & facienda conſtituiſſe cum publico ſcripto noſtro; providimus propterea ſanctiſſime pater has fieri literas bulla aurea noſtra bullatas ſanctitati veſtræ per prædictos procuratores noſtros tradendas & dandas, prout fieri debere jam dicti ſuperius inſerti reſcripti apoſtolici tenor inducit.

Avitas conventiones inſtaurat.

Per quas ſiquidem literas nunc ut ex tunc modos, conventiones, conditiones, tenores, & formas in ipſo papali reſcripto conſcriptos acceptamus expreſſe: & per quas etiam fatemur & recognoſcimus expreſſe dictum Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Romana eccleſia recepiſſe in feudum ſub conditionibus, conventionibus, modo, & forma atque tenore, qui in dicto papali reſcripto continentur: quos tenorem, modum, conditiones, conventiones, & formam, promittimus nos inviolabiliter ſervaturos. Pro quorum obſervantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, jura & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & Redemptor perſonam veſtram ad ſua ſancta ſervitia conſervare dignetur per tempora longiora. Datum Cæſarauguſtæ quintadecima die auguſti anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quarto, regnique noſtri vigeſimo nono. Verum cum Aragonius verba in opus non perduceret, iterum V. id. octobris Urbanus judicio illum ob non ſolutum cenſum poſtulavit, pœniſque gravioribus devinxit (b).

Sardiniam refert acceptam Pontifici.

(b) To. 2. ep. ſecr. p. 387.

XXIII. Tuendæ etiam libertatis eccleſiaſticæ ſtudio permotus Urbanus, Eduardum juniorem principem Aquitaniæ plura adverſus illam novantem repreſſurus, Florentinum epiſcopum, legatione Germanica clarum, ad eum miſit (c): cum enim numquam antea Galliæ vel Angliæ Reges præſules, qui nullas poſſeſſiones regio beneficio obtinebant, ſacramento in ſua verba adegiſſent (d); Eduardus tamen Aquitaniæ principes ipſos in ſua verba jurare compulerat, detrectanteſque ſacramentum fidei nuncupare bonis ſpoliarat. De his itaque Pontifex ipſum (e) ac Regem patrem monuit, ut quæ novata erant revocarent: ac Petrum Florentinum epiſcopum (f) pluresque alios præſules ad tuendam eccleſiaſticam dignitatem juſſit incumbere.

(c) Pag. 293.

Eduardus junior novat contra ſacerdotalem libertatem.

(d) Pag. 190.

(e) Ib. p. 192.

(f) Pag. 293.

Ad aſſerendam vero diſciplinam eccleſiaſticam plura hoc anno edicta ab Urbano ſunt promulgata, atque ad pravas conſuetudines excindendas navata opera, & in primis ad coercendam clericorum avaritiam, qui variis artibus potirentur pluribus ſacerdotiis. Cantuarienſi archiepiſcopo in Anglia ac ſuffraganeis data provincia (g) eſt, uti coacta ſynodo omnes eccleſiaſticos monerent, ut ſcripto traderent, quæ ſacerdotia poſſiderent. Renovata (h) etiam Innocentii VI. conſtitutio, qua data præſulibus imperia, ut excurrente trimeſtri ex aula Avenionenſi abſcederent: pariterque archiepiſcopis & epiſcopis munus injunctum, ut parochos ac ſacerdotes alios divino cultui in ſuis eccleſiis inſiſtere cogerent, ex literis ad Aquenſem archiepiſcopum ſequenti ineunte anno datis (i), quibus ea repetita ſunt imperia, colligitur. Juſſi præterea archiepiſcopi ſynodos cogere, atque in iis leges optimas ad cleri excolendos mores, animarumque ſalutem promovendam condere: quæ imperia magis anno ſequenti urſit. Ad inferendam etiam evangelii lucem barbaris nationibus, atque errorum, quibus erant involutæ, tene-

Indictæ provinciales ſynodi.

(g) Pag. 340.

(h) Ann. 3. lit. cur. p. 174.

Eccleſiarum paſtores ad eas abire juſſi.

(i) Ib. ep. cur. 26. p. 226.

Miſſi ad gentes concionatores.

bras diſcutiendas Raphaeli epiſcopo Nebienſi authoritatem contulit (a), ut una cum quatuor ordinis Prædicatorum religioſis viris ad gentes tranſmarinas divinæ legis expertes ſe conferret.

(a) *An.* 2. *ep. de diverſ. for. pag.* 38.

XXIV.

Ut inopinate belli ſacri apparatus diſcuſſus.

Delapſi ſumus ad res orientales, de quarum inſtaurandarum ſuſcepto conſilio ſacræque expeditionis apparatu dicendum eſt. Extant (b) ineunte hoc anno ad Joannem Regem Francorum expeditionis ducem Urbani literæ, quibus diploma apoſtolicum de bello fidei hoſtibus inferendo confici ſignificat, monetque ut prius ſacramentum nuncupet ea conceptum formula, quo una cum Philippo Rege patre olim ſe obſtrinxerat. Sed paucis poſt menſibus Joannes Rex, ut in rebus Gallis diximus, ſublatus eſt, pariterque Talayrandus epiſcopus Albanenſis [1] Apoſtolicæ ſedis legati partes in cruceſignatorum caſtris obiturus, e vivis exceſſit: quorum mors ingentia illa conſilia admodum fregit. Ad quæ tamen promovenda Dei vicarius in locum Talayrandi, cui inſigniendarum crucis ſymbolo copiarum demandata erat provincia, B. Petrum Thomam Carmelitani ordinis, bellique hujus ſacri authorem ex Cretenſi archiepiſcopo creatum patriarcham Conſtantinopolitanum ſubrogavit; clariſſimum doctrina, ſanctitate, miraculis, geſtiſque apoſtolicis legationibus (c) modo ad Neapolitanum Regem ut ſalubria conſilia ſuggereret, modo ad Raſcium, ut ſchiſma extingueret: nunc ad Ungarum, ut illi Romanæ eccleſiæ vexillum ad fidei hoſtes pro terendos traderet: modo ad Venetos, ut pacis conſilia ipſis ſuaderet: modo ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, ut conjunctionem orientalis eccleſiæ cum Romana promoveret: nunc in Aſiæ & Europæ fines, ut Turcas, ſchiſmaticos, atque hæreticos comprimeret: nunc in Italiam, ut tyrannos ad officium ac pacem revocaret. In quibus tanta laude ſe geſſiſſe refert illius vitæ author, ut Pontifex cæleſtem in eo vim admiratus, honorum incrementa ei detulerit (d): *Tum*, inquit, *Urbanus Papa cognoſcens divinam in Petro Thoma virtutem elucere, ex ſententia Cardinalium maximam poſt papatum totius eccleſiæ militantis dignitatem ei ſolemniter contulit, videlicet patriarchatum Conſtantinopolitanum: præterea adjecit ei Coronæ & Nigripontis eccleſias ad vitæ ſuſtentationem, & inſuper eum conſtituit recuperandæ terræ ſanctæ legatum, & decem ei florenos quotidianos impertitus eſt.* Addit author, ſanctum virum ampliſſimis privilegiis ab Urbano affectum; cujus dictis regeſti pontificii literæ omnino conſentiunt (e): e pluribus autem eæ (f) tantum delibandæ viſæ ſunt, in quibus decretæ expeditionis ſacræ, demandatæque illi legationis cauſas perſtringit.

(b) Lib. 2. *ep. ſecr. pag.* 6.

Talayrandi Card. legati mors.

Suffectus illi In orientali legatione Petrus patriarcha Conſtantinopol.

(c) *Philip. e Mazeriis in vit. B. Petr. Tho.*

De variis legationibus ab eo geſtis.

(d) *Id. ib.*

(e) *An.* 2. *ep. com.* 63. *uſque ad ep.* 84. & *ep. cur.* 241. 242. & 273.

(f) *Eod. an.* 2. *ep. com.* 62. & *ep.* 81. & *to* 2. *ep. ſecr. p.* 271.

Urbani diploma de legatione orientali.

*Urbanus, &c. Petro patriarchæ Conſtantinopolitano*

*A. S. L.*

*Dudum attendentes, quod peccatis exigentibus terram ſanctam Agarenorum gens perfida, ſalvatoris noſtri domini Jeſu Chriſti & ſuæ orthodoxæ fidei inimica, a longis retro temporibus non abſque damnoſa negligentia Chriſtiani populi occupaverat & detinuerat, prout detinet occupatam, eam polluendo abominandorum patratione ſcelerum, ac pro ancilla tenendo, quæ domina gentium debet eſſe; quodque ex oppreſſione Turcorum crudelium multas calamitates patiebatur, prout patitur, Chriſtianus populus orientis, chariſſimo in Chriſto filio noſtro Petro Rege Cypri illuſtri ( cujus regnum eſt in ipſorum infidelium finibus conſtitutum, de ſtatu dictorum infidelium, quem ipſe Rex ex ipſorum mortalitatibus & diſcordiis debilitatum, & proſtrationi diſpoſitum aſſeruit, præſertim ex captione civitatis Sataliæ ac nonnullorum caſtrorum & locorum, quæ idem Rex ſuis prudentia perſonalibuſque laboribus & expenſis de manibus infidelium prædictorum eripuerat, ex quo infideles ipſos multus, ut aſſeritur, timor invaſerat ) plenarie informato nobis ac fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac nonnullis catholicis principibus & magnatibus, aliiſque fidelibus populis vias & modos, per quos tunc temporis poterat, prout poteſt, faciliter eorundem Agarenorum & Turcorum elidi potentia, & fieri recuperatio terræ prædictæ, oſtendente prudenter oraculo vivæ vocis; de dictorum fratrum conſilio ad eandem terram ſanctam & alias partes infidelium orientis paſſagium generale authoritate apoſtolica indiximus; ac bonæ memoriæ Talayrandum epiſcopum Albanenſem ad partes illas, commiſſo ſibi plenæ legationis officio in eiſdem, providimus deſtinandum: & tam claræ memoriæ*

NOTÆ [1] HOc anno vita functum Talairandum cardinalem Petragoricenſem ultro admitto; neque enim ea de re ambigere permittit bulla Urbani V. ſignata hoc anno die X. Julii apud Annaliſtam hic legenda. Sed falſo Ciaconium emortualem ejus aſſignaſſe diem XVII. Kal. Februarii ſuſpicor; nam Mazerius in vita S. Petri Thomæ cap. XIV. obitum Cardinalis ita narrat. *Cardinalis Petragoricenſis* ( Talairandus ) *Legatus Paſſagii* ( expeditionis in Palæſtinam ) *Capitaneum, videlicet Regem Franciæ* ( qui ejus expeditionis imperator ſupremus deſtinatus fuerat ) *ſecutus eſt, debitum humanæ conditionis ſolvens*. Cum igitur Joannes Galliarum Rex hoc anno die VIII. Aprilis deceſſerit; qui illum proxime ſequutus eſt Talairandus poſt diem illam Aprilis fatis ceſſiſſe oportet. MANSI



*riæ Joanni Regi Franciæ capitaneo & rectori ipſius paſſagii per nos conſtituto, quam præfato Petro Regi Cypri ac aliis multis nobilibus qui cum eorum potentia pro recuperatione terræ ſanctæ prædictæ promiſerunt perſonaliter transfretare, ac receperunt de manibus noſtris venerabile ſignum crucis; ac etiam cæteris cruceſignatis & cruceſignandis kal. martii anni nativitatis Domini milleſimi trecenteſimi ſexageſimi quinti proxime ſecuturi pro termino ad tranſfretandum in dicto paſſagio duximus aſſignandos.*

De Cypri Regis expeditione.

*Cum autem idem Rex Franciæ & epiſcopus, ſicut Domino placuit, ſint viam univerſæ carnis ingreſſi, & dictus Rex Cypri ad ſuccurrendum eiſdem fidelibus, & conatus eorundem infidelium reprimendum, velut athleta Chriſti & præcurſor intrepidus proponat in brevi cum auxiliis citramarinorum fidelium transfretare; nos attendentes, quod urgens & evidens prædictarum ultramarinarum partium, quas fideles inhabitant, neceſſitas exigit ad eas a nobis deſtinari legatum, qui vice noſtra dirigat & diſponat negotium paſſagii prælibati; & ad te virum utique ſecundum cor noſtrum, honeſtate conſpicuum, religione probatum, præclarum ſcientia, humilitate ſublimem, manſuetudine generoſum, multa providentia circumſpectum, & in lege Domini ipſaque fide catholica admodum eruditum, qui alias commiſſum tibi in partibus illis legationis officium laudabiliter exercuiſti, noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, deliberatione ſuper hoc cum fratribus noſtris præhabita diligenti; tibi in patriarchatu Conſtantinopolitano ac regno Cypri, & in Cretenſi, Smyrnenſi, Patracenſi, Athenienſi, Thebano, Corinthienſi, Coloſſenſi dicto Rhodo, ac Nixienſi, Corphienſi, Duracenſi, Neopacenſi, & Neopatrenſi archiepiſcopatibus; & eorum, dicti patriarchatus provinciis & aliis ultramarinis partibus, ad quas per nos eſt indictum paſſagium ſupradictum, pro ſubſidio ejuſdem Regis Cypri & aliorum transfretantium ad Chriſti fidelium partes ejuſdem, plenæ legationis officium authoritate apoſtolica de dictorum fratrum conſilio committimus præſentes.* ( Interjectaque conſueta formula ipſius authoritatem ita amplificavit: ) *Præſentium tibi authoritate concedimus, ut in patriarchatu ac regno, archiepiſcopatibus, provinciis, & terris ſupradictis ſuper hujuſmodi, ac univerſis & ſingulis aliis negotiis, de quibus expedire videris, agere, diſponere, ſtatuere, ordinare, ac præcipere; & inter Imperatores, & Reges, ac principes, aliaſque perſonas eccleſiaſticas & ſeculares, in eiſdem partibus conſiſtentes, ad utilitatem, commodum, & effectum negotiorum ipſorum ligas, confœderationes, ſocietates, ſeu uniones ſtatuere, firmare, ac facere, & per te vel alium ſeu alios, quacumque auctoritate factas, initas, tractatas, ſeu firmatas tractare, & executioni mandare ac mandari facere; & inter diſſidentes ſeu diſcordes pacem & concordiam reformare, treugas ſeu inducias inire & firmare, & reformatas, initas, & firmatas obſervari facere; nec non contradictores & rebelles cujuſcumque dignitatis & ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi epiſcopali vel majori aut regali vel imperiali præfulgeant dignitate, authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellere valeas; fraternitati tuæ plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem, &c. Datum Avinione* VI. *idus julii anno* II.

Quæ poteſtas legato demandata ſit.

XXV.

Commendavit legatum Urbanus Petro (a) Cypri Regi, Laurentio Celſo Venetorum duci (b); Amedeo (c) comiti Sabaudiæ, ac pluribus aliis principibus: tum præſules orientales illius dictis obtemperare juſſit (d). Univerſos vero fideles ad dandum ſacræ militiæ nomen in Turcas inflammare annixus, pluribus indulgentiarum præmiis profecturos ornavit (e). Fœderatas etiam Anglorum copias, quæ ab Eduardo Rege dimiſſæ poſt redintegratum cum Franco fœdus alpes tranſcenderant & in Inſubria, deinde in Etruria ſtipendia fecerant, hortatus eſt, ut crucis ſymbolo inſigniti tuendæ religioni arma conſecrarent, nec tela Chriſtiano amplius, ſed infideli ſanguine tingerent. Extant hujuſmodi argumento ad eorum ducem (f), & alios (g) ſcriptæ literæ. Datam omnibus præſulibus crucis ſymboli iis conferendi poteſtatem: in qua quidem induenda quantum gloriæ decus ſibi Chriſtianus compareт, cum ſe ad Chriſti exemplum, qui eam primus ſuſcepit, formet, his verbis exponit (h): *Ipſe quidem Salvator prædicavit & docuit, quod ſuam odiens in hoc ſæculo animam in vitam æternam cuſtodit eamdem: ut abnegans ſemetipſum crucem propriam tolleret, & ipſum Dominum ſequeretur. Hoc profecto nemo perfectius videtur implere, quam qui pro Dei amore, terrenis delectationibus abdicatis patrem & matrem, ſororem & filios, ac amicos & patriam derelinquens, crucemque tædii, periculi, & laboris aſſumens, Chriſtum intrepide ſequitur in ejus, ſuæque orthodoxæ fidei ſervitio militando proprias facultates expendere, & cruorem effundere pro illo, qui eum redemit ſui ſparſione ſanguinis, non formidans &c.* Plura addit de ſacris indulgentiarum atque immortalitatis præmiis, quæ ſigna Regis Cypri ſecuturi, ac vitam pro Chriſto in bello ſacro profuturi adipiſcentur. *Dat. Avin.* XV. *kal. maji anno* II.

(a) *An.* 2. *lit. cur. p.* 241.

(b) *Ead. pag.*

(c) *Pag.* 242.

(d) *Pag.* 273.

(e) *An.* 2. *lit. cur. p.* 238.

Anglicæ copiæ ad transfretandum ſolicitatæ.

(f) *Ib. p.* 166.

(g) *Pag.* 169. & 171.

(h) *Sup. ep. p.* 166.

Ad crucis ſymbolum ſuſcipiendum adhortatio.

XXVI.

Dum hæc in occidente agitantur, Mahometani Græciam & Cyprum infeſtabant: qua de re certior factus a Rhodiorum equi-

(a) To. 2. ep. ſecr. pag. 208.

(b) Ib. p. 119.

quitum magiſtro Urbanus Papa Petrum Cypri Regem exſtimulavit (a) III. non. junii, ut reditum in regnum maturaret, tum ob imminens Cypro diſcrimen, tum ne mora nimia cum ipſo transfretaturos fatigaret. Adurnium vero Genuenſium ducem, qui aliquas cum Cyprio Rege ſimultates exercebat, exoravit (b) ut ab inferendo Cypriis bello abſiſteret, ne tranſmarina expeditio diſſolveretur. Propulſati Cypro feliciter fuere Saracenorum conatus. At non ita Turcarum in Græcia: infuderunt enim ſe magno terrore in eas oras, quas Latini obtinebant, ac Thebas occuparunt, pluresque alias Achajæ principatus terras invaſere. Ex qua clade magno affectus dolore Chriſti vicarius Latinos in urbe Nigropontenſi degentes (c), archiepiſcopum (d) Patracenſem, tum plures alios (e) antiſtites & proceres ut fortiter in Turcas dimicarent, excitavit: *Cum nuper*, inquit, *audiverimus fidedigna relatione quamplurium, non ſine amaritudine cordis noſtri, quod in civitate Thebana & aliis circumvicinis partibus infidelium Turcorum profana multitudo moretur, ac terras fidelium principatus Achajæ & circumſtantium partium impugnare aſſidue moliatur; univerſitatem veſtram hortamur & rogamus attente, vobis nihilominus injungentes, quatenus zelo Dei ejuſque fidei fervore ſuccenſi, adverſus ipſos Turcos ſic exurgatis viriliter & pro veſtra facultate potenter, quod Dei dextera vobiſcum & cum aliis ſuis famulis faciente virtutem, dicti Turchi per veſtram & aliorum partium illarum fidelium laicorum, quibus ſimiliter ſcribimus, diligentiam de dictis partibus repellantur, &c. Dat. Avin. v. kal. julii anno* II. Aucti ſunt fideles, qui in hoſce barbaros arma corriperent, pluribus ſacris beneficiis, atque inter alia, ut expiandis anteactæ vitæ ſceleribus, quem optarent, ſacerdotem adhiberent (f).

Turcarum in Achajam excurſiones.

(c) Pag. 238.
(d) Pag. 240.
(e) Ead. pag.

Fideles ad eos reprimendos excitati.

(f) Pag. 343.

XXVII.

Palæologus ſocialia in Turcas arma ſpondet.

Intulerant aliis ſchiſmaticis Græcis longe graviores clades Turcæ, imperiumque Conſtantinopolitanum miſerrime deformarant: quare Joannes Palæologus Imperator ſacræ expeditionis indictæ ab Urbano, quæ parabatur in occidente, fama permotus illi miſſo Malaſpina oratore ſignificavit, ſe ad vires ſuas adverſus infideles conjungendas paratiſſimum; rogavitque ut Latinis commendaretur, ne qua ipſi Græcos injuria afficerent. Excepto Palæologi oratore, grates illi de promiſſorum amplitudine egit Pontifex (g), monuitque ut Græcos ad redintegrandam cum Romana eccleſia conjunctionem, & arctiſſime vinciendam perpelleret; ex qua hoſtis fidei debellandi ſpes certiſſima affulgeret: ſublatum jam e vivis Joannem Francorum Regem, quem univerſæ expeditioni ducem crearat, necdum ſe id munus in alium principem transfudiſſe.

(g) Eod. to. 2. ep. ſecr. p. 348.

*Magnifico viro Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Urbani ad eum literæ.

*Imperialis celſitudinis literas, per dilectum filium Michaelem Malaſpinam civem Januenſem nuncium tuum latorem præſentium, noſtro apoſtolatui deſtinatas, paterna benignitate recepimus: & tam contenta in eis, quam illa quæ dictus nuncius nobis pro tui parte curavit exponere, intelleximus diligenter: admodumque gratum redditur noſtris affectibus, quod tua lætetur ſublimitas, quod ad recuperationem terræ ſanctæ, ac impugnationem hoſtium ſuperborum ſacratiſſimæ fidei, ad cujus defenſionem & propagationem nos, licet indignos, divina dignatio in culmen ſummi Pontificatus evexit, indiximus paſſagium generale: quodque in tanto noſtri Salvatoris obſequio, & Chriſtianitatis commodo & honore nobiſcum & cum orthodoxis principibus, aliiſque Chriſti fidelibus ingenti, prout tua indicabat epiſtola, devotione concurras, ad hoc tua & tuorum ſubditorum auxilia prompta liberalique magnificentia offerendo.*

*Nos itaque proinde tuam magnitudinem multipliciter commendantes in Domino, & ad continuationem tam laudandi propoſiti, paternis conſiliis animantes, eam rogamus & hortamur attente, quatenus cum Chriſti fideles in præfato profecturi paſſagio, ad partes tui imperii declinabunt, eis pro reverentia Dei, cujus proſequentur negotium, tui favoris præſidia largiaris. Nos enim gerentes in votis, te ac populum tuum ab infidelium Turcorum incurſibus & tyrannide liberari, ac per beneficia noſtra & Latinorum corpori ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ [a qua diſcedentes, lacrymabiles potius quam enarrabiles miſerias animarum & corporum, ac detrimenta bonorum temporalium, & antiquæ Græcorum gloriæ toti orbi opinatiſſimæ incurriſtis] ad Dei honorem ac cæleſtium civium de tantarum ovium perditarum reductione ad ovile Dominicum, ac ad gaudium univerſalis eccleſiæ, hoſtiumque ipſius mœſtitiam & terrorem, indiſſolubiliter reuniri, Apoſtolicæ ſedis legato, ad partes ultramarinas cum gentibus dicti paſſagii profecturo; nec non Chriſtiani exercitus generali capitaneo, de quo poſt obitum claræ memoriæ Joannis Regis Francorum, quem dicti exercitus capitaneum feceramus, nondum deliberavimus, cum tempus erit transfretandi, mandare curabimus, quod te ac ſubditos tuos habeant commendatos, a tuis & tuorum offenſis penitus abſtinendo. Datum Avin.* XVII. *kal. novembris anno ſecundo.*

Nulla a Latinis Græciæ damna illatum iri ſpondet.

Porrexerat Joannes Palæologus alias preces Pontifici, ut nimirum Annam conſanguineam dimitteret in Græciam. Exculta illa erat, orthodoxa fide, cujus ne

di-



(a) Eod. to. 2. ep. ſecr. p. 348.

diſcrimen forte adiret, retinendam in occidente cenſuit Pontifex, ac Palæologo Imperatori reſpondit (a), illam ſibi curæ fore: *Nos*, inquit, *pro ipſa quidquid boni poteramus, curabimus operari, & ſperamus ſic agere, quod ipſa remanebit [auctore Domino] conſolata.*

Superiori

I. SUperiori trium Regum Galliarum, Cypri, ac Daniæ exemplo, Carolus Romanorum Imperator Chriſti vicarium ſalutaturus, ac de rebus maximis, ad Chriſtiani nominis amplitudinem ſpectantibus colloquium initurus; anno Servatoris milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto indictione III. Avenionem acceſſit, regioque apparatu exceptus die ſancto Spiritui in Apoſtolos igneis linguis devoluto ſacro, operante divinis myſteriis Pontifice, imperialibus inſignibus redimitus pie interfuit; de quo hæc Urbani vitæ ſcriptor tradit (a). *Anno* LXV. nimirum excurrentis ſæculi, *menſe maji Carolus Romanorum Imperator venit in Avenionem ad Urbanum Papam cum magna comitiva principum & nobilium Alamannorum, & ornatus inſigniis imperialibus, per ipſum Papam & Cardinales fuit valde & honorifice receptus: & die ſancto pentecoſtes tunc occurrente, dicto Papa ſolemniter celebrante, aſtitit in habitu imperiali, diademate coronatus, in manu dextra ſceptrum geſtans,* *.... *Tandem vero, habitis multis colloquiis inter Papam & ipſum tam ſuper factis eccleſiæ quam imperii, rediit ad propria cum bonis pace, amore, & favore Urbani Papæ prædicti.* Quæ in arcano eo colloquio Pontificem inter atque Imperatorem fuerint agitata, ex Pontifice ipſo accipimus: nimirum de inſtauranda in Aſia religione, abigendiſque prædonum turmis ſocialibus, quæ Gallias maxime & Italiam atterebant, ac traducendis in orientem, ut arma verterent in Turcas feliciore pugnandi genere, Chriſti athletæ ex latronibus evaſuri: ac ſi Rex Ungariæ ipſis aditum per regnum præbere vellet, neceſſarios commeatus ſe daturum ſpondebat Imperator: ſi vero arceret aditu, ut conſcenſa claſſe navigarent in Aſiam, illam ſuis ſumptibus in Veneto & aliis Italiæ portubus conducturum pollicebatur. De quibus Urbanus Carolum Francorum Regem, ut fœderatas copias ad id inflecteret cogeretve, certiorem fecit (b).

(a) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Cæſar Avenione Urbanum adit. Imperiali cultu celebranti ſacra Pontifici aſſiſtit.

* *ſiniſtra pomum*

De re Chriſtiana augenda colloquia miſcet.

De vagis turmis in Turcas avertendis actum.

(b) *To. 3. ep. ſecr. p.* 114.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum illuſtri.*

II. *Sicut novit regia celſitudo, chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imp. ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, ut Chriſtianiſſimus princeps, nuper ad Apoſtolicam ſedem accedens, nobis ſui ſancti propoſiti, quod habet ad pacem & tranquillitatem totius populi Chriſtiani, & ſpecialiter regni tui, & ad depreſſionem infidelium, exaltationemque catholicæ fidei, & recuperationem etiam Terræ ſanctæ, & alia ad bonum publicum arcana detexit: noſque cum ipſo ſuper iis votis ardentibus concurrentes, & pluries conferentes, communi voluntate decrevimus, ut ad pravarum comitivarum, devaſtantium dictum regnum & nonnullas alias partes ejuſdem Chriſtiani populi, totalem exterminationem de dicto toto populo prius efficaciter intendatur; ita quod voluntarii pergant, vel inviti cogantur ad partes Turchorum vel aliorum infidelium proficiſci. Præfatuſque Imperator credens indubie, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Ungariæ illuſtris per ſuum regnum gentibus dictarum comitivarum tutum dabit tranſitum, offert eaſdem gentes a terminis tui regni uſque ad ingreſſum dicti regni Ungariæ propriis expenſis, quantum ad victualia pro hominibus dumtaxat, ita quod ipſæ gentes de earum animalibus ſibi providere habeant conducturam: ſic tamen, quod gentes ipſarum ad ſuum conductum non recipiet, donec de voluntate præfati Regis Ungariæ habeatur certitudo plenaria, & fidancia opportuna. Pro quibus habendis nos & Imperator præfatus dilectum filium nobilem virum Arnulfum dominum de Audientia mareſcallum tuum ad jam dictum Regem Ungariæ pro habendo ejus in hac parte conſenſu, ac fidancia dictis gentibus tribuenda, providimus de proximo deſtinandum. Si vero idem Rex Ungariæ in tranſitu dictarum gentium per idem ſuum regnum minime conſentiret, ordinavimus nos & Imperator præfatus, quod gentes ipſæ per mare ad partes ultramarinas orientis per Venetorum & aliorum de partibus Italiæ navigia (quod tamen erit tardius & difficilius) conducantur: & pro expenſis conductionis hujuſmodi Imperator jam dictus magnifice offert medietatem omnium proventuum ſui regni Boemiæ obventurorum tribus annis proxime ſecuturis. Quare præmiſſa duximus tuæ ſerenitati intimanda, ut interim ſic te cum ipſis gentibus in tuo regno exiſtentibus ſtudeas concordare, ipſoſque ad receſſum diſponere quod, redeunte mareſcallo præfato, gentes ipſæ verſus Alamanniam, ſi dictus Rex Ungariæ ad hoc conſenſerit; alioquin verſus Italiam arripiant iter ſuum. Dat. Avin.* V. *id. junii anno* III.

Oblatus a Cæſare per Germaniam illis commeatus.

Negante iter Ungaro claſſe tranſportandæ.

III. Quanta porro infligerent mala Galliis fœderatæ copiæ, deplorat Pontifex in literis ad Gallicanos præſules, quibus pium eorum ſtudium ad effrænatam improbitatem coercendam inflammat (c): tum in decreto, quo univerſi fideles ad diſſipandas hujuſmodi prædatrices turmas conſurgere juſſi ſunt (d).

(c) *Eod. to. 3. ep. ſecr. p.* 283.

(d) *Ib. p.* 240.

*Urbanus, &c. ad futuram rei memoriam.*

*Clamat ad nos de terra multorum fidelium*



*lium effuſus ſanguis innoxius, clamat pupillorum & viduarum ac aliorum exulantium & ſpoliatorum miſerabilis multitudo; clamant violatæ & ſuccenſæ eccleſiæ ac monaſteria derelicta, ſimulque nobiles & plebeii, ac divites & pauperes regni Franciæ, ut adverſus alienatos filios de gremio ſanctæ matris eccleſiæ, per opera deteſtanda prolapſos in fratres proprios, populos videlicet Chriſtianos more infidelium ſævientes, ut ad eorum reprimendas nequitias, ne graſſentur ulterius, per authoritatem ſedis Apoſtolicæ (quæ ubi correctionum locum non eſſe proſpexerit, debet actibus nefandis obſiſtere, & oppreſſorum, prout poteſt, ſubvenire miſeriis) exurgamus. Dudum ſiquidem, cum eſſet notorium omni fere populo Chriſtiano, quod quidam maledictionis alumni, qui arma ſectantes ſe ſocietates appellabant, prout appellant, facibus cupiditatis accenſi currebant ad malum, ut bona raperent aliena, & effunderent ſanguinem innocentem, quem ut crudeliſſimæ belluæ rabida dilaceratione ſpargebant; datique in ſenſum reprobum non videbantur agnoſcere nec ſentire, quod ipſi inſidiabantur contra ſanguinem proprium, fraudes contra ſuas animas molientes, adverſus Deum & eundem Chriſtianum populum velut ethnici auſibus deteſtandis ſurrexerant, & de diverſis nationibus in dicto regno non in fomentum, ſed diſſolutionem ſocietatis humanæ, ac detrimentum Chriſtianæ fidei in multitudine congregati, qualiter juſta cauſa ceſſante omnibus ſe exhibentes hoſtes acerrimos, & in omnes crudeliter debacchantes, ut pecunias, quas inſatiabiliter ſitiebant, & cum quibus in perditionem cadere non pavebant, aliaque bona fidelium habilius extorquerent, ſegetes & domos cremare, vites & arbores incidere, ac animalia & quidquid aliud poterant in prædam abducere conabantur, paupereſque plebejos ſolo timore compellebant a propriis laboribus exulare; nec non civitates, caſtra, & alia loca nonnullorum eccleſiarum, monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, nec non nobilium & communitatum dicti regni, hoſtilibus aggrediebantur inſultibus, obſidebant, invadebant, ſpoliabant, & incendebant: ac ſuperbiam ſectantes luciferi, & in ſua perverſa multitudine gloriantes, fatueque putantes, quod nulli poſſent eorum auſibus furibundis obſiſtere, quoſcumque terrarum dominos invadere, ac eos ſpoliare ſuis terris, ac in illis ſuas impias ſedes ponere minabantur; & ut viros ſanguinum, immo cruentas beſtias ſe patenter oſtenderent, & cuncti eorum potentiam & ſævitiam perhorrerent quos poterant in miſeriam captionis abducere, ut extorquerent ab eis pecunias, immaniter cruciabant variis & incredibilibus generibus tormentorum; temerarioque inebriati furore, omniſque pietatis exortes, non parcentes conditioni, ætati, vel ſexui in captionibus terrarum & locorum, non ſolum viros ſe ſuaſque familias & patrias juſtiſſime defendentes, ſed mulieres, nec non ſenes & juvenes ac in cunabulis vagientes truculenta rabie perimebant, ſtuprabantque virgines, etiam dicatas Altiſſimo, & maculabant etiam conjugatas, quarum nonnullas, quantacumque nobilitate fulgerent, poſt deluſionem frequenter publicam ad abuſum continuum, & ut eis ancillarentur in campis & alibi, ſecum ducebant, ac contra muliebrem morem & miſerandam poſſibilitatem earum ipſas armis onerabant, ac ſi eſſent vilia mancipia maſculina; in omni etiam ſacrilegii ſpecie provocare non verentes Altiſſimum, eccleſias & monaſteria, aliaque pia loca frangere, ſpoliare, & frequenter incendio concremare, ac perſonas eccleſiaſticas capere, vinculare, torquere, & interdum morti tradere non formidabant: ac de propriis potentia & iniquitatibus ſumentes audaciam, tam terrarum dominis, quam populis nonnullarum civitatum & locorum dicti regni, ut eos certo tempore non offenderent, importabiles tallias & redemptiones imponebant,* & infra, *proceſſus fecimus* (a).

Illatæ a vagis exercitibus clades.

Eorum ſævitia.

(a) *An. 2. ep. diverſ. form. pag.* 127. 323. 365. & 463.

IV. Addit, ut eos apoſtolica authoritate impias ſocietates diſſolvere, ſeque ad expianda ſcelera in fidei hoſtes arma convertere juſſerit: ii vero, contemptis ſaluberrimis monitis, furori fræna effuderint: qui cum nefaria facinora juſtitiæ colore oblinirent, in eos juris ordinem ſe ſervare decreviſſe, ac ſtatis diebus hujuſmodi copiarum ductoribus, præfectis, vexilliferis octavo menſis ſeptembris præterito die edixiſſe, ut eas dimitterent, occupata reſtituerent, quos tenebant in vinculis relaxarent, illata ſarcirent: tum locorum magiſtratibus ac viris authoritate pollentibus prohibuiſſe, ne fæderatorum hujuſmodi armis ad inferendam vaſtitatem uterentur, ac ne quis eos commeatu, armis, navibus, equis, aliiſque neceſſariis inſtrueret juvaretve; ſententiaque anathematis eos devinxiſſe, qui nefariis ipſorum partibus ſe irretirent, interdictoque eccleſiaſtico loca, quibus inſiderent, ſubjeciſſe: quia vero ad crudeles prædones tutus acceſſus non pateret, ſanxiſſe valituram in eos legis ſeveritatem, quamvis in Avenionenſi palatio tantum defixa ad ipſorum cognitionem non dimanaret: cumque impii homines neque iis coerceri potuerint, expeditionem ſacram diſturbarent, malaque ingentia inferrent, ac majorem terrorem incuterent, promulgaſſe propoſitis in eos pœnis devinctos teneri: atque ad frænandam ipſorum improbitatem pœnarum acerbitatem in poſteros fœderatorum hujuſmodi propagaſſe, ut nec paternæ hæreditati ſuccedere, neque ad publica munera vel ſacerdotia admitti poſſent. Omnia vero hujuſmodi hominum bona,

Ut intentatum iis judicium fuerit.

na, quos etiam infamiæ nota inuſtos declarat, fiſco addici, domos everti; aliaſque poſſeſſiones peſſumdari jubet. Denique omnes alios fideles urget, ut ad perdendam hujuſmodi hominum colluviem initis mutuis fœderibus ſe comparent; ſubdit enim.

Concitati fideles ad jungenda in eos arma.

*Univerſos Chriſtifideles requirimus, monemus, & hortamur, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecramus, eis in remiſſionem ſuorum peccaminum injungentes, quatenus ex aliorum periculis & jacturis cautiores & feliciores effecti provide velint attendere, quod vicini res agitur, dum paries proximus concrematur; & quod hic morbus ſic eſt contagioſus & peſtifer, quod niſi ei debitum apponatur antidotum, poterit inficere omnem terram; & propterea eorum ſtatui provide conſulentes, & aliorum fidelium tot & tantis calamitatibus, quas hujuſmodi pravarum ſocietatum ſæva peſtis induxit, piis compatientes affectibus ad illum, qui dixit, Clamabit ad me, & ego exaudiam te: in cordibus puris & devotis orationibus pro tantæ peſtis amotione clamitare non ceſſent. Et nihilominus, cum ſit ſcriptum, quod ſtultis ſit ſecundum eorum ſtultitiam reſpondendum, quilibet ſecundum potentiam ſibi conceſſam a Domino contra hujuſmodi viros nefarios & profanos hoſtes Dei & humanæ generationis, quam depopulare & extinguere tyrannicis conatibus moliuntur, conflatis viribus magnanimiter exurgant, potenter ſe accingant, ſtrenue dimicent, tranſitus eorum impediant, ac de auxilio dexteræ Domini confidentes ipſos acriter perſequantur, & contra tales inſenſatos pugnare non deſinat totus orbis, &c. Dat. Avin. VI. id. aprilis anno III.* Partim emollitæ monitis vel promiſſis delinitæ, partim intentato armorum terrore perculſæ fœderatæ turmæ expeditionem ſe ſuſcepturas in Turcas pollicitæ ſunt: utque in itinerum ſumptus ſubſidiarium æs contrahi ipſiſque ſuppeditari poſſet, Urbanus Caroli Regis precibus permotus ſacerdotiorum biennales decumas in id attribuit (a): & Cenomanenſem epiſcopum inſtruxit authoritate, (b) ut ſacræ militiæ in religionis hoſtes acceſſuros, vel militares ſocietates diſſipaturos cenſuris apoſtolicis exolveret.

Promittunt vagæ turmæ vertere arma in Turcas.

(a) To. 3. ep. ſecr. pag. 145. & an. 3. ep. cur. p. 320. & 322.

(b) Ib. p. 183.

V.

Erupere tum e Galliis plures ſociales turmæ in Alſatiam, eamque vaſtitate & rapinis fœdare cœperunt duce Arnaldo Servola, de quo hæc in Urbani geſtis referuntur (c): *Paulo poſt receſſum dicti Imperatoris Arnaldus de Servola vulgariter archipresbyter de Verniis nominatus, natione Vaſco, adunatis ſibi aliis quampluribus tam propriæ quam aliarum diverſarum nationum tamquam ſociales * Alcouriam partem Alamanniæ intraverunt, perſonas captivando, igne & gladio omnia conſumendo; ex quo inter principes & incolas Alamanniæ commotio ſeu turbatio fuit non modica exorta; præſertim aliqui ſuſpicati ſunt, quod hæc faciebant de conſenſu ſeu conniventia dicti Imperatoris.* Hæc falſo ab iis jactata, ut incautiores obruerent terrerentque: vel inde captata eſt occaſio, cum arcano conſilio deliberatum ab Imperatore cum Pontifice fuiſſet, ut per Germaniam & Ungariam iter in orientem arriperent: Sed non data iis erant imperia, ut inferrent agris vaſtitatem: immo Carolus ſumptus iis ſuppeditare decreverat, ne penuria ipſos ad rapinas alliceret. Ut vero Germani iis ſtrenue obſtiterint, ſubdit geſtorum Urbani author: *Aggregatique fuerunt ſe ad invicem viriliter reſiſtendum, ac impediendum ne ulterius progrediendo flumen Rheni poſſent tranſire. Quod prædicti audientes, ſcienteſque adverſus eos ſe prævalere non poſſe, retroceſſerunt multis tamen damnis illatis & etiam receptis, & ad partem Galliæ redierunt; ubi ſatis cito poſt per aliquos ex ſuis crudeliter interfectus eſt archipresbyter memoratus, prout etiam ejus demerita bene exigebant. Et hic notanter inferendum eſt, quod capitanei talium ſocietatum ut plurimum morte ſimili aut crudeliori tam per prius quam ex poſt mortui fuiſſe referuntur:* Primum quidem latrocinantium copiarum authorem Montem regalem, nimirum Romæ carnificis manu necatum vidimus: ſucceſſorem illius Landum comitem, de quo ſæpius mentio facta eſt, transfixum haſta in quodam certamine in Inſubria refert Matthæus Villanus (d); juſta divini Numinis vindicta, ut qui tantum fuderat cruorem, ſuo terram aſpergeret. Subjungit hanc ſententiam Urbani vitæ ſcriptor: *In quo Deus ſignanter oſtendit, quod malam vitam ſectantes, ſeu ducentes ad eam ſimiliter finiendam diſponuntur juxta illud evangelicum: Qui gladio feriet, gladio peribit.*

(c) Geſta Urb. V. apud Boſq.

Arnaldus e Servola in Alſatiam irrumpit.

* al. Alſatiam.

Eam vaſtat.

Propulſatur a Germanis.

A ſuis necatur.

(d) Matth. Vill. l. 11. c. 44.

VI.

Vagi exercitus in Italia.

Nec Germaniam modo aut Gallias, verum Italiam quoque vagæ palanteſque militum catervæ rapto vivere aſſuetæ infeſtabant, atque etiam Anichino e Bongardo duce in Romanos infeſta ſigna convertere. Ad quas reprimendas Pontifex & pœnis graviſſimis ipſarum fœderatos ac ſtudioſos conſtrinxit (e), & præmia indulgentiarum in ipſos arma ſumpturis propoſuit (f): Ægidium & Androinum Cardinales legatos Romanis ſubſidio juſſit (g) accurrere: intendit ſtudia (h), ne Germanici prædones Anglicis ſe conjungerent: Joannam Reginam Siciliæ, Franciſcum Carrariam Patavinum, Nicolaum marchionem Ateſtinum, Canemſegnorium Scaligerum Veronenſem, Feltrinum Gonzagam Mantuanum, Laurentium Celſum Venetorum, & Gabrielem Adurnium Genuenſium duces, Joannem marchionem Montiſferrati, atque inſignium urbium cives, Romanos, Florentinos, Piſanos, Senenſes, Aretinos, Cortonenſes & alios, tum apoſtolicis adhortationibus, tum nuntiorum & legatorum opera ſolicitavit, ut mitterent Bononiam oratores pro coeundo in palabundas turmas fœdere, ut ipſas vel maritimo itinere in Turciam, vel terreſtri per Ungariam proficiſci cogerent (a): ita enim non modo liberare Italiam prædonibus; ſed eorum arma in fidei hoſtes exacui, & latrones in Chriſti pugiles vel martyres transfundi cupiebat. Utque pium & prudens conſilium felicius perduceret, Carolum Romanorum Imperatorem, eumdemque Boemiæ Regem, atque imperii principes electores Cunonem Trevirenſem, Engelbertum Colonienſem, Gerlacum Moguntinum archiepiſcopos, Robertum ducem Bavariæ & comitem Palatinum, marchionem Brandeburgenſem, ac Rodulphum ducem Saxoniæ ad meditatum fœdus adducere ſtuduit (b).

(e) To. 3. ep. ſecr. p. 240.

(f) Ib. p. 30.

(g) Pag. 91. & 113.

(h) Pag. 116.



Principes Itali ad jungendas in eos copias excitati.

(a) Ib. ep. ſecr. p. 116.

(b) To. 4. ep. ſecr. p. 19.

VII.

Imminebat etiam diſcrimen Hiſpaniis a fœderatis militum turmis, quæ rapto vivere aſſuetæ e Galliis Bertrando Gueſclino duce trans Pyrenæos ſigna traductūræ erant. Eæ vero Avenioni appropinquantes, maximo terrore Pontifici & Cardinalibus injecto, ingentem ab iis auri vim extorſere, quæ ſtipendiorum honeſto nomine, cum ſe in Granatenſes Mauros ituros præſeferrent, erogata eſt. Qua accepta fama, Petrus Caſtellæ Rex ſe ſuaque defendendo Pontifici addixit, atque ultro magnifice obtulit vel terra vel mari cum exercitu provolaturum: cui actæ his literis ab Urbano gratiæ.

Turmæ Gallicæ fingunt in Granatenſes ſigna attollere.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto Filio Petro Regi Caſtellæ illuſtri ſalutem, &c.*

*Devotionis regiæ literæ, nobis per dilectum filium nobilem virum Alvarum Lupi militem & ambaſſiatorem tuum diebus nuper præteritis præſentatæ, mentem noſtram ineffabili lætitia perfuderunt. Nos ſiquidem cernentes in te dilectiſſimo filio ſic erga nos & Romanam eccleſiam dilectionis & reverentiæ gratiam abundare, quod præ cunctis orbis principibus magnificentiam tuam reperimus diſpoſitam ad noſtra & ejuſdem eccleſiæ honores & commoda ac beneplacita præparatam; ac conſiderantes, quod regiæ coronæ potentiam, tuum theſaurum, ac perſonam propriam contra quoſcumque iniquitatis filios adverſus ſtatum & jura ejuſdem eccleſiæ præſumentes aliquid attentare, etiam propriis tuis prætermiſſis negotiis [ſi urgeret neceſſitas] tam per mare quam per terram pro reverentia Dei & Apoſtolicæ ſedis nobis & eidem eccleſiæ ferventiſſima devotione duxeris offerendas; merito debemus & poſſumus de tanti filii tam laudabili diſpoſitione lætari, & in te noſtræ ſpei ponere firmamentum. Proinde itaque non valentes tuæ largitati promptiſſimæ gratiarum condignas reddere actiones, quas poſſumus tamen tibi paterne referimus; magnificentiam tuam, quam in fervida voluntate fundatam reputamus facto completam, apoſtolicæ commendationis præconio commendantes; ac rogantes Deum, quod mentem tuam de bono in melius ſemper diſponat ad ſua beneplacita exequendum, tibique dies adaugeat in pacis & proſperitatis plenitudinem perducendos. Dat. Avin. kal. martii anno III.*

Rex Caſtellanus Pontifici armorum vim ſpondet.

Actæ illi gratiæ.

VIII.

Cæterum ex illius injuriæ atrocitate, qua Chriſti vicarius ad redimendam ex prædonum furore libertatem adactus eſt, ſumpſit occaſionem Petrarcha, ut Urbanum ad deſerendas ingratas Gallias, reſtituendamque Italiæ ſedem Apoſtolicam excitaret (c): *Dum hæc*, inquit, *impia ac odibilis Deo ac mundo prædonum manus, quæ nunc miſeras Chriſtianorum regiones terribiliter pervagatur, ad eam te neceſſitatem deduxiſſet, ut omni alio ceſſante remedio, tuæ & Romanæ curiæ libertas ac requies multo auro redimenda eſſet, multa (nec immerito) ſuper hoc cum fratribus tuis queſtus, inter cætera injuriam hanc Bonifacii injuriæ non æquaſti tantum, ſed etiam prætuliſti. Recte id quidem ac veraciter.* Et infra: *Nec ea res ſine magni alterius hoſtis auxilio ac favore: nec tunc etiam aperta vi, ſed nocturnis inſidiis acta eſt. At tu hominum innocentiſſimus, qui nulli unquam malefeceris, nec optaveris quidem hac tua humanitate, & hac rerum & verborum humilitate [quantum potes] Dominum tuum ſequens, non ſubito, non occulte, ſed inſtructa acie viliſſimorum furum circumventus [o indignum ac ſceleſtum facinus!] te ipſum pecunia redemiſti: ad quod Bonifacium nec coactum certe nec requiſitum ſcimus. Itaque ſanctiſſimæ querimoniæ tuæ Spiritu Sancto plenus illud ultimum addidiſti, hæc mala omnia hinc maxime provenire, quod Petri ſedem tuamque desereres; teque in dies graviora metuere, ſi obſtinatis nunc etiam animis deſeratur ſedes illa, quam ſponſæ ſuæ Chriſtus elegerat. O dignam vocem! O vaticinium veri plenum! O ſermonem cui merito & terrenum concinat & cœleſte collegium! Vere enim ita eſt, propter hanc ſummæ ſedis viduitatem, atque hunc contemptum & curia tua nunc & totus inſuper Chriſtianus orbis affligitur, & cito, niſi provides (ſi quid præſagire homini licet) affligetur aſperius.* Non vana propoſuiſſe Petrarcham docuit exitus.

(c) Petrar. l. 7. rer. ſenil. ep. 1.

Romana curia a prædonibus coacta ſe redimere.

Injuriam divinæ vindictæ ob ſedem tranſlatam aſcribit.

Præſagit Petrarcha tranſlationem ſedis Chriſtianæ rei ingens damnum allaturam.

IX.

Inter hæc urgebant continentibus votis ac precibus ſummum Pontificem Romani, ut Urbi ſedem Apoſtolicam reduceret; quorum auditos humaniter oratores vitæ illius author meminit (d); quod & confirmant pontificiæ literæ, quibus hoc

(d) Geſta Urb. V. apud Boſq.

hoc reſponſum redditum : *Tam ſuper adventu noſtro ad Urbem ( quem Deus concedat proſperum, ut optamus ) quam ſuper aliis reſponſum benignum præbuimus ambaxiatoribus memoratis, prout ab ipſis, cum ad vos redierint, audietis. Dat. Avin.* IX. *kal. decembris anno* IV. Injunxit ea de cauſa munus Urbevetano epiſcopo (*a*) ſuo in Urbis vicario, ut palatium apoſtolicum inſtauraret. Increbuerat jam ante rumor, illum luſtrandæ Urbis pio teneri deſiderio : ex quo Senenſes magno delibuti gaudio obſequia in id Pontifici detulere, ut ex pontificiis literis (*b*) conſtat. Cæterum munierat iter Pontifici reſtitueratque eccleſiæ priſtinum imperium Ægidius Cardinalis, quem tamen aliqui adducere in invidiam niſi ſunt, nonnulla nimirum adverſus Bernabonem & alios, cum quibus bellum eccleſia geſſerat, contra inita fœdera pertentaſſe, ac ſuos in uſus pontificia vectigalia avertiſſe : adeo ut cum Pontifex Siculam illi legationem imponeret id onus excutere, atque ad aulam apoſtolicam, ut adverſarios præſens repelleret, ſe conferre niteretur. Adhæreſcit ſemper invidia magnis virtutibus : ac nonnullos gloriæ viri præſtantiſſimi in recuperata ditione eccleſiaſtica partæ, ſplendor perſtrinxerat. At Urbanus beneficiorum memor, optime de eccleſia meritum Ægidium ad ſpernendos leves rumuſculos erexit (*c*), nec ſe iis fidem adhibuiſſe profeſſus eſt : pergeret modo in Siciliam, ac legationem ſtrenue obiret.

Pontificium palatium in Urbe inſtaurari juſſum.

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 317.

(*b*) *Ib. p.* 98.

Ægidius Cardinalis.

Accuſatur ab invidis.

(*c*) *Eod. to.*3. *ep. ſecr. p.*36.

*Urbanus, &c. Ægidio epiſcopo Sabinenſi*

*A. S. L.*

X.

Illius fama a Pont. defenſa.

*Negationes & reſponſiones tuas ſuper iis jam factas admittimus tanquam veras, ſcienteſque tuæ conſcientiæ puritatem, & exquiſitam prudentiam ac zelum, quem habes ad eandem, ( pro cujus honore & ſtatu, & terrarum ipſius liberatione & defenſione magnificis, ſicut pugil Chriſti bellum ſuæ eccleſiæ glorioſe geſſiſti, tyrannos plurimos conculcando, ut ſubditi ejuſdem eccleſiæ olim attriti jugo ſervitutis tyrannicæ pace votiva ſimiliter fruerentur) nunquam credidimus nec credimus hujuſmodi obloquentium ( quos ſatis cognoſcimus ) maledicta. Et propterea miramur non modicum fortitudinem tui cordis magnanimi ſic impatientiæ cedere, ut invictus in factis arduis, immo vincens hoſtes fortiſſimos, a verborum jaculis ſupereris ; & quem æmulorum potentia nequiverit expellere, ora mendacium & iniqua loquentium procul pellant. Quis unquam, quæſumus, virtutibus clarens, & meritis fungens honoribus, & in magnalibus glorioſus carere potuit detractationibus invidorum, & querelas miſeras evitare? Profecto non poteſtates, non judices, non Reges, non principes, non cujuſcumque ſtatus pontifices, non etiam ipſe Chriſtus : & ſi hujuſmodi cederetur ſermonibus, raro vel nunquam eſſet legatus vel præſes provinciæ, qui in commiſſo ſibi regimine poſſet diutius commorari.* [ Adjecerat alias expetiti e provincia reditus cauſas ; ſe multorum odia, quorum tyrannicam potentiam dejecerat, partiſque male opibus exuerat, odia incurriſſe : tum ſenio gravatum quietis dulcedinem exoptare. Ad quæ Pontifex magni intereſſe reſpondet, ut improbis ſuæ ſeveritatis terrore frænum injiciat, diſſolutiſque vagantium militum catervis, pacem adducat, atque ab omnibus ut concordiæ publicæ author colatur. Ad ſubeundos vero novos labores, quamvis annis provectus eſſet, his verbis incitavit. ]

Excitatur ad cœpta egregie urgenda.

*Scimus, te competenter adhuc corpore compotem & animo vigoroſum : ſed ſi beati Hilarionis, qui quanto magis accelerabat ad ſenium, tanto plus pro Dei amore pœnitentiales labores & abſtinentias augmentabat, memoreris exemplum, vigorem pro certo recipiet tuæ debilitas ſenectutis : & ſi ( ut firmiter credimus ) apud Deum mereri deſideras, cum nos B. Petri populo te admodum neceſſarium reputemus, cum agonizante Martino laborem impoſitum non recuſes: ſicque cum Apoſtolo glorieris in Domino, plus omnibus, præſertim propter bonum obedientiæ, quod præfertur victimis, laboraſti. Ad hæc nos & noſtri tuique confratres multa admiratione movemur & non poſſumus non turbari pro eo, quod præfatam petis licentiam, cum a ſex menſibus citra legationem ad regnum Siciliæ acceptaveris reverenter, & de ipſa multæ factæ ſint apoſtolicæ literæ, & fiant etiam omni die : & ſi revenires ad curiam, idem regnum tuæ reformationis, qua indiget, beneficio fruſtraretur, non abſque gravi præfatorum regni & eccleſiæ detrimento : aliaſque rationes habemus conſultius non exprimendas ad præſens, propter quas pro nunc licentiam non concedimus prælibatam.* Adjungit preces & imperia ut impoſitæ legationis in Siciliæ regno & vicariæ præfecturæ munus admittat. *Dat. Avin.* III. *kal. februarii anno* III.

Adire jubebatur Siciliam Ægidius, ut Joannam Reginam fidei ſacramento in Urbani verba adigeret, ſceptrumque Siculum Apoſtolicæ ſedis liberalitati acceptum referenti aſſereret (*d*) : de qua legatione Ægidio Cardinali data extant (*e*) commendatitiæ ad Joannam Reginam Siciliæ, Jacobum Balearem Regem illius maritum, Philippum Imperatorem Conſtantinopolitanum, Mariam Imperatricem, ac plures viros prænobiles, ut miſſum pro Neapolitani regni componendo ſtatu honoribus & obſequiis meritis proſequerentur. Paritum Pontifici eſt ac magni honores Ægidio Cardinali legato, Siciliam ingredienti, præſtiti (*f*). Denique Joanna ab

Sicula legatio illi demandata.

(*d*) *To.*3. *ep. ſecr. p.* 66.

(*e*) *Ibid. p.*135.

(*f*) *To.*4. *ep. ſecr. p.* 7.



(*a*) *Lib. priv. Rom. eccl. to.*3. *p.*187.

ab eo fidei ſacramento adacta, Urbani V. beneficiariam ſe profeſſa eſt, ut vetera monumenta teſtantur (*a*).

XI.

Urbani clementia erga Aragonium in extrahenda pluries decretoria ſententia.

(*b*) *To.*2. *ep. ſecr. p.* 274. *ext. etiam in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to.*3. *pag.* 175. *& in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n.* 12. *p.* 310.

Intentata jactura Sardici regni.

Hoc anno urſit repetitis vicibus, nimirum pridie idus martii & v. idus junii Urbanus judiciorum ordinem adverſus Petrum Regem Aragonum (*b*) ob intermiſſas Sardici cenſus ſolutionem clientelaremque ſponſionem ; ac regna Sardiniæ & Corſicæ revocanda ad ſedis Apoſtolicæ imperium intentavit : ac poſt repetitam edicti ſuperiori anno allati formulam, narratoſque ritus judiciarios ſervatos, demum addidit : *Inſpecta dicti Petri Regis contumacia, ut præmittitur, non comparentis, ipſum Petrum Regem reputamus ( prout eſt ) & pronuntiamus ( prout ratio exigit ) contumacem. Et licet noſtram declarationem hujuſmodi ſuper incurſione prædictarum pœnarum, & amiſſione dicti regni Sardiniæ & Corſicæ, & reverſione ipſius ad nos & Romanam eccleſiam ſupradictam facere juſte poſſemus : tamen erga ipſum Petrum Regem volentes adhuc benignius agere, de clementia dictæ ſedis eumdem terminum, ad hodie prorogatum ſeu ſtatutum, de ſpeciali gratia ad diem decimam octavam menſis auguſti proxime futuri, ſi conſiſtorium fuerit, alioquin ad primam diem ex tunc immediate ſequentem, qua ipſum conſiſtorium fuerit, authoritate apoſtolica de dictorum fratrum conſilio tenore præſentium prorogamus.*

*Et ad majorem cautelam ipſum diem ad omnia, ad quæ idem Rex hodierna die comparere debebat, ipſi Regi pro peremptorio termino aſſignamus : eumque nihilominus per hoc publicæ citationis edictum, cujuſmodi citandi modum ex certis rationabilibus cauſis eligimus, præſente hac multitudine copioſa fidelium peremptorie citamus, ut dicta die* XVIII. *ejuſdem menſis Auguſti ſi conſiſtorium fuerit ( ut præfertur ) alioquin prima die, qua idem conſiſtorium erit, coram nobis in ipſo conſiſtorio legitime comparere procuret, auditurus dictam declarationem noſtram ſuper incurſione dictarum ſententiarum ſeu pœnarum, excommunicationis videlicet in ejus perſonam, ac interdicti in præfatum regnum Sardiniæ & Corſicæ, & ſuper amiſſione dicti regni, & ejus reverſione ad nos & Romanam eccleſiam ſupradictam, & ad liberam & expeditam diſpoſitionem ipſius per nos ( authore Domino ) prout de jure fuerit faciendum : aperte prædicentes eidem, quod ſive compareat ſive non compareat in termino memorato, nos contra ipſum ad declarationem hujuſmodi faciendam & alias, prout juſtum fuerit & nobis expedire videbitur, procedemus, ipſius Petri Regis abſentia ſeu contumacia non obſtante.* Et infra : *Cæterum volumus & authoritate prædicta decernimus, quod citatio, requiſitio, & monitio ſupradictæ proinde Petrum Regem arctent eumdem, ac ſi ei perſonaliter inſinuatæ & intimatæ fuiſſent, non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo, &c. Datum & actum Avinione in palatio apoſtolico hora conſiſtoriali* v. *id. junii pontificatus noſtri anno* III.

XII.

(*c*) *Surit. annal. l.* 9. *c.*53.

Metuit Aragonius Sardicis juribus exui.

Mittit oratorem ad clientelarem ſponſionem exhibendam.

(*d*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.*77.

Meminit Surita (*b*) de intentata Petro Regi Aragonum juris in Sardicum regnum privatione, & objectis cenſuris eccleſiaſticis ; ac Ferdinandum Herediam Petri in aula pontificia oratorem prudentia ſua diſcrimen avertiſſe : pertimuiſſe vero Aragonenſem, ne Urbanus Sardiniæ jura in Arboreæ regulum conferret, qui facile ad ſuas partes Sardos eſſet pellecturus. Excitatus itaque iis ſtimulis Petrus, Sardici nimirum regni ad ſedem Apoſtolicam devolvendi jacturæ metu, Franciſcum Rome juriſperitum oratorem legavit, inſtruxitque authoritate, ut regio nomine Sardiniæ & Corſicæ regna Pontificis beneficio accepta profiteretur : qui cum coram Cardinalium ſenatu injunctis ſibi partibus eſſet perfunctus Urbanus publico diplomate (*a*) rem geſtam præſenti ac ſecuturis ætatibus voluit commendatam.

*Urbanus, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Præſentium tenore teſtamur, quod conſtitutus in præſentia noſtra & fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in publico conſiſtorio, aſtante etiam aliorum fidelium multitudine copioſa, dilectus filius magiſter Franciſcus Rome legum doctor, ac conſiliarius, ambaxiator, & procurator chariſſimi in Chriſto filii Petri Regis Aragonum, ac Sardiniæ ac Corſicæ illuſtris, ad hæc ſpecialiter ordinatus [ prout conſtat publico inſtrumento inde confecto, ac præfati Petri Regis ſigillo in cera rubea pendenti munito ] recognoſcens, quod idem Rex ratione regni Sardiniæ & Corſicæ, ad Romanam eccleſiam pertinentis, quod felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter claræ memoriæ Jacobo Regi Sardiniæ & Corſicæ avo dicti Regis Petri, & heredibus ſuis ſub certis modis & conditionibus in perpetuum feudum conceſſit. Cui quidem Bonifacio prædeceſſori idem Jacobus Rex perſonaliter pro eodem regno vaſſallagium ligium, & homagium fecit, & juramentum fidelitatis præſtitit per ſeipſum, & tenebatur cuilibet Romano Pontifici infra annum poſt creationem ſuam per procuratorem ſer procuratores ad hoc legitime conſtitutos ſimiliter pro eodem regno vaſſallagium ligium, & homagium facere, & juramentum fidelitatis præſtare, &c.* Adducit Urbanus Petri Regis literas, quibus Sardiniam & Corſicam ſedi Apoſtolicæ acceptas refert : ac leges a Bonifacio VIII. Jacobo Regi dictas, inſertis illius literis (*e*), idem Aragonius admittit : denique ſubdit, ſe ad clientelarem ſponſionem præſtandam oratorem auctoritate inſtruxiſſe.

Publicis monumentis Sardiniam & Corſicam Pontifici acceptas refert.

(*e*) *Annal. to.* 14. *A. C.* 1297. *n.*2. *& ſeqq.*

Pontificiis vero literis aſcripta eſt dies XV. *kal. ſeptemb. an.* III.

Angliæ & Hiberniæ cenſus repetitus.

(a) *Eod. to.3. ep. ſecr. p.* 112.

Ne obſoleſcere etiam alia Romanæ eccleſiæ in Angliam & Hiberniam jura pateretur Urbanus, cum ab evolutis retro annis triginta ab Eduardo Rege cenſus mille marcharum ſolutus non eſſet, graviſſimis literis Eduardo Regi Romanæ eccleſiæ expertam manſuetudinem expoſuit (a), quæ cum ipſum bellis implicitum cerneret, ad eundem cenſum pendendum non compulerit: jam vero, cum ipſe divitiis afflueret regnum felici pace potiretur, admonuit officii: cum etiam ſuaderet pietas, ut laboranti eccleſiæ ſubveniret.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

Urbani ad Eduardum de ea re literæ.

*Si diſcretionem eximiam & benignam patientiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris tuæ, quas retroactis temporibus (dum implicatus propter bella, quæ gerebas, expenſarum oneribus gravabaris] erga tuam celſitudinem ſupportatione maternæ pietatis adhibuit, te in ſolutione cenſus mille marcharum ſterlingorum, in quo pro tuis regnis Angliæ ac Hiberniæ ipſi teneris eccleſiæ [quamquam ipſa foret in indigentia conſtituta multiplici] expectando, in libra regiæ conſiderationis appendas; nos & fratres noſtri ejuſdem eccleſiæ Cardinales certa reddimur opinione ſecuri, quod tu ſicut princeps prudens, juſtus & gratus, atque magnificus liberalitatem ipſius eccleſiæ prudenter agnoſcas, & debita gratitudine recognoſcas. Noſti ſiquidem, fili chariſſime, quod cenſum hujuſmodi ab anno nativitatis Dominicæ milleſimo trecenteſimo trigeſimo tertio die ſeptima menſis julii citra præfatæ eccleſiæ non ſolviſti; & quod ipſa eccleſia, ſentiens tuam magnitudinem in actibus bellicis involutam, ceſſationem ſolutionis ejuſdem cenſus cum multa patientia ſupportavit, expectans tempus, quo ipſum poſſes commode ſolvere, ut teneris. Et quia tempus tuæ tranquillitatis ac proſperitatis advenit, quo per Dei gratiam regnas feliciter, & habes abundantiam facultatum, celſitudinem tuam requirimus & rogamus attente, quatenus ea, in quibus pro dicto cenſu eccleſiæ præfatæ teneris, velis benigne ſolvere, prout ſerenitatem tuam decet, ſolutionem continuaturus hujuſmodi temporibus ſucceſſuris, quibus Auctor pacis, & largitor felicitatis optatam quietem, & proſperitatis augmentum regiæ dignetur celſitudini elargiri: ſuper quo, & nonnullis urgentibus & magnis neceſſitatibus [quibus eccleſia prædicta præſentialiter premitur] eidem ſerenitati vivæ vocis oraculo latius exponendis, dilectum filium Joannem abbatem monaſterii S. Bavonis Gaudenſis ordinis S. Benedicti Tornacenſis diœceſis Apoſtolicæ ſedis nuntium, latorem præſentium, ad tuam præſentiam deſtinamus, cui ſuper iis velis fidem credulam adhibere. Dat. Avin. id. junii anno* III.

XIV.

Petrus Rex Caſtellæ de crudelitate corripitur.

(b) *Eod. to.3. ep. ſecr. p.*64.

Nec modo a Regibus eccleſiæ jura Urbanus repetiit, verum de vitiis, quæ exemplo nefario transfundebant in ſubditos, corripuit. Commonitus (b) in primis Petrus Caſtellæ Rex, de quo antea memoravimus, ut ſævitiæ modum poneret, ne divinas in ſe iras aſperaret: ſub eo enim milites furori licentiam adeo laxabant, ut penitus non a Chriſtiana modo manſuetudine, ſed ab humanitate quoque abeſſent: *Cum relatione*, inquit, *percepерimus fide digna, quod gentes tuæ guerram contra magnificum principem Petrum Regem Aragonum illuſtrem tuo nomine proſequentes, in nobiles & plebejos dicti Regis ſubditos nimis ſæviant, poſt eorum miſerabilem captionem eos ſæpius ſuſpendentes, comburentes, cæcantes, ac eorum manus & pedes inhumaniter amputantes; clementiam regiam (quam decet erga fideles quamvis hoſtes, præſertim poſtquam capti fuerint, pro illius ſaltem reverentia, in cujus ſunt nomine baptizati, humanitatis gratiam exhibere) rogamus & obſecramus in Domino, quatenus (ſi eſt ita) ob reverentiam Regis regum, & noſtrarum cordialium precum intuitum, eaſdem gentes tuas taliter vel aliter ſævientes a tanta crudelitate compeſcas, proinde a pio & miſericordiæ domino Deo tuo in extremo judicio indubie conſecuturus miſericordiæ gratiam, & nihilominus in præſenti ſeculo ubertatem felicium ſucceſſuum recepturus. Dat. Avin.* XIII. *kal. aprilis anno* III. Crudeli peremptum morte Petrum viſuri ſumus, nec miſericordiam promeruiſſe, qui miſericordiam omnem exuerat.

Objecta divina ira.

XV.

(c) *Ib. ep. ſecr. p.*156.

Increpitus Rex Poloniæ de adulteriis.

Perſtrictus (c) vero eſt a Chriſti vicario alterius vitii, nimirum impudicitiæ, Caſimirus Rex Poloniæ; utque a ſe & Polonico populo divinas iras averteret excitatus: cui etiam, ni e libidinis cœno emergeret, uxoremque Aleidem Henrici Haſſiæ principis filiam ad ſe revocaret, eccleſiaſticas cenſuras ab Ægidio tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinale infligendas objecit.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Caſimiro Regi Poloniæ illuſtri.*

*Gravis doloris aculeus his diebus noſtra viſcera penetravit, multorum fide dignorum relatione fideli, & fama quaſi publica intellecto, quod tu, qui dudum chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Albeidim Reginam Poloniæ illuſtrem conſortem tuam contra regiæ honeſtatis debitum a tuo rejeciſti conſortio pro libito voluntatis (ſuper quo ipſa Regina contra te in Rom. curia juſtitiam ſuam proſequitur) mala malis accumulans, & inverecunde obnubilans ſerenitatis regiæ claritatem; nuper, aſſerens pro te in hujuſmodi cauſa in dicta curia*

*fore*



*fore diffinitivam ſententiam promulgatam, & certam diſpenſationem obtinuiſſe ab Apoſtolica ſede, quod cum alia contrahere poſſes in gradu prohibito (quamvis præmiſſa omnia careant veritate) cum quadam tua conſanguinea de facto matrimonium contraxiſti, eamque tanquam tuam uxorem ad amplexus nefarios admiſiſti in damnationem animæ tuæ, plurimorum ſcandalum, tuorum conſanguineorum, & devotorum triſtitiam, ac grande opprobrium regiæ dignitatis. Quare nos, qui tuos ſalutem & honorem paterna charitate zelamur, tam horrendum facinus, quod niſi celeriter emendetur, damnabiliter exempli perniciem effundet, in tuo regno & nonnullis aliis partibus Chriſtiani populi tolerare ſub patientia ſalva conſcientia nequeuntes; magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino, nihilominus tibi per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus eiſdem tuis ſaluti & honori (quos negligis) conſulens incunctanter eandem ſuperinductam ex toto dimittere, præfatamque Alheidim, præcedentibus ſecuritatibus debitis, ad tuam cohabitationem recipere, eamque tractare maritali affectione & congruis honoribus non poſtponas. Alioquin dilecto filio noſtro Ægidio tit. S. Martini in montibus presbytero Cardinali, coram quo dicta prima cauſa pendet, nos commiſiſſe cognoſcas, ut ſuper hujuſmodi tuo exceſſu contra te procedat, prout juſtitia ſuadebit. Dat. Avin.* III. *kal. octobris anno* III.

Intentatæ illi cenſuræ.

Poloni epiſcopi deſignati ad ſedem Apoſt. adeundam obſtricti.

(a) *Eod. to.3. ep. ſecr. p.* 53.

Contendente præterea Caſimiro Rege, ut deſignati epiſcopi in Polonia ad ſedem Apoſtolicam accedere non tenerentur, ſed procuratores tantum mittere obſtricti eſſent, ejus poſtulata rejecta ſunt (a). Quod cum ille Caroli Imperatoris conſiliis negatum atque ejuſdem ſtudiis & contentione Wratislavienſem eccleſiam a Gneſnenſi archiepiſcopatu divulſam ac Pragenſi ſubjectam putaret, graves in eum iras concepit: quas Urbanus mulcere literis ſtuduit, & Caſimiro ſuaſit, hæc non ad Caroli gratiam ac preces ſed juſtis de cauſis conſtituta.

XVI.

Indictæ Synodi provinciales.

(b) *An.3. ep. cur.* 319. & 320.

(c) *Ib. p.* 319.

Reſtituendæ in eccleſia catholica priſtinæ ſanctitatis ſacro deſiderio incitatus Pontifex, univerſis archiepiſcopis imperia dedit (b), ut in ſingulis provinciis concilia cogerent, in quibus de evellendis vitiis & Chriſtiani populi excolendis moribus ſaluberrimas ſanctiones ederent. Quo argumento hæ ad Rhemenſem archiepiſcopum devexo anno ſuperiore datæ literæ (c). [1]

*Urbanus, &c. venerabili fratri ... archiepiſcopo Rhemenſi.*

Diſciplina Chriſtiana reſtitui juſſa.

*Sanctorum canonum teſtatur authoritas, quod olim ſancti patres tam Romani Pontifices, quam alii eccleſiarum prælati curam ſolertem ſuper gregem Dominicum exercentes, de celebrandis conciliis (in quibus de extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus tam in clero quam populo, ac de conſervanda libertate eccleſiaſtica, de ſtatu quoque eccleſiarum & piorum locorum dirigendo ſalubriter agebatur) fuerunt plurimum ſtudioſi: ex iiſque ſtatus eccleſiaſticus in ſpiritualibus & temporalibus multum crevit. Sed, proh dolor! ſuccreſcente paululum prælatorum deſidia, omiſſaque continuatione conciliorum hujuſmodi, pullulant vitia, creſcit indevotio populi, præfata libertas imminuitur, cultus divinus negligitur, irrogantur a laicis clero gravamina, & in temporalibus bonis ad divinum deputatis obſequium ſentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur quod tantis malis in tua provincia per ſalubrem tuam & tuorum fratrum providentiam occurratur, eamdem fraternitatem apoſtolicæ ſolicitu-*

*citu-*

NOTÆ [1] JUſſi ab Urbano Pontifice epiſcopi concilia provincialia hoc anno celebrarunt, quorum unum tantummodo ad ſeræ poſteritatis memoriam devenit. Quamquam enim duo in collectione Veneto-Labbeana in ſede anni hujus collocantur, Andegavenſe ſcilicet, & Aptenſe; illud tamen nonniſi ſequenti anno die XII. Martii, cum ſcilicet ſtylo veteri annus 1365. adhuc in Gallia decurreret, haberi potuit. Acta enim ejuſdem concilii ſignantur die Jovis XII. menſis Martii anno Domini MCCCLXV. dies namque Jovis cum die illa martii nonniſi anno ſequenti 1366. congruit. Unum ergo ſupereſt hujus anni concilium Aptenſe ab archiepiſcopis trium provinciarum, Arelatenſis, Ebredunenſis, & Aptenſis una cum eorum ſuffraganeis celebratum, quod e theſauro Anecdotorum Martenis Venetus collector in editionem ſuam Labbeanam to. XV. col. 810. tranſtulit. Canones in eo ſtatuti ſunt XXIX. in quibus plura diſciplinæ eccleſiaſticæ capita continentur, tum & innovantur conſtitutiones *per reverendiſſimos patres in concilio S. Rufi hactenus ſalubriter ordinatæ*. Deſignari his conſtat concilia Avenionenſia quorum nonnulla in monaſterio S. Rufi prope Avenionem celebrata ex eorum actis diſcimus. Porro in eo monaſterio habita concilia circa hæc tempora leguntur duo, aliud quidem anno 1326. alterum vero an. 1337. Sed quamvis ad hæc ipſa pariter concilia reſpexiſſe patres Aptenſes videri poſſunt, cum indicantes numerum canonum concilii S. Rufi eumdem interdum ordinem notent, qui in Actis concilii, præſertim anni 1326. ſervatur; ſæpius tamen ab eo ordine deviant. Ita e. g. canonem ex eo concilio S. Rufi ſub numero XLIII. laudant, cujus exordium fuerit: *Quod ſtatuta ſæcularium*; qui ſane canon in concilio anni 1326. ſub numero XXXIV. collocatur; in concilio vero anni 1337. ad numerum XL. occurrit, & ita ſæpe. Ex quo intelligimus nomine concilii S. Rufi deſignari hic collectionem aliquam canonum ex pluribus Avenionenſibus conciliis collectam atque digeſtam; vel forte concilium aliud Avenionenſe duobus illis poſterius, quod præcedentium conciliorum canones collegerit & innovaverit. MANSI

*citudinis ſtudio excitamur, ac requirimus & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus concilium tuæ provinciæ (in quo de iis, quæ pro laude Dei & utilitate eccleſiarum & piorum locorum, nec non cleri & populi fuerint utilia & opportuna, provida examinatione tractetur, & provideatur) quam cito commode poteris, ſtudeas convocare; nobis de convocatione hujuſmodi, cum eam feceris, & demum de geſtis in eodem concilio reſcripturus, &c. Dat. Avin.* VII. *kal. decembris anno* III. In iis provincialibus conciliis agitatum juſſu Urbani, ut clerici, qui plura ſacerdotia gerebant, uno contenti eſſent, qua de re Toloſano & Narbonenſi archiepiſcopis data imperia (*a*). De navata ab Urbano opera, ut corrupti mores ad primævam ſanctitatem revocarentur, diſciplinaque eccleſiaſtica reſtitueretur, meminit Petrarcha ad eum ſcribens (*b*).

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 61.
(*b*) *Petrar. rer. ſenil. l.* 7. *ep.* 1.

Præſules ad eccleſias ſuas amandati.

*Obſervator ſum*, inquit, (*fateor*) *magnus illuſtrium, quorum ex actibus atque exemplis pendere rempublicam exiſtimo. Te igitur obſervabam, & qui a minimis tam laudabiliter incœpiſſes, quis eſſes in maximis expectabam. Audiebam te prælatos eccleſiarum, qui Romanam curiam frequentabant, ad ſedes proprias remiſiſſe: optime, inquam, ac magnifice. Quid ineptius enim, quæſo, propiuſque naufragio eſt, quam ſi nautæ omnes, remis atque rudentibus abjectis, relicta navis prora nudatiſque lateribus, gravi faſce puppim premant, clam rectorem opportune ambiant, ſuiſque muneribus deſertis, illius officium interpellent? Audiebam te ambitioni antiquæ, quæ priorum licentia in immenſum crevit, frænum ponere, & ut uno aut paucis pro dignitate virtutis ac ſcientiæ beneficiis contenta eſſet edicere: juſte inquam graviterque. Nam quid turpius, quam unum aliquem parta forſan fœdis artibus copia nauſeantem cernere multis hinc inde melioribus penuria fameque laborantibus? Audiebam circa habituum honeſtatem multam te curam, multumque ſtudium impendere: laudabam. Nam quis oculus pati poteſt hæc ludibria, quæ noſtra ætas infelix ſibi finxit, dum formoſa vult videri manibus ſe deformans ſuis, ac turpiſſime dehoneſtans? Quæ ſtomachum monſtra hæc conſpecta non quatiant, cornuti calcei, pennati vertices, caudata cæſaries & in tricam torta, frontes virorum muliebriter diſcriminali eburneo ſulcatæ?* Et infra. *Audiebam denique te licentiam peſtilentem ſalubri falce rigoris æquiſſimi præcidiſſe: illam dico, quæ ſceleſtos homines, graviſſimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere ſolitos legum nodis ac digno ſupplicio eximebat. Et hoc ipſum ſingulari laude dignum maximeque tuum judicabam, ab illius ſcilicet vicario, qui Sol juſtitiæ verus eſt, defenſam & in ſuum jus repoſitam eſſe juſtitiam, peſſimamque conſuetudinem, qua nihil infeſtius eſt virtuti, tuis vel abſciſſam manibus vel convulſam; nec jam amplius, ut ſolebat, apud exemplares juſtitiæ magiſtros injuſtitiæ refugium, aſylumque nequitiæ reperiri, &c.*

De luxu corrigendo.

XVII. Defixum etiam a Chriſti vicario apoſtolicum ſtudium eſt in evellendis erroribus, quibus pietas omnis extinguitur: cum enim Beguini ſive Beguardi, quos in concilio œcumenico Viennenſi damnatos a Clemente V. vidimus, in Galliis præcipue, falſarum opinionum virus ſpargerent; Urbanus Pariſienſem epiſcopum ad eos delendos authoritate inſtruxit (*c*), atque alios archiepiſcopos & epiſcopos eodem pio ardore juſſit accendere. Quo quidem argumento tum iis, tum aliis ſacræ fidei cenſoribus datæ ſunt hæ literæ (*d*).

Adverſus Beguardos diſtringi leges juſſæ.

(*c*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 145.
(*d*) *An.* 3. *lit. cur. p.* 309.

*Univerſis archiepiſcopis, epiſcopis, & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis per regnum Franciæ conſtitutis, ad quos præſentes pervenerint.*

Datæ de eo ad præſules literæ.

*Ad audientiam noſtram fide digna relatione pervenit, quod quidam filii Belial utriuſque ſexus, qui Begardi ſeu Beguini vulgariter nuncupantur, & ſub ovina pelle lupinam feritatem abſcondunt, multis erroribus deteſtabilibus involuti, in diverſis civitatibus, caſtris, villis, & locis regni Franciæ latitantes, nonnullos fideles (præſertim ſimplices) a via veritatis avertere, & ſecum in gehennam trahere moliuntur. Nos igitur cupientes, quod adverſus talium nefandorum verſutiam periculoſam nimium opportunis remediis celeriter occurratur, diſcretioni veſtræ tenore præſentium diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus receptis præſentibus, omni mora ſublata, contra Begardos eoſdem & credentes ipſorum erroribus; nec non fautores defenſores, & receptatores eorum, cum omni diligentia, appellatione poſtpoſita, veſtri officii debitum exequi ſtudeatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Sic igitur ſuper hoc vos reddatis ſolicitos & intentos, quod præter retributionem divinam, noſtram & Apoſtolicæ ſedis gratiam mereamini uberius obtinere. Ut autem de talium locis, vita, converſatione, ac erroribus ſitis plene informati, & contra eos procedere melius valeatis, quandam informationem, ſuper iis nobis traditam, venerabili fratri noſtro epiſcopo Pariſienſi ſub bulla noſtra tranſmittimus, cujus copiam ſinguli veſtrum recipiant ab eodem. Dat. Avin.* III. *non. ſeptembris anno* III. Injunctum eſt ſimiliter in aliis regnis munus, ut in pſeudomonachos, qui errores diſſeminabant, animadverterent: quæ provincia Golferio abbati S. Severini majoris Neapolitani & Bernardo electo Bojanenſi data (*e*).

(*e*) *Eod. an.* 3. *lit. cur. pag.* 229. & 230.

Clau-



XVIII. Claudamus hujus anni periodum orientalibus rebus, in quarum inſtaurandarum conſiliis defixus Pontifex, cum metueret ne ex diſſenſione, Genuenſes inter & Petrum Regem Cypri coorta, nova pericula conflarentur, operam navavit egregiam, ut eos in concordiam revocaret: hærebat quippe Genuenſium animis veterum injuriarum in Cypro acceptarum dolor, quem Petri in iis ſarciendis negligentia auxerat, parabantque bello eas ulciſci. Quæ ut averteret Venetorum dux, ſtudia ſua contulit, & Urbanum periculi fecit certiorem: qui mox Cyprium eſt adhortatus (*a*); ut læſis Genuenſibus faceret ſatis, ne belli cauſa ipſi aſcriberetur, utque pax & amor mutuus inter ipſos coaleſceret: ac B. Petrum Thomam patriarcham Conſtantinopolitanum Genuam proficiſci, atque ad redintegrandam concordiam, quam Veneti conciliare non potuerant, juſſit incumbere (*b*). Gabrielem Adurnium ducem ac ſenatum populumque Genuenſem apoſtolicis precibus urſit, (*c*) ut iras ponerent: ſarciendas ſuperiores injurias; nec tantum in ſe admitterent flagitium, ut expeditionem adverſus infideles diſturbarent: ſancirent cum Petro fœdus, antequam ab occidente diſcederet, mitterentque (*d*) pro eo paciſcendo inſtructos authoritate oratores. Contendit B. Petrus Thomas Genuam, & indigne a civibus habitus eſt adeo, ut ſaxis illius familiam appeterent, furerentque animis ad bellum Cypro inferendum. Demum ſeditione ſedata, divina clientela fultus legatus apoſtolicus efferatos Genuenſium animos qua minis qua precibus ad conſilia pacis adduxit, interque Ligures & Cyprios vetera fœdera inſtauravit. Narrat hæc pluribus Philippus e Mazeriis (*e*) in vita B. Petri Thomæ: a quo mox Pontifex certior factus, incredibili gaudio delibutus, Cyprio Regi felices ſucceſſus eſt comprecatus.

Nititur Urbanus Genuenſium litem cum Cypriis componere.

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 56.
(*b*) *Ead. pag. &* *pag.* 67.
(*c*) *Ib. p.* 51.
(*d*) *Pag.* 66.

Opera B. Petri Th. redintegrata pax.

(*e*) *Philip. e Mazer. c.* 15. *in vit. B. Petri Thom. apud Bolland. to.* 2. *die* 29. *januar.*

Cyprio gratulatur Pont.

*Urbanus &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Cypri illuſtri.*

*Per literas venerabilis fratris noſtri Petri patriarchæ Conſtantinopolitani A. S. L. nuper non abſque multa noſtri cordis exultatione percepimus, inter ſublimitatem tuam, & dilectos filios nobilem virum Gabrielem Adurnum ducem & commune civitatis Januenſis fore concordiam reformatam, magnamque multitudinem nobilium & aliarum armigerarum gentium, tecum transfretaturum contra hoſtes fidei, ad te Alamanniæ aliiſque partibus adveniſſe noviſſime, ac jugiter advenire: propter quod, ſi veritas ſuffragaretur relatis, ſpem jam deficientem reſumimus de ultramarinis negotiis feliciter proceſſuris. Et quia inſtat tempus tui & gentium prædictarum receſſus, Domino favente, felicis; hortamur te, quod ulterius illum non differas, ne gentes ipſæ nimia expectatione graventur, & (quod abſit) a transfretandi propoſito reſipiſcant, dictiſque negotiis ex dilatione proveniat detrimentum. Nos ſiquidem ſperamus in Domino, qui gratia ſua deſideria devota proſequitur, quod iter & actus tuæ celſitudinis & dictarum gentium proſperabit, noſque prout honeſte poterimus, tibi favoribus apoſtolicis aſſiſtemus. Dat. Avin.* II. *kal. maii anno* III.

Liber a belli Genuenſis metu Petrus Rex, ad tundendum Mahumeticum faſtum confirmato animo conceptoque voto, in Cyprum non appellere decrevit, ni prius in Saracenorum imperium cum exercitu irrupiſſet, ut refert Philippus e Mazeriis, a quo tanquam oculato teſte crucesignatæ hujus expeditionis accuratam deſcriptionem delibabimus: *Rex*, inquit, *de pace propter paſſagium gaviſus fideles, quos habere poterat, congregavit in expenſis propriis & ſine adjutorio alicujus principis vel communitatis Chriſtianorum. Legatus vero exercitum Regis in miniſterium crucis & dominicæ paſſionis pie confortabat, omnibus transfretandis venerabile ſignum crucis dabat, peccatores abſolvebat, & orationibus continuis & divino officio mediantibus inſtitutiones divinas transferendis pie & devote declarabat. Rex vero pietate & devotione motus, & verbis legati continue admonitus & conſolatus, de Deo confidens, publice votum emiſit; videlicet ſe nunquam in regnum ſuum intrare, niſi prius cum exercitu ſuo in terram inimicorum fidei perſonaliter intraret, etiam ſi mori deberet. Tunc detractores paſſagii, videntes Regis apparatum & legati firmum propoſitum, confuſi ſunt, & aliqualiter tacuerunt. Nova tunc ad principes Chriſtianorum volaverunt, ipſos ad bellum Dei excitando: ſed ipſi, tanquam crapulanti a vino dormientes, de paſſagio parum curantes, nullum adjutorium dederunt, nec ſolum pedem inde moverunt, veniendo ad paſſagium Regis inchoatum, & per ſummum Pontificem publice jam indictum. Rex autem, Deo operante & legato conſulente, pluribus navibus armatorum, & fere quingentorum equorum oneratis, in Rhodum ante præmiſſis, in tertio anno a receſſu regni ſui cum duabus galeis ſolis de Venetiis verſus plagam orientalem receſſit, & omnia navigia ſui exercitus ſexcenti ferme armati, & marinarii omnes, & equi prædicti in expenſis & ſtipendiis Regis erant omnes, una ſola galea accepta a dominatione Venetorum Regi a communi donata.*

Cyprius parat iter in orientem.

Conceptum ab eo votum de invadendis Saracenis.

Præmiſſæ plures copiæ navales.

Receſſu Cyprii Regis e Veneto portu audito, Pontifex ſupplices apud Deum preces fudit, ut ſuis pro religione pugnaturis triumphos conferret, ac Regem Cypri ad glorioſa perficienda conſilia inflamma-

(a) To. 3. ep. ſecr. pag. 131.

Monetur a Pont. ut ad divinam gloriam omnia referat.

mavit hiſce literis (a). *Receſſum tuum de Venetiis cum copioſa, ut ſcripſiſti, comitiva pro Chriſti ſervitio bellatorum illo, pro quo militas, favente felicem lætitia percepimus expectata: Deumque rogamus ſuppliciter, ut iter & actus tuos ac bellatorum hujuſmodi ſic dirigat & in ſalutis proſperitate diſponat, ac optatos ſucceſſus illis adjiciat, quod inde univerſalis lætetur eccleſia, & gemat infidelitas perfidorum, multiſque Chriſti fidelibus tuam ſequendi devotam magnificentiam deſiderium ingeratur. Age igitur, fili chariſſime, bellum dominicum magnanimiter, & devote, tuoſque commilitones, quos ad hoc de diverſis nationibus fidelium congregaſti, ex parte noſtra intenſius exhortare. Nos etiam, ut hujuſmodi proſperari poſſit negotium, favorem apoſtolicum in iis, quæ poterimus paternis affectibus impendemus. Datum Avin.* XIV. *kal. auguſti anno* III.

Appuliſſe primum Rhodum cruceſignatam claſſem, moxque Cypriorum & Rhodiorum exercitu auctam, narrat memoratus Philippus e Mazeriis, ac numerum copiarum naviumque recenſet, ut Turcarum duo Aſiatici principes, Cypri Regis vectigales ſe profeſſi ſint, utque B. Petrus Thomas Apoſtolicæ ſedis legatus omnes fideles ſacramentis communiverit, ac ſacra prece arma, claſſem, & mare luſtrarit. Pergit enim auctor (b).

(b) Mazer. cod. c. 16.

Rhodum applicat.

*Rex vero legato aſſociatus, vento proſperante, in ſatis brevi tempore Rhodum applicuit, & a magiſtro hoſpitalis magnifice receptus fuit. Rex vero pluribus menſibus ante principi Antiochiæ fratri ſuo regenti Cypri regnum in mandatis ſcripſerat, ut exercitus regni ſui Cypri, regno in bona cuſtodia permanente, obviam ſibi Rhodum veniret: quod & factum eſt. Nam Rege in Rhodo aliquo tempore expectante, venit exercitus Cypri, videlicet ſexaginta navigia inter galeas, huiſeria & alia navigia militum armatorum, ſagittarum, balliſtarum in bona quantitate onerata. Qui tunc patrem meum gaudentem, exercitum benedicentem, & Deum glorificantem vidiſſet, in devotionem & inimicorum fidei deſtructionem converſus fuiſſet. Illico tunc magiſter Hoſpitalis in ſervitio Dei & adjutorio Regis centum milites ordinis ſui elegit, & navigia ſua armari præcepit & fecit: & Rex & omnis exercitus in Domino lætatus & de bello confortatus, inimicos fidei invadere deſiderabant. Legatus autem ad artem ſuam divinam cum lætitia manum fortem poſuit, legem dando, prædicando, cruces noſtris peregrinis & etiam ſchiſmaticis dando, confeſſiones audiendo, peccatores abſolvendo, & reconciliando. Modo in conſilio Regis, modo inter marinarios & pauperes, modo inter barones & milites, modo ad magiſtrum Rhodi & ſuos milites in humilitate & divina admonitione laborabat. Nunc infirmos viſitando, nunc rumores pacificando, nunc inter Anglicos, Cyprienſes, Gallicos, & Theutonicos converſabatur: ſemper unitatem, charitatem, & bellum Dei hortabatur.*

Claſſis e Cypro veniens illi ſe conjungit.

Pia legati Apoſt. opera in cruceſign. exercitu.

*Quid plura? Tantam gratiam effudit Deus in patre meo legato, quod omnes in exercitu quaſi ipſum adorabant: & qui manum ſuam in die oſculari poterat, vel etiam benedictionem receperat, ſecurus de omni caſu periculi ſe reputabat. Quales proceſſiones devotas & ſolemnes, miſſas perſonaliter celebrando, quales prædicationes de cruce faciebat? Nam in prædicationibus ſuis omnes ad lachrymas provocabat, mentes omnium elevabat, & uſque ad mortem ſuſtinendam pro Chriſto omnes animabat & præparabat. Tantum laboravit, & ita ardens erat, quod vix comedebat, & parum quaſi nihil dormiebat, exaltationem crucis & fidei catholicæ deſiderando, & exercitum informando & illuminando: & breviter, laboribus & verbis ſuis ſanctis mediantibus, & ſancta ſua converſatione coram omnibus lucente, tantum fecit, quod paucis diebus ante receſſum Regis a Rhodo Rex & omnes barones & nobiles de manu legati devotiſſime & catholice ſacratiſſimum Corpus dominicum receperunt, & in exercitu non remanſit fidelis catholicus, qui ante receſſum Corpus dominicum non reciperet. Sed etiam infideles Chriſtianis ſervientes in magnam devotionem converſi ſunt, pœnitentiam agentes. Quot & quanti erant illi homines armorum, qui antea confeſſi non fuerant in decem vel viginti annis plus aut minus? Quanti etiam illi, qui devotionis cauſa ad paſſagium non venerant, ſed cauſa vanitatis & avaritiæ & beneficii Regis? Certe major pars exercitus. Veraciter Deo miſericorditer inſpirante, & legato informante, omnis vallis impleta eſt, & omnis mons humiliatus eſt. Sed quid fecit Deus in exercitu ſuo parvo? Nam, Regis potentia inter Turcos volante, Deus tantum timorem & terrorem in cordibus Turcorum incuſſit, quod majores principes Turcorum, videlicet dominus de Altologo & ille de Palatio ambaſſiatores ſuos ſolemnes in Rhodum miſerunt, Regi & caſtra ſua, homines, & victualia, & amicitiam Regi præſentaverunt per nuntios, & ſibi ſervire ſub tributo obtulerunt: quod & factum eſt. Magna eſt potentia & Dei bonitas, qui ſervum ſuum Regem ſic honoravit, & corda inimicorum ejus ad pacem convertit.*

Milites Euchariſtia communiti.

Duo Turcarum principes Cyprii vectigales facti.

*Adveniente autem termino receſſus; Rex de loco inimicorum fidei invaſuro ſecrete in conſilio ventilato, Deo auxiliante, legato benedicente, propoſuit ſoldanum Babyloniæ, ſanctam civitatem Jeruſalem & ejus hæreditatem occupantem, non ad caudam, ſed ad caput invadere, & verſus Alexandriam ſuam Dei exercitum dirigere: & valefaciens magiſtro hoſpitalis, galeam aſcendit. Legatus vero & omnis exercitus galeas & navigia aſcenderunt, & in portu Rhodi juxta galeam Regis mutuo ſe congregaverunt. Mira res a Deo, mirabilis, & narranda: magna eſt gloria Domini & mira, qui ponentes manum ad aratrum in fidei catholicæ multitudine retro non reſpicientes fortificat, augmentat, & roborat. Nam Rex Cypri a principibus & Chriſtianis occidentalibus derelictus & deſpectus, nunc a Deo fortificatus & a legato divinitus inſtructus contra opinionem quaſi omnium paſſagium proſecuturus, adeo ſe potentem invenit: nam inter galeas, huiſeria, ligna, naves, & alia navigia fere centum ſecum habuit in expenſis propriis, quatuor huiſeriis & aliis paucis navigiis *. Erant circa mille nobiles armati: baliſtarii, ſagittarii, & marinarii erant omnes ad bellum parati. Totus autem exercitus Regis fuit circa decem millia bellatorum, & circa mille & quadringenti equi. Sed ii quid erant contra ſoldanum & tantos Saracenos? Certe ſatis, quia dominus Jeſus nobiſcum erat, & cruce præcedente, viam noſtram in omnibus præparabat.*

Actum de Soldano Babyl. invadendo.

* exceptis

Copiarum numerus.

*Legatus autem, perſonis eccleſiaſticis totius exercitus aſſociatus, in galeam Regis aſcendit pro benedictione generali exercitus Dei fienda: & aſcenſo in eminentiori loco galeæ, ut ab omni exercitu videri poſſet, Rege prope ipſum ſtante, & omnibus ſtantibus & legatum reſpicientibus, omnibus ſignis & vexillis galearum & aliorum navigiorum depoſitis, legatus quamdam largam & inauditam atque pulcherrimam benedictionem a Spiritu Sancto incœpit, antiquum teſtamentum & novum in benedictione allegando: modo navigia, modo arma, modo perſonas, modo mare, modo totum exercitum benedicendo in honorem crucis, & Saracenorum deſtructionem, auxilium Dei invocando. Rex vero & omnis exercitus, legato ad omnes benedictiones capitibus inclinatis, reſpondebant & in magna devotione erant. Finita autem benedictione, ſignum regale, videlicet quemdam leonem rubeum magnum in galea Regis ſubito levaverunt, & tubis omnis exercitus inſonantibus, & vexillis infinitis levatis, una voce terribili in cælum clamaverunt, Deo regratiando, clamantes & dicentes: Vivat, vincat Petrus Jeruſalem & Cypri Rex contra Saracenos infideles. Tunc legatus Regi valefaciens, & ipſum, benedicens, reverſus eſt ad galeam ſuam me ſemper in omnibus aſſociante.*

Sacra prece luſtrata claſſis a legato.

Rhodo ſolvit.

Direxit in Turciam claſſis vela aquationem factura: moxque ubi altum mare tenuit, Cyprius Rex conſilium de invadenda Alexandria ſuis aperuit; utque divino miraculo urbs florentiſſima divitiis, murorum amplitudine, civium numero, unius horæ ſpatio, nemine Chriſtianorum cæſo, vi expugnata fuerit, quamvis Saraceni innumeras copias ad noſtros exſcenſione in litus arcendos eduxiſſent, narrat laudatus author (a): *Adhuc*, inquit, *neſciebat exercitus ubi Rex ire volebat, vel in Turquiam vel in Syriam vel in Ægyptum. Legatus vero & conſilium ſecretum Regis ejus voluntatem & propoſitum ſciebant. Rex autem, a portu Rhodi recedendo, ſapienter ſurgendo totum exercitum verſus Turquiam duxit, & in Turquia aqua dulci, quantum volebant noſtri, levata, Rex verſus altum pelagus viam fecit. Elongatis ab omni terra omnibus navigiis; voluntatem ſuam omnibus manifeſtari fecit, videlicet, quod verſus Alexandriam, Deo permittente, tendebat; & quod omnes galeas ſuas, ſigna ordinata ſervando, ſequerentur: hoc in mandatis dabat. Tunc omnes gaviſi Alexandriam clamantes vociferabant quaſi eſſet quoddam caſtrum parvum vel oppidum, ipſum captum reputabant. Sed quid fecit Deus mirabile in oculis noſtris, ne manus noſtra hæc, & ne opus humanum videretur? Eundo & Regem præcedendo in via navigia ſeparata ab invicem ut pluribus diebus non viſa ventum proſperum omnibus habentibus, & velis in altum quaſi nobis ludentibus, Deus mirabiliter in quarto die a receſſu terræ bene mane totum exercitum in portu Alexandriæ congregavit. Mira res a Deo: nam marinarii de via Ægypti conſueti, velut admirantes facti, numquam talia viderunt, & remotius valde eſſe credebant. Saraceni vero, exercitum Chriſtianorum in portu ipſorum reſpicientes, non modicum admirati & turbati fuerunt. Exeuntes autem Saraceni de civitate Alexandriæ cum multitudine infiniti populi, ut portum nobis defenderent, in campo phalangas ſuas coram nobis ordinaverunt. Erat autem dies jovis, & hora quaſi ſexta. Sed Rex, ut diſtincte & ordinate inimicos crucis invaderet, ſigna ſua daret, & modum bellandi & quæ pertinebant ad militiam ordinaret conſilio ventilato, illo die jovis requievit, & in terram non deſcendit. Videntes autem Saraceni, quod exercitus Chriſtianorum ad terram non deſcendebat, animati ad terrorem nobis reputaverunt. Sed Deus, nobiſcum exiſtens, hoc manifeſte fecit ad majorem victoriam & gloriam ſui nominis habendam.*

(a) Phil. e Mazer. cod. c. 16.

In Turcia aquatio facta.

Petita bello Alexandria.

Accincti ad prælium Saraceni.

*Stantibus nobis ſic, ſtrenuitatem patris mei legati, & martyrii ejus ardentem voluntatem tacere non poſſem: nam Saraceni, in turmis ſuis multiplicatis ſapienter & ſtrenue in litore portus ordinati vociferantes, nos ad terram deſcendere * expectantes. Legatus, adhuc cauſam neſciens noſtræ retardationis inimicos invadendi, mihi cum magno fervore deſiderii clamando, dixit: O frater mi dulciſſime cancellarie, in me-*

* expectabant

Pius ardor legati ad irruendum in eos.

moriam paſſionis Domini eamus cum galea noſtra, eamus ad terram: tantum vituperium ſuſtinere non poſſum. Invadamus Saracenos, cruce præcedente, & ſequantur crucem omnes galeæ noſtræ. Ego autem audaciam ejus & voluntatem ipſius pro Chriſto moriendi conſiderans, & non modicum admirans, ridendo ſibi reſpondi: Pater mi, adhuc non eſt hora mortis noſtræ: non eſt hora ad terram deſcendendi. Cum reverentia hoc non faciam. Ipſe vero tantum triſtabatur, quod ego ſcribere non valerem: ego enim Regi meo * patris mei habebam galeæ & ordinationibus regularibus obtemperare, cui omnes obedire habebamus. Tunc Saraceni tota die ac nocte civitatem fortificantes, & ſine numero exercitum ſuum in litore multiplicantes, de exercitu noſtro parum curare videbantur: & cum buccinis, vexillis erectis, & luminaribus infinitis in litore portus tota nocte ſuper nos vigilaverunt, civitate circumvallata ſuper muros cuſtodibus & infinitis luminaribus.

* non

Rex autem & omnis exercitus Chriſtianorum ad tractum balliſtæ fere cum dimidio juxta Saracenos in portu ſtabant, & in Domino quieſcebant, diem futurum cum gaudio expectantes, & victoriam a Deo ſperantes. Mane autem facto, & ſole in clypeis, armis, galeis Chriſtianorum in terrorem crucis inimicorum reſplendente, definitum fuit per Regem & conſilium, Deo auxiliante, hora tertiarum in terram deſcendere debere, & bellum Dei incipere. Qui tunc vidiſſet patrem meum interius & exterius nobiliter armatum ſuper eminentiorem locum galeæ noſtræ ſtantem, crucem cum ligno Domini in manibus tenentem, & exercitum a dextris & ſiniſtris benedicentem! Alta voce omnibus dicendo clamabat: O milites Dei electi, in Domino & ſancta cruce ejus confortamini, inimicos ejus non formidantes, victoriam a Deo ſperantes: bellum Dei viriliter agite, quia hodie paradiſi portæ ſunt apertæ. Tantum benedixit & clamavit, quod omnium audientium corda confortavit. Sed bello adveniente, & ſagittis pluentibus timuit ire? Certe non. Novit Deus faciem ejus non mutatam, nec aliquod ſignum timoris unquam nec in mari nec in terra vidi in eo: & tantum ardorem deſcendendi in terram habebat, quod a ſagittis infinite volantibus cooperire ſe cum clypeo, me pluries admonente, nolebat. Pulſante vero Regis buccina, gradatim & paulatim ſecundum ordinem datum galeæ & alia navigia verſus terram remigrare incœperunt; & appropinquantibus terram, Saracenis ultra quam credi poſſit viriliter portum defendentibus, navigia ſagittis cooperuerunt: tanta enim multitudo ſagittarum ſuper Chriſtianos tunc cadebat, ſicut pluvia ſuper terram. Sed contra conſuetudinem humanam Deo defendente, paucos & quaſi nullos lædebant, pſalmiſta dicente (a): Cadent a latere tuo mille, &c.

Crucem præferens luſtrat ſacra prece pugnaturos cruceſignatos.

Illius ſacra adhortatio.

Telorum nimbus jactus a barbaris in irritum.

Galeis autem terram appropinquantibus, ſcalas, ut in terram deſcenderent, in mari juxta litus vi armorum projecerunt. Sed Saraceni baliſtas noſtras non timentes in mari uſque ad pectus intrabant: clypeis eorum cooperti exitum noſtrum viriliter defendebant. Tandem, bello quaſi hora durante, & Deo benedicente legato, modici de noſtris in terram deſcenderunt, & forti bello terram acquirendo, victoriam habere incœperunt. Tunc Chriſtiani noſtri, qui citius poterant in terram deſcendebant, & Saraceni verſus civitatem fugientes terga verterunt: noſtri vero, perſequentes & ipſos occidentes, uſque ad portam civitatis ipſos perſequebantur. Saraceni vero cum difficultate portas civitatis contra nos clauſerunt: & tunc pro defenſione ſuper muros aſcenderunt. Magna eſt gloria Domini, & miſericordia & victoria ejus uſque in æternum. Certe hic unus ex noſtris perſequebatur mille, & duo fugabant decem millia. Quid plura? Dominus noſter Jeſus Chriſtus propter nomen ſuum nobis oſtendit majora & inaudita: nam Rege, armatis fidelibus circumvallato, muro civitatis appropinquante, civitate ſine ingenio & ordine aliqualiter debellata, ad portas ferreas igne modico poſito infra horam Saraceni a Deo percuſſi muros & turres reliquerunt, & animis deficientibus, civitate relicta, verſus Babylonem fugerunt. Tunc noſtri Chriſtiani cum vexillis muros libere aſcenderunt, & portis adeo combuſtis, ſine impedimento cum parvo damno & quaſi cum nullo Rex, legatus, & omnis multitudo Chriſtianorum (cruce præcedente) civitatem intraverunt: & capta eſt civitas magna Alexandriæ a Chriſtianis (Deo operante) quaſi hora nona die veneris, octobris menſe, anno ſexageſimo quinto, nimirum excurrentis ſeculi, quarta die. Quis loquetur potentias Domini (Timuerunt aures infidelium) Notas facite in populis potentias ejus, & mirabilia, quæ operatus eſt in Ægypto coram nobis, ut enarretis in progenie altera. Recedant vetera de ore veſtro, quia dominus Jeſus noſtris temporibus populum ſuum Chriſtianum exaltavit, & odientes eum in fugam convertit.

(a) Pſ. 90.

Devicti unius horæ prælio.

Incenſæ Alexandriæ portæ.

Quarta die octobris expugnata Ægypti regia.

Onuſti præda milites de receſſu cogitant.

Sed væ, væ, væ: quomodo dolorem patris mei & meum, nec non vituperium Chriſtianorum narrare incipiam, ſcribere neſcio. Arida eſt manus noſtra, quia vires mihi deficiunt. Gaudium & honor Chriſtianorum verſa ſunt in vituperium, exaltatio ſanctæ crucis in ignominiam lachrymarum & mœroris: paradiſi porta per miſericordiam Dei & myſterium ſanctæ crucis omnibus aperta, eſt per avaritiam, vanam gloriam, & modicam fidem iterum clauſa. Pro tali dolore quid clamabo, quod plorabo, & lamentabor? Percuſſit Moyſes lapides



des & fluxerunt aquæ, & Deum non ſanctificavit: & ideo terram ſanctam a Deo ſibi oſtenſam intrare non meruit. Sed heu, heu, non aquam, ſed omnia bona mundi a Deo Chriſtianis tradita, & via paradiſi patefacta, dominam Ægypti Chriſtiani poſſederant: ſed Deum non glorificaverunt, & ideo meruerunt tantum bonum perdere, & civitatem Alexandriæ viliter relinquere. Nam, civitate capta, victorioſiſſimus Rex pro cuſtodia civitatis tenuit conſilium generale: ſed adjutores & Dei ſervitores paucos aut nullos invenit. Rex vero cum lachrymis milites magnos, parvos, & mediocres, ut ſecum remanerent, pie implorabat: ſed ipſe de hoc Regi excuſantes, & crucem ſanctam reliquentes, de receſſu promptos inveniebat. Qui tunc patrem meum legatum dolentem, lachrymantem, & quaſi deſperatum in cælum clamantem, & ut remanerent milites admonentem vidiſſet, & ipſos renuentes audiſſet, certe de ſcandalo fidei doluiſſet, quomodo honorem Dei, utilitatem Chriſtianorum, & civitatem Jeruſalem jam acquiſitam in retentione Alexandriæ clare oſtendebat: & damnum & vituperium Chriſtianis inde ſecuturum ipſam relinquendo infinitis argumentis demonſtrabat. Aliqui vero de exercitu noſtro remanere cum Rege & legato prompte efferebant: ſed, diabolo inſtigante, majores ipſorum impediebant. Quid plura? Corda induarata, & iniquitate percuſſa fuerunt, & Regem dolentem & legatum præ dolore quaſi morientem reprobi vicerunt; de receſſu concludendo, de Deo deſperando, & de potentia ejus non confiſi; & victorias ejus inauditas prorſus fuerunt obliti. Damnum enim Chriſtianorum, & noſtrum vituperium ſcribere non valerem, & meam triſtitiam renovarem: ſed in quadam epiſtola authentica manu patris mei legati ſcripta, Papæ & Imperatori dirigenda, cujus tenor infra ſequitur, id clarius poteſt intueri.

Eos Cyprius Rex & legatus retinere tentant.

Relicta infeliciter Alexandria a Criſtianis.

Procella jactantur.

* valente

Rex vero in concilio ſuo victus, Deo permittente, Alexandriam relinquens, nemine inimicorum perſequente, in galeam quiete aſcendit, & noſter exercitus in navigiis ſe collegit verſus Cyprum tendentes: paradiſum relinquentes, in pelagus navigaverunt. Sed quid fecit Deus nobis? Tantam fortunam in mari miſit, quod omnia navigia noſtra diviſit, fortunam fugiendo, & quaſi periclitando. Sed qui antea timore percuſſi ſine cauſa Alexandriam reliquerunt, tantum timorem in mari habuerunt, quod reſpirare quaſi non poterant. Tantum mare timebant, remanſiſſe in Alexandria affectantes, & peccatum cognoſcentes. Pater meus mihi quotidie dicebat: Iſta fortuna eſt Dei vindicta, quia relicta eſt Alexandria: majora enim videbitis in tempore, non dubitetis. Mira res! nam fortuna intumeſcente, & nemine ſe * poſſe juvare, pater meus tactus dolore epiſtolam prædictam manu propria ſcripſit, & ad finem uſque perduxit, & mihi oſtendit: cujus tenor ſequitur in hæc verba (a).



In medio illius furore ſcripta a B. Petro epiſtola ad Pont. & Imp.

XX.

Epiſtola S. Petri ad Papam & Imperatorem de ſucceſſu expeditionis.

Licet communis dolor planctu dignoſcatur communi, verum quod plus tangit, plus communicat mœrorem & viſcera compunctionis inducit. Et * quia ego uſque in ſenectam & ſenium laboravi, & clamans raucus factus ſum, frequenter lingua percutiens (cum armis non valerem) ut Chriſto fideles milites pugiles Jeſu Chriſti arma ſumerent, ſcuto protecti fidei procederent, & Jeruſalem matrem noſtram, diu ſub Agarenorum ritibus, immo potius fæcibus detentam magna Chriſtianorum negligentia & deſidia pertinaci; cum nunc in noviſſima hora & in fine ſæculorum ac in termino temporis, illuſtriſſimo principe Petro Rege Jeruſalem & Cypri diſcurſu laborioſo & impenſis graviſſimis cum ſanctiſſimo domino Urbano Papa V. paſſagium procurante, cujus indignus legationis functus fui officio, cum multitudine copioſa veniſſemus armato Rege capitaneo præſidente cum devotionis affectu, velis inflatis, mari quieto, & vento proſpero, quem Deus de theſauris ſuis produxerat, ut non per mare ire viderentur, ſed potius & manu Dei portari ſine impedimento; diverſa navigia nocte ac die diviſa, & ab invicem non viſa una die in portu Alexandriæ incluſa nutu potius illius, qui Petrum fecit ambulare in mari, quam regimine humano. Quiete indicta a meridie uſque ad tertiam alterius ſequentis diei ante maris egreſſum, multitudine infidelium pro egreſſu reſiſtente, ut probaret Dominus vires noſtras, ſua virtute paucos de noſtris deduxit in litore, quibus terga vertunt infideles, quibus fuga fuit remedium, & incluſio intra muros. Et ex tunc ſatis cito ſecuta ſunt vaticinia Ezechielis prophetæ, ut fierent judicia in Alexandria: judicia inquam, Dei hominibus ignota, Deo cognita, ut non poſſent aggravati armis pergere, muros aſcendere, lapides proiicere, nec ſagittas baliſtis trahere, quibus * inimici ubique tam in muris quam in turribus, quam in hoſpitiis inventi ſunt ultra modum. Sed non fuit pugna noſtra, ſed Domini, qui omnibus mirabilibus hic mirabilior extitit: narrabitur in æternum.

(a) Phil. e Mazer. in vita B. Petri Th. c. 17. apud Bollan. to. 2. die 29. januar.

* quidem

Quantus ab eo conceptus dolor de re male geſta.

Ut Deus exercitum ſingulari providentia Alexandriam perduxiſſet.

* munitiis

Debellaſſet cæleſti vi infideles.

Pugnavit populus Iſraeliticus contra Amalec, qui non tuebatur muros, Moyſes fatigabatur, & moriebatur populus, cum manus deponebat: & hic laſſari non potuit nec ſacerdos nec populus; quia vix extitit unius horæ pugna, nec in bellando aliquis de noſtris extitit mortuus, cum eſſent inexpugnabiles, [pauciſque interjectis quibus deſertores ſugillat, ſubdit.] Pugnante Joſue franguntur muri, & intrat populus: ſed hic, o Deus, relinquuntur tur-

*turres ut caſtra, muri ut caſtra relinquuntur: vacua intrant promiſcua. Quis ſcripturarum diſcurſus? Nullus fuit infidelium occurſus, ferreæ comburuntur portæ, gentes traduntur in morte, quas non ſervavit Deus fugæ forte: & ſic capitur civitas, ut Pariſius habitata, ut Venetiæ grata, ut Janua rara plena divitiis, jucunda delitiis; fœcunda fructibus, irrogata fluminibus paradiſi, frequentata mercatoribus: quæ erat Ægypti Regina, baculus infidelium, & porta fidelium ſi tenuiſſent.*

Victoriæ gaudia aliquorum ignavia confuſa.

*Sed noſtrum gaudium verſum eſt in luctum: unde & conturbatus eſt venter meus: a voce contremuerunt labia mea. Patior, patior vehementer: & non eſt, qui compatiatur afflicto. Diu laboravi, laboravi in gemitu meo, ſed nunc materiam deduco gemitus, in publicum profero. Ideo verba mea dolore ſunt plena: exitus aquarum deducent oculi mei, & torrentes effluent lacrymarum: ſagittæ enim Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Sed torrentes iniquitatis alienæ conturbaverunt me. Utinam aperiantur cataractæ miſeri capitis mei, & totus in lacrymas fluam; multis enim ſolatio ſunt lacrymæ: dolor ſiquidem ſpeciem ignis gerit, quia, dum plus tegitur, plus reviviſcit.*

*Si me Dominus in amiſſione rerum temporalium aut amicorum morte, aut in afflictione proprii corporis flagellaſſet, æquanimiter ſuſtinerem: ſed plagam ſentio, quæ ad interiora mea penetrat: nec minus crucior, quam ſi quis viſcera mea a me violenter avellat. Et quid mirum? immo miror ſi non morior, quia vidi illata vulnera, ablata fœdera, prolata ſcelera.* O *illata vulnera! vulnus & livor & plaga tumens: vulnus in facie, livor infamiæ, plaga tumens cum inſanie.* O *vulnus in facie! vulnerati enim fuerunt principales conſilium facientes in unum milites, qui videbantur potiores, ſummi, fortiores ut facies in corpora, qui ante ut Petrus Chriſto Regi dicebant* (a): Si oportuerit nos mori tecum, non te dimittemus; *ſed timore percuſſi non ancillæ voce, quia non aſtitit, nec adverſariorum poſſe, quia nullus potuit nocere, reliquerunt enim eam, de Deo non confiſi, in nullo proviſi; ſed ex toto diffiſi, ac ſi Deus, qui jam introduxerat, fortis non eſſet pro cuſtodia; non attendentes, quod ſuper muros ejus poſuit cuſtodes.* O *livor infamiæ, nonne dicent gentes ubi eſt Deus eorum? Quæ ante dicebant (ut vero percepi relatu) Deus pugnat pro eis: noſter Machometus victus eſt. Deus Chriſtianorum magnus & fortis eſt deridens qui apparebat glorioſus in miltibus ſuis. Et reddebant teſtimonium qui non noverunt nec exquiſiverunt nomen tuum. Gloria noſtra verſa eſt in ignominiam: dies feſti converſi ſunt in luctum: ſabbatum in opprobrium: homines ejus in nihilum: ſecundum gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus: ſublimitas ejus converſa eſt in luctum. Et ego vidi, heu, & ut quid eſt mihi vivere, cum ſit tantus livor infamiæ, plaga tumens cum inſanie?*

(a) Matth. 26.

Barbari fatebantur Mahometem a Chriſto victum.

*O plaga eccleſiæ cum inſanie, quæ ſanari non poteſt medicamine. Heu, quis medebitur incantatori a ſerpente percuſſo? Qui debebant modo incantatores ſerpentinos homines membra ſerpentis, qui noſtros decepit parentes, obmuteſcere facere, veneno percuſſi, dicatis, in animo, non potuerunt ſtare, quibus maledixit Dominus.* O *genti peccatrici, filiis ſceleratis, ſemini procerum, populo gravi iniquitate. Dereliquerunt te, alienati ſunt retrorſum, & fit magnus planctus in eccleſia, quia vidit vulnera; nec minor quia attendit ablata fœdera. Heu dolor intolerabilis, numquam auditus ſimilis: quos Deus conjunxerat, ut caperetur civitas, diviſit iniquitas, unus recedit ab alio, & facta eſt diviſio & contentio inter principes, & receſſerunt Anglici, qui videbantur fortiores, facta conjuratione cum principe, cujus ex parentela & doloſa ſequela nomen tacere debeo: ſed doleo quia ſuper eo eſt querela. Semper carebit medela, quia narratur & vulgatur, quod ipſe fecit talia, ut ſit relicta Alexandria: ei maledicunt catholici multi (credatis) & Gallici quamplures, Theutonici & omnes Italici, clamantes: Væ homini illi, per quem ſcandalum venit: melius erat ſi natus non fuiſſet homo ille: quia cum voluiſſet caput Rex reſumere vires velut probus miles, noluerunt hi reſiſtere, ſed cum ſuis Anglicis, qui nolentes in civitate in craſtinum pernoctare devicta, ſe abſentavere, & omnino ſegregavere a Regis conſortio.* Meminit Walſingamus (b) Anglos & Aquitanos Cyprium Regem in Alexandriæ expugnatione ſtipaſſe. *Referentes*, inquit, *tam in Angliam, quam in Aquitaniam pannos aureos & boloſericos, ſplendoreſque gemmarum, exoticos in teſtimonium tantæ victoriæ illic facta.* Onuſti nimirum illi ſpoliis pretioſiſſimis, ſpreta fidei & divini Numinis cauſa, aufugere mox prædonum inſtar ut qui ad latrocinia, quam ad ſacram militiam aptiores eſſent. Pergit B. Petrus.

Angli auctores deſerendæ Alexandriæ.

Cypri Regis pro ea retinenda ſtudia.

(b) Walſin. in Eduard. III. ſub an. 1365.

*O dolor in medio cum cancellatis manibus una cum cancellario, milite vero, ſtrenuo, docto conſilio, Philippo de Mazeriis dolente pro miſeriis Chriſtianorum atque ſuſpiriis, qui ſe prompte offerebat pro cuſtodia turris, quæ erat magis dubia cum * brachiis quinquaginta cum ſociis quadraginta in expenſis propriis inſtantiſſime & cum fletu, ut ſtaremus ſine metu inducendo cum exemplis & hoc multis argumentis,*

* baliſtariis.



*quod poterat cuſtodiri locus noſter, & murus inſtabat apud Regem cuſtodiendi, dando legem. De noſtris verbis non fuit cura, ſed ſequuntur nimia dura. Nulla confidentia de Dei potentia, immo inceperunt contra fari admirati, & murmurare. Sed non fuit murmur contra me, de quo triſtor maxime, ſed contra Dominum: de quo credo eſt iratus Deus ipſe & turbatus, & ſentiet admiratus hoſpitalis militiæ qui pejus nec ſententiis neque verbis aliis hic induci potuit, quod remaneret pro cuſtodiæ ordine, niſi in Regis agmine, & concedendo negaret, & ſic fugam impetraret. Et quia ſolus ille plures habebat quam mille, turbavit non immerito plures a propoſito: & ſic totus exercitus, ejus verbis agitatus, receſſit, quaſi fugatus: ipſis enim timorem incutiens prædixit multoties, quod veniret ſoldanus ſine mora, quaſi captans horam. Et tamen, licet ſtantes verecunde ante muros, non jucunde die ſexta receſſimus, nec veniſſe quemquam percepimus; immo nec intrare muros audebant: tantum noſtros ii timebant. Sed quia ſcribitur* (a), Fugit impius nemine perſequente: *verum dixiſſe novimus, & in noſtris percepimus.*

Jactæ ab ignavis in Deum voces blaſphemæ.

Præfectus Rhodior. equitum noſtris metus inanes objecit. Nullo hoſte comparente fuga correpta.

(a) Prov. 28.

*Vidimus ſic rupta fœdera, & monſtrata ſcelera in egreſſu. Vidimus vanitatem; ſed percuſſit eos Deus: & marinarii præcedebant in hymnis in illo egreſſu tripudiantes; ſed percuſſit eos Deus, ut quaſi cæci palpantes parietem pretioſa non invenerunt, & quæ erant ſua reliquerunt alienis in egreſſu in infidelitate, quia non cognoverunt Deum; & ideo conqueritur ipſe Deus* (b): Audite cæli & auribus percipe terra, quia os Domini locutum eſt: Filios exaltavi & enutrivi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſrael autem me non cognovit, videns Deum Iſrael; *ſcilicet populus Chriſtianorum, qui viderat mirabilia in mari ſine periculo, in exitu devicto populo, in captione civitatis quaſi ſine obſtaculo:* Audite cæli, & auribus percipe terra; *id eſt præſidentes, prælati in eccleſia; & terra, id eſt principes terreni,* quanta fecit nobis Dominus; *& præcede tu, ſumme Pontifex, populum exhortando, indulgentias concedendo, theſaurum eccleſiæ exponendo, quia tibi quaſi imponitur plaga præſens, quia ſi veniſſet populus in ſufficientia, & providiſſet de aliquo eccleſia, nulla excuſatio fuiſſet de tanti loci cuſtodia. Vide, domine, opprobrium noſtrum in loco relicto, & attende Dei virtutem, quia cum paucis & quaſi cum nullis inimicorum comparatione tradidit tibi Deus civitatem muris circumdatam, turribus ornatam, ubi Ægypti divitiæ, ubi Ægypti delitiæ, ubi timor eſt inconcuſſus Agarenorum, qui nunquam eſt diſcuſſus. Inſta opportune & importune, quia non reſtat aliquid aliud, niſi ut oculos noſtros ad te levemus, ut ſubvenias, & ſubito cum gente Agarenorum confligas, quia timor debilitat eos, & Deus non adjuvat.*

(b) Iſai. 1.

Legati adhortatio ad Pontificem.

*Et tu, invictiſſime Imperator, ad quem reſpiciunt oculi totius Iſrael, ut incipias tu Rex regum & dominus dominantium, cui Deus plus Salomone ſapientiam, plus Pharaone potentiam, & [ut fama habet] ſatis pecuniam conceſſit: cui præbebunt Reges auxilium, Veneti, & Januenſes, & maritimi ſufficiens navigium: dominus Papa indulgentiarum ſuffragium, & vacabit populus affectus devotione clerus jejuniis & oratione, totus mundus in collatione. Oſtende, domine, potentiam tuam & veni, & libera nos. Libera ſanctam civitatem Jeruſalem, quæ tanto tempore fuit ancilla. Ad te clamavit, & clamor ejus uſque ad aures pervenit Domini ſabaoth: quia ſi non exaudieris & audieris, timeo [& non ego ſolus ſed multi mecum] ut iraſcatur Dominus contra te, & pereas ante tempus: inſignivit enim te Dominus tot inſigniis, dotavit te tot privilegiis ultra & ſupra prædeceſſores, ut merito & ex debito recognoſcere debeas & in illo quod eſt ſibi magis gratum, ut recuperes locum ſuum de Jeruſalem, & ibi fiat ſacrificium illibatum & veſpertinum: quod tibi concedatur per Deum unum & trinum. Amen.*

Et ad Imperatorem ad redintegrandum bellum ſacrum.

Ex his non auſcultandus videtur, qui noſtrorum ex Alexandria turpem receſſum ob exiguum copiarum numerum excuſat: ac potius audiendus Petrarcha qui in literis ad Joannem Boccatium ſcriptis (c) collectitios tranſalpinos carpit, qui Regem Cypri in medio victoriæ curſu deſeruerint: *Petrus*, inquit, *Cypri Rex Alexandriam cepit in Ægypto: magnum opus & memorabile, noſtræque religionis in immenſum amplificandæ fundamentum ingens, ſi quantum ad capiendam, tantum ad ſervandam urbem animi fuiſſet. Qui ſibi certe non defuit, ut fama eſt, niſi quod comitatus ejus ex tranſalpinis maxime gentibus collectus melioribus ſemper ad principia rerum quam ad exitus, illum in medio præclariſſimi operis deſerentes; ut qui pium Regem non pietate, ſed cupiditate ſequerentur, collectis ſpoliis abjere, piique voti impotem avari voti compotes fecere.*

XXI.

(c) Petrar. l. 8. ſenil. ep. 8. & l. 13. ep. 2. Walſing. in Eduar. III. Boſq. hiſt. Hoſp. 2. p. 2. l. 3. Dub. l. 22. & alii.

Quorum culpa dimiſſa ſit Alexand.

Detergit idem author a Cyprio Rege inconſtantiæ maculam: illiuſque ſententiam de Alexandria contra ſoldanum propugnanda in bellico conſilio victam queritur numero eorum, qui ex avaritia capta ab hoſte ſpolia eripi metuebant, quique inopes magnanimi, ſed redditi opulenti ignavi evaſerant: quorum culpa quanta fuerint amiſſa, ita deplorat in literis ad Philippum e Mazeriis Regis Cypri ſcriba-

(d) Petrarc. l. 13. ſenil. ep. 2.

barum principem datis (a) : *Jam*, inquit, *non tantum Alexandria, ſed Memphis & Antiochia & Damaſcas & Babylon Chriſtianorum eſſent : Chriſti nempe ſunt omnia, nec Deus noſter bonorum indiget noſtrorum. Nobis quærebatur, & quæſitum nobis quidquid id erat, & nobis amiſſum eſt: Chriſto enim præter cor humanum, quod unice concupiſcit, nihil dari poteſt, nihil eripi : nobis, inquam, paucorum virtute, quorum tu etiam pars fuiſti illa nobilis civitas data erat : nobis multorum ſeu ignavia ſeu perfidia erepta eſt ; nec minus pudoris attulit amiſſa, quam capta decoris attulerat. Sed ſic eunt fere res mortalium: raro ſanum conſilium contradictore caruit. Ita dum in ſuam quiſque libidinem, non in commune bonum nititur ( quotidianum in conſiliis malum ) melior pars majore, & numero veritas victa eſt. Vicit avara barbaries, vicit vilis amor prædæ, vicit interrumpendæ paululum metus voluptatis : virtus nuda & incomitata ſuccubuit. Itaque onuſti præda, ad quam ſolam venerant religione ſimulata, onerati autem obrutique dedecore abierunt, omiſſo neglectoque fidei negotio, quo neſcio an ullum glorioſius ab avorum memoria cogitatum ſit huc hactenus.* Hæc Petrarcha : ſed de ea expeditione iterum ſequenti anno, quo geſta ab Urbano, vulgata harum rerum in occidente fama proſequemur. Nunc vero addimus Pontificem Armenos apoſtolicis adhortationibus concitare conatum (a) in ſacri hujus belli ardore, ut Saracenicæ ſervitutis jugum e ſuis cervicibus depellerent, ac Livonem Perri Regis Cypri conſanguineum principem catholicum, ad quem Armeniæ ſceptrum jure hereditario pertinebat, Regem ſibi præficerent, dejecto iniquo eorum dominatu, qui regia inſignia contra fas corripuerant.

Armeni ad excutiendum Saracenorum jugum excitati.

(a) An. 3. ep. cur. pag. 239.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopis & epiſcopis, ac dilectis filiis aliis eccleſiarum & monaſteriorum prælatis, ac rectoribus & perſonis eccleſiaſticis ; nec non magnatibus, aliiſque nobilibus & populis catholicis univerſis regni Armeniæ ſalutem, &c.*

*Dum in apoſtolicæ conſiderationis memoriam revocamus, quod regnum Armeniæ fuit olim latiſſimum, affluebat divitiis, & erat potentia glorioſum, in eoque ſplendebat orthodoxæ fidei claritas, & fervebat devotio populorum ; ac ex eo terræ ſanctæ dicto regno vicinæ, in qua ſalvator noſter dominus Jeſus Chriſtus dignatus eſt ſalutem humani generis operari, liberationis a jugo Saracenicæ ſervitutis, ac magnæ defenſionis auxilium præbebatur; tangimur dolore cordis intrinſecus, & profundis anxiamur ſuſpiriis, quod regnum ipſum fere totum conſpicimus infidelium Agarenorum ſervituti ſuppoſitum & tributarium Saracenis, ac in eo diminutum eſſe cultum ejuſdem fidei, aliaqua bona ſpiritualia & temporalia nimium defeciſſe, gerimuſque in votis, ut populus dicti regni catholicus a tantarum miſeriarum incommodis cum auxilio divinæ dexteræ liberetur ; noſque ad hoc apoſtolici favoris præſidium, ſi noſtris paternis acquieſcitis conſiliis, intendimus exhibere.*

*Verum quia hujuſmodi * noſtræ liberationis, & recuperandæ proſperitatis effectus non poteſt veriſimiliter evenire, niſi vero domino veſtro, & principi catholico fideliter & unanimiter pareatis : & ad audientiam noſtram pervenit, quod dictum regnum ad dilectum filium nobilem virum Livonem de Luſignano conſanguineum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, virum catholicum, & ſacroſanctæ eccleſiæ Romanæ devotum de jure dignoſcitur pertinere ; univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus ( ſi eſt ita ) dictum Livonem reverenter recipiatis in veſtrum dominum ac Regem, eidem coronam & alia inſignia regalia dicti regni exhibentes, ſeu facientes prout in vobis fuerit, per illos, qui ea detinent, exhiberi ; ac ei parentes humiliter & devote, ut ſub ejus felici regimine ad antiqua veſtræ libertatis & proſperitatis reduci commoda valeatis, noſque veſtras fidelitatem & obedientiam intuentes, noſtra & Apoſtolicæ ſedis favores & auxilia dicto Livoni ac vobis liberalius & efficacius impendamus. Dat. Avin.* III. *non. aprilis anno* III.

* veſtræ

Livonem Luſinianum Regem agnoſcant.

Incumbebat ad tuendam fidei catholicæ dignitatem in minori Armenia piorum virorum ſocietas, quam Pontifex ad acuendum ipſorum pium ſtudium iiſdem prærogativis, quibus Prædicatores in Saracenorum imperium miſſi potiebantur, exornati ſunt (b) : quo argumento inſcriptæ extant literæ : *Gubernatori & fratribus de majori Armenia unitorum nuncupatorum.*

Prædicatorum in Armenia ſacri labores.

(b) Ib. p. 280.

XXII. Neque Armenis modo, ſed etiam Græcis ad ſinum eccleſiæ catholicæ revocandis navata opera : & Urbanus Joannem Palæologum illorum Imperatorem auxilia occidentalium flagitantem adverſus Turcas, qui ipſius imperium vaſtabant, pellicere ad fidem orthodoxam ſtuduit (c), ſumpta ex malis ingentibus, quæ invexerat ſchiſma orientali imperio, occaſione. Circumferebat enim latius victorias Amurates primus Turcarum Imperator, quem annales Turcici Gaſem Muratem Chan vocant, & Scachinis, quem Europæ præfecerat, opera hoc anno Zagoram & Iſchebolem ſibi ſubjecit (d). Cujus progreſſibus territi Servii ingentem exercitum confecerunt : ſed is proximo anno apud Adrianopolim infeliciter pro-

Græci ad conjunctionem eccleſiarum provocati.

(c) To. 3. ep. ſecr. p. 78.

Amuratis in Græciam progreſſus.

(d) Annal. Tur. n. 34.

fli-



fligatus eſt. Idem porro ſæviſſimus Chriſtianorum hoſtis Amurates ab impoſtore ſubornatus ſacerdotibus Mahumeticæ ſuperſtitionis quintam ſpoliorum partem addixit (a) : poſteaque urgente Eurenoſes Bego, cum innumera Chriſtianorum multitudo quotidie ex Europa in Aſiam captiva abduceretur, ſanxit ut ex puerorum numero quintus quiſque forma elegans Imperatori offerretur, ut ejurato Chriſti cultu, inque Mahumetica ſuperſtitione educatus, Genizarorum ordini adlegeretur, ad exercendam poſtea in Chriſtianos carnificinam : *Deinceps ille mos inolevit*, inquiunt Turcici annales (b), *ut ex omni mancipiorum numero liberalioris formæ pueri pro ſultano delecti retinerentur : quæ quidem in hunc modum exacta tenerioris ætatis mancipia deinde ad Imperatoris portam deducta Murati offerebantur : is vero pueros in Anatoliam tranſportatos inter Turcos diſtribui jubebat, ut apud eos diſciplinæ pariter ac laboribus adſueſcerent, & Turcice diſcerent. Exactis autem duobus apud illos vel tribus annis, jam ad labores condocefacti, linguæque Turcicæ periti ad portam reducebantur Genizarorum ordinibus adſcribendi.* Ejuſmodi vectigal etiam in Chriſtianos Turcicæ ditioni ſubjectos, quamvis ex fœdere jugum ſubiiſſent, poſtea propagatum eſt, diſſimulantibus tantum nefas principibus catholicis, nullamque expetentibus ultionem. Dum ita Turcæ per obtritos Græcos penetraturi eſſent ad catholicos, Urbanus cum perpenderet ſuperiora eorum conſilia, qui cenſuerant nulla Græcis præſtanda auxilia adverſus Turcas, niſi ſchiſma prius damnaſſent, funeſtos habere exitus, Palæologo quamvis nondum ad eccleſiæ ſinum reverſo, ope ſe non defuturum, eſt pollicitus. (c)

(a) Ib. n. 34.

(b) Ib. n. n. 35.

Adoleſcentes Chriſtiani, ejurata fide, Genizaris adſcripti.

(c) An. 3. ep. ſecr. p. 78.

*Magnifico viro Calojoanni Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futurum.*

*Licet tua ſerenitas ac clerus & populus Græciæ a gremio ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ, extra cujus obedientiam non habetur ſalus, damnabiliter devieris ; nihilominus tamen, quia cenſemini ejuſdem eccleſiæ filii, quamvis ſalutis propriæ prodigi in regionem longinquam per inobedientiam abeuntes, veſtrum omnium filialem reditum ad dictam matrem veſtram & cunctorum fidelium tanto deſiderabilius affectamus, quanto remotiores ab illius uberibus facti eſtis : ad hocque non ſolum vos invitamus eloquiis, ſed & factis inducimus, prout nobis ab illo, qui omnium habet potentiam, poſſibilitas miniſtratur. Cogitamus ſiquidem ſæpius, & cogitata in deliberationem & factum producere procuramus, quomodo infidelium præſertim Turcarum abominabilium, qui tuum pene totum deſtruxerunt & occupaverunt imperium, impietati & potenti tyrannidi reſiſtatur ; quomodoque inclyta civitas Conſtantinopolitana præcipue & aliæ partes Græciæ, adhuc tuo parentes imperio, ab eorundem impiorum incurſibus defendantur. Et quia ex certis impedimentis generale paſſagium occidentis Chriſtianorum non poteſt moderno tempore ( quod dolenter referimus ) proſperari, certam unionem quorumdam fidelium cum apparatibus galearum & armigerarum gentium, præſertim ad informationem & ſupplicationem dilectorum filiorum magiſtri & conventus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, ac nobilium virorum marchionis Montisferrati & ducis communis civitatis Januenſis, ad expellendos eoſdem Turcos de dicto imperio providimus faciendam : eamque de proximo, certis receptis reſponſionibus, ut inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Cypri illuſtrem dictoſque ducem & commune diſcordantes invicem concordia reformetur, firmari & ad actum duci, Auctore pacis adjuvante, ſperamus.* [ Compoſitam tum temporis fuiſſe, jam ante diximus. ] *Eapropter celſitudinem tuam hortamur in Domino, quatenus prudenter recogites, quantarum miſeriarum calamitas Græcis evenerit, poſtquam ab unitate dictæ univerſalis eccleſiæ diſceſſerunt : in quantiſque tu & ipſi ſitis ſpiritualiter & temporaliter periculis conſtituti : & tu ac iidem Græci diſponatis firmiter univerſitati fidelium aggregari, quorum orationum ſuffragia & auxiliorum remedia proculdubio ſentietis. Et ſi pro hoc, ut te optare percepimus, ad Apoſtolicam ſedem accederes [ quod utinam facto perficias, tantumque bonum & gaudium ſit ad noſtra tempora reſervatum ] lætificabis profecto eccleſiam univerſam, noſque perſonam tuam inclytam lætantiſſime videbimus, & congruis honoribus curabimus honorare, ac de conſervatione & augmento imperialis ſublimitatis & ſtatus tui imperii ſtudebimus providere. Dat. Avin.* XIV. *kal. julii anno* III.

Palæologus ad eccleſiarum conjunctionem promovendam ſollicitatus.

Retundi niſi ejurato ſchiſmate Turcarum tyrannidem non poſſe.

Inſtrui Genuenſium & Rhodiorum claſſem in barbaros.

XXIII. Obſtrinxerat (d) ſe in eo ſacro adverſus Turcas fœdere Gabriel Adurnius Genuenſium dux pro fulciendo Conſtantinopolitano imperio ad decem triremes primo anno inſtruendas, deinde ſecuturis annis ſingulis ad centum millia Yperperorum conferenda : Galatæi vero, vulgo Perenſes nuncupati, nobilis Genuenſium colonia, parem auri vim in bellicos ſumptus primo anno erogandam ſpoponderant. At marchio Montisferrati mille & trecentos equites armis egregie inſtructos ducturum pollicebatur. Hoſpitalariorum vero præfectus caſtrorum, vulgo mareſcallus appellatus, mille equites ſuſtentaturum ſe, adornaturumque quatuor triremes annis ſingulis labente quadrimeſtri promiſerat.

(d) Ib. p. 124.

Quæ comparata auxilia.

Sed

Sed a ſuſcepto glorioſiſſimo conſilio Genuenſes maximo rerum ſuarum damno reſiliere; ad quod promovendum ſollicitus Urbanus Gabrielem Adurnium ac ſenatum populumque Genuenſem graviſſimis precibus urſit, ut quæ oratorum opera eſſent polliciti, magna ſui nominis gloria implerent.





I. EXplicuit apoſtolica ſtudia Urbanus Pontifex anno Servatoris ſexageſimo ſexto ſupra milleſimum treceteſimum indictione quarta in revocandis ad eccleſiæ ſinum Græcis, quos ſuſcepta a catholicis in fidei hoſtes expeditio ſpe metuque percellebat: timebat enim ne ſchiſmatis odio ipſos catholici obruerent, cum ad id plerique, ut Petrarchæ ad Pontificem literis (a) colligitur, propenderent: hinc mulcebat ſpes, ipſos catholicorum virtute ex ſæva Turcarum tyrannide vindicatum iri. His igitur ac religione, erga quam egregie affectus viſus eſt Joannes Palæologus, adductus cœpta de redintegranda cum Romana eccleſiæ orientalis conjunctione colloquia promovit: miſſiſque oratoribus, ſignificavit paratum ſe in Pontificis obſequium procumbere. Ex quibus magna delibutus lætitia Urbanus, qui non ad Græcorum evertendum imperium, ut ſuadebant aliqui, ſed inſtaurandum potius, ac Turcarum excindendam tyrannidem aſpirabat, Palæologum ad pia conſilia perducenda urſit (b) propoſitis Apoſtoli verbis: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Ungariæ enim Regem terreſtri itinere ſubſidio iturum, ſignaque victricia converſurum in Turcas: maritimo autem itinere Cypri regem & Amedeum affinem cum lectiſſimis copiis in barbaros provolare: ſi vero pergerent Græci in impietatis cœno ſordeſcere, ſpretum iri ab eccleſia Romana tamquam ethnicos & publicanos, & infidelium ſævitiæ exponendos.

(a) Petrar. l. 7. ep. ad Urban.

De Græcis ad eccleſ. Rom. gremium traducendis actum.

(b) To. 4. ep. ſecr. p. 34.

*Magnifico viro Calojoanni Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futurum.*

Pontificiæ ad Jo. Palæol. literæ.

*Si antiquæ tuæ devotionis propoſitum fervore charitatis ignitum, de reductione videlicet populi tui ad obedientiam & unitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ (quod per imperiales nuntios & literas ſedi Apoſtolicæ reſeraſti) adimplere deſideras, & tua verba operum efficacia demonſtrare, tempus congruum, quo Latinorum potentia imperii tui finibus appropinquat, & hoſtium Chriſti ſæva tyrannis incipit conculcari, miſeratione illius, qui non vult populo tuo iraſci perpetuo, cernimus adveniſſe. In hoc quippe, ut eædem literæ innuunt, tuus æſtuabat animus, tua hoc ſupplicatio poſtulabat. A parte ſiquidem terræ chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Ungariæ illuſtrem, devotiſſimum & potentiſſimum utique principem, ad eorumdem hoſtium exterminium aſpirantem, eiſdem finibus vicinaſſe cognoſcis: & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Cypri illuſtrem cum nonnullorum nobilium Latinorum auxilio competentem in mari habere potentiam, & jam mirabiliter triumphare de hoſtibus non ignoras: & (quod tuo culmini æſtimamus fore gratiſſimum) dilectus filius nobilis vir Amedeus comes Sabaudiæ conſanguineus tuus lator præſentium, de quo merito confidere poteris, multa nobilium comitiva ſtipatus ad illas partes ſpiritu devotionis accedit, ad noſtri militaturus obſequium Redemptoris. Per quorum Regum & nobilium, ac aliorum occidentalium, qui veriſimiliter imitabuntur eoſdem, geſta magnifica & devota ſperamus in illo, cujus negotium agitur, fidem exaltari catholicam, & impiorum Saracenorum & Turcorum abominabilium, tuorum capitalium hoſtium, cervicoſam ſuperbiam edomari.*

Promiſſa terra Ungarica auxilia.

Mari Cyprium & Sabaudum ituros in Turcas.

II. *Quid ergo tu tuuſque populus expectatis, cum acceptabile tempus & dies ſalutis vobis miſericorditer indulgentur, quibus veſtrarum animarum ſalus, quæ extra unitatem unius ſanctæ apoſtolicæque eccleſiæ non habetur, proveniet, & Græcorum libertas & gloria, potentia & divitiæ, quæ poſt inobedientiæ devium miſerabiliter corruentes numquam in eo potuerunt reſurgere, illo juvante, qui eſt trinus & unus, unitatemque renatorum in ſua fide diligit & injungit, inſtaurationis ſuſcipient felix initium & ſtabile firmamentum. Revertimini itaque in ſinceritate cordium & voluntate non ficta ad gremium eccleſiæ prælibatæ, tempuſque vobis datum a Domino agnoſcatis: nos enim (ſi hoc feceritis) in chariſſimos habebimus filios, & devotionem veſtram apoſtolicis favoribus & auxiliis, prout poterimus, paterna diligentia proſequemur: ne ſi (quod abſit) in obſtinata duritia elegeritis perdurare, cogamur ſecundum Apoſtolum vos habere ut publicanos & ethnicos: & ſi a quocumque fideli vel infideli vos moleſtari contigerit, abſciſſos ab univerſalis eccleſiæ corpore non poterimus, ſicut nec debebimus, adjuvare. Super quibus, imperiali magnitudini plenius exponendis, dicto comiti fidem velis plenariam adhibere. Dat. Avin. VIII. kal. februarii anno IV.*

Urbani adhortatio ad perficiendam conjunctionem

III. Subeſſe in Græcis dolum veritus Pontifex, cum ſedi Apoſtolicæ ſæpius illuſiſſent, conſueviſſentque pietatem ſimulare, quoties e re ipſis videretur; prudentia utendum ratus, prius eoſdem Græcos ad Romanæ eccleſiæ obſequium revocandos cenſuit, quam Ludovicus Ungariæ Rex Turcico bello ſe accingeret: atque ideo ſignificavit Ludovico (c), ſe illius ſacramentum de expeditione ſuſcipienda ad gratiam Græcorum in annum proximum extrahere, & interea, ut alio arma traduceceret, perſuaſit.

Retardatus Ungarus a Turcica expeditione.

(c) Tom. 4. ep. ſecr. p. 240.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri ſalutem &c.*

*Licet, filii chariſſime, plurimum habeamus acceptum, quod negotium defenſionis Græcorum, ad finem reductionis eorum ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ unitatem, modis debitis proſequaris; decet tamen & expedit, hoc ita prudenter & mature fieri, ut non tendat ad noxam, quod agitur ad ſalutem. Sane cum, ſicut in antiquis chronicis & ſcripturis aliis reperitur, iidem Græci cum dicta eccleſia in tractatibus per eam cum eiſdem habitis doloſe ac fraudulenter inceſſerint, illudendo fallaciter eccleſiæ memoratæ; & ex hujuſmodi præteritis,*

Cauſa ex Græcis petita.

*de ſimilibus futuris ſit veriſimiliter præſumendum (præſertim quia iidem Græci non videntur ex devotionis zelo & pura voluntate, ſed coacti pro habendo tuo ſuccurſu venire velle ad hujuſmodi unitatem) cum eis eſt cum multa maturitate, & cautelæ ſtudio procedendum. Et quia de re ardua agitur, & ipſius executio eſt adeo difficilis & prolixa, quod infra modicum tempus compleri non poterit, ut optatur; ſi tua celſitudo voviſſet, ſeu juraſſet prædictis Græcis ſeu eorum Imperatori, infra certum terminum venturum de proximo præſtare ſuccurſum, nos præmiſſorum conſideratione inducti votum & juramentum hujuſmodi uſque ad annum a data præſentium computandum authoritate apoſtolica tenore præſentium ſuſpendimus ad cautelam. Placet tamen nobis, quod dicto Imperatori ac ejus filiis, reductis ad hujuſmodi unitatem eis, interim de aliqua armigera gente ſuccurras, ſi tibi expediens videatur: tuaque magnificentia, bonis operibus ſemper intenta, interim vacare poterit aliis operibus pietatis. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. x. kal. julii anno* IV.

IV. Jo. Palæolog. in Ungariam profectio.

Contulit vero ſe Palæologus Budam ad Ludovicum Regem Ungariæ, ſpopponditque ſacramento, ſe una cum filiis eccleſiæ catholicæ aggregatum iri, omnibuſque apoſtolicis imperiis pariturum, ſi Græcorum imperium adverſus Turcarum ſævitiam defendendum ſuſciperet. Quibus egregiis promiſſis pius princeps delinitus, divinæ propagandæ gloriæ ſtudio accenſus, ad retundendos Turcarum impetus, ac viciſſim Palæologus ad fidem catholicam amplectendam ſe obſtrinxere, (a) atque oratores miſere ad Urbanum, ut hæc apoſtolica authoritate confirmaret, promoveretque. De quibus certior ab iis factus Pontifex, Palæologum vehementius hortatus eſt (b), ut tam glorioſum opus, quo conſtabiliret imperium & immortalitatem conſequeretur, amplius non extraheret; ac fidei orthodoxæ formulam, quam eſſet profeſſurus, ipſi miſit.

(a) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 114. & 124.
(b) *Ead. pag.* 114.

*Magnifico viro Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

*Radicatum in corde tuo piiſſimæ intentionis propoſitum de reductione tua tuorumque populorum Græcorum ad ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ unitatem, argumentis probabilibus evidentius agnoſcentes, lætamur nimium in Domino: & proinde ſibi gratiarum actiones referimus, qui animo tuo ſic abunde gratiam ſuæ benedictionis infudit,*

Gratulatur illi de hoc Urbanus.

*ut fervore deſiderii tui laudabilis ſemper cum tempore ſuſcipiat incrementum, dum vias & modos adinvenire conaris accommodos, quibus impletionem ejuſdem deſiderii conſequaris: hoc enim tua ingens devotio divinæ claritatis lumine illuſtrata ſolicitare cœpit apud Apoſtolicam ſedem plurium annorum curriculis jam elapſis, & ut præſidium ad hoc efficaciſſimi mediatoris haberet, proprii limites exceſſit imperii, Chriſtianiſſimum & Deo amantiſſimum principem, chariſſimum videlicet in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Ungariæ illuſtrem in ejus regno perſonaliter adeundo. Quis ergo non ſperet exitus felices ſuccedere, dum talia conſpexerit primordia præceſſiſſe? Quis credulas aures non præbeat, quis manus ad operam non extendit, ubi tanti negotii, divinæ pietatis miſeratione diſpoſiti, fictionem deceptoriam non formidat? Tanto enim nos per hoc ad Latinorum & Græcorum unionem feliciſſimam delectabilius animamur, quanto id noſtris implendum temporibus ſpecialius a Deo recognoſcimus reſervatum.*

V.

*Sane tam tu per nobilem virum Georgium Magnicarthes militem Conſtantinopolitanum cancellarium tuum, quam præfatus Rex, glorioſus ſacratiſſimæ fidei propagator, Regis regum beneplacitis ſe coaptans, per venerabilem fratrem noſtrum Stephanum epiſcopum Nitrienſem ambaſſiatorem ſuum nobis ſignificare curaſtis, quomodo tu eundem Regem in ſua civitate Budenſi fraternis affectibus perſonaliter viſitaſti, & de reconciliatione tua tuique populi cum præfata Romana eccleſia, matre omnium fidelium & magiſtra,*

Quæ Ungaro Græcus Imp. ſit pollicitus.

*a cujus ſinu dicti populi pacis æmulo & invido charitatis longiſſimis deviarunt temporibus, mutuis ſtudiis & affectibus tractaviſtis: ac tu eidem Regi promiſiſti ſolemniter, & juramento firmaſti, quod tu & nobiles viri Manuel & Michael nati tui acceptaretis, faceretis, & adimpleretis ad honorem dictæ Romanæ eccleſiæ ac augmentum catholicæ fidei omnia, quæ ſuper reconciliatione præfata tibi & eiſdem tuis filiis mandaremus. De quo tam nos quam fratres noſtri ejuſdem eccleſiæ Cardinales ac Romana curia multo fuimus gaudio recreati, & ei, qui ubi vult ſpirat & dat ſpirituales fieri homines, devotas gratiarum agimus actiones.*

*Eja ergo, fili, & illi gratias reddas humiliter, qui vota tua piiſſima gratioſe præveniendo aſpirat, & proſequitur adju-*

*van-*



*vando, iſta humiliter precibus & opere ſatagas, ut currens in ſtadio bravium apprehendas, & indutus talari perſeverantiæ tunica perſeverantium præmium nanciſcaris, ac tui nominis glorieris effectu, ſi Domini gratia in te tantum exuberet, quod velut alter præcurſor perfectam plebem parare Altiſſimo comproberis.*

Adhortatio ad redintegrandum eccleſiarum fœdus.

*O quanta Chriſtianorum felicitas, quam nec lingua narrare ſufficit, nec capere intellectus, ſi tuis devotis & continuatis operibus ſciſſus templi Dei paries uniatur; ſi per te quaſi alterum lapidem angularem fiant utraque unum, Latinorum videlicet & Græcorum populi reuniti, & oves errantes reducantur ad caulam dominicam, quæ [proh dolor!] luporum ſpiritualium & temporalium morſibus fuerunt hactenus nimium laceratæ, ſub uniuſque paſtoris cuſtodia in uno ovili, extra quod non eſt ſalus, ſe gaudeant ſalubriter gubernari! O quantus timor & tremor veniet ſupra corda ſæviſſima ferocium ethnicorum, quando poſt reconciliationem prædictam dicto Rege aliiſque fidelibus in tuum adjutorium aſſurgentibus, videbunt reſurgere conculcatam jam per eos Græcorum potentiam, & extinctam pene gloriam celebrius renovari? Profecto ſperandum eſt, quod iidem hoſtes ante tuam & dicti Regis, athletæ Chriſti fortiſſimi, facies non ſubſiſtant; ſed aut, inſpirante Deo, convertentur ad fidem, aut juſto Dei ſubvertentur judicio, ut cedant locum cultoribus Trinitatis. O quantum denique præmium animæ tuæ comparabis in cælis, ſi de talento tibi credito tantam tamque gratam reddes Altiſſimo rationem, ut in extremo judicio reperiaris lucrifactor tuæ & aliarum innumerabilium animarum!*

Quanta ex ea conjunctione bona oboritura.

*ſicque duplici immo omnimoda felicitate læteris, ut in terris glorioſe imperes, regnaturus demum cum beatiſſimis ſpiritibus in excelſis. Hæc tibi nota pleniſſime ideo apoſtolicæ charitatis diligentia tuo intellectui ſub compendio repræſentat, ut certius noſcas, tanto gratiorem nobis eſſe reconciliationem hujuſmodi, quanto plura bona ſpiritualia & temporalia ex ea conjectaris veriſimilibus proſpicimus eventura, & ut imperialis ſerenitas ad conſummationem tam ſancti negotii eo animetur ardentius, quod ad ipſam per Chriſti vicarium ſe noverit clementius exhortatam; & ut tu tuuſque populus eo reverentius ſuſcipiatis inſtructiones, monita, & mandata ſalubria, quo utiliora in conſpectu omnium luculentius apparebunt.*

VI.

*Ecce igitur quod corde firmiter credimus, & quod ore ſimpliciter confitemur, quodque per ſanctam ſedem Apoſtolicam alias fuit tuis prædeceſſoribus intimatum, tibi plene proponimus & exponimus: nec in velamentis ænigmatum dogmata noſtra tegimus, ſed omnino verbis explicitis & apertis notam eſſe volumus univerſis profeſſionem fidei, quam tenemus, quamque a te, clero, & populo tui imperii exigimus; ut eandem tu & ipſi profiteamini, ſi ad noſtram, ut deſideramus, redire volueritis unitatem: ea inſuper quæ circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum a te ac ipſis clero ac populo recipi & acceptari volumus, plenius & apertius explicantes. Et quidem credimus ſanctam Trinitatem, &c.* (Eadem eſt fidei formula, quam in ſuperiori tomo Benedicto XII. (a) ſuis conceptam verbis Alanorum principibus, atque antea a Joanne (b) XXII. Oſſinio Armeniæ Regi, & a Clemente (c) IV. Michaeli Palæologo Græcorum Imperatori propoſitam repetivimus uſque ad hæc verba, *ſemper ſalva*, quibus ſubjungit Urbanus.) *Quare tuæ devotionis ardorem, & ſolicitudinis ſtudium in præmiſſis adhibitum dignis laudum præconiis in Domino commendantes, te paterna charitate rogamus, hortamur, & obſecramus in Domino, quatenus quod ardenter exoptas & avide poſtulas, cum effectu recipias, receptum in æternum cuſtodias, & cuſtoditum populis tuis ſtudeas pure, ſincere, ac ſimplciter acceptandum, & perpetuis temporibus obſervandum. Ceterum quia omnia in præmiſſis tam arduis non poſſunt ſufficienter literis explicari, aliquos viros diſcretos ad dictum Regem tranſmittimus, qui Regem ipſum ſuper prædictis & aliis, quæ idem Rex tecum quam cum clero & populo Græcorum habebit agere, plenarie informabunt. Dat. Avin. kal. julii an.* IV.

Propoſita fidei orthodoxæ formula.

(a) *A. C.* 1338. *n.* 78.
(b) *To.* 15. *ann.* 1318. *n.* 10.
(c) *To.* 14. *ann.* 1265. *n.* 73.

Miſſi in Ungariam internuntii.

De miſſa hac fidei formula ad Palæologum certiorem fecit Pontifex Ungarum Regem, rogavitque (d) ut regia ſtudia, quo Græci eam profiterentur conferret. His autem Urbanus addidit, (e) ſacramenti formam, ſuis conceptam verbis, ex qua Palæologus & alii Græci ſchiſma damnaturi eſſent.

(d) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 118.
(e) *Ib. p.* 117.

*Urbanus, &c. magnifico viro Joanni Palæologo, &c.*

VII.

*Circa proſecutionem ſalubris negotii reconciliationis tuæ tuorumque natorum, nec non cleri & populi Græcorum, cum ſacroſancta Romana & univerſali eccleſia cum divinæ propitiationis gratia faciendæ, paterna ſolicitudine intendentes, profeſſionem ſacræ fidei, quam tenet & docet eadem eccleſia, quamque a te aliiſque Græcis exigimus, hodie per alias noſtras literas duximus deſtinandam. Et quia ad ſoliditatem & firmitatem ejuſdem negotii expedit quod tu aliique Græci poſt profeſſionem eamdem præſtetis debitum juramentum, & abjuretis omne ſchiſma; formas hujuſmodi juramenti & abjurationis, olim per claræ memoriæ Michaelem Palæologum Imperatorem Græcorum prædeceſſorem tuum in ſimili reconciliatione præſtiti ac factæ, & per te ac eoſdem natos, necnon clerum & populum ſupradictos præſtandi & faciendæ*

*ad tuam ac eorum natorum, nec non cleri ac populi certitudinem fecimus præſentibus annotari. Forma ſiquidem dicti juramenti talis eſt.*

Formula nuncupandi ſacramenti.

*Ego Joannes Palæologus Imperator Græcorum ſupra ſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco: eam accepto, & corde ac ore profiteor, ipſamque prout veraciter tenet & fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, quoquo modo deviaturum, vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor & recognoſco, accepto ac ſponte ſuſcipio: & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Romanæ eccleſiæ primatum & ipſorum recognitionem, acceptionem, ſuſceptionem, obſervantiam, & perſeverantiam ſervaturum, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Quod ſi aliquid contra hæc ſentire, confiteri, aut alias agere præſumpſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeveritati ſacrorum canonum ſubjacere. Huic autem ſcripto de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, promiſſione, ac juramenti præſtatione ſponte mea facto, lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi, & ſigillum meum apponi feci. Porro a prælatis erunt prædicta & alia exigenda, videlicet manualem obedientiam & reverentiam exhibeant, & ſe ab illa nullo unquam tempore receſſuros, præſtito juramento, promittant: & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prædicare, vel occulte ſuadere præſumant. Forma vero abjurationis ſchiſmatis talis eſt.*

VIII.
Et ſchiſmatis ejurandi.

*Ego Joannes, &c. Omne ſchiſma prorſus abjuro, & ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco: eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, vel quoquo modo deviaturum vel diſcrepaturum promitto. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem ſuſceptionem, obſervantiam ac perſeverantiam ſervaturum, præſtito in animam meam corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Dat. Avin. kal. julii anno IV.*

IX.

Ad promovendam cœptam orientalis eccleſiæ conjunctionem Chriſti vicarius, cum Georgium Magnicharrem imperialis ſcrinii præfectum ad Palæologum dimiſſurus eſſet, Guillelmum Noleti cauſarum ſacri palatii auditorem ac Rodulphum Auguſtinianum Apoſtolicæ ſedis internuntios adjunxit, (a) qui omnia Palæologo gerenda ordine referrent. In pontificia porro liberi commeatus ſyngrapha, qua præſulibus catholicis ſunt commendati, indicatur non modo ipſos in Græciam, verum in Germaniam, Boemiam, Ungariam, Bulgariam, Raſciam, aliaſque provincias pro arduis conſiliis ad fidei amplificationem ſpectantibus miſſos (b). Ex quibus colligitur ad conflanda ingentia auxilia pro Turcarum tyrannide delenda juſſos incumbere: extantque ad Carolum Romanorum Imperatorem datæ literæ (c), quibus eum rogat Pontifex, ut profecturis Conſtantinopolim internuntiis fidem adderet, ac ſtudia ſua in propaganda religione traducendiſque ad eccleſiæ obſequium Græcis collocaret. Quo etiam argumento aliæ ad Regem Ungariæ ſcriptæ ſunt (d). Impulerat virum ad Græcorum tutelam arripiendam, ipſoſque e Turcarum ſervitute vindicandos Regina Eliſabetha, cui amplificandæ religionis ſtudio ſuccenſæ Pontifex gratias egit (e), vitæque anteactæ noxas, ut eo ſacro præmio pios ejus labores afficeret, condonavit.

(a) *Eod. to. 4. ep. ſecr. p.* 133.

In quibus regnis cogendus fuerit exercitus.

(b) *Pag.* 252. 253. 254. 255.

(c) *Super. pag.* 133.

(d) *Ead. pag.*

Eliſabetha Regina Ungariæ pios viro ſtimulos addidit.

(e) *Pag.* 120.

X.

Incendit etiam Urbanus Apoſtolicis adhortationibus plures principes (f), interque alios Contum palatinum comitem, Nicolaum Strigonienſem, Thomam Colocenſem archiepiſcopos, ut pium ardorem in revocandis ad fidem orthodoxam Græcis, belloque Turcis inferendo explicare pergerent. Encyclicis etiam literis fideles ad ſequenda Regis Ungaricæ ſigna, propoſitis indulgentiarum præmiis, inflammavit (g): ac ditionis Ungariæ præſules omnes, ut e ſacro ſuggeſtu de induenda cruce pro eripiendis e Turcarum tyrannide Græcis verba facerent, ac beneficia apoſtolica, quibus daturi ſacræ militiæ nomen eſſent potituri, percenſerent. De quibus etiam meminit in literis, quibus poſtulatam de Græcis in Turcas defendendis facultatem Ludovico Regi concedit, ſacrique ipſum exercitus cruce inſigniti imperatorem adverſus Amuratem creavit.

(f) *Ead. pag.*

Fideles ad glomerandas in Turcas copias ſollicitati.

(g) *Ib. p.* 121.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

*In publicam notionem omnium pene Chriſtifidelium, præſertim orientalium, noſcitur deveniſſe, quod impiorum Turcorum ſæ-*



De Turcarum graſſationibus.

*ſæviſſimorum hoſtium Chriſtiani nominis rabies, ipſos fideles in eadem unitate dictæ eccleſiæ perſiſtentes impugnantium, retroactis temporibus ſic exercuit, ſic feritatem ſui furoris armavit, quod eorum viribus, quas fortiores fecit ſua crudelitas, conglobatis, nonnulla inſulas, civitates, caſtra, villas, caſalia, & loca eorumdem fidelium præſumptuoſis conatibus occuparunt, & nonnulla ex eis detinent occupata: alia vero cremarunt incendio, ſeu alias crudeliter deſtruxerunt, eorum incolis utriuſque ſexus profeſſoribus ſacratiſſimæ fidei aliis inhumaniter ferro peremptis, aliis profugatis, & aliis in miſeriam infeliciſſimæ captivitatis abductis, & adſcriptis tam abominabilis nationis perpetuæ ſervituti: depopulatiſque nonnullis inſulis, aliiſque terris de partibus ultramarinis, in quibus iidem fideles degebant, ſic eorum ſemper aſcendit ſuperbia, ſic auſus deteſtabiles, non invenientes validum obicem, augmentantur aſſidue, quod a certis citra temporibus regnum Cypri, quod colitur a fidelibus prælibatis, ingredi & prædari tentarunt, nonnullos utriuſque ſexus exinde Chriſticolas aſportantes, & quaſi licenter & intrepide curſitantes per maria, nonnullis remotorum ab eis fidelium finibus appropinquant, ſuam extollentes damnandam audaciam, & cultorum Chriſti nomen & gloriam deprimentes in graviſſimam noſtri Redemptoris injuriam, ac inæſtimabile damnum, & niſi talibus obſiſtatur conatibus; in magnum periculum populi Chriſtiani.*

Paranda in eos ab Ungaro expeditione.

*Quæ omnia tu acceptiſſimus Deo princeps, quem Deus igne devotionis accendit, illuſtravit victoriis & potentia roboravit, pie conſiderans, ac in tanta miſeria & periculo conſtitutis charitativa tua humanitate compatiens, ſpiritu conſilii & fortitudinis inductus, & etiam confortatus (ſicut per venerabilem fratrem noſtrum Stephanum epiſcopum Nitrienſem ambaxiatorem tuum propter hæc ſpecialiter ad ſedem Apoſtolicam deſtinatum, nobis ſignificare curaſti) ad ulciſcendum tot & tantas dicti Redemptoris injurias, ac ſubveniendum eiſdem fidelibus, qui perſecutiones & impugnationes dictorum Turcorum jugiter perferunt, & eorum præſumptuoſa molimina reprimendum, & exterminandum eos, ſi cum Dei auxilio poteris, diſpoſuiſti cum beneplacito & licentia dictæ ſedis pro illo, qui pro te dignatus eſt mori, te tradere periculis & labori, ac largitam tibi a Deo potentiam in obſequium exponere Largitoris, cum grandi multitudine tuorum ſubditorum, & nonnullorum aliorum fidelium contra Turcos eoſdem magnifice proceſſurus: nobiſque humiliter ſupplicaſti, ut tibi aſſumendi cum forti brachio hujuſmodi negotium, & illud, prout devotioni tuæ miniſtrabit Altiſſimus, proſequendi licentiam, ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui tecum vel ducibus ſeu capitaneis a te contra præfatos Turcos, qui eoſdem fideles in eadem unitate dictæ eccleſiæ perſiſtentes (ut præfertur) impugnant, mittendis devote acceſſerunt, ut in hujuſmodi bello dominico, eo promptiores reddantur, quo majori gratia ſe proſpexerint præmiandos, illam plenam indulgentiam, quæ per dictam ſedem dari ſolet transfretantibus in terræ ſanctæ ſubſidium, concedere dignaremur. Nos igitur lætati ab intimis de tua devotione & magnanimitate tam grandi, ac hujuſmodi tuum ſanctum propoſitum apoſtolicis coadjuvare favoribus intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati, de fratrum noſtrorum conſilio dictam licentiam authoritate apoſtolica tenore præſentium elargimur: indulgentiam vero præfatam conceſſimus, prout in aliis noſtris literis inde confectis plenius continetur. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. kal. julii anno IV.*

Veniæ ſpes pia arma correpturis oſtenſa.

XI.

De Regis Ungariæ progreſſibus.

Non penetravit in Græciam Ludovicus Rex, ut ſumpta erant conſilia, cum Urbanus prius Græcos in Romanæ eccleſiæ obſequium adducendos cenſeret. Florebat vero maxima virium potentia, recentibus victoriis adjuncta ditioni ſuæ Bulgaria, ac Stratimiro Rege in vinculo abducto; unde maximus Græcis finitimis incuſſus terror, ne ipſos ſolita felicitate protereret: atque ideo Palæologus ſtudia omnia ad illum ſibi devinciendum contulit. De Bulgaria parta bello a Ludovico nonnihil Urbanus indicat in literis ad Palæologum, dum eumdem Regem ad confinia ipſius imperii acceſſiſſe ait (a). Tantæ vero in Bulgaros expeditionis ſucceſſus perſtringit Bonfinius his verbis (b): *In Bulgariam ditioni Pannonicæ ſubjectam reluctante Stratimiro eorum principe, exercitum Rex eduxit, ubi bellum e ſententia geſtum eſt: ſiquidem Bodonium eorum urbem primo impetu obſeſſam perbrevi obſidione occupavit: Stratimirum cepit, qui ſe vulgo Imperatorem appellari juſſerat, deinde vix trium menſium ſpatio univerſam Bulgariam in ſuam poteſtatem redegit. Stratimirus in Ungariam ductus ad Gemelechium Zagabrienſis epiſcopi caſtellum aliquandiu adhibitis cuſtodibus relegatus eſt. Deinde, cum in manus Ludovici juraſſet, ſe perpetuam fidem & obſequium Regi Pannoniæ præſtiturum, magnifice donatus, reddito regno, dimiſſus eſt: qui, recepta Bulgaria, quoad vixit, pactas conditiones imperataque ſervavit.* Maximam in expugnata Bulgaria gloriæ partem ſibi Chriſtus aſcivit. Affluebat ingens in eo regno Patarenorum & Manichæorum colluvies apud quos baptiſmi ſacer uſus, quo ritu a Chriſto eſt inſtitutus, obſoleverat: cumque Ludovicus religioſos viros pietate ac zelo conſpicuos in eam ampliſſimam meſſem immiſiſſet, ducenta homi-

(a) *Ib. p.* 34.

(b) *Bonfi. decad.* 2. *l.* 10.

Bulgaria ab eo domita.

Patareni & Manichæi ad fidem converſi.

minum millia bimeſtri nondum exacto baptiſmalibus ſacris fuerunt initiata, ac multitudini populorum ad fidem orthodoxam confluentium defuerunt ſacerdotes. Cujus ſucceſſus magnitudine perculſus Minoritarum Ungarorum præpoſitus eum, qui univerſo ordini præerat, literis (a) ſolicitavit, ut ſociorum ſupplementa ſubmitteret.

(a) *Ext. apud Wad. in annal. Minor. hoc an. n.16. Plat. de bon. relig. ſtat. l. 2. c.30.*

Ad ducenta millia baptiſmo luſtrati.

*Ad petitionem*, inquit, *Chriſtianiſſimi ac devotiſſimi Regis Ungariæ vicarius meus Boſnæ ad illam patriam*, nimirum Bulgariam, *regno ac vicariæ contiguam octo fratres noſtri ordinis ſibi ſubditos deſtinavit, qui infra quinquaginta dies ultra ducenta millia hominum baptizarunt: & ne forte de numero ſcrupulus oriatur, juſſu Regis omnes baptizati in ſcripturam publicam ſunt redacti. Illius tamen regionis ut ſcribitur necdum partem tertiam converterunt: ſperant tamen firmiſſime aperiri eis oſtium fidei, domino Jeſu Chriſto quidquid reſiduum fuerit in caulam dominicam congregante. Currunt cum ſuis gentibus principes infideles, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus turmatim confluunt ad baptiſma. Hæretici ſimiliter & ſchiſmatici ad veritatem fidei orthodoxæ ac unitatem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ revertuntur. Ipſorum etiam ſacerdotes atque calogeri ſub jugo fidei efficiuntur humiles. Qui in ſua hæreſi nimis antea fuerant pertinaces ædificare voluerunt loca noſtræ religionis quamplurima, ut fructus virtutis, unitatis, & fidei perſeveret. Igitur lætentur cœli & exultet terra, & omnis lingua Dominum glorificet*. Et infra: *Mihi intimatum cum fletibus, quod ſi numerus fratrum non augeatur, immenſus fidei fructus negligitur atque dimittitur, & perduntur animæ, pro quibus Salvator pretioſum ſanguinem ſuum fudit: perditur tota illa Bulgaria populoſa, quam Rex ille invictiſſimus Ungarorum dudum potenter obtinuit, & præcipue civitas illa Bindin famoſa noſtris & magna, & ubi fratres in copioſiore numero deſtinantur. Patareni & Manichæi ſunt amplius ſolito diſpoſiti baptizari, & ad Chriſtum verum lumen converti, ſi non deficerent, qui viam hujus luminis demonſtrarent, &c.* De inſigni adeo tot animarum converſione, expugnationeque Bulgariæ conſentanea tradit S. Antoninus (b). At eos ſucceſſus adverſi poſtea confudere, illatamque hoc anno quinquaginta Serviorum millibus, qui ad recuperandam Adrianopolim caſtra erant metati, nocturna eruptione miſerandam cladem, memorant annales Turcici. (c)

(b) *Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 20.*
(c) *Annal. Tur. n. 37. ſub anno 1366.*

XII. Inter hæc parabat Amedæus Sabaudiæ comes in Palæologi Imperatoris auxilium trajicere exercitum adverſus Turcas, alioſque fidei Chriſtianæ hoſtes: ad cujus gratiam Urbanus Marco Cornelio, qui Laurentio Celſo in reipublicæ Venetæ adminiſtratione ſucceſſerat, ac Gabrieli Adurnio Genuenſium duci ſcripſit (d), ut claſſem pro Sabaudi copiis traducendis inſtruerent. Confeciſſe autem illum ſtrenue expeditionem, & Gallipolim Turcis eripuiſſe, eamque Græcorum Imperatori conſanguineo tradidiſſe, refert Urbani vitæ ſcriptor (e) diceturque inferius (f). Solicitabantur porro Veneti ac Ligures ab Ægyptio ſoldano, ut initum fœdus cum Petro Cypri Rege diſſolverent; verituſque Pontifex, ne munerum magnitudine auriſque fulgore a barbaro perſtringi ſe ſinerent, graviſſimis literis utroſque monuit (g), ne fidei cauſam deſererent, eo præcipue tempore, quo reviviſcere Chriſtiani nominis gloria in Aſia & Africa cœperat, atque ex felicibus initiis ingentium ſucceſſuum ſpes affulgeret: & quicquam eos cum barbaris inconſulta ſede Apoſtolica ſtatuere vetuit.

Inſtructa a Sabaudo claſſis in Turcas.

(d) *To. 4. ep. ſecr. p. 56. 68.*
(e) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*
(f) *An. ſeq. n. 8.*
(g) *To. 3. ep. ſecr. p. 35.*

*Urbanus &c. dilecto filio nobili viro Marco Cornario duci Venetiarum.*

*Ad apoſtolatus noſtri pervenit auditum quod ille abominabilis hoſtis Dei & ſuæ ſacratiſſimæ fidei ſoldanus Babyloniæ ex primo inſultu chariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, tuarumque ac aliarum gentium Chriſtiani populi territus, & de ſuo ac imperii Saracenici vulgi caſu, vel ſaltem debilitatione Dei judicio pertimeſcens, conatur ſua fallaci verſutia Chriſti ſervos eſca mundani lucri decipere, quorum potentiæ divina gratia communitæ viribus reſiſtere non confidit; nuper quendam ſuum ambaxiatorem, immo verius ſeductorem, ad tuam præſentiam deſtinavit ad tractandum aliqua, quæ præſumuntur eſſe in ſuum & Saracenorum favorem, & impedimentum dicti Regis & aliorum fidelium, qui transfretaverunt cum eo, & transfretaturi ſunt in poſterum, Domino concedente; & per conſequens in detrimentum fidei ſupradictæ. Licet igitur de tuæ nobilitatis & populi tui, qui hoſtes crucis fervido zelo conſuevit horrere, ac perſequi fideli conſtantia & devota prudentia, nullatenus hæſitemus, quod cum eodem ſoldano (ad cujus exterminium de finibus terræ ſanctæ, quam in injuriam noſtri Salvatoris, qui eam ſibi in hereditatem elegit, in opprobrium totius Chriſtiani populi ancillariam ſibi tenet, ex bono principio & mirabili dicti Regis victoria ſperamus catholicorum principum, ac tuum & aliorum orthodoxorum animos excitari ferventius, & potentiam adhiberi] abſque conſultatione ac licentia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, præſertim pendente incohato negotio paſſagii, nil tractabis; nihilominus tamen ad cautelam ad obſtruendum ora inique forſan loquentium, & potius quæ ſua ſunt quærentium quam quæ Chriſti, te paterne hortamur, tibique diſtrictius inhibemus ne cum dicto ſoldano vel ejus nunciis quibuſcunque tractatum incipias, vel proſequaris inceptum aut [quod abſit] obſerves, abſque dictæ ſedis licentia ſpeciali. Dat. Avin. VIII. kal. februarii anno IV.*

Babylonii ſoldani terror.

Excitatus Venetus, ut illius munera reſpuat.



Impoſita eſt provincia (a) Nicolao epiſcopi Caſtellani vicario, ut Marcum Cornelium; & Guidoni archiepiſcopo Genuenſi, ut Gabrielem Adurnium in ſacro fœdere confirmarent, atque apoſtolica imperia ipſis denuntiarent.

(a) Ead. *pag.*

XIII. Quæ fuerit admiranda illa victoria parta de fidei hoſtibus a Petro Cypri Rege, ex dictis ſuperiori anno de Alexandria urbe clariſſima Ægypti regia impetu expugnata, Pontificem loqui conſtat (b): ſed vaſtam murorum ambitu urbem ſoldano Ægyptio ingruente tueri non auſis cruceſignatis, ii conatus in nullam Chriſtiani nominis utilitatem, ſed damnum potius ac dedecus ceſſerunt. Afflixere enim Chriſtianos graviſſimis cladibus Saraceni, & Armeniam vaſtarunt: quorum tyrannidis metu plures Armeni in Græciam, Mytilenem, ac Rhodum transfugere (c): tum ſoldanus qui in Syriæ ora plurima a Cypriis & Rhodiis qui etiam Tripolim impetu captam evaſtarant (d), damna acceperat, ad Cyprum & Rhodum invadendas conſilia convertit. Significavit Urbano imminens diſcrimen Cypri Rex miſſis oratoribus, ac precibus contendit, ut ſubſidiarium aurum, exercitumque ſubmitteret: cui Pontifex triſtem rerum occidentalium ſtatum expoſuit (e): infeſtata eſſe armatis latronibus regna, atque ita eccleſiaſticos & laicos horum direptionibus exhauſtos, ut exigua auxiliorum ſpes adeſſet: indulgentiarum tamen præmia iis, qui crucem ad ferendam ipſi opem induerent, ſe propoſiturum: denique ſuaſit, ut ſi qua ſe offerret occaſio, aut fœdus aut inducias cum barbaro percuteret.

(b) *Philip. e Mazer. in vit. B. Petri Thom. c. 16. & 17. & alii.*

Laceſſiti Saraceni vaſtant Armeniam.

(c) *Boſq. hiſt. equit. Jeroſ. p. 2. l. 3.*
(d) *Id. ib.*

Petita a Cyprio ſubſidia.

(e) *To. 4. ep. ſecr. p. 163.*

*Urbanus &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Cypri illuſtri.*

*Literas tuas & dilectos filios .. ambaxiatores tuos, apoſtolica benignitate recepimus & tam ſcripta quam narrata pleno ſuſcepimus intellectu, ea quæ pro implendis votis tuis deſiderabamus admittere, ſed non abſque multo noſtro dolore repugnabat impoſſibilitas, ſæpius per nos ipſos & cum noſtris fratribus recenſentes. Scimus enim, fili chariſſime, quod contra Saracenos impios hoſtes ſacræ fidei cum tuis gravibus ſumptibus, propriæque perſonæ periculo, magnifice proceſſiſti; & in eorum multitudinem, Salvatoris noſtri, cujus agebas cauſam, gratia confortatus, velut leo fortis & athleta intrepidus irruiſti: obtentaque de ipſis victoria, ſic in te vires proprias magnanimitas ſuperavit, quod captam per tuam ſtrenuitatem civitatem Alexandriæ nequiviſti, quod dolenter referimus, præ multæ molis magnitudine retinere. Nec ignoramus quod præfatæ ſedis & cunctorum fidelium, tanto amplius mereris auxilia, quanto regnum tuum in majori eſt propterea conſtitutum periculo, & quanto per primordia proſpera ſperatur certius optata felicitas ſucceſſuum futurorum. Sed ſicut ambaxiatoribus conſtat eiſdem, occidentales partes ſic ſunt pravarum comitivarum incurſibus, & aliorum bellorum fremitibus extenuatæ in viribus, & etiam implicatæ, quod ex eis pro moderno tempore opportuna & feſtina tibi ſubſidia nec a clericis nec a laicis poſſunt præſentialiter exhiberi. Propter quod tibi & dicto regno expedire putamus ac conſulimus, & noſtræ deliberatæ intentionis exiſtit, quod cum, prout nobis aſſeritur, honorabilem & alias congruam concordiam vel treugam habere valeas cum ſoldano, ne tua magnitudo dictumque regnum & per conſequens aliæ terræ ultramarinorum fidelium majoribus diſcriminibus exponantur, alteram recipias earundem.*

Alexandria infeliciter ab eo dimiſſa.

Datum eidem conſilium ut pacem cum Soldano ineat.

*Et ut hujuſmodi concordiam vel treugam meliorem obtineas, certas gratias, quas dilectis filiis Venetis & Januenſibus de navigando ad terras eorundem Saracenorum ante dictorum ambaxiatorum nimium retardatum adventum (non abſque ipſorum Venetorum & Januenſium, quos ſincere diligimus, & quorum ſervitio cito egebimus, multo gravamine) ad noſtrum beneplacitum duximus ſuſpendendas: nihilominuſque nonnullis Regibus & magnatibus rogatoria & exhortatoria ſcripta noſtra ſecundum incluſam formam direximus, ut pro defenſione dicti regni, velint tuæ ſerenitati ſubvenire celeriter de aliquo ſubſidio militari: & venientibus, & mittentibus indulgentiam ſecundum etiam incluſum tenorem duximus concedendam. Conforteris igitur, fili chariſſime, & de noſtra bona voluntate, quæ majori non poteſt fulciri præſidio de præſenti, diſcrete ac humiliter contenteris, tenens indubie, quod quicquid pro tua & dicti regni defenſione ac exaltatione poterimus, paternis affectibus ac promptis effectibus exequemur. Datum Avin. x. kal. novembris anno IV.*

Cogenda interim in occidente ſubſidia.

XIV. Inter hæc Ægyptii, Syri, ac Babylonii Saraceni una cum Turcis ad Cyprum & Rhodum Chriſtianis eripiendas fœdus inivere. Quibus acceptis, Dei vicarius literas ad patriarchas, archiepiſc. & epiſcopos Italiæ, Siciliæ, Dalmatiæ, Germaniæ, & Galliarum divulgandas miſit, ut fideles ad ſacra arma corripienda incenderent, quæ patriarchæ Aquilejenſi, ac ſuffraganeis epiſcopis ſunt inſcriptæ (f): *Fraternitati*, inquit, *veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus per vos vel alium, ſeu alios univerſos Chriſtifideles veſtrarum civitatum & diœceſum in eccleſiis, dum populi ad divina convenerint, & in prædicationibus ex parte noſtra exhortari & ſe-*

(f) *To. 4. ep. ſecr. pag. 264.*

*& ſecundum prudentiam vobis datam a Domino inducere ſtudeatis, ut pro dictorum Regis & fratrum, ſuorumque populorum ac inſularum & terrarum, ad eos in eiſdem partibus ultramarinis ſpectantium, defenſione ab hoſtilitatibus & perſecutionibus infidelium, & ſecuritate maris, ut ſit tutus acceſſus fidelium ad inſulas & terras eaſdem, pro reverentia Dei, cujus negotium agitur, & ipſorum exhortandorum ſalute velint aut in eorum perſonis, aut in bonis eis a Deo collatis, tribuere auxilium & juvamen, &c.* Ad pelliciendos vero ad ſuppeditanda cruceſignatis ſtipendia, vel arma pro nomine Chriſtiano corripienda fideles indulgentiarum præmia e ſacro eccleſiæ ærario, ac divinæ gratiæ & gloriæ æternæ incrementum pollicetur, additque.

Propoſitæ indulgentiæ ſtipem in belli orientalis ſumptus erogaturis.

*Pœnitentias vero omiſſas, ſeu recte non factas per aliquot ex prædictis*, iis nimirum, qui vel opes contulerint, aut bello ſacro ſe devoverint, *niſi peregrinationem aliam aut aliud pium opus, vel reſtitutionem ſeu aliam realem præſtationem aut erogationem concernerent, eiſdem miſericorditer remittentes omnibus ipſis concedimus, quod per confeſſionem generalem peccatorum, de quibus memoriam non habuerint, quæ tamen ſi de illis in ſpeciali recolerent, confiterentur libenter, indulgentiam plenam obtineant taliter confitentes; ita tamen, quod ſi poſtmodum ad eorum memoriam hujuſmodi peccata redierint illa teneantur ſpecialiter confiteri, &c.* Non expertes etiam cæleſtium præmiorum fore promittit eos omnes, qui conſilio, opera, aut alia re fideles orientales juverint. *Dat. Avin.* II. *non. octobris anno* IV. Verum irrepſere in tam ſancto opere abuſus graves: auſi enim ſunt nonnulli impoſtores corradendarum pecuniarum gratia e ſacro ſuggeſtu ſine pontificia authoritate de induenda cruce verba facere, & Chriſti fideles ſacro ſymbolo inſignire, turpem nimirum quæſtum indulgentiarum ſpecie facturi: quos Pontifex a præſulibus in vincula coniici juſſit (*a*).

Hac occaſione turpia lucra corradunt impoſtores.

(*a*) *Eod. to.4. ep. ſecr. p.* 233.

XV. In promiſſa vero ope apparanda, conciliandaque Cyprio Regi ſolicitus, concitare hortatoriis literis Carolum Francorum Regem niſus eſt (*b*), ut paternum pium ſtudium æmulatus Cypro ac Rhodo in maximum periculum adductis opitularetur: quo facto veniam criminum apud divinum Numen promereretur.

(*b*) *Pag.* 159.

Gallus Rex ad ſubſidia orienti impertienda ſolicitatus.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciæ illuſtri.*

*Ad ſerenitatis tuæ notitiam non ambigimus deveniſſe, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Petrus Rex Cypri illuſtris ejuſque ſubditi, ac fratres hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani pugiles Chriſti, & athletæ fidei Chriſtianæ, nonnullorum fidelium adjuti auxilio, de Apoſtolicæ ſedis licentia adverſus Saracenos impios Chriſti blaſphemos, & hoſtes nominis Chriſtiani, detentoreſque terræ ſanctæ ad Chriſtianos ſpectantis (in qua ſalvator noſter Dei filius Jeſus Chriſtus dignatus eſt humani generis operari ſalutem) civitatem Alexandrinam de manibus dictorum Saracenorum (dextera Domini cum eis faciente virtutem) vi armorum ceperunt; licet poſtmodum (quod dolenter referimus) paucis diebus eam potuerint retinere; ipſique Saraceni ac nefanda natio Turcorum, inimicorum & ſedulorum perſecutorum fidei prælibatæ, inſulas Cypri & Rhodi, aliaſque terras ad dictos Regem & fratres in ultramarinis partibus pertinentes minantur invadere, de illiſque delere (quod abſit) glorioſiſſimum nomen Chriſti.*

Propoſita ei Cypro & Rhodo imminentia pericula.

*Nos igitur conſiderantes, quod ſi præfatæ inſulæ & terræ, per quas ad dictam terram ſanctam, ad cujus recuperationem pro ejuſdem Salvatoris reverentia & devotione ac honore fidelium tota debet Chriſtianitas anhelare, quaſi per quamdam ſcalam habetur acceſſus, auferretur ſpes recuperationis hujuſmodi, multi populi renati fonte baptiſmatis perderentur, & in orientalibus partibus Chriſtianum nomen & gloria veriſimiliter delerentur, aliaque pericula & detrimenta graviſſima, & dedecus ac confuſio occidentalibus fidelibus provenirent; & propterea dictos Regem & fratres, eorumque populos in ultramarinis partibus conſtitutos, iſto præſertim tempore auxilio præfatorum principum, aliorumque fidelium indigere cernentes; devotam magnificentiam tuam affectuoſe rogamus & hortamur attente, quatenus præmiſſa pie conſiderans, ad obviandum hujuſmodi periculis ac damnis pro reverentia ſummi Regis, per quem regnas, animæque tuæ ſalute pro dictorum Regis & fratrum ſuorumque populorum, & inſularum ac terrarum ad eos in eiſdem ultramarinis partibus ſpectantium, defenſione ab hoſtilitatibus & perſecutionibus infidelium prædictorum, ac ſecuritate maris, ut ſit tutus acceſſus fidelium ad inſulas & terras eaſdem, de aliqua gente armigera velis eiſdem Regi & fratribus celeriter ſubvenire; ſciturus quod tam ituris, quam miſſuris auxilium pro hujuſmodi noſtri Redemptoris obſequio indulgentiam, quæ datur transfretantibus in terræ ſanctæ ſubſidium, duximus concedendam. Datum Avin.* II. *non. octobris anno* IV. Eodemque argumento apoſtolicæ literæ datæ (*c*) ad Carolum Romanorum Imperatorem, Ludovicum Ungariæ, Eduardum Angliæ, Davidem Scotiæ, Petrum Aragonum, Waldemarum Daniæ, Caſimirum Poloniæ Reges, Joannam Reginam Siciliæ, Albertum & Othonem Auſtriæ duces, & Eduardum juniorem Aquitaniæ ac Walliæ principem. Verum pontificias preces ſurdis auribus exceptas, neque ulla ſupplementa ſacro exercitui ſubmiſſa, refert Boſius (*a*).

Promeriturum divinam gratiam.

(*c*) *Ead. pag.*

Solicitati ad pium idem opus alii Reges.

(*a*) *Boſ. hiſt. equitum hoſpit. p.2. l.3.*

XVI. Non impetratis ita ab iis auxiliis non minus incumbendum fuit Pontifici (*b*), ne ſaltem vires hoſti ex Venetorum (*c*), Genuenſium (*d*), & Hiſpanorum (*e*) mercatorum commercio adderentur. Molitos ex iis nonnullos, lucri illecebra delinitos privata cum Ægyptiis fœdera ad merces commutandas percutere; ac tum B. Petrum Thomam patriarcham Conſtantinopolitanum, eundemque ſedis Apoſtolicæ in oriente legatum anathema id auſuris intentaſſe, & facinus auſos impune illud non tuliſſe refert Philippus Mazerius in Præſulis ſanctiſſimi vita (*f*): *Falſi*, inquit, *& avari mercatores Alexandriam ire volebant, & pacem ſingularem cum ſoldano facere proponebant; legatus vero, iſta audiens, aggravatus & fortiter dolens, generaliter omnes mercimonia facientes in terra ſoldani excommunicavit. Sed vide magnum miraculum inde cito ſecuturum: nam quidam Venetus, parvipendens ſententiam legati, cum una galea verſus Alexandriam viam arripuit: ſed tantam fortunam a Deo habuit, quod reverſus eſt in Cyprum, & ibi periclitavit naufragium faciens, galeam & quidquid habebat perdidit, & vix evaſit, & uſque hodie, ſententia prædicta operante, plura & plura navigia undique venientia Alexandriam cauſa mercimonii iverunt, & quaſi omnes periclitaverunt, & illorum, qui vivus evaſit a Saracenis captus fuit.*

(*b*) *To. 4. ep. ſecr. p.* 240.
(*c*) *An. 4. ep. cur. p.* 255. *&* 256.
(*d*) *Ead. pag.*
(*e*) *Ibid.*

Objectum a legato anathema commercium habituris cum Ægyptiis.

(*f*) *Philip. e Mazer. c.*18.

Illud ſpernentium infelices caſus.

*Aliud miraculum mirabile: nam pater meus in fortuna magna mihi dixerat, quod majora viderem de illis, qui fuerunt cauſa, quod relicta fuit Alexandria: nam illi, a regno Cypri verſus Pontum redeuntes, fere per mille milliaria navigaverunt, & adeo fortuna percuſſi & ipſa ducente coram Alexandriam iterum iverunt, & Cyprum pro ſalute reverſi ſunt, & poſt ter quaterve de Cypro receſſerunt: ſed fortuna invaleſcente, & Deo mare tribulante, & furorem ſuum prædictis oſtendente iterum Cyprum reverſi ſunt: Tantum timorem & tanta pericula adeo tranſierunt quod prius Alexandriæ remanere, ſicut credo, ſeptem annis in cordibus ſuis elegiſſent: & vix in quatuor menſibus a regno Cypri omnino recedere potuerunt: nec lætitiam cordialem credendum eſt, conſcientia remordente, unquam habebunt. Iſta memoriæ duxi ſcribendum, ut opera Dei manifeſtentur, & quærentes Deum & crucis myſterium toto & puro corde [ſicut pater meus legatus ſuo tempore fecit] exaltentur, & in Deo glorificentur.*

Divina in eos, qui Alexandriam deſeruerant ultio.

Vetitum cum Saracenis commercium.

Factus de his certior Urbanus, cum animadvertiſſet Venetos, Genuenſes, Aragonios, & alios propriis ineſcatos commodis privata cum ſoldano fœdera inire, cum ex aromatum commercio magnas opes cogerent, edixit (*g*) ut abſciſſo proprii commodi reſpectu fideles univerſi mutua animorum conſenſione in defendendo nomine Chriſtiano conſentirent: non enim Cypro vel Rhodo auſuros Ægyptios bellum inferre, dum univerſas Chriſtianorum vires ſe laceſſituros perpenderent: atque ideo conceſſas antea Regi Aragonum permutandarum cum ſoldano mercium facultates reſcidit: *Nos*, inquit, *de verſutia, fallacitate, ac infidelitate infidelium non immerito dubitantes, ac tolerare nolentes [ſicut nec debemus] quod tuis ſerenitate ac ſubditis vel aliis Chriſtianis, habentibus concordiam ſeu treugam cum ipſis infidelibus [qui ex hoc fierent fortiores] in guerra & periculo deſtructionis & perditionis remaneant inſulæ prælibatæ*, nimirum Cyprus, Rhodus, aliæque adjacentes, *intendimus, quod ſi iidem tui ſubditi aliique fideles concordiam vel treugam, ſeu facultatem & licentiam mercandi cum gentibus ſoldani Babyloniæ habere velint, iidem Rex*, ſcilicet Petrus Cypri, *ac fratres hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani qui ad invadendum Saracenos occupatores terræ ſanctæ cum noſtra licentia, immo indulgentia proceſſerunt, concordia ſeu treuga hujuſmodi ſimiliter potiantur; ſic tamen, quod in futurum fiat etiam e converſo: ſuper iis obedientia, voluntate, & mandato Apoſtolicæ ſedis omni tempore reſervatis; ita quod fideles infideles non timeant, ſed ab eis propter unitatem & charitatem mutuam potius timeantur. Quare, ne Saraceni, propter trafficum ſeu mercationem eorundem ſubditorum tuorum aliorumque Chriſticolarum confortati pariter & elati, ad habendum cum dictis Rege & fratribus honorabilem ac bonam pacem difficiliores ſe reddant, quod veriſimiliter eſt credendum; poſt multam deliberationem ſuper his habitam ſuſpenſionem gratiarum apoſtolicarum in navibus & galeis omnibus Chriſti fidelibus conceſſarum fecimus ſecundum tenorem præſentibus interclusum, &c.* Addit preces, ut ſubditos ab infidelium commercio deterreat, ut Rex Cypri atque Hoſpitalarii honorificas pacis leges adipiſcantur: quas ſi repudient Saraceni, apoſtolicas curas ad defendendam fidei cauſam ſe converſurum. *Dat. Avin.* XVI. *kal. ſeptembris anno* IV.

(*g*) *Urb. an.4. ep. cur. p.*256.

Commendata fidelibus animorum conſenſu.

XVII. Inſpecta ea fidelium vecordia, quos privati commodi amor a propaganda religione & communibus imperii Chriſtiani utilitatibus divulſerat, legatus apoſtolicus ſacro mœrore intabuit, cumque navim inſtrui juſſiſſet, ut cum Pontifice de expeditione diſſoluta, eaque redintegranda conferre poſſet, ad referenda laborum præmia a Deo eſt vocatus (*h*), de quo hæc faſciculi temporum author conſignat hiſtoriæ: *S. Petrus Thomæ ex Carmelita* Pa-

(*h*) *Philip. e Mazer. c.*18. *Ferrar. in novo catal. 6. januar. & alii.*

B. Petri Tho. Patriar. & legati mors.

*Pactenſis epiſcopus & patriarcha Conſtantinopolitanus, doctorque præcelebris, ſummique Regis ſignifer bellicoſus, poſt innumeras, quas habuit nedum cum ſpiritualibus, ſed & corporalibus crucis inimicis victorias, poſt quamplures conſcriptos libros, ac patrata miracula in Famaguſta regni Cypri civitate corpus exuit in feſto epiphaniæ.* Scripſere plures de illius vitæ geſtis commentarios, atque inter recentiores Lucas Wadinghus accurate illius hiſtoriam typis mandavit. Tum Joannes Baptiſta Lezana Carmelita theologiæ in publico urbis gymnaſio magiſter, qui annales ſui ordinis conſcribit, manuſcriptum mihi communicavit, e quo nonnulla ſuo loco libavimus. At e veteribus omnium diligentiſſime Philippus e Mazeriis, qui ſanctiſſimo viro comes & amicitia conjunctiſſimus hæſit, quæ vel ab eo acceperat, vel oculis auribuſve a ſociis hauſerat, monumentis propagavit (a), quæque Joannes Bollandus Societatis Jeſu theologus recenter excudenda typis curavit; e quibus hæc decerpimus: *Deus laborem patris mei legati pie reſpexit, velut alter Paulus nomen ſuum coram regibus, & principibus ſtrenue portavit, crucem ſanctam, & eccleſiam ſuam multiplicando exaltavit: nam, peccatis noſtris imminentibus, & gratias Dei non cognoſcentibus, patrem noſtrum a nobis levavit.*

(a) Philip. e Mazer. c. 18. apud Bolland. to. 2. die 29. jan.

Inſignis illius pietas.

Interjectis multis de ſingulari illius pietate, qua pontificali ornatu rituque ſolemni natalitiorum Domini ſacra celebravit, ſubdit ut ex nimiis laboribus & voluntaria maceratione corporis morbum contraxerit, pieque ad mortem ſe compararit: *Familiariter*, inquit, *mihi dixit: Frater mi, ego ſum peccator magnus: ſed habeo bonum judicem, pium, & miſericordem Deum meum, ad quem recurro & de venia non deſpero.* Et infra: (b)

(b) Cap. 19.

*Adveniente die dominica, circa horam tertiam fratrem Arnoldum de Solino ordinis ſui confeſſorem ſuum vocavit, & cum magna diligentia, contritione mirabili & lachrymarum effuſione longam, generalem, & particularem confeſſionem fecit. Poſtea ab ipſo ſuo confeſſore miſſam devotiſſime audivit, & totam familiam ſuam coram eo communicari fecit, eiſque quandam admirabilem prædicationem fecit, & quod bene cum Deo ſtarent dulciter admonuit. Sed quis verba ſua divina ſcribere valeret? Certe impoſſibile foret. Sermone vero ad familiam omnibus flentibus completo, juſſit apportari unum ſaccum vilem & abominabilem, & cum clara voce dixit: Iſta eſt veſtis candida & jucunda, cum qua Chriſtiani ſepeliri debent; ſaccum quaſi jocale ſuper caput ejus ponens, tanta mirabilia devotionis & contritionis dicendo, quod omnes inundatione lachrymarum fluerent; & tunc ipſe pietate humana coactus fortiſſime flevit.*

Noxas exhomologeſi expiat.

Inſigne pœnitentis animi exemplum.

*Deinde coram omnibus fecit afferri unam chordam, & eam poſuit ad collum ſuum, ligando & ſtringendo chordam per os ejus, cum magna contritione dicendo: Non ſufficit iſta chorda tali peccatori, ſicut ego ſum; parva eſt enim ad caſtigandum talem peccatorem: O quoties, ait, cum lingua mea falſa offendi Deum meum! Tunc juſſit ſeipſum deponi in terram: & in terra jacens, familiæ ſuæ valium fecit ſermonem mirabiliter ſemper concludendo, quod cum Deo bene eſſent; & quod ſi hoc facerent, Deus eos bene provideret, dulciter eis promittebat. Tunc ad lignum crucis ſe convertit, adorando, oſculando, & mirabilia dicendo: & manibus junctis, veniam devotiſſime petiit omnibus familiaribus ſuis.* Et infra.

XVIII. Euchariſtia reficitur.

*Tunc juſſit ſibi afferri ſacratiſſimum corpus Domini, quod erat ſuper altare coram ipſo, per confeſſorem ſuum; & manibus junctis coram ſacramento iſtam orationem legit: Deus propitius eſto mihi peccatori. Et devotiſſime dixit poſtea articulos fidei ſigillatim, mature, & cum quadam magna reverentia alte confeſſus eſt cum contritione ardenti & flenti, dicendo quod ſi in aliquibus dogmatizaſſet, vel aliquam quæſtionem ſive dicta aliqua contra fidem catholicam, * præcepta ſanctæ eccleſiæ, diſputando, loquendo, conferendo, vel alio quocumque modo cauſa vanitatis * ſimplicitatis, coram Deo ſuo toto corde revocabat. Quibus dictis ait: Domine non ſum dignus, &c. Ave ſalus, &c. quæ omnia cum magna devotione dixit, & reverenter & devotiſſime in fide non ficta communicavit. Quo facto ſatis cito ipſum ſuper lectum ſuum ſedendo repoſuerunt.*

* propoſuiſſet.
* vel.

*Confeſſor vero ſuus, & nobilis vir Huguectus de Maymon patris mei magiſter hoſpitii ipſum patrem meum legatum conſolantes, chordam ſive funem de collo ſuo levare voluerunt; quibus dixit: Abſit, abſit: non levetis eam. Iſta non eſt condigna retributio peccatis meis. Si non timerem Deum meum, bene facerem aliud cadaveri meo, quod tantum peccavit contra Deum ſuum; juſſitque familiæ, ut aliquantulum requieſcere dimitteret, & quod optime ſtabat: quod & factum eſt. Ab illa hora ſemper tenebat oculos ſuos ſurſum contemplando, dixitque: Heu, quare receſſit cancellarius? Tunc venerunt ad eum duo ſacerdotes devoti cauſa viſitandi, dominus ſcilicet Bernardus Groſſarius Papæ, & dominus Petrus ejus ſocius, quibus pater meus dixit: Bene ſto: ſed oretis Deum pro me, & quod ſibi placeat me liberari ab iſtis latrunculis, id eſt dæmonibus. Hos videbat in acie adverſus pedes lecti. Rurſus dixit: Beata virgo Maria ipſos terruit, orate pro me. Juſſit igitur accipi crucem ſuam quæ portabatur coram eo ad caput lecti exiſtentem, & fecit eam poni ad parietes lecti, ubi videbat latrunculos, & ſtatim receſſerunt ab oculis ejus.* Interjectis nonnullis, de extrema de rebus ſuis voluntate, ſubdit.

Pii ejus actus.

Dæmones ope B. Virginis & cruce fugat.



*Quid ordinavit de ſepultura ſua, humiles audite. Ille, qui ab omnibus Chriſtianis orientalibus velut Papa, ſi fas eſt dicere, quia locum ejus tenens, propter ſanctam ſuam converſationem reputabatur & quaſi adorabatur, humilis ſemper in vita, humilitatem non modicam in fine oſtendit; pompoſam ſepulturam abominando, dicens: Sepelite me in introitu chori ut omnes homines cadaver meum calcare poſſint & debeant, & etiam (ſi poſſibile eſt) capreæ & canes. O quanta humilitas!* Et infra: *O quoties Deo verbum B. Martini dixerat! Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem. O quoties cum multis conſolantibus a Spiritu Sancto confortatus, & mortem corporalem parvipendens, dicebat! Eadem eſt mihi mors & vita: ſi enim Deo neceſſarius ſum pro paſſagio & laborare debeo, contentus ſum vivere & ſi non ſum neceſſarius de morte contentor: mihi idem eſt. Fiat voluntas Dei mei Jeſu Chriſti. Illo die ter incœpit horas ſuas dicere, & infirmitate invaleſcente, intellectu claro ſemper remanente, complere non potuit: dixitque confeſſori ſuo, quod horas ſuas pro ipſo & coram ipſo diceret; quod & fecit: & cum quodam dolore palam confeſſus eſt quod a die profeſſionis ſuæ in ordine ſuo B. Mariæ Dei genetricis de monte Carmeli, nunquam horas ſuas prætermiſit, nec in terra, nec in mari, nec pro aliquo imminenti periculo.*

Singularis illius demiſſio quoad ſepulturæ locum ſpectat.

*Tranſacto illo die, ſequenti nocte circa horam quintam duas candelas albas benedictas coram eo accendi fecit. Hora vero ſexta noctis miſit confeſſorem ſuum pro epiſcopo Laudunenſi vicario in Famaguſta, ut cum omni clero eccleſiæ majoris ad eum veniret, & ſacrum oleum indutus pontificalibus ſecum apportaret. Interim vero omnem familiam ſuam coram ſe vocari fecit, & præcepit omnia oſtia domus & cameræ aperiri. Ille tunc juſſit ſibi afferri pontificale, & quaſi infirmitatem neſciens, cum manu propria officium unctionis quæſivit, & invenit: fecitque totum officium unctionis diſtincte legere antequam epiſcopus vicarius veniret, & fecit ſe deponi in terra cum ſacco prædicto ſuper caput, in pace expectans epiſcopum. Cum autem adventum epiſcopi audiret, præcepit omnia luminaria domus accendi, & fecit ſibi afferri aquam benedictam juxta ſe & crucem. Adveniente autem epiſcopo cum omni clero, ſicut præceperat, & in camera intrantibus, epiſcopus genibus flexis dominum legatum ſalutavit: pater meus vero non reſpondit. Incœpit quaſi alta voce totus ſanus dicere: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. & ſolus, aliis reſpondentibus, uſque ad medium ſeptem pſalmorum dixit, & intellectu animi clareſcente & vigente: ſed potentia humana aliqualiter deficiente, fecit ſignum manu ſua domino epiſcopo, ut ſecum diceret: quod & fecit. Et ſic cum multis lacrymis & devotione inaudita complevit omnes ſeptem pſalmos cum litania, omnibus gementibus & lamentantibus. Tunc epiſcopus ſolemniter & complete ipſum inunxit, domino legato reſpondente ſibi, & illam tunicam vilem & immundum ſcapulare, quibus indutus erat ad carnem, ne homines viderent, pro poſſe ſuo cooperiebat & abſcondebat. Officio vero unctionis completo, pater meus devotiſſime dixit, Confiteor, & epiſcopus fecit ſibi abſolutionem. Epiſcopo clero, & familiæ & omnibus tunc humiliter veniam petiit dicens. Si aliquando vos aggravavi, vel diſplicui officium mihi commiſſum exercendo, parcatis, parcatis, parcatis; & omnibus exiſtentibus in Cypro & alibi, ſecundum quod vobis occurret, nomine meo veniam petatis. Quibus auditis confeſſor ſuus & omnes aſtantes ſanctum patrem audientes, lacrymis fluenter, unanimiter clamare cœperunt, dicentes: Pater, pater da nobis benedictionem tuam. Ipſe vero, epiſcopo & omnibus aſtantibus in terram genibus flexis, ſanctam benedictionem dedit, dicens: Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos & maneat ſemper, & aqua benedicta manu propria aſperſit.*

Religio mira in extrema unctione ſuſcipienda.

Sacra prece adſtantes luſtrat.

*Tunc epiſcopus cum lacrymis non modicis patrem meum exhortatus eſt, ut ſupra lectum portari ſe juberet, qui reſpondit alta voce, & quaſi cantando dicens: Non decet hominem Chriſtianum mori niſi in cinere & cilicio; & hoc bis dixit. Poſtea dixit epiſcopo. Recedatis, quia conſolatus ſum, & bene ſto; levavitque oculos ſuos ſurſum, & ſignum cum manu fecit, & dixit: O vos alii maledicti, modo non habetis poteſtatem mecum, quia nunc bene ſto cum creatore meo Jeſu Chriſto.* Pluribus interjectis, ut dominicæ paſſionis hiſtoriam conſcriptam ab evangeliſtis coram ſe legi juſſerit, additur: *Venit magnificus dominus Jacobus de Rubeis ejus dilectus, ſtetitque coram eo. Pater vero meus ipſum Jacobum triſtem ſui cauſa reſpiciens, dixit ſibi: O fili, bene ſto, ne doleas. Multi ſunt vocati, pauci vero electi: ego vero ſum vocatus, & de electis. Chriſtus vocat me. Ego vado ad Chriſtum, ne doleas, fili mi, ne doleas. Deditque ſibi ſuam benedictionem, & receſſit.* Pluribus adjectis concludit Philippus Mazerius, cujus adventum ſanctiſſimus legatus expectarat, ut extremam illi voluntatem ſuam patefaceret: *Me coram eo aſtante tradidit ſpiritum ad Deum, qui fecit illum, anno nativitatis ejuſdem Domini MCCCLXVI. menſis januarii die* VI. Fulſiſſe eum miraculis poſt mortem, ſacrumque corpus non obri-

In cinere & cilicio mori vult.

Felicis immortalitatis certam ſpem prægustat.

Pius ejus obitus.

Claret miraculis.

obriguiſſe, ſed molle ad tactum manſiſſe, ac ſuaviſſimum efflaſſe odorem, refert idem auctor; ac ſchiſmaticos, qui antea ejus ſanguinem avide hauſiſſent, ſingulari pietate delibutos ſacra illius lipſana veneratos.

XIX. Stringunt mutua in ſe fideles arma.

Erepto e vivis B. Petro Thoma Apoſtolicæ ſedis legato, afflictæ magis fuere ſpes reſtituendæ Aſiæ religionis: quinetiam hoc ipſo tempore diſcordia rem Chriſtianam confuderat, cum veterani milites tractandis armis aſſueti, pontificiis adhortationibus ſpretis, non modo ferrum acuere in fidei hoſtes detrectaſſent, ſed illud in viſcera fidelium convertiſſent: viresque bonorum inde admodum fractæ ac debilitatæ: qui enim propagandæ religionis ſtudio tenebantur ad retundendos illorum conatus diſtinebantur. Projectaque adeo & effrænata erat ejuſmodi latronum audacia, ut nec pontificiam majeſtatem revererentur, circumjectaſque Venuſino comitatui regiones infeſtarent. Ad quos pœnarum magnitudine a ſcelere revocandos tum in eos tum in alios qui aliqua in re adjumento ipſis forent, pronuntiata acerbiſſima ab Urbano ſententia (a), quæ ab epiſcopis in Italia (b), Gallia (c), & Germania divulgari juſſa eſt. Studebant his prædatricibus turmis plures magnates, cum eorum armis ad privatas injurias vindicandas inferendaſve uterentur: atque in Burgundia & Sabaudia nonnulli claris majoribus orti, qui ſimultates mutuas exercebant, magnum earum copiarum numerum contraxere, in mutuum exitium ruituri: tantaque inerat animis vindictæ cupiditas, ut prælio ſe non abſceſſuros niſi adverſariis penitus exciſis ſacramento ſponderent. Ex quo cum maxima pericula imminerent, Pontifex Lugdunenſi archiepiſcopo, & Cabilonenſi & Bellicenſi epiſcopis partes dedit (d), ut provinciarum proceres urbiumque magiſtratus excitarent, ut impendentia mala anteverterent.

Objectæ vagis turmis pœnæ.
(a) To. 4. ep. ſecr. p. 275.
(b) Ib. p. 73.
Nonnulli proceres iis ſtudent.
(c) An. 4. ep. cur. p. 190. 243.
(d) To. 4. ep. ſecr. p. 73.

XX. Bernabos prædones fœderatos conducit. Genuæ trepidatum.

Exercebat Italos ſimilis furor, ac Bernabos Vicecomes ſubjiciendi ſibi Liguriæ cupidus plures vagas ejuſmodi turmas aſſuetas latrociniis conduxerat, quibus Ambroſium filium ſuum non legitime natum præfecerat. Ab hoc Genuenſis reſpublica in extremum diſcrimen conjecta (e), [1] cum nonnulli cives honorum avidi malevolentiaque in Gabrielem Adurnium ducem imbuti, cum externo hoſte ſentirent. Certatum ad palatium: ſed demum ſeditionis authores proſtrati, pulſive. Quos motus ſuperiori anno concitatos, ubi accepit Urbanus, magno dolore affectus Agapito Brixienſi epiſcopo Apoſtolicæ ſedis internuntio repetitis imperiis præcepit (f), ut omni virium contentione ad redintegrandam inter cives concordiam incumberet. Nec minores in reliqua Italia tumultus ab aliis palabundis turmis commoti, quæ etiam infeſta ſigna eccleſiaſticæ ditioni intulere, & ad Urbis direptionem ac vaſtitatem aſpirarunt (g): in quos Pontifex cenſuras apoſtolicas exeruit, iiſdemque omnes, qui cum illis ſentirent, ipſoſque commeatu, armis, equis juvarent, devinxit: præmia vero indulgentiarum aliis, qui bello adverſus fœderatos hoſce prædones ſeſe accingerent, impertitus eſt (h).

(e) Bizar. hiſt. Genuen. l. 7. Foliet. l. 7.
(f) To. 4. ep. ſecr. p. 22.
Pontificia ditio in diſcrimen adducta a latronibus.
(g) An. 4. ep. cur. p. 207. & to. 4. ep. ſecr. p. 156. & 157.
(h) Ib.

XXI. Cæſar & alii principes in eos ſolicitati.

Ad infringendam porro facilius ejuſmodi ſicariorum vim non Italos modo principes, (i) verum Imperatorem, Reges, principes alios, ac populos mutuo fœdere in illos obſtringere conſtituit Urbanus (k): miſitque ea de cauſa Petrum epiſcopum Olyſipponenſem (l) ad Carolum Imp. ut apoſtolica ipſi auxilia ad oppugnandos fœderatos graſſatores polliceretur, in eoſque edicta pontificia exponeret (m), incitaretque Cunonem Trevirenſem (n) & Gerlacum Moguntinum (o) archiepiſcopos, Wenceſlaum Regem Boemiæ, Ropertum ſeniorem comitem Palatinum Rheni, Rodulphum Saxoniæ ducem, Othonem marchionem Brandeburgenſem, atque alios imperii principes (p). Cæterum adeo profecit, ut Carolus in Francorfordienſi conventu ad perdendas ſociales turmas ſeſe devinxerit, ut Pontifex ipſe teſtatur (q): *Chariſſimus*, inquit, *in Criſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper auguſtus & Boemiæ Rex illuſtris, zelo Dei & oppreſſorum populorum accenſus adverſus nonnullos impietatis alumnos, depopulatores humani generis in una crudelitate, ſed in diverſis nationibus congregatos, qui comitivæ vocantur, terras Romanæ eccleſiæ ac imperii prout eſt notorium, hoſtiliter invadentes, occupantes, deſtruentes, & homicidia, ſacrilegia, adulteria, incendia, rapinas, aliaque nonnulla genera ſcelerum abo-*

(i) To. 4. ep. ſecr. p. 22. 31. 36. 40.
(k) Ib. p. 72. 73. & 258.
(l) Ib. p. 51. & 98.
(m) Ib. p. 96.
(n) Ead. pag.
(o) Pag. 166.
(p) Ead. pag.
(q) An. 4. ep. cur. p. 271.
Decretum in Francofordienſi cœtu in hos bellum.

NOTÆ [1] IN iis, quæ hic narrat Annaliſta de bello civili Genuenſium chronologica ἀκρίβεια deſideratur. Neque enim hoc anno pugna ad ducale palatium commiſſa fuit; ſed anno præcedenti Decembri menſe, ut diligens rerum Genuenſium Annaliſta Georgius Stella horum temporum æqualis, notat. Quo authore diſcimus hoc anno externa potius quam inteſtina arma moleſtiam Genuenſibus intuliſſe. Cum præſertim Vicecomites per ablegatum ſuum apertum bellum genti indixerint. Sed non diu poſt res in has leges compoſita. Genuenſes ſingulis annis Mediolani dominis quatuor aureorum millia ſolvant tributi nomine, baliſtarios quadringentos ſtipendio Mediolanenſium merituros conferant. Ne Genuenſium hoſtibus per terras Mediolanenſium, nec Mediolanenſium per terras Genuenſium tranſire fas ſit. MANSI



*abominandorum impudice ac immaniter more infidelium committentes, eliminandos de finibus terrarum hujuſmodi intendit de proximo in propria perſona cum manu forti procedere, ſicut hoc per imperiales literas & ſolemnes ambaſſiatores, nuper ad noſtram præſentiam deſtinatos, ſe de conſilio & aſſenſu prælatorum ac principum & magnatum Alemanniæ ac Boemiæ in generali parlamento, in oppido Frankfordiæ Maguntinenſis diœceſis per eum noviter celebrato, ſe deliberate firmaſſe noſtro apoſtolatui reſeravit, &c. Datum Avinion.* XII. *kal. novembris anno* IV. Carolus pariter Francorum Rex ad latrones, qui graſſabantur in Galliis, edomandos ſe obſtrinxit (a), ejuſque ac ducum ſigna ſecuturis propoſita indulgentiarum præmia.

(a) Pag. 243.

XXII. Urbanus ſedem Romæ reſtituere parat.

Contendebat Urbanus vires omnes ad confirmandum hoc fœdus, ut protritis ſævis prædonibus pacem, juſtitiam, ſediſque Apoſtolicæ ornamentum reſtitueret Italiæ: quod eo magis temporum conditio exigebat, cum fides plurium populorum nutaret, & in Campania pleræque urbes a Joanne Guidotto præſide defeciſſent (b), ac Romani oppreſſi ab Anglis auxilium pontificium implorarent (c); quare Petrarcha hoc Urbano conſilium ſuggerebat (d): *Lætus ſedem tuam*, inquit, *repete, quam cum ſemel attigeris, & fortis armatus atrium tuum cuſtodieris, omnia erunt in pace quæ nunc ideo ſunt in bello, quia tuum principale atrium non cuſtodis. Et quid multa? perproprie tibi conveniet, quod de tuo atque omnium Domino dictum eſt: pax enim erit in terra dum veneris, dum loqueris pacem gentibus: & poteſtas tua a mari uſque ad mare. Nec te terreat quod Roma quoque per hoc tempus ſuas prædonum moleſtias eſt paſſa: rabies nempe barbarica, quæ nunc ſacram urbem tentat acephalam, mox ut ſuum caput illa receperit, non dicam Romam, ſed Italiæ clauſtra proſpicere non audebit.* Luber hic alia annectere, quæ idem auctor magno eloquentiæ apparatu ad transferendæ ſedis implendum conſilium proponebat (e): *Totus pene orbis, ſumme patrum, qui Chriſtianus eſt, uno tibi nunc ore blanditur. Si tua vera eſt, quæ fertur integritas, eventurum ſpero, ut inter tot adulatores non patienter modo, ſed læte unum audias reprehenſorem; etſi forte aliquid plus minuſve quam deceat audieris, fidem laudes, ignorantiam excuſes. Hac ſpe fretus incipio. Cuncta quidem apud Avinionem proſpere, magno cuncta conſilio geruntur. Dixi: jam laudo. Sic te decet, ut ubicumque fueris, bene ac feliciter univerſa ſuccedant, & præſentiam tuam virtus ac proſperitas comitentur. Sed dic, oro, quid agit interim ſponſa tua? quo conſule regitur? quo duce defenditur? quibus comitibus conſolatur? Reſpondebis: immo non tu quidem, qui interrogationem meam, non dubito, placatus atque æquanimis accipis; ſed aliquis unus minor & impatientior reſpondebit: Tu Romano Pontifici legem ponis, aut unam illi ſponſam tribuis, cui ſponſa eſt non ea ſola, quam intelligis, ſed univerſalis eccleſia? ubicumque ille ſibi moram eligit, illic ſponſa, illic ſedes propria ſua eſt. Non inficior, pater beatiſſime, neque anguſto tibi ſedem tuam.* Et infra. *Ubicumque rite colitur Chriſti nomen, illic ſedem tuam eſſe, nec nego nec dubito. Illud mihi non negetur, quod inter omnes alias ſingulare tecum aliquid, immo quamplurimum habeat urbs Roma: cæteræ enim omnes ſuos habent ſponſos, tibi quidem uni ſubditos, ſed ſuis eccleſiis præſidentes; illa vero nullum habet niſi te. Itaque ſummus in reliquis, in Romana urbe ſolus es Pontifex, ſolus ſponſus.*

(b) Pag. 99.
(c) Pag. 156. 157.
(d) Petrar. rer. ſenil. l. 7.
Petrarchæ ad tantum facinus adhortatio.
(e) Id. ib.
Pontificia ſedes ubique ſtatui poteſt.
Singulari titulo Romæ debita.

XXIII.

*De illa tua igitur, nec alterius ſponſa nexu conjugii ſpiritualis te interrogo: Quid nunc agit? quo in ſtatu eſt, quave in ſpe? Si tu taces, ipſe mihi reſpondebo: Ægra, inops, vidua, miſerabilis, ſola eſt; & veſtem viduitatis induta diebus ac noctibus flens propheticum illud (f) canit: Quomodo ſedet ſola civitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps provinciarum facta eſt ſub tributo: totumque per ordinem a principio in finem flebile illud carmen ingeminat. Illic vero mœſtius fracta voce ſingultibus feſſa ſubſiſtit, ubi ſcriptum eſt (g): Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici. Et iterum (h): Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longe factus eſt a me conſolator convertens animam meam. Hic inquam illum profundius ſuſpirat, te ſignificans: nam quis alius conſolator, quis convertere animam ſuam potens, niſi tu, cui & prompta remedia, & ſponſæ neceſſitates ac miſeriæ notæ omnes? Et, ſi quid forte notitiæ defuerit, ſcito quoniam te abſente abeſt requies, pax exulat, bella adſunt & civilia & externa: jacent domus, labant mœnia, templa ruunt, ſacra pereunt, calcantur leges, juſtitia vim patitur, luget atque ululat plebs infelix, tuumque nomen altis vocibus invocat: neque tu illam audis, neque malorum piget miſeretque tantorum, neque venerabilis ſponſæ pias lacrhymas vides, teque illi debitum reſtituis, qui ut aliis minus dignis ac minus egentibus ſuos redderes, curiam tuam providentiſſime vacuaſti. Ita populus quilibet ſuum habet epiſcopum, populus Romanus ſuum Pontificem non habebit? & parvæ urbes ſuorum in amplexibus requieſcent, regina urbium ſemper vidua erit? quodque viduitate pejus dixerim, ſponſum ſuum ſemper cum aliis habitantem, captumque peregrinis amoribus audiet, nec tenere illum poterit nec videre, qui ſui præſentia ſe & illam glorioſos faceret ac felices.* Sed

(f) Jer. thren. c. 1.
(g) Ibid.
(h) Ibid.
Ut ex Pontificum abſentia urbs fuerit deformata.

XXIV. Sed quo animo (da, quæſo, miſericors pater temerariæ devotioni meæ veniam) quo, inquam, animo tu ad ripam Rhodani ſub auratis tectorum laquearibus ſomnum capis, & Lateranum humi jacet, & eccleſiarum mater omnium tecto carens & ventis patet ac pluviis: & Petri ac Pauli ſanctiſſimæ domus tremunt, & Apoſtolorum, quæ nunc ædes fuerat, jam ruina eſt informiſque lapidum acervus, lapideis quoque pectoribus ſuſpiria extorquens? Si reſponſum ad hæc omnia non meretur humilitas mea, an non ſaltem Aggæo prophetæ, immo Sancto Spiritui per illius os loquenti reſpondebitis tu & fratres tui? quidve omnino reſpondere poteritis? Numquid tempus, inquit, eſt vobis, ut habitetis in domibus laqueatis, & iſta domus deſerta; Nota ſunt & terribilia quæ ſequuntur. Illud in primis: Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam, &c. Et infra: Denique (quod non caruit evidenti miraculo) egit Chriſtus, ut in Italia eſſes, dum te abſentem nominantibus, ſed præſentem ſibi vicarium ordinaret, ne quis diſſimulationi locus eſſet; ſed tibi & omnibus appareret, decere te ſummi pontificatus officium exercere ea potiſſimum in parte terrarum, in qua ille tibi nec ſperanti utique, nec optanti, nec opinanti equidem non ſuffragiis hominum, ſed ſola Dei providentia contigiſſet: atque ubi ex humili ad ſummum ſine medio conſcendiſti, illic e ſummo humilibus ſine medio conſulendum, inſolentibus reſiſtendum; quod nec uſquam terrarum melius fieri poteſt, nec alibi, quam in ſua urbe glorioſius Romanus Pontifex in actum largitori placitum datam ſibi divinitus transferre potentiam: quamvis enim bonum opus ubique laudabile, nuſquam tamen aptius fieri conſtat, quam dum in ſua ſede ſedet opifex. Tu quidem orthodoxæ fidei magiſter, actuumque opifex piorum: ſedes tua ubivis; ſed antiqua, ut dixi, & vera & propria, & publice utilis & univerſo expediens Roma eſt. Itaque huc rem verto, longumque ſermonem ad hunc exitum deduco, ut Urbanus Urbem, Romanus Pontifex Romam petas: locum Deo gratum, hominibus venerandum, piis optabilem, rebellibus [dum tu ibi fueris] formidandum, reformando orbi & regendis rebus idoneum. Et infra: Mentem ſubeat eſſe te quidem epiſcopum urbis Romæ, illos autem, nimirum Cardinales, vel Romanæ telluris epiſcopos, vel in Romana urbe presbyteros aut diaconos: nec decere eccleſiam Petrique ſedem originibus veſtris, ſed origines veſtras illi cedere, illam ſequi; nec honeſtum catholicis atque eccleſiaſticis viris eſſe carnalium uncis affectuum ab officio retrahi, quos pagani fregerint ac ſpreverint. Proinde perſuade illis (nam tibi jam perſuaſum ſpero) Romam petere, ubi & rerum copia & qualitas ea eſt, quæ facile impetret, ut externa non cupiant. Et infra.

Templa diruta.

XXV. Unum ſilui, ſive ad extremum diſtuli, quod primum eſſe potuerat. Noſti quo in ſtatu Chriſtiani tui ſint per orientem: quin & propinquius malum eſt. Non audiſti ut inermes Aſiæ populi, quos noſtra deſidia fortes facit, atque in primis olim Phryges, Turci hodie, miſeram Græciam ſine fine diripiunt, & Ægæo ſparſas Cycladas populantur? quæ & ſi longis erroribus obſtinatæ pervicaciæ juſtas pœnas dent, inde tamen ad nos veroſque catholicos eſt tranſitus. Jam Cyprus, Creta, Rhodus, Eubœa viciniorque nobis tentatur Achaia & Epirus: jam Calabrum litus, flentis Græciæ mœſtiſſimas voces trepidis auribus accipit. Sic nunc itaque fides Chriſti, ut vides, ad orientem periclitatur: tu ad occidentem ſedes. Adhuc, o maxime dux noſtrorum & Pontifex animarum, qui ut tuum munus impleres (niſi fallor) pridem ſurrexiſſe debueras, teque vel ſolum difficultatibus obvium ferens non Romam modo, ſed Conſtantinopolim perrexiſſe. Quamquam ſolus eſſe non potes, Chriſtus ipſe, cujus res agitur, tecum erit, & Chriſti acies quocumque jeris te ſequetur. Et infra: Ubique (fateor) utilis, ſancta ubique & venerabilis præſentia tua eſt. Sed quid quæſo, quid Rhodanus, quid Sorgia, & Ruentia tui egent? quis tibi tuorum protegendus? quis hoſtium comprimendus? egent tui Jonium & Ægæum & Helleſpontus & Propontis & Boſphorus. Quid hic igitur monſtri eſt, non poſſum ſatis hoc quærere. In oriente pugnatur: tu quid agis in occidente ſpiritualium dux bellorum? Et infra. Certe niſi jam hinc proſpicis, niſi occurris, actum eſt: pudendam nobis Chriſtiani nominis illis in partibus ruinam, & prorſus indignam ac miſerabilem audiemus: quæ (ut dixi) non Chriſti, qui eſt injuriæ inacceſſus; ſed noſtra jactura eſt: noſtra ſocordia, noſter pudor, qui jam tantus ibi eſt, ut an major eſſe poſſit, in dubio ſim.

Propoſitum diſcrimen a Turcis imminens.

Per Græcos calcatos tranſituros ad Latinos.

Neſcio an pejus ſit amiſiſſe Jeruſalem, an ita Byzantium poſſidere: ibi enim non agnoſcitur Chriſtus, hic læditur, dum ſic colitur. Illi hoſtes, hi ſchiſmatici pejores hoſtibus. Illi aperte noſtrum imperium detrectant, hi verbo Romanam eccleſiam matrem dicunt: cui quam devoti filii ſint, quam humiliter Romani Pontificis juſſa ſuſcipiant, tuus a te ille datus patriarcha. Illi minus nos oderunt, quia minus metuunt: iſti autem totis nos viſceribus & metuunt & oderunt: conſtat, quia nos canes judicant, & ſi loquendi libertas affuerit, canes vocant. Interfui ego ſolemni die, dum Romano ritu miſſa celebraretur: Græcus quidam homo non illiteratus, ſed multo maxime ſtultus, atque arrogans exclamavit: Ego non poſſum pati, inquit, Latinorum nugas. Quod verbum intellectum ſi fuiſſet a populo, non impune, ut auguror, tuliſſet. Sed ſic eſt, ſic de nobis ſentiunt; & baſilicas ſuas ſi quis e noſtris introierit, quaſi humano ſanguine aut fœdo facinore violatas reconciliant & expurgant. Et hæc quidem Romana eccleſia diu novit & paſſa eſt: quod an dici torpor, an patientia mereatur, cum tam facile dilui poſſit hoc dedecus, judicandum linquo aliis. Certe nos noſtroſque hoſtes, a quibus nunc Jeroſolyma detinetur, magnum æquor interjacet: itaque cum illis, ut res noſtræ & illorum ſunt, non parvus eſt labor; unde fit, ut dilationem noſtram impotentia fortaſſis excuſet, quamvis impotentiæ non niſi ex noſtris diſſenſionibus exortæ excuſatio nulla ſit: inter nos autem & hos Græculos nihil eſt medium niſi noſter ſopor ac noſtra ſegnities, quibus ut odii plurimum, ſic nihil eſt virium, nilque ibi volentibus negotii eſt. Duobus Italiæ populis ſponſor ſim, ſi tu bene velle cœperis, brevi eos non junctos modo, ſed unumquemque per ſe vel imbelle illud imperium everſuros, vel ad jugum matris eccleſiæ deducturos: quo magis magiſque conniventiam hanc ſtupeo, nec ſatis intelligo quid ita res maximæ negliguntur, cum minimarum tanta ſolicitudo ſit hominibus: & licet hic omnium Chriſtianorum publicus pudor ſit, tamen in omni exercitu male rem gerente ducum pudor eſt maximus. Et infra.

Græcorum in Latinos infanda odia.

Petrarchæ conſilium de Græcis ſubiiciendis.

Romane Pontifex dux Chriſtianorum, Roma te ſuum ſponſum, Chriſtianitas ſuum ducem vocat altis vocibus non ad requiem, ſed laborem, ad quem homo naſcitur: neque ad pacem, ſed ad bella repoſceris, in quibus tamen bellis temporalibus æterna pax animæ & multorum ſalus & gloria tua eſt. Tuum eſt eligere quo in ſtatu mori velis. Tui prædeceſſores Avenione ibi ſedem elegere: quo conſilio, ipſi viderint. Et infra. Quod ſi eos natalis zonæ vicinitas movit, fuit in illis forſan excuſabile terram ſpectantibus, & terrena meditantibus: tibi autem longe aliter nutrito, longeque aliter aſſumpto, longe aliter ſentiendum: cui non hæc aut illa pars terrarum, ſed totus orbis eſt patria, immo exilium, ut dixi: patria autem cælum, hujus tamen exilii ſedes Roma non quidem ſola, ſed ſanctior gratiorque illi, qui te hinc dum volet, in patriam revocabit.

Aſſurge animis, & vilia diſce contemnere. Magna recepiſti, nec parva [fateor] repetuntur. Apertum tibi miraculum divinitas fecit: nunc tu illi miraculum fac apertum, ut de tam profundo eccleſiam ſuam eruas: neque enim parvi miraculi res fuerit, tot jam radicatos animos inde convellere! fiet autem haud difficile, niſi tu ibi etiam radicatus ſis. Et infra: Fama eſt, eſſe palatii tui partem, quæ Roma dicitur, quam ingreſſus ſponſæ te reddidiſſe totumque prorſus impleſſe Romani Pontificis officium videare. Noli cum domino tuo ludere, fruſtra fallaciunculis tentatur. Et infra.



Da Palatio Avinionen.

Cum ad tribunal Chriſti ventum erit, ubi non tu dominus & nos ſervi, ſed unus ille dominus & nos conſervi omnes erimus, & infra, quid reſponſurus es Domino? aut quid dicturus Petro? Ego, inquiet, juſto metu crudeliſſimi Neronis fugiens, Domini increpantis occurſu Romam redii ad ſupplicium & ad mortem: te quis Nero quiſve Domitianus expulit? quis mortis aut ſupplicii metus tamdiu exulem fecit? quid quæſo nunc Romæ fit? quid mea domus? quia ſepulchrum? quid populus meus agit? An mihi non loqueris? an quæ te percunctor ignoras? unde vero mihi nunc redis, an & tu ad Rhodanum exulaſti? qui ſi te ibi forſitan natum dicas, an non ego natus alibi, ſed uterque noſtrum aliam naſcendo, renaſcendo aliam patriam nactus erat? itaque conſcius ego dominicæ voluntatis Romæ poſtpoſui Galilæam, ac tu Romæ Rhodanum prætuliſti.

Patriæ amor Numinis amore ejiciendus.

Hæc ego, pater clementiſſime, fide pura, ſtylo humili dictaverim, fiſus tibi amariuſculam veritatem, quam melliculas blanditias chariorem. Si erravi, aut ſi ſanctitatem tuam mea libertas offendit, flexis animæ poplitibus veniam peto. Tu vero nunc, rejectis conſultationibus vanis, tecum cogita, tecumque delibera, an quod fupereſt temporis, in cœno Avinionenſi agere malis; an Romæ, quæ tota caro & ſanguis eſt martyrum: an in ſaxo illo & in illa ventorum patria, quam nunc colis, an in Vaticano potius ſepeliri eligis, locorum omnium noſtri orbis ſine ulla comparatione ſanctiſſimo. Ad extremum in die ultimi judicii an reſurgere ames inter Avinionicos peccatores famoſiſſimos nunc omnium, qui ſub cælo ſunt; an inter Petrum & Paulum, Stephanum & Laurentium, Silveſtrum & Gregorium & Hieronymum & Agnetem & Cæciliam & tot millia ſanctorum, vel in Chriſti confeſſione feliciter quieſcentium, vel pro Chriſti fide felicius peremptorum, &c.

Ut Roma Avenioni præferenda.

XXVI. Non his modo ſtimulis Petrarcha Urbanum urgebat, ut Romæ ſedem Apoſtolicam redderet, verum etiam nonnulli viri ſancti divino inſtinctu afflati id ſuadebant (a). Quibus excitatus, demum publico edicto abitum e Galliis promulgavit, ut narrat his verbis ejus vitæ author: Per idem tempus præfatus Urbanus Papa publicavit ſeu manifeſtavit ſuam intentionem ſuper acceſſu ſuo & tranſlatione curiæ verſus Romam, deſtinavitque certos nuntios tam Viterbium, ubi primo declinare & aliquandiu morari intendebat, quam Romam cauſa diſponendi & ordinandi neceſſaria, reparandique ſua palatia, & libratas pro dominis Cardinalibus dividendi: & ad hæc aſſi-

(a) MS. arc. Vat. de ſchiſ. to. 4. pag. 125. Et Wad. hoc anno in annal. nu. 11.

Promulgat Urbanus repetiturum ſe Romam.

*aſſignavit ſeu ordinavit terminum tempus paſchale immediate poſt ſecuturum*. Extant de his literæ Urbani (a) tum ad Ægidium Cardinalem legatum ſcriptæ (b), ut Viterbienſem arcem neceſſario apparatu inſtrueret, & Gaucelino de Pradalho pro inſtaurando palatio Romano miſſo adeſſet (c): quo argumento ad patrimonii B. Petri præſidem, ad canonicos baſilicæ Vaticanæ, ad ſenatum populumque Romanum aliæ ſunt datæ (d). Prorupere his auditis Romani (e) in feſtas lætitiæ voces, conceptumque pectoribus gaudium multis ſignificationibus profudere, miſereque oratores, ut promptiſſima pollicerentur obſequia.

(a) *To. 4. ep. ſecr. pag.* 265.
(b) *Ib. ep. ſecr. pag.* 131.
(c) *Pag.* 135.
(d) *Sup. p.* 135.
(e) *Pag.* 167.

Italorum erga illum officia.

Obtulerunt vero inſignes Italiæ populi, qui maritimis viribus præſtabant, Urbano triremes, ut ipſum reveherent. Marcus quidem Cornelius dux Venetorum decem apparaturum ſe pollicebatur (ſed ex iis tantum quinque Pontifex admiſit, (f) tres Joannes e comitibus Piſarum (g), Gabriel Adurnius Genuenſium (h) duces plures alias ornaturos ſpondebant, quibus a Pontifice actæ gratiæ. Parati erant etiam Galli Chriſti vicarium cum egregio comitatu terreſtri itinere in Romanas ſedes reducere: ac Joannes Armaniaci comes alterius ejus nominis comitis filius operam ſuam ſupplex deferebat. Certabant quoque officiis in Urbanum duo Imperatores, Carolus nimirum Romanorum & Philippus princeps Tarentinus hereditario Balduini II. jure Conſtantinopolitanus, ac Pontificem ſe ſtipaturos pollicebantur: in quos Pontifex ita ſe geſſit, Philippum quidem ulterius progredi vetuit, ut ipſum tamen Romam ingreſſurum conveniret, permiſit (k).

(f) *Eod. to. 4. ep. ſecr. pag.* 143.
(g) *Ib. p.* 165.
(h) *Pag.* 158.
(i) *Pag.* 168.

Duo Imperatores illum ſe ſtipaturos pollicentur.

(k) *Pag.* 147.

Commendanda vero Caroli Romanorum Imperatoris ſtudia in Urbanum fuere: cum enim is in colloquio Francofurtenſi de publica pace reſtituenda Italiæ ſumpſiſſet conſilium, a Pontifice flagitavit, an mallet, ut præiret cum exercitu, an ſequeretur. Cui reſpondit Urbanus (l) ſatius videri, ut viam ipſi muniret, atque Italiam prædonibus purgaret.

(l) *Pag.* 167.

Caroli ad eundem legatio.

*Urbanus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto ſalutem, &c.*

*Venerabiles fratres noſtros Petrum Ulixbonenſem & Lambertum Spirenſem epiſcopos, ac dilectum filium Joannem cantorem Vratiſlavienſis eccleſiæ, a tua reverſos præſentia admodum lætanter recepimus, tanquam nobis expectatam lætitiam reportantes. Ab ipſis quidem audivimus votivam deliberationem imperialis ſublimitatis, ſuorumque principum, ac aliorum nobilium factam in parlamento in Frankefordia celebrato; quam tanto lætiori mente ſuſcepimus, tantoque proinde devotiores gratias ei, qui ubi vult ſpirat, exolvimus, quanto deliberationem ipſam Deo magis acceptam ac reipublicæ magis utilem & neceſſariam exiſtimamus. Cum itaque reſtet ſuper ipſius deliberationis executione procedi, tuaque magnitudo devota noſtrum beneplacitum duxerit requirendum, utrum velimus, te cum tua potentia in Italiam præcedere nos vel ſequi; nos ignorantes quo tempore imperialis magnificentia ad hoc poſſit eſſe parata, licet expedire credamus, quod nos præcederes, ſi poſſet eſſe, ut tutum & pacificum faceres iter noſtrum, & propterea certum tempus tibi præfigere non audentes ſerenitati tuæ, deliberatione matura præhabita, noſtrum propoſitum referamus, videlicet nos firmiter deliberaſſe, impedimento ceſſante, de menſe maji proximo ſecuturi arripere iter noſtrum, illudque verſus civitatem Viterbienſem adeo aſſiduis continuare dietis, quod infra ipſum menſem ſperamus nos ad civitatem eamdem, ubi aliquandiu manere proponimus, duce Domino, perventuros: & tam in civitate ipſa quam in urbe multa facimus præparari, ac etiam reparari: & hic per noſtros officiales & familiares, ac alios de Romana curia diſponi facimus diſponenda. Tua vero pietas circumſpecta conſideret graviſſima mala, quæ per illas gentes comitivarum nequiſſimas perpetrantur, ac pericula multa & merito formidanda, quibus terræ Romanæ eccleſiæ & imperii, & inter alia civitas Januenſis, cujus ſtatui per tuam vicinam & feſtinam præſentiam poterit facilius ſubveniri, dignetur iter ſuum, quod Deus proſperum faciat, quamcito magis poterit feſtinare: Nos enim illa, per quæ dictum iter tuum ad præſens juvare poſſumus, videlicet de indulgentia & decima, nec non requiſitione auxilii chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Ungariæ illuſtris, ac exhortatione quorundam tuorum majorum principum duximus concedenda, per dictoſque epiſcopum Spirenſem & cantorem confectas ſuper iis literas apoſtolicas deſtinamus. Dat. Avin.* III. *kal. novembris anno* IV.

Datum illi conſilium ut præiret cum exercitu.

XXVII. Bernabos exinde terrorem concipit.

Perculit non levi terrore is Caroli Imperatoris apparatus Bernabonem Vicecomitem Mediolanenſem, qui proferendæ tyrannidis deſiderio novas aſſidue turbas miſcebat: utque arrogantia erat turgidus ſuperbas in Imperatorem voces, a quo Mediolanenſi præfectura deturbari metuebat, profudit. At Pontifex, ne hominis rabiem efferaret, ſuaſit Carolo (m), ut prætermiſſis Bernabonis ampullis minacibus, non phaleratis, ſed nudis ac ſimplicibus verbis de Pontifice ad urbem redeunte ſtipando conſilium exponeret, atque interea fœdera cum urbibus imperio obnoxiis de excindendis prædonibus confirmaret. Bernabonem vero Pontifex

(m) *Eod. to. 4. ep. ſecr. pag.* 153.

ipſe



ipſe, ut author Imperatori fuerat, tuendæ inter Chriſtianos pacis ſtudio, cum non ulciſcenda armis Mediolanenſis tyranni arrogantia, ſed diſſimulanda injuria eſſet, ut religioni ac divini Numinis gloriæ conſuleretur, blandis literis mulcere ſtuduit, ne publicam pacem novo bello turbaret: de miſſis ab eo obſequiis gratias egit: laudavit Ambroſium nothum filium a turmis prædatricibus abduxiſſe: ſignificavit (a) Caroli Imperatoris eximia ſtudia, qui vicarium Chriſti ad urbem redeuntem ſtipare cuperet; oblatum liberum per Mediolanenſem principatum commeatum gratiſſimum ſe habere addidit; denique profeſſus, ſe pro redintegranda ipſum inter & Genuenſes amantiſſimi arbitri partes ſuſcipere paratum, non levi dolore affectum ſe innuit, cum nondum juſtis votis adverſæ partes reſpondiſſent.

(a) *Ib. p.* 160.

Leniter cum homine efferø actum.

XXVIII. Galeatius Pedemontium occupat.

Nec Liguriæ modo tumultus ob Bernabonis Genuenſem rempublicam ſibi ſubiicere molientis, cujus dominatu ipſum antea potitum vidimus, ambitionem nondum ſopiti erant; verum Galeatius illius frater, ſubacta Pedemontii parte, ad reliquam occupandam inhiabat: quæ ditio cum ad Joannam Reginam Siciliæ ſpectaret, Pontifex Imperatorem rogavit (b), ut illi veluti clienti ſuæ, Provinciæ ſcilicet, Pedemontii, & Folkarquerii nomine, ſubſidio accurreret: *Imperialem*, inquit, *excellentiam affectuoſe rogamus, quatenus præfatæ Reginæ, quæ pro dicto*, nimirum Pedemontii, *ac Provinciæ & Folkarquerii comitatibus tua vaſalla exiſtit, digneris de opportuno remedio providere. Dat. Avin.* III. *non. junii anno* IV.

(b) *Ib. p.* 98.

Nec defuere pontificiæ curæ tuendæ Siculi regni amplitudini, quæ cum ob prodigas ejuſdem Joannæ ac Ludovici olim viri donationes immminuta ac labefactata fuiſſet, Urbanus illas omnes reſcidit, (c) atque perperam alienata ad Siculam coronam revocavit, cum hæc, ut ait, injuſte attentata eſſent. Gerebat porro tum in Siciliæ regno legati apoſt. partes Ægidius Cardinalis (d), cujus legatio ad annum eſt extracta (e) iſque plures ad componendum Siciliæ ſtatum ſanctiones edidit; quæ cum invidorum malevolentia ſpernerentur, Pontifex Joannam Reginam monuit, ut eas ſervandas curaret (f), atque ad publicam rem conſtituendam incumberet (g), ac prudentia inſignes viros, rerumque gerendarum peritia exercitatiſſimos ad conſilia ſanctiora adhiberet (h).

(c) *An. 4. ep. cur. p.* 219.
(d) *To. 4. ep. ſecr. p.* 23.

Editæ in Neap. regno ab Ægidio conſtitutiones.

(e) *Pag.* 92.
(f) *Pag.* 84.
(g) *Ib. p.* 93.
(h) *Pag.* 22.

XXIX.

Hoc anno confecta expeditio a Rege Poloniæ in Ruſſiam, qua illius pars magna Lithuanis erepta eſt, ut hiſce verbis refert Michovias (i): *Rex Caſimirus, valido exercitu ex univerſo regno Poloniæ generali expeditione contracto, anno Domini MCCCLXVI. poſt feſtum Joannis Baptiſtæ terras per Lithuanos quindecim annis occupatas recuperavit Breſtenſem, Lucenſem, Chelmenſem, & Belſenſem.* Subdit author, ducem Georgium, qui Belſenſem ditionem occuparat, fregiſſe blanditiis Caſimiri arma, ac non modo illius liberalitate Belſenſem ditionem accepiſſe, verum Chelmenſem etiam præfecturam obtinuiſſe. Eadem Cromerus (k): Caſimirum Regem promoviſſe exercitum in Volyniam ſive Vualdimiriam; cumque nemo illius conatibus ſe opponeret, Luſcum, Vualdimiriam, & Oleſcum arces in ſuam poteſtatem redegiſſe. Similiter duxere in Lithuanos infideles Chriſtianas acies equites cruciferi, (l) duce Vinricho ordinis magiſtro, geminaque excurſione populatio late hoſtium agris illata: ſed Keyſtutus dux ſilenti agmine onuſtos præda milites abeuntes ſecutus, amiſſorum partem recuperavit. Ac tum Vinrichus contractis copiis tertiam irruptionem fecit in Lithuaniam, eamque late ferro flammaque eſt pervagatus. His aliiſque egregiis facinoribus in fidei hoſtes editis promeruere Cruciferi, ut ipſos Pontifex Carolo Imperatori commendaret (m): *Quid*, inquit, *amoris quidve favoris & gratiæ ordo B. Mariæ Theutonicorum murus Chriſtianitatis tutiſſimus & Chriſtianæ fidei propagator mirabilis, & infidelium impugnator magnificus in conſpectu catholicorum principum & totius Chriſtiani populi mereatur, prudentiſſima tua ſerenitas, geſta grandia perſonarum ejuſdem ordinis rumoribus frequentibus audiens, agnoſcit plenius & diſcernit: & propterea ſuper ipſius ordinis commendatione & recommendatione apud te ſermonibus noſtris inſiſtere ſuperfluum reputamus, &c.*

(i) *Michov. l. 4. c.* 21.

Polonorum in Lithuaniam expeditio.

(k) *Cromer. l.* 12. *in Caſimir.*

(l) *Michov. l. 4. c.* 28.

Cruciferorum ingentia facinora.

(m) *To. 4. ep. ſecr. p.* 47.

Eorum Elogium.

XXX. Internuntius in Hiſp. miſſus.

Eodem anno reducendi in concordiam Caſtellæ & Aragoniæ Reges ſtudio permotus Dei vicarius, Guillelmum epiſcopum Ciceſtrenſem Apoſtolicæ ſedis internuntium in Hiſpaniam miſit (n), inſtruxitque authoritate ad diſſolvendas ſententias, inducias imperandas pacta ad belligerandum fœdera reſcindenda, adverſantes quacumque dignitate præditi eſſent comprimendos: utque illi finitimorum Regum gratiam in perducenda re ardua conciliaret, Petro Luſitaniæ (o), Carolo Navarræ (p) Regibus, Eduardo Aquitaniæ & Walliæ principi eundem internuntium commendavit, rogavitque ut una cum ipſo ad conciliandum Caſtellanum inter & Aragonium pacem operam navarent. Superior quidem viribus Caſtellanus, qui ingenio præferox, & vindictæ cupidus inaudita crudelitate hoſtilis ſanguinis ſiti ardebat. Aragonius vero una cum Henrico Traſtamaræ comite Caſtellani Regis fratre ſpurio colluviem militum, quæ Gallias diu vexarat, ſpe prædæ alliciebat in auxilium.

(n) *To. 4. ep. ſecr. p.* 42.
(o) *Ib. p.* 44.
(p) *Ead. pag.*

De pace agitat.

(a) Eod. to. 4. ep. ſecr. pag. 43.
(b) Ead. pag.
(c) Ead. pag.
(d) Ead. pag.

Pontifex itaque Petrum Regem Aragonum ad pacis amplectenda conſilia ſolicitavit (a), atque Alienoram Reginam (b) & Joannem majorem natu filium ducem Gerundenſem (c), ut Petrum ad ea impellerent, urſit: tum etiam Petrum Caſtellanum ad clementiam inflectere hiſce literis niſus eſt (d).

*Urbanus &c. chariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Caſtellæ illuſtri ſalutem, &c.*

Ad eam Caſtellanus ſolicitatus.

*Tangat, fili chariſſime, cor regium dominus Deus tuus, ut poſt tot ſtrages, ærumnas, & calamitates, quas amara diſſenſio inter te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Petrum Regem Aragonum illuſtrem continuata diutius jam produxit, ad pacis dulcedinem revertaris. Mitiget amodo tuæ mentis pietas & filialis devotio dolores immenſos ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris tuæ, quæ diu ſentiens, duos tam magnificos filios, quos habere debet contra hoſtes Chriſti & Chriſtianæ fidei pugiles, invicem collidentes, eo gravioribus dolorum ſtimulis pungitur, quo ex remediorum ſalubrium, quantum ad ipſam pertinuit, medela ſæpe adhibita optatæ curationis effectus, quem expectabat deſiderabiliter, non advenit. Eapropter pietatem tuam rogamus, hortamur, & obſecramus per aſperſionem ſanguinis domini Jeſu Chriſti, quatenus diligenter attendens, quod omnia bona in pace concreſcunt, quodque in tranquillitate ejus devotius colitur Actor pacis; ac convertens ad manſuetudinem quod videtur diſpoſitum ad vindictam, animum regium ad pacis bonum & unitatem concordiæ cum præfato Rege Aragonum habilites & diſponas, totque malorum cumulis velis pacificum finem dare. Ut autem quod avide cupimus, facilius Domino præſtante proveniat, venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum epiſcopum Ciceſtrenſem Apoſtolicæ ſedis nuncium, virum utique circumſpectum & fidelem, ornatum ſcientia pacis & amicum, de cujus fide merito confidere poteris, ad tuam & ejuſdem Regis Aragonum præſentiam deſtinamus; ut tanquam pacis angelus vice noſtra a te præfatoque Rege cauſas irarum & odiorum evellat & auferat, & pacis optatæ fœdera ſalubriter interponat, &c. Dat. Avin. non. februarii anno* IV.

XXXI. Spreto conſilio pontificio ſibi parit exitium. Gallorum in Hiſpan. expeditio.

(e) Sur. l. 9. annal. c. 163. Marian. l. 17. c. 7. Walſ. in Eduar. Froſſ. hiſt. l. 1. & alii.

Non uſus eſt Apoſtolicis conſiliis Rex Caſtellæ, ſeque in exitium conjecit, ut videbimus. Cæterum traductæ ſunt ineunte anno e Galliis in Aragoniam fœderatæ veteranorum militum turmæ, ducibus Bertrando Gueſclino Armorico bello clariſſimo & Hugone Carbolajo Anglo, converſuræ ferrum in Granatenſes Mauros, ſi Caſtellanus pacem cum Aragonio conſtitueret; vel ſi reſpueret illius ſcelera ulturæ, ac præcipue Blancæ Reginæ necem. His ſuccinctus Henricus comes Traſtamaræ irrupit (e) magno apparatu in Caſtellam, & Calagurrim deditione cepit. Quo ſucceſſu elatus Bertrandi Gueſclini conſilio regium nomen arripuit, ſuoſque duces magnis præmiis petendis ex hoſte affecit. Concitati tum novarum rerum ſtudio Caſtellani, ac ſui Regis crudelitatem exoſi, ſpurii fratris imperiis ſeſe addixere (f). Quibus de cauſis perturbatus Petrus, jam amiſſis amicis, quorum pleroſque necaverat, vagus & anceps an ſuorum fidei an virtuti crederet, nec tamen ſævitiæ immemor Joannem Tovarium illius fratrem, qui Calagurrim dediderat, interficit; ac præſidia omnia ex urbibus & arcibus, quas Aragonio multis laboribus eripuerat, detrahit & ad ſe redire jubet: atque ita momento amiſſa, quæ ſcelere pluribus annis parta.

Henricus comes Regem ſe Caſtellæ dicit.

(f) Ib. c. 8.

Caſtellanus momento deſerit quæ tot bellis eripuerat Aragonio.

Recepit ſua ea ratione Aragonius, conjecto in Caſtellam civili bello, ac felices ſucceſſus Pontifici ſignificavit: de quibus illi Urbanus gratulatus, ut gratum Deo animum præſtaret, regiiſque virtutibus exornaret, hortatus eſt (g): *Lætanter*, inquit, *admodum intelleximus, ſerenitatem tuam ſuorum bonorum recuperatione lætari: id enim optare debemus, ut quiſque teneat quod ſuum eſt, & ſuis finibus contentetur. Sed tu, fili chariſſime, ſucceſſus proſperos tuos a divina gratia recognoſce, Deo vero, non nomini tuo gloriam dando, & te illi gratum & humilem exhibendo, ut ſemper ſerves & ſervari facias juſtitiam & æquitatem, & veram pietatem & miſericordiam non relinquas: & Romanæ eccleſiæ matri tuæ ſemper te reverentem exhibeas & devotum, ejus & aliarum eccleſiarum libertates & jura effectualiter conſervando & etiam adaugendo: ut ille, in cujus manu ſunt omnia regna, ſolium tuum in hac vita ſolidet & confirmet, & tandem cæleſtis regni te faciat participatione gaudere, &c. Datum Avinione x. kalendas julii anno* IV. Sperabat Aragonum Rex partem Caſtellæ adjungere ditioni ſuæ, ut cum Henrico convenerat: ſed officiorum verbis, extrahente rem eodem Henrico, atque idoneo tempore id ſe præſtiturum ſpondente, deluſus eſt.

Aragonenſi gratulatur Urbanus.

(g) To. 4. ep. ſecr. p. 110.

XXXII. Petri Regis fuga in Luſitaniam.

Quod ad Petrum Caſtellæ Regem attinet; deſtituentibus omnibus quem cæleſtis favor deſeruerat, theſauris una cum filiis triremibus impoſitis, in Luſitaniam abſceſſit. Cum Henricus Traſtamaræ comes matris ac fratrum cruorem vindicaturus, ſuſcepta Olgis regni corona, populos in ſui obſequium adegit (h), ac Petrum Regis Luſitani filium ſibi devinxit adeo, ut longinquiora perfugia quærere Petrus Rex extorris coactus ſit. In Gallæciam profectus, Compoſtellam Sueri archiepiſcopi & Petri Toletani decani ſanguine manus cruentavit: claſſeque inſtructa Bajonam Anglica, Aquitanica, Navarrica auxilia conquiſiturus applicuit; de quo hæc

(h) Marian. ſup. c. 17.



(a) Geſta Urb. V. apud Boſq.

hæc tradit Urbani vitæ author anonymus (a): *Per eadem tempora, cum Petrus Rex Caſtellæ in ſuos inhumaniter deſæviret, nunc unum jugulando, & quemque ſuis bonis ſpoliando, & alias generaliter eos perſequendo; ejuſque furore perterriti quamplurimi a ſuo regno exularent, eſſetque odium innatum immo irradicatum inter eos ſaltem pro majori parte, fuit tractatus habitus, ut expelleretur a regno ſuo: in quo conſentientibus multis tam nobilibus quam eccleſiaſticis & particularibus, fuit vocatus, introductus, & admiſſus in Regem Henricus Comes de Traſtamara ſuus frater naturalis qui pro tunc, a facie ejus fugiens, tanquam profugus hinc inde vagabatur. Qui ſatis cito ſequaces multos habuit, & quaſi ex toto obtinuit dictum regnum: & cum dictum Petrum Regem perſequeretur, & ille pro tunc non haberet, ad quem confugeret; cum per prius fuiſſet omnibus plusquam hoſtis & capitalis inimicus, clam habuit regnum ipſum deſerere: veniſque ad Regem Angliæ & Odoardum principem Wualliæ ac Aquitaniæ primogenitum ſuum, theſauros innumerabiles ſecum ferens, petens eorum conſilium & juvamen.* Henricus vero æmulus Luſitanum & Granatenſem Reges ſibi obſtrinxit: tum, celebratis regni conventibus, perfecit, ut ſi quid ſibi humanitus accideret, Joannes filius paterni regni heres pronuntiaretur. Hactenus de Caſtellæ turbis, quæ iterum recrudeſcent.

Deinde ad Aquitanum profugit.

Henricus Rex ſolium ſuum firmat.

XXXIII.

Claudimus hujus anni periodum iis, quæ de creatis ab Urbano Papa Cardinalibus traduntur in memoratis ejus vitæ geſtis (b): *Eodem*, inquiunt, *anno qui pro tunc currebat MCCCLXVI. dictus Urbanus Papa die* XVII. *menſis ſeptembris, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum, tres creavit novos presbyteros Cardinales, videlicet dominos fratrem Guillelmum Sudoris diœceſis Tutellenſis ordinis Prædicatorum, tunc epiſcopum Maſſilienſem *: Angelicum Grimoardi fratrem ſuum, tunc epiſcopum Avenionenſem ſupra nominatum; & fratrem Marcum de Viterbio Italicum, tunc generalem magiſtrum ordinis Minorum.* At Felix Contelorius (c), quod ad Anglicum attinet, e fratre nepotem ex libro obligationum affirmat: verum conſtat Cardinalium, qui defuncto Urbano ad eum ſcripſere, teſtimonio (d) illius germanum fratrem extitiſſe.

(b) Geſta Urb. V. apud Boſq.

Cardinales creati ab Urbano.

* Anglicum

(c) Contel. in Elench. Cardd.

(d) Ext. cor. lit. in reg. lit. Card. ſede vac. Urb. V. pag. 1.

I. ILluxit annus ſalutis humanæ milleſimus treceñteſimus ſexageſimus ſeptimus indictione quinta Romanæ eccleſiæ totique Italiæ ſummi Pontificis adventu felix: in cujus deſcribendis itineribus geſtorum ipſius authorem ducem ſequemur. Inviſere prius conſtituit Urbanus Montempeſſulanum, in qua primum urbe humanioribus literis fuerat perpolitus, eamque magnificis religioſis ædibus ornaverat, ut laudatus ſcriptor narrat (a): *Circa principium*, inquit, *anni LXVII.* labentis nimirum hujus ſeculi, *ivit ad Montempeſſulanum cauſa videndi & viſitandi monaſterium, quod in honorem ſanctorum Benedicti & Germani a ſolo ſuis magnis ſumptibus ædificaverat, & ſolemniter dotaverat pro ſuſtentatione certi numeri monachorum, jam per eum ibidem inſtituti & ordinati partim ut divinis inſiſtant officiis, & partim in literarum ſtudiis vacent pariter & intendant. Ipſe enim pro tunc in propria altare majus eccleſiæ hujuſmodi monaſterio conſecravit, magnis privilegiis decoravit, & multis reliquiis, ornamentis, & jocalibus pretioſis adornavit.* De SS. Benedicti & Germani reliquiarum portione eo transferenda extant literæ pontificiæ (b), meminereque publicæ tabulæ monaſterii S. Victoris (c) de conſtructa ab Urbano apud Montempeſſulanum eccleſia ſanctis Benedicto & Germano ſacra, atque ara illius principe ſacrata ſolemni pompa, excitatoque in eadem urbe collegio duodecim medicorum, ac magnis vectigalibus aucto.

(a) *Geſta Urb. apud Boſq.*

Urbanus Montempeſſulanum adit.

(b) *An.3. ep. cur. p.* 198. & 199.

(c) *Tab. monaſt. S. Victoris apud Maſſ. & geſta Urb. V. apud Boſq.*

II. Luſtrato Montepeſſulano Avenionem reverſus Pontifex, itineri ad urbem ſe accinxit: nec leves illi difficultates in contrariis Regum & principum, ac præcipue Caroli Regis Francorum, Cardinalium, & aulicorum voluntatibus ſuperandis ſe objecere, quas deſcribit Petrarcha: (d) *Ante alios*, inquit, *inclytus Rex Francorum eccleſiæ filius, qui devoto quidem, ſed juvenili amore matrem cupiens propinquam, nec conſiderans quanto honeſtius ac melius abfutura eſſet, ad te abitum meditantem quos potuit laqueos direxit, quibus ſacros pedes apoſtolicos ad omne pium ſanctumque opus paratiſſimos implicaret; doctum ſcilicet ac diſertum ut perhibent, quemdam virum, qui coram te ac fratribus tuis cupide nimis audientibus verba faciens, in eo partem maximam ſuæ orationis aſſumpſit, ut cœlotenus ſuam Galliam attolleret, Italiamque deprimeret.* Refregit hominum voluntates Pontifex contrariæ divinæ voluntatis indiciis, aprilique exeunte ſe ab Avinionenſibus amplexibus divulſit.

Redit Avenionem.

(d) *Petrar. rer. ſenil. l.9. ep.1.*

Convenitur a Franco Rege.

Tentatur ut Galliis hæreat.

*Eodem anno*, ſcilicet LXVII. inquit vitæ Urbani ſcriptor (e), *die ultima menſis aprilis præfatus Papa receſſit de Avenione, greſſus ſuos dirigens verſus Romam.* Quinque Cardinales hæſiſſe Avenione, ſed nulla exornatos authoritate a Pontifice, refert author, qui ad Guillelmum Nangium appendicem adiecit. *Et cum applicuiſſet Maſſiliam, declinavit ad monaſterium S. Victoris, cui dudum præfuerat, quod cum prius eſſet vetuſtate conſumptum, minareturque ruinam in multis, a quo ad papatum aſſumptus fuerat, multimodis fecerat renovari & reparari, muriſque ac turribus altis circuiri & fortificari: magnis etiam privilegiis decoraverat, & multis adornaverat reliquiis, jocalibus, & ornamentis pretioſis. Ibidem inſuper exiſtens, die videlicet duodecima menſis maji anni prædicti, aſſumpſit in presbyterum Cardinalem Guillelmum de Agrifolio decretorum doctorem, tunc ſedis Apoſtolicæ notarium, jam ſacerdotem: de quo non modicum quamplurimi fuerunt admirati, cum eſſet juvenis, nondum attingens annum XXVIII. ætatis ſuæ & de ejus promotione ſaltem ad illum ſtatum pro tunc nullatenus ſperaretur. Sed ad hoc faciendum motus fuiſſe dicitur conſideratione domini Guillelmi de Agrifolio ſenioris tit. S. Mariæ in Tranſtyberim presbyteri Cardinalis, cujus ipſe Papa ſocius & familiaris fuerat, cum in minoribus exiſtebat; & qui poſt Deum ſuæ dictæ aſſumptionis dicebatur fuiſſe præcipuus promotor & author, cujus dictus dominus Guillelmus nepos exiſtebat: qui etiam in ſtudio in quo a ſua adoleſcentia uſque tunc verſatus fuerat, bonæ famæ, vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ, & inter alios ſuos coætaneos ſatis eſſe ſufficiens communiter ferebatur, eratque ſpecioſus forma, ſtatura decorus, & alias bene diſpoſitus ad omne bonum.* Si quas tum is virtutes præ ſe ferebat, diro poſtea flagitio labefactavit: inter præcipuos enim ſchiſmatis anteſignanos Clementem pſeudopontificem ſecutus, Dei eccleſiam acerrime oppugnavit, uti ſuo loco lugebimus. Quanto vero magnificentiæ apparatu effuſaque civium gratulatione Urbanus Maſſilia fuerit exceptus, ac memorabile in ea ipſius dictum, e Petrarcha libet decerpere, qui hiſce verbis Pontificem alloquitur. (f)

(e) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Maſſiliam petit.

Monaſterium S. Victoris ab eo inſtauratum.

Guillelmus de Agrifol. creatus Card.

(f) *Petrar. rer. ſenil. l.7.*

*Nuper dum Maſſiliam peteres, pietate non dubitem urgente, ac deſiderio revidendi religioſum illum atque humilem nidum, unde hinc cœleſti providentia, hinc tua virtute quaſi duabus alis ad ſuperos evolaſti, teque plebs devota & tui in primis amantiſſima non ut hominem, ſed ut Deum, quem officio repræſentas, ſummo gaudio atque ingenti veneratione ſuſciperet, tam pio ſpectaculo permotus, neſcio an lachrymas, ſed certe verba non tenuiſti, quæ in noſtris gratius etiam fortaſſis, quam multorum, qui aderant, auribus ſonuerunt. Dixiſti autem inter multa, quod niſi eſſet alia cauſa Romam atque Italiam petendi, niſi ut devotionem fidelium excitares, abunde quidem hæc ſola ſufficeret. O ſanctum & æterna memoria dignum verbum!* Et infra: *Si talis occurrit tibi Maſſilia, quam obſequioſa, quam devota, quam reverens Roma occurret? Non affuſum modo, & præ gaudio lachrymantem, ſacramque tellurem piis fletibus irrorantem populum, ſed ipſos Dei angelos in limine obvios habebis, qui vicarium ſponſamque ſui Domini in ſedem atque in thalamum proprium redeuntes ineffabili gaudio, & prædulcibus hymnis excipient.*

De Maſſilienſium in Urbanum ſtudio.



III. Narrat etiam Petrarcha ad Brunum, (a) qui Pontifici ab epiſtolis erat, ut Urbanus claſſem, quam Italici principes certatim ſubmiſerant, Maſſiliæ conſcenderit, averſis adeo Cardinalium voluntatibus, ut hæc de iis ſcribat: *Unum de multis interſeram, fuiſſe ibi nonnullos ex illo etiam venerabili ordine, qui confeſtim, ut ventus claſſem terris eripuit, ceu torti acriter muliebri ejulatu omnium in ſe nautarum ſimul vectorumque ora converterent; quin & convitiis, ne qua ſtomachi eſſet excuſatio, blaſphemiiſque non parcerent: O malum Papam, o patrem impium, exclamantes; quoniam terrarum miſeros filios rapit? non quaſi ad Chriſtianitatis unicam ac ſupremam arcem urbem Romam ſua in ſede catholicæ futuri Reges eccleſiæ, ſed quaſi Cteſiphontem aut Memphim Saracenorum in carceres traherentur. Vere ergo miſeri filii ſic affecti: vere autem feliciſſimus pater ac piiſſimus (ſi latine dicitur) qui nolentes etiam ac luctantes filios ad ſalutem ducit.* Et infra.

Italica claſſis ad eum excipiendum inſtructa.

(a) *Petr. rer. ſenil. l.9. ep.2.*

Effœminatæ nonnullorum Cardd. Gallorum voces.

*Merito itaque Deus illi, qui in his maledictis acerrimus omnium fuit, manifeſtum ac terribile ſignum fecit, ut ſcilicet ex quo ſanctam civitatem attigit, illico moreretur: qui cum morti proximus eſſet, ad ſummum Pontificem deſtinaſſe traditur, qui dicerent, perſuaſum ſibi a medicis, ut ſi ſalvus eſſe vellet, ad ſuum aerem atque patriam* * *remaneret, commeatumque depoſcerent. Quod audiens Papa quid reſponderit, ut nil penitus illuſtrium latet, uſque huc famæ relatibus inſonuit, quæ an vera ſint, tu ad ſacros pedes aſſiduus indicabis; ego enim rei neſcius rem ſcienti narro: ſed id facio, ut ſi in manus fortaſſis alterius hæc venerint, reſponſum omnibus notum fiat, marmoribus inſculpi & præ foribus urbium ac templorum legi dignum, atque æterna omnium, ſed præſertim doctorum ſanctorumque hominum memoria celebrari. Cum enim mandata nuncii peregiſſent, ille ſubito: Ite, inquit, & domino veſtro, amico meo & ſcholæ ſocio dicite: Cura in patriam eundi bona eſt, modo noverit quænam patria ſit ſua; nam terrenam patriam cogitare in hoc ſtatu intempeſtivum ac mortiferum: cœleſtis illa Jeruſalem vere patria noſtra eſt. Ad hanc ergo ſuſpiret, ad hanc animum attollat: cujus tamen in limine duos ſe maximos potentiſſimoſque hoſtes quæſiviſſe meminerint Apoſtolos Chriſti, Petrum ſcilicet & Paulum, quorum voluntati ſumma vi reſtitit, meque illius executorem præ cunctis diſſuaſoribus omni quo quivit ingenio retardavit. Illos ergo dum adhuc licet, compunctione cordis & lachrymis ac precibus mitiget, ut eos ſibi propitios nec obſtruſum patriæ limen inveniat: hic inſiſtat, hoc cogitet, omiſſiſque curis inanibus, unam hanc arripiat, qua placati Apoſtoli Chriſtum placent, lætamque illi januam regni cœleſtis aperiant. Euntes hæc ſibi meis verbis nuntiate. O reſponſum vere angelicum!* &c. Pluribuſque interjectis addit: *Cardinalem illum, de quo ſigillatim ſupra dixi, ſic in morte contritum, ut devotius nihil: atque ita prioris pœnituiſſe pervicaciæ, ut alium nullum ſibi vellet heredem niſi ſolam tituli ſui eccleſiam, quam præ cunctis horruerat, cujus in refectionem omne ſuum patrimonium juſſit expendi, atque ibi ſepeliri mortuus voluit. Valuiſſe illi conſilium apoſtolicum intelligo, immo Chriſti conſilium vicarii ſacro ore prolatum, quo ſera licet, tamen efficax illius animæ mutatio facta eſt: & hinc ſibi provideant collegæ ejus, ut [dum datur] obſtinatos animos ad amorem ſuarum ſedium inflectant, nec expectent pro ſanioribus conſiliis diem mortis.* Obiiſſe memorant (b) hoc anno quinque Cardinales, nimirum Ægidium Albornotium Sabinenſem, de quo inferius (c), Eliam e S. Eredio Oſtienſem, Petrum Iterium Albanenſem epiſcopos, Eliam minoritam tit. S. Vitalis, & Guillelmum Bragoſium tit. S. Laurentii in Lucina presbyteros: atque e duobus poſtremis alterum indicaſſe videtur Petrarcha, cum illum presbyterum Cardinalem extitiſſe ſignificet. Sed ad intermiſſam de maritimo Urbani itinere narrationem redeamus, quam vitæ auctor ita deſcribit (d).

Horum intemperantior a Deo caſtigatus.

* remearet.

Reditum in patriam expoſcenti datum ab Urbano reſponſum.

Mira illius Card. mutatio.

Qui Cardin. hoc anno obierint.

(b) *Contel. in elen. Cardd.*

(c) *Hoc ann. n.15.*

(d) *Urb. geſta apud Boſq.*

IV. *Die vigeſima dicti menſis*, nimirum maii, *idem Urbanus Papa de Maſſilia exiens intravit mare cum mirabili apparatu galearum & aliorum navigiorum, de quibus honorifice valde ſibi providerant Joanna Regina Siciliæ, Veneti, Januenſes, & Piſani: iterque ſuum perſequens, die quarta ſequenti proſpere applicuit Januæ, ubi fuit tam in portu, quam civitate per ducem & cives ſolemniter receptus, & debite honoratus. Et quia pro tunc dies rogationum, inſtabatque dies aſcenſionis Domini, ibidem per illos remanere decrevit: & interim, equitando per dictam civitatem, eccleſiam majorem viſitavit, & demum pro ſua*

De Urbani in portum Genuen. appulſu.

*ſua manſione deſcendit ad domum S. Joannis Jeroſolymitani, in cujus eccleſia in dicta die aſcenſionis Domini ſolemniter celebravit; & in craſtinum, iter ſuum continuando, abinde diſceſſit, relicto ibidem domino fratre Marco de Viterbio tit. S. Praxedis presbytero Cardinali pro ſedandis guerris & diſſenſionibus, quæ pro tunc vigebant inter dictam civitatem & Bernabonem de Vicecomitibus Mediolani: & [divino ſibi aſſiſtente præſidio] pervenit feliciter ad portum ſeu plagam Corneti die quarta menſis junii ſubſequentis circa ortum ſolis. Ubi mari exiens, ſibi obviam habuit dominum Ægidium Alvari Hiſpanum epiſcopum Sabinenſem Cardinalem, tunc ſedis Apoſtolicæ legatum in provinciis illis comitatum fere omnibus nobilibus & magnatibus terrarum eccleſiæ ac prælatis, & aliis quamplurimis armatis aut inermibus prout eorum cujuſlibet conditio ſeu qualitas exigebat. In litore autem parata fuerunt tentoria tam de pannis ſericis, quam frondibus ſeu ramis arborum virentium magna amœnitatis decora: quæ cum dictus Pontifex fuiſſet ingreſſus, ac in ipſis aliqualiter conveniſſet, parato ibidem altari miſſam cum nota ſolemniter fecit coram ſe decantari. Qua finita, equum aſcendit, venitque Cornetum hora prandii, ad domum Minorum declinando.* Conſentit Feus Belcarius in actis B. Joannis Columbini (*a*) conditoris Jeſuatorum ordinis ita dicti, quod nomen Jeſu conclamarent. Urbanum Cornetum feria ſexta die julii quarto appuliſſe, ac Joannem ipſum ſuis ſtipatum alumnis omni officiorum & obſequii genere, gaudio ingenti ſummo Pontifici famulatum, atque ab illo exceptum benigne (*b*): dum vero Joannes Senis redibat, pie obiiſſe (*c*), claruiſſeque miraculis (*d*).

Legatum decernit pro revocanda pace inter Genuenſes & Bernabonem. Ab Ægidio legato excipitur. In littore divinam rem ſolemni ritu peragit.

(*a*) *Feus in vita B. Jo. Colum. c.64.* B. Jo. Columbini in urb. obſervantia. (*b*) *Ib. c. 64. 65.* (*c*) *Cap. 76.* (*d*) *Cap. 85. &c. & Martyr. Rom. die ult. julii.*

V. Pergit anonymus vitæ Urbani author (*e*): *Ubi*, nimirum Corneti, *manſit uſque in craſtinum diei inſtantis pentecoſtes, in qua ipſe ibidem ſolemniter celebravit: veneruntque ad eum ſolemnes nuncii Romanorum, pro eorum parte ſibi plenum dominium urbis offerentes, ac claves S. Angeli per ipſos prius detenti ſecum deferentes. Abinde autem recedens die nona dicti menſis intravit Viterbium, ubi fuit cum magno gaudio & ſolemnitate receptus. Venerunt ad eum ibidem paulo poſt tam domini Cardinales, qui poſt eum per terram iter ſuum proſecuti fuerant, quam univerſaliter nobiles & magnates, prælati & communitates partium Italiæ de ſuo adventu gaudentes.* Decreviſſe Urbanum aliquandiu hærere Viterbii, ut Carolum Imperatorem expectaret, quo una cum ipſo Romam ingrederetur, ex literis pontificiis ſuperiori anno allatis vidimus: ſed Carolum novæ difficultates ab Italiæ ingreſſu retardarunt. Dum vero Viterbii morabatur Urbanus, ſeditio in aulicos a civibus concitata eſt (*f*), moxque ſontium ſupplicio ſedata. De eadem ſeditione meminit Petrarcha (*g*), quam motiunculam vocat queriturque nonnullos nefaria ſpes concepiſſe Pontificem ea populari inſania exaſperatum, ſedem in Gallias reducturum.

(*e*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.* Romanorum ad Urbanum legatio. Viterbii ingenti lætitia exceptus. Ab Italorum oratoribus convenitur. Carolum Imp. fruſtra opperitur.

(*f*) *Ead. geſta.* Mota ſeditio & mox repreſſa. (*g*) *Petrar. l.9. rer. ſenil. ep.1.*

Nondum Pontifex Viterbio moverat, cum Joannis Palæologi Græcorum Imperatoris oratores una cum Amedeo Sabaudiæ comite ipſum convenere, ut de orientalis eccleſiæ cum Romana conjunctione agerent, atque auxilia ad retundendos Turcarum impetus elicerent, uti laudatus Urbani vitæ author ſubjectis verbis enarrat (*h*): *Dicto Urbano adhuc Viterbii exiſtente, venerunt ad ipſum memoratus Amedeus comes Sabaudiæ, patriarcha Conſtantinopolitanus, & aliqui alii viri notabiles miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani, pro ſui parte eidem Papæ promittentes, ipſum rediturum ad Romanæ eccleſiæ unitatem; & ſuper hoc breviter perſonaliter venturum ad ipſum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die decima ſexta menſis octobris Romam intravit, occurrente ſibi clero & populo Romanis ipſumque ſolemniter recipientibus cum magno gaudio, ac demum laudantibus de jucundo adventu ſuo. Poſtquam vero in eccleſia B. Petri ſuam fecit orationem, in cathedra papali fuit more ſolito collocatus: declinavitque ad palatium ſuum dictæ eccleſiæ contiguum, quod prius vetuſtate ac inhabitatione quaſi conſumptum & diruptum ſaltem quoad tecta, opere mirabili fecerat renovari.*

(*h*) *Geſta Urban. V. apud Boſq.* Imper. Conſtantinopolitani inſignis ad Urban. legatio. Pontificis in Urbem ingreſſus.

VI. Scripſit Petrarcha panegyricam epiſtolam ad Urbanum (*i*) inter effuſas principum ac populorum Italiæ gratulationes, ex qua hæc decerpſimus: O *iterum te felicem! O felicem diem, qui te matris ex utero in lucem edidit, & ceu benignum ſydus aliquod mundo dedit! Nunc verus, mihi vere ſummus ac Romanus es Pontifex, vere Urbanus, vere Petri ſucceſſor, vere vicarius Jeſu Chriſti. Eras & ante (non inficior) poteſtate, dignitate, atque officio: nunc (quod eſt optimum) voluntate, pietate, atque exercitio. Neque enim aut voluntas ſanctior, aut purior pietas eſſe poteſt homini, quam tibi eſt ſemperque fuit, ut puto: ſed nunc ita rebus ipſis eminuit, ut jam nemini eſſe poſſit occulta: neque a quoquam promptius poſſet aut cautius in actum deduci, ſine quo quidem ſterilis eſt voluntas. Quinque Pontificum ſtatu parium, non animis, & ſexaginta vel eo amplius annorum negligentias unus tu diebus pauciſſimis emendaſti.* Et infra: *Reduc eccleſiam tuæ creditam cuſtodiæ in antiquos mores, quam in ſedes priſtinas reduxiſti, ut undique fiat irreprehenſibilis: & qualis olim fuit toto orbe, venerabilis eſſe rurſus incipiat ac dilecta.* Et infra: *Doce fratres ac filios tuos ſpernere quæ amabant, amare quæ metuunt quæve oderunt: odiſſe ſeipſos, qui tamdiu oderint quod amandum erat. Dignum literis aureis Auguſtini verbum eſt: Nemo poteſt perfecte diligere quo vocatur, niſi oderit unde revocatur. Et poſt pauca. Nec fiet quiſquam qualis cupit eſſe, niſi ſe oderit qualis eſt.*

Petrarchæ ad illum panegyrica gratulatio. (*i*) *Eod. l. 9. ep.1.*



*Oſtende ſenſibus vagis, adhuc malas domos Rhodani & paluſtria rura quærentibus, loca illa ſalubria ubi effectum eſt, quod janitor cæli doctor orbis pariter, ut de utroque canit eccleſia, judices ſeculi, vera mundi lumina, per crucem alter, alter enſe triumphans vitæ ſenatum laureati poſſident. Oſtende illis digito non procul inde ab illius ingentis ac devotæ foribus baſilicæ ubi Simon Petrus aſcendit in crucis patibulum, unde clavicularius regni gaudens migravit ad Chriſtum. Oſtende paululum diſtantius, ubi Paulus Apoſtolus lumen orbis terræ inclinato capite pro Chriſti nomine martyrio coronatus eſt. Hæc enim ſæpe de ſuis ducibus cecinerunt ac legerunt; loca ſancta (ut arbitror) non viderunt: quæ cum viderint hæſerintque animis, pudebit (ut ſpero) profanorum & infamium locorum, ad quæ non recto judicio, ſed obliquo affectu & longo uſu amorem immeritum conceperunt. Jube illos cogitare, atque interius ſpectare oculis venerandum ac ſanctiſſimum ſenem Petrum non peregrini vini cupiditate, ſed juſto metu mortis abſterritum abire, dehinc calle medio Chriſtum illi obvium: quo conſpecto ſtatim verbo unico, ut ajunt, ad certam mortem intrepidus remeavit. Videant illum ipſum mox in cruce pendentem, per quem ipſi ſedibus aureis ac ſcabellis eburneis inſiſtentes accepiſſe ſe ſentiunt (niſi ingrati ſint) quidquid habent excellentiæ, quidquid opum, quidquid gloriæ. Poſt aſpiciant mentibus glorioſiſſimi Pauli truncum caput, vas electionis, doctrinæ cœleſtis armarium, limpidiſſimum fidei noſtræ ſolem: illum cordis auribus audiant ipſa de morte altis Jeſum vocibus noviſſimiſque ſuſpiriis invocantem. Miraculi teſtes eximii fontes ibi ſunt totidem, quot ſaltus dediſſe ſacrum caput fama eſt. His ipſis in locis, quæ cæſa cervix attigerat, ſi devote voces illas audierint, deque his fontibus pio hauſtu biberint, & ſymphonias tranſalpinas ſpernent, & ſiticuloſos modo fonticulos, qui ſunt ad Rhodani angulos, non requirent.* Hactenus Petrarcha. [1]

De ſacris Urbis locis.

VII. Ubi ſuas ſedes in baſilica S. Petri fixit Urbanus, primas curas orientalis eccleſiæ ad Romanæ obſequium rediturae conjunctioni conſecravit: qua de re dicturi rem paulo altius repetemus. Legarat jam ante decennium Innocentius VI. Conſtantinopolim Petrum Thomam tum Pactenſem epiſcopum ad Joannem Palæologum Imperatorem, qui ad Romanæ eccleſiæ gremium ſe recipiendi pium ſtudium oſtenderat, uti ſuo loco meminimus (*a*). Geſta autem adeo ſtrenue res eſt a legato ſanctiſſimo, ut Palæologus Romanum Pontificem ſummum eccleſiæ toto orbe diffuſæ antiſtitem agnoverit (*b*), pollicitus (*c*) ſe Græcos, acceptis auxiliaribus copiis, ad eccleſiæ Romanæ obſequium adducturum, ſeque filium obſidem miſſurum ad Apoſtolicam ſedem, quam etiam ipſemet adire percuperet, Chriſti vicarium meritis honoribus proſequeretur. Nulla porro multorum annorum flexu ſubmiſſa fuerant idonea auxilia, quibus Turcica tyrrannis poſſet comprimi, principibus nimirum Chriſtianis perpetuis civilium bellorum turbinibus agitatis: Quinimmo Orchanes ob Cantacuzenum & Matthæum, quibus arctiſſimo erat junctus fœdere, tyrannide depulſos, deinde Amurates maximas clades

Actum de Græcor. ad Romanam eccl. reditu

(*a*) *Ann. Chr.1356. n. 34.* Ut Palæologus jam ante ſchiſma damnarit. (*b*) *Philip. e Mazer. in vit. B. Petr. Tho. c. 5.* (*c*) *Ext. ea de re imperial. lit. datæ 7. novemb. an. 1357. apud Philip. e Mazeriis eod. c. 7.*

NOTÆ. [1] DE conſilio reſtituendæ in Italia pontificiæ ſedis, quod Urbanus hoc anno cepit & mandavit executioni, peculiaria quædam ſcribit F. Bartholomæus della Pugliola Minorita, qui per hos annos hiſtoriam Miſcel. Bononienſem texebat, vulgatam rer. Ital. to. XVII. Narrat ille pontifici de reditu cogitanti reſtitiſſe valide Regem Galliæ, *il quale*, ait, *da lì indietro aveva guidati, e menati gl'altri papi, come a lui piaceva; imperochè di continuo aveva cardinali di ſuo parentado, e di ſua amiſtà*; reſtitiſſe pariter cum rege cardinales fere omnes, Italis exceptis, qui tres tantummodo ſupererant, *uno degli Orſini, uno de Capuzzi* (Capocius) *e uno di Viterbo*, (ex ordine Minorum aſſumptus) ſed cum Italis, & præ Italis vehementer id conſilii urſit Ægidius cardinalis Hiſpanus, quem hoc elogio celebrat: *Grandiſſimo, probo, ſavio, e valente uomo*. Addit hiſtoricus cardinales ſequi Pontificem recuſantes, ab ea obſtinatione deterritos a pontifice, minitante ſe illis dignitatem abrogaturum, Italis ſubſtitutis.

Porro ad Ægidium Cardinalem quod attinet, obiiſſe illum hoc anno certum eſt. De die, & menſe emortualibus diſſidium eſt aliquod inter ſcriptores. Licet enim vulgaris opinio, quam invexit authoritas Anonymi Vaticani, ab Annaliſta hic num. 15. producti, & Author ſecundæ vitæ Urbani apud Baluzium diem XXIV. Auguſti aſſignat; attamen Author hiſtoriæ Miſcellæ Bononienſis, qui per hos annos ſcribebat, ut ipſe non ambigue prodit dum geſta quædam hujus anni enarrans, ſubdit: *Non sò che ne ſarà &c.* Diem Cardinalis hujus emortualem quam luctuoſiſſimam accidiſſe teſtatur Bononienſibus, de quibus vir iſte ſummus meruerat egregie, ſignat diem XIV. Auguſti. Author Polyhiſtoris, qui tamen ſupputatorem haud egregium temporum ſe præbet, diem XX. Julii notat. In hac ſententiarum varietate præferendam cenſeo eam in qua ſcriptores gemini rerum ab Urbano geſtarum conveniunt; nec forte diſſidet Author Miſcellæ, cujus forte textus pro die XXIV. mendoſe diem XIV. præfert. MANSI

Amedei Sabaudi comitis opera Gallipolim receperit.

des Græcorum imperio intulerant, donec anno ſuperiori Amedeus comes Sabaudiæ, Urbani auſpiciis collecto cruceſignato exercitu, laturus conſanguineo ſuppetias, Gallipolim Græciæ portum munitiſſimum, in quem ex Aſia Turcæ trajicere & Chriſtianorum Europæorum triſtia ſpolia convehere ſoliti erant, expugnavit: de quo etſi ſileant annales Turcici, meminit tamen Urbani vitæ ſcriptor hiſce verbis (a): *Amedeus comes Sabaudiæ Gallipolim ipſam eripuit de manibus Turcorum, quam demum tradidit Imperatori Græcorum conſanguineo ſuo.* Recuperata Gallipoli, Joannes Palæologus in ſpem obterendæ Latinorum auxiliis Amuratis Turcorum principis potentiæ, qui imperium in Græcia jam late protulerat, erectus eſt; miſitque ad Urbanum octo oratores ampliſſimos, quibus Amedeus Allobrogum princeps, de quo paulo ante memoravi, & Paulus ex Smyrnenſi archiepiſcopatu ad patriarchatum Conſtantinopolitanum poſt B. Petri Thomæ mortem evectus, ſocios ſe addiderant, pollicitus expetitam tot annorum continentibus votis orientalis eccleſiæ conjunctionem ſe perfecturum, Romamque vere proximo acceſſurum. Audita ejus legatione Viterbii, ut antea indicavi, Urbanus perficiendæ tantæ rei ſolicitus, ne qua Palæologo mare Siculum ſulcaturo injuria inferretur, Joannæ Reginæ Siciliæ imperia dedit (b); ut regio edicto ſuos a quavis inferenda illi offenſiuncula contineret.

(a) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

(b) To. 6. *ep. ſecr. pag.* 3.

*Urbanus, &c. chariſſimæ in Chriſto filiæ Joannæ Reginæ Siciliæ illuſtri.*

Ut Palæolog. Imp. ſpoponderit Romam ſe acceſſurum.

*Ad notitiam tuæ ſerenitatis deducimus, quod magnificus vir Joannes Palæologus Imperator Græcorum illuſtris, necnon prælati, clerus, calogeri, nobiles, & populi Græciæ cupientes, ut aſſerunt, ad obedientiam & unitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ remeare, octo ambaſſiatores ſolemnes ſtatuum diverſorum una cum venerabili fratre noſtro Paulo patriarcha Conſtantinopolitano, & dilecto filio nobili viro Amedeo comite Sabaudiæ, propter hoc ad nos venientibus, ad ſedem Apoſtolicam deſtinarunt: obtulitque ac pollicitus eſt Imperator præfatus, ſe in menſe maii proximo futuro, pro facienda ſua ſuique populi reconciliatione cum dicta eccleſia ad ſedem præfatam cum nonnullis prælatis, aliiſque clericis & religioſis, ac nobilibus & plebeiis perſonaliter acceſſurum, vel eo impedito (quod abſit) ſuum primogenitum tranſmiſſurum. Quare cum ex dicta obedientia & reconciliatione, ſi eam fieri contingat Domino juvante compleri, ſalus multarum alias pereuntium animarum, Chriſtianitatis augmentum, & tutela fortiſſima, infidelium repreſſio, aliaque multa ſpiritualia & temporalia bona ſint probabiliter proventura; omneſque fideles Chriſti, præſertim perſonas ſublimes, ad hoc deceat favores, & auxilia impertiri; ſerenitatem tuam rogamus & hortamur attente, mandantes quatenus vigilanter provideas, quod dictis Imperatori & ejus primogenito, aliiſque Græcis & gentibus, qui cum eis vel eorum altero ad ſedem venient memoratam, per terram vel mare regni Siciliæ nulla injuria, damnum, aut impedimentum aliud irrogetur; ſuper hoc publicam proclamationem gravium bannorum, & pœnarum comminatione ac inflictione per dictum regnum, ubi expedire cognoveris, fieri faciendo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* VIII. *id. novembris pontificatus noſtri anno* VI.

Monita Regina Siciliæ ne eum lædat.

Monitus æmulus Philip. Imp. de eodem.

Rogatus quoque Philippus princeps Tarentinus (c) dictus Imperator Conſtantinopolitanus, Balduini II. a Michaele olim Palæologo Conſtantinopoli pulſi materno jure heres, ne ob veteres ſimultates optatiſſimam Græcorum conjunctionem diſturbaret, tutumque ac liberum commeatum venienti Imperatori daret. Latini etiam alii (d) qui in orientalibus oris principatus amplos obtinebant, ut Rhodiorum equitum magiſter, Marcus Cornelius Venetorum & Gabriel Adurnius Genuenſium duces, tum Ægæi maris inſulani, ut Chienſes Eubœique, ſolicitati (e) ut Imperatorem ſtudiis ſuis ad ſedem Apoſtolicam profecturum proſequerentur: *Nobilitatem & diſcretionem veſtram*, hos poſteriores alloquitur, *rogamus & hortamur attente, quatenus tam ipſi patriarchæ, quam magnifico viro Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri & ſuis gentibus, pro dicta reconciliatione ad ſedem profecturis eandem, in eundo & redeundo ob reverentiam dictæ ſedis & noſtram, ac augumentum fidei Chriſtianæ ſi requiſiverint, veſtra tribuatis auxilium, conſilium, & favorem.*

(c) *Ead. pag.*

(d) *Ead. pag.*

Moniti etiam alii principes.

(e) *Eod. to* 6. *pag.* 1.

VIII. Excitati ad conſtantiam Jo. Pal. filii.

Ut foveret autem in ſuſcepto pio redintegrandæ orientalis eccleſiæ & ſchiſmatis damnandi conſilio Græcos, Pontifex excitavit Joannis Palæologi Imperatoris filios (f), Andronicum, Manuelem, & Michaelem ad Romanæ eccleſiæ obſequium pronos, ut conſtantes perſtarent, ac paternam pietatem æmularentur. Quo etiam argumento ſubjectas ad Helenam ipſorum matrem literas dedit (g).

(f) *Ead. pag.* 1.

(g) *Ead. pag.* 1.

*Urbanus, &c. illuſtri principiſſæ Elenæ Imperatrici Græcorum gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

Pontificiæ ad Elenam Imp. adhortationes.

*Lætati ſumus ab intimis in iis, quæ venerabilis frater noſter Paulus patriarcha Conſtantinopolitanus & ambaſſiatores magnifici principis Joannis Palæologi Imperatoris Græcorum illuſtris, conſortis tui, ad ſedem Apoſtolicam deſtinati nobis de tua prudentia aliiſque virtutibus retulerunt. Illudque lætificavit præcipue mentem noſtram, quod (prout a patriarcha & ambaſſiatoribus præfatis audivimus) non ſo-*

*lum*



*lum optas Latinorum & Græcorum ſanctiſſimam & amabiliſſimam unionem: ſed ad hoc devotæ tuæ operationis ſtudium ardenti animo impendiſti, præfatum Imperatorem & aſſiſtentes eidem ad proſequendum & perficiendum unionem hujuſmodi providis tuis perſuaſionibus inducendo. Gaudemus itaque quod in te mulierem fortem invenimus, in qua cor merito poteſt confidere viri tui, cujus utriuſque hominis ſalutem & gloriam ardenter deſideras, & ſtudioſa procuras. Eapropter tuam excellentiam & prudentiam attentius exhortamur in Domino, quatenus in hujuſmodi tua laudabili voluntate & operatione perſiſtens, præfatum conſortem ac inclytos natos tuos (quibus prudenter ſatagis regnum recuperare ac ſtabilire terrenum) & nihilominus acquirere ſempiternum, ac clerum & populum Græcorum ſolicitare non deſinas, ut negotium unionis præfatæ puris animis & efficacibus ſtudiis proſequatur. Nam ſacroſanctam Romanam eccleſiam, quæ non claudit redeuntibus gremium, reperient non ſolum juſtam & piam, ſed (quantum ſecundum Deum poterit) favorabilem, & etiam gratioſam. Dat. Romæ apud S. Petrum* VIII. *id. novembris pontificatus noſtri anno* VI.

Jo. Cantacuzen. ad rem promovendam ſolicitatus.

Pollebat multa authoritate in Græcorum clero ad perficiendam hanc conjunctionem Imperatricis pater Joannes Cantacuzenus, quem antea cum Clemente ſexto de adducendis ad Romanæ eccleſiæ obſequium Græcis egiſſe, dum ſceptris vi & tyrannide arreptis potiebatur; ſed cum rem ſegnius tractaret, atque in Turcis, quorum prædæ ac furori Græciam ſua ambitione expoſuerat, ſpes ſuas collocaret, imperio deturbatum, mortiſque metu ad monachorum S. Baſilii inſtituta confugiſſe vidimus. Ipſum ergo Pontifex hortatus eſt (a), ut partes ſuas in clero ad Romanæ eccleſiæ obſequia revocando adhiberet.

(d) Eod. *to.* 6. *ep. ſecr. ſuper pag.* 1.

*Urbanus, &c. prudenti viro Catacuſino ordinis S. Baſilii olim Imperatori Græcorum gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Audivimus ſæpius, te fore virum multa prudentia, & etiam literarum divinarum ſcientia redimitum, olimque Græcorum imperium multo tempore gubernaſſe, & poſt relictam coronam imperii ad auſteritatem vitæ, ordinem videlicet S. Baſilii tranſmigraſſe; multamque calogerorum, ac cleri & populi Græcorum habere ſequelam: propter quod in perfectione tractatus unionis eorumdem Græcorum & Latinorum præ cæteris poſt imperiale culmen potes exiſtere fructuoſus; ſicut in iis, quæ in tractatu prædicto apud Conſtantinopolim geſta ſunt ultimo, aſſeris extitiſſe. Quare diſcretionem tuam requirimus & hortamur attente, quatenus magnificum virum Joannem Palæologum Imperatorem Græcorum illuſtrem generum tuum, ac calogeros, nec non clerum & populum prælibatos ad faciendum unionem præfatam, ex qua innumera ſpiritualia & temporalia bona provenient, dictumque Imperatorem ad veniendum propterea ad ſedem Apoſtolicam, ut promiſit, providis tuis conſiliis & inductionibus jugiter exhorteris; proinde dictorum Imperatoris, & imperii ſtatui in præcipitium cadenti, quotidie ſuccurſurus, ac glorioſum nomen in ſeculo & in excelſis etiam præmium recepturus. Dat. ut ſupra.*

IX.

Comparati egregie viſi ſunt ad ſchiſma vetus damnandum tum religioſam vitam profeſſi, tum alii ſeculares clerici, cum nimirum extremæ calamitates exceptæ a Turcis, atque aliarum imminentium terror ſuperiorem pertinaciam molliviſſent, quibus hæc reſcripſit Urbanus (b).

(b) *Eod. to.* 6. *pag.* 10.

*Prudentibus viris univerſis archimandritis aliiſque calogeris Græciæ gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.*

Ut Græcanicus clerus ad obſequium Pont. procubuerit.

*Audivimus jucundanter* [nempe ex oratoribus] *quod vos ſeu magna pars veſtrum, non abſque gratia divinæ inſpirationis inducti, jam dudum de reconciliatione ac unione Græcorum facienda cum ſacroſancta Romana eccleſia matre ac magiſtra cunctorum Chriſti fidelium apud Conſtantinopolim ageretur, præfato Imperatori & aliis tractatoribus hujuſmodi ſancti negotii fideli ac provido conſilio ſuaſiſtis, ut omnino præfatam facerent unionem: propter quod ipſe ac vos, nec non clerus & populus civitatis Conſtantinopolitanæ eoſdem & alios ambaſſiatores ad ſedem Apoſtolicam deſtinaſtis: & idem Imperator obtulit ſe cum pluribus veſtrum ac prædictorum cleri & populi ad dictam ſedem de menſe maii proxime futuro perſonaliter acceſſurum, &c.*

X. Additi illi pii ſtimuli.

Aſſenſerant reditengrandæ felici illi eccleſiarum conjunctioni Philotheus Conſtantinopolitanus, Niſon Alexandrinus, & Lazarus Jeroſolymitanus patriarchæ, ac ſuas ad Pontificem literas, quibus ſe illius obſequio addixere, tranſmiſerant: quos hortatoriis literis excitavit Chriſti vicarius, ut gregem dominicum ſub uno ſupremo paſtore congregarent: ſignificavitque, ſi una cum Imperatore Romam accederent, debita ipſos benevolentia ac officiis ſe complexurum.

*Prudentibus viris Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſon Alexandrinam, & Lazaro Jeroſolymitanam patriarchales eccleſias more Græcorum regentibus, gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro.*

Ad patriarchas hortatoriæ literæ.

*Salutaris intentionis veſtræ propoſitum ſuper reductione Græcorum ad ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ unitatem nobis tam per literas veſtras, quam per ve-*

*nerabilem fratrem noſtrum Paulum patriarcham Conſtantinopolitanum, ac providos viros Nilos Metropolitis & Theodorum * Megatarſtophilatas nuntios veſtros latores præſentium reſeratum audivimus cum multa lætitia. Proinde devotas gratias referentes Altiſſimo, qui tam laudandum propoſitum veſtris mentibus inſpiravit, rogamus vos & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus in dicto propoſito immobiliter perſiſtentes lumen, quod in vobis eſt, in cognoſcendo utilitatem veſtram & aliarum innumerabilium animarum & corporum, ex reductione præfata indubie proventuram, non abſcondatis ſub modio, ſed ſuper candelabrum veſtræ ſinceræ prædicationis & operationis cunctis Græcorum populis oſtendatis, ut in ipſius claritate per ſemitam mandatorum Domini gradiantur; voſque tanto plus apud ipſum Dominum laudari, ac altius ſuper plura conſtitui mereamini, quanto plures manipulos de credito vobis agro collegeritis, & ad aream Domini afferetis, quantoque de datis vobis talentis datori reportabitis majus lucrum.*

* Megacartophylacas.

*Cæterum valde gratum habebimus, quod cum magnifico viro Joanne Palæologo Imperatore Græcorum illuſtri, & cum aliis multis viris literatis & autenticis de clero & populo Græcorum ad ſanctam ſedem Apoſtolicam matrem & magiſtram cunctorum fidelium, ad quam idem Imperator venturum ſe obtulit, veniatis: ubi vos libenter videbimus, & condignis honoribus proſequemur; ac (dante Deo) tollentur ſchiſmata, & alias ſaluti dictarum providebitur animarum. Dat. Romæ apud S. Petrum* VIII. *id. novembris pontificatus noſtri anno* VI. Provocati etiam apoſtolicis adhortationibus fuere (a) cives Conſtantinopolitani, imperiique totius proceres: nec non Latini, qui in oriente plura obtinebant, commoniti, ut iis non deeſſent.

(a) *Ead. pag. & pag.* 2.

XI. De Paulo patriarch. Conſtantinop.

Quod ad Paulum patriarcham Conſtantinopolitanum (Latinum ſcilicet) ſpectat; is, dum pontificia legatione Conſtantinopoli fungebatur, cum Joanne Cantacuzeno, ad quem ante Urbanum ſcripſiſſe vidimus, congreſſus illum excuſſit, an Palamæ diſtinctionem realem inter divina attributa actioneſve divinas & divinam eſſentiam fingentis, plureſque comminiſcentis divinitates; nec non lumen, quo in monte Thabor Chriſtus circumfulſit, increatum fuiſſe delirantis hæreſibus contaminatus eſſet, demumque poſt concertationes varias, a Cantacuzeno expreſſit, divinam eſſentiam ejuſque actionem immanentem non re, ſed ratione diſtingui. Poſtea tamen Cantacuzenus nonnulla ſcripta edidit, quæ diſtinctionis realis ambiguitatem iniecere, ac fœdiſſimum Palamæ dogma de increato lumine Thaborio aſſerere contendit, quæ Paulus patriarcha ſubjectis tabulis promulgavit (b), profeſſus illa ſe Romano Pontifici delaturum: *Paulus miſeratione divina patriarcha Conſtantinopolitanus, omnibus in Chriſto fidelibus.* Et infra. *Ne poſteros veritas rerum prætereat oportere cenſui, quæ inter Imperatorem Cantacuzenum & me diſputari contigit, ſcripturæ tradere. Quoniam enim ad dominum Papam Urbanum V. & ejus Cardinales nonnulli Græci retulerunt, commemoratum Imperatorem Cantacuzenum & eccleſiam Græcorum multas ſuo dogmate divinitatis inducere ſupereminentes & remiſſas, & quod aſſerant quæ Deo inſunt realiter inter ſe differre, & unumquodque horum deitatem diſtinctam in infinitum a divina ſubſtantia diſtare; cum noſſe verum hujus doctrinæ cuperem, Conſtantinopoli degens, quando ad Imperatorem Palæologum a commemorato ſummo Pontifice miſſus fui, quæſivimus iſtud ſcire, non autem potuimus verbo vel re aliquid certi de hac opinione & impia doctrina comprehendere; quapropter & coactus ſum verbis aſperis eos inſectari, & veluti quibuſdam argumentis provocare. Tandem Imperator ipſe Cantacuzenus de hac opinione mecum verba fecit. Quamvis autem a principio videretur mihi non recte ſentire, qui ex ejus verbis eum diſtinctionem realem ponere ſuſpicabar; tamen poſt aliquos dies ſermone protracto dixit, ſe non ſentire realem diſtinctionem inter ea quæ Deo inſunt, ſed tantum ratione & conceptu mentis. Tunc veluti gaviſus dixi, bene eum dicere, & cum B. Ambroſio convenire. Poſtea dicta colloquia ſcriptis mandavit, quibus nonnulla inſeruit, quæ dubitationem pariunt, utrum rationis tantum, an etiam realem diſtinctionem eſſe contendat: quæ profecto ſcripta ſummo Pontifici oſtendam, ut ea vel improbet vel confirmet.*

Ut Cantacuzenum excuſſerit an Palamæ hæreſibus inquinatus eſſet.

(b) *Ext. inter opuſ. aurea poſteriorum Græc. cuſa Romæ pag.* 405. Delatum id Pontifici fuerit.

Profeſſus ſit demum Cantacuzenus in Divina natura diſtinctionem rationis, non rei. Dein ſuſpicionem ſcriptis iniecerit, an diſtinctionem realem poneret.

*Deinde ſcripſit de lumine, quod apparuit in monte Thabor, aſſerens illud eſſe increatum, & non eſſe Dei eſſentiam, ſed quandam divinam operationem, quod ne auditu quidem ferendum eſt: nihil enim eſt increatum præter divinam eſſentiam, & omne increatum ſempiternum eſt: nullum porro ſempiternum viſibile eſt, quæ enim cernuntur temporanea ſunt. Quare ſi diceret, illud viſibile lumen ſymbolum fuiſſe inviſibilis & increati luminis, utique recte ſaperet: dicere autem lumen, quod corporalibus oculis viſum eſt, eſſe increatum, omnino extra terminos fidei eſt contra omnem rationem. Hæc igitur volumus præſenti ſcripto eſſe manifeſta, ut rei veritas in poſterum conſervetur.* Hæc de Cantacuzeno vere promulgata a Paulo patriarcha oſtendit ipſius Cantacuzeni hiſtoria (c), in qua ipſe eos errores de thaborio lumine ut fidei dogmata proponit. At de his hactenus.

Lumen Thaborium increatum fuiſſe effutierit.

(c) *Cantacuz. lib.* 2. *c.* 40.





XII. Catharenſes catholici oppreſſi a ſchiſmaticis.

Cæterum dum Græci Conſtantinopolitani, e ſchiſmate emergere cogitabant, nonnulli ſchiſmatici præpotentes ſuæ tyrannidi Catharenſes catholicos Raſciis & Albanis ſchiſmaticis circumfuſos ſubjicere ſunt moliti, qui cum ad communem parentem ac religionis defenſorem Romanum Pontificem opem flagitaturi confugerent, Urbanus Venetorum ducem, qui ob maritimas vires quibus pollebat, facile iis ſubſidio accurrere poterat, excitavit (a), ut in retundendis ſchiſmaticorum conatibus potentiam explicaret, & Catharenſes tueretur.

(a) *Tom.* 6. *ep.* 5. *ſecr. pag.* 7.

*Marco Cornario duci Venetiarum.*

*Dilectorum filiorum civium & communis civitatis Catharenſis piam querelam audivimus cum amaritudine mentis noſtræ, continentem quod licet ipſi ſint inter hæreticos & ſchiſmaticos Albaniæ & Raſſiæ conſtituti, tamen prout notorium eſt, ſunt catholici, in unitate & obedientia ſanctæ Romanæ eccleſiæ perſiſtentes: quodque nonnulli nobiles & alii ex dictis hæreticis & ſchiſmaticis eos ſubjugare, & ad damnabilem ipſorum ritum adducere hoſtilibus aggreſſibus moliuntur; & quod, niſi a te & aliis Chriſti fidelibus adjuventur, ſunt in maximo animarum & corporum ac rerum periculo conſtituti: quare ſuper hoc apoſtolici favoris præſidium implorarunt. Nos igitur eiſdem civibus & communi paterno compatientes affectu, nobilitatem tuam devote requirimus, rogamus, & hortamur attente, quatenus omnibus ſubditis tuis diſtricte præcipias, ne præfatis hæreticis & ſchiſmaticis per mare vel terram contra jam dictos cives & commune præbeant aliquod auxilium vel favorem: quinimmo ipſos cives & commune pro eorum defenſione ab hujuſmodi hoſtibus facienda velis ob reverentiam Dei, ſuæque fidei, ac Apoſtolicæ ſedis & noſtram in tantæ neceſſitatis articulo charitativis auxiliis & favoribus, de quibus eis commode ſubvenire poteris, adjuvare; proinde a Deo præmium & a nobis dictaque ſede pleniorem benevolentiam obtenturus. Dat. Romæ apud S. Petrum* VIII. *kal. decembris.* Accenſi pariter (b) Jadertini, Raguſini, Dyrrachini, atque Appuli, ut religionis ſtudio Catharenſes orthodoxæ fidei cultores ab impiorum ſervitute vindicarent.

Solicitati ad ferendam iis opem Veneti.

Provocati ad id alii populi.

(b) *Ib. pag.* 6. *&* 7.

XIII. Petrus Cypri Rex adulterio contaminatus.

Neque ad tuendos modo orientales catholicos adverſus hoſtium arma & potentiam Urbanus incubuit, verum etiam e vitiorum ſervitute eripiendos. Victus a molliſſima voluptate in adulterii cœno jacebat Petrus Rex Cypri, qui antea armatos Saracenorum cuneos vicerat, partarumque victoriarum gloriam obſcurabat: nec leve aberat periculum, ne ab impiis, quorum ſpurcitias imitabatur, clientela divini Numinis deſtitutus, vexaretur. Ipſum itaque Chriſti vicarius, cui Reges regere cœlitus datum eſt, ſubjectis literis ad puriora conſilia revocare niſus eſt (c).



(c) *Eod. to.* 6. *ep. ſecr. pag.* 22.

*Chariſſimo in Chriſto filio Petri Regi Cypri illuſtri.*

*Amara nimis, & horrenda relatio, apoſtolicis auribus ſæpius inculcata, noſtro patefecit auditui, quod tu, propria abjecta conſorte illuſtri genere ac morum elegantia decorata, non erubeſcis quandam adulteram publice retinere: ex quo Deum creatorem tuum inſtitutorem ſacri matrimonii offendis graviſſime, animam tuam laqueo damnationis involvis, regiam claritatem obnubilas, & populum tuum, qui jucundatur in multiplicatione regalis ſobolis, triſtem facis, ac hoſtes crucis & tuos, quorum es perſecutor acerrimus, ex eo lætificas, quod Regem regum, qui contra ipſos tibi largitur victorias, offendere non paveſcis, ac de propitio, tuis culpis conſtituis offenſorem; & meritum ac gloriam, quæ pugnando ſtrenue contra dictos hoſtes aſſequeris, proh pudor! cauſa unius impudicæ mulieris amittis. Quare celſitudinem tuam, cujus ſalutem & gloriam paternis zelamus affectibus, monemus ac rogamus attentius & hortamur, tibi nihilominus per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ſi eſt ita [quod vix credere poſſumus] ad quantum & quam deteſtabile prolapſus ſis facinus, in humilitatis & contritionis ſpiritu recognoſcens, & omni tempore, præſertim iſto, quo magnifice proſequeris cauſam Dei, te ab ejus offenſione cuſtodiens, feſtines reatum tuum celeriter emendare, eandem adulteram abjiciendo prorſus & eminus, ac præfatam tuam conſortem affectu conjugali tractando, & condignis honoribus proſequendo; ſic perfecte errata corrigens, quod Deo, & hominibus fias correctus placidior, quam eſſes primitus non excedens. Dat. Romæ apud S. Petrum* IV. *non. decemb. anno* VI. Admovit etiam ad tantum dedecus e Cypria regia removendum Pontifex Raimundi archiepiſcopi Nicoſienſis curas, quem juſſit opportune & importune precibus, imperiis, blanditiis, minis, incumbere apud Petrum Regem (d), ut conjugem reciperet atque ab occidente repetendo, ad committendam monomachiam cum Florimundo Sparræ regulo deterreret, cum id ab ipſius dignitate & ſalute abhorreret. Trajecit porro ſequenti anno in occidentem Cyprius Rex, ſed ut auxilia in Saracenos eliceret, ac Pontificem in urbe ſalutavit, de quo ſuo loco. Nunc reliqua ab Urbano Romæ geſta proſequamur.

Commonitus ut e cœno ſeſe erigat.

(d) *Ib. pag.* 22.

A monomachia cum Sparræ regulo abſtineat.

XIV. Sacratum ab ipſo Sabinenſem epiſcopum omnium ſanctorum pervigilio, narrat vitæ illius author (e): *Die*, inquit, *ultima dicti menſis, quæ fuit dies dominica in vigilia omnium ſanctorum primum in al-*

(e) *Geſta Urb. V. apud Boſq.* Sabinenſis epiſc. ſacratus ab Urbano.

*altari B. Petri ſolemniter celebravit, & ibidem conſecravit in epiſcopum Sabinenſem prænominatum dominum Guillelmum de Agrifolio, qui longis temporibus ante non conſecratus fuit. S. Mariæ in trans Tyberim presbyter extiterat Cardinalis. In dicto autem altari a tempore Bonifacii Papæ VIII. non fuerat celebratum propter ſummorum Pontificum, qui in ipſo tantum ſunt ſoliti celebrare, abſentiam diutinam.* Suffectus eſt Guillelmus de Agrifolio in Sabinenſis eccleſiæ adminiſtratione Ægidio Albornotio pacis bellique artibus clariſſimo, cujus virtute ditio eccleſiaſtica a tyrannorum cruentis manibus erepta, ac via venturo Pontifici ſtructa fuerat: Viterbii vero præſente jam Pontifice quaſi ſuo functus munere, ac lauream immortalitatis collecturus obierat, relicto omnibus, ac maxime Urbano ingenti ſui deſiderio, de quo hæc ejuſdem Urbani vitæ author tradit (a):

(a) *Geſta ead. apud Boſq.*

Ægidii Card. mors.

Die XXIV. *menſis auguſti immediate ſuum dictum adventum ſubſequentis obiit in Viterbio præfatus dominus Ægidius Alvari epiſcopus Sabinenſis Cardinalis, vir utique memoriæ laudabilis, immo etiam indelebilis in æternum. Fuit namque legatus in dictis partibus continue fere per quatuordecim annos: & licet a principio repererit civitates, loca, caſtra & terras, quæ ad dominium, jus & proprietatem Romanæ eccleſiæ ſpectabant, ſub manibus * conſiſtere, Montisflaſconis & de Montefalco dumtaxat exceptis; tamen divino fretus auxilio ſic operatus eſt nunc per tractatus amicabiles, nunc vero per inſultus hoſtiles, quod fere omnia ad obedientiam dictæ eccleſiæ ſuo tempore ſuoque miniſterio reducta: in quibus etiam caſtra, rochas, & alias munitiones ut plurimum aut noviter fecit ædificari, aut quæ hactenus, in poſterum in defenſionem fidelibus, rebellibus vero ad offenſionem & terrorem. Fuit inſuper homo admodum virtuoſus, literarum ſcientia præditus, in agibilibus multum circumſpectus, corde magnanimus, corpore laborioſus, ac in factis armorum, non omiſſa pontificali decentia, valde edoctus & expertus: ſcivitque in omnibus ſic & taliter ſe gerere, quod in tota Italia vivens amabatur, aut ſaltem timebatur. Ipſe de bonis a Deo ſibi datis conſtituit, dotavit, ac fundavit Bononiæ unum ſolemne collegium pro pauperibus ſcholaribus regionis ſuæ. Plura alia bona fecit pro ſalute animæ ſuæ. Ejus obitus fuit multum toti eccleſiæ damnoſus, & præfato Urbano Papæ diſplicibilis & doloroſus, præſertim in ſui dicti adventus principio, cum ſperaret in ſuis agendis per eum in plurimum dirigi & juvari.* Ex his conſtat errore lapſos, qui Ægidii obitum ante hunc annum collocant. Cineres Aſſiſii temporario ſepulchro in eccleſia S. Franciſci conditos, Toletum poſtea tranſlatos, uti ab ipſo in ultimis tabulis cautum fuerat, ad templum S. Ildefonſi; cumque Urbanus indulgentiarum ampliſſima præmia funus cohoneſtaturis, ac feretro ſubcollantibus largitus eſſet, Toletum uſque certatim populis occurrentibus piorum humeris delatum eſſe referunt ſcriptores Hiſpanici (b): cum tamen Bergomenſis affirmet (c) non corpus, ſed cor in Hiſpanias delatum.

* *tyrannorum*

Ejus elogium.

Sui ingens deſiderium reliquit.

Ejus cineres Toletum relati piorum humeris.

(b) Jo. *Mar. l. 17. c. 7. & alii.*

(c) *Bergom. hiſt. l. 13.*

XV. Non ſucceſſit modo Ægidio Guillelmus in Sabinenſi epiſcopatu, ſed in Siciliæ etiam citerioris legatione, ipſique partes demandatæ ſunt (d), ut Beneventani agri, ad ſedem Apoſtolicam ſpectantis, ex Clementis VI. reperito diplomate circumſcriberet limites, quorum deſignandorum authoritas ex pactis cum Carolo I. initis ad eccleſiam ſpectabat, cum ea res extracta hactenus fuiſſet. De miſſo in citeriorem Siciliam Guillelmo epiſcopo Sabinenſi meminit Urbani vitæ author, ac præcipuam mittendi illius cauſam ad ſopiendum civile inter principes bellum fuiſſe obſervat: extantque Urbani literæ (e), quibus eum ad pacem inter Philippum Tarentinum Conſtantinopolitanos gerentem titulos & Franciſcum e Baucio Andriæ ducem conciliandam juſſit incumbere: *Non abſque multa*, inquit, *cordis noſtri amaritudine attendentes, quod bellicoſa & jamdiu protelata diſcordia chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani illuſtris, ac dilecti filii nobilis viri Franciſci de Baucio ducis Andriæ, non ſolum ipſis eorumque ſubditis, ſequacibus, & terris; ſed toti pene regno Siciliæ & terræ citra pharum, in quibus ſuperius dominium obtinemus, & in quibus iidem Imperator & dux morantur, produxit hactenus & producit aſſidue animarum & corporum atque rerum graviſſima detrimenta: & efficax via pacis quæſita ſæpius nondum potuit (quod dolenter referimus) inveniri, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* II. *non. decemb. anno* VI. Adjuncti (f) poſtea ſunt Guillelmus Oſtienſis epiſcopus & Petrus S. Mariæ novæ diaconus Cardinales controverſiæ arbitri, demumque lis Urbani ſtudio ſopita. Cæterum ex iis inteſtinis bellis citerioris Siciliæ Fridericus Aragoniæ ſtirpis vires collegit in Trinacria, illiuſque ſibi ſubjiciendæ concepta ſpe, qui antea miſſis ad ſedem Apoſtolicam oratoribus ad concordiam pronum ſe oſtenderat, & cenſuris ob retentam avitam tyrannidem exolvi ſupplex flagitarat, priſtino abjecto conſilio, præfractiorem ſe ad illius leges exhibuit: cui Pontifex reſcripſit (g), ut ſi pacem optaret, idonea inſtructos authoritate oratores mitteret, neque inani ſpecie Apoſtolicæ ſedis expectationem deluderet.

Guillelmo de Agrifol. legatio Sicula demandata.

(d) *To. 6. ep. ſecr. pag. 26. & an. 3. ep. com. 26.*

(e) *An. 6. ep. com. 12.*

(f) *To. 6. ep. ſecr. pag. 129.*

Fridericus Trinacr. princeps cenſuris ſolvi flagitat.

Dein a concordia avertitur.

(g) *Ibid. ep. ſecr. pag. 24.*

XVI. Tuendæ in reliqua Italia pacis ſtudio idem Pontifex ut facilius tyrannicam Bernabonis & Galeacii ambitionem, ac fœderatorum Veronenſium reprimeret, fœdus ad ſeptennium cum Carolo Imperatore, Ludovico Rege Ungariæ utpote eccleſiæ ſignifero ac defenſore, Franciſco Carraria Patavino, Ateſtinis marchionibus Ferrarienſibus, ac Gonzagis Mantuanis, Arnaldi Auxitani archiepiſcopi præfecti ærarii opera percuſſit: cujus initi conſilium in publicis ea de re tabulis tum conſcriptis illuſtratur (a), quæ ab his verbis ducunt exordium.



Pontificem inter & Imp. & Ungarum fœdus adverſus tyrannos.

(a) *Lib. priv. Rom. eccl. to. 2. pag. 227. & MS. bibl. Vall. ſign. n. 12. pag. 181. ad 186.*

*In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti & glorioſæ virginis, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & totius curiæ triumphantis: ad honorem, ſtatum, & exaltationem ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri Urbani, divina providente clementia Papæ V. ſanctæque Romanæ eccleſiæ, & reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum S. R. E. Cardinalium, & glorioſiſſimi ac invictiſſimi principis domini Caroli, Dei gratia Romanorum Imperatoris ſemper auguſti & Boemiæ Regis; nec non ſereniſſimi principis domini Ludovici, Dei gratia illuſtris Regis Ungariæ, & ad conſervationem & ſtatum magnifici & potentis domini Franciſci de Carraria pro ſacro Romano imperio Paduæ, Feltri, Beluni, &c. & vicarii generalis, & dominorum Nicolai, Ugonis, & Alberti fratrum illuſtrium marchionum Eſtenſium, ac dominorum Guidonis de Gonzaga, Ludovici & Franciſci fratrum & filiorum ejuſdem Mantuæ, &c. pro ſacro Romano imperio vicariorum generalium.* Adjunctæ ſunt leges, quibus mutua ope hoſtium conatus propulſaturi ſint; atque invicem mutua auxilia in Italia ſibi præſtituri, ac demum tabulæ pactionis locorum ac temporis teſtiumque circumſtantiis ita conſignatæ: *Singula ſupraſcripta acta fuerunt, lecta, & firmata in præſentia reverendiſſimi in Chriſto patris & domini domini Anglici tit. S. Petri ad vincula presbyteri Cardinalis, præſentibus nobili viro domino Nicolao de Spinellis de Neapoli legum doctore cancellario regni Siciliæ, domino Joanne de Cabreſpina decretorum doctore, & domino Joanne de Senis licentiato in jure civili teſtibus ad prædicta vocatis ſpecialiter & rogatis, anno Domini MCCCLXVII. indictione quinta, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Urbani, divina providentia Papæ V. anno* v. *præfati die ultima menſis julii in palatio apoſtolico Viterbienſi, &c.* Confirmatæ ſunt hæ pactionis tabulæ, atque inſertæ apoſtolicis literis, quibus dies aſcripta his verbis. *Dat. Viterbii nonis auguſti pontificatus noſtri anno* v. Anglicum porro, de quo in his tabulis fit mentio, creatum epiſcopum Albanenſem, ditionique eccleſiaſticæ præfectum, juſſumque Bononiæ conſiſtere, ut nimirum eam urbem in officio adverſus Vicecomitum inſidias contineret, tradit Urbani vitæ ſcriptor (b).

Alii principes ſocii.

Anglicus Cardin. præfectus Bononiæ.

(b) *Geſta Urb. V. apud Boſ.*

XVII. In Polonia Numinis juſtitiæ in divinorum beneficiorum immemores homicidas editum hoc anno inſigne exemplum refert Michovias (c): *Anno*, inquit, *Domini MCCCLXVII. Bithomienſes cives furore acti plebanum & prædicatorem ſubmerſerunt, & ex hoc venæ argenti & plumbi ceſſaverunt.* Subdit plures excurſiones in Lithuaniam a magiſtro equitum Pruſſiæ factas.

Divinæ juſtitiæ exemplum inſigne.

(c) *Michov. l. 4. c. 28. Crom. l. 12.*

Dum vero hi bellum in ſeptentrione pro tuenda fide gerere pergunt, ad meridiem Hiſpani, qui pariter exercere vires in Chriſti hoſtes conſueverant, in mutuas neces ferrum ſtrinxerant Henrico Traſtamaræ comite Gallicis fulto copiis arreptum regium decus defendente, ac Petro Caſtellæ Rege Eduardi Aquitaniæ principis viribus inſtructo regnum repetente. Perſtringit Urbani vitæ auctor (d) pactiones inter Caſtellanum & Aquitanum initas, partumque de hoſtibus triumphum: *Mediantibus theſauris prædictis*, de iis loquitur, quos Petrus Rex Caſtellæ avexerat in Aquitaniam, *ſecum confœderati ſunt, ſibique favoribus & auxiliis opportunis aſſiſtere promiſerunt: pro quorum majore firmitate dedit duas filias ſuas, quas ſecum duxerat, in conjuges duobus filiis Regis Angliæ memorati, ordinavitque earum primogenitam, quam recepit Joannes dux Lencaſtriæ, ſibi debere ſuccedere in ſuo regno, ubi ipſum decedere contingeret ſine maſculo legitimo & naturali. Quibus peractis Odoardus princeps prædictus cum magno exercitu armatorum, ipſum ſecum ducens, dictum regnum intravit: dictoque Henrico victo in prælio, fugæ tamen præſidio liberato, vi armorum intra paucos dies ipſum ad ſtatum ſuum dictique regni ſui regimen reſtauravit: & ſic ipſo ibidem relicto, triumphator glorioſus ad propria remeavit.* Hæc breviter auctor, quæ fuſius a ſcriptoribus Hiſpanicis recenſentur.

Caſtella civili bello ardet.

(d) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Petrus Rex ad Aquitaniæ principem confugit.

Ab eo regno reſtituitur.

Non diu reportatæ victoriæ fructu potitus eſt Petrus Rex: nondum enim confirmato regno, Aquitaniæ (e) principe Eduardo ſpe promiſſorum deluſo, atque irarum pleno abſcedente, Henricus Traſtamaræ comes Gallorum, quibus Eduardi ingrata erat felicitas & amplicatio principatus exoſa, auxiliis animatus, in Caſtellam eſt reverſus, cum plures adhuc urbes inſignes in ipſius perſtarent fide: Iberoque trajecto, crucem in arena expreſſit, eamque deoſculatus vovit, e provincia non niſi victorem ſe diſceſſurum; atque ad eam cæremoniam, ut ſtudia inflammaret, ſuos aſtrinxit. Inde concurrentibus ad eum copiis auctus Burgos contendit, & civium cupida voluntate acceptus, Jacobum Regem Balearem, qui Petri Caſtellæ Regis partes ſecutus, illius ope Balearico regno reſtitui ſperabat, inter-

(e) *Marian. l. 17. c. 11.*

Henrici comitis in Caſtellam ſecunda irruptio.

Gallicis auxiliis juvatur.

Jacobus Balearis captus.

tercepit vinculiſque tradidit. Commotus eſt Jacobi Balearis calamitate Pontifex, ac literis VI. kal. januarias datis, Henricum ſolicitavit (a), ut infelicem Regem, qui diutius in carceribus Aragonicis elanguiſſet, reſtitueret libertati: qui poſtea multa auri vi a Joanna Regina Siciliæ redemptus eſt. Reliquas Caſtellæ converſiones ſuo loco proſequemur: nunc Luſitanas adjungimus.

(a) To. 6. ep. ſecr. pag. 32.

Redimitur a Joanna Neapol.

XVIII. Luxit hoc anno Luſitania Petri Regis obitum, quem ſui incredibile deſiderium reliquiſſe, refert Mariana (b), ac juſtitiæ laude floruiſſe, ſceptrumque annos novem, totidem menſes, dies viginti octo tenuiſſe: familiarem illi hanc vocem fuiſſe, indignum regio nomine videri principem, quo die nemini beneficium contuliſſe. Succeſſit in regno Ferdinandus filius, qui cum oratores ad ſedem Apoſtolicam miſiſſet, ut Chriſti vicario regia obſequia de more deferret, Urbanus gratias ei hiſce literis egit (c), ac pontificia ſtudia eſt pollicitus.

Petri Regis Luſit. mors.

(b) Marian. l. 17. c. 9. & alii.

Inſignis illius familiaris vox.

Succedit Ferdinandus filius.

(c) To. 6. ep. ſecr. pag. 9.

*Chariſſimo in Chriſto filio Fernando Regi Portugaliæ illuſtri, ſalutem, &c.*

*Serenitatis tuæ literas nuper gratanter recepimus, per quas te excuſaſti humilitate devota, quod propter certa impedimenta notoria, poſtquam fuiſti ſublimitate regia decoratus, nobis per proprios ambaxiatores eas reverentiam, obedientiam, & ſubjectionem filiales, quas univerſi catholici principes, præſertim in regiminum ſuorum primordiis Apoſtolicæ ſedi conſueverunt impendere, minime impendiſti; ipſaſque per eaſdem ſuppleviſti literas, te ad noſtra beneplacita filialiter offerendo, ambaxiatores eoſdem, cum facultas aderit, ad dictam ſedem nihilominus tranſmiſſurus. De his itaque tuam reverentem & devotam magnitudinem multipliciter commendantes, tuis zelo ad fidem catholicam, ac devotione præcipua ad Romanam eccleſiam, & aliis virtutibus intellectis, de tua ſublimatione regali ingenti lætitia gratulamur, intendentes te brachiis paternæ dilectionis amplecti, ac regium ſolium & regnum tua proſequi dictæ ſedis favoribus in caſibus opportunis, in quibus ad nos recurſum habeas cum fiducia filiali. Confortare igitur, fili chariſſime, Deum time, & omnia bona adjicientur tibi: fidemque catholicam, velut pugil Domini tuearis: cole juſtitiam, qua thronus regius ſtabilitur, agnoſcens te ad vindictam malorum, & laudem bonorum fore ſuper alios ſublimatum: defende libertatem eccleſiaſticam, in qua Rex regum & dominantium Dominus honoratur; & in devotione ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris tuæ ſicut amantiſſimus filius, cui Dominus ad ſui laudem & gloriam dies bonos ſuper dies adjiciat, perſeveres. Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. decembris anno* VI.

Pontifici regia obſequia defert.

Ad virtutes ſectandas excitatur.

Addimus ad hujus anni calcem, Urbanum reſtituendæ diſciplinæ eccleſiaſticæ cupidum, cum cæteris præſulibus egregium exemplum curandi ſui gregis explicuiſſet; dediſſe operam, ut conſtitutio apoſtolica de eccleſiis paſtorum præſentia non deſtituendis ſervaretur; data enim ea de re Bernardo Neapolitano & Pino Brundiſino archiepiſcopis hæc imperia (d): *Mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum omnes & ſingulos archiepiſcopos, epiſcopos, & abbates alioſque eccleſiarum prælatos, quos in civitate Neapolitana, quam nimirum frequentare dicuntur, reſidere compereritis, ex parte noſtra moneatis & inducatis, ut ad eorum eccleſias ſeu diœceſes reſidere procurent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IV. kalend. januarii anno* VI. Verſari etiam in eadem regia aula viri religioſi conſueverant, illecti nimirum rerum caducarum amore, quos magis in ſuis monaſteriis animum rebus divinis transfundere decuiſſet: de quibus etiam ad ſua cœnobia revocandis eiſdem archiepiſcopis partes demandatæ. (e) [1] XIX.

Paſtores ad eccleſias redire juſſi.

(d) Ib. pag. 47.

Cœnobitæ ad ſua monaſteria abire imperati.

(e) Ead. pag.

Se-

NOTÆ [1] HOc anno, ſeptembri menſe, Eboraci in Anglia concilium celebratum, quod inter provincialia merito accenſet Coſſartius, cum in capitibus VII. VIII. & IX. conſtitutiones illæ decretæ in concilio provinciali aſſerantur. Qui pariter Coſſartius huic anno concilium adſcribit ductus ex anno XV. Willelmi archiepiſcopi, quo acta ejuſdem ſignantur. Cœpit enim Willelmus anno 1352. In capite II. ejuſdem concilii abuſus, qui in obeundis vigiliis ſanctorum, & defunctorum in Eccleſias irrepſerant, cenſuris coercentur. Ex quibus intelligimus nocturnas vigilias nondum apud Anglos deſueviſſe; quæ pariter ſervabantur ſive in Eccleſiis ſive in privatis domibus, antequam defunctorum cadavera ſepulturæ mandarentur. Sed cum Fideles ad crapulas ea occaſione potius quam ad preces, ut planius explicatur in cap. X. concilii Londinenſis anni 1342. convenirent; ideo in eos abuſus animadvertitur. MANSI



I. SExageſimo octavo hujus ſeculi anno indictione ſexta Bernabos Vicecomes primum fraudibus, deinde aperto furore in eccleſiam graſſatus, novos concitavit motus in Italia, ſummique Pontificis pium ardorem in reprimenda ipſius tyrannide exercuit. Creſcebat in dies tyranni improbitas, ac proferre latius flagitio principatum moliebatur: atterebat populos vectigalibus, ſtupris virginum, ac nuptarum mulierum adulteriis erat inquinatiſſimus: non tuta erat ab ejus ſævitia religioſorum virorum innocentia, quos necabat: epiſcopos alioſque Dei adminiſtros ejus ambitio conculcabat, indixeratque Romanæ eccleſiæ bellum; denique violatis humanis juribus, blaſphemis vocibus divinum Numen impetere non perhorreſcebat. Ad coercendum itaque furentem hominem arma exerturus Chriſti vicarius, ut eorum æquitatem illuſtraret ſervato judiciorum ordine, legum ſeveritate tum Bernabonem ipſum, tum omnes ejus ſequaces conſtrinxit (a): imploravit Caroli Imperatoris ut eccleſiæ defenſoris potentiam, cujus etiam ea de cauſa adventum anno ſuperiori urſit, ac fideles ad ſequenda ejus ſigna concitavit præmia indulgentiarum ampliſſima ipſis impertitus, hoc edicto apoſtolico propoſito (b).

Bernabos vexat eccleſiam.

In eum diſtrictæ leges.

(a) To. 6. ep. ſecr. pag. 110. 112. & 148.

(b) An. 6. ep. cur. pag. 107.

*Urbanus, &c. ad futuram rei memoriam.*

II. *Cogit nos temporis qualitas, & illius profani hoſtis, & impii Bernabonis de Vicecomitibus militis Mediolanenſis nequitia deteſtanda ſolicitat, ut ejus diris conatibus, quos adverſus Deum & Chriſti fideles jugiter emolitur, in virtute divinæ dexteræ obſiſtentes, prædictorum eccleſiæ & fidelium illarum partium providere quieti cautius ſtudeamus. Ipſe namque Bernabos, ſanctæ matris eccleſiæ viſcera ſemper corradere ſatagens, illius alienatus a ventre inter cætera ejus non facile numeranda facinora ex multo jam tempore eccleſias & eccleſiaſtica loca, ac Romanæ eccleſiæ & imperii de quorum adipe impinguatus & dilatatus exiſtit, & aliarum etiam eccleſiarum civitates, terras, & loca per violentiam occupare, & occupata ſub ſervitute tyrannica detinere, ac ipſarum civitatum, terrarum, & locorum cleros & populos, habitatores & incolas talliis, impoſitionibus, collectis, & aliis intolerabilibus extorſionibus fatigare, omnemque quaſi ipſorum ſubſtantiam rapere, & innumeros ex ipſis etiam clericos & religioſos trucidare crudeliter, proſcribere, & in exilium relegare; virginum raptus, adulteria & ſtupra, ſacrilegia & alia nefaria multiplicia perpetrare; eccleſiaſticas cenſuras contemnere, divinique cultum Numinis impedire, epiſcopos & alios prælatos, ac miniſtros Dei capere ſeu capi, detineri, & arreſtari facere, & tam ſuis, quam ſuarum eccleſiarum caſtris, locis, juribus, juriſdictionibus, honoribus, & aliis bonis ſpoliare & ne in ſuis eccleſiis reſidere ſuumque officium ibidem exercere valeant prohibere; libertates & immunitates eccleſiaſticas violare, & quaſi totaliter abſorbere (propter quod, maxime in illis partibus, hæreſes pullularunt & ſchiſmata, crevit indevotio populi, divinus diminutus eſt cultus, fidelium animæ perditionis exponuntur periculis, injuriis licentia præſtita, & ſcandala ſuſcitata fuerunt) præterea dictos fideles cleros & populos tot & tantis preſſuris afficere, flagellis cædere, & tot miſeriis indeſinenter affligere (ut in ſolo fidelium deterior ſit conditio, quam olim eſſet populi Dei ſub jugo Pharaonicæ ſervitutis) inſolenter præſumpſit hactenus & præſumit animo obſtinato; quinimmo noviter in tantam prorupit præſumptionis audaciam, quod gentes & terras ipſius ſanctæ Romanæ eccleſiæ pollutis labiis diffidare, & contra eam & ejus gentes & terras guerram movere temere comminatur: nonnullas terras eidem eccleſiæ confœderatorum, eique fidelium & adhærentium per gentes ſuas hoſtiliter invadere non expavit.*

Propoſita ejus ſcelera.

Ut bellum indixerit eccleſiæ.

*O ferum animum, & derelictum ab humanitate virum! O perditionis filium, & damnationis alumnum! Quomodo potuit tanta temeritate repleri, ut nec Deum timeat, nec ſuos veros in terra dominos recognoſcat? Sed prodeat de throno Dei judicium, & cunctorum fidelium oculi videant æquitatem. Exurgat Deus, & ſuos diſſipet inimicos: exurgat & veniat, ut fidelem populum ſuum ſalvet. Exurgat & ipſe populus catholicus & fidelis contra tam infructuoſum palmitem, peſtiferum, & nocivum, neſcientem in ſemitis juſtitiæ dirigere greſſus ſuos; ſed potius ipſam matrem eccleſiam Romanam, quæ omnium fidelium caput eſt & magiſtra, ſuoſque fideles venenoſis perſecutionibus offendentem. Noſque nihilominus præmiſſa omnia tam pernicioſa exemplo (quæ adeo ſunt notoria, & per Italiæ partes omnibus manifeſta, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari) diligenter attendentes; ac volentes huic morbo peſtifero, per quem magna pars dominici gregis inficitur, de celeri & ſalubri prout expedit, quantum cum Deo poſſumus, remedio providere; nec non chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum ac Boemiæ Regem illuſtrem, nobis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ vinculo ſpeciali conjunctum, ac peculiarem ejuſdem eccleſiæ promptiſſimum defenſorem, pro ipſorum* III.

Vocatus in auxilium Imperator.

*ſorum eccleſiæ & imperii terris, juribus, honoribus recuperandis & etiam defendendis, ac utilitate & quiete publica ad partes Italiæ præſentialiter deſcendentem, non ſolum temporalibus ſed etiam ſpiritualibus auxiliis ſpecialiter [cum ſpirituales & temporales gladii conſueverint, exigente neceſſitate, ſibi adinvicem ſuffragari, & in juvamen alterius ſubventione mutua frequentius exerceri] prout decet & expedit, adjuvare; dignumque cenſentes, quod per ſuffragium mirificæ crucis, quam ipſe blaſphemus abhorret & deſpicit, & paſſum in ea ſalvatorem noſtrum dominum Jeſum Chriſtum in ſuis miniſtris perſequitur, & in ipſo domino Jeſu Chriſto omnium fidelium capite ac ſolido fundamento miniſtros ejus, & ſui membra corporis perturbat & lacerat, adjuvetur; ipſos Chriſti fideles ad hujuſmodi juvamen eidem Imperatori, ut præmittitur, Deo propitio feliciter impendendum, auctoritate apoſtolica de fratrum noſtrorum conſilio decrevimus invocandos, &c.*

Propoſitæ ejus caſtra ſecuturis indulgentiæ.

Addit indulgentias eaſdem conſecuturos, qui imperialia caſtra anno integro ſecuti fuerint, vel ſubſidiariis opibus bellicos ſumptus juverint, atque illi, qui in Syriam pro religione propaganda ſe conferrent. *Datum apud Montemflaſconem Balneoregienſis diœceſis* III. *kalendas junii anno* VI.

(a) Eod. l.6. ep. cur. pag. 148.
(b) Ib. ſuper p. 107.
(c) Ib. p. 84.

Tranſmiſſum eſt hoc diploma (a) ad archiepiſcopos & epiſcopos in eccleſiis divulgandum, ac præcipue id muneris Anglico Cardinali Albanenſi pontificio in Flaminia legato demandatum (b): ſucceſſerat is in provincia Andruino Cardinali Cluniacenſi, ex qua ille, non niſi ægerrime decedere voluit; adeo ut ab Urbano acerrime fuerit increpitus (c), intentatumque illi anathema niſi mox gubernacula publicæ rei arciumque cuſtodiam Anglico tradidiſſet. [1]

IV. Caroli Imp. in Urbanum officia.

(d) To. 6. ep. ſecr. p. 103.

Ingreſſurus vero Italiam Carolus Imperator Petrum epiſcopum Curienſem oratorem ad Urbanum miſit, ut armorum imperialium potentiam illius obſequiis contra hoſtes addiceret: ad quem Urbanus refertas haſce pluribus paternæ benevolentiæ ſignis literas dedit (d), ac viciſſim ad recuperanda imperii jura ſe non defuturum eſt pollicitus.

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Bonum nuntium de terra longinqua, videlicet venerabilem fratrem noſtrum Petrum epiſcopum Curienſem ambaxiatorem tuum latorem præſentium eo jucundius vidimus & audivimus diligentius, quo tam literæ tua manu conſcriptæ, quam idem epiſcopus expectatum diutius felicem celſitudinis auguſtalis adventum ad partes Italiæ, tuæque perſonæ ſanitatem, & lætum promptumque animum veniendi certius nuntiarunt: & illa eximiæ tuæ devotionis immenſitas ex eo noſtram lætitiam augmentavit, quod (prout continebant dictæ literæ, & præfatus epiſcopus retulit) ad ſerviendum Deo ſecundum beneplacitum noſtrum venis ſanus & lætus; & quod per omnia ſecundum noſtram te vis regere voluntatem. Hæc, fili chariſſime, verba ſunt Chriſtianiſſimi principis, & devotiſſimi Romanæ eccleſiæ filii, tui ſancti propoſiti demonſtrantia puritatem, ut ad ſervitium tui Salvatoris, cui ſacrificium debet voluntatis impendi lætanter, accedas per ejus in terris vicarii regimen dirigendus. Et licet tali directione non egeas, cum ſis magna prudentia redimitus; nihilominus tamen, ubi fuerit expediens, tibi ſicut dilectiſſimo filio ſinceris affectibus paterna impendemus conſilia, & favoribus apoſtolicis aſſiſtemus; intendentes vice verſa tuis providis uti conſiliis, ac ſperantes eandem eccleſiam in ſuis opportunitatibus imperialibus favoribus adjuvari ſic, quod mutuus amor eccleſiæ & imperii prædictorum ſolidatus cunctis appareat, ac noſtra & tua, ſicut nunc eſt, ſic ſemper perſeveret identitas voluntatum, prout idem epiſcopus, qui impoſita ſibi per te apud nos fideliter & prudenter implevit, plenius referre poterit oraculo vivæ vocis. Dat. Romæ apud S. Petrum* IV. *non. maii anno* VI.

Ut illi fuerit obſequentiſſimus.

De mutuo pontificatus & imperii fœdere.

V.

(e) Ead. pag.
(f) Ib. p. 159.

Stiparunt in ea expeditione Italica Carolum Henricus Goritiæ comes & Saliſburgenſis archiepiſcopus, aliique proceres, quibus actæ ab Urbano gratiæ (e). Secutus etiam eſſet imperialia caſtra Rodulphus dux Saxoniæ (f) ob eximium in eccleſiam ſtudium: ſed implicitus ægritudine Saxonicis copiis Albertum nepotem præfecit. Antequam vero ingrederetur Italiam

NOTÆ [1] ABrogatio illa legationis apoſtolicæ Androini cardinalis, & aſſumptio Anglici cardinalis ad munus illud obeundum, quamvis ab Annaliſta hoc anno memoratur, anno tamen præcedente incœpit, teſte Matthæo de Griffonibus in memoriali Hiſtorico Bononienſi deſinente in annum 1428. qui ad annum illum 1367. hæc notavit. *Die XVIII. Decembris reverendiſſimus pater dominus Anglicus cardinalis Albanenſis, frater Domini Papæ Urbani, venit Bononiam ad ſtandum tamquam legatus Apoſtolicus.* Verum Author Miſcellæ Bononienſis, qui tunc Bononiæ ſcribebat, hunc cardinalis Anglici adventum in diem V. Januarii anni hujus rejicit. Ex quo etiam ſcriptore cauſam diſcimus quare a Flaminiæ legatione Androinus removeretur; erat enim, inquit Author ille, Bernaboni, cui bellum minitabatur Pontifex, in amicitiis conjunctiſſimus. Inſuper in miniſtros ſuos erat indulgentior; qua legati clementia fœde illi abutebantur. Hæc ille. MANSI



liam Imperator, a Petro Caſelio Apoſtolicæ ſedis internuntio ſolicitatus, ut vetera Romanæ eccleſiæ jura, ab Henrico avo Imperatore confirmata, ſua etiam authoritate corroboraret, cum ab Henrici temporibus Pontifices in Italia non fuiſſent verſati, ac plures rerum converſiones eſſent exortæ, tyrannique ditionem eccleſiaſticam invaſiſſent, ac parta ſcelere deinde juris inani colore affectarent; nec deeſſent qui ſuperiores imperium inter & eccleſiam diſcordias accendere molirentur, ut eximio in eccleſiam ſtudio affectus erat, mox aſſenſit; atque ampliſſimo diplomate (a), in quod geminas Henrici Imperatoris de juribus eccleſiæ Romanæ literas retulit, ſingulas illius provincias, urbeſque inſignes atque earum agros majorum pietate collatos pari liberalitate Romanæ eccleſiæ aſſeruit.

Romanæ eccleſiæ privilegia inſtaurata a Carolo.

(a) Ext. in lib. privil. Rom. eccl. to. 2. pag. 158. & in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 107.

Illius publica documenta.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis feliciter. Amen. Carolus IV. divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.*

*Literas celebris & recolendæ memoriæ D. Henrici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti avi & prædeceſſoris noſtri chariſſimi, quas ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ deliberatæ proviſionis officio erogaſſe noſcitur, pro ſedis ipſius reverentia rite vidimus, ac ipſas de noſtris imperialibus regiſtris extrahi, & coram nobis aperte legi mandavimus, quarum tenor per omnia ſequitur in hæc verba: Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo domino Clementi ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Henricus, divina favente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus cum reverentia debita pedum oſcula beatorum. Dudum, antequam ſuſcepimus imperii diadema, &c.* Subjicit Henrici Imperatoris literas (b) Clementi V. poſtquam Romæ ſolemni ritu inſignibus imperialibus fuit redimitus, tranſmiſſas anno hujus ſeculi duodecimo pridie nonas julias regni anno IV. imperii I. quæ a nobis ſuo loco hiſtoriæ inſertæ ſunt (c). Iis vero profitetur Henricus, ut nuncupati antea ſacramenti religione ſe exolvat, imperii jam conſcenſo apice omnia eccleſiæ Romanæ jura confirmare, quæ cum primum Rex Romanorum eſt deſignatus agnoviſſet: affertque in medium datas ea de re Lauſanæ literas, tranſacto ante biennio, nimirum anno a Virginis partu milleſimo trecenteſimo decimo V. id. octobris regni anno II. His ſubdit Carolus.

Repetitæ Henrici literæ.

(b) Ext. etiam in lib. priv. Rom. eccl. to. 3. pag. 139.
(c) Annal. to. XV. an. Chr. 1312. n. 40.

VI. *Verum quia propter abſentiam dominorum ſummorum Pontificum partium Italiæ, ac etiam noſtram multæ novitates in terris prædictæ eccleſiæ ac terris noſtris Romani imperii ſunt exortæ, multæque rebelliones factæ ſunt hinc inde tam per populos terrarum prædictarum, quam etiam per tyrannos in illis partibus, quæ contra Romanam eccleſiam & imperium perperam rebellarunt poſt conceſſionem & datam literarum prædictarum, cum tempore illo nullus Romanorum Pontificum in partibus Italiæ fuerit commoratus; & ideo propter lapſum temporis novitateſque & rebelliones prædictas poſſet pro tempore de juribus Romanæ eccleſiæ eſſe diſſenſio inter Romanum Pontificem, & occupatores terrarum prædictarum, ac eas in futurum occupare volentes; nec non quæſtiones & ſcandala inter Romanam eccleſiam & imperium prætextu dictarum terrarum propter diverſas adinventiones, opiniones, & oblocutiones æmulas tyrannorum, ac etiam rebellantium populorum poſſet futuris temporibus ſuboriri & etiam generari; nos volentes prædictis obviare periculis, pacemque inter Romanam eccleſiam & imperium perpetuis temporibus nutrire ac etiam confovere, & omnia tollere, per quæ poſſit oriri dubietas occaſione terrarum, & provinciarum prædictarum, indemnitatique & ſecuritati Romanæ eccleſiæ providere, pro parte domini noſtri ſummi Pontificis ſuper hoc per venerabilem Petrum de Caſelio præpoſitum Nemauſenſem nuncium ſuum cum inſtantia requiſiti, quia tam per regiſtra prædicta, de quibus tenorem dictarum literarum de verbo ad verbum extrahi & ſuperius inſeri fecimus quam per conceſſionem dicti Henrici avi & prædeceſſoris noſtri factam Romano Pontifici, de qua nobis eſt plenius facta fides, ſumus de jure Romanæ eccleſiæ plenarie informati, ideo dictas literas & contenta in eis privilegia, provinciaſque & terras in eis nominatas, & prout ſingulariter in eis deſcribuntur, cum omnibus juribus & juriſdictionibus, limitibus, terminis, & confinibus earundem ex certa ſcientia pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ratificamus & confirmamus, ac etiam innovamus, & ipſas recognoſcimus ad jus & proprietatem Romanæ eccleſiæ cum omni plenitudine pertinere. Et nihilominus de noſtræ imperialis majeſtatis plenitudine dictam marchiam Anconitanam cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus ſuis integraliter & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem, exarchatu Ravennæ & Pentapoli, ac Romandiolæ & Bertinorii comitatibus cum civitate Bononienſi, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus ſuis integraliter & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem; vallem quoque quæ Spoletana dicitur, ſive ducatum cum comitatibus Peruſii atque Caſtelli cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus, integraliter, & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem: Maſſam quoque, quæ Trabaria nuncupatur, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integra-*

Obſoleverant eccleſiæ jura ob Pontificum abſentiam.

Provinciæ juris eccleſiaſtici.

*graliter, & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem: patrimonium etiam B. Petri in Tuſcia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Urbiſveteris, & Reate, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem; comitatum quoque Sabinæ cum civitate Interamnenſi cum arce Cæſarum & terra, quæ dicitur Arnulphorum cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem: comitatum quoque Campaniæ & Maritimæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem; nec non Romam & Ferrariam cum omnibus etiam civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem ſententiamus, decernimus, pronunciamus, ac etiam declaramus & recognoſcimus ad Romanam eccleſiam, juſque & proprietatem ac poſſeſſionem ipſius eccleſiæ pleniſſimo jure ſpectare, ac omnimode pertinere.*

VII. *Et inſuper, ſicut prædictus Henricus avus & prædeceſſor noſter ex abundanti dictas terras & provincias donaſſe dicitur ſanctæ Romanæ eccleſiæ prælibatæ, propter multos curioſos in partibus Italiæ conſtitutos, qui inter ſe diſceptant de his, quæ ad eos non pertinent, de juribus ſanctæ Romanæ eccleſiæ & noſtri ſacri imperii contendentes, conantes (quantum in eis eſt) inter dominum ſummum Pontificem & nos & ſacrum imperium zizaniam & diſcordiam ſeminare, & etiam invenire, ut eorum rebelliones & malitias valeant palliare; ideo dictas provincias, loca, civitates, & terras, prout ſupra plenius declarantur, cum omnibus limitibus, terminis, & confinibus ſuis integraliter & cum omnibus juribus & juriſdictionibus earumdem, Romanæ eccleſiæ ac domino noſtro Urbano Papæ V. ejuſque ſucceſſoribus Rom. Pontificibus ex ſuperabundanti quitamus libere & dimittimus ac renunciamus omnino: nec non ad omnem ſcrupulum & ambiguitatis dubium removendum, prout melius & efficacius fieri & intelligi poteſt concedimus ipſas, conferimus, & donamus de novo, promittentes & obligantes nos (prout melius poſſumus) quod nullo umquam tempore occupabimus vel occupari (quantum in nobis eſt) permittemus civitates, loca, caſtra, terras & provincias ſupradictas, vel aliquam ipſarum, aut earum partem, nec in ipſis vel aliqua ipſarum aut earum parte jus aliquod reclamabimus in futurum, & omnia alia promittimus, quæ in prædictis literis Henrici per ipſum fuerunt promiſſa; & contra ipſa vel eorum aliqua non facere, vel attentare, aut venire per nos vel aliam quomodolibet in futurum, quocumque colore quæſito, ſeu quacumque occaſione captata; alias literas noſtras quaſcumque ſub quacumque verborum expreſſione ſuper præmiſſis vel aliquibus eorum alias per nos datas per conceſſionem præſentium nullatenus revocantes: immo ipſas in eorum vigore volumus penitus remanere. Signum ſereniſſimi principis & domini domini Caroli IV. Romanorum Imperatoris invictiſſimi & Boemiæ Regis. Teſtes hujus rei ſunt venerabiles Albertus Patavienſis, Lambertus Spirenſis, Joannes Brixinenſis, Gerardus Nuemburgenſis, & Otho Mindenſis eccleſiarum epiſcopi; illuſtres Albertus & Leopoldus fratres Auſtriæ & Carinthiæ duces, Joannes Jodocus ejus filii marchiones Moraviæ, ſpectabiles Joannes de Habesburg, Burchardus Burgravius Magdeburgenſis, Joannes & Burgardus de Recz comites, &c. ſub bulla aurea typario imperialis noſtræ majeſtatis impreſſa teſtimonio literarum. Dat. Viennæ anno Domini MCCCLXVIII. indictione VI. III. id. aprilis regnorum noſtrorum anno XXII. imperii vero XIV. Ego Joannes Dei gratia Olomucenſis epiſcopus ſacræ imperialis aulæ cancellarius vice reverendi in Chriſto patris domini Engelberti Colonienſis archiepiſcopi, ſacri imperii per Italiam archicancellarii, recognovi.*

Cedit Carolus prætenſis in eas juribus.

VIII. Caroli in Italiam expeditio.

Ex Auſtria paulo poſt in Italiam irrupit, ut quæ edictis jura eccleſiæ more majorum confirmaverat, etiam armis adverſus tyrannos tueretur: ac primum Veronam ſe contulit (*a*), & Scaligeros Bernabonis fœderatos plurima auri vi mulctatos gratiæ reſtituit. Dein copias in Bernabonem eduxit, ut elatos illius ſpiritus compeſceret, ac Mantuanos, quos invaſerat Bernabos, defenderet quibus utpote eccleſiæ fœderatis ſubſidio accurreret rogatus erat (*b*): ſed nil magnum in ea expeditione explicuit. Pacem cum Bernabone ipſum confeciſſe antequam Italiam ingrederetur, refert Mutius (*c*): in quo admodum a vero abhorret. Id autem conſtat, Bernabonem, ut ſerviret tempori, ne ardui cum Imperatore belli periculis ſe committeret, pacem popoſciſſe ab Urbano (*d*), ad cujus preces Carolus in Italiam acceſſerat; ac Pontificem Anglico epiſcopo Albanenſi in Flaminia legato, qui Mediolanenſi bello præerat, provinciam XI. kal. ſeptembris dediſſe, ut ex ſociorum conſilio fœdus redintegraret, ac ſolemnibus miſſis oratoribus a ſede Apoſtolica flagitaretur, ut pactionis tabulæ ab ipſa confirmarentur.

(*a*) *To. 6. ep. ſecr. pag.* 92.

(*b*) *Dubr. l.* 22. *hiſt. Boem.*

(*c*) *Mutius l.* 25.

Bernabos pacem a Pontifice efflagitat.

(*d*) *To. 6. ep. ſecr. pag.* 145.

Non leves tum in Etruria excitati motus: quibus ſedandis Pontifex curas applicuit, atque in primis fluctuantes Senenſes confirmavit in Caroli amicitia (*e*), ac ſiniſtras ſuſpiciones ex eorum animis deterſit, iique inita cum Imperatore pacta

(*e*) *Ib. ep. ſec. p.* 103. 104. 164. & 177.



Moniti Florentini ut reſtituant imperii jura.

(*a*) *Ib. p.* 176.

cta ſervare decreverunt. Tum dedit operam (*a*), ut Florentinos, qui plura adverſus imperialem dignitatem ac vetera pacta patrarant, ad officium revocaret: ipſoſque graviſſimis literis monuit, ut illatas ſarcirent injurias, futurum ſe pacis interpretem pollicitus: hortatuſque eſt, ut mitterent oratores, cum Imperator æqui & concordiæ amantiſſimus controverſiam omnem ſedis Apoſtolicæ arbitrio permitteret. Juſſi quoque Piſani (*b*) erepta Lucanæ eccleſiæ reſtituere; ac miſſo Nicolao Piſaurienſi epiſcopo internuntio ad pacem cum Florentinis ineundam redacti (*c*). Cohibere etiam ipſos admodum potuit præſentia in Italia Caroli Imp. cujus jura invaſerant. Is vero ut pronus erat ad pacis conſilia, ita imperii jura in Etruria aſſeruit, ut controverſias ſine fuſo cruore diremerit (*d*). Convenit dein Urbanum Carolus Imperator, ut non modo cum ipſo de Chriſtiana re amplificanda tuendave ageret, verum Imperatricem etiam Eliſabetham, (cujus nuptiarum occaſione acceſſum in Italiam retardaſſe, refert Dubravius (*e*), inſigniis imperialibus a Pontifice exornandam adduceret. Agit ea de re Urbani vitæ ſcriptor (*f*), ac narrat Carolum Imperatorem equitaturo Chriſti vicario Romæ ſtratoris officium exhibuiſſe, ac peditem rexiſſe equilora: *Eodem*, inquit, *anno de menſe octobri Carolus Romanorum Imperator venit Viterbium ad dictum Urbanum Papam.* Nonnulliſque interjectis de illius in Inſubria geſtis, quæ antea attulimus ſubjicit: *Quem cum Viterbii* [*ut præmittitur*] *adiiſſet, ex ordinatione mutua verſus Romam eum præceſſit, ipſumque poſt ſequentem expectavit in introitu Urbis: ibi ſcilicet in porta, quæ eſt juxta caſtrum S. Angeli, de ſuo equo deſcendes, ſtratoris vicem geſſit, ac uſque ad baſilicam B. Petri pedeſter equi Papæ frænum tenens, ipſum dextravit, ac demum uſque ad altare majus deduxit: manſitque in Roma expectando adventum Imperatricis. Quam demum die omnium ſanctorum in altari B. Petri dictus Urbanus Papa per prius inunctam per epiſcopum Oſtienſem Cardinalem, prout moris, coronavit. Quo facto dictus Imperator ſatis cito poſt receſſit de Urbe, verſus Bononiam dirigens greſſus ſuos, ſecumque duxit ex ordinatione Papæ dominum Guidonem de Bolonia epiſcopum Portuenſem Cardinalem, quem deſcendendo de Italia ſuum vicarium conſtituit, & in Luca ſuam manſionem ordinavit.* Quod factum ad Pontificis gratiam videtur, ut ſi Bernabos vel alii, reverſo in Germaniam Imperatore, iterum jura eccleſiæ invaderent, Guido Cardinalis vires imperii in eos converteret.

(*b*) *Pag.* 159.

(*c*) *Ib. p.* 94.

Compoſita a Carolo Etruria.

(*d*) *Mutius rer. Germ. l.* 25.

(*e*) *Dubr. hiſt. Boem. l.* 22.

(*f*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Caroli cum Urbano colloquium.

Ingredienti Romam Pontifici ſtratoris munus exhibet.

Imperatrix ritu ſolemni corona redimita.

Franciſcus e Ceccano Campaniam vexat.

Ante ejuſdem Imperatoris in Urbem adventum, Franciſcus e Ceccano tumultibus Campaniam & Maritimam implevit, ac rapinis, ſævitia, ſtupris, ferro ac flamma eas provincias fœdaverat. Ad quem comprimendum Urbanus legum ſeveritatem exercuit, ac fideles ad corripienda in eum arma, uti in Bernabonem egerat, propoſitis indulgentiarum præmiis, inflammavit (*g*), brevique redactus ad officium eſt vir improbus, quem etiam Imperatoris acceſſus merito terrere potuit: ac veniam deprecaturus liberi commeatus ſyngrapham poſtulavit, obtinuitque a Pontifice (*h*). Agebat tum apud Montemflaſconem Pontifex, ubi æſtatem duxit, clementiorem aerem collecturus: quod oppidum ſede epiſcopali ac pluribus aliis ornamentis decoravit, ut narrat ipſius vitæ author (*i*): tum addit exceſſiſſe in eadem urbe Cardinalem Capocium, qui multarum virtutum laude florebat; cujus inſignia elogia ex eodem decerpemus.

(*g*) *An.* 6. *p.* 121.

Repreſſus.

(*h*) *Pag.* 130. & 135.

Monsflaſco ſede epiſcopali inſignitus.

(*i*) *Geſta Urban. V. apud Boſq.*

IX. Nicolai Capocii Card. obitus. Illius in pauperes benignitas.

*Eodem anno die* XXVI. *menſis julii obiit in dicto loco dominus Nicolaus de Capocia epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Romanus, vir utique magnæ literaturæ, zelator maximus juſtitiæ, & pauperum continuus ſuſtentator: diebus enim ſingulis per hoſpitalia panem, vinum & alia cibaria in domo ſua præparata abundanter faciebat diſtribui & pauperibus miniſtrari. Ultraque de ipſo duo laudabilia notanter referuntur, primo quod in conſiſtoriis & conciliis ſic libere & intrepide locutus eſt, quod propter neminem ſive præſentem ſive abſentem omiſit dicere illud, quod ſua conſcientia ſibi dictabat. Secundo cum eſſet valde practicus in deciſione & proſecutione cauſarum, amore Dei & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos ſciebat juſtas fovere cauſas, conſilia dabat, eorum proceſſus videbat, poſitiones & articulos ac alia eis ad hoc opportuna dictabat, formabat, & ordinabat, ſalaria etiam notariorum, procuratorum, advocatorum de proprio miniſtrabat, & etiam quæcumque victui neceſſaria, ſecundum quod eorum inopiæ exigebant. De bonis etiam a Deo ſibi datis in ſtudio Pariſienſi fundavit & dotavit nobile collegium pauperum ſcholarium, quod S.* Sophoniæ voluit nominari, fecitque etiam multa bona eccleſiæ S. Mariæ Majoris de Urbe, ubi jacet miraculis coruſcando.*

Extructum ab eo collegium Pariſiis.

* *al. Sophiæ*

Auctum eſt haud multo poſt Cardinalium collegium, viris inſignibus ad eam dignitatem vocatis, quorum nomina atque munera idem author percenſet: *Eodem anno die* XXII. *menſis ſeptembris, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum, præfatus Urbanus Papa in Monteflaſconis dominos Guillelmum Judicis S. Mariæ in Coſmedin & Stephanum Alberti S. Mariæ in Aquiro antiquos diaconos Cardinales in presbyteros ordinavit: & etiam die ſeptima alios in presbyteros Cardinales noviter aſſumpſit, videlicet dominum Philippum*

Purpuratorum patrum creatio.

*pum Cabacolæ Avenionenſem, tunc patriarcham Jeroſolymitanenſem: Simonem de Langari Anglicum, tunc archiepiſcopum Cantuarienſem monachum ordinis S. Benedicti: Bernardum de Boſqueto Caturcenſem, tunc archiepiſcopum Neapolitanum: Joannem de Normannis Gallicum, tunc epiſcopum Belvacenſem & cancellarium Regis Franciæ: Stephanum de Pariſiis Gallicum tunc epiſcopum Pariſienſem, Petrum de Banhaco diœceſis Lemovicenſis abbatem Montiſmajoris: & Franciſcum de * Cabaldeſis Romanum tunc priorem baſilicæ S. Petri de Urbe.* Agit de iis Contelorius (*a*) præter alios in ſuo Cardinalium elencho.

* *Thebaldeſchis*

(*a*) *Contel. in elench. Cardd.*

Cum vero ægre ferrent Romani ſe Pontificis præſentia deſtitui, miſſis oratoribus ipſum ſolicitarunt, ut in Urbem rediret: quibus, exaratis apud Montemflaſconem kal. octobris literis, brevi eos ſe aditurum reſpondit (*b*): ac mox Viterbium ſe contulit, ubi ac poſtea Romæ maximo Carolum Imperatorem honore excepit, atque Imperatricem ſolemni ritu imperiali diademate cinxit, uti antea diximus, cum cœpta de Carolo oratio abrumpenda non eſſet.

(*b*) *To. 6. ep. ſecr. p.* 174.

X.

Neque ab Imperatore ſolum hoc anno Pontifex Romæ ſalutatus eſt, verum etiam antea a Petro Rege Cypri ac Joanna Siciliæ Regina: quorum adventum Urbani vitæ ſcriptor narrat his verbis (*c*); *Præterea eodem menſe*, martii ſcilicet, *ad ipſum Romam venerunt Joanna Regina Siciliæ & Petrus Rex Cypri ſuperius nominati: & cum tunc occurrerit dominica Lætare Jeruſalem, in qua conſuevit dari per Papam roſa aurea viro nobili, tunc in curia exiſtenti, dictam roſam memoratæ Joannæ tamquam nobiliori, majori, & excellentiori, licet vir non exiſteret, dedit; Regi prædicto ipſam in hoc præferendo: quæ more ſolito demum cum Cardinalibus & aliis nobilibus per Urbem equitavit.* De Petro Cypri Rege inferius, cum de rebus orientalibus agemus; nunc cœptam de Joanna Siciliæ Regina orationem proſequimur. Flagitavit illa pontificiam opem, cum Ludovicus Andium comes, expugnata Tarraſcona, immiſſoque vagorum militum exercitu Provinciæ inhiaret. Neque Joannæ Urbanus defuit, Carolum enim Gallorum Regem rogavit (*d*), ut fratrem a cœptis revocaret: tum Caroli Imperatoris ſupremi Provinciæ domini clientelam Reginæ conciliavit (*e*). Deterritum itaque comitem cœptis deſtitiſſe, ſcribit Urbani vitæ author (*f*). At Ludovicus Ungariæ Rex, qui Provinciam ac Siciliæ regnum jure hereditario ad ſe ſuoſque devolvenda contendebat, miſſis oratoribus, Urbanum deprecatus eſt, ut curas apoſtolicas intenderet, ne regnum illud ad exteros devolveretur: cui hæc reſcripſit Pontifex (*g*).

(*c*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Regina Siciliæ & Cypri Rex Urbanum adeunt.

Provincia ab Andium comite affectata.

(*d*) *To. 6. ep. ſecr. p.* 89.

(*e*) *Ead. pag.*

(*f*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

(*g*) *To. 6. ep. ſecr. p.*147.

*Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri ſalutem &c.*

*Dilectos filios nobiles viros, Joannem de Ludbreg olim Dalmatiæ & Croatiæ banum, ac Joannem Treutel de Neuna milites ambaxiatores tuos latores præſentium ad noſtram præſentiam deſtinatos, & dilectum filium nobilem virum Stephanum Franciſci militem Jadrenſem eorumdem ambaxiatorum interpretem gratanter recepimus, in eis quodammodo tuæ celſitudinis præſentiam contemplantes; dictumque Stephanum prudenter ac facunde proponentem quod regnum Siciliæ tuæ ſerenitati debetur, & quod moleſte ferres, ſi ad extraneos deveniret, & quod licet chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Joannam Reginam Siciliæ illuſtrem in vita ſua turbare minime intenderes, tamen congruis remediis providere volebas periculo, quod poſſet poſt dictæ Reginæ obitum evenire; multaque prudenter referentem, quæ ad hæc regium animum inducebant, concludentemque ut dignaremur eamdem tuam juſtitiam condignis habere commmendatam favoribus, ſæpe audivimus diligenter. Ad quæ, præmiſſis laudum præconiis, quibus tuam devotam magnificentiam merito poſſumus & debemus extollere, ſinceriſſimoque affectu, quem ad te gerimus, duximus reſpondendum, quod in miniſtratione juſtitiæ, in qua ſumus omnibus debitores, non erit (Deo juvante) defectus, nec etiam in gratiis & favoribus, in quantum patiatur conſcientia, & jus alterius non lædatur. Hæc igitur, fili chariſſime, tam expoſita, quam ſecundum decentiam apoſtolicæ gravitatis reſponſa, ad majorem tuam certitudinem tuæ ſublimitati præſentibus duximus intimanda. Dat. apud Montemflaſconem* VI. *kal. ſeptembris anno* VI.

Regis Ungari ad Urbanum legatio.

Poſcit conſuli ſuis ſuorumque in Siciliam juribus.

Promiſſum illi avita jura illibata fore.

XI.

Carolus e Bleſis opinione ſanctitatis floret.

Inſtituta eſt ab Urbano religioſa actio de Carolo e Bleſis ſanctorum catalogo apponendo, cum ſanctitate vitæ & miraculis floruiſſe increbreſceret: ſcriptæque eo argumento extant XVII. kal. ſeptembris literæ (*h*) ad Joannem ducem Britanniæ, qui ipſum in acie, dum certabat de principatu, necarat (*i*). Cum vero nonnulli religioſi viri ſanctorum honores illi deferrent, cui decreti ab eccleſia non fuerant, ab Urbano acerrime perſtringi meruerunt (*k*).

(*h*) *To. 6. ep. ſecr. p.*160.

(*i*) *Geſta Inn. VI. apud Boſq.*

(*k*) *Lib.6. ep. cur. p.* 171.

*Univerſis epiſcopis per ducatum Britanniæ conſtitutis.*

*Moleſta ſignificatio ad noſtrum perduxit auditum, quod quidam religioſi etiam ordinum mendicantium Carolum de Bleſis, tanquam pro juſtitia mortuum, martyrem & ſanctum in eccleſiis, in prædicationibus, & alias aſtruere moliuntur; ac ſingulis annis in ejus anniverſario in divinis officiis ſolemniter efferunt, prout de ſanctis ab eccleſia Romana approbatis in eorum ſolemnibus feſtivitatibus per ipſam eccleſiam ob-*



*ſervatur: perſoniſque ſepulturam ipſius Caroli viſitantibus quædam ſigna plumbea tradunt, ſicut euntibus ad ſepulchra ſanctorum in certis tradi partibus conſuevit, & aliter eum venerari non verentur, ac ſi foret ut ſanctus per ſedem Apoſtolicam approbatus. Cum itaque talia ſint a jure prohibita, nec debeant ſub diſſimulationis pallio tolerari, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus præmiſſa vel ſimilia per eoſdem religioſos, etiam ſi Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum ordinum exiſtant, aut alias quaſcunque perſonas de cætero attentari diſtricte prohibere curetis; contradictores cujuſcunque ſtatus, ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant, authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, &c. Dat. apud Montemflaſconem* XVII. *kal. octobris anno* VI.

Objurgati qui ſine judicio ſedis Ap. SS. honores illi exhibuerant.

XII.

Nonnulli religioſi temere ſuorum ſodalium memoriam conſecrant.

Induxerant quoque in Italia nonnulli religioſi viri ſimiles corruptelas, ac duobus ſodalibus ſuis defunctis, quos beatos temere vocitabant, ſanctorum honores contulerant: quorum audaciam Pontifex repreſſurus, Petrocinum archiepiſcopum Ravennatem ejuſque ſuffraganeos epiſcopos ejuſmodi abuſum removere juſſit (*a*).

(*a*) *Ibid. p.*165.

*Venerabili fratri Petrocino archiepiſcopo Ravennati, ejuſque ſuffraganeis.*

*Moleſta ſignificatio ad noſtrum perduxit auditum, quod quidam fratres Prædicatorum & Eremitæ S. Auguſtini ordinis, in provincia Ravennate degentes, ac fraudem legi facere non verentes, Prædicatores videlicet quemdam Jacobum Prædicatorum, Eremitæ vero fratres prædicti quemdam Franciſchinum Eremitani ordinis percuſſum ictu fulminis & extinctum non ſanctos, cum ſit eis ſub tali vocabulo a jure prohibitum, ſed beatos publice in plateis & eorum eccleſiis in prædicationibus, & alias aſtruere moliuntur; ac ſingulis annis in anniverſariis ſeu diebus obitus eorundem in divinis officiis ſolemniter efferunt, prout de ſanctis ab eccleſia approbatis in eorundem etiam ſolemnibus feſtivitatibus per ipſam eccleſiam obſervatis: ac populos fideles inducunt, ut in ipſis anniverſariis ſeu diebus ab operibus manualibus abſtineant, & (quod quæſtus ſuſpicione non caret) ut ad eccleſias, in quibus eorundem Jacobi & Franciſchini humata ſunt corpora, catervatim pergant, ac ſolemnes oblationes faciant verbis perſuaſivis inducunt. Altaria quoque ſub prædictorum Jacobi & Franciſchini vocabulis in ſuis eccleſiis præſumpſerunt erigere, ac ſi forent ut ſancti per ſedem Apoſtolicam approbati, &c.* Dat Ravennati archiepiſcopo ac ſuffraganeis provinciam, ut incuſſa cenſurarum religione, ac implorata magiſtratuum potentia, eos religioſos viros, niſi parerent, a ſuperſtitioſis auſis abducerent. *Datum apud Montemflaſconem kalend. ſeptembris anno* VI.

Subornant ſimplices.

Cohibiti.

XIII.

Ut autem data opera coercendæ ſuperſtitioni, quæ immeritis afficiebat honoribus defunctorum animas, de quibus in cælum receptis conſpicuis miraculis ab eccleſia Romana, qua par eſt, diligentia diſcuſſis non conſtaret, ita de augendis ſanctorum honoribus, quorum cultum & venerationem eccleſia ſuſcepiſſet, Urbano cura fuit. De oſtenſis enim ab eo magna veneratione & pompa ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum capitibus hæc tradit ejuſdem Pontificis vitæ ſcriptor (*b*): *Anno Domini MCCCLXVIII. jam inchoato, die prima menſis martii dictus Urbanus Papa venit ad eccleſiam Lateranenſem, ubi cum in craſtinum in ſancta ſanctorum miſſam celebraſſet, capita ſanctorum Petri & Pauli, quæ annis multis fuerant recondita, & ſub altari in quo miſſam celebraverat clauſa ſervata, aſcendens amphitheatrum dictæ eccleſiæ, ad communem plateam aſpectum habens toti Romano populo ſibi aſtanti exhibuit & oſtendit: & cum thecæ ſeu capſæ, in quibus pro tunc erant repoſita, eſſent ſatis modicæ & parvi valoris, ex tunc alias novas ordinavit fieri pretioſiores.* Subjungit, interjectis pluribus, idem auctor, altero poſt ſequentem anno conflata magno ſumptu duo Apoſtolorum ſigna, ac lapillis pretioſis ornata, in iiſque ſacra illorum capita recondita: *Eodem*, inquit, *anno*, nimirum MCCCLXX. *cum dictus Urbanus Papa jam feciſſet fieri ſeu fabricari imagines ſeu ſtatuas pro conſervandis capitibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ erant de auro & argento mirabiliter operatæ, ornatæque multis gemmis & lapidibus pretioſis, valorque earum communi æſtimatione eſſet ad triginta millia florenorum & ultra; devote & ſolemniter aſtantibus multis perſonis, magnis, & notabilibus, capita dictorum ſanctorum reponi & includi fecit infra ipſas: quæ etiam demum fuerunt proceſſionaliter & publice, univerſis clero & populo Romanis ad hoc convocatis, præſentibus etiam aliquibus dominis Cardinalibus & prælatis, per Urbem deportatæ, & demum collocatæ ſupra altare Lateranenſe in loco ſeu alto & eminenti ciborio, ſuper quatuor columnas marmoreas ad hæc ſpecialiter miro opere præparato, magniſque & fortibus januis ferreis circumdato.* Viſitur adhuc opus.

(*b*) *Geſta Urb. V. apud Boſ.*

Capita Apoſtolorum Petri & Pauli oſtenſa populo.

Argenteis ſignis ab Urbano incluſa.

XIV.

Confirmantur ſuperiora de iis ſanctorum Petri & Pauli ſignis pretioſiſſimis apoſtolico diplomate poſt biennium edito (*c*), in quo Pontifex ad coercendum hominum non modo ex avaritia

(*c*) *To. 8. ep. ſecr pag.* 155.

tia eccleſiarum theſauros diripientium, verum etiam e præpoſtera pietate reliquias ſacras expilantium temeritatem, graviſſimas pœnas iis incuſſit, qui vel capita Apoſtolorum, aut veræ crucis portionem, vel alia ſacra lipſana aut ornamenta ipſorum ſubriperent.

*Urbanus &c. ad perpetuam rei memoriam.*

Conſtitutio in earum reliquiarum direptores.

*Sacrilegorum damnanda præſumptio eo eſt gravior, & durius caſtigari meretur, quo in locis venerabilioribus rebuſque ſacrioribus fuerit perpetrata. Cum itaque nos ad reverentiam Dei & beatiſſimorum Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli duas eorundem Apoſtolorum imagines argenteas deauratas, ac margaritis & lapidibus pretioſis ornatas ponderis mille ducentarum marcharum argenti, ſuper quarum alteram videlicet verticem B. Petri eſt una crux aurea parva gemmis pretioſis ornata, in qua eſt de ligno crucis domini noſtri Jeſu Chriſti, decoro ſumptuoſoque opere fecerimus fabricari, ac in eccleſia Lateranenſi ſuper altare majus venerabiliter collocari, in eiſque ſacratiſſima capita dictorum Apoſtolorum & alias reliquias ſanctorum ibidem, ad majorem venerationem ipſorum Apoſtolorum & devotionem fidelium recondi, perpetuis temporibus permanſura; dignum & ad cautelam reputamus expediens, quod ut ipſa crux, capita, reliquiæ & imagines duæ, capſæ parvæ argenteæ, in quibus præfata ſacratiſſima capita olim in eccleſia S. Laurentii ad ſancta ſanctorum, prope ipſam Lateranenſem eccleſiam conſiſtente, retroactis temporibus fuerant conſervata, cuſtodita, & intacta permaneant, pœnas graves contraria præſumentibus inferamus, Omnes igitur & ſingulos, &c.* Percellit anathemate omnes quacumque, etiam regia, imperiali, vel eccleſiaſtica dignitate polleant, qui eas reliquias vel ipſarum partem diripere, vel ornamenta earum expilare, vel quacumque alia ratione temerare auderent: tum ejus criminis participes iiſdem pœnis devincit, & eorum ditionem eccleſiaſtico interdicto ſubiicit, adjicitque alias graviores pœnas, quas in poſteros transfundendas ſancit, ut illarum acerbitate improbi ſubmoveantur. *Dat. apud Montemflaſconem* v. *kal. auguſti pontificatus noſtri anno* VIII. Hæc licet anno hujus ſeculi ſeptuageſimo geſta congerere tamen hoc loco viſum eſt, ne eadem repetere cogeremur.

XV. S. Thomæ Aquin. corpus Toloſam tranſlatum.

Hoc anno tranſlatæ ſunt ex Italia in Gallias S. Thomæ Aquinatis reliquiæ, ac Toloſa tanto ornamento decorata; de quibus Urbani vitæ auctor hæc ſcribit (*a*): *Eodem anno ex ordinatione apoſtolica & voluntate dicti Urbani Papæ corpus S. Thomæ de Aquino, quod a tempore obitus ſui tumulatum remanſerat in monaſterio Foſſæ novæ ordinis Ciſtercienſis, ubi deceſſit, tranſlatum fuit ad conventum Prædicatorum Toloſæ, ubi per miniſterium Eliæ Raimundi tunc generalis magiſtri dicti ordinis*, & interjectis paucis quæ mendo non carent, *fuit ſibi ſepulchrum miræ pulchritudinis præparatum. Habetur ibi uſque in præſens tempus in magnis devotione & veneratione.* Certatum de iis S. Thomæ reliquiis graviſſime coram Urbano fuerat, cum Ciſtercienſes Foſſænovæ, quibus ſacrum illud pignus fuerat ereptum, repoſcerent; Prædicatores vero, ut præcipuum ſui ordinis ornamentum optarent. Quam controverſiam S. Antoninus, re altius repetita, latamque ad Prædicatorum gratiam Urbani ſententiam his verbis refert (*b*): *Cum eſſet in Monteflaſcone, in urbe orta eſt magna altercatio inter ordinem Prædicatorum & monachos Ciſtercienſes de corpore B. Thomæ de Aquino: conquerebantur enim monachi monaſterii Foſſænovæ dicti ordinis, ab eccleſia ſua fuiſſe eis ablatum corpus B. Thomæ, quod ibi fuerat tumulatum: nam pergens ad concilium generale Lugdunenſe de mandato domini Gregorii X. infirmatus in via ad dictum monaſterium juxta caſtrum Piperni ſitum in Campania declinaverat, ubi in Domino requievit: & quamvis mandaſſet dictus ſanctus migrans, corpus ſuum Neapolim ad conventum Prædicatorum deportari tempore congruo, non adhuc illud fuerat impletum ex cauſis: ſed jacuerat ibi per annos ſeptuaginta quinque a die tranſitus ſui. Quidam enim potentia fretus de caſtro Piperni tractabat occulte auferre ſacrum corpus B. Thomæ ex abbatia, & magnam pecuniam pro traditione ejus ab aliquo recipere: ſed cum hoc percepiſſet, dominus civitatis Fundorum nomine Honoratus, horrens hoc ſacrilegium, adſtante venerabili abbate dicti monaſterii & Fundenſi epiſcopo, abſtulit ipſum corpus mira redolens fragrantia odoris de loco abbatiæ, & detulit in civitatem ſuam Fundorum, cum diligenti cuſtodia & reverentia illud ſervans. Demum cum dictus comes Honoratus Romam pro ſuis negotiis applicaſſet, ibique inveniſſet generalem magiſtrum ordinis Prædicatorum Eliam nomine, ad preces ejus frequentes (videns ſe non poſſe apte illud retinere, cum etiam Rex Apuliæ illud habere peroptaret) eidem patri corpus ipſum & ordini conſignavit, in conventu dicti ordinis Fundenſi collatum.*

(*a*) *Geſta Vrb. V. apud Boſq.*

(*b*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 10. in princip.*

Ut de iis Ciſtercienſes contenderint cum Prædicatoribus.

*Interea monachi ordinis Ciſtercienſis accedunt ad curiam, magnam ſibi injuriam factam prælatis curiæ querulantes in ablatione ſancti corporis de monaſterio ſuo: ad pedes etiam Apoſtolicæ ſedis Urbani, tunc Romæ exiſtentis, vociferantes: ſuper quo curia pene tota commota erat contra ordinem Prædicatorum ex illa querela.*

Cum-



*Cumque pluribus excurſis diebus in hac contentione diutius fuiſſet exaſperata, mutatur Pontificis mens, & ſuperveniente ſolemnitate corporis Chriſti, cum ſermo fieret coram Urbano & multis Cardinalibus & baronibus de officio ipſo magnifice edito per ipſum beatum Thomam ad requiſitionem Urbani IV. acclamantibus cunctis, dignum fore in munus recompenſationis tam divini operis, ab Urbano injuncti, ab ipſo Urbano ſucceſſore corpus ejus ordini concedi; demum Urbanus ſacrum corpus ordini perpetua conceſſione donavit. Eliæ ergo generali accedenti, & immenſas referenti gratias, ait Urbanus: Tibi tuoque ordini reddidi ſacrum corpus; ſed ne tanti doctoris caput a corpore ſit diviſum, ipſum tibi caput cæleſtis gratiæ gazophylacium authoritate apoſtolica concedo. Mandavit autem ipſum corpus deferri Toloſam, ſcribens ſtudio Toloſano, ſancti extollens gloriam, & approbans apoſtolica authoritate doctrinam.*

Ut lis dirempta ſit.

XVI. Uſus eſt Pontifex religioſis ejuſdem ordinis viris ad hæreſeon ſubnaſcentes venenatas ſtirpes excindendas, ac Simonem ea de cauſa in citeriori Sicilia cenſorem fidei creavit (*a*), quem archiepiſcopis & epiſcopis commendavit. Adhibiti etiam ad id muneris in Peruſino agro Minoritæ (*b*): tum Guillelmus Narnienſis epiſcopus plurima authoritate ad Fraticellos, qui ſimplicibus pravorum dogmatum virus afflabant, reprimendos inſtructus (*c*); nondum enim eam luem extinctam, ex apoſtolicis querelis conſtat: *In quibuſdam*, inquit Pontifex, *Italiæ partibus erant quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, euntes per devium falſitatis, ac ſub Fraticellorum nomine reprobatos conventiculos facientes, qui præfatæ detrahere fidei & ſimplicium animas decipere fallacibus argumentationibus, quas pater mendacii antiquus hoſtis eos docuerat, clandeſtine conabantur, &c.* At non impune tulere ii hypocritæ flagitium; vinculis enim ſunt traditi Peruſii, cujus urbis magiſtratus, ut fidei cenſoribus operam conferrent, ſolicitati. Graſſatos tamen ipſos Peruſii aliquot poſt annis, ac Minoritis conflaſſe invidiam, quod ab arctiore paupertatis obſervantia deficerent, refert Lucas Wadinghus (*d*). Nitebantur ii hoc errore, Chriſtum & Apoſtolos proprio caruiſſe: quem cum Dionyſius Minorita Pariſiis in ſuorum ſchola theologica inſtauraret, multis inanibus argumentis (præcipuum erat, legem divini amoris proprietatem & dominium auferre) in jus vocatus ab academiæ Sorbonicæ præſidibus, dicta revocare juſſus eſt, ut referunt publica ea de re monumenta (*e*), confirmantque pontificiæ in hac controverſia datæ ſuperiori anno extremo literæ (*f*).

Fraticelli errores diſſeminant.

(*a*) *To. 6. ep. ſecr. pag. 56.*
(*b*) *Pag. 70.*
(*c*) *Pag. 69.*
(*d*) *Wad. annal. Minor. to. IV. ann. Chr. 2374 n. 22.*
(*e*) *Ext. to. 4. bibl. patr. col. 1337.*
(*f*) *An. 7. ep. com. pag. 122.*

*Dilecto filio Joanni S. R. E. presbytero Cardinali olim epiſcopo Belvacenſi.*

Dionyſius pſeudominorita hæreſim eorum diſſeminat Pariſiis.

*Nuper non ſine amaritudine mentis ex inſinuationibus percepimus fidedignis, quod olim Dionyſius Sovlechat ordinis fratrum Minorum profeſſor, tunc in ſtudio Pariſienſi conſiſtens, in ſuo ad commiſſam ſibi lecturam libri ſententiarum principio apud dictorum fratrum ſcholas ex more illorum, qui ad hujuſmodi lecturam pro tempore aſſumuntur, curioſitatis (quæ plus nititur ſæpe quam oportet) reprobo ſpiritu ductus multas concluſiones recitavit & tenuit minus ſanas, & ſinceritati fidei minime congruentes. Super quibus ipſo Dionyſio dilectis filiis cancellario & magiſtris in theologia & ſtudii prædicti delato, ipſi cancellarius & magiſtri, ſuum in hac parte debitum exequentes, ſuper hoc congregati quamplures (quia eis conſtitit tum ex inſpectione dicti principii per ipſum Dionyſium propria manu ſcripti, tum etiam per informationes & probationes multimodas ſuper hac eis rite præhabitas, quod Dionyſius prædictus concluſiones tenuerat antedictas) præfati cancellarius & magiſtri concluſionibus ipſis cum exacta diligentia maturoque conſilio recenſitis, earum aliquas hæreticæ nequitiæ fermento infectas, nonnullas vero eccleſiæ determinationi contrarias & multas earum ſcandali cauſativas concorditer decreverunt. Et ut ſcandali materia tolleretur de medio, orthodoxæque fidei veritas illibata perſiſteret, prædicto Dionyſio in eorum conſtituto præſentia inhibuerunt ac interdixerunt, ne legendi exerceret officium, donec per eos ſuper hoc aliud exiſteret ordinatum. Cujuſmodi quidem inhibitionem & interdictum ipſe Dionyſius ſub quodam fictæ humilitatis prætextu rata (ſicut ſubſequens rei eventus de hujuſmodi fictione docuit) ſe habere aſſeruit, atque grata; & juxta certam circa hoc a dictis cancellario & magiſtris in ſcriptis traditam ei formam, ac per eum perlectam, & irrefragabiliter acceptatam coram dictis cancellario & magiſtris præſentialiter congregatis, eaſdem concluſiones revocavit.* Addit Pontifex Dionyſium ipſum pollicitum in ſolemni cœtu eadem ſe revocaturum, die imminente ſubterfugiſſe; atque ideo delatum de crimine hæreſeos apud Stephanum epiſcopum Pariſienſem poſtea Cardinalem, nec non apud ſacræ fidei cenſores poſtulatumque judicio non comparuiſſe, ſed Avenionem ſe contuliſſe, atque in celebri theologorum conventu dicta revocaſſe: at mox, cum ſe purgare niteretur, novis erroribus veteres cumulaſſe, ſubdit Urbanus.

Academia Sorbonica illi ſe opponit.

Agitata controverſia in curia Romana. Dum ſe purgare nititur Dionyſius errores auget.

*Dilectum filium noſtrum Joannem tit. S. Marci, & bonæ memoriæ Guillelmum tit. S. Laurentii in Lucina, tunc S. Georgii*

ad

ad velum aureum diaconum, presbyteros Cardinales ad audiendum declarationem ſuam ſuper concluſionibus præfatis auditores per nos ſibi obtinuit deputari: coram quibus, nec non magiſtris in facultate prædicta, qui tunc erant in curia memorata, & ad hoc per dictos Cardinales vocati fuerant, idem Dionyſius circa hujuſmodi declarationis actum, ſi erroneæ depravationis augmentum declaratio dici poſſet, in quoſdam alios expreſſe prorupit errores, deteſtabiliorem & peenicioſiorem quam concluſiones ſupradictæ, perfidiam & inſaniam continentes ſecundum eorundem redargutionem & judicium magiſtrorum.

Captat diffugia.

(Additur, verſutum hominem ad alia diffugia mox ſe convertiſſe. Ad quem demum reprimendum comprehendi illum juſſit Vrbanus, atque intentato anathemate prima Aprilis die Pariſiis errores ſuos publice revocare, Joannique Cardinali decidendæ illius cauſæ authoritatem contulit): *Circumſpectioni*, inquit, *tuæ [de qua in his & aliis fiduciam gerimus in Domino ſpecialem] tenore præſentium committimus & mandamus quatenus circa revocationem errorum prædictorum per ipſum Dionyſium aſſertorum faciendam per eum, ac circa pœnas eidem Dionyſio pro juramentorum & promiſſionum tranſgreſſionibus infligendas nec non emendam præſtandam ab illo & correctionem ipſius, aſcitis & in hoc aſſiſtentibus cancellario prædicto ac magiſtris in facultate prædicta, de ipſorum conſilio legitimis per dictos Stephanum Cardinalem tunc epiſcopum & inquiſitorem habitis ſervatis proceſſibus, appellatione remota, prævia ratione procedas; faciens quod decreveris authoritate apoſtolica per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum x. kal. januarii pontificatus noſtri anno VI.*

Ejus cauſa ad Joannem Card. & Sorbonicos delata.

XVII. Revocati ab eo errores.

Damnavit publice proximo anno Dionyſius Pariſiis, ut ſanxerat Pontifex, Joannis Cardinalis decretoria ſententia errores ſuos, extantque publica documenta, in quibus hæc inter alia leguntur (a): *Tertia concluſio articuli quarti fuit hæc quod hæc benedicta, immo ſupra benedicta lex & dulciſſima, videlicet lex amoris de qua loquebar, omnem aufert proprietatem & dominium.* Et infra: *Prædictam concluſionem revoco tanquam falſam, erroneam, & hæreticam, quia Chriſtus & Apoſtoli illam legem perfectiſſime tenuerunt, & adhuc multi tenent, & per Dei gratiam tenebunt, qui proprietatem & dominium habebunt.* Et infra: *Concluſio quarta & finalis mea fuit, quod actualis abdicatio cordialis voluntatis, & temporalis poteſtatis dominii ſeu authoritatis ſtatum perfectiſſimum oſtendit & efficit.* Et infra: *Dicunt hanc concluſionem eſſe poſitam univerſaliter, ideo ipſam univerſaliter intellectam dico falſam, erroneam, & hæreticam, quia nec Chriſtus nec Apoſtoli ſtatum prefectiſſimum habuiſſent.* Et infra: *Ex prædicta concluſione quartam inferebam primum corollarium, quod Chriſtum non abdicaſſe hujuſmodi poſſeſſionem & jus in temporalibus, non habetur ex nova lege, immo potius oppoſitum, quia Matth.* VIII. *Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Item ſecundum corollarium eſt iſtud, quod hanc legem pro regula perfectionis Chriſtus docuit, & exemplo confirmavit. Probavi per regulam nunc dictam: Vade, & vende, &c. Etiam quia vocati omnia dimiſerunt, Matthæus teloneum, Petrus & alii retia, Matth.* XIX *Ecce nos reliquimus omnia. Iſta duo corollaria revoco tanquam falſa, erronea, & hæretica, & contra decretalem domini Joannis, quæ incipit, Quia quorundam.* Et infra: *Præterea fuit corollarium quartum, quod intuli, quod abdicatio rerum temporalium ſecundum animi præparationem nullam aut valde imperfectam & fragilem oſtendit & perficit perfectionem. Probavi primo, quia ſemper habent pauperes. Secundo quia non valet niſi ratione actus, igitur actualis eſt perfectior, iſtum articulum revoco tanquam falſum & ſcandaloſum, nec probationes ſunt ad propoſitum. Item reſpondendo ad quemdam bacchalarium de domo B. Bernardi, cum ille dixiſſet, quod Chriſtus talia non abdicavit; illud negavi, & dixi quod Chriſtus nihil ſibi retinuit. Iſta duo dicta revoco tanquam falſa & hæretica, quia Chriſtus loculos habuit propter infirmos, a fidelibus oblata conſervans, quæ & ſuorum neceſſitatibus & aliis indigentibus tribuebat; ut & Chriſti evangelium & B. Auguſtinus, ac etiam determinatio Romani Pontificis hæc teſtantur.* Et infra: *Item cum debui exponere dicta mea in curia Romana coram reverendiſſimis patribus dominis Cardinalibus Nemauſenſi & Vabrenſi, addidi propoſitiones, quæ ſequuntur, videlicet quod Chriſtus in monte omnia ſimpliciter abdicavit. Iſtam reputo tanquam falſam, erroneam, & hæreticam. Item dixi, quod quando corpus in ſepulchro manſit, ibi charitas abſtulit ab eo omnem proprietatem & dominium. Iſtam revocavi tanquam falſam, erroneam, &*

(a) To. 4. bibl. patr. pag. 1337.

Chriſtum & Apoſtolos habuiſſe dominium profitetur.

Actualem abdicationem dominii perfectiſſimum ſtatum univerſaliter non inducere.

De abdicatione ſecundum animi præparationem.

An Chriſtus aliquid ſibi retinuerit.

hæ-



*hæreticam, &c.* Hactenus damnatæ hæreſeos formula. [1]

XVIII.

In Boſnia plures ex fœdiſſimarum hæreſeon erroribus emerſere præcipuis Minoritarum laboribus, quos Urbanus epiſcopo Boſnenſi, ut ipſos ſua fulciret authoritate, commendavit (a). Neque in Boſnia modo, verum in Raſcia quoque & Bulgaria innumera animarum millia ab impietate revocata Ludovici Regis Ungariæ pio armato ſtudio: egregius enim princeps, ut S. Ludovici epiſcopi confeſſoris propatrui precibus divinitus datus Ungariæ fuerat, ita latiſſime ad propagandum divini Numinis cultum arma circumtulit, abducto in vincula Stratimiro, innumeraſque animas ad pietatem traxit, in quibus erudiendis Minoritæ plurimum laboris impendere. Gratulatus eſt Pontifex Ludovico, ac provinciam Colocenſi archiepiſcopo & epiſcopo Cenadienſi ſe dediſſe, ut ſacerdotes ad neophytos excolendos legaret, ſignificavit (b).

(a) To. 6. ep. ſecr. pag. 131.

Boſnia ab hæreſi perpurgata.

(b) Ibid. ep. ſecr. pag. 130.

*Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

Ludovici Ungari egregia in fide propaganda facinora.

*Replevit ingenti gaudio mentem noſtram acceptiſſima Deo & nobis relatio, nuper per dilectos filios Joannem de Rheno & Andream de Peruſio ordinis fratrum Minorum de Bulgariæ, Raſciæ, & Boſnæ venientes partibus nobis facta, inter cætera continens, quod inſpirante illo, qui ubi vult ſpirat, ad tuam inductionem & cooperationem piiſſimam, ac fratrum dicti ordinis in dictis partibus commorantium prædicationem, multa millia perſonarum utriuſque ſexus, relictis damnabili ſchiſmate aliiſque erroribus, quibus erant & fuerant omni tempore involuti, ad lumen veræ fidei, ac unitatem & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum fidelium redierunt. De quo non ſolum nobis, ſed univerſæ congregationi fidelium talia ſentientium, quam tanta multitudine augeri procuraſti devotiſſimis ſtudiis, & cæleſti etiam curiæ ingentem lætitiam attuliſti: nam ſi teſtante veritate, quæ Chriſtus eſt, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente angelis Dei ſit gaudium, quanto majus illud exiſtimandum exiſtit, quod de tantæ multitudinis converſione noſcitur exoriri? Proinde itaque Deo, a quo omne datum optimum progreditur, gratias referentes, & tuam Chriſtianiſſimam ſerenitatem dignis laudum præconiis extollentes, plenis affectibus rogamus & hortamur eamdem, quatenus hujuſmodi tua ſtudia laudanda continuans, venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopo Colocenſi & epiſcopo Cenadienſi (quibus per apoſtolicas literas committimus & mandamus, ut de ſacerdotibus, qui curam gerant converſorum hujuſmodi ſolerter provideant, & eiſdem fratribus ad alios cooperante Domino convertendos aſſiſtant) velis pro reverentia Dei & tuo & noſtro ineffabili præmio, ac reverentia Apoſtolicæ ſedis dare conſilium, auxilium & favorem; ad converſionem aliorum ſchiſmaticorum & hæreticorum ac infidelium, quibus regnum tuum vicinum exiſtit, omnem (quam poteris) prout de te ſperat ſancta mater eccleſia, operam præbiturus. Dat. apud Montemflaſconem* II. *id. julii anno* VI. Excuſſiſſe poſtea Bulgariam Ludovici jugum, ac Baſſarath Regem ſchiſmaticum Bodonio, alias Bindim urbe regia proditione potitum fuiſſe, ex Piſano memorat Wadinghus: (c) captos vero Minoritas quinque in illius urbis expugnatione atque ob fidem orthodoxam amplificatam a ſchiſmaticis ſupplicio affectos, multiſque cæleſtibus prodigiis inclaruiſſe: adeo ut lapſa cælo lux ingens eorum corpora circumfunderet & concentus angelici audirentur.

Actæ illi de converſis ejus beneficio populis gratiæ.

(c) Vadin. in annal. Minorit. an. 1369. n. 11.

XIX. Nonnulli Albaniæ principes eccleſiæ ſe aggregant.

In Albania Stratzmirus, Georgius, & Balſa principes damnarunt ſchiſma, atque ad Romanæ eccleſiæ obſequium ſe contulerunt. Cum vero ii bello vexaſſent antea Catharenſes, quos Romanæ eccleſiæ vidimus adhæſiſſe, Urbanus ipſis pollicitus eſt (d), admiſſum iri in gratiam, ſi a Catharenſium injuria ſibi temperarent.

(d) To. 4. ep. ſecr. p. 104.

*Nobilibus viris Strazimiro & Georgio ac Balſæ fratribus Zupanis Zente gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro.*

*Spiritus noſter exultavit in Domino, qui ſicut ex relatione venerabilis fratris noſtri Petri epiſcopi Suacinenſis latoris præſentium per vos ſuper hoc ad noſtram præſentiam deſtinati percepimus, miſericorditer dignatus eſt vobis tribuere intellectum, ut relictis ſchiſmatis & errorum tenebris & umbra mortis æternæ, in quibus hucuſque manſiſtis, incipiatis animabus veſtris & ſubditorum veſtrorum prudenter conſulere, &*



lu-

NOTÆ [1] EXhibuit hoc anno Gallia concilium Vaurenſe, quod a trium provinciarum, Narbonenſi, Toloſano, Auxitano archiepiſcopis eorumque ſuffraganeis celebratum eſt, die VI. Julii hujus anni. Canones ſanciti CXXXIII. quorum plerique juris eccleſiaſtici libertatem promovent, & tuentur. Illud animadverſione dignum, quod in canone XC. cavetur ne clerici, ſive in ſacris ordinibus conſtituti, ſive beneficio aliquo eccleſiaſtico donati *diebus ſabbati* carnium eſu utantur, *ob reverentiam B. M. V.* Id vero edicere ſe clericis ſtatuunt patres, quod præſtaret illos in ratione vivendi ſupra laicos excellere. Ex quibus ſane diſcimus abſtinentiam a carnibus diebus ſabbati nondum ſive conſuetudine, ſive præcepto aliquo eccleſiaſtico apud Fideles, ſaltem ubique, obtinuiſſe. MANSI

*lumen agnoſcere veritatis ; intendentes ad obedientiam & devotionem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum fidelium reverenter, & cordibus ſinceris accedere, in eiſque perpetuo remanere ; ac a nobis qui, licet immeriti, ſumus in terris Chriſti vicarius, inſtrui qualiter debeatis in via mandatorum Domini ambulare. De iis igitur laudandis principiis Deo, qui vos ſua gratia prævenit & ( ſi pura intentio in mentibus veſtris vigeat ) ſequetur indubie, devotas gratias agimus, & vos plurimum commendamus, intendentes vos, ſi noſtris & dictæ eccleſiæ mandatis devote parebitis, in filios ſpirituales recipere & tenere, ac proſequi favoribus opportunis. Ut autem mereamini ad gratiam reconciliationis admitti, ac obtinere Apoſtolicæ ſedis benevolentiam & favores, a moleſtiis eccleſiarum & perſonarum eccleſiaſticarum, aliorumque catholicorum obedientium dictæ Romanæ eccleſiæ ; præſertim civitatis Catharenſis, quam jamdiu a vobis, ſeu te, Georgi, hoſtiliter moleſtari percepimus, curetis penitus abſtinere, ut in iis & aliis veſtram intentionem puriſſimam oſtendatis. Super quibus & aliis, per vos agendis in dictæ veſtræ reconciliationis negotio, præfatum epiſcopum duximus informandum, cui ſuper iis, quæ vobis ex parte noſtra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere. Dat. apud Montemflaſconem Balneoregienſis diœceſis* VIII. *kal. junii anno* VI. Extant aliæ ad eoſdem gratulatoriæ de ſchiſmate damnato literæ (a), rogatique ſunt, ut epiſcopi a ſede Apoſtolica miſſi conſiliis obſequerentur.

Monentur, ut a Catharenſibus vexandis abſtitant.

(a) *Ead. pag.*

XX. Græculi in Candia ſchiſma confirmant.

In Cretæ inſula, Veneto imperio obnoxia, nonnulli ſacerdotes Græci vetus ſchiſma confirmare annitebantur: cujus excindendi ſolicitus Urbanus, cum ex ſuperiori bello dux Venetus potentiam ſuam, profligatis perduellibus, magis conſtabiliviſſet, ſanxit Urbanus (b), ut nullus ſacerdotio initiaretur, niſi qui Romanæ eccleſiæ obſequio ſe adhæreſcere comprobaret, divinaque Latino ritu peracturum profiteretur : qui vero ſacerdos hunc non ſervaret, neque exhomologeſibus excipiendis, neque habendis concionibus adhiberetur.

(b) *An.6. ep. cur.* 75.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cretenſi, ejuſque ſuffraganeis.*

Urbani in eos decretum.

*Communis habet aſſertio, & veriſimilitudo etiam aſtruit, quod damnatum ſchiſma Græcorum, ex quo, dum eccleſiam contempſerunt, & catholicum correctorem recipere, proh dolor! pullulavit hæreſum multitudo & pullulare non ceſſat, calogerorum & ſacerdotum malitia intellectum depravans laicorum ſimplicium verſuta ſeductione confovit & adeo confovere non ceſſat, quod cum aliqui ſeculares etiam præpotentes volunt ad gremium ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris & magiſtræ fidelium cunctorum accedere, a calogeris & presbyteris impediuntur eiſdem, ubi catholicorum temporale dominium non exiſtit. Cum itaque, ſicut gratanter audivimus, in inſula Cretenſi, in qua veſtræ conſiſtunt eccleſiæ, dilecti filii dux & commune Venetiarum ſuper Latinos & Græcos plenius ſolito dominetur, & eccleſiaſtica cenſura per auxilium brachii ſecularis poſſit melius ſolito executioni debitæ demandari, propter quod dictum ſchiſma de præfata inſula, Deo favente, poterit [ut veriſimiliter ſperatur & creditur] modis accommodis extirpari; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quilibet veſtrum in ſuis civitate & diœceſi auctoritate noſtra diſtricte inhibeat, ne aliquis ſcholaris, ſeu laicus literatus Græcus de inſula ſupradicta inſigniatur de cætero charactere clericali, vel promoveatur de cætero ad quoſcumque ordines, niſi per Latinum epiſcopum aut Græcum catholicum, per cujus literas de ſua promotione faciat plenam fidem; & ii, qui ex talibus fuerint in presbyteros ordinati, miſſas & alia divina officia juxta ritum, quem præfata Romana ſervat eccleſia, debeant celebrare : adiicientes quoque inhibitioni jam dictæ, quod nullus calogerorum ſeu ſacerdos Græcus, præfatum ritum non ſervans, de cætero audeat confeſſiones audire, vel populo prædicare, &c. Dat. apud Montemflaſconem* V. *kal. auguſti anno* VI.

Promovendi ad ordines, ſe catholicos profiteri juſſi.

Divina ritu Latino peragere.

Hunc non ſervantes, concionibus & piaculario munere interdicti.





I. Contulit ſe ad ſedis Apoſtolicæ obſequium, ac profeſſurus ſolemni ritu fidem orthodoxam Græcorum Imperator Joannes Palæologus Romam acceſſit anno hujus ſeculi ſexageſimo nono indictione ſeptima, quem magnis honoribus, omnique officiorum genere ab Urbano & collegio Cardinalium exceptum, refert ipſius Pontificis vitæ ſcriptor (a): *Anno*, inquit, *prænominato, ſcilicet* LXIX. nimirum excurrentis ſæculi, *ad dictum Urbanum Papam Romæ exiſtentem acceſſit Joannes Palæologus Imperator Græcorum, fuitque receptus honorifice, ac tractatus per dictum Papam & Cardinales paulo minus quemadmodum ſi fuiſſet Imperator Romanorum : qui demum fuit reductus ad Romanæ eccleſiæ unitatem, juravitque eidem perpetuo obedire, ac fidem ipſius ſervare in futurum ; ſuper quo chartam Græce & Latine conſcripſit, & ſua bulla aurea ſigillavit, quam in archivis eccleſiæ conſervandam dicto Papæ aſſignavit.* Extant tantæ rei geſtæ monumenta (b) Græcis Latiniſque literis conſignata ; quibus Palæologus divina ſe luce colluſtratum, veteres errores ejeciſſe affirmat : & ex præſcripta a Pontifice formula Romanæ eccleſiæ fidem, atque inter cætera Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, ſacramentum Euchariſtiæ æque in azymo ac fermentato confici poſſe, denique Chriſti vicarii ſupremum in omnes eccleſias Imperium profitetur.

(a) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Imp. Conſtantinop. Urbanum adit.

Profitetur fidem Catholicam.

(b) *Ext. in tabulario arcis S. Ang. & in lib. priv. Rom. eccl. to.* 2. *p.* 270.

II. Publica de ea re monumenta.

*In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ego Joannes in Chriſto Deo fidelis Imperator & Romæorum moderator Palæologus Spiritus Sancti lumine illuſtratus, volens ſaluti animæ meæ providere, ſponte veni ad ſacram urbem Romanam, ſanctiſſimum patrem dominum Urbanum, divina providentia Papam V. & ſanctam ſedem Apoſtolicam viſitaturus, ac ejuſdem domini Papæ vel alterius ſeu aliorum ab eo in hac parte deputatorum manibus recogniturus & profeſſurus fidem catholicam, quam ſacroſancta Romana & univerſalis eccleſia profitetur, tenet, & docet ; & circa perpetuam obſervantiam ejuſdem fidei præfati domini Papæ ac ſuorum ſucceſſorum Romanorum Pontificum mandatis plenarie & efficaciter pariturus. Ideoque in præſentia veſtrum, reverendiſſimi patres domini Guillelme epiſcope Oſtienſis & Bernarde baſilicæ duodecim Apoſtolorum ac Franciſce tit. S. Sabinæ presbyteri, & Raynalde S. Adriani diacone Cardinales commiſſarii ſuper hoc a præfato domino Papa deputati, ac venerabiles viri ejuſdem ſedis notarii & teſtium infraſcriptorum perſonaliter conſtitutus, profiteor & credo ſanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, coæternam & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis ; creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ ſunt in cælo & in terra viſibilia, & inviſibilia, corporalia & ſpiritualia. Item credo, ſingulam quamque in Trinitate perſonam unum verum Deum plenum & perfectum.*

De Deo uno & trino.

*Credo ipſum Filium Dei verbum Dei æternaliter natum ex Patre, conſubſtantialem, unius & ejuſdem omnipotentiæ, & coæqualem per omnia Patri in divinitate, in tempore conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria ſemper virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem : Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum : non adoptivum, neque ſecundum phantaſiam ; ſed verum & unicum filium Dei in duabus & ex duabus, divina ſcilicet & humana, naturis : ſed in unius ſingularitate perſonæ impaſſibilem & immortalem divinitate : ſed in humanitate pro nobis & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, & ſepultum : & deſcendiſſe ad inferos, & tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe ad celum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua ſive bona fuerint ſive mala. Credo etiam Spiritum Sanctum plenum & perfectum, verumque Deum ex Patre & Filio procedentem, coæqualem & coeſſentialem & coomnipotentem & coæternum per omnia Patri & Filio. Credo hanc ſanctam Trinitatem non tres Deos, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem.*

De Chriſto.

Et duplici in eo natura in unitate perſonæ.

Et aliis illius myſteriis.

*Credo ſanctam catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram eccleſiam, in qua unum datur baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credo veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credo etiam novi & veteris teſtamenti, id eſt legis & veteris & novæ, prophetarum & Apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum & dominum omnipotentem. Credo hanc eſſe veram fidem catholicam, & quod hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, & propter diverſas hæreſes a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductas dicit & prædicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos ; ſed per veram pœnitentiam ſuo-*

De Baptiſmo non iterando.

*ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum: quod ſi vere pœnitentes in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari; & ad pœnarum hujuſmodi alleviationem & liberationem prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſiæ inſtituta.*

De purgatorio. Et paradiſo. Et inferno, Et limbo puerorum. Et extremo judicio.

*Credo etiam illorum animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis manentes corporibus vel eiſdem exutæ, prout dictum eſt ſuperius ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi: illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas, eadem ſancta Romana eccleſia credit & firmiter aſſeverat; & quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem.*

Quis ſacramentorum numerus.

*Item credo, ſicut tenet etiam & docet eadem eccleſia Romana, ſeptem eſſe eccleſiaſtica ſacramenta: unum ſcilicet baptiſma, de quo dictum eſt ſupra: aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manus impoſitionem epiſcopi conferunt, chriſmando renatos: aliud eſt pœnitentia: aliud eſt Euchariſtia: aliud eſt ſacramentum ordinis: aliud matrimonii: aliud eſt extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtiæ ex azymo ſacrificat eccleſia Romana prædicta, tenens & docens, quod in ipſo ſacramento panis vere * tranſmutatur in corpus, & vinum in ſanguinem domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros: ſoluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas & tertias & deinceps nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum & cauſa alia non obſiſtat.*

* al. *tranſubſtantiatur*

Tranſubſtantiatio fit in Euchariſtia.

De nuptiis.

De primatu Rom. eccl.

*Ipſa quoque ſacroſancta Romana eccleſia ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſam catholicam eccleſiam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in beato Petro Apoſtolorum principe ſeu vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum plena poteſtate recepiſſe, veraciter & humiliter recognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri: ad quam poteſt gravatus quilibet in negotiis, ad forum eccleſiaſticum pertinentibus, appellare. Sed & in omnibus cauſis, ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius recurri poteſt judicium, & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ: ipſarum epiſcopi obedientiam & reverentiam ſibi debent: apud quam ſic plenitudo poteſtatis conſiſtit, quod eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit, quarum multas, patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit; ſua tamen præcellenti dignitate & ſuperioritate tam in generalibus conciliis, quam in quibuſcumque aliis ſemper ſalva.*

III.

*Unde ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt & fideliter expoſita, veram, ſanctam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo tempore receſſurum, ſeu quoquo modo deviaturum promitto: & abrenuncio omni ſchiſmati. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens fateor & recognoſco, accepto ac ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem quam circa dictæ eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam & perſeverantiam ſervaturum præſtito corporali juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut aliud agere præſumpſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, & ſeveritati ſacrorum canonum ſubjacere. Ad certitudinem prædictorum & cautelam majorem præſens juramentum expoſui, & inſtrumentum feci bulla aurea munitum. Scriptum in antiqua Roma anno ab incarnatione Domini MCCCLXIX. indictione VII. die XVIII. menſis octobris, ſupraſcripti ſanctiſſimi patris & domini domini Urbani, divina providentia Papæ V. anno VII. præſentibus domino Nicolao Cardinale & reverendis in Chriſto patribus dominis Dei gratia Arnaldo Archiepiſcopo Auxitano camerario & Raimundo de Pratis notario præfati domini Papæ, ac Raimundo Forojulienſi, Jacobo Aretino, & Bernardo Marſicano epiſcopis; ac venerabilibus viris dominis Eblone de Mederio & Petro de Albiartz clericis cameræ, ac Gauſelmo de Pradello capellano præfati domini Papæ; nec non nobilibus viris dominis Franciſco Catalufii de Janua domino inſulæ Metelini, & Michaele Strongilo milite & Philippo Cichandelli domicello Conſtantinopolitanis, ambobus ultimis ſcientibus linguas & grammaticas Græcas & Latinas, teſtibus ad hæc ſpecialiter vocatis & rogatis. Qui quidem domini Eblo & Petrus clerici cameræ apoſtolica auctoritate tabelliones ſeu notarii rogati*

Huic ſe ſubiicit Palæologus.

Qui teſtes interfuerint.



*gati etiam fuerunt de præmiſſis conficere publicum inſtrumentum.*

IV. Aggregato ita cœtui fidelium Græcorum Imperatore, Pontifex encyclicis literis univerſos catholicos de re adeo inſigni certiores fecit (*a*) idibus novembris, utque ipſum tanquam catholicum, qua par erat, benevolentia complecterentur, fulcirentque auxiliis eſt adhortatus: *Univerſitatem*, inquit, *eandem rogamus & hortamur in Domino, quatenus præfatum Imperatorem tanquam verum ejuſdem eccleſiæ filium, noſtris veluti ſui patris præceptis in omnibus obedire paratum, in dictis fide & obedientia permanentem reputetis catholicum, ſicut nos etiam reputamus; ac ipſum habeatis charitativis veſtris auxiliis & favoribus commendatum: nos enim ſperamus, quod idem Imperator, prout ipſe nobis fuit pollicitus, gratia Dei noſtriſque favoribus communitus, circa converſionem & reductionem aliorum in hujuſmodi ſchiſmate perſiſtentium talem ſolicitudinem adhibebit, quod ipſi ſchiſmatici alliciantur, & dante Deo efficaciter inducentur. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* VIII. nimirum poſt VIII. id. novembris a qua die numerantur Urbani pontificatus anni. Illuſtres ſunt de eodem literæ ſequentis anni exordio ad Andream Contarenum ducem Venetorum ſcriptæ (*b*), quibus Palæologum ingentes ſui ſpes, ut exemplo Conſtantini magni innumeros populos ad eccleſiam trahat, concitaſſe ait: rogatque ut validis illum auxiliis ad Turcarum, qui extremum orientali imperio exitium inferebant, retundendos impetus muniat.

(*a*) *To.* 8. *ep. ſecr. p.* 4.

Promulgat Pont. Græc. Imp. eſſe catholicum.

(*b*) *Ibid. pag.* 24.

*Urbanus &c. Andreæ Contareno duci Venetiarum.*

V. Ad Venetum ducem de eo lit.

*Sacroſancta Romana eccleſia, mater & magiſtra cunctorum ſacra unda baptiſmatis renatorum, exemplo illius bonis patris utique ſui ſponſi, qui filium prodigum a ſuo gremio deviantem progreſſum eminus longoque tempore commoratum in devio, ſed in humilitatis ſpiritu redeuntem, paterna charitate ſuſcepit, ſedula imitatrix, filiorum deviantium reditum deſiderio materno deſiderat, anxiaque inquiſitione procurat, regreſſos amplectitur, & circumdat pretioſis fidei veſtimentis: lætatur ab intimis, lætantiumque parat convivium; cum juſtus ex fide vivat, & olim devius cum aliis domeſticis ſit in domo Domini convicturus. Hanc ſiquidem ingentem lætitiam nuper eadem eccleſia ex divina miſeratione ſuſcepit, cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Palæologus Imperator Græcorum illuſtris ad ſanctam ſedem Apoſtolicam in ſpiritu devotionis acceſſit, abjuravit omne ſchiſma, ac fidem catholicam, quam tenet & docet præfata eccleſia, profeſſus eſt ſecundum formam, quam ſibi fecimus exhiberi; & de parendo deinceps mandatis eccleſiæ corporaliter præſtitit juramentum: pieque ſperatur, quod ſicut quondam Conſtantini Imperatoris converſio fuit cauſativa converſionis innumerabilium populorum; ſic ejuſdem Joannis Imperatoris exemplo & opere, gratia favente divina, infiniti populi, ſchiſma & errores Græcorum ſectantes, ad caulam Domini reducentur.*

Conceptæ ſpes de Græcorum converſione.

*Volentes igitur tuam tuorumque civium devotionem eximiam tantæ alacritatis eſſe participem, ut cum matre gaudente filialiter gaudeatis, hæc tibi & eiſdem civibus duximus præſentibus intimanda, ut tu & ipſi de tanti boni principio gratias agatis domino Deo noſtro, eum deprecantes humiliter, ut omnes hæreticos & ſchiſmaticos eruat ab erroribus univerſis, & dignetur ad eandem matrem eccleſiam revocare. Cæterum quia idem Imperator, utpote princeps catholicus, a cunctis eſt Chriſti fidelibus de cætero confovendus, & ipſius imperium ex ſæva devaſtatione & occupatione Turcorum hoſtium crucis immanium quaſi ad extremum exterminium eſt deductum, tuo & aliorum catholicorum auxilio noſcitur indigere; nobilitatem tuam hortamur in Domino & rogamus attente, quatenus ob reverentiam Dei fideique præfatæ augmentum eidem Imperatori, in devotione ac obedientia dictæ eccleſiæ perſiſtenti, contra dictos Turcos velis de poſſibili tibi auxilio ſubvenire. Dat. Romæ apud S. Petrum* IV. *kal. februarii anno* VIII. Adducere in ejuſdem gloriæ ſocietatem annniſus eſt Pontifex Gabrielem Adurnium Genuenſium ducem, ad quem conceptæ iiſdem verbis extant datæ literæ (*c*), ut Imperatori Joanni auxilia ſubmitteret.

(*c*) *Ib.*

VI. Dum vero Pontifex vindicandi a Turcarum ſævitia Græcorum imperii verſabat conſilia, fœderatas Anglicas catervas, quæ Italiam vaſtabant traducere in orientem eſt meditatus: ita enim & Italiam ab eorum excurſionibus liberandam, & Græcis valida ſubſidia conciliatum iri, ac pariter vagos milites a latrociniis abducendos. Apoſtolico itaque diplomate Joanni Imperatori permiſit, (*d*) ut ſociales turmas ſibi aſciſceret duceretque in Turcas; omniaque ſacramenta, quibus ſe mutuo aſtrinxiſſent, diſſolvit: ſed pia Pontificis conſilia horum facinoroſorum dux Agutus eluſit, & Italorum incubare prædæ, ſeque æterno obiicere exitio, quam converſis in fidei hoſtes armis & terrenas opes ampliſſimas & cæleſtes palmas conſectari maluit: atque ita ſperatis maximis ſubſidiis Palæologus nudatus eſt.

De vagis turmis in Turcas traducendis actum.

(*d*) *Ib. p.* 17.

Detrectant eæ traiicere in orientem.

VII. Afflixit etiam admodum res orientales Petri Regis Cypri inviƈtiſſimi infidelium domitoris crudelis mors; de qua hæc Urbani geſtorum ſcriptor (*e*): *Petrus inſuper Rex Cypri ſupra ſæpius nominatus, qui ultra omnes Reges & principes ſuos contem-*

Petri Regis Cyprii cædes.

(*e*) *Geſta Urb. V. apud Boſ.*

*temporaneos ad recuperationem & acquiſitionem terræ ſanctæ aſpiraverat, & ad hoc alios multos incitaverat & induxerat pro viribus ſuis, quam infideles multis modis expugnaverant; totus etiam bonus, virtuoſus, & animoſus, velut alter juſtus Abel, vel Joſeph innocens per operationem & machinationem fratrum ſuorum fuit malitioſe & crudeliter interemptus*. Permotos in eum iracundia ex acceptis contumeliis, ſeu ambitione ad capeſſendam tyrannidem; paraſſeque Petrinum illius filium opprimere, ſed a populo ad arma concurrente flagitio ſubmotos, referunt (*a*).

Petrinus filius periculo ereptus.

(*a*) *Boſius p.2. l.3.*

VIII. Concitatæ a Bernabone turbæ.

Auxit orientis luctum & calamitates occidentalium diſcordia. Ab Italicis vero turbis ducimus initium: oſtentatæ namque pacis ſpecie Bernabos, cum Imperatorem Carolum, qui ſubſidio Romanæ eccleſiæ venerat ſuperiori anno in Germaniam dimiſiſſet, priora invadendæ pontificiæ ditionis, irarumque in eccleſiæ fœderatos effundendarum conſilia urgere cogitavit, conductis magnis ſtipendiis vagis Anglorum turmis [1]. Adverſus quem Pontifex, ſubſidia ſibi conciliaturus, Piſanos (*b*) ad ſuas partes Piſaurienſis epiſcopi opera trahere ſtuduit, & cum Florentinis ſocietatem armorum iniit Viterbii, ut Leonardus Aretinus (*c*), atque ex eo S. Antoninus (*d*) tradunt: cujus quidem pactionis tabulæ v. id. decembris confirmatæ ſunt (*e*). Cum igitur Florentini eccleſiæ partes defendendas ſuſcepiſſent, ac legato ſedis Apoſtolicæ ſubmiſiſſent auxiliares copias, tyrannus Mediolanenſis furore percitus Agutum Anglicarum copiarum ducem inſignem latronem in illos immiſit: quibus ut conſuleret Pontifex, Ægidium epiſcopum Tuſculanum Patrimonii & Spoletani ducatus præſidem Florentinorum ſubſidio accurrere juſſit: *Quia*, inquit, *ſicut dolenter audivimus, certæ gentes civitatis Florentinæ cum Romana eccleſia colligatæ a gentibus Anglicis Joannis Agut receperunt conflictum, volumus & tuæ fraternitati diſtrictius præcipiendo mandamus; quod civitatibus & terris noſtris de gentibus eccleſiæ ad eandem civitatem Florentiam in ejus auxilium & ſuccurſum ſtudeas celeriter deſtinare. Dat. Romæ apud S. Petrum* VII. *id. decembris anno* VIII. Similia imperia tum hoc, tum inſequenti anno aliis data. (*f*)

(*b*) *To. 6. ep. ſecr. pag. 1.*
(*c*) *Leonard Are. hiſt. Flor. l. 8.*
(*d*) *Ant. 3. p.tit. 22.c. 10. §. 2.*
(*e*) *To. 8. ep. ſecr. pag. 7.*

Angli Florentinos cædunt.

(*f*) *Ead. pag. & pag. 19.*

IX. Ungarus operam Pontifici defert.

Audita Bernabonis tyrannide, Ludovicus Rex Ungariæ eccleſiæ ſignifer indignatus, Urbanum, qui ab Italis ob reſtitutam Urbi ſedem Apoſtolicam coli debuerat, vexari bello, ac ſacram in fidei Chriſtianæ hoſtes expeditionem præpediri; ac Pontifici ad coercendum hoſtem decem millibus ad minus Ungaris ſuccinctum venturum ſe ſpopondit certis legibus in Italiam, ac tandiu incubiturum in id bellum, donec Bernabos obtritus eſſet; de quibus Urbanus ad Anglicum Cardinalem ſcripſit (*g*), ut fœderatos de iis faceret certiores.

(*g*) *Eod. to. 8. ep. ſecr. pag. 9.*

*Urbanus, &c. venerabili fratri Anglico epiſcopo Albanenſi in terris Romanæ eccleſiæ immediate ſubjectis pro nobis & eccleſia ipſa vicario in temporalibus generali ſalutem, &c.*

*Deducimus ad tuæ fraternitatis notitiam, quod ambaxiatores chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Ungariæ illuſtris, qui apud nos fuerunt diebus quampluribus, ſuper arduis petitis per eos bene contenti a noſtra præſentia diſceſſerunt, dixeruntque nobis, quod ipſe Rex, prout ab eo habuerunt, paratus erit ad depreſſionem hoſtium Romanæ eccleſiæ & colligatorum ipſius perſonaliter venire ſaltem cum decemmillibus armatorum bonorum & non pauciorum, & non recedere, donec dicta depreſſio eſſet totaliter terminata: pro quorum tertia parte ſtipendiorum idem Rex* de

NOTÆ [1] QUamquam pontificis cum Bernabone diſſidia tangit hic Annaliſta, attamen accuratiorem eorum hiſtoriam deſideres. Igitur hoc ineunte anno, die XII. Februarii, pacis inter pontificem cæteroſque fœderatos, & Mediolanenſes vicecomites lætum nuncium Bononiæ promulgatum fuit, teſte authore Miſcellæ. Interim Carolus Imperator ſeceſſit in Germaniam, quod auguſto menſe, vel circa accidiſſe colligo ex authore Miſcellæ, teſtante Carolum die XVI. Auguſti Bononia diſceſſiſſe, ut inde Ferrariam, tum in Germaniam pergeret. Florentini vero die XI. Auguſti obſidionem oppidi S. Miniatis, quod relicta eorum ſocietate adhæſerat Imperatori; (neque enim Carolo cum Florentinis convenerat) decreverunt. Cauſæ huic ſe ſe miſcuit Bernabos inſtigante cardinali Bononienſi, qui cum Lucæ tunc ageret, Saminiatenſibus favebat. Ex Sozomeno Piſtorienſi, ejus ætatis hiſtorico, hæc omnia deſumpſi. Vulgatus eſt Rer. Italic. to. XVI. Bellum ergo palam Florentinis indixit Bernabos, cauſatus oppidum illud ſui eſſe vicariatus imperialis. Novum & potentem hoſtem metuentes Florentini, partes ſuas firmandas potenti aliqua clientela opportunum rati acceſſerunt fœderi quod pontifex ſtrinxerat cum Marchione Ferrariæ domino Paduæ, domino Gonzaga, domino Regii, domino Foliani, Bononienſibus, Piſanis, Lucanis. Hæc Sozomenus, quibus ex Authore Miſcellæ addjicienda eſt Joanna Apuliæ Regina, quæ arma ſua Eccleſiæ ſociavit. Fœdus iſtud ſignatum die XXXI. Octobris, ut idem Sozomenus teſtatur, eo ſpectabat, ut Bernabos in ordinem redigeretur. Viciſſim Bernabos cohortes quaſdam Anglorum, quæ ſub Joanne Aguth per Italiam vagabantur, ſtipendio conduxit; iiſque fultus auxiliis prælium cum Florentinis die XXVI. novembris commiſit, quod improſperum hoſtibus, armiſque ſuis ſecundum nactus eſt. MANSI.



*de proprio ſolveret, eccleſia & colligatis eiſdem ſolventibus reliquas duas partes, & dantibus gentes ordinatas & taxatas pro liga, vel ſaltem medietatem earum; & nobilibus colligatis, & melioribus de terris eccleſiæ aſſiſtentibus ipſi Regi. Quibus reſpondimus, quod hoc præfatis eccleſiæ & colligatis omnino impoſſibile redderetur, & propterea ipſe Rex adjuvando eccleſiam & colligatos eoſdem, utique ſuos amicos, ſuam ut placeret magnificentiam exhiberet. Cum itaque ſuperbia hoſtium ſemper aſcendat, & contra eos ſit celeriter providendum, volumus, & tuæ fraternitati mandamus, quatenus dilectos filios Florentinos & alios colligatos ad providendum ſuper his, & offerendum dicto Regi ſubſidium, quod offerentibus ſit poſſibile ipſique Regi gratum, ſtudeas ſine moræ diſpendio convocare, ac ſuper his tractare & deliberare, quod magis videbitur expedire. Dat. Romæ apud S. Petrum* XVII. *kal. januarii anno* VIII.

Fœderati eccleſiæ de eo facti certiores.

X. Polonia a Tartaris vaſtata.

Expetiit porro Ungariæ Rex a Pontifice, ut Poloniæ Regem a barbaris, qui rupto induciarum fœdere irruperant, magnis cladibus attritum apoſtolica beneficentia juvaret. Cujus nec non Caſimiri votis annuens Chriſti vicarius, Polonico clero ſubſidiariam ſtipem, qua vaſtatæ a barbaris arces reficerentur ad propulſandas eorum excurſiones, ac ſuſtinendam religionis dignitatem imperavit, datis ea de re Gneſnenſi archiepiſcopo & ſuffraganeis literis, quibus illatam ab hoſtibus vaſtitatem ita deſcribit (*a*): *Nuper chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovicus Ungariæ & Caſimirus Poloniæ Reges illuſtres nobis ſignificare curarunt, quod cum nuper inter ipſum Regem Poloniæ ex una parte, & nonnullos ſchiſmaticos ac perfidos infideles ex altera treugæ penderent, & ſervarentur hinc inde, ipſeque Rex Poloniæ nullum eorum infidelium formidaret inſultum; iidem infideles ex innata eis malitia & execranda fallacia in terra ejuſdem Regis ſuper hoc improviſi ſubito clandeſtine ac hoſtiliter irruerunt, terras ipſas depopulando, & earum incolas captivando, necando, & mulieribus abutendo, eccleſias profanando, ac etiam deſtruendo. Et inter alia mala & damna, quæ in dicto regno patraverunt & intulerunt, caſtra Vurutz, Paloneæ, Rotemburch, Polcosko, Cracovienſis diœceſis, utique nobilia ac fortia, occuparunt & funditus deſtruxerunt, & alia mala innumera commiſerunt, &c. Dat. apud Montemflaſconem idibus maji pontificatus anno* VII.

(*a*) *An. 7. ep. com. 362.*

XI. Caſtellæ motus. Toletum obſeſſum.

Geſtum eſt in Hiſpania magno adverſarum partium ardore bellum, quod demum Petri Regis Caſtellæ ſanguine extinctum eſt. Toletum Henricus Traſtamaræ comes obſidione cinxerat, civeſque in contraria ſciſſi ſtudia, cui ſe addicerent, fluctuabant: quo cognito Petrus Rex, quamvis externas vires, nimirum Aquitanicas, præſtolari tutius foret, ne tamen urbi ampliſſimæ deeſſet, afferre auxilia maturavit. At venienti occurrit Henricus Bertrandi Gueſclini auxiliis inſtructus, collatiſque ſignis pridie id. martii Petrum acie fudit, ac fugientem in vicinum oppidum Montielem nomine caſtris circumdedit. In eas compulſus anguſtias Rex infelix, quem divina ultio ob innumera flagitia manebat, fugam capturus Bertrando Gueſclino ducenta aureorum millia, atque ampliſſimas poſſeſſiones eſt pollicitus, ſi ſaluti regiæ viam aperiret: illectuſque vana ſpe in Bertrandi tentorium irrepſit. Cui mox armatus Henricus fratrum ac matris cruorem ulturus affuit, ac Regem eumdemque fratrem pugione confodit: *Tetrum*, inquit Mariana (*b*), *ſpectaculum Regem Regumque progeniem in ſuomet ſanguine volutari a notho fratre cæſum. Sed cujus funeſta Hiſpaniæ vita fuerat, mors extitit ſalutaris: gravique documento monſtratum, nullis legionibus, opibus, potentia tutam eſſe improbitatem. Exemplum editum, quod admirentur poſteri, perpetuoque exhorreant*. Pauciſque interjectis ſubdit: *Vigeſimo tertio martii die interfectus eſt in ætatis flore annos natus quatuor & triginta, menſes ſeptem: regnavit annis decem & novem tribus minus diebus*. Ita miſere periit, quem toties ſummorum Pontificum ſaluberrima monita contempſiſſe ſuo exitio, vidimus. Conſentit ſuperioribus Urbani vitæ ſcriptor, qui tantam Hiſpanicarum rerum converſionem narrat (*c*), additque: *Et ſic hereditas Iſaac ad Iſmaelem eſt perducta: quod an juſte vel injuſte, eſt diſcernere cujus judicia ſunt abyſſus multa*.

Petrus Rex Caſtellæ profligatus.

A fratre ſpurio necatus.

(*b*) *Marian. l. 17.c.13.*

(*c*) *Geſta Urb. V. apud. Boſq.*

Exortæ in Aquitania converſiones.

Invexit Hiſpanicum hoc bellum in Galliis aliorum bellorum ſemina Gallos inter & Anglos: exacerbatæ enim fuerant veteres inimicitiæ, cum pro Petro Angli, Galli pro Henrico ſigna conferrent, ac ſinguli Regem in Caſtella ſibi fœderatum tueri contenderent; faciliſque occcaſio dein ambos in apertum bellum conjecit. Exhauſtus ærario Eduardus Walliæ & Aquitaniæ princeps, quod in reſtituendo ſuperiori anno regno Petro effuderat, reficere illud nitebatur, cum majoris belli moles incumberet, ut nimirum Petri regna ipſius filiabus Conſtantiæ & Eliſabethæ profugis in Aquitaniam, quarum major natu duci Lanclaſtriæ deſponſa fuerat, jure hereditario aſſereret. Imperarat propterea acerbiora vectigalia Aquitanis (*d*): tum in nobiles ſuperiorum victoriarum faſtu turgidus ſuperbe ſe gerebat: quod adeo eos populos libertatis cupidos offendit, ut cum Rege Francorum, qui pluribus humanitatis officiis aliiſque artibus ipſos ſibi devinciebat, coi-

(*d*) *Froſſar. hiſt. l. 1.*

coitiones injerint : & licet Eduardus Rex, reſciſſis filii de vectigalium imperiis edictis, Aquitanorum voluntates ſibi conciliare niſus ſit, læſos tamen placare non potuit, quin ex veteri more Regis Francorum ut ſupremi domini patrocinium expeterent, cui tamen juri ex inito antea fœdere abrenuntiatum a Gallo fuerat.

Expetitum ab Aquitanis Galli Regis patrocinium.

Ita, ſuſcipiente Aquitanorum clientelam Carolo, pluraque amiſſa a patre recuperante, bellum atrox accenſum, ut narrat Urbani vitæ ſcriptor (a). Percenſentur vero ejuſmodi funeſti belli clades accurate a Froſſardo (b), qui inter cætera ait, Lemovicum urbem a duce Biturigum coactam ad deditionem ; ſed poſtea ab Eduardo principe recuperatam, qui laxatis furori habenis barbari inſtar nec ſexus nec ætatis miſericordia flexus innocuo ſanguine ipſam compleverit. Attulit hoc bellum ingentia mala rei Chriſtianæ, atque Urbanum illius extinguendi cupidum in Gallias attraxit.

(a) *Geſta Urb. V. apud. Boſq.*

Eduardi immanitas.

(b) *Froſſar. hiſt. l. 1.*

XII. In Boſnia, cum religio catholica in dies effloreſceret, Banus ſenior ſchiſmaticus fratrem Stephanum juniorem catholicum inſectatus eſt : cujus clientelam ſuſcepturus Pontifex, Ludovico Ungariæ Regi has graves querelas propoſuit (c) : *Banus Boſnæ ſenior frater ejus, ſequens ſuorum progenitorum veſtigia deteſtanda, ac fovens & defendens hæreticos, ad illas partes quaſi ad ſentinam fœtidam de diverſis mundi partibus confluentes, ipſum Stephanum, abjecto amore fraterno, perſequitur ; & hactenus graviſſimis damnis attrivit, ac partem hereditatis ſibi denegavit exhibere, &c.* Adjecit preces ut a fratris hæretici injuriis Stephanum principem vindicaret. Aliis vero literis Stephanum ad conſtantiam excitavit (d), ut fratris odia cauſa religionis ſuſcepta magno animo toleraret : pati enim pro Chriſto non calamitati, ſed felicitati ac triumpho adſcribendum ; nec Ludovicum Regem Ungariæ, ad quem literas commendatitias dederat, ipſi defuturum: *Confortare igitur, fili, habeque patientiam in adverſis, quæ ſuſtines amore divino : nam præter Apoſtolicæ ſedis favores & præfati Regis auxilium, tibi Deo propitio congruo tempore tribuenda, ſecundum ſententiam Domini dicentis : Beati ſunt qui perſecutionem propter juſtitiam patiuntur, cum nulla ſit major juſtitia, quam fidem ſemper tenere catholicam, ex qua juſtus vivit, & pro ejus amore mala quælibet æquanimiter tolerare, æterna præmia conſequeris. Cæterum ſi, ut ſcripſiſti, ad ſacram urbem acceſſeris, videbimus te libenter, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* XIX. *kal. jan. anno* VIII.

(c) *To. 6. ep. ſecr. pag. 8.*

Boſnia a Manichæis infecta.

(d) *To. 8. ep. ſecr. p. 9.*

XIII. Afferendæ etiam ſuo ſplendori in Dalmatia religionis ſolicitus Dei vicarius, cum certior eſſet factus, plures hæreticos e Boſnia in finitimas provincias ſe conferre, neque abeſſe periculum, ut ſimplices inficerentur, Spalathenſi & Raguſino archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis provinciam dedit, ut anathema incuterent iis, qui hæreticos Boſnenſes exciperent, vel cum ipſis mercium commutationem inirent, ac ne ipſorum fidei commiſſi greges ea lue inquinarentur, curas intendere juſſit (e).

Objectæ cenſuræ cum iis commercium habituris.

*Urbanus, &c. Spalatenſi & Raguſino archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis.*

(e) *Eod. to. 8. ep. ſecr. p. 3.*

*Nuper ad noſtrum non ſine mentis * fidedigna relatione pervenit auditum, quod in partibus Boſnæ, a veſtris civitatibus & diœceſibus non remotis, quamplures hæretici commorantur, & a multis citra temporibus ſunt morati ; & quod, licet id in eiſdem veſtris civitatibus & diœceſibus exiſtat notorium, ac illi, qui ſcienter in domo vel terra ſua hæreticos receptare vel fovere præſumunt, excommunicationis ſententia in tales a canone lata ſint ligati, & prohibitum ſit, ne catholici & fideles cum hæreticis negotiationem ſeu commercium exercere præſumant ; tamen iidem hæretici de partibus prælibatis & alii, volentes ad eas accedere, per veſtras civitates & diœceſes libere tranſeunt, mercimonia deferunt, & cum veſtris ſubditis, in quorum ſimplicibus mentibus hæreſum ſemen peſtiferum ſæpe ſpargunt, negotiationes exercent : ſicque in eorum perverſitatibus confoventur, & ſeducunt alios damnabiliter dogmate hæreticæ pravitatis. Quod nos, moleſte ferentes ac veſtræ negligentiæ, qui ſupra intendentes dicimini, & debetis ſuper greges vobis commiſſos vigilare attentius, imputantes ; fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus omnibus & ſingulis ſubditis veſtris in ſubjectis vobis eccleſiis & locis publicis, de quibus vobis videbitur, per vos vel alium ſeu alios diſtricte inhibeatis ſub pœna excommunicationis [quam contra hujuſmodi inhibitionem facientes, qui alias a canone forſan excommunicati non erant, incurrant eo ipſo] ne hæreticos hujuſmodi ſcienter in domibus vel terris eorum receptare vel fovere, aut cum eis negotiationem ſeu commercium exercere præſumant : ac omnes & ſingulos, qui contra hujuſmodi inhibitionem fecerint, excommunicatos fore, prout juſtum fuerit, declaretis.*

* dolore

Pontificiæ de eo literæ.

*Et ne a fidei unitate præciſi ſub prætextu fidelium in eiſdem Boſnæ partibus commorantium, qui tales perfidos inter ſe morari permittunt, ac fovent ſæpius & defendunt, ac ſeipſos cum eis in præcipitium damnationis immergunt, taliter foveantur ; ſub dicti anathematis pœna publice in eiſdem eccleſiis prohibeatur, ne quis ad dictas partes Boſnæ, ubi dicti hæretici notorie confoventur, quæcunque res ſeu mer-*



*cimonia audeat mittere vel portare, in contrarium facientes ſimilem ſententiam proferentes : & eos, quos ſententiam ipſam incurriſſe repereritis (de quibus ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii ex veſtro officio vos informetis) denuntietis dicti anathematis ſententia irretitos, ac * incitentur & mandentur ab aliis evitari. Ad captionem vero hæreticorum hujuſmodi, cum ad veſtras civitates & diœceſes declinaverint, & ad miniſtrandum juſtitiam de eiſdem, prout ad veſtrum ſpectat officium, ſimiliter procedatis, & ſi opus fuerit, invocetis auxilium ſeculare, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum id. novembris anno* VIII.

* evitetis & mandetis.

XIV. Proferendæ vero apud exteras gentes, Chriſtianæ fidei expertes, religionis ſtudio Pontifex plures Minoritas ad evangelium iis inferendum miſit, quos inſtruxit authoritate (a), ut catholicos quos ipſis moleſtiam facere contingeret, in judicium apud ſedem Apoſtolicam vocarent : *Cum vos*, inquit, *ad terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Rathenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitorum, aliarumque non credentium nationum orientis & Aquilonis, ſeu quarumcumque aliarum partium pro magnis arduiſque negotiis reſpicientibus exaltationem & augmentum catholicæ fidei deſtinemus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum non. decembris anno* VIII. Cæterum affectos martyrio nonnullos Minoritas a Saracenis, memorat Lucas Wadinghus (b) hoc anno, atque inter eos Antonium e Roſato inter duos aſſeres medium diſſectum, ac Franciſcum a Chriſto Damiatæ mortem acerbiſſimam Saracenorum delitiis prætuliſſe.

Minoritæ ad gentes miſſi.

(a) *Apud Vvad. hoc ann. n. 3.*

(b) *Ib.*

Data etiam Barchinonenſi & Dertuſenſi epiſcopis imperia (c), ut viginti religioſis viris ex ordinibus mendicantium, cum presbyteris ſecularibus permitterent, ut in Canariam & alias Fortunatas inſulas ſe conferrent ad colluſtrandos evangelii luce eos populos, quos aſtrorum ſuperſtitione involutos acceperat : *Nuper*, inquit, *dilectis filiis Bertrando de Marmando & Petro de Strata civibus Barchinonenſibus nobis referentibus percepimus, quod in Canariæ & aliis eis adjacentibus inſulis, quæ inſulæ Fortunæ nuncupantur, ſunt perſonæ utriuſque ſexus nullam legem tenentes, nec aliquam ſectam ſequentes ; ſed dumtaxat ſolem & lunam adorantes, quæ per prædicationem verbi Dei ad fidem Chriſti de facili converti poſſent ; quodque nonnulli religioſi mendicantes hujuſmodi fidei Chriſtianæ zelo accenſi, & clerici ſeculares de miſericordia Dei omnipotentis confidentes ad prædicandum fidem ipſam, & ad eam prædictos homines convertendum (ſi tamen nobis & Apoſtolicæ ſedi placeat) ad dictas inſulas accedere ſunt parati, &c. Datum Viterbii* XI. *kal. ſeptembris anno* VII.

(c) *An. 7. ep. com. 383.*

Canarii adorant aſtra.

Ad eos ſacri concionatores miſſi.

XV. Neque ſilentio prætereundum videtur, Pontificem optimum ad gliſcentes in religioſis familiis corruptelas, quæ in pecuniis ac muneribus ab iis, qui ad ſacra admittebantur ſodalitia, abradendis inſtruendiſque magnificis conviviis inoleverant, abolendas hanc conſtitutionem tuliſſe (d) ; ne ſcilicet quis a ſacrarum familiarum ingreſſu abſterreretur.

(d) *Ext. apud Greg. XI. an. 2. ep. com. p. 23.*

*Urbanus &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Ne in vinea Domini, noſtræ (licet inſufficientibus meritis) commiſſæ cuſtodiæ, naſcentes vepres & ſpinæ adeo convaleſcant, quod ſperatam fructificationem ipſius valeant præpedire, diligentiæ noſtræ incumbit officio, ut illas extirpare radicitus ſolerti ſtudio procuremus. Sane multorum fidedignorum relatione didicimus, quod in nonnullis eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & aliis locis religioſis tam virorum quam mulierum ordinum & religionum partium diverſarum ille deteſtabilis & a canonibus reprobatus ſervatur abuſus, quod cum perſonæ aliquæ recipiuntur in eis, obſervantiam regularem profeſſuræ, ipſæ circa ſumptuoſa paſtus ſeu prandia capitulis & conventibus eccleſiarum ipſarum, monaſteriorum, prioratuum, & locorum facere, aut pecunias vel jocalia, ſive res alias ipſis eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, & locis ſeu præſidentibus eis ex ſtatuto vel conſuetudine, quæ corruptela dicenda eſt potius, tribuere compelluntur : ex quibus decori ſanctæ & immaculatæ religionis detrahitur, quamplures tam execratione hujuſmodi conſuetudinis quam expenſarum onere a ſacræ religionis propoſito retrahuntur, ipſaque eccleſiæ & monaſteria & loca famulantium Deo conſuetis muneribus maneant deſtituta, & in multorum fidelium mentibus ſcandalum generatur. Nos igitur huic morbo peſtifero cupientes congruam adhibere medelam, & aliis pœnis in talia præſumentes inflictis a jure, in ſuo robore duraturis pœnam adjicere graviorem ; univerſis & ſingulis abbatibus, prioribus, decanis, præpoſitis, & magiſtris, & abbatiſſis & prioriſſis, aliiſque prælatis, quovis nomine nuncupentur, & eorumdem officialibus quorumcumque eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum, & locorum quorumcumque ordinum & religionum, etiam militantium, tam exemptarum quam non exemptarum, quocumque nomine cenſeantur ; & capitulis & conventibus, & ſingularibus per-*

Corruptelæ, in religioſis ordinibus gliſcentes emendatæ.

Vetitum ne quid ad religioſa ſodalitia ingredientibus exigatur.

perſonis eorum tenore præſentium auctoritate apoſtolica, quamvis ſit eis a jure inhibitum diſtrictius inhibemus, ac a perſonis tam maribus quam mulieribus volentibus ingredi eorum religiones, eccleſias, monaſteria, prioratus, domos ſeu loca, in earum perſonarum receptatione, aut ante vel poſt illam, quæcumque paſtus, prandia ſive cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad eccleſiaſticum ſeu quemvis pium locum alium deputata ſeu deputanda, de cætero directe vel indirecte petere quoquo modo præſumant: ſed eas potius cum omnimoda puritate recipiant, ac in victu & veſtitu, ſicut alias perſonas ſuarum eccleſiarum, monaſteriorum, prioratuum, domorum, & locorum ſincera charitate pertractent; illa dumtaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes pure ac ſponte ac plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, dare vel offerre eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, domibus, & locis hujuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi.

Permiſſum, ut ſine pactione fiant oblationes.

Objectæ contra tendentibus pœnæ.

Nos enim eos, qui ſecus egerint, ſi ſeculares perſonæ, tam dantes quam recipientes hujuſmodi, excommunicationis; ſi vero capitula ſeu conventus fuerint, ſuſpenſionis ſententiis eo ipſo decernimus ſubjacere, a quibus præterquam in mortis articulo abſolvi nequeant abſque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Cæterum perſonis illis utriuſque ſexus, quæ jam labe hujuſmodi ſunt fœdatæ, earum providentes ſaluti, de benignitatis gratia uberanti concedimus, quod per ſuos locorum diœceſanos hac vice dumtaxat a crimine hujuſmodi & nota infamiæ inde contracta authoritate apoſtolica abſolvantur, impoſita proinde ipſis pœnitentia ſalutari, de qua ipſorum diſcretioni videbitur expedire; & demum cum ipſis, ut in eorum eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, dignitatibus, & locis licite remanere valeant, miſericorditer diſpenſetur. Inſuper erga perſonas illas quæ in præmiſſis recipiendo aliqua contra canonicas ſanctiones peccaviſſe noſcuntur, volentes nos reddere gratioſos, omnia recepta hujuſmodi, ad communem uſum monaſteriorum ſeu locorum applicata, ea ad dictum uſum licite concedimus retineri; ſi vero ad ſpecialem uſum abbatis, abbatiſſæ prioris, prioriſſæ aut alterius ſingularis perſonæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum II. non. aprilis pontificatus noſtri anno VII. Repetita poſtea inſtaurataque a Gregorio XI. hæc conſtitutio Avenione XII. kal. mart. pontif. anno ſecundo.

XVI. Addimus ad hujus anni calcem, Urbanum nonnulla Vaticanæ baſilicæ privilegia, quibus a nonnullis Regibus annuis vectigalibus in aliquibus regnis donata fuerat, confirmaſſe. Affert idem Pontifex inter alia vetus Jacobi Regis Aragonum monumentum, quod ille poſt acceptum in eadem baſilica Sardiniæ & Corſicæ diadema edidit ſubjectis conceptum verbis (a).

(a) Ext. apud Urb. V. an. 8. ep. com. 47.

Jacobi Regis Arag. privil. datum Vaticanæ baſilicæ.

In nomine Domini. Amen. Noverint univerſi, quod nos Jacobus, Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum, Valentiæ, Murciæ, Sardiniæ, & Corſicæ, comeſque Barchinonenſis, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ vexillarius, amiratus, & capitaneus generalis, conſiderantes quod dextera Domini nobiſcum faciente virtutem, noſque clementer ad regnorum Sardiniæ & Corſicæ faſtigia ſublimando, apud principis Apoſtolorum & cæleſtis regni clavigeri ſacratiſſimam de Urbe baſilicam per regnorum ipſorum inveſtituram ſolemnem, nobis a ſanctiſſimo patre & domino domino Bonifacio VIII. ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifice gratioſe conceſſam, primum divulgata noſtri honoris inſignia claruerunt, ac deinde prædictorum regnorum ſuſcepimus diadema; nec non & in dicta baſilica idem ſanctiſſimus pater prædictæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ in multitudine copioſa, nos magnifice honorante, fecit vexillarium, amiratum, & capitaneum generalem; dignum fore providimus, ut eidem baſilicæ piis & promptis ſemper famulemur obſequiis, & illi velut matri ſtrictius obligemur ex debito, a cujus utero per cœleſtis adoptionis gratiam quaſi nova progenies * dignoſcitur prodiiſſe. Hinc eſt quod nos archipresbytero & capitulo ejuſdem ſacroſanctæ baſilicæ, & canonicis tam præſentibus quam futuris in perpetuum donamus, concedimus, & aſſignamus annuum redditum triginta unciarum boni auri ad generale pondus regni Siciliæ de noſtra camera, cum dicta regna fuerimus aſſecuti, perſolvenda per officiales noſtros, qui erunt pro tempore quocumque nomine cenſeantur, procuratori vel certo nuntio capituli ſupradicti in feſto beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum annis ſingulis, donec in prædicto regno Sardiniæ dictis archipresbytero & capitulo certum & determinatum locum, ubi in perpetuum prædictum percipient redditum, duxerimus aſſignandum, &c. Deſcribit fuſius quibus ſanctorum feſtivitatibus miſſarum ſolemnia celebrari velit. Actum Romæ apud præfatam baſilicam VIII. id. aprilis anno Domini MCCXCVII. decimæ indictionis. Corroborata etiam ab Urbano plura Joannæ Jeruſalem & Siciliæ Reginæ, ejuſdemque Provinciæ, Folkalquerii, & Pedemontii comitiſſæ diplomata (b), quibus illa quinquaginta auri uncias annuas a Carolo I. atavo attributas Vaticanæ baſilicæ poſt acceptum Siculi regni inſigne beneficentia apoſtolica, totidemque alias a Carolo

* dignoſcimur

Regum Neap. munificentia in baſilic. Vaticanam.

(b) Ext. apud Urb. an. 8. ep. com. 156.



lo II. proavo eidem baſilicæ collatas confirmarat; quibus etiam ipſa annuas quinquaginta uncias carlenorum argenti pro divino cultu amplificando addiderat, cum ſuperiori anno ad Urbem pietatis ergo acceſſiſſet.

I. CONfirmare in obſequio Romanæ eccleſiæ Græcos, & Valachos, Moldavos, Lithuanos, Macedones, Ruſſos & Georgianos ad eam allicere, ac Tartaros colluſtrare evangelii luce niſus eſt Urbanus anno humanæ ſalutis ſeptuageſimo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione octava: dumque Anglorum ac Francorum cruenta bella ſua præſentia dirimere meditatur, contra ſanctorum hominum, quos divinus inſtinctus agebat, conſilia ſedem Apoſt. Avenionem retulit; ac mox, ut divinitus illi fuerat intentatum, vivere deſiit. De quibus ſingulis dicturi, a Græcis rebus exordiemur. Ne facile ii a promiſſis deficerent, vel inanibus effugiis geſta cum Pontifice eluderent, dum ſe Romanos vocant; tum ad adſtringendum arctiori nexu ſacrum fœdus viſum eſt, ut Palæologus Imperator novis publicis monumentis palam evulgaret, non aliam ſe catholicæ eccleſiæ nomine, quam Romanam agnoſcere, cui Urbanus omnium fidelium ſupremus in terris paſtor præeſſet. Edimus ex veteribus monumentis confecta tanti ponderis ſcripta (a): *Nos Joannes in Chriſto Deo fidelis Imperator, ac Romæorum moderator Palæologus notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod cum die decimaoctava menſis octobris proxime præteriti in ſacra Urbe Romæ profeſſionem catholicæ fidei, per reverendiſſimos patres dominos Guillelmum epiſcopum Oſtienſem, & Bernardum baſilicæ duodecim Apoſtolorum, ac Franciſcum tit. S. Sabinæ presbyteros, & Rainaldum S. Adriani diaconum Cardinales, per ſanctiſſimum patrem dominum Urbanum, divina providentia Papam V. ad hæc ſpecialiter deputatos; nobis exhibitam, ſponte fecerimus ſub certa forma, prout apparet per publicum inſtrumentum noſtra propria manu ſubſcriptum, noſtraque bulla aurea communitum; & in eadem profeſſione inter alia contineatur talis articulus; videlicet, Credo hanc eſſe veram fidem catholicam; & quod hanc ſuper dictis articulis tenet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, &c. dicimus ad omnem ambiguitatem tollendam, nec credere & intelligere Romanam eccleſiam, cui nunc præeſt præfatus dominus Papa & ſui prædeceſſores Romani Pontifices præfuerunt, prout credimus, intelliguntur catholici Chriſtiani in occidentis partibus conſtituti. In cujus rei teſtimonium præſentes literas noſtræ aureæ bullæ munimine fecimus communiri, & nos hic noſtra manu ſubſcripſimus, ut eſt moris. Dat. Romæ die .... menſis januarii anno a nativitatis Domini MCCCLXX. indict. VIII. pontificatus dicti domini Papæ anno VIII.*

(a) Ext. in arce S. Ang. & inter collect. Plat. to. 3. pag. 219. & lib. priv. Rom. eccl. to. 3. p. 246. & in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 291.

Declarat publicis lit. Græc. Imperator quæ ſit catholica eccleſia.

II. Egregie adeo ad eccleſiæ Romanæ venerationem affecto Palæologo Imperatore, cum ſpes ampla affulgeret tam illuſtre exemplum Græcos ſecuturos, Urbanus Conſtantinopolitanum clerum ad ſchiſma ſolemni damnandum ritu his literis pellicere conatus eſt (b).

Græci ſacerdotes ad Rom. eccl. obſequium ſolicitati.

(b) To. 8. ep. ſecr. p. 55.

*Univerſis eccleſiarum & monaſteriorum prælatis quocumque nomine nuncupantur, ac clero & calogeris Conſtantinopolitanæ civitatis, cæterarumque partium Græciæ gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futurum.*

*Lætata eſt ſacroſancta Romana eccleſia mater & magiſtra cunctorum fidelium, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Imperator Græcorum illuſtris ad maternum acceſſit gremium, a quo deviabat per damnabilis ſchiſmatis execrabilem ſciſſionem: pieque ſperat, quod ſicut inclytus Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator, qui Conſtantinopolitanam urbem glorioſe conſtruxit per ſuæ converſionis exemplum & ſtudium fidem catholicam in occidentis primo, & orientis demum partibus dilatavit; ſic idem Joannes ejus (Deo favente) erit & operum laudabilium imitator. Sed majoris gaudii eſſet dicta eccleſia exultatione perfuſa, ſi vos, qui eſtis ad animarum curam & alias ad Dei obſequium deputati, pollentes ſcientia & religioni vacantes, derelicto inveterato ſchiſmate, cui damnabiliter & pertinaciter innitimini, ad unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam extra quam non eſt ſalus, & ad vicarii Chriſti & ſucceſſoris Apoſtolorum principis veram & puram obedientiam rediretis, ut ſicut ipſe unus & principalis eſt paſtor, ſic unum eſſet ovile, cujus oves eum cognoſcerent, & audirent amabilem & ſalutiferam vocem ejus, in illoque tute reconditæ a lupinis morſibus indubitabili cuſtodia ſervarentur. O ſi Deus tantam gratiam conceſſiſſet noſtris diebus, ut orientalis & occidentalis eccleſiarum unitatem longiſſimis, proh dolor! ſciſſam temporibus videremus! Tunc clauderemus conſolabiter dies noſtros, & cum beato Simeone diceremus:* Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum; *cum deſiderabiliter fuiſſemus intuiti innumeros Græcorum populos diabolica fraude deceptos & devios in rectam ſemitam mandatorum Domini dirigere greſſus ſuos, & eliminatas hæreſes in nonnullis ſic deviantibus, ut dolenter audivimus, ex hujuſmodi ſchiſmate pullulantes; oppreſſoſque Græcos ab impia & fœda natione Turcorum (juvantibus ſpe probabili fratribus occidentalibus) liberari, exterminari eoſdem Turcos de univerſis partibus Romaniæ & aut ad Chriſtum converti (quod nobis eſſet acceptius) aut digna conculcatione*

Quam benigne & amanter ſint excipiendi.

Convertendos evertendoſve Turcas.



*ſubverti, & terreri omnes ethnicas nationes, ſicque Græcas potentiam & gloriam, jam pene deletas, ad Dei laudem & dilatationem ejuſdem fidei reparari.*

III. *Hæc ſiquidem ineffabilia bona ſpiritualia & temporalia probabiliter eventura ſperamus, ſi cordibus puris, conſcientiis bonis, & fide non ficta (a quibus aberrantes ſecundum Apoſtolum quidem in vaniloquium ſunt converſi, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant) ad dictum gremium redeatis, & ſalubris imitationis exemplum commiſſis veſtræ ſolicitudini populis præbeatis: quod ferventer & prompte debetis efficere, cum non ſolum eadem eccleſia vos ad hoc non abſque tædio dilationis expectet, verum etiam materna benignitate foras progrediens ardore charitatis invitet. Cognoſcatis igitur pietatem ipſius, & amplectimini charitatem ad ejus magiſterium & debitam obedientiam filiali confidentia venientes, ut cum catholicis occidentalibus unanimes in domo Domini exiſtatis, & (ut ſperamus in Deo) ejus & Apoſtolicæ ſedis & occidentalium ſuper vos & greges veſtros ſpiritualiter & temporaliter auxilium ſentietis. Cæterum ſynodum Latinorum & Græcorum eccleſiaſticorum præſulum, quam multi (ut audivimus) ſupervacue poſtulant, ex pluribus cauſis rationabilibus non conceſſimus ordinari, ne illa, in quibus ab occidentalibus & nonnullis orientalibus fidelibus diſſidetis, (cum, ſecundum quod tenet & docet ſancta Romana eccleſia, certa fore noſcantur, utpote ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, & ſanctorum doctorum Latinorum & Græcorum eloquiis, ſententiis, & per fidem apoſtolicam comprobata) in dubietatis & curioſæ diſputationis ſcrupulum deducantur, & veterem fidem quaſi novellam ſupervacuis diſcuſſionibus ſupponamus. Benigne tamen parati erimus quoſlibet dubios, venientes ad dictam ſedem humiliter, de hujuſmodi teſtimoniis, eloquiis, & ſententiis informare. Datum Romæ apud S. Petrum VIII. kal. martii anno VIII.*

Propoſita ex ea conjunctione bona oboritura.

IV. Adornabat reditum in Græciam Palæogus, & copias, quas in Italia pontificiis ſtudiis collegerat, traducere in orientem parabat: utque eas per Siciliam tuto ductaret, Pontifex Joannam Reginam, ac Philippum Tarentinum principem Imperatoris Conſtantinopolitani gerentem nomen permovit (a), ut ſacramentum incolumitatis & liberum commeatum traderent, ac rationem his ſubjecit verbis: *Apud ſedem Apoſtolicam exiſtens, abjurato quolibet ſchiſmate, fidem catholicam ſecundum formam per nos ſibi traditam eſt profeſſus, & juravit in obedientia Rom. eccleſiæ ſicut princeps catholicus permanere.* Ipſum vero Regi Ungaro commendatum (b) pluribus affectum a Pontifice beneficiis lætumque ab eo abſceſſiſſe, indicat Urbani vitæ ſcriptor (c): *A quo*, inquit, *gratias & favores multos reportaverat, valde conſolatus & contentus.* Extat inter alia diploma, quo Urbanus illi aræ ſubductilis uſum permiſit (d), conceſſitque ut ſacris ante lucis ortum a ſacerdote, Latino ritu dumtaxat, peragendis intereſſet.

Rediturus in Græciam Palæolog. commendatur principibus.

(a) Ib. pag. 37. & 38.

(b) Ib. p. 80.

(c) Geſta Urb. V. apud Boſq.

(d) An. 8. ep. com. 72.

*Urbanus, & chariſſimo in Chriſto filio Joanni Imperatori Græcorum illuſtri.*

*Eximiæ devotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam geris eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis [illis præſertim, quæ ex devotionis fervore prodire conſpicimus] quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos tuis devotis ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverentia & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis poſſis per proprium vel alium ſacerdotem, Latinum dumtaxat & alias idoneum, miſſam & alia divina ſecundum ritum, quem eadem Romana ſervat eccleſia, ſine juris alieni præjudicio in tua præſentia facere celebrari, devotioni tuæ tenore præſentium indulgemus. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum id. februarii anno VIII.*

Ara ſubductilis illi permiſſa.

Sacra ante lucem Latino ritu audiat.

Concitavit Palæologi exemplum pios adeo in animis aliorum Regum ac principum, qui tenebris Græci ſchiſmatis fuerant involuti, motus ut ex iis plures redire ad Romanæ eccleſiæ obſequium conſtituerint: ac pariter populi eorum imperio obnoxii Chriſti vicarium agnoſcere, & veteribus abjectis erroribus incorruptam fidem profiteri cum catholicis conſtituerint. Quibus ne deeſſet Pontifex, apoſtolicis literis fidei orthodoxæ formulam comprehenſam edidit (e), ex qua Romanæ eccleſiæ gremio aggregandi ſacramentum nuncuparent.

Plures Græci comparatos ſe ad ſchiſma ejurandum exhibent.

(e) To. 8. ep. ſecr. p. 257.

*Urbanus, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad propagationem catholicæ fidei, ſuper cujus cuſtodia fuimus (licet inſufficientibus meritis) a Domino deputati, & quorumlibet glorиantium nomine Chriſtiano, ſed deviantium a gremio ſacroſanctæ Romanæ ac catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum Chriſtianorum fidelium, cui auctore ipſo Domino præſidemus, reductionem ad obedientiam & reverentiam ipſius eccleſiæ paſtorali ſolicitudine intendentes, viam & formam omnibus hujuſmodi deviis tenemur oſtendere, per quas ſalubriter ad dictum gremium poſſint accedere, in eoque perpetuo commorari. Sane cum, ſicut lætanter audivimus, nonnulli Reges, principes, & alii Chriſtiani tam clerici & eccleſiaſticæ perſonæ religioſæ & etiam ſeculares, quam laici, qui extra obedientiam dictæ eccleſiæ, extra quam*

*non eſt ſalus, damnabiliter permanſerunt hactenus, & permanere noſcuntur, ad dictæ eccleſiæ redire ſeu venire deſiderent unitatem, ac obedientiam & reverentiam debitam & devotam; nos volentes eos dictæ fidei profeſſionem, quam debent facere, ſalutari edocere doctrina, infraſcriptam formam, quam in talibus ſervare conſuevit dicta eccleſia, præſentibus fecimus annotari; volentes ac mandantes, quod quilibet, qui fuerit ſeu eſt ſchiſmaticus & præciſus a præfatæ eccleſiæ unitate, & ad eam redire voluerit, dictam profeſſionem in manibus alicujus prælati vel clerici aut religioſi catholici, & præfatæ eccleſiæ communionem habentis faciat in ipſa forma, quæ talis eſt.*

Propoſita ab Urbano fidei formula.

*Ego talis &c. profiteor & credo ſanctam Trinitatem &c.* eadem eſt fidei forma, quam ſuperiori anno Palæologo Imperatori præſcriptam attulimus (*a*) uſque ad has voces, *ſemper ſalva. Unde ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene ſcripta & lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, ſanctam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum & quoquo modo deviaturum promitto: & abrenuncio omni ſchiſmati. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor & recognoſco, accepto & ſponte ſuſcipio: & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, & perſeverantiam ſervaturum, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut alias agere præſumpſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeveritati ſacrorum canonum ſubjacere.* Nulli ergo, &c. *Dat. apud Montemflaſconem kal. auguſti anno* VIII.

(*a*) *A. C.* 1360. *n.* 2.

Alia ejurandi ſchiſmatis.

V. Walachiæ principis vidua converſa.

In Walachia Alexandri olim principis vidua ad Romanæ eccleſiæ gremium ſe contulit, atque etiam filiam Bulgariæ Imperatricem ad orthodoxum ritum pellexit. Cui Pontifex, de egregio in aliis ab erroribus abducendis navato ſtudio gratulatus (*b*), de miſſis ornamentis ſacris & calicibus ad apoſtolorum baſilicas gratias egit: tum adjecit ſtimulos, ut filiam alteram Reginam Serviæ ſuis adhortationibus ad fidem catholicam traduceret.

(*b*) *To.* 8. *ep. ſecr. p.* 20.

*Urbanus &c. nobili mulieri Claræ relictæ quondam Alexandri Vveyda in Vlachia viduæ ſalutem, &c.*

*Lætamur in Domino, dilecta filia, ſibique gratias agimus ex intimis noſtri cordis, quod ſicut fidedigna relatione didicimus, tu Spiritus Sancti lumine illuſtrata, & per eximiæ devotionis opera, & multiplicium virtutum exercitium jugiter Altiſſimo famularis; & inter alia chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Imperatricem Bulgariæ illuſtrem natam tuam a ſchiſmate ac erroribus hæreticalibus, in quibus diutius fuerat, retraxiſti. Verum quia habere diceris alteram natam, videlicet Ancham Reginam Serviæ illuſtrem, adhuc in ſimilibus ſchiſmate ac erroribus permanentem, charitatem tuam excitamus, ac hortamur attentius & rogamus, quatenus ut multos lucrifacias domino Jeſu Chriſto, dictam Reginam aliaſque utriuſque ſexus perſonas ſchiſmate ac hæreſibus maculatas ad præfatæ fidei, extra quam non eſt ſalus, coneris convertere puritatem. Cæterum devotionem tuam ex eo, quod beatos Apoſtolos Petrum & Paulum, eorumque baſilicas & nos etiam de calicibus aureis & paramentis pretioſis pro divinis obſequiis honoraſti, dignæ commendationis attollere præconio liberalitati tuæ providæ gratiarum referimus actiones. Dat. Romæ apud S. Petrum* XIV. *kal. februarii anno* VIII.

Bulgariæ imperatrix ab ſchiſmate revocata.

Sacer ornatus & calices ad Pont. miſſi.

VI. Latiſlaus princeps Walachiæ.

Sordeſcebat adhuc in veteri ſchiſmate Latiſlaus Walachus princeps, de quo ad pietatem revocando ſolicitus Chriſti vicarius eximium quidem ejus ſtudium in Amuratis Turcarum Regis conatibus repellendis laudibus extulit (*c*); errores vero, quibus eſſet irretitus, atque a ſalutis via deflecteret, aperuit, ipſumque excitavit, ut iis abjectis, fidem orthodoxam coleret.

(*c*) *Eod. to.* 8. *ep. ſecr. p.* 70.

*Urbanus &c. nobili viro Latizlao Vvaydæ Vlachiæ gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futurum.*

*Fide dignorum relatione percepimus, quod licet ejuſdem paſtoris, videlicet domini noſtri Jeſu Chriſti fidem profitearis, tamen extra ovile præfatum, ſcilicet gremium & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ ac catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum fidelium, extra quam non eſt ſalus, ex antiquo ſchiſmate in te a tuis antiquis prædeceſſoribus derivato moraris, & multiplicibus erroribus involutus exiſtis. Nihilominus, quia credens forte, te in ſtatu ſalutis exiſtere, impios Turquos catholicæ fidei hoſtes pro Dei & præfatæ ſedis reverentia perſequeris, & tuos reputas inimicos. Sed dolemus ab intimis, ſi non certas legitime, cum non niſi certamen exercenti legitimum corona æterni præmii ſecundum decorem gentium tribuatur: tantoque ferventius tuam ſalutem hiſcimus, quanto ſi in toto corde tuo convertaris ad Dominum, futurus victorioſior Chriſti pugil veriſimiliter exiſtimaris. Quare magnificentiam tuam hortamur in Domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quatenus relictis ſchiſmate & erroribus univerſis, per inſtructionem catholicorum & religioſorum virorum (quorum multi in tuo dominio præſertim ex operatione dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Claræ novercæ tuæ non ſolum catholicæ, ſed claris dictæ fidei & virtutum meritis inſignitæ, moram trahere aſſeruntur) ad ovile præfatum ſecurus advenias, in eo cum aliis Chriſti fidelibus perpetuo permanſurus & ſalutis æternæ præmia recepturus: nos enim, ſi hoc fideliter & ſincere effeceris, te ut filium dilectiſſimum habere proponimus, ac tibi in tuis & terræ tuæ negociis Apoſtolicæ ſedis favoribus aſſiſtere gratioſe. Dat. Romæ apud S. Petrum* VI. *id. aprilis anno* VIII.

Contra Turcas decertat.



Solicitatur ad ſchiſma vetus damnandum.

Allici ad id poterat egregiis Latzkonis finitimi principis Moldaviæ exemplis, qui una cum ſuis a nonnullis ſacris concionatoribus vera fidei luce colluſtratus, ſchiſma damnarat, flagitaratque a Pontifice, ut ad religionis cultum propagandum epiſcopalis ſedes in Ceretenſi oppido Halicienſis diœceſis inſtitueretur. Cujus piis votis aſſenſit Urbanus, atque eam provinciam Pragenſi archiepiſcopo, & Wratiſlavienſi Cracovienſique epiſcopis demandavit (*a*).

Moldavus ad Romanæ Eccleſiæ obſequium traductus.

(*a*) *Eod. to.* 8. *ep. ſecr. p.* 129.

*Urbanus &c. archiepiſc. Pragenſi & Vratiſlavienſi ac Cracovienſi epiſcopis.*

VII.

*Nobilis vir Latzko dux Moldavien. partium ſeu nationis Vvalachiæ nobis per dilectos filios Nicolaum de Melſac & Paulum de Svvidinicz ordinis fratrum Minorum profeſſores notificare curavit, quod ipſe & ſuus populus ducatus ſeu terræ Moldavienſis, licet Chriſtianitatis nomine glorientur, tamen ipſi & eorum progenitores ſchiſmatici fuerunt hactenus & exiſtunt: ſed quorumdam fratrum Minorum prædicationibus & doctrinis inducti abnegare volunt omne ſchiſma, profiterique ſanctam fidem, quam catholica & apoſtolica eccleſia tenet, docet, & prædicat; ac nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ humiliter obedire ac intendere de cætero, prout alii catholici principes & populi obediunt & intendunt: nobiſque idem dux humiliter ſupplicavit, quod oppidum ſuum Ceretenſe Halecenſis diœceſis ſpatio magno terrarum diffuſæ [cui præeſt epiſcopus ſchiſmaticus, cujus eccleſia Halecenſis eſt in Ruſſiæ partibus ſchiſmaticorum videlicet conſtituta, utique inſigne ac incolarum multitudine copioſum, & alias aptum decorari inſignibus civitatis,] in civitatem erigere, ac civitatis inſignire vocabulo, & eidem epiſcopum præficere catholicum, qui ipſos ducem & populum inſtruat & conſervet in dicta fide catholica, & alia opportuna circa hæc facere dignaremur.*

Expetit epiſcopalem ſedem in Ceretenſi oppido excitari.

*Nos igitur ad ſalutem animarum prædictorum ducis & populi, contra crucis hoſtes aſſerentium jugiter ſe pugnare, quos ab erroribus & ſchiſmate prædicto revocare cupimus; augmentumque præfatæ fidei plenis affectibus aſpirantes, ſed de præmiſſis nobis expoſitis notitiam non habentes, fraternitati veſtræ, de quorum fidelitate & circumſpectione in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios viros fideles, catholicos, & prudentes, ſi præfatos Latzkonem & populum repereritis velle firmiter, pure, ſimpliciter, humiliter, & reverenter fidem catholicam ſuſcipere prælibatam [quos, ſi oporteat, ad hoc veſtris doctrinis & prædicationibus inducatis, & per alios viros catholicos in ipſa fide peritos procuretis induci] poſtquam ipſi ſeu aliqua pars eorum, de qua veſtræ diſcretioni videbitur expedire, abnegaverint omne ſchiſma, & eandem fidem devote ſuſceperint, & eam profeſſi fuerint ſecundum formam, quam vobis ſub bulla noſtra tranſmittimus; dictum oppidum Ceretenſe ac totam prædictam terram ſeu ducatum Moldavienſem ab omni poteſtate, dominio, ſuperioritate, & juriſdictione ordinaria & diœceſana, & ſubjectione epiſcopali præfati epiſcopi Halecenſis, ſeu gerentis ſe pro epiſcopo Halecenſi, ac eccleſiæ Halecenſis, & cujuſlibet alterius perſonæ eccleſiaſticæ, in ipſius oppido & terra ſeu ducatu quamcumque ſpiritualem ſeu eccleſiaſticam poteſtatem ſive juriſdictionem prætendentis ſe habere, & ejus eccleſiæ ſeu dignitatis totaliter in perpetuum eximatis, & etiam liberetis; conſtituentes & ordinantes, quod ſolum & immediate ſanctæ Apoſtolicæ ſedi in ſpiritualibus ſubſit: & deinde præfatum oppidum in civitatem erigatis & civitatis vocabulo decoretis, ac totam dictam terram ſeu ducatum Moldavienſem, in quantum ad præfatum ducem pertinet, eidem civitati pro diœceſi aſſignetis & etiam deputetis, & ipſam diœceſim certis terminis limitetis: & ſi eccleſia ibidem ſit ad hoc congrua, illam in cathedralem & epiſcopalem etiam erigatis, &c.* Addit, ut ſi eccleſia excitata in eodem oppido non fuerit, magnifico opere extrui, atque B. Petri Apoſtoli vel alterius ſancti, ut Moldavis viſum fuerit, nomine inſigniri curent; permoveantque Latzkonem, ut ſacerdotia in ea inſtituat, congruiſque ad divinum cultum ſuſtinendum vectigalibus locupletet. *Datum apud Montemflaſconem* IX. *kalendas auguſti anno* VIII.

Demandata provincia nonnullis præſulibus Moldavos inſtruendi.

Et Moldaviæ ab epiſcopatu Halicen. ſeparandæ.

Minoritæ miſſi ad ſchiſma convertendos.

VIII.

Injunctæ etiam iiſdem epiſcopis partes (*b*), ut Andream e Cracovia Minoritam divinarum literarum eruditione ac pietate inſignem Moldaviæ epiſcopum præficerent. Miſſi (*c*) quoque ſunt ex eodem ſacro ordine quatuor epiſcopi religionis la-

(*b*) *Eod. to.* 8. *ep. ſecr. pag.* 131.

(*c*) *Pag.* 142.

latius proferendæ cupidiſſimi, paratique ad fundendum pro Chriſto ſanguinem in Albaniam aliaſque vicinas provincias, ut ſchiſmaticos ad gregem dominicum adducerent: quos archiepiſcopo Dyrrachienſi, ac Strazimiro, Georgio, & Balſæ Zupanis Geuciæ (a), quos fidem orthodoxam amplecti ante decreviſſe vidimus, tum univerſis Albaniæ catholicis commendavit. Miſſus eſt ſimiliter Nicolaus e Melſac ad Ruſſos (b), inſtructuſque authoritate, ut vigintiquinque Minoritas per Lithuaniam & Wallachiam ſpargeret, qui populos orthodoxa fide informarent. Alii quoque vigintiquinque ex eadem S. Franciſci familia præcones evangelici Antonio epiſcopo Milevitano ejuſdem ordinis, in Georgiam atque alias provincias ſchiſmaticorum legato (c), ſocii laborum & & gloriæ adjuncti (d), ut Georgianos, alioſque remotiſſimarum regionum Chriſtianos vel illaqueatos ſchiſmate aut erroribus variis infectos ad caulam dominicam cogerent, ac vera & incorrupta pietate excolerent.

(a) Ead. pag.
(b) Pag. 157.
(c) Pag. 144.
(d) Pag. 154.

IX. Tartaricam eccleſiam curat Urbanus.

Ad Tartaros pariter a veteri ſuperſtitione abducendos, & catholicorum reliquias paſtoribus, qui e vivis exceſſerant, deſtitutas excolendas Guillelmum archiepiſcopum Cambalienſem creavit (e), multiſque Minoritis ſtipatum (f) in Tartariam miſit. Inſtruxit vero eoſdem religioſos viros pluribus prærogativis (g), ut ea authoritate ad neophytorum gratiam ac ſolatium uterentur, connubia nimirum in gradibus divina lege non vetitis permitterent (h), *juxta conſtitutionem*, inquit, *Innocentii Papæ II. quæ incipit*, *Gaudeamus*; ſchiſmaticos autem ad gratiam eccleſiæ redeuntes in contractis in quarto gradu matrimoniis permanere ſinerent: baptiſmalibus ſacris & ſacerdotio initiatos, cum grave dubium ſubeſſet, an ea ſacramenta vero ritu fuiſſent collata, certis legibus iterum baptiſmo luſtrarent (i) ſacrarentve ſacerdotes: ut facilius etiam ii præcones evangelici vitam inter infideles ſuſtentare poſſent, atque alia ad divinum cultum, promulgationemque evangelicam neceſſaria haberent, remiſit Pontifex nonnihil ex arctiori ſervandæ ab ipſis paupertatis diſciplina; non ſolum enim libros geſtare (k), ſed etiam in terris, quæ a Conſtantinopoli in orientem ſeptentrionemve excurrerent, legata teſtamento eos recipere (l) aut malis artibus parta in ſuos uſus derivare conceſſit: fidelibus ſtipem erogaturis ſacris iiſdem præconibus centum dierum indulgentias eſt impertitus (m): addicturis vero ſe quotidianis eorum obſequiis omnium ſcelerum in extremo vitæ actu condonationem propoſuit (n): contra autem cenſurarum pœnas, ne evangelio promulgando operam darent, moleſtiam exhibituris objecit (o).

(e) Pag. 67.
(f) Ead. pag.
(g) Pag. 57.
(h) Pag. 60.
(i) Pag. 61.
(k) Pag. 59.
(l) Pag. 63.
(m) Ead. pag. 63.
(n) Pag. 64.
(o) Pag. 63.

Miſſis igitur hiſce in Tartariam evangelicis præconibus, Pontifex graviſſimis literis Imperatorem Tartarorum ſolicitavit (p), ut faciles ipſis aures ad divini verbi ſemina excipienda porrigeret, imperialique ipſos & Chriſtianos alios ſtudio proſequeretur: cœleſtia illi pro ea re præmia non defutura: dignitatem legis Chriſtianæ, quæ viam felici immortalitati ſtrueret expoſuit, atque ad eam amplectendam apoſtolicis monitis eum allicere niſus eſt.

Cham Tartarorum ad fidem amplectendam ſolicitatus.
(p) Eod. to. 8. ep. ſecr. pag. 55.

*Urbanus, &c. magnifico viro Camo Regi Tartarorum Deum diligere, & timere.*

Pontificiæ ad eum literæ.

*Ad alti tui nominis titulum & ſplendorem & culmen ac decus accedit, quod tu & aliqui prædeceſſores tui Reges Tartarorum, ſicut glorifica fama præambula fidedignorum relatione didicimus, ob omnipotenti Dei creatoris reverentiam & honorem vos Chriſticolis ſub vobis degentibus veſtriſque ſubditis, qui ad fidem catholicam convolarunt, reddidiſtis favorabiles & benignos, eoſque benevola & manſueta benignitate tractaſtis: tua & ipſorum prædeceſſorum fama glorioſa longe lateque per orbem commendationis titulo redimitur: & tu ſi quidem in eum fidem habueris, & renatus fueris ſacri fonte baptiſmatis, legemque ſuſceperis & impleveris Chriſtianam, requie ſempiterna ſupernorum civium perfrueris. Ecce igitur quod nos, qui ſubmiſſis humeris operoſa ſolicitudine ex ſalutaris & vigilis providentiæ ſtudio tuam tuique regni ſincera in Domino charitate perpetem ſalutem appetimus, ejuſque fructum ſalutiferum & perennem tibi, regno, regnicoliſque tuis prodeſſe jugiter cupientes; ut præmiſſa propenſius & efficacius per divinam clementiam felici ſucceſſivaque proſperitate ſuccedant, venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum archiepiſcopum Cambalienſem ordinis fratrum Minorum profeſſorem (virum quidem in devotione ac fide chriſtiana fervidum, excellentem in ſacra ſcriptura peritum, expertum in opere & ſermone, virtutum probitate probatum, fama præclarum, a nobis ex multis bonis & idoneis religioſis electum, & ad Cambalienſem archiepiſcopatum de fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio promotum) præſentium exhibitorem, cum decenti & virtuoſa comitiva fratrum dicti ordinis ad eccleſiam ſuam Cambalienſem, tuamque præſentiam, ac partes & loca tuorum terræ & dominii ſalubriter providimus deſtinandum; ut ipſe & dicti fratres collaterales eidem more ſanctorum Apoſtolorum, qui diſpertiti ore dominico, & Spiritus Sancti gratia illuſtrati, doctrinam evangelicam prædicando, terræ cardines, prout eis aſſignati fuerant, perluſtrarunt; communiter & diviſim, prout eiſdem archiepiſcopo & fratribus ex cælicæ inſpi-*

Commendatus illi Cambalienſis Archiep.





*rationis oraculo viſum fuerit ſalubrius expedire, regnum & terram prædicta, aliaſque regiones adjacentes circumeant & frequentent; & juxta datam eis a Domino ſapientiam & doctrinam verbum Dei evangelizare perſtudeant, & officioſa promptitudine prædicare, ſermone prædicationis hujuſmodi mentes illorum, qui in tenebris ambulant, & adhuc præ oculorum caligine gloriam luminis non viderunt, radicaliter illuſtrantes, eoſque ad dictam fidem rectam, perfectam, & lucidam, Chriſti ſanctorum & ſanctarum miraculis veriſſimis comprobatam, dulcibus allectionibus convertentes; & tam ipſos quam alios ad fidem ipſam feliciter jam converſos, & neophytos in eadem pabulo refectionis æternæ, in ipſa fide ſpiraculo ſpiritalis gratiæ roborando.*

Fidei Chriſtianæ laus.

*Hæc eſt enim fides rectitudinis, ſalutis, & meriti, qua ſacer ille ſupernus rerum Conditor & Creator ſeminans terram irrigavit, & quam ad omnes limites machinæ mundialis profecto diffudit & etiam propagavit; & quam ſacroſancta Romana eccleſia, mater cunctorum Chriſti fidelium & magiſtra, tenet & docet, extra quam nullus omnino ſalvatur: per ſiquidem iſtam innocens anima Chriſtiana perpetua, lugubri & corruptibili corpore charior, cælicorum agminum conſortio æternaliter aggregatur. Cum igitur beatorum vita ſeu præmium comparationem non recipiat in divitiis, nec in hujuſmodi ſeculi gazis, felix eſt ille, qui ſic terreſtria deſerens languidum orbem tranſit, quod ad æternæ beatitudinis gloriam provehatur. Hanc equidem gloriam bravialem aſſequitur, qui hujuſmodi fidem ſuſcipiens & agnoſcens, eam per beatorum operum & virtutum executionem obſervat: & licet per ipſius fidei ſemitas difficilis videatur inceſſus, oculis tamen mentis, fide catholica mediante, dum eam credit, divinæ omnipotentiæ majeſtatem & gloriam beatorum intellectualem intuetur.*

X.

*Magnitudinis itaque tuæ potentiam attente rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus pro ejus reverentia & honore, a quo tanquam a ſummo culmine rerum cuncta deſcendunt, & qui perſonam tuam creans & conſervans in eſſe, te ſuper tam excellens, caducum tamen & temporale, dominium conſtituit imperantem, tibique innumeram & copioſam populorum multitudinem ſubjugavit, memoratos archiepiſcopum & fratres, cum eos ad regnum & terram tuam prædicta, tuamque provinciam pervenire contigerit, vultu benevolo & ſereno recipias, & a tibi ſubditis recipi facias & jubeas gratulanter, ſicut quidam tui prædeceſſores hactenus receperunt; eoſque manſuetudinis, ſerenitatis, & piæ devotionis affectu pertractes & facias pertractari, habeaſque tam illos quam eandem eccleſiam, cunctoſque Chriſticolas, in dictis regno & terra morantes, nec non converſos neophytos & [Deo propitio] convertendos ad fidem eandem infra tui dominii diſtrictus & limites conſtitutos cum charitativæ ſinceritatis dulcore benigno favorabiliter & propenſius commendatos; eis in his, quæ circa ſuſcipiendam per te [Deo vivo & vero inſpirante] ſacri fontis baptiſmatis gratiam, legemque Chriſti & alia tuæ ſalutis commoda duxerint explicanda, prædicanda, & etiam conſulenda, ſtudioſum auditum aperiens, & ferventem ac ſolicitum & attentum adhibens intellectum, illaque recipiens tanquam donum cœlitus derivatum & miſſum tenaciter in tui memoriali cellula cordis figas, credas firmiter, operoſe, fideliter, & perpetim exequaris; ſiſque aliis tuis ſubditis ſalutis ſpeculum & exemplar, ut ipſi una tecum ad ſimilitudinem tui ad Altiſſimum convertantur, dictamque legem Chriſti ſuſcipiant & obſervent, tecumque glorientur nomine Chriſtiano & ſalvi fiant, ne pereant in æternum; ita quod Rex regum, propitius retributor omnium ad ſe convertentium, miſerator & miſericordiarum dominus atque pater, quem nil latet, & quem cœleſtia & terreſtria fatentur, tui miſereri dignetur, in omnibus affluenter gratam viciſſitudinem rependens, conferatque tibi jugiter in hujuſmodi vitæ tempore abundantiam pacis & gaudii, & poſt tui corporis diſſolutionem humanam ad perpetuæ felicitatis imperium te perducat, & te glorificet in ſupernis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* VII. *kal. aprilis anno* VIII.

Hortatus etiam eſt Urbanus (a) reliquos Tartarorum Imperatores, Reges, ac principes, ut evangelicæ luci, ab archiepiſcopo Cambalienſi ſociiſque inferendæ, oculos aperirent: certiores fecit de tradita a Chriſto Petri ſucceſſoribus authoritate: ut pontificii eſſet muneris univerſos homines ad Dei imaginem efformatos ad verum ejus cultum adducere: animaſque ab æterno exitio vindicare. Eodemque argumento apoſtolicæ literæ ad univerſos Tartaros datæ (b), quibus ipſos ad orbis Conditorem agnoſcendum, ac veterem ſuperſtitionem, qua erant etiam tum irretiti, abjiciendam excitavit.

XI. Moniti Tartari ut fidem Chriſti amplectantur.
(a) Eod. to. 8. ep. ſecr. pag. 64.
(b) Ib. pag. 65.

*Urbanus, &c. univerſo populo Tartarorum viam ſalutis agnoſcere.*

*Univerſitatem veſtram ſinceris ſuaſionibus & accenſis intrinſece charitatis dulcedine plenis requirimus, monemus, rogamus, & propenſius exhortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus vos, quorum hucuſque mentales oculi tetra caligine per perfidos ſpiritus tenebrarum & mortis in idololatriis ac inanibus ſuperſtitionibus fuerunt obducti, ſolicite veſtram memoriam excitantes,*

*& reducentes ad illam, quod Deus omnipotens protoplaſtum, ex quo omnes homines traxerunt originem ſuam, inenarrabili majeſtate formavit, ac in terreſtris paradiſi deliciis collocavit, & quod inibi ſibi boni & mali cognitio data fuit, & quod eſtis ad ſimilitudinem Dei facti, quodque creatura non poſſet ſuo creatori pro meritis reſpondere; excuſſis primitus a veſtris cordibus vepribus & urticis damnabilis cœcitatis, veſtræ intelligentiæ oculos elevetis, & conſideratione perſpicua cogitetis, quod ipſe vos de limo terræ creavit & paſcit aſſidue, ac vivitis per eundem, & quod, cum vult, cujuſlibet carnis figmenta diſſolvit, quodque ſacræ paginæ teſtimonio comprobetur, quod omnis ſpiritus Deum laudat, omniaque animantia & inanimata Dominum benedicunt, pro ipſius creatoris reverentia & honore, & ut ſibi reddatis humanæ gratitudinis holocauſtum, ob noſtræ contemplationis intuitum, qui vos Deo vivo & vero conjungere cupimus & etiam laboramus, veſtro ſtatui & ſaluti provide conſulentes, eoſdem archiepiſcopum & fratres, quoties eos ad vos declinare contigerit, recipere procuretis humiliter & benigne cum honorificentia reverenti, eoſque ſinceræ charitatis officio pertractetis; & ad gremium univerſalis eccleſiæ Chriſti ſponſæ, quam ſuo pretioſiſſimo ſanguine dedicavit, extra quam veri ſacrificii non eſt locus, in humilis & veræ contritionis ſpiritu redeuntes, eorundem archiepiſcopi atque fratrum ſermonibus, prædicationibus, & verbis ſalubribus vigilem præbeatis auditum, & intellectum aperiatis acutum ad hauriendum ex ore ipſorum verba ſalutis: & quæ pro veſtræ perfectione ſalutis docuerint, inſtruxerint, & prædicaverint, veſtræ memoriali cellulæ firmiter imprimatis, mentes veſtras & corda ſtudioſa promptitudine diſponentes ad ſuſcipiendam ſacri fontis gratiam baptiſmalem, legemque Chriſti, doctrinam evangelicam, & fidem catholicam Domini noſtri Jeſu Chriſti, uti omnium fidelium magiſtra eccleſia Romana tenet & prædicat, docet, profitetur, & credit. Etenim ipſa fides eſt, per quam innocens anima Chriſtiana perpetua, poſtquam a lugubri & corruptibili humanitatis corpore fuerit diſſoluta, cœlorum agminibus æternaliter aggregatur: & cum fidem ſuſceperitis, & veſtris cordibus impreſſeritis, eam firmiter & perpetuo tenacibus obſervantiis cuſtodite, ut in die miſſionis extremæ, id eſt ſecundi adventus dicti Domini noſtri Salvatoris, qui tunc judicaturus adveniet, prout ante venerat judicandus (ante cujus tribunal tunc omnis homo ſurrecturus in propria carne ſtabit, vel æternæ vitæ præmia vel perpetuæ mortis, prout geſſit, ſupplicia ſecundum merita vel demerita recepturus) poſſitis una cum aliis catholicis Chriſtianis de cætero tanquam fortia membra Chriſti unius ovilis effecti, & viventes in fide prædicta virtuoſa opera faciendo, æternæ beatitudinis, quam ipſe Salvator obtinet ex natura, eſſe participes & conſortes, ejus præſentiam glorioſam, lætiſſimam quidem bonis & terribilem malis & impiis, facie tenus inſpecturi.*

Agnoſcāt ſe ad divini Numinis gloriam conditos.

XII. Mentes ad cœleſtia erigant.

*Propulſis igitur ſuperſtitioſis erroribus univerſis, quibus vos ſathan inſtinctu fraudulento ſeducit, ut ab ejus ſitis nexibus funditus liberi, & mereamini poſt vitæ præſentis excurſum cælica palatia introire, digna laudum præconia repetitis vocibus Altiſſimo devotæ mentis affectu cum gratiarum actionibus reſonate, qui ad vos archiepiſcopum & fratres prædictos dignatus eſt per ſuam miſericordiam deſtinare; cujus gloria cœli & terra ſunt pleni, quique manum aperit, & implet omne animal benedictione & cunctis in hac valle lacrymarum ambulantibus & dictæ fidei Jeſu Chriſti conjunctis abundantiam in bonis temporalibus gratioſa copioſitate largitur. Nos inſuper omnipotentiam majeſtatis Altiſſimi, eſſentialiter in cœlis & potentialiter in terris utique permanentis, regnantis, & principantis cunctipotenter & æternaliter in utriſque, aſſiduis devotis affectibus exoramus, ut corda & intelligentias veſtras illuſtret ad ſuſcipiendam gratiam baptiſmatis ſupradicti, ipſamque Chriſti legem, & ad eam credendam firmiter & perpetim adimplendam; quia ſine illis nullus omnino ſalvatur, & per illas eritis ſalvi, & efficiemini gloriæ ſempiternæ per gratiam intercedentibus meritis coheredes. Quod ut vobis concedat Retributor altiſſimus cum Patre Sanctoque Spiritu ſine principio & ſine fine vivens & regnans, apud divinam majeſtatem hactenus inſtantiis devotæ flagitationis inſiſtimus, & ſuper hoc pio prædicto ſtudio, ipſo Deo auctore, inſiſtere proponimus in futurum. Dat. Romæ apud S. Petrum* VII. *kal. aprilis anno* VIII.

XIII. Cyprus adducta in periculum.

Neque ad amplificandam modo inter infideles fidem, ſed etiam illam tuendam in iis oris, in quibus florebat, ne ab infidelibus opprimeretur, incumbendum Pontifici fuit. Cum enim Cyprus a Saracenis & Turcis, qui armorum ſocietatem coierant, circumfuſa in graviſſimum diſcrimen adducta eſſet, Urbanus ad retundendos eorum impetus Venetos ac Genuenſes maritimis viribus pollentes hortatus eſt, ut Cypriis auxilio & opera non deeſſent. Quo argumento ad Gabrielem Adurnium (*a*) Genuenſium, & Andream Contarenum (*b*) Venetorum duces hæc ſcripſit: *Devotionem veſtram, quam dominantium Dominus multa potentia ſtabilivit, hortamur in Domino ac rogamus attente, quatenus ob reverentiam Dei zelumque catholicæ fidei, & noſtrorum adjectionem precaminum, dictam inſulam,* quæ

(*a*) *To.* 8. *ep. ſecr. pag.* 20.
(*b*) *Ibid. poſt eand. ep.*



Genuenſes & Veneti ad ferendas ſuppetias excitati. Solicitata Joanna.

*quæ & veſtris civibus utilis ſolet eſſe, quamdiu erit in obedientia chariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri Regis Cypri illuſtris, tam in guerra quam pace ac treuga, quam contingeret per vos fieri cum infidelibus prælibatis, ſuſcipiatis efficaciter commendatam: obviando nihilominus juxta poſſe ac decentiam invaſioni, ſi quam ſentiretis eidem inſulæ etiam per catholicos inferendam. Dat. Romæ apud S. Petrum* XII. *kal. februarii anno* VIII. Neque ab his diſcrepant literæ, quas ad Joannam Reginam Siciliæ dedit (*a*), ut laboranti Cypro ſuccurreret. Cæterum tranſmiſit ad ſedem Apoſtolicam oratores Joannes princeps Antiochenus, cui regni Cyprii adminiſtratio concredita erat; ut pontificiam opem pro regni componendo ſtatu, tuendaque Petri junioris Regis Cypri nepotis ſui impuberis dignitate expoſceret. Quibus auditis, Urbanus ipſorum preces in iis, quæ juſta viſa ſunt, admiſit; Joannemque ad regnum ſtrenue moderandum his verbis excitavit (*b*): *Hortamur nobilitatem tuam, quod circa conſervationem perſonæ dicti Regis, ut ab omnibus noxiis ſervetur illæſus, & circa ſui coronationem tempore debito faciendam nec non dicti regni defenſionem contra ſuos & crucis æmulos adhibendam ſinceræ affectionis & efficacis ſolicitudinis ſtudium adhibere coneris, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. februarii anno* VIII. De exceptis etiam oratoribus Alienoram Reginam Cypri certiorem fecit Pontifex (*c*); utque filii cuſtodiæ curas intenderet, eſt adhortatus.

(*a*) *Ibid. pag.* 21.
Principis Antioch. legatio ad Urban.
(*b*) *Ib. p.* 29.
(*c*) *Ib. p.* 30.

XIV. Perduelles, eccleſiæ arma excercent.

Dum in amplificanda religione in oriente tutandave Pontifex occupatur, derivare ſtudiorum partem ad rebelles edomandos hoſteſque eccleſiæ comprimendos eſt compulſus. Excuſſerant enim jugum eccleſiæ Peruſini, ad quos pontificiæ gratiæ reſtituendos Florentini ſuos miſerunt oratores ſuperiori anno jam adulto, qui excepti fuerunt humaniſſime (*d*): ſed illi reduci ad officium non potuere, immo fœderatorum latronum turmis ſtipati ad Viterbium caſtra promovere (*e*). At Pontifex adverſus perduelles cenſuras in primis diſtrinxit: tum expedivit arma, ne impiis religio cenſurarum ludibrio eſſet: ad quæ capeſſenda, ut facilius fideles alliceret, præmia indulgentiarum pontificia caſtra ſecuturis propoſuit, atque Anglico Cardinali legato conferendi crucis ſymboli cauſam eccleſiæ defenſuris provinciam dedit (*f*). Non defuiſſe cauſæ vicarii ſui divinam juſtitiam, refert Urbani vitæ auctor, qui hanc Peruſinorum defectionem ac geſta in eos a Pontifice deſcribit (*g*): domitos vero annonæ inopia, cum undique commeatus juſſu pontificio eſſent intercluſi (*h*), teſtatur Leonardus Aretinus (*i*) extatque ad Peruſinos oratores colla jugo Apoſtolico ſubmiſſuros data pridie nonas auguſti liberi commeatus ſyngrapha (*k*).

(*d*) *Ibid. p.* 7.
(*e*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*
(*f*) *To.* 8. *ep. ſecr. pag.* 40.
(*g*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*
(*h*) *To.* 8. *ep. ſecr. pag.* 143.
(*i*) *Leonard. Aret. hiſt. Flor. l.* 8.
(*k*) *To.* 8. *ep. ſecr. p.* 23.
Domiti Peruſini.

Bernabos Etruriam infeſtat.

Miſcebat tum Etruriam Bernabos, immiſſis ſocialibus prædonum turmis, ac turpes pacis leges imperare Pontifici cogitavit (*l*): ſed repulit eas Urbanus, ac Florentinis ſignificavit, cum æquitati Bernabos ſe accommodaret, mox pacem ſe admiſſurum. Ad frangendos porro illius conatus, tum eoſdem Florentinos, tum Piſanos alioſque fœderatos (*m*) clienteſque, Nicolaum marchionem Ateſtinum, Franciſcum Carrariam Patavinum, Guidonem Polentanum Ravennatem, Galeottum Malateſtam Ariminenſem, Ludovicum & Feltrinum Gonzagas Mantuanos excitavit; (*n*) atque Anglico Cardinali legato ſociorum copiis marchionem Ateſtinum præficere juſſit (*o*). Denique ad conficiendum felicius bellum non modo Caroli Imperatoris auxilia imploravit (*p*), verum evocandum in Italiam Ludovicum Regem Ungariæ eccleſiæque ſigniferum cenſuit: atque Eliſabetham & alios Ungaros principes ac præſules, ut eam expeditionem ſuſcipiendam conſulerent, hortatus eſt; (*q*) ac Joanni epiſcopo Aquenſi Apoſtolicæ ſedis internuntio datæ partes (*r*), ut fœderis ineundi leges cum Rege paciſceretur; cui etiam Florentini ſocium oratorem, ut Ungarum in Etruriam allicerent, adjunxere (*s*). At verendum erat, ne Carolus Romanorum Imperator rem ægre ferret, ac ſiniſtras conciperet ſuſpiciones, Regem Ungariæ jura imperii uſurpaturum: ad quas ex illius animo detergendas Urbanus eidem Carolo ſignificavit (*t*), Ungarum in Italiam non ad ea invadenda, ſed tuenda contra Bernabonis tyrannidem ſigna converſurum: rogavitque ut eundem Regem ad eam expeditionem incitaret, cum imperii utilitatis eſſet, Etruriam a latronum fœderatorum turmis vindicare.

(*l*) *Ib. p.* 72.
(*m*) *Pag.* 83.
In eum plures principes concitati.
(*n*) *Pag.* 134.
(*o*) *Pag.* 107.
(*p*) *Pag.* 105.
De Ungaro evocando actum.
(*q*) *Pag.* 128. 129.
(*r*) *Super. p.* 128.
(*s*) *Ib. p.* 184.
(*t*) *Eod. to* 8. *ep. ſecr. pag.* 118.

Rogatus Cæſar, ut aſſentiretur.

*Pietatem*, inquit, *tuam & imperialem magnificentiam, quam pro dicta eccleſia,* nimirum Romana, *& votis noſtris promptam ſemper invenimus, confidentiſſime requirimus & obſecramus in Domino quatenus, cum contra potentiam & impietatem Bernabonis ejuſdem ac pravarum ſocietatum, quas adverſus dictam eccleſiam & devotos tui imperii fovet aſſidue, non ſperetur aliud, quam dicti Regis remedium valiturum; non ſolum non moleſte feras ipſius Regis adventum ad terras imperii per dictum tyrannum, ut præmittitur, occupatas: ſed pro reverentia Dei dictæque eccleſiæ ac noſtra eundem Regem, ut prompte & magnifice hoc pium aſſumat negotium, per tuos nuncios vel literas efficaciter exhorteris, ſibique tribuas auxilium opportunum, &c. Dat. apud Montemflaſconem* VIII. *kal. auguſti anno* VIII.

Bernabos cum Pont. fœdus redintegrat.

Veritus Bernabos Ungarorum Regis potentiam, atque aliorum fœderatorum, qui cum eccleſia ad reprimendam ejus tyrannidem ſentiebant, pacem decima novembris die redintegravit iis pactionibus, ut nullus clientelam ſubditorum, qui in alteram partem rebellarent, ſuſciperet: ac, ſi qua difficultas oboriretur, dirimeretur pontificia ſententia: quas a Bernabone poſtea violatas, queſtus (a) eſt Gregorius XI. At de his inferius.

(a) Greg. XI. an. 3. ep. cur. p. 4.

Addemus nunc, Urbanum ſolicitaſſe Joannam Siciliæ Reginam ad vetera jura Caſſinenſi monaſterio reſtituenda, propoſuiſſeque (b) inter alia rem ſilentio non prætermittendam, eodem die Trinacriam a Carolo I. deſciviſſe arcano quodam divini Numinis judicio, quo idem Carolus in locis Caſſinenſi monaſterio obnoxiis capitalium cauſarum cognitionem, violatis veteribus Caſſinenſium monachorum privilegiis, ſibi arrogavit.

(b) To. 8. ep. ſecr. p. 117.

Privilegium monaſterii Caſſinen.

*Urbanus, &c. Joannæ Reginæ Siciliæ illuſtri.*

XV. *Audivimus hactenus relatione fideli, quod dictum monaſterium* (nimirum Caſſinenſe) *merum, & mixtum imperium, & omnimodam juriſdictionem in omnibus ſuis terris habebat; & quod hoc in ſuis privilegiis continetur: ſed quod claræ memoriæ Carolus primus Rex Siciliæ in dictis terris juriſdictionem ſanguinis occupavit; quodque die occupationis hujuſmodi Siculi contra eum (quod dolenter referimus, ſed in caſu opportuno tacere non debemus id, quod putatur divinum judicium) rebellarunt: ex qua rebellione mala innumera ſunt ſecuta. Audivimus etiam dolenter ſæpius, & aures tuæ, ut credimus, ſunt pulſatæ frequenter, quod juſtitiarii prædeceſſorum tuorum & tui, in terris deputati præfatis, vaſſallos & ſubditos dicti monaſterii, ex quorum laboribus abbas & monachi dicti monaſterii ſuſtentantur, importabilibus gravaminibus oppreſſerunt, & juriſdictionem in civilibus, immo (quod eſt abſurdius) etiam in ſpiritualibus, quam idem monaſterium habet & poſſidet, jugiter ſatagunt uſurpare: propter quæ, & querelas aſſiduas, ac proventuum ejuſdem monaſterii detrimenta graviſſima ſtatus quietis eorundem abbatis & monachorum, ibidem laudabiliter nunc viventium, ſtare non poſſe diutius formidatur. Quare eandem tuam devotionem quanto affectuoſius poſſumus deprecamur, quatenus beatum Benedictum monaſterii præfati paſtorem tibi & regno tuo placatum & favorabilem conſtituens apud Deum, omnem juriſdictionem in dictis terris, per tuam curiam ab olim uſurpatam, velis ob reverentiam Dei dictique ſancti, & noſtram affectuoſam interceſſionem libere reſtituere, & effectualiter relaxare; & ſi jus in ea prætendus habere, illud dicto monaſterio gratioſe ac liberaliter elargiri, &c. Dat. apud Monteſflaſconem IV. non. maji anno VIII.*

Quo die a Carolo I. violatum, eodem amiſſa Trinacria.

XVI. Reſtituendis quidem non modo veteribus juribus & vectigalibus, ſed multo amplius religioſæ diſciplinæ revocandæ, ac primævo ſanctitatis nitori in Caſſinenſi monaſterio adducendo egregiam operam dediſſe Urbanum, ipſius vitæ author ſubjectis verbis accurate deſcribit (c): *Memoratus Urbanus Papa anno ſeptuageſimo currente, volens quod in monaſterio Caſſinenſi, in quo (ut ſupra memoratum) religio monachorum nigrorum ex inſtitutione & ordinatione B. Benedicti ſuum quaſi ſumpſit exordium, vigeret præcipue, eſſentque religioſi in ipſo vitam exemplarem ducentes, quemadmodum alias extiterat, poſtquam de epiſcopali dignitate ipſum ad abbatialem reduxit, tria fecit. Primo, quia erat quaſi collapſum in ædificiis, quæ propter terræmotum erant pro majori parte dirupta, ipſum fecit reparari & reædificari: & in hoc voluit exponi proventus ipſius quandiu vacavit. Secundo advocavit monachos, & collegit religioſos & devotos de diverſis aliis monaſteriis, in quibus ſciebat vitam monaſticam melius & ſtrictius obſervari: quos ibidem inſtituit & ordinavit perpetuo reſidere, amotis abinde pluribus vagabundis & inſolentibus, qui vitam ſecularem potius, quam regularem erant ibi ſoliti obſervare. Tertio deliberavit eidem in abbatem præficere aliquem, qui juxta regulam B. Benedicti vivens, ad ſic vivendum præfatos monachos ſuo exemplo alliceret, & etiam compelleret, ubi ad contrarium inclinatos inveniret: & cum, licet diutius perquiſitum, talem juxta ſuum votum in cœnobiis monachorum nigrorum non inveniret; ne in ſuo hujuſmodi ſancto deſiderio fruſtraretur, ad habendum fratrem Camaldulenſium, ſub regula eadem famulantium, aſpectum habuit: in quo quod optabat adinvenit, virum videlicet, qui totus erat devotus, orationi & lectioni aſſidue deditus, & alias Dei ſervitio ſemper intentus, beneque morigeratus, & in agendis circumſpectus: qui etiam omni tempore ab eſcis carnium abſtinebat, & alias inſuper abſtinentias ordinationeſque monaſticas juxta præcepta & inſtitura dictæ regulæ indefectibiliter obſervabat. De quibus ipſe plene informatus eum ad ſe vocavit, & (licet ſatis invitum & renitentem) eidem monaſterio præfecit in abbatem, & ad perſeverantiam in bonis operibus, ac cum timore Domini officium ſibi creditum ſolicite & debite exerceret, ipſum charitative & dulciter admonuit. Qui tam onus ſibi impoſitum, quam monita hujuſmodi humiliter ſuſcipiens, monachos ſibi ſubditos ad ſimiliter vivendum induxit, & indebitis religione & obedientia tenuit monaſterium ipſum, pro tunc ſatis in ſpiritualibus & temporalibus reformatum in ſtatu debito conſervavit: deditque formam, & aperuit viam ſuis ſucceſſoribus & poſteris, ut ſimilia facerent in futurum.* Quamvis vero anonymus author religioſiſſimi hujus viri Caſſinenſi monaſterio ab Urbano præfecti nomen non prodat, ex apoſtolicis tamen literis Andream vocatum conſtat: extant enim hoc titulo ad ipſum præfixæ (a): *Andreæ abbati Monaſterii Caſſinenſis nullius diœceſis.*

(c) Geſta Vrb. V. apud Boſq.

Caſſinenſis epiſcopatus abrogatus.

Monaſterio Caſſinenſi priſtinus religionis reſtitus nitor.

Andreas Camaldulenſis religioſus eidem præfectus.



(a) To. 8. ep. ſecr. pag. 71.

Ad revocandos etiam ad veram pietatem pſeudomonachos, Fraticellos nuncupatos, qui pietatis ſpecie populos impietate imbuebant, Cuſentinum & Ydruntinum archiepiſcopos, atque epiſcopum Catacenſem dare operam juſſit Urbanus; (b) ac ſi in perfidia perſtarent, meritis pœnis afficere. Libertatis etiam eccleſiaſticæ aſſerendæ cauſa, cum Galeatius Vicecomes Bernabonis frater ſacerdotem conjeciſſet in carceres, præcepit ipſi (c), ut eundem ſacerdotem ad pontificia ſubſellia mitteret, cum illius cauſæ cognitio ad judicem eccleſiaſticum ſpectaret, ſi enim deliquiſſet, crimen impune non laturum.

(b) Ibid. p. 147.

(c) Pag. 119.

XVII. Interea in Hiſpania ſub Henrico Rege nova bellorum ſemina ex ſuperioribus bellis repullularunt (d): parta enim ab eo victoria de fratre Caſtellæ Rege, arreptoque ſceptro, mox apud exteros principes certamen ortum eſt, quis potiori jure ad gerendum regnum niteretur: ſordidos ejus natales omnes accuſabant, regiæ dignitati non pares, & a legibus damnatos: ab Aragonio nonnulla loca præfectorum perfidia in deditionem redacta: Joannes Leceſtriæ dux, atque Edmundus Cantabrigenſium comes Angli Regis filii Conſtantiam & Iſabellam necati Regis filias duxerant, dotis loco paterni theſauri & regni Caſtellæ ſpe accepta: Carolus Navarræ Rex novorum diſſidiorum occaſione in proferendi limitis, & rerum ſuarum augendarum ſpem venerat: Fernandus Luſitanus Caſtellæ Regem ſe ferebat, Sanctii Regis ſine controverſia pronepos; cujus milites, qui Mirobrigam præſidio obtinebant, jam ſuperiori anno in vicinos agros magna damna excurſionibus inferre cœperant: poſtremo (quod multo erat pernicioſius) Africæ & Granatæ Mauri conſtantis in Petrum cæſum fidei prætextu Caſtellam magno terrore & apparatu bellico invaſere. Quibus malis conſulturus Pontifex Bertrandum Convenarum & Agapitum Brixienſem epiſcopos Apoſtolicæ ſedis internuntios in Hiſpaniam miſit (e), ut Fernandum & Henricum conciliarent, ac ſigna in hoſtes fidei convertere ſuaderent: tum ipſos ad conferendum crucis ſymbolum dimicaturis in Saracenos authoritate inſtruxit (f).

Caſtellanum ſceptrum affectatum a pluribus.

(d) Marian. l. 17. c. 14. & 15. & alii.

Maurorum & Granatenſium excurſiones.

(e) Ann. 8. ep. cur. pag. 45.

Miſſi a Pont. in Hiſpanias internuntii.

(f) Ibid. pag. 120.

*Urbanus, &c. Bertrando Convenarum & Apapito Brixienſi epiſcopis, Apoſtolicæ ſedis nunciis.*

XVIII. *Fide digna (g) & mœſta nimium relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod impii Saraceni de partibus Bellamarinæ ac Granatæ, Chriſtianorum Regum occidentalium diſſidia (quæ ſuſcitavit hoſtis humani generis) ſentientes, regnum Caſtellæ ipſis finitimum in gravi multitudine intraverunt, illudque depopulari rabida feritate conantur occupando civitatem Alzizarienſem, & alia loca regni Caſtellæ, & redemptos Chriſti ſanguine crudeliter trucidando, profanando ſacras ædes, rapinas & incendia committendo, & non parcendo ſexui vel ætati: propter quæ chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Rex Caſtellæ illuſtris contra Saracenos eoſdem ad reprimendum eorum rabiem ſe potenter accingit, & potentius accingeret, niſi bellum, quod inter ipſum & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fernandum Regem Portugalliæ illuſtrem, proh dolor! geritur de præſenti; & inter eumdem Regem Caſtellæ ex una parte, ac chariſſimos in Chriſto filios noſtros Petrum Aragonum & Carolum Navarræ Reges illuſtres ex altera timetur oriri, non abſque multis eorum ſuorumque ſubditorum, totiuſque Chriſtianitatis periculis, præfatum Regem Caſtellæ probabiliter impediret. Propter quæ nos, de veſtra prudentia & fidelitate confiſi, vos ad tractandum, & Deo juvante, firmandum ſolidam pacem, & veram concordiam inter Reges præfatos providimus deſtinandos; prout in aliis noſtris literis inde confectis plenius continetur.*

(g) Super. pag. 45. B.

Civilis belli componendi iis munus injunctum.

*Cupientes igitur præfatum Regem Caſtellæ in hujuſmodi ſuo reſiſtendi dictis Saracenis laudando propoſito confovere; ac etiam alios præfatos Reges, quorum etiam & ſuorum regnorum cauſa in hac parte manifeſte agitur, ad bellum contra Saracenos eoſdem eo cordialibus provocare, quo ipſi ſuique ſubditi erunt de æternis proinde præmiis certiores; vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus poſtquam, favente Auctore pacis, Reges concordaveritis prælibatos, per vos vel alium ſeu alios viros fideles, & ad hoc idoneos verbum crucis vivificæ per regna & terras memoratorum Regum fidelibus ipſis propanatis, ac eos, quos ad negocii executionem hujuſmodi idoneos fore putaveritis, ut venerabile ſignum crucis ejuſdem devota reverentia ſuis imprimentes cordibus, & humeris affigentes, ad impugnationem & expugnationem dictorum Saracenorum viriliter ſe accingant, prompta ſolertia inducatis, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum V. kal. martii anno VIII.* Data eſt iiſdem legatis auctoritas (h), ut fœdus inter Reges ineundum ſacramentorum neceſſariis formu-

In barbaros ſacra expeditio imperata.

(h) Ibid. pag. 42.

Præſules Hiſp. pacis interpretes adhibiti.

(a) *Ibid. pag.* 43. 44. 45.
(b) *Pag.* 33.
(c) *Pag.* 36.
(d) *Pag.* 31.
(e) *Pag.* 32.
(f) *Pag.* 34.
(g) *Pag.* 35.

mulis confirmarent pacis turbatores conpeſcerent, diſſolverent contraria juramenta: tum pluribus literis commendatitiis excitati (*a*) principes ac præſules non Caſtellæ modo, verum Aragoniæ & Luſitaniæ, ut Gomeſius Toletanus, Rodericus Compoſtellanus, Petrus Hiſpalenſis archiepiſcopi (*b*), & Velaſcus Coimbricenſis epiſc. (*c*) ad operam nuntiis porrigendam. Extant etiam eodem argumento hortatoriæ ad pacem ineundam atque arma in hoſtes fidei convertenda literæ iiſdem ferme conceptæ verbis ad Henricum (*d*) & Joannam (*e*) Caſtellæ, Petrum & Alienoram Aragoniæ (*f*) & Fernandum Luſitaniæ (*g*) Reges datæ.

XIX.

Urbanus repetere Avenionem parat.

(b) *Geſta Urb. V. apud. Boſq.*

Urebant aliæ graves Chriſti vicarium curæ redintegrandæ Anglos inter & Gallos pacis, quæ ipſum ex Italia in Gallias traxere, de cujus diſceſſu hæc ipſius Urbani vitæ ſcriptor conſignat hiſtoriæ (*b*): *Adveniente tempore æſtivo anno prædicto idem Urbanus, recedens de Urbe, vadenſque ad Montemflaſconis, declinavit Viterbium: ubi primum palam publice manifeſtavit ſe velle redire de proximo ad civitatem Avenionenſem, & ut omnes curiales ad hoc ſe diſponerent, ferias indixit a principio menſis junii tunc inſtantis, uſque ad principium menſis octobris poſtea ſecuturi.* Traxere omnes Italiæ principes ac populi ſedis Apoſtolicæ ſtudioſi ex Urbani diſceſſu graviſſimum dolorem, ac præ cæteris Romani, quos angebat ingens metus, ne alii ſucceſſores ad anteceſſorum exemplum a reſtituenda Urbi ſede Apoſtolica abhorrerent. Ut conſuleret autem eorundem Romanorum famæ Pontifex, ne videlicet ſuſpicio ſiniſtra rei inſcios pervaderet ex aliqua a Romanis accepta injuria abalienatum abſceſſiſſe, publicis literis promulgavit (*i*), ſe toto triennio, quo Romæ vel in finitimis locis eſſet verſatus, omnibus officiis cultum & habitum honorificentiſſime fuiſſe, graviſſimiſque de cauſis Gallias repetendas videri.

(i) *To.* 8. *ep. ſecr. p.* 113.

*Urbanus &c. dilectis filiis populo Romano.*

Romani inde gravi luctu confecti.

*Non dubitamus, dilecti filii, quod ſicut nobis multorum veſtrorum concivium & aliorum fide dignorum relatio patefecit, vos qui ex noſtra præſentia in Urbe pro tempore aliiſque vicinis partibus habita fidelibus affectibus lætati fuiſtis, audito pro certo, quod nos ad partes ultramontanas redire proponimus, corda veſtra de futura patris abſentia gravi mœſtitia contabeſcunt; & quod ex eo inter alias veſtri doloris cauſas triſtamini, quod timetis exinde ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus veniendi ad dictam Urbem ſubtrahi voluntatem, quod non perpetuo (ut ſperabatis) ſed modico tempore, videlicet triennio vobiſcum & in eiſdem vicinis partibus fuerimus commorati. Licet igitur ex paternæ teneritatis affectu, quem ad vos ſincere gerimus, etiam nos de hujuſmodi doleamus acceſſu; tamen ad conſolationem veſtram ac notitiam præſentium & memoriam futurorum, eiſdem ſucceſſoribus, ac certis aliis præſentibus & futuris tenore præſentium atteſtamur, quod nos & fratres noſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales noſtrique familiares & officiales, aliique Romanam curiam ſequentes, vobiſcum per triennium & in locis circumvicinis in magna quiete & conſolatione permanſimus; voſque communiter & diviſim nos & dictam curiam reverenter & favorabiliter tractaviſtis: & quod nec cauſa ſufficit neque ſubeſt, ex qua dictam Urbem corporaliter relinquere debeamus; ſed ex certis cauſis non ſolum utilibus pro univerſali eccleſia, ſed etiam urgentibus ad eaſdem ultramontanas partes intendimus, dante Domino, remeare: nihilominus tamen vobiſcum ſemper mentaliter erimus quandiu in devotione & obedientia noſtra & eccleſiæ præfatæ eritis, prout ſemper hactenus filiali perſeverantia extitiſtis, voſque abſentes ſicut præſentes intendimus paterne fovere, & in iis, quæ decenter poterimus, conſolari. Ideoque filiationem veſtram hortamur in Domino, mandantes, quatenus ſicut viri prudentes & fortes de prælibato noſtro receſſu ex his plenæ conſolationis remedium aſſumentes, in unitate pacis & ſoliditate quietis continue perſiſtatis, ut bonus ſtatus dictæ Urbis, qui vigere de præſenti dignoſcitur, non ſolum perſeveret jugiter, ſed votivum ſuſcipiat incrementum: & nos ac iidem ſucceſſores noſtri, ſi pro tempore ſuadentibus cauſis utilibus ad Urbem ipſam redire voluerimus, a veniendo propter ejus malum ſtatum minime retrahamur. Datum apud Montemflaſconem* VI. *kalendas julii anno* VIII.

Promulgat Pont. ſe & Cardinalium ſenatum ab iis honorifice habitum.

XX.

Subornatum ad repetendas Gallias fuiſſe Urbanum nonnullorum Cardinalium, qui ſolo Gallico aſſueti non ad eccleſiæ dignitatem, ſed ad ſuas delicias omnia referebant, importunis ſuſurris, atque a cœptis egregiis defeciſſe, narrat Petrarcha in literis ad Franciſcum Brunum acerbiori ſtylo datis (*k*): *Flecti*, inquit, *ſe ſivit peſſimam in partem, & ut malis hominibus placeret, Chriſto diſplicuit & Petro, boniſque omnibus. Et quibus hominibus (Deus bone) voluit placere? Nempe his, qui & ſibi diſplicebant, & quibus ipſe utique non placebat, naturali inter virtutem vitiumque odio. O felix, ſi contemptis, & quod maxime ſuum erat, auctoritate compreſſis, ſuavioribus imperiis generoſo principio inhæſiſſet! æternum inter clariſſimos, numerandus, ſi (ut quod flebiliter nuper ſcripſi, flebilius nunc reſcribam) ipſa in morte, quæ proxima, immo contigua illi erat (quod ita eſſe ſcire debuerat, quia cum in omni ætate de morte non cogitare ſtultitia magna ſit, tum in ſenectute dementia atque inſania ſumma eſt) ipſa inquam in morte grabatulum ſuum ante aram Petri Apoſtoli, cujus hoſpes erat ac ſucceſſor, ferri jubens, ibi tranquillam & bonæ voluntatis animam emiſiſſet, Deum homineſque teſtatus, ſi unquam inde diſceſſum eſſet, non ſuam culpam, ſed eorum fore, qui tam turpis fugæ invenirentur auctores. Neſcivit hoc agere, neque (ut eſt dictum) voluit: utique enim & poterat, & ſciebat. Sic culpas multorum infamium in ſe vertit, quorum conſilio, quod bene egerat, male evertit. Remitte illi miſericors Jeſu Chriſte hanc animi mollitiem atque fragilitatem, & hanc & alias culpas omnes & delicta juventutis ejus & ignorantiam hanc ſenilem ne memineris, quia (ut nunc ſunt homines) vir meo quidem judicio bonus fuit.*

(k) *Petrar. l.* 13. *rer. ſenil. ep.* 13.

A quibus ſubornatus Urbanus.



Monetur ne Avinionem repetat.

(a) *MS. arc. Vat. to.* 2. *de ſchiſm. pag.* 22. *& lib. revelat. S. Brigit. l.* 7. *c.* 137.

Monitum Urbanum fuiſſe a Petro Aragoniæ regiæ principe Minorita, ne Avenionem rediret, ne conflandi ſchiſmatis, quo innumera innocentium Chriſtianorum millia peritura forent, occaſionem daret, refert Alfonſus (*a*), qui epiſcopatus Giennenſis abjectis honoribus, eremiticæ vitæ cœleſtiumque rerum meditationi ſe totum dediderat: idemque exhomologeſibus ſacris S. Birgittæ excipiendis adhibitus teſtatur, illam cœlitus accepiſſe, Urbanum ſi rediret Avenionem, illico moriturum; remque Rogerio Belliforti Cardinali, qui poſtea Gregorius XI. in pontificatu appellatus eſt, patefactam: ſed cum ille Pontifici id aperire non auderet, demum Urbano apud Montemflaſconem ab eadem S. Birgitta detectam; quamvis ipſe ejuſdem ſanctæ verba veluti nullo fulta argumento, quo cœleſte arcanum fuiſſe confirmaret, rejecerit. Quæ Gobelinus (*b*) & ex eo Chronici Belgici auctor (*c*) repetunt, ac S. Antoninus hiſce verbis confirmat (*d*): *In Monteflaſcone Urbano Papa V. exiſtente, revelationem ſibi factam a Dei genitrice, qua ſub mortis commitatione futurique judicii diſtrictione Pontifici inhibuit, ne de Roma vel Italia recedendo Avenionem peteret perſonaliter, narravit: quod tamen Papa non implevit; unde mala innumera ſecuta ſunt.* Quas autem intempeſtivi receſſus cauſas obtexeret Urbanus, ejus vitæ ſcriptor exponit: *Audiebat*, inquit, *mala, quæ continue fiebant, & majora fieri ſperabantur occaſione guerræ noviter ſuſcitatæ & exortæ inter Reges Franciæ & Angliæ memoratas: quibus ut obviare poſſet, multum inerat menti ſuæ, eratque intentionis (ſibi Domino favente) circa hujuſmodi guerræ ſedationem totis viribus laborare, & intendere etiam in propria ad dictos Reges accedendo hac de cauſa, ubi alias ſuper hoc ſe non poſſe proficere reperiret.* Subdit auctor de creatis ab Urbano hoc anno Cardinalibus (*e*).

(b) *Gobel. in Coſm. ætat.* 6. *c.* 73.
(c) *Chron. Belg. in Urb. V.*
(d) *An.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 11. §. 2.

Quibus cauſis ad revehendam in Gallias ſedem permotus fuerit.

(e) *Contel. in elench. Cardd.*

XXI.

Cardinales creati ab Urbano.

*Eodem anno die ſexta menſis junii, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum poſt pentecoſtem, in Monteflaſcone idem Urbanus creavit duos novos Cardinales, videlicet dominos Petrum de Scanno * diœceſis Ruthenenſis monachum ordinis S. Benedicti tunc archiepiſcopum Bituricenſem; & Petrum de Corſinis Florentinum, tunc epiſcopum Florentinum. Dicto autem domino Petro de Scanno, cui jam titulum S. Mariæ in Transtyberim aſſignaverat; vicario in patrimonio & aliquibus circumadjacentibus provinciis ordinato, idem Urbanus iter ſuum arripiens, mare intravit in Corneto die quinta ſeptembris, ubi invenit galeas & navigia ad excellentiam, de quibus cum magna excellentia & apparatu ſibi providerant Reges Franciæ & Aragonum, Regina Siciliæ, civitas Avenionenſis, & Provinciales: ſicque, divino ſibi aſſiſtente præſidio, iter ſuum continuando, Maſſiliæ feliciter applicuit &* XXIV. *Avenione, ubi cum gaudio & exultatione maxima receptus eſt.*

* C. R. *de Stagno*

Pontificium in Gallias iter.

Avenionem ingreditur.

Interjectis paucis diebus, nimirum pridie nonas octobris omnia mandata circa Avenionenſis rei adminiſtrationem antea data revocavit (*f*). Sanxit etiam (*g*) III. id. octobris, ut facinoroſi, qui ex Provincia in Venuſinum comitatum aufugerent, traderentur magiſtratibus Provinciæ, ac viciſſim Provinciales ſcelerum reos ex Venuſino comitatu fuga lapſos remitterent. Ipſis vero idibus commercium cum Ægyptiis permiſit (*h*), dummodo ſoldanus cum Cypriis, Rhodiis, Venetis, ac Liguribus paciſceretur: pauciſque poſt diebus Goffredi archiepiſcopi Toloſani precibus adductus, Clementis VI. ſubjectum de ſuffraganeorum in metropolitanos officio inſtauravit (*i*).

Extrema illius geſta.

(f) *An.* 8. *ep. com.* 564.
(g) *Ib. ep.* 568.

(h) *Ib. ep. com.* 365.

(i) *Ib. ep.* 359.

*Clemens &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Romanus Pontifex obtinens ſuper univerſas orbis eccleſias divina inſtitutione primatum, circa ipſarum jurium conſervationem more benevoli patris libenter intendit, ſic eis cum expedit præficiendo prælatos, ut per hoc juri alterius nullatenus derogetur. Cum itaque, ſicut multorum inſinuatio ad apoſtolatus noſtri deduxit auditum, nonnulli revocare nituntur in dubium, utrum epiſcopi ſeu alii prælati ſedi Apoſtolicæ non immediate ſubjecti, qui per ſedem ad cathedralium eccleſiarum vel quarumcumque dignitatum regimina pro tempore promoventur, munuſque conſecrationis ſeu benedictionis a nobis ſeu de mandato noſtro in Romana curia ſeu extra ſuſcipiunt, ac fidelitatis nobis & eidem ſedi præſtant ſolitum juramentum, ſuis metropolitanis teneantur ſeu prælatis aliis, quibus immediate ſubſunt, aliud conſuetum juramentum præſtare; nos volentes cujuſlibet hæſitationis ſcrupulum in præmiſſis auferre, epiſcopos & prælatos alios*

Suffraganei depoſitum apud ſedem Ap. ſacramentum Metropolitanis repetere debent.

*lios ſupradictos, per ſedem eamdem ad hujuſmodi regimina jam promotos, & quos in poſterum promoveri continget, authoritate præſentium declaramus, ad omnia illa ſuis metropolitanis ſeu prælatis aliis immediate ſuperioribus omnino teneri, ad quæ tenerentur, ſi non per dictam ſedem vel de mandato ipſius ſedis ad hujuſmodi regimina promoti nec juramentum hujuſmodi per eos nobis vel eidem ſedi præſtitum extitiſſet. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. kal. octobris pontificatus noſtri anno* VIII. Hoc Clementis diploma renovatum conſignat hac formula Urbanus. *Dat. Avin.* XII. *kal. decembris an.* VIII.

XXII. Incubuiſſe etiam Urbanum ad pacem inter Anglos Galloſque redintegrandam refert ipſius vitæ author (a) his verbis: *Poſtquam rediit de partibus Italiæ, totaliter mente diſpoſuit in propria laborare circa pacificationem dictorum Regum Francorum & Angliæ, ad quod etiam* circa præparativa ordinavit: ſed ſatis cito magna infirmitas ipſum arripuit, ex qua ſentiens gravari, mortemque ſibi propinquam æſtimans, ad ea vacare deſtitit.*

(a) *Geſta Vrb. V. apud Boſq.*

* *certa*

Anglicum bellum nititur componere Urbanus. Morbo extinguitur.

Cumulanda hic nonnulla Urbani geſta, & elogia, quæ vitæ illius ſcriptor nullo certo anno conſignata recenſet ſubjectis verbis: *Dictus Urbanus Papa quaſi a principio ſui pontificatus in pleriſque locis continue ædificavit: & primo in palatio Avenionenſi, quod in magnam partem ampliavit in illa, quæ hodie vulgariter Roma appellatur: in qua ſunt habitationes, deambulatoria, & viridaria miræ pulchritudinis & amœnitatis: habent etiam in ſe majorem delectationem, quam etiam quæcumque aliæ in toto palatio exiſtentes. In loco etiam de Bodoſtro diœceſis Mimatenſis, ubi erat eccleſia baptiſmalis & parochialis loci ſuæ originis, ſpectabatque ad domum ſuam paternam, a ſolo ædificavit pulchram & ſatis nobilem eccleſiam, quam muris altis & turribus admodum caſtri circumdedit, in qua conſtituit collegium certorum canonicorum ſecularium & decani; qui ibidem haberent Deo perpetuo deſervire in memoriam ſui & parentum ſuorum, quorum ſepultura eſt & erat ibi ab antiquo: dotavitque dictum collegium tam de bonis paternis, quam aliis bene & ſufficienter. In eccleſia etiam de Gueſato dictæ diœceſis, ubi eſt oratorium ſpirituale & devotum B. Mariæ virginis, collegium novum inſtituit certorum canonicorum ſecularium, & qui ipſis præſideret* decanus: pro quorum ſuſtentatione ſufficienti redditus & proventus multos acquiſivit & ordinavit, fecitque muris & turribus dictam eccleſiam altis circumdari. Idemque fecit in plurimis aliis locis & eccleſiis Dei ſervitio deputatis, in dicta diœceſi conſtitutis, de quibus dubitavit, quod tempore guerræ faciliter poſſent capi aut hoſtiliter impugnari. In Roma etiam exiſtens eccleſias Lateranenſem & S. Pauli, quarum tecta erant totaliter demolita, fecit mirabiliter & ſumptuoſe reparari. Idem fecit de eccleſia ſancti Petri in ea parte, in qua reparatione indigebat. Inſuper tam in urbe quam in aliis eccleſiis, locis religioſis, & eccleſiaſticis, prout eorum neceſſitas exigebat, veſtes ſacras, calices, ornamenta eccleſiaſtica, & libros ad officium divinum opportunos innumerabiliter diſtribuit atque dedit, reliquiaſque multorum ſanctorum, auro & argento, gemmis ac lapidibus pretioſis adornatas, repoſuit in eiſdem.* Et infra: *Beneficiorum multiplicationem, præſertim incompatibilium, in eamdem perſonam concurrentium, invitiſſime toleravit, immo multos ex illis, qui plurima obtinebant, privavit relictis eis tantummodo illis, quæ ſuo ſtatui & ſufficientiæ congrue convenire judicavit; ſuper quo etiam conſtitutionem edidit, quæ incipit, Horribilis; in qua quod ſuo tempore licere ſibi non paſſus eſt, ſuis ſucceſſoribus indicavit.*

Templa ab eo ad divinum cultum extructa.

* *decanum*

Collatus ſacer ornatus.

Sacerdotia plura ab uno geri vetita.

*Viros literatos valde dilexit, multoſque ex ipſis promovit & exaltavit: & ut daret cæteris ad diſcendum materiam & opportunitatem, quandiu vixit in papatu, ſuis expenſis tenuit mille ſtudentes in diverſis ſtudiis, ex quibus cum aliqui erant provecti, aut alias deficiebant, illorum loco alios continue ſubrogavit, libros neceſſarios tam eis quam aliis pluribus, quos ſcivit ſtudio eſſe intentos ipſiſque indigere, etiam miniſtravit. De pauperibus & egenis aliiſque miſerabilibus perſonis ſemper ſibi ſingulariter cura fuit adeo, quod ubi ipſos eſſe cognovit, ipſorum inopiæ liberaliter & generoſe ſubvenit; præſertim illorum, qui alias abundantes extiterant, & demum ad paupertatem deducti erubeſcebant mendicare.* Et infra: *Non enim curavit conſervare pecunias; & ſi quas aliquando habuit, ipſas feliciter aut in eccleſiæ negotiis expoſuit, aut in piis operibus erogavit.*

Egeni clerici adjuti.

*Ad beneficiorum collationes, proviſioneſque eccleſiarum & monaſteriorum habens procedere, magnam inquiſitionem ſolertemque examinationem fieri ſemper fecit ſuper meritis & ſufficientia illorum, de quorum proviſione aut promotione actum fuit, per quas cum bene meriti & ſufficientes inventi ſunt, ipſos liberaliter & gratioſe promovit, etiam quandoque inſcios & non procurantes: ubi vero inventum eſt oppoſitum, præſertim ſi fuerunt in vita vel converſatione maculati, aut ſcientia vel ætate notabiliter defectuoſi, etiam quarumcumque precum ſeu interceſſionum obtentu, eos nullatenus ſaltim ſcienter admiſit. Toto tempore ſuo diligentiam maximam adhibuit, inquirendo mores & vitam generaliter omnium ſuorum ſubditorum, & præſertim eccleſiaſticorum: ſuper quo modum tenuit valde notabilem & honeſtum. Secretiſſi-*

In iis conferendis adhibita ab Urbano diligentia.



*tiſſime namque fere de omnibus nationibus advocavit ad ſe aliquas perſonas devotas, diſcretas, Deum & ſuam conſcientiam pertimeſcentes, quas ſuper inquiſitione hujuſmodi per earum quaſlibet in ſuis locis ſeu regionibus occulte fienda, & demum ſibi referenda ſpecialiter oneravit: ſicque actum eſt, quod ſaltim notabilium fere omnium morum & vitæ ſatis notitiam habuit: qua habita bonos in bono confirmavit, malos vero a malo cohibuit, aut corrigi & emendari procuravit per viſitatores aut reformatores, quos ad hoc demum ſpecialiter deputavit. Volenſque curiales eccleſiaſticos ſic honeſte vivere, quod eſſent cæteris in exemplum, a principio ſuæ creationis pœnaliter ordinavit, quod omnes generaliter & indiſtincte in adventu Domini & duabus diebus quartam feriam cinerum immediate præcedentem ab eſu carnium abſtinerent: & in dictis diebus ſeculares & laicos in curia exiſtentes etiam voluit comprehendi.*

Jejunia adventus Domini indixit eccleſiaſticis.

XXIII. *Affectum carnalem nequaquam ad ſuos ſe habere demonſtravit: nullum ex eis ad quamcumque prælaturam promovit, niſi duos dumtaxat, videlicet memoratum fratrem ſuum, & nepotem ex conſanguineo germano doctorem decretorum aliaſque bonum & ſufficientem, quem eccleſiæ S. Pauli in epiſcopum præfecit: alios autem quanquam eſſent boni & idonei, aut beneficiis ſatis ſimplicibus, aut officiis curiæ voluit remanere contentos. De laicis etiam nullum exaltavit: immo nec per alios exaltari permiſit. In cujus evidentiam expreſſe recuſari ordinavit per patrem ſuum ſexcentas libras reenduales, quas Rex Franciæ ſibi dederat ob ſui favorem. Nepotem etiam ſuum unicum, & ad quem paterna hereditas pertinere debebat, non cum altiori, immo nec æquali ſibi in genere voluit matrimonialiter copulari: ſuſcepit namque ſibi in uxorem filiam cujuſdam mercatoris Montiſpeſſulani ſatis ſimplicis ſui generis reſpectu: quam tamen, ut creditur, ipſo adhuc in minoribus exiſtente dictus nepos minime recepiſſet. Ipſe etiam paternaliter & charitative omnes dilexit: in his tamen, quæ pertinent ad Deum, neminem timuit niſi eum, cujus gratia ſuffultus fuit: & taliter rexit, quod univerſaliter amabatur a malis: fuit enim ſanctæ & juſtæ intentionis faciendi in omnibus quæ Deo credebat fore placitura, & contraria evitandi, habuitque in mente conſtantiam, veritatem in ore, & efficaciam ſeu virtuoſitatem in operatione.*

Conſanguineos paucis contentos eſſe juſſit.

Mundanam amplitudinem in iis odit.

XXIV. Conſenſit extremus vitæ actus ſuperioribus virtutum exemplis, quem illius geſta ex archivo monaſterii S. Victoris ita deſcribunt (a): *Obiit die decima nona menſis decembris circa horam* [1] *nonam pontificatus ſui anno nono in camera domus habitationis domini Cardinalis Albanenſis januis patentibus & apertis omnino, ut quilibet veniens ad videndum ejus finem felicem & catholicum intrare poſſet; ſignum ſanctæ crucis tenens in manibus, & veſtitus ſemper exiſtens, nec de illa infirmitate jacuerat quomodolibet denudatus.* Pœnituiſſe illum non perfecti divini imperii, quod

(a) *Extat in M.S. Vat. ſign. nu. 4026. & apud Maſſ. in Urb. V.*

Pœnituit illum revectæ in Gallias ſedis Apo.



NOTÆ [1] URbanus V. Papa hoc anno mortalem vitam cum immortali commutavit, cujus funus laudum plenis manipulis ornant omnium gentium ſcriptores. Nemo eſt enim, qui elogium viri ſancti ſanctiſſimo pontifici invideat; quamquam enim Italos offendiſſe debuerit reſtituta illis, ac dein retracta ſedes apoſtolica; omnibus tamen in obſequio ac veneratione fuit. Vulgatæ de ſanctitate viri famæ Deus ipſe & vim adjeciſſe viſus eſt, utpote cujus munere prodigiis poſt mortem claruerit inſignibus & frequentibus, teſte Martino Fuldenſi Minorita in chronico vulgato ab Eccardo inter hiſtoric. med. ævi to. I. additque eo pariter tempore quo ipſe ſcribebat nempe octo poſt annos illa nondum ceſſaſſe, eademque a publicis Tabellionibus in tabulas redigi. Quibus ſanctitatis non vulgaris argumentis perſuaſi Bononienſes, ejus imagines in Eccleſiis pingere non dubitarunt, teſte Authore Miſcellæ, tunc Bononiæ ſcribente. Quin & Ludovicus Andegavenſis, Siculi Regni invaſor, apud Clementem V. Antipapam nihil non movit, quo publicus cultus illi addiceretur; eidemque rei urgendæ largam pecuniam moriens legavit, ut ex poſtremis ejus tabulis vulgatis a Martene Anecdot. to. II. col. 1606. diſcimus. Vitio tamen illi datum fuit ab Italis, quod in purpura ſacri principatus largienda tenacior cum Italis fuerit, in Gallos largiſſimus. At charitatem in patriam omnes facile excuſarint. Magis ad invidiam patet, quod in referenda ſede Avenionem inconſtantiæ ſuſpicionem non levem præbuerit; quin & voti religionem, quo ſe ad reſtituendam Romæ ſedem obſtrinxerat, neglexiſſe viſus eſt. Cui forte excuſando valent ea quæ ſcribit Author addictionum ad chronicon Theodorici, ſeu ut in nota ad A. 1364. 16. probavimus, Joannes Niemius vulgatus ab Eccardo inter hiſt. med. ævi to. I. ait enim: *Ex Italia rediens Avenionem, animo tamen ad Italiam, ut ferebatur, redeundi, defunctus eſt.* Hiſtoria hæc anno 1430. clauditur.

Pagius in breviario geſtorum Pontificum Romanorum, to. IV. pag. 140. edit. Luc. ex authoritate Nicolai Alemanni de Parietin. Later. cap. XIII. notat ab hoc primum pontifice tertiam coronam ſeu circulum tiaræ pontificiæ acceſſiſſe, idque ex vetuſtis imaginibus oculis ipſis probari aſſeruit. Verum in nota ad A. 1303. jam demonſtratum arbitror, tertiæ coronæ authorem Bonifacium VIII. reputandum eſſe; quem vero authorem duplex corona agnoverit in obſcuro verſari, quamquam jam inde a ſæculo XI. obtinuerit.

Urbano ſucceſſor datus eſt Petrus Rogerii, Clementis VI. ex fratre nepos, cujus diem electionis & reliqua quæ ad ipſum ſpectant omnia recte in Annalibus adnotantur. MANSI

quod S. Brigitta ipſi ſignificarat, votumque de reſtituenda Romæ ſede Apoſtolica concepiſſe, refert Alfonſus olim epiſcopus Giennenſis (*a*), de quo ſupra memoravi. Ut vero rite ſacramentis communitus ſit, dictaque omnia ſua decretis eccleſiæ ſubmiſerit, narrat accurate vitæ illius ſcriptor (*b*).

(*a*) *M. S. arc. Vat. to. 2. de ſchiſ. pag.* 22.
(*b*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

Sacramentis rite munitur.

*Ad illa, quæ animæ ſuæ ſalutem concernere poterant, totaliter ſe convertit, humiliterque & devote ſæpius confeſſus eſt, & cætera eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcepit. Præſentibus etiam camerario, confeſſore, pluribuſque aliis familiaribus ſuis ac aliis multis notabilibus perſonis, dixit & aſſeruit, ſe tenere & credere firmiter, ſicque confeſſus eſt ſimpliciter, quidquid ſancta catholica & apoſtolica tenet, docet, & prædicat eccleſia: & ſi per prius docendo, legendo, prædicando, aut diſputando, vel alias aliud quovis modo prædicaverat vel dixerat, totum id revocavit, voluitque haberi pro non dicto, ſubmittens ſe & dicta ſua hujuſmodi correctioni & determinationi dictæ ſanctæ matris eccleſiæ, a qua aſſeruit ſe nunquam deviaſſe ſcienter. Tandem vero poſt multa bona & virtuoſa opera in Domino requievit die* XIX. *menſis decembris anno Domini MCCCLXX. pontificatus ſui anno nono: fuitque ſepultus in eccleſia majori Avenionenſi, demum transferendus ad monaſterium S. Victoris Maſſilienſis, ubi vivens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam, magnis & ſtupendis miraculis coruſcando: vacavitque ſedes* XI. *diebus.* Effulſiſſe miraculorum gloria etiam Petrarcha teſtatur (*c*), a quo ob receſſum in Gallias perſtrictum inconſtantiæ vidimus.

Dicta ſua ſubmittit decretis Eccleſiæ.

Claret miraculis

(*c*) *Petr. l.* 13. *rer. ſenil. ep.* 13.

*Ut apud nos,* inquit, *auditum eſt, ſanctitatis ejus fama nunc maxime celebratur, & miraculis claret, quod nulli ex prædeceſſoribus ſuis his noviſſimis accidit.* Verum Benedictum XII. etiam miraculis fulſiſſe, ex illius vitæ auctore vidimus. *Nihilominus tamen adhuc ſancto illi viro detrahitur ab his ipſis, unde me ſolor, quibus ego peccator, ut dixi, non niſi propter veri odium odioſus ſum. Ille autem dictu mirum ob hoc ſolum, quod Romanos Cardinales diſcolos & errantes Romam, hoc eſt in domum propriam reduxit, & reducturus iterum timebatur, Cardinalibus ipſis [ non ut reor omnibus, ſed omnium peſſimis ] odio erit æterno: quod nihil eſt aliud, quam ſi cœcus pia manu fovea eductus ancipiti, ſuæque domus ad oſtium directus, perpetuo directorem ſuum oderit.* Cum floreret multis ſanctitatis argumentis illius memoria, Vvaldemarus Daniæ Rex quinto poſt anno a Gregorio XI. expetiit, ut ſanctorum catalogo Urbanus adjiceretur: cui idem Gregorius hæc reſcripſit (*d*) x. kal. ſeptembris pontificatus anno v. *Nobis expoſita affectione ſincera, quam ad felicis recordationis Urbani Papæ V. prædeceſſoris noſtri memoriam habere dignoſceris, ſerenitati tuæ inde grates referimus copioſas, devotionem tuam plurimum in Domino commendantes: unde ſi noſtro tuiſque temporibus canonizationem ipſius venire contingat, de ipſo te faciemus certiorem.*

(*d*) *Greg. to. 5. ep. ſecr. p.* 235

De eo ſanctorum catalogo apponendo agitatum.

Conſenuit ea religioſa actio de miraculis Urbani, quæ oborto poſtea ſchiſmate inſtaurata eſt: libellum enim ejus geſta continentem, conſentientemque omnino dictis antea a nobis, Maſſilienſes monachi S. Victoris, ac Petrus Olmarius canonicus Aquenſis procurator Caroli Francorum Regis & Ludovici Andegavenſis, aliorumque principum ac præſulum nomine Clementi VII. antipapæ porrexere, ut cœlitum numero illum aſcriberet. Quod ad ſedis tempus attinet; cum renuntiatus fuiſſe tradatur ſummus Pontifex (ut in ipſo pontificatus exordio anno Chriſti MCCCLXII. retulimus) vigeſima octava octobris die, a promulgata nimirum tunc a Cardinalibus electione mox atque tranſmiſſum ab illo Maſſilia conſenſus decretum recepiſſent, objerit vero hoc anno die XIX. decembris, ut affirmat eius vitæ auctor (*e*), teſtanturque Cardinales in literis ad Anglicum epiſcopum Card. Albanenſem demortui Pontificis fratrem, quas mox ſubijciemus, ipſum ſediſſe annos octo, menſes unum, dies XXIII. dicendum eſt, eo dierum numero non recenſito, quibus electio arcana latuit.

Sedis tempus.

(*e*) *Geſta Urb. V. apud Boſq.*

XXV. Eadem enim die, qua Urbanus exceſſit e vita, Cardinales Anglicum epiſcopum Albanenſem certiorem de tanti fratris obitu factum rogavere, ut egregrie (*f*) ditionis eccleſiaſticæ provincias, quibus præerat, adminiſtraret, dum ipſi deſignando novo Pontifici vacabant.

(*f*) *Reg. lit. ſecr. Cardd. ſede vac. Urb. V. pag.* 1.

*Miſeratione divina.. epiſcopi.. presbyteri &.. diaconi S. R. E. Cardinales, venerabili fratri Anglico epiſcopo Albanenſi terrarum ipſius eccleſiæ in Italia conſiſtentium pro eadem eccleſia in temporalibus vicario generali, ſalutem in Domino.*

*Quod ex caſu flebili corde turbati officium conſolatoris aſſumimus, illius dilectionis fervor efficit, illius nos ad id plenitudo dilectionis impellit, quæ nil humanum a ſe reputans alienum, ſic ex intimis dolenti condolet, & patienti compatitur, ut non minus in ejus, quam in propriis anguſtiis anxietur. Hodie ſiquidem, ſanctæ memoriæ domino noſtro domino Urbano Papa V. circa horam veſperorum ſublato de medio, gravis mœror in amara conſideratione jacturæ, quam pertulit univerſalis eccleſia, omnium noſtrum mentes invaſit, vobiſque mœſto ſpiritu eo profundius condolemus, quo vos in ſubtractione tanti germani* ( Ex his atque ex geſtorum Urbani ſcriptore aliiſque emendandi ſunt, qui Anglicum ejuſdem Pontificis nepotem extitiſſe tradunt ) *gravioribus debere præſumimus doloribus occupari. Sed quia Domini ſententia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, juxta quam ſententiam proprio ſuo Filio non pepercit; rogamus vos, ut ſapiens juxta ſapientis conſilium non detis dolori cor veſtrum, ſed illum abiicientes dicatis cum beato Job: Sit nomen Domini benedictum; quia cum Rex juſtitiæ ponderet æquo libramine univerſa, nil in terra permittens facere ſine cauſa, nemo illi audet dicere, cur ſic facis? Eſt etiam in quo poteſtis non modicum conſolari, quia idem dominus, longa infirmitate vexatus, interim recepit devote & humiliter eccleſiaſtica ſacramenta.*

Cardinalium lit. ad ejus fratrem Anglicum.

*Rogamus etiam vos, ut ſic circa regimen terrarum vobis commiſſarum vigilare velitis, ut poſteriora prioribus continuando acquiratis laudem apud homines, & meritum apud Deum: nec ipſum regimen propter pericula, quæ maxime hoc tempore poſſunt veriſimiliter occurrere, donec ſuper hoc aliter fuerit proviſum, dimittere velitis. Deus autem conſolationis in præſenti vos dirigat, & in futuro ad conſolationem perducat æternam. Dat. Avin. die decimanona menſis decembris.* Conceptæ ſunt paulo (*a*) immutata forma aliæ ad Petrum tit. S. Mariæ Tranſtyberim presbyterum Cardinalem, ut ad provinciarum, quibus in Italia præerat, cuſtodiam diligenter incumberet.

(*a*) *Ead. pag.* 1.

XXVI. Funeribus Urbano ex majeſtate pontificia ( ut moris eſt ) perſolutis, S. R. E. Cardinales IV. kal. januarii conclave ingreſſi die penultima decembris, ut confirmant datæ aliquot poſt annis Gregorii literæ (*b*), Petrum Rogerii Clementis VI. ex fratre nepotem annorum quadraginta, cum anno ætatis octodecimo creatum diaconum Cardinalem S. Mariæ novæ viderimus (*c*), conſentientibus ſuffragiis ſummum Pontificem deſignarunt, ut ejus vitæ author ſubjectis verbis tradit (*d*): *Gregorius Papa XI. natione Aquitaneus, de loco de Malamonte diœceſis Lemovicenſis oriundus, poſt dictum Urbanum V. fuit Avenione electus in Papam die penultima menſis decembris anno Domini MCCCLXXI.* Petito nimirum illius exordio a feſto natali Domini, non a kal. januarii, uti nunc moris eſt. Pergit idem author paucis interjectis diſſerere de ejus primordiis, morum elegantia, literarum peritia: *Hic,* inquit, *prius vocatus erat Petrus Rogerii, cujus pater erat Gillelmus comes Bellifortis, & in adoleſcentia ſua fuit *... & demum ſanctæ Mariæ novæ diaconus Cardinalis factus per Clementem Papam VI. cujus erat nepos ex fratre.*

(*b*) *Greg. an. 6. ep. cur. pag.* 17.
(*c*) *An. Chr.* 1348. *n.* 36.
(*d*) *Geſta Greg. XI. apud Boſq*

Gregorius XI. ſubrogatus Urbano.

Ejus primitiæ.

* *C. R. primo notarius ſedis Apoſtolicæ.*

*Hic quamquam eſſet ſatis juvenis quando fuit factus Cardinalis, cum nondum attingeret octodecim annos ſuæ ætatis; tamen erat totus ingenioſus & aptus, ac ſtudio literarum valde intentus: volenſque in eis proficere amplius poſt promotionem ſuam ad ſtatum hujuſmodi, accerſitis ſibi notabilibus eccleſiaſticis, quos ſecum continue habuit, audiendo & legendo circa legalem ſcientiam diutius inſudavit, & adeo in ipſa profecit, quod unus de profundioribus & ſufficientibus totius orbis in ea fuit effectus. Demum ſe convertit ad canones theologiamque ac philoſophiam naturalem, in quibus ſe adeo notabiliter profundavit, quod in collationibus & conciliis ac aliis actibus ſuo ſtatui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad hujuſmodi facultates actum fuit, ſufficientiſſime peroravit. Tum circa deciſionem etiam cauſarum diligenter inſtitit, habuitque in iſta tam juris quam facti experientiam tantam, quantam quicumque alius ſtatus ſui. In expeditione vero negotiorum ſibi commiſſorum, aut aliorum, quæ ſecum aut per eum tradenda occurrerunt, admodum peritum, gratum, benignum, & manſuetum ſe habuit, quod de ipſo univerſaliter omnes ſecum agere habentes multum remanſerunt contenti. Et cum eſſet humilis, modeſtus, circumſpectus, & liberalis, ac aliis multis virtutibus dotatus, omnes tam ſeculares principes quam prælati, & ut plurimum quicumque ad ipſum recurſum habentes eum potiſſime dilexerunt. Habuit etiam magnam gratiam in collegio Cardinalium, adeo quod demum ſuis ſuffragantibus meritis per debitam concordiam fuit, ut præmittitur, ab ipſis electus in Papam die ſupradicta de mane quam ſola vox præceſſerat ab introitu conclavis eorundem. Fuit tamen ipſe in conſentiendo multum retinens & contradicens; immo difficillime per eos ad hoc potuit inclinari. Sed tandem cum omni humilitate divinæ & ipſorum ſe ſubjecit voluntati.*

Studia.

Virtutes.

XXVII. Certiorem fecit eadem die, qua ad ſummi pontificatus apicem eſt evectus, Gregorius Carolum Francorum Regem de acceptis a ſe eccleſiæ catholicæ gubernaculis, hortatuſque eſt, ut ejus progenitorum more eccleſiam meritis obſequiis proſequeretur: ac viciſſim ſtudia ſe apoſtolica benevolentiamque in ipſum expliciturum ſpopondit (*e*).

(*e*) *Tom. 1. ep. ſecr. pag.* 1.

*Gregorius electus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum illuſtri ſalutem.*

*Rerum omnium providus ordinator juxta ſui diſpoſitionem arbitrii, quod non fallitur, licet ejus arcana ratio nequeat ab omnibus comprehendi, ſic dat eſſe rebus ipſis, ſicque diſpenſat ineffabili providentia munera gratiarum, ſic etiam creaturarum conditiones & ſtatus ordinat, prout vult, & variat & diſponit, quod in horum conſiderationo ſenſus hominis non ſufficit, cum ſint inveſtigabiles viæ Domini, & ſapientiæ ſuæ magnitudinem humani capere nequeant in-*

Ejus ad Gallum Regem literæ.


tel.

*tellectus : facit enim fortem ex debili, triſtibus dat ſolamen, & ponit nonnunquam humiles in ſublimi, plenam & perfectam habens ad ſingula, tamquam palmo concludens omnia, poteſtatem. Sane felicis recordationis Urbano Papa V. prædeceſſore noſtro de præſentis valle miſeriæ ad ſupernam patriam evocato, venerabiles fratres noſtri epiſcopi, presbyteri, & diaconi ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, pro futuri ſubſtitutione paſtoris convenientes in unum, ſub deliberationis magnæ conſilio, quam tanti negotii qualitas exigebat, licet potuiſſent in alios conſentire majorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos ad tantæ adminiſtrationis præcellentiam digniores; tamen ad perſonam noſtram dirigentes unanimiter vota ſua, nos tunc ſanctæ Mariæ novæ diaconum Cardinalem ad celſitudinis apoſtolicæ ſpeculam, ſicut Domino placuit, hodie per viam Sancti Spiritus evocarunt. Nos vero in conſiderationis examine onus hujuſmodi per hoc noſtris imponendum humeris, & opus noſtra proſequendum ſolicitudine attondentes, noſtrarumque metientes virium quantitates; virtutum quoque noſtrarum merita proſpicientes ad onus ipſum minime poſſe ſufficere, eligendum ſano conſilio putabamus, ut humeri ſubducerentur ab onere & manus ab opere arcerentur. Verum ne divinæ voluntati reſiſtere videremur, de illius confidentes clementia, qui debilem roborat, & lapſo dat virtutem, quique ſolus poteſt, cum omnis ſufficientia ſit ab eo, noſtram inſufficientiam abundantia virtutis ſuæ ſupplere; in humilitatis ſpiritu tanti oneris ſarcinæ imbecilles expoſuimus humeros, & humiliter colla ſubmiſimus jugo apoſtolicæ ſervitutis; ſuppliciter implorantes, ut ipſe omnipotens Dominus, qui timentibus invocantibus nomen ſuum mira tribuit operatione virtutis, id quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ſupernæ providentiæ gratia largiatur.*

*De tua igitur, fili chariſſime, eximiæ devotionis ſinceritate, quam ſemper ad Romanam eccleſiam habuiſti, grande noſtræ fiduciæ ſuſcipientes fulcimentum, ad quam dudum, dum minori fungeremur officio, ſpecialem & intimum habuimus & nunc etiam habemus affectum, hujuſmodi promotionem noſtram duximus nunciandam; ſerenitatem regiam attentius deprecantes, quatenus apud Patrem luminum ſedulis orationibus & devotis inſiſtas, ut ipſe de ſuæ benignitatis clementia oculos noſtræ mentis illuminans, & in ſemita mandatorum ſuorum dirigens actus noſtros, gregem ſuum noſtræ ſolicitudini creditum nos ſic ſalubriter gubernare, ſic in commiſſi nobis executione regiminis ſuum beneplacitum adimplere concedat, ut ſibi cedat ad gloriam: nobis & commiſſo curæ noſtræ populo ſalutem. Et inſuper progenitorum tuorum Chriſtianiſſimorum Regum Franciæ laudabilia imitando veſtigia, Romanam & alias eccleſias & perſonas eccleſiaſticas fovere & honorare ſtudeas, & ſuper iis, quæ tibi & tuis videris profutura, nos prompta ſecuritate requiras: nam regiæ ſerenitati ſe favorabilem in omnibus exhibebit apoſtolici favoris & gratiæ plenitudo: te ſiquidem etiam non petente proponimus ( divina favente clementia ) tuæ magnitudinis incrementis felicibus exaltare. Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen noſtrum eſt appenſa præſentibus, quæ antea conſecrationis, & benedictionis noſtræ ſolemnia tranſmittuntur: quia ii, qui fuerunt hactenus in Romanorum electi Pontifices, conſueverunt in bullandis literis ante ſuæ conſecrationis & benedictionis munus modum hujuſmodi obſervare. Dat. Avin. III. kal. januarii ſuſcepti a nobis apoſtolatus officii anno I.* Poſtridie ejus diei ad Joannam Reginam Siciliæ de eodem ſcripſit (*a*). Parum ab his diſcrepant literæ ſequenti ineunte anno ad Petrum Regem Aragonum (*b*), Amedeum comitem Sabaudiæ (*c*), nec non ad archiepiſcopos & epiſcopos (*d*) datæ, quibus ipſos ad curas in populo Chriſtiano in viam ſalutis adducendo defigendas adhortatur.

(*a*) *Ead. p.* 2.
(*b*) *Ibid. p.* 3.
(*c*) *Ib. p.* 4.
(*d*) *Pag.* 24.

XXVIII. Regis Scotiæ obitus. Et Caſimiri Regis Poloniæ.

Addemus ad hujus anni calcem duorum Regum, Caſimiri Poloniæ & Davidis Scotiæ obitum. Geſſiſſe Davidem Scotiæ ſceptrum annis triginta novem, refert Hector Boetius (*e*), illudque Roberto Stuarto ex ſorore nepoti tranſmiſiſſe: idemque Ungaro ad Polonici ſceptri ſucceſſionem vocato contigit. De Caſimiro ſcribit Michovias (*f*), ipſum, cum in venatione cervum fugientem inſequeretur, excuſſum equo & colliſum morbum contraxiſſe, auxiſſeque intemperantia ſua; atque, eo ingraveſcente, inter cætera dona magnifica, quibus chariſſimos quoſque ornavit, hæc eccleſiis contuliſſe: *Eccleſiæ Cracovienſi crucem magnam auream pluribus gemmis & lapidibus ornatam, quæ decem millibus florenorum penſabatur. Item eccleſiæ Gneſnenſi delatorium ſacramenti vulgo monſtrantiam dictum, argenteum deauratum reliquiis ſanctorum refertum, & bibliam decoram. Item brachium S. Coſmæ in reſervaculo argenteo deaurato eccleſiæ Poſnanienſi.* Et infra: *His itaque compoſitis, ſacramentis Euchariſtiæ & ſacræ unctionis perceptis, in palatio inferiori amplo caſtri Cracovienſis ad meridiem ſito feria tertia proxima ante feſtum S. Leonardi, quæ fuit quinta novembris, anno ætatis ſuæ ſexageſimo completo, circa ortum ſolis ſpiritum Deo reddidit.* Addit idem auctor ſceptrum Polonicum annis quadraginta eum tenuiſſe, illudque Ludovico Regi Ungariæ ex ſorore nepoti transfuſum. Ubi increbuit mortis Caſimiri Regis Poloniæ fama, Lithuanorum duces Keyſtutus Lubardoſque Waladimirienſem ac Sandomirienſem terras collecto exercitu vaſtarunt, ac dum prædas abigebant, & veræ crucis, quam Chriſtus ſuo cruore ſacravit, partem abripiebant, inſigne id miraculum contigit.

(*e*) *Hect. Boet. l.* 15.
(*f*) *Micho. l.* 4. *c.* 21.

Pia ejus munera in Eccleſias.

Adjuncta Ungariæ Polonia.

Lithuanorum in eam excurſio.





*Inter alias prædas*, ſubdit Michovias (*a*), *lignum crucis vivificum ex Calvo monte receptum abducebant: & cum eſſent in finibus Poloniæ, currus in quo vehebatur lignum crucis, repente ſubſtitit, nec ullo modo moveri potuit. Flamen autem Lithuanicus dixit, currum moveri non poſſe, niſi crux in locum ſuum redderetur: moxque in Calvum montem per unum nobilem captivum Polonum Karabolam dictum, ob id libertate donatum, remiſſa eſt.* Geſta etiam bella atrocia Lithuanos inter & Cruciferos narrat idem auctor, & Keyſtutum ducem Lithuaniæ Tartarorum, Ruthenorum, aliorumque barbarorum numeroſum exercitum una cum Olgerdo fratre Pruſſiæ infudiſſe, ac Winrichum equitum Theutonicorum magiſtrum ad reprimendam populationem ſecundo prælio dominica, qua propheticæ laudes: *Exuge quare obdormis Domine?* canuntur in divinis myſteriis, certaſſe cum infidelibus, ac victoriam retuliſſe: accurriſſe vero auxilio Leopoldum Auſtriæ ducem, junctiſque copiis ſuis, Samagitiam evaſtaſſe.

(*a*) *Ib. c.* 29.

Dominicæ crucis particula ab infidelibus cæleſti prodigio avehi non poteſt.

Lithuani in Pruſſia profligati.

I. ANno a Virginis partu ſeptuageſimo primo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione nona Gregorius ad componendas occidentis res, ut orienti ab infidelibus ad extremæ ſervitutis periculum adducto ſuccurreret, animum & cogitationem intendit; inhærenſque Urbani V. veſtigiis qui pacis Francorum inter & Anglorum Reges conciliandæ ſtudio Simonem tit. S. Sixti & Joannem tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteros Cardinales crearat Apoſtolicæ ſedis legatos, ut impoſitum munus facilius proſequerentur, nova auctoritate inſtruxit, ac Regibus mala ingentia e bello emerſura exponere juſſit (a). Recenſentur ea in diplomate pontificio (b), cujus partem ſubjicio: *Propter guerras*, inquit, *quæ quotidie nimium invaleſcunt, animus noſter dolet non immerito vebementer, & eo potius intima cordis noſtri amaricant acerbius, & durioris punctionis affligunt aculeo, quo periculoſas hujuſmodi diſcordiarum & guerrarum circumſtantias nobis intentioris conſiderationis diſcuſſio efficacius repræſentat. Attendimus etenim paternæ ſolicitudinis ſtudio incommoda immenſa, quæ ingerunt; & commoda piaque Dei negotia, quæ impediunt, & utinam non extinguant. Quis enim dubitat, quod ex talibus diſcordiis atque guerris non ſolum Babylonicus hoſtis, ſed etiam alii Reges & reguli Agareni de partibus Africæ, ad occupandas terras Chriſtianorum & religionem Chriſtiani nominis extinguendam ſumpſerunt, ſicut facti experientia docuit, audaciam transfretandi; & quod continue arctiores ſolito & pernicioſiores moleſtias inferre Chriſtianorum Regibus atque regnis & populis machinantur? Quis etiam quantumlibet ſtudioſius concipere poterit quantum tantorum principum, tanta ſanguinis propinquitate & affinitate junctorum, pernicioſa &, proh dolor! inveterata diſſenſio, ſi invaleſcat ulterius, & hoſtilis congreſſio Chriſtiani ſanguinis hauriet, prout exhauſit; quas hominum ſtrages ingeſſit & ingeret, quot animarum pericula, quot rerum damna produxit etiam & producit, quot profluvia ſumptuum & expenſarum abyſſos tantorum principum horribilis graviſque commotio & ejus proſecutio exegerunt hactenus & exigunt inceſſanter? &c. Datum Avinione* VII. *idus martii anno* I.

Decreti duo Cardin. ad Franc. & Angl. Reges.

(a) To. 8. ep. ſecr. p. 86. & 129.
(b) An. I. p. 194.

Naſcentia e mutuo bello mala expoſita.

Infidelium ingraveſcere potentiam.

II. Conſumptos ab iis fruſtra labores, neque legatos ipſos inter ſe conſenſiſſe, refert Gregorii vitæ ſcriptor (c): *Tandem*, inquit, *licet diutius circa hoc laborioſe & diligenter inſtiterint, nihil proficere potuerunt, tum quia inimicitiæ erant inter ipſos Reges nimium induratæ; tum etiam quia ipſi Cardinales videbantur partiales potius exiſtere, quam tractatores: & merito, cum primus Angliæ, & ſecundus Franciæ Regum prædictorum cancellarii & familiares per prius extitiſſent. Hoc etiam non obſtante, dictus Gregorius Papa ſucceſſive ſimili de cauſa ad dictos Reges plures alios nuntios, alterius tamen ſtatus & conditionis, miſit: immo & quandiu eccleſiæ præfuit, continue aliquos notabiles inter eos habuit circa tractatum hujuſmodi laborantes.* Miſſum Joannem epiſcopum Sarlatenſem (d) ad dirimendas acies, cum Joannes Lanclaſtriæ comes & Ludovicus Andium dux certamen eſſent conſerturi, averſumque a pacis conſiliis fuiſſe Eduardum (e) meminere pontificiæ literæ; non ſine tamen rerum ſuarum damno, cum Anglicos impetus Carolus cunctando fregerit, ut tradit geſtorum Gregorii auctor (f).

Pontificius labor fruſtra adhibitus.

(c) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

(d) An. I. ep. cur. 9.

Anglus a pacis conſiliis averſus.

(e) To. I. ep. ſecr. p. 83.
(f) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

Interea Henricus Caſtellæ Rex Francos fœderatos omni contentione adjuvit, claſſemque validiſſimam Gallis Rupellam obſidentibus ſubſidio miſit (g), ut Anglorum navales copias interciperet. Commiſſa eſt pervigilio S. Joannis Baptiſtæ arrox pugna maritima Anglos inter & Caſtellanos, in qua Pembrochius comes ab Hiſpanis victus ſuccubuit: ac tum Anglicæ vires eo adverſo conflictu eliſæ, præter enim militum ac navium jacturam, hoſtis viginti marcharum millibus, ad ſtipendia ſuppeditanda militi miſſis, potitus eſt: obſervatque Walſinghamus, adſcribendam divinæ juſtitiæ eam cladem, injuſtis namque artibus partam fuiſſe atque ab eccleſiaſticis emunctam: eam auri vim comitem Pembrochium adulterii macula contaminatum extitiſſe, ac libertatem eccleſiaſticam in regni ordinum publicis conventibus opprimere meditatum: hæc vero contigiſſe die S. Etheldredæ ſacro, cujus eccleſiæ poſſeſſiones regia ſententia abalienatæ fuerunt. Addit idem author, eo ſiniſtro caſu percitum Eduardum Regem, ingentem paraſſe claſſem ut Rupellam obſidione liberaret: ſed contrariis ventis repulſum. Cæterum mixtos ſuperiores adverſos caſus aliis ſecundis fuiſſe docet, partamque de Flandris navalem victoriam. Et quidem Pontifex Eduardum ut trophæis ac triumphis clariſſimum alloquitur in hortatoriis literis, quibus ipſum adulto jam anno ad pacem ſumma precum contentione eſt adhortatus (h).

(g) Walſing. in Eduard. III. Froſſ. hiſt. l. I. Paul. Æmil. in Carol. V.

Victus mari a claſſe Hiſpana.

Rogatur a Pont. de pace.

(h) To. I. ep. ſecr. pag. 112.

III.

*Eduardo Regi Angliæ illuſtri.*

*Quamquam nonnulli principes in ſuorum felicitate ſucceſſuum cum mundo ſentientes, ut probabiliter credimus, glorientur; tenemus tamen indubie, quod ſicut princeps catholicus, & ex catholicis parentibus editus, triumphorum gloriam & victoriarum*



*rum honorem ad Deum creatorem tuum, a quo omnis victoria omniſque triumphus, cum reverentia refers: tenemus, quod animarum pericula intueris; quod in eis effuſionem cruoris humani conſideras: tenemus, quod animarum pericula intueris; & quod proinde in conſpectu Dei tui eo te humilias amplius, quo ſicut circumſpectus & providus plene perpendis, debere te illi pro his referre gratias, pro his a Deo veniam deprecari. Eapropter nos, qui non revocamus in dubium, immo veriſimiliter certi ſumus, quod tu, quanto de manu Domini proſperiora te ſuſcepiſſe cognoſcis, tanto ad pacem promptior, tanto ad concordiam debes favorabilior inveniri; pro pace inter te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Francorum illuſtrem (dante Domino) reformanda, pro qua alias tibi pluries ſcripſiſſe meminimus, thronum tuum confidenter adimus, magnitudinem tuam, quanto poſſumus affectione rogantes ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obſecrantes attentius, quatenus reddens gratitudinis vicem omnipotenti Domino pro iis, quæ tribuit ipſe tibi, teque Regem pacificum verbo judicans & demonſtrans exemplo, ad pacem, quæ in ſe bona continet univerſa, & bonam concordiam, habilites animum, cor præpares, diſponas & mentem. Noſti enim, quod ille Rex pacificus, per quem regio faſtigio præemines, pacem te diligere præcipit, & diſcordium cordium reſpuit incolatum. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* VII. *kal. octobris anno primo.* Pervicit Pontifex, ut utriuſque Regis oratores ad agitandas fœderis pactiones convenerint: ſed ii cœtus irrito exitu diſſolvit.

Habita fruſtra pacis colloquia.

IV. Pacandæ etiam Hiſpaniæ ſtudio permotus Pontifex, miſerat Bertrandum Convenarum & Brixinenſem epiſcopos, ac revocandæ inter Ferdinandum Regem Luſitaniæ, qui hereditaria in Caſtellam jura obrendebat, & Henricum Caſtellanum pacis deſiderio, Cardinalem eo legare decreverat: cum Henricus fœdus ſe cum Luſitano ſanxiſſe ipſi ſignificavit, (a) atque in illius ſocietatem Carolum Francorum Regem admiſſum; de quo Gregorius Franco eſt gratulatus (b). Obortæ tamen poſtea novæ difficultates, extractaque ad biennium concordia eſt. Compoſitis igitur utcumque cum Ferdinando Luſitaniæ Rege rebus, Henricus ad controverſiam aliam, quæ ipſi cum Navarro intercedebat, dirimendam Gregorium Regemque Francorum arbitros conſtituit. Tum etiam officii ergo ampliſſima munera Pontifici miſit, de quibus Gregorius ei gratias egit (c).

Luſitanus Caſtellano conciliatus.

(a) Ibid. pag. 270.
(b) Pag. 61.

Caſtellanus cum Navarro fœdus init.

(c) Eod. to. I. ep. ſecr. pag. 296.

Munera Pontifici mittit.

*Henrico Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri.*

*Jocale admodum precioſum, nobile, & inſigne, duoſque pulcherrimos equos regiæ munificentiæ ac liberalis excellentiæ tuæ per manus dilecti filii noſtri Petri tit. ſanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis animo grato recepimus, illudque in memoriam & honorem regii nominis intendimus perenniter cuſtodire. De ipſo itaque tam magnifico dono, in quo etiam magis notamus ſinceræ tuæ mentis & validæ dilectionis & devotionis affectum, uberes tuæ celſitudini gratias referentes, nos offerimus paratos ac diſpoſitos ad omnia excellentiæ tuæ grata. Et quamvis bona diſpoſitio ſerenitatis tuæ erga nos & Romanam eccleſiam, & cæteras tuorum regnorum eccleſias eccleſiaſticaſque perſonas, earumque libertates & honores nobis alias nota foret; ipſam tamen & ferventiorem tuæ devotionis affectum, idem Cardinalis, qui tuum ſincere zelatur honorem, expreſſius declaravit. De quo ſerenitatem eamdem condignis in Domino laudibus attollentes, divinam gratiam ſimpliciter imploramus, ut tibi pro eccleſia ſancta ejuſque miniſtris, quos ſingulariter honoras, ſecundum abundantiam largitatis ſuæ retribuat in hoc ſæculo & futuro: ſerenitatem præfatam in Domino exhortantes, quatenus ſemper in devotione ſincera erga Deum eamdemque eccleſiam, & conſervationem & augmentum eccleſiaſticæ libertatis; & aliis bonis operibus, ut princeps Chriſtianiſſimus perſeveres.*

Officia ipſi eccleſiæ defert.

*Cæterum, fili chariſſime, illud addidit potiſſimum conſolationem & lætitiam menti noſtræ quod per tuas literas, quas nuper benigne recepimus, nobis ſignificare curavit tua ſerenitas, videlicet quod ab incipiendo & faciendo guerram contra chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Navarræ illuſtrem contemplatione noſtri (quamvis haberes paratum potentem exercitum tuum contra ipſum) deſiſtere, omneſque controverſias, inter ſerenitatem præfatam dictumque Regem vertentes, ordinationi noſtræ ac chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum illuſtris committere intendebas, noſtro & ipſius Regis arbitrio authore Domino terminandas. Tuam igitur bonam ac benignam diſpoſitionem multipliciter in Domino commendamus, excellentiæque regiæ digna referimus rependia gratiarum; in hoc tractatu pacis & in aliis quibuſcumque regium honorem, tuorumque regnorum ſtatum, exaltationem, ac quietem tangentibus, intendimus, quantum cum Deo poterimus, interponere ſolicitudinis & diligentiæ noſtræ partes. Dat. Avin.* II. *idus decembris anno primo.* Gerebat alias Navarrus cum Gallo lites de nonnullis in Normanniæ partem juribus quas accepto Montiſpeſſulani principatu compoſitas, tradit vitæ Gregorii ſcriptor (d), additque eumdem Regem adiiſſe apud Avenionem Pontificem, ut de conſcenſo apoſtolico faſtigio ipſi gratularetur. Præterea acceſſere ad cum-

Pontificem & Gallum arbitrio deligit.

Rex Navarræ convenit Pontificem Avenione.

(d) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

eumdem Pontificem Regis Aragonum oratores, profeſſuri Sardiniam & Corſicam beneficentia apoſtolica acceptas, conſtitutaſque a Bonifacio VIII. pactiones inſtauraturi; qua de re haſce literas (a) Gregorio pertulere.

(a) *Ext. in lib. priv. Rom. eccl. to.3. pag. 186. & in MS. bibl. Vall. ſig. lit. B. n.12. p. 427.*

*Sanctiſſimo & beatiſſimo in Chriſto patri & domino domino Gregorio, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragoniæ, Valentiæ, & Majoricæ, Sardiniæ & Corſicæ, comeſque Barchinonis, Roſſilionis, Ceritaniæ, ejus humilis filius & devotus pedum oſcula beatorum.*

V. Rex Aragonum Sardiniam & Corſicam acceptas Pontifici refert.

*Sanctitati veſtræ tenore literarum noſtrarum præſentium pateſiat, quod viſo & plenarie intellecto papali reſcripto ſuper collatione, conceſſione, & donatione confecto, qua felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor veſter fecit illuſtriſſimo domino Jacobo eximiæ recordationis Regi Aragonum avo meo, ſuiſque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corſicæ cum juribus omnibus & pertinentiis ſuis ſub certo ſervitio certiſque conditionibus, largius ſcriptis in dicto Papali reſcripto, cujus ſeries ſic ſe habet (b) Bonifacius epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Jacobo Sardiniæ & Corſicæ Regi &c. Dat. Romæ apud S. Petrum pridie non. aprilis pontificatus noſtri anno tertio; ideo ad memoriam reducto dictum dominum Regem avum noſtrum, cujus ſucceſſor in dicto regno exiſtimus, tempore præinſertæ conceſſionis memorato domino Papæ Bonifacio juxta continentiam ejuſdem reſcripti ex cauſis in eo ſcriptis juramentum, fidelitatem, homagium, & vaſſallagium perſonaliter præſtitiſſe; & poſtmodum nos & noſtri, ut tenebamur juxta formam dicti papalis reſcripti poſt celebrationem noſtræ coronationis uni Romano Pontifici juramentum, fidelitatem, homagium, ſeu vaſallagium ſupradicta, & etiam poſtea per dilectos conſiliarios Franciſcum de Perlenibus camerlengum & Franciſcum Romanum legum profeſſorem & vicecancellarium milites, procuratores, ambaſſiatores, & nuncios ſpeciales olim per nos ad Romanam curiam deſtinatos juramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium prædicta renovaſſe, feciſſe, & præſtitiſſe domino Urbano felicis recordationis anteceſſori veſtro, & per eoſdem nuncios eidem domino Urbano ſummo Pontifici dediſſe literas aurea bulla bullatas recognitionis & acceptationis contentorum in reſcripto papali prædicto juxta ejuſdem tenorem; conſiderato etiam, nos nunc ex ejuſdem reſcripti ſupra inſerti ſerie inductos dilectum Franciſcum Romanum prædictum, & Raimundum de Pagaria militem ac illuſtris Elionoræ Reginæ Aragoniæ conſortis noſtræ chariſſimæ majordomum, conſiliarios noſtros & procuratores ſolemnes ad eadem juramentum, fidelitatem, vaſſallagium, & homagium veſtræ ſanctitati præſtanda & facienda conſtituiſſe cum publico ſcripto noſtro; providimus propterea, ſanctiſſime pater, has fieri literas bulla aurea noſtra bullatas, ſanctitati veſtræ per prædictos procuratores noſtros tradendas & dandas, prout fieri debere jam dicti ſuperius inſerti reſcripti apoſtolici tenor inducit.*

(b) *Ext. annal. to. 14. A. C. 1297. n.2. &c.*

Veteres pactiones inſtaurat.

*Per quas ſiquidem literas nunc ut ex tunc modos, conventiones, conditiones, tenores, & formas in ipſo papali reſcripto inſcriptos acceptamus expreſſe: & per quas etiam fatemur & recognoſcimus expreſſe, dictum Sardiniæ & Corſicæ regnum a domino ſummo Pontifice & Romana eccleſia recepiſſe in feudum ſub conditionibus, conventionibus, modo, forma, atque tenore, qui in dicto papali reſcripto continentur. Quos tenorem, modum, conditiones, & formam promittimus nos inviolabiliter ſervaturos: pro quorum obſervantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corſicæ, & jura & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis Conditor & Redemptor perſonam veſtram ad ſua ſervitia conſervare dignetur per tempora longiora. Datum Dertuſæ quintadecima januarii anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, regni noſtri trigeſimo ſexto.*

VI. Opprimentibus vero in Catalonia & Terraconenſi provincia regiis adminiſtris libertatem eccleſiaſticam, Petrum Regem Aragonum permovit Pontifex (c), ut male tentata revocaret: Ferdinandum pariter Regem Luſitaniæ admonuit (d), ut Bracharenſi archiepiſcopo liberum urbis imperium reſtitueret; denique Amedeum Sabaudiæ comitem, qui Genuenſem epiſcopum principatu Genuenſi exuere erat aggreſſus, corripuit, atque imperialia diplomata, quibus ad illius urbis dominatum annitebatur, veluti pugnantia cum æquitate tradere juſſit (e).

(c) *To. 1. ep. ſecr. p. 33.*
(d) *Ib. p. 12.*

Monitus Aragonius ne eccleſiaſticum jus opprimat. Et Luſitanus ut Bracharenſi archiep. urbis imperium reſtituat. Genuæ principatus ad epiſc. ſpectat.

(e) *Pag. 34.*

*Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ.*

*Nuper ſuper diſcordiis, quæ inter te & venerabilem fratrem noſtrum epiſcopum Gebennenſem & ſuam Gebennenſem eccleſiam, tunc erant, tanquam ejuſdem Romanæ eccleſiæ devotiſſimus filius obtuliſti, te ſuper prædictis facturum quicquid duxerimus ordinandum: Ideoque ſinceritatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus tuæ ſalutis intuitu, & etiam pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia, omnia per te ſeu gentes tuas imperialium conceſſionum prætextu, & etiam alia occupata, propter quæ Gebennenſis civitatis (jam diu eſt) ſuppoſita fuit & adhuc eſt eccleſiaſtico interdicto, eiſdem epiſcopo & ſuæ Gebennenſi eccleſiæ plene & libere reſtituas; ac imperiales literas, quas de hujuſmodi conceſſione diceris habere, nobis mittas, vel ipſi epi-*

De eo contendit Sabaudus cum epiſcopo.

Monitus, ut imperialia de eo privilegia tradat.



*ſcopo Gebennenſi tradas ſeu tradi facias ſine dilatione moroſa. Et inſuper contra recognitiones, declarationes, ſeu conventiones inter bonæ memoriæ Aimonem epiſcopum Gebennenſem & quondam Amedeum tunc comitem Sabaudiæ prædeceſſorem tuum ſuper juribus officii vicedominatus Gebennenſis aliquid non facias vel attentes, nec ab aliis fieri facias vel attentari permittas; ſed ea omnia firmiter obſerves, & ab aliis facias inviolabiliter obſervari. Dat. Avin. non. kal. maii anno primo.* Servit nunc, pulſo epiſcopo principe, miſera Geneva hæreticæ impietati; piumque Gallum Regem expectat, cujus patrocinio vindicata ab impoſtorum tyrannide ad verum Chriſti cultum, ejuſque vicarii Romani Pontificis obſequia revocetur.

VII. Ad liberandam præterea e Vicecomitum Mediolanenſium tyrannide [1] Italiam Gregorius Caroli Romanorum Imperatoris opem imploravit (a): rogavitque Ludovicum Ungariæ Regem (b), ut vires cum eccleſiaſticis, & marchionis Ateſtini copiis conjungeret; ac Bernabonis ambitionem expoſuit (c), qui univerſæ Italiæ jugum imponere moliebatur. At quamvis Gregorius ad tutandæ Etruriæ libertatem ſincere incumberet, adverſa tamen opinio ac ſuſpicio Florentinorum animis ſe infudit (d), ipſum de affectando Etruriæ principatu verſare conſilia, quam uti falſiſſimam repellere ſtuduit datis hiſce ad Senenſes literis (e);

In Bernabonem ſolicitatus Imperator. Et Ungariæ Rex.

(a) *Ead. to.1. ep. ſecr. p. 116.*
(b) *Ibid. p.319.*
(c) *Ibid. p.49. 65. 286. & an.1. ep. cur. 271.*

Conflata Pontifici calumnia de affectata Etruria.

(d) *To. 1. ep. ſecr. pag. 76. & 288.*
(e) *Ead. pag.76.*

Hanc diluit Gregorius.

*Defenſoribus & communi civitatis Senenſis.*

*Nuper ad noſtrum pervenit auditum, dilectos filios commune civitatis Florentiæ quandam ſuſpicionem concepiſſe, quod gentes eccleſiæ terras imperii occupare, & ſtatum civitatum Tuſciæ perturbare volebant. Veſtram itaque ſinceritatem nobis charam ſcire volumus, & ſatis poteſt eſſe omnibus notum, quod hujuſmodi ſuſpicio omnino falſa eſt, & nullum rationis habet fundamentum: indecens enim eſſet, quod inde ſequerentur injuriæ, unde jura naſcuntur; & illi de paternæ manu nocumenta ſentirent, qui per eam attolli gratia meruerint. Unde cum noſtræ intentionis nunquam fuerit, nec eſſe debeat, quod per gentes eccleſiæ ſtatus pacificus & tranquillus Tuſciæ perturbetur, nec terras imperii volumus recipere, qui noſtris terris eccleſiæ contenti ſumus; quinimmo partes Tuſciæ in ſtatu pacifico plenis & ſtudioſis affectibus cupimus conſervari. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis non. julii anno primo.* Ad evellendam eandem ſuſpicionem ex Lucenſium animis exaratæ etiam literæ (f). Concitata vero ea fuerat injuſte ab invidis, atque altius Florentinis inſedit, cum Peruſium ad Romanæ eccleſiæ obſequium revocatum Cardinalem Legatum intra mœnia admiſiſſet: facilius enim libertatem ſe tutaturos putabant Florentini, dum Peruſini, excuſſo pontificio jugo, paribus ſtudiis pro tuenda libertate conſentirent. Injuſte vero dolentibus addictam pontificiis obſequiis eam urbem Florentinis, Gregorius objecit (g), quam malam illi gratiam reponerent eccleſiæ, ſi ſua recuperanti inviderent, cujus ipſi armis hoſtibus amiſſa eripuiſſent: neque vero juſtam ſuſpicandi materiam ſuppeditatam, aliena propterea jura eccleſiam invaſuram, ſi ſua receperit.

(f) *Ib. p. 280.*

Peruſium ab eccleſia recuperatum.

Ægre id ferunt Florentini.

(g) *Pag. 61.*

Expoſita cauſæ pontificiæ æquitas.

Ex diſſenſionibus vero occidentalium exercendæ libere ſævitiæ occaſionem nacti Turcæ innumeris cladibus orientem afflixere: quibus permotus Pontifex Chriſtianos principes ſolicitavit, ut poſitis mutuis odiis, arma in Turcas ſtringerent. Scriptæ ſunt eo argumento ad Buſiorum principem bello peritiſſimum, qui apud Eduardum Regem Angliæ plurimum gratia poterat, ut ipſum ad ſacram expeditionem incitaret.

*Joanni Capitali de Bucch.*

VIII. *Clamant ad Chriſti vicarium, Chriſtianos quoque principes & alios nobiles partes orientis gravibus ſubjectæ periculis, & quaſi totali objectæ diſcrimini: clamat etiam terra ſancta per immundiſſimos Saracenos occupata violenter ab olim detenta viliter, & ipſorum viliſſima contrectatione polluta; ab eis ſua vulnera detegunt, ab ipſis opem medicantis deſiderabiliter expectando. Sane nuper, dum ea, quæ de ſtatu miſerabili partium earundem per diverſos nuncios & literas intelleximus, dum etiam illa, quæ dilecti filii ambaxiatores communis civitatis Januenſis, propter hoc ad nos ſpecialiter deſtinati, de hujuſmodi ſtatu miſero dictarum partium nobis retulerunt, audivimus, acerbi doloris aculeo fuimus in intimis ſauciati. Habebat enim eorum aſſertio, quod Turchi & alii Chriſti crucis inimici, in grandi multitudine congregati, hujuſmodi partes orientis gravibus guerrarum turbinibus affligunt, devaſtant, & conſumunt ad abolendum de partibus illis Chri-*

Turcicæ graſſationes ingraveſcunt.



NOTÆ [1] Eccleſiæ regimini admotus Gregorius Vicecomites fratres adverſari ſibi, ſicut & majoribus ſuis omnibus ſenſit. Quare auxilia ſibi procuranda a Carolo imperatore & rege Hungariæ cenſuit. Cum tamen deeſſe illos intelligeret, tandem pacem utcumque inire cum Vicecomitibus opportunum duxit. Ita enim ſcribit Annaliſta Mediolanenſis, vulgatus rer. Italic. to. XVI. die XVI. Novembris: *præconizata fuit pax inter SS. Dom. N. & ejus colligatos, præfatum Dominum Bernabonem, & ejus colligatos ex altera.* Anonymus iſte opus ſuum definit cum an. 1402. ideoque pax cujus hic meminit, certa reputari poteſt, quamquam ab aliis omnibus ſiletur. MANSI

*ſtianum nomen & cultum; immo ad omnino exterminandum exinde modicum Chriſtianitatis ardenti deſiderio affectantes: & quod, niſi eorundem impiorum potentiæ & malitiæ per Chriſti fideles in proximo martii paſſagio potenter reſiſtatur, vix in partibus illis reperiri poterit, qui invocet nomen Chriſti: & timetur veriſimiliter,*

Minantur Italiæ exitium.

*immo a pluribus pro firmo tenetur, quod prædicti Turchi & alii infideles ad invadendum Siciliam, & per conſequens alias Chriſtianorum terras ſe præparant: propter quod præfati Januenſes, diris partium prædictarum tribulationibus intima cordis compaſſione condolentes, & volentes eas cum aliorum Chriſti fidelium auxilio opportunæ ſubventionis remedio conſolari, bonis & perſonis propriis non parcentes, ad transfretandum in hujuſmodi proximo martii paſſagio magnum apparatum faciunt galearum: ſed non credunt in præmiſſis aliquatenus poſſe reſiſtere, niſi per alios fideles adjuventur. O quam acerba nobis eſt horum memoria: quam amara conſideratio hæc & alia tam grandia fidelium diſcrimina reputans! Dum enim hæc anxia mente revolvimus, dum conſideratione ſolicita meditamur, zelus noſter velut ignis accenditur, erumpunt lachrymæ conceptæ amaritudinis indices, nec ſuſpiria continemus, pro eo maxime, quia circa promptitudinem accelerandi in tanto ſuccurſu noſtrorum immenſitati votorum nequaquam, prout vellemus, poſſibilitatis menſura concurrit, impedientibus variis ciſmarinarum partium turbationibus; & præſertim gravi diſcordia, quam inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Eduardum Angliæ & Carolum Francorum Reges illuſtres pacis æmulus invidus charitatis, jamdiu eſt, ſuſcitavit: pro qua ſedanda duos ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, videlicet Simonem tit. S. Sixti, & Joannem tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteros Cardinales Apoſtolicæ ſedis nuntios ad ipſos Reges duximus deſtinandos.*

*Ne igitur, dilectiſſime fili, partes orientis irreparabiliter corruant, & irrecuperabiliter in manus incidant immanium barbarorum, ad pietatem tuam duximus recurrendum;*

Anglus ad vertenda in Turcos arma excitatus.

*eam rogantes & obſecrantes in domino Jeſu Chriſto, ac in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus præmiſſa pia, qua decet, meditatione conſiderans, eundem Regem Angliæ, ac etiam dilectos filios Joannem ducem Lancaſtriæ, & Edmundum comitem Cantabrigiæ ipſius Regis Angliæ filios, quibus ſuper hoc ſcribimus, ad bonum & perpetuam pacem & concordiam cum dicto Rege Francorum faciendam, & ad providendum de aliquali ſuccurſu, prout eis videbitur, in hujuſmodi proximo paſſagio, cum pro transfretare volentibus per dictos Januenſes quampluria navigia præparentur, inducas; ita quod tantis malis breviter obvietur, & dante Domino, qui pacis eſt author, hujuſmodi pacem factam eiſdem partibus orientalibus celeriter ſuccurratur; nos enim quamplures principes & magnates pro ſuccurſu celeri requirimus, eis ſuper hoc efficaciter ſcribendo. Quidquid autem magnificentiæ tuæ videbitur in præmiſſis nobis reſcribere quantocius non poſtponas. Dat. apud Villamnovam Avenionenſis diœceſis kal. auguſti anno* I.

Alii principes ad arma ſacra ſolicitati.

(a) Ib. poſt eand. ep.

Solicitati pariter (a) Andreas Contarenus dux Venetorum & Ludovicus Flandriæ comes, ut arma in infideles expedirent. Sed eæ voces irritæ cecidere: direque effundentibus Chriſtianum cruorem occidentalibus, Turcæ Amurate duce rapidiſſimis victoriis incendii inſtar ampliſſimas provincias in Europa populati tyrannidem protulerunt.

IX.

Præerat tum Smyrnæ Petrus Racchanellus nobilis Genuenſis, e qua præfectura cum diſcedere moliretur, Pontifex ſolicitus ne Smyrna Chriſtianæ fidei in Aſia munitiſſimum propugnaculum in Turcarum recideret poteſtatem, Raimundo Berengario Rhodiorum equitum magiſtro provinciam dedit (b), ut ſtrenuum ducem belloque exercitatum illi imponeret. Eumdemque magiſtrum Cyprii regni cuſtodiæ præfecit: eaque de cauſa ipſum ſedis Apoſtolicæ internuntii in illa inſula munere ac dignitate ornavit (c), cum Petrus Rex Cypri gerendis rebus impar eſſet; ea tamen lege, ut publicam rem e Reginæ Eleonoræ Petri Aragoniæ regiæ principis Minoritæ Cyprii Regis materni avi, Joannis, & Jacobi e Liſiniano patruorum conſilio adminiſtraret. Adoleſcentem vero ad magnas ſpes, cum in primævo adoleſcentiæ flore regiarum virtutum ſigna egregia præferret, Gregorius hiſce præceptis erudivit (d).

(b) Eod. to. I. ep. ſecr. pag. 300.

Rhodiorum equitum magiſter adminiſtrandæ Cypro præfectus.

(c) Ib. p. 187.

(d) Eod. to. I. ep. ſecr. pag. 20.

*Petro Regi Cypri illuſtri.*

Cyprius Rex ſalubribus præceptis imbutus.

*Lætificant mentem noſtram, fili chariſſime, tuæ juventutis primitiæ, cum audimus, quod diſtributor ille magnificus Filius Dei Jeſus Chriſtus, qui dat omnibus ſine improperio, affluenter tibi, adhuc juveniles annos habenti, ſpiritum provectioris infudit ætatis: ipſe adhuc tenello corpori tuo robuſtiorem ſpiritum inſpiravit, ipſe tuum circa beneplacita ſua dirigit animum, firmat cor, roborat mentem; ita ut ſapientum dicta quamplurimum audire deſideras, ea tenaci memoriæ commendando. In his igitur tuis laudabilibus principiis grato tibi congratulantes applauſu, ſerenitatem tuam rogandam duximus & hortandam, quatenus progenitorum tuorum ſequens veſtigia, & Regis te filium, ſicut conſtat origine, moribus oſtendens, bene cœpta pervigili cura continuans, ubicumque poteris tamquam pugil Chriſti, cultum ejus, repreſſis crucis hoſtibus, ſtudeas propagare; ut & in tuis proceſſibus Dei lætifices civitatem, & ab omni retributore bonorum beatitudinis æternæ præmium conſequaris.*



*Et quia penes matrem fidelium fidei reſidet magiſterium, & eccleſiæ fideique negocia adeo ſunt connexa, quod neutrum ſine altero poteſt legitime promoveri: eamdem ſerenitatem tuam attente rogamus, quatenus eccleſias & perſonas eccleſiaſticas ſemper habeas in honore, & ſic in devotione hujuſmodi tuam ſolides juventutem, ut cum ætatis provectioris fueris, & curis majoribus occupatus, portes aſſueta ſuavius & in tantis actibus magis ac magis quotidie delecteris. Nos enim perſonam tuam ſincere brachiis dilectionis amplectimur, tuum & tuorum in Domino deſiderantes profectum quia te credimus ad magna & Deo placentia reſervari. Dat. Avin. kal. martii anno* I. Corrigendi vero ſunt ex aſcripta ſuperioribus literis die ii hiſtorici, qui patratam Petri ſenioris cædem ſequenti anno collocant.

X.

Adſcripti ſunt hoc anno a Gregorio plures Cardinalium collegio, quorum poſtea plerique perniciofiſſimum ſchiſma una cum collegis in eccleſia conflarunt. Cæterum enumerat novos Cardinales Gregorii vitæ ſcriptor (a) hiſce verbis: *Die ſexta, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum poſt pentecoſtem, dictus Gregorius Papa fecit ordinationem duodecim novorum Cardinalium, videlicet octo presbyterorum & quatuor diaconorum. Presbyteri autem fuerunt dominus Petrus Gomecii Hiſpanus, tunc epiſcopus Hiſpalenſis: dominus Joannes de Groſſo diœceſis Lemovicenſis conſanguineus ipſius Papæ in tertio gradu: dominus Bertrandus de * Coſnaco diœceſis Lemovicenſis canonicus regularis ordinis S. Auguſtini, tunc epiſcopus Convenarum: dominus frater Bertrandus * Latigri Alvernigena ordinis Minorum, tunc epiſcopus * Glandatenſis: dominus Robertus de Gebennis frater comitis Gebennenſis, tunc epiſcopus Cameracenſis.* Hic poſtea plurimo Chriſtiano cruore, quem in bellis fuderat, delibutus cathedram peſtilentiæ aſcendit, & ſchiſma in Dei eccleſia Clementis VII. accepto nomine conflavit. Pergit auctor alios Cardinales recenſere: *Dominus Guillermus de Caubaco diœceſis Lemovicenſis monachus ordinis S. Benedicti, tunc epiſcopus Mimatenſis: dominus Joannes * Sabri diœceſis Lemovicenſis, tunc epiſcopus Tutellenſis conſanguineus germanus ipſius Papæ; & dominus Joannes de Turre in Alvernia, tunc abbas monaſterii S. Benedicti Floriacenſis. Diaconi vero fuerunt dominus Jacobus de Urſinis Romanus, tunc ſedis Apoſtolicæ notarius: dominus Petrus Flandrini diœceſis Vivarienſis, tunc decanus Bajocenſis: dominus Guillermus Noelleti diœceſis Engoliſmenſis, tunc archidiaconus Carnotenſis; & dominus Petrus * de Vernbio diœceſis Tutellenſis archidiaconus Rothomagenſis: & iſti tres ultimi erant etiam auditores ſacri palatii, & dicti Gregorii Papæ referendarii.* Quibus conſentit Felix Contelorius (b) in ſuo elencho. Cum ex iis Bertrandus epiſcopus Convenarum in Hiſpanica legatione occupatus eſſet, nec galerum rubrum e manu Pontificis veteri inſtituto poſſet accipere, Gregorius conciliandi apud Hiſpanos ſplendoris ſtudio, illum ei tranſmiſit (c).

(a) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

Auctum a Greg. Cardinalium collegium.

* al. Canaco

* al. Augerii

* Glandacenſis

* al. Fabri

* al. Vernheio

(b) Contel. in elench. Cardd.

(c) To. I. ep. ſecr. pag. 243.

Exorti in Hiſp. errores circa Euchariſtiam.

Diſſeminabant tum in Hiſpaniis nonnulli novos errores circa Euchariſtiam tuendæ Chriſti majeſtatis ſpecie; dedignabantur enim fateri, Chriſtum ſub ſpeciebus ſacris in loco immundo veluti in ventre hominis, aut muris ore, aut luto remanere: cum potius Corpus Chriſti donatum jam immortalitate ſuſcipiendæ ullius ſpurcitiæ, aut damni contrahendi immune divinitatis inſtar quæ in ipſa ſpurcitiei colluvie inquinari non poteſt, fateri debuiſſent. Ad quorum reprimendas argutias delegati Cardinales ſubjectas literas ediderunt (d).

(d) Ext. apud Eym. I. p. direct. inquiſit. p. 45.

*Miſeratione divina Petrus S. Euſtachii, & Guillermus S. Angeli diaconi Cardinales reverendis patribus Tarraconenſis & Cæſarauguſtanæ provinciarum archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis, necnon inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, a ſede Apoſtolica in ipſis provinciis deputatis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.*

*Relatione religioſi fratris Nicolai Eymerici magiſtri in theologia, ac in dictis provinciis hæreticæ pravitatis inquiſitoris, ad audientiam domini noſtri Papæ nuper pervenit, quod tam in veſtris, quam in ſuffraganeorum veſtrorum eccleſiis palam & publice per certos religioſos prædicati fuerunt tres articuli ſubſequentes in effectu.*

Certis in caſibus remanentibus ſpeciebus, Corpus Chriſti deſinere confictum.

*Primus quod ſi hoſtia conſecrata cadat, ſeu projiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quod ſpeciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinit Corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis. Secundus quod ſi hoſtia conſecrata a mure corrodatur, ſeu a bruto ſumatur, quod remanentibus dictis ſpeciebus, ſub eis deſinit eſſe Corpus Chriſti & redit ſubſtantia panis. Tertius quod ſi hoſtia conſecrata a juſto vel a peccatore ſumatur, quod dum ſpecies dentibus teritur, Chriſtus ad cælum rapitur, & in ventrem hominis non trajicitur.*

*Supplicato igitur per ipſum inquiſitorem eidem domino noſtro Papæ ſuper hujuſmodi articulis, ex quorum prædicatione poſſent ſcandala ſuſcitari, ſalubriter provideri; idem dominus noſter Papa nobis ibidem præſentibus vivæ vocis oraculo expreſſe commiſit, quatenus authoritate ſua apoſtolica vobis mandaremus, ut omnis moræ ſublato diſpendio in dictis veſtris provinciis ſub pœna excommunicationis inhibeatis, ne quis deinceps dictos articulos publice præſumat præ-*

In hos animadverti juſſum.

*prædicare. Nos igitur Petrus & Guillermus Cardinales prædicti, hujuſmodi mandatum apoſtolicum cupientes exequi, ut tenemur, vobis & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ne abinde in antea dictos articulos, ſeu eorum alterum ſub eiſdem vel aliis verbis idem ſonantibus in ſubſtantia, ſeu in effectu in veſtris eccleſiis vel alibi palam ſeu publice prædicari a quoquam permittatis; & hoc ſub pœna excommunicationis, qua contrarium facientes innodetis ipſo facto: notificantes vobis nihilominus ſimili mandato, per ipſum dominum noſtrum Papam nobis facto, quod idem dominus noſter Papa fratri Joanni de Latone ordinis fratrum Minorum, qui aliquos de dictis articulis in veſtris eccleſiis frequenter recitando prædicaverat, inhiberi fecit ſub pœna excommunicationis, ne dictos articulos de cætero publice prædicare præſumat. In quorum omnium teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus duximus imponenda. Dat. apud Villamnovam Avinion. diœceſis die VIII. menſis auguſti anno Domini MCCCLXXI. indictione IX. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris domini domini noſtri Gregorii, divina providentia Papæ XI. anno I.*

Profe-



I. PRoferendæ latius ditionis, iraſque in eccleſiæ fœderatos, præcipue Nicolaum marchionem Ateſtinum Ferrariæ pontificio, Mutinæque imperiali nomine præfectum, exercendi conſilia Bernabos Vicecomes, violato inſigni perfidia fœdere, quod cum Urbano & ſociis percuſſerat, aperto bello patefecit anno humanæ ſalutis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo indictione decima, reique Chriſtianæ maxima mala invexit, dum Romanum Pontificem funeſto implicuit bello, ut eccleſiaſtico imperio adverſus illius tyrannidem tutando intentus, Palæologo Græcorum Imperatori ad ſedis Apoſtolicæ obſequium reverſo neceſſaria auxilia ad reprimendos Turcarum progreſſus ſubmittere non potuerit: expedivit itaque in tyrannum arma legeſque Gregorius, atque hæc judiciaria edicta a præſulibus divulgari juſſit (a).

De Bernabonis tyrannide.

(a) Tom. 4 papyraceo p. 62.

*Gregorius &c. Joanni patriarchæ Alexandrino A. S. N. ac univerſis & ſingulis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis per Alemanniam conſtitutis.*

Ut imperii terras invalerit.

*In Alemannia aliiſque partibus fore credimus manifeſtum, quod iniquitatis filius Bernabos de Vicecomitibus miles Mediolanenſis, multarum civitatum & terrarum imperii tyrannicus occupator & depopulator ſæviſſimus, ac reipublicæ deſtructor, aſſiduus derogator imperialis honoris & etiam poteſtatis, impiuſque tyrannus jam longis tranſactis temporibus ſacroſanctam Romanam eccleſiam matrem cunctorum fidelium (a cujus gremio ſe per impietatis opera damnabiliter ſegregavit) eiſque ſubditos & terras, quas occupare & interdum detinere ſuperba temeritate præſumpſit hactenus & præſumit, multis injuriis graviſſimiſque offenſis nunc publica hoſtilitate, nunc occultis tractatibus, nuncque ſubmittendo in terras eaſdem crudeles ſocietates gentium armatarum, illaſque faciendo immaniter devaſtari, & innumeris incendiis, prædiis, & rapinis, homicidiis aliiſque ſceleribus perpetratis in eis, afficere non expavit. Et licet Apoſtolicæ ſedis clementia, ſperans veram converſionem Bernabonis ejuſdem, quam doloſis labiis prætendebat, cum ad ſuam concordiam & reconciliationem pluries receperit gratioſe; ipſe tamen benignitate dictæ ſedis abutens, & pro clementia offenſam retribuens, hujuſmodi concordiam frangere, & contra ſua promiſſa infideliter venire non erubuit, nec etiam formidavit: dudumque Ferrarienſis, & nuper Bononienſis civitatum noſtrarum & dictæ eccleſiæ territoria plures fecit invadi, ac in eis ſubditos ipſius eccleſiæ capi, vulnerari, immaniterque occidi, incendia committi, ac animalia in prædam abduci, aliaſque injurias & offenſas eidem eccleſiæ & ſuis ſubditis irrogari. Nonnullas quoque perſonas eccleſiaſticas in civitatibus & terris eiſdem, quas detinet, fecit propria temeritate capi, carcerari, torqueri, crudeliterque occidi; ac nonnulla caſtra, terras, bona, nec non jura & juriſdictiones nonnullarum eccleſiarum & monaſteriorum aliorumque piorum locorum occupavit diutius, & detinet damnabiliter occupata. Epiſcopos quoque ac abbates aliosque prælatos & perſonas eccleſiaſticas, eorumque eccleſias, monaſteria, & alia pia loca, ſub ejus tyrannide conſiſtentia, jugibus & intolerabilibus exactionibus pecuniarum, aliorumque bonorum impie & indevote gravavit hactenus & gravare præſumit.*

Variis dolis Rom. eccleſiam divexarit.

Bononienſem & Ferrarienſem agros evaſtarit.

Eccleſiaſticos ſuppliciis inique affecerit.

Sacerdotales cenſus expilarit.

II. *Et licet in qualibet ſua reconciliatione promiſerit, ab hujuſmodi occupationibus, & detentionibus bonorum, & juriſdictionum eccleſiaſticorum, ac exactionibus & gravaminibus eccleſiarum, monaſteriorum, aliorumque piorum locorum ex tunc abſtinere, & libertatem eccleſiaſticam conſervare; hæc non ſolum non implevit, ſed in iis & aliis deteriora non eſt veritus perpetrare; propter quæ ſeu nonnulla ex eis ipſum Bernabonem in omnes pœnas & ſententias excommunicationum, & privationum omnium & ſingulorum privilegiorum, indulgentiarum, gratiarum, & immunitatum realium & perſonalium, per eandem Romanam & alias eccleſias conceſſorum eidem; nec non omnium feudorum, bonorum, officiorum, jurium, & juriſdictionum, quæ ab ipſis Romana & aliis quibuſvis eccleſiis, nec non imperio & quibuſcum dominis obtinebat, ac inhabilitatis aliaſque pœnas & ſententias, quas vigore diverſorum proceſſuum Apoſtolicorum & alias incurrerat, non eſt dubium recidiſſe.* Pluribus de Galeatio interjectis, ut jus eccleſiaſticum proterat, Joannem Aſtenſem epiſcopum in vinculis teneat, cum Bernabone fœdus adverſus Cæſarem junxerit; mandat Pontifex incuſſo graviſſimarum pœnarum terrore, ne quis Bernabonem & Galeatium opera, conſilio, armis, commeatu, ſtipendiis juvare audeat: ſubditoſque ipſis ſacramento fidei aſtrictos religione omni liberat, ſequaces illorum anathemate, interdicto, munerumque ac dignitatum jactura percellit: inita cum eis fœdera diſſolvit, præſules omnes ad evertendam eorum tyrannidem conſurgere jubet, conceſſas olim ipſis prærogativas convellit. *Dat. apud Villamnovam Avenionenſis diœceſis VII. kal. auguſti anno II.* Collatis antea ad Herberiam ſignis cum Nicolao marchione Ateſtino vi-

Pontificias cenſuras contraxerit.

cto.

(a) *Pigna de Ateſt. march. l.* 5.

Bernabos ad Herberiam victor.

(b) *To.*2. *ep. ſecr. p.* 104.

(c) *Ib. p.* 41.

ctoriam cruentam Bernabonem retuliſſe, [1] refert Pigna (*a*): ne tamen Mutinæ caſtra admoveret, a Petro Card. Bituricenſi A. S. L. & Nicolao ipſo prohibitum; deinde iras in Bononienſes, quorum agri evaſtati, effudiſſe (*b*). Commiſſam pugnam die junii ſecunda, oſtendunt Gregorii literæ ad eundem Nicolaum marchionem conſolatoriæ datæ (*c*).

*Dilecto filio nobili viro Nicolao marchioni Eſtenſi noſtro & pro Romana eccleſia in civitate Ferrarienſi vicario, ſalutem &c.*

*Recepimus heri literas tuas datas Ferrariæ die tertio junii, continentes conflictum, quem gentes Romanæ eccleſiæ atque tuæ receperant die proxima præcedenti. Licet igitur de hoc merito doleamus, ſcimus tamen, quod agentes vel patientes bella de proſperis eventibus non ſunt certi, ſed nunc proſpera nunc adverſa recipiunt, ſecundum quod diſponit exercituum Dominus, qui ſæpe & ſuos caſtigando verberat, & a ſe alienos paulis per extollit, ut eos præcipitantius dejiciat in profundum. Et ſic in iſto caſu in gratia Dei & juſtitia dictæ eccleſiæ credimus & ſperamus confortamurque in Domino, quod tandem ſuam juvabit eccleſiam, & eam ſuper hoſtes ſuos iniquos faciet prævalere, &c. Datum Avin.* XI. *kalend. julii anno* II.

(d) *Ib. p.* 276. & 277.

Oppugnata Eccleſia de quibuſvis triumphat.

Illata Bernaboni clades.

(e) *Pigna de Marchion Ateſt. l.* 5. & *Greg. to.*2. *ep. ſecr. p.* 97.

Eadem divinæ opis ſpe fretus, Peruſinos fecit certiores (*d*), ſe ad inſtaurandas vires alacrius incubiturum: *Sperantes*, inquit, *quod Salvator noſter Dei Filius Jeſus Chriſtus ſacroſanctam eccleſiam ſponſam ſuam adverſus tyrannos impios & truculentiſſimos prævalere concedet, qui eam fecit de magnis Imperatoribus, Regibus, ac principibus eidem adverſantibus diverſis temporibus triumphare, eandemque ſemper in altiori ſolio & potentia collocavit*. Nec Gregorium ſuæ ſpes fefellerunt, ſecundi enim ſucceſſus adverſos excepere: verſaque (*e*) pontificia & fœderatorum arma in Parmenſem & Placentinum agros, ac multa hoſti loca erepta.

Ferrariæ præfectura Ateſtinis ad vitam conceſſa.

Hoc anno tradita eſt a Gregorio Ferrarienſis præfectura Nicolao & Alberto marchionibus Ateſtinis in ſecuturos omnes ipſorum vitæ annos, cum antea tantum ad decem vel novem præfectura ipſa ab aliis Romanis Pontificibus, ſuperſtite aliqua revocandæ ad eccleſiam illius ditionis ſpe, concederetur: literæ enim Gregorii ad Petrum Card. ita ferunt: *Ad vitam eorum & cujuſlibet ipſorum ſub certis recognitionibus, obligationibus, promiſſionibus, oblationibus forma, modis, pactis, conditionibus, & juramentis de fratrum noſtrum conſilio duximus concedenda*. Profeſſi vero ſunt Ateſtinorum principum oratores (*f*) Bononiæ coram legato Cardinale, Ferrariam juris eſſe eccleſiaſtici, atque ad pendenda in annos ſingulos decem aureorum millia publicis hiſce documentis ſe obſtrinxere. *In Chriſti nomine. Amen. Anno ejuſdem nativitatis MCCCLXXII. indictione* x. *tempore ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Gregorii, divina providentia Papæ XI. die* XV. *menſis maii, &c.* Exponitur Bichinum e Marano Parmenſem militem, inſtructum auctoritate a Nicolao & Alberto marchionibus Ateſtinis Obizonis olim filiis ad paciſcendum cum Petro tit. S. Mariæ trans Tyberim presbyt. Cardinale, Ferrariam pontificiæ liberalitati acceptum retuliſſe: *Præfato*, inquiunt acta, *domino Cardinali commiſſario ut ſupra præſenti, ſtipulanti, & recipienti nomine & vice præfati domini noſtri Papæ, ſuorum ſucceſſorum, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ procuratorio nomine dictorum dominorum marchionum & cujuſlibet eorum ſponte recognovit & confeſſus fuit, quod merum & mixtum imperium, & juriſdictio omnimoda temporalis, ac plenum dominium civitatis Ferrariæ & ejus comitatus, diœceſis, territorii, & diſtrictus cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ab antiquo pertinuerunt & nunc pertinent ad dictum dominum noſtrum Papam, & ad ſanctam Romanam eccleſiam: & quod iidem domini marchiones in juriſdictione, poteſtate, mero & mixto imperio ſeu dominio prælibatis aliquod jus non habent. Nec non promiſit idem dominus Bichinus dictis nominibus eidem domino Cardinali commiſſario, ut ſupra præſenti & ſtipulanti & recipienti nomine & vice præfati domini noſtri Papæ & ſuorum ſucceſſorum, ac S. R. E. ipſos dominos marchiones & quemlibet eorum in ſoli-*

(f) *Ext. ea de re tabulæ in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to.* 3. *pag.* 272. & *lib. priv. Rom. eccl. to.*1. *pag.* 218.

NOTÆ [1] QUamquam Vicecomites, die ab Annaliſta indicata, inſignem victoriam de copiis Eccleſiæ & fœderatorum reportarunt; adhuc tamen a rege Galliarum rogatus Bernabos inducias ad menſes ſex obtulit. Sed pontifex metum ineſſe hoſti ratus, bello inſtitit. Tunc Mediolanenſium copiæ in agrum Bononienſem inductæ, & ad mœnia civitatis propius nullo obſiſtente, ſucceſſerunt. Ea expeditio ingenti pernicie Bononienſes affecit, nam præterquam ad tria millia capti ſunt, damnum illatum ad centum millia florenorum æſtimatum eſt. Hæc omnia accepi ex F. Petro de Gazata Regienſi, per hos annos chronicon patriæ ſuæ, vulgatum rer. Ital. to. XVIII. ſcribente, qui duo pariter edicta Vicecomitum recitat, quorum altero, ſignato die XI. Octobris anni hujus, cavetur, ne quis Regienſis inconſulta Regina uxore Bernabonis eccleſiaſtica beneficia conferat, præſentet &c. Altero vero, dato die II. Decembris, tranſitus per loca illa negatur Gallis omnibus, tum & clericis quibuſque exteris, *Ulramontanis & Italis*. Edicta hæc, præſertim quæ de collectione beneficiorum eccleſiaſticorum tulit Bernabos, Gregorius anno ſequenti damnavit, ac reprobavit literis ab Annaliſta ad eumdem annum num. 10. recitatis. MANSI



Imperatus decem millium aureorum cenſus.

Impoſitum militare vectigal.

*ſolidum, & ſe eorum & cujuſlibet eorum nominibus efficaciter obligando, dare & ſolvere eidem ſanctiſſimo patri & domino noſtro & ſucceſſoribus ſuis & eccleſiæ prælibatæ annis ſingulis toto tempore præſentis vicariatus decem millia florenorum auri, &c.* Obſtrinxere ſe præterea ad centum equites ſtipendiis ſuis ſeptuaginta milliarium circumjecto ſpatio in eccleſiæ obſequium ſuſtentandos.

IV. Exactum a vectigalibus ſedis Apoſt. Regibus ſacramentum.

Exegit Gregorius prædeceſſorum Pontificum more a Regibus ſedis Apoſtolicæ vectigalibus, Siciliæ nimirum, Trinacriæ ac Sardiniæ & Corſicæ, fidei ſacramentum: de quibus ſancitum fuerat, ut novo Pontifice ſedem Apoſtolicam conſcendente, ſolemni ritu clientelæ pontificiæ ſe ſubiicerent, eccleſiæque beneficio ſceptrum ſe accepiſſe profiterentur. Utque in primis de Joanna Regina Siciliæ dicamus; obſtricta erat ipſa ex initis cum Carolo I. pactionibus, ut excurrente primo Pontificum a ſuſceptis eccleſiæ gubernaculis anno, ſi in Italia non verſarentur, ad ſedem Apoſtolicam pro addicenda pontificiis obſequiis fide ſe conferret; ni tamen Pontifex legato apoſtolico provinciam adigendæ illius ſacramento in regno daret. Cum vero haud facile Joanna exire Italia poſſet, ne quos motus illius abſentia concitaret, Gregorius Bernardo archiepiſcopo Neapolitano partes ſuperiori anno impoſuerat, ut Reginæ Siculam coronam apoſtolicæ liberalitati acceptam referentis ſacramentum admitteret: quæ res in Neapolitana eccleſia ineunte hoc anno quarta januarii die ſolemni ritu peracta, ut publica monumenta teſtantur (*a*), quæ cum aliis a nobis allatis (*b*) conſentiunt. Ex iis vero hæc tantummodo delibanda viſa ſunt.

Regina Sicil. illud Neapolit. archiepiſcopo præſtare juſſa.

(a) *Ext. in arce S. Angeli & lib. priv. Rom. eccl. to.*3. *pag.* 188. & *inter coll. Platinæ to* 3. *pag.* 216. & *in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n.*12. *p.*149. & 366. *Bar. to.*11. *A. C.* 1097. *n.*113.

(b) *A. C.* 1344. *n.* 22. &c. *uſque ad n.*28.

Quis ritus in eo nuncupando ſervatus.

Ejuſdem formula.

*Literis apoſtolicis*, nimirum Gregorii exaratis id. maii pont. anno 1. quibus inſtauratæ veteres pactiones cum Carolo I. initæ, *lectis in præſentia ipſius dominæ Reginæ, & eidem vulgarizatis ſic & taliter, quod ipſa domina Regina dixit & aſſeruit ipſarum literarum tenorem & continentiam plene intellexiſſe, & de contentis in eis plenam notitiam habuiſſe; ipſa Regina, volens ipſi domino archiepiſcopo commiſſario nomine & pro parte ſedis Apoſtolicæ ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ (prout in ipſis literis apoſtolicis continebatur) ligium homagium, & vaſſallagium, ac fidelitatis juramentum præſtare, ſurrexit de loco, ubi ſedebat, dum prædictæ literæ apoſtolicæ legerentur, & venit ad præſentiam ipſius domini archiepiſcopi commiſſarii apoſtolici: quæ, flexis genibus & manibus comploſis, ipſas tenens inter manus ipſius domini archiepiſcopi, eidem domino archiepiſcopo nomine & pro parte ſedis Apoſtolicæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ligium homagium, & vaſſallagium, ac fidelitatis juramentum fecit & præſtitit, dicens: Ego Joanna, Dei gratia Regina Jeruſalem & Siciliæ, facio & præſto ligium homagium, & vaſſallagium vobis domino Bernardo archiepiſcopo Neapolitano recipienti nomine eccleſiæ Romanæ, prout in eiſdem literis apoſtolicis continetur. Quibus homagio ligio, & vaſſallagio per ipſam dominam Reginam præſtitis, eadem domina Regina ſuper librum evangeliorum apertum tenens manus, juravit in manibus ipſius domini archiepiſcopi nomine & pro parte ſedis Apoſtolicæ ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ore ſuo præſtitit juramentum fidelitatis, quod ſequitur.*

*Ego Joanna, Dei gratia, Regina Jeruſalem & Siciliæ, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & domino meo domino Gregorio Papæ, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, ſanctæque Romanæ eccleſiæ. Non ero in conſilio aut conſenſu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri ſunt per ipſos aut ipſorum nuncios ſive per literas, ad eorum damnum nemini pandam: & ſi ſcivere fieri vel procurari ſive tractari aliquid, quod ſit in eorum damnum, illud pro poſſe impediam; & ſi impedire non poſſem, illud ipſis ſignificare curabo. Papatum Romanum & regalia beati Petri, tam in regno Siciliæ & terris citra pharum quam alibi exiſtentia, adjutrix eiſdem ero ad retinendum & defendendum ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem.*

*Univerſas & ſingulas conditiones contentas in præſenti inſtrumento ſeu literis, ac omnia quæcumque alia & ſingula, quæ continentur in inſtrumento ſeu literis bonæ memoriæ dominorum Anibaldi tit. baſilicæ* XII. *Apoſtolorum presbyteri, Ricardi S. Angeli, Joannis S. Nicolai in carcere Tulliano & Jacobi S. Mariæ in Coſmedin diaconorum Cardinalium, ſuper ipſorum regni & terræ conceſſione facta domino Carolo confectis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa; exceptis duobus capitulis in dictis literis apoſtolicis, prout jurari mandantur & ſcribuntur. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.* De iis a regio tabellario Gregorio perlatis, ut pontificii tabularii ſcrinio ſanctiori inferrentur, extat pontificium diploma (*c*) II. kal. maij pontificatus anno II. conſignatum.

(c) *An.*2. *ep. com.* 235. & *ep. cur.* 205.

V. Pax inter Joannam Neap. & Trinacrium inita.

Hoc eodem anno conſtituta eſt pax, imperante illius leges Pontifice ſupremo Neapolitani Trinacriique regnorum principe; inter Joannam Reginam Siciliæ & Fridericum Aragoniæ ſtirpis principem, qui in Trinacria tranſmiſſo a majoribus vitio rerum potiebatur: interpretes hujus concordiæ plurium annorum flexu antea agi-

agitatæ extiterunt ſacerdotes Minoritæ, (a) qui a ſacris confeſſionibus iiſdem Regi ac Reginæ erant. Pactiones (b) vero præcipue his verbis conceptæ erant (c).

(a) Vuading. in annal. hoc ann. n.8. (b) Bar. to.12. an. 1097. n. 110. Surit l.10. c.15. (c) Ext. apud Greg. an. 2. ep. cur. 205. in arce S. Ang. & in lib. priv. Rom. eccl. to. 2. p.360. & inter collect. Plat. to.3. p. 232.

*Capitula pacis inita, jurata, & firmata inter ill. dominam Joannam Reginam Jeruſalem & Siciliæ ex parte una, & magiſtrum Ubertinum de Coriliono ordinis Minorum procuratorem & ambaſciatorem ill. domini Regis Trinacriæ ex parte altera, olim tractata & ordinata, & jurata & firmata inter dictam dominam Reginam ex una parte, & Petrum de Mauro, ac judicem Bartholomæum de Papaleone de Meſſana procuratores ut ſupra tunc dicti domini Regis ex parte altera, ſunt hæc, videlicet.*

Quæ fuerint hujus fœderis pactiones.

Relata res univerſa ad Pontificem.

*In primis voluerunt dictæ partes, quod omnis tractatus intelligi debeat, & ſit referendus domino noſtro ſummo Pontifici & Apoſtolicæ ſedi, a qua domina Regina tenet regnum, & eſt vaſſalla pro illo, ſine cujus directione, conſilio, beneplacito, & mandato domina non intendit ad aliquem tractatum procedere, cum ipſa & regnum conſiſtant in manibus ejuſdem domini noſtri & ſedis Apoſtolicæ, & ſit cauſa individua utriuſque: & intendit domina ipſa more progenitorum ſuorum in omnibus tangentibus eam & regnum & quæcunque ſua negotia, præmittere reverentiam, obedientiam, & honorem ejuſdem domini noſtri & Apoſtolicæ ſedis.*

Injuriarum oblivio utrinque indicta.

*Item quod remiſſis ante omnia viciſſim rancoribus, & odiis hucuſque habitis inter eos, nec non damnis cujuſlibet generis ſeu lucri præteritarum guerrarum temporibus commiſſis in regno tam ultra quam citra pharum, tam pro ſe quam pro fidelibus & vaſſallis ſuis, ſubditis, ſequacibus, & quibuſcunque fautoribus adhærentibus cauſa dictæ guerræ inter eos; in perpetuum univerſaliter & ſingulariter vigere debeat vera pax, & ſincera concordia inter eos dictoſque eorum fideles, vaſſallos, & alios ſuperius nominatos ſimpliciter & bona fide.*

Trinacrius Joannæ beneficiarium ſe profeſſurum promittit.

Clientelarem illi ſponſionem exhibiturum.

*Item quod præfatus Rex recognoſcat per ſe & heredes ac ſucceſſores ſuos, tenere dictam inſulam Siciliæ ſeu regnum Trinacriæ cum inſulis ſuis adjacentibus a præfata domina Regina & ejus heredibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus tantum: & pro dicta inſula, ſeu regno Trinacriæ cum prædictis inſulis adjacentibus præfatus Rex debeat facere homagium & fidelitatis juramentum per procuratorem ſufficientem & idoneum, ſufficienti qualibet poteſtate ſuffultum, eidem dominæ Reginæ & dictis ſuis heredibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus tantum.*

Vectigal penſitaturum.

Et infra: *Item quod ex cauſa pacis & concordiæ prædictarum, præfatus dominus Rex per ſe & heredes ſuos ac ſucceſſores ſolvet, tradet, & aſſignabit, eidem dominæ Reginæ, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis in regno prædicto anno quolibet in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli in civitate Neapolitana uncias auri tria millia ad prædictam rationem, quæ ſunt reductæ ad florenos auri recti cunei, & juſti ponderis Florentini ad rationem de florenis quinque pro qualibet uncia florenorum quindecim millia, contingentia dictam inſulam ratione cenſus debiti per ipſam dominam Reginam ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis.*

Siciliæ Trinacriæque regna dividenda.

Et infra: *Item quod ex cauſis prædictis, præfatus dominus Rex, heredes, & ſucceſſores ſui nullo unquam tempore intitulabunt ſe titulo regni Siciliæ, ſed tantum titulo Trinacriæ: ipſaque domina Regina, heredes, & ſucceſſores ſui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ; ita tamen, quod intitulatio regni Siciliæ nullum afferat præjudicium intitulationi regni Trinacriæ, nec e contra: immo quodlibet regnum per ſe diſtinctum ſuum habeat titulum, nec uni pro altero derogetur.*

Joanna ſpondet, acturam ſe cum Pontifice, ut cenſuris Trinacria liberetur.

*Item quod ex cauſis prædictis dicta domina Regina ſimpliciter & bona fide, & ſub fide reginali cum favore & conſilio promittat juxta poſſe interponere partes ſuas, procurare, & tractare una cum ambaſſiatoribus dicti domini Regis abſolutionem interdicti dictæ inſulæ Siciliæ ſeu regni Trinacriæ & aliarum adjacentium inſularum a ſancta Romana eccleſia cum reconciliatione prædictarum: nec non abſolutionem dicti domini Regis, & aliorum regalium, baronum, & comitum, & aliorum hominum ipſius inſulæ & adjacentium inſularum a ſententia ſeu ſententiis excommunicationis & interdicti forte latis & promulgatis dudum tam per dominos ſummos Pontifices, quam a canone vel a jure contra præfatum dominum Regem regales, & alios dictæ inſulæ, & contra inſulas ſupradictas; nec non confirmationis & approbationis aſſenſum ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſuper concordia & pace præfatis. Item quod præfata domina Regina dabit & præſtabit per ſe, heredes, & ſucceſſores ſuos præfato domino Regi, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis auxilium, conſilium, & favorem juxta ſuum poſſe circa reductionem & redintegrationem dictæ inſulæ Siciliæ ad dominium, & obedientiam præfati domini Regis Frederici, non aſtringendo ſe niſi juxta velle & beneplacitum ſuum.*

Ut Trinacria univerſa Frederico pareat.

*Item quod inſula Lipari, quam nunc tenet domina Regina præfata, remaneat cum vaſſallis, fortalitiis, juribus, & pertinentiis ſuis in dominio, poteſtate, & pleniſſima juriſdictione præfatæ dominæ Reginæ donec vixerit: poſt mortem vero ipſius dominæ Reginæ redire debeat cum omnibus ſupradictis juribus ipſo facto ad dictum dominum Regem, heredes, & ſucceſſores ſuos, tanquam una de adjacentibus inſulis dictæ inſulæ Siciliæ.*

Superiora irrita, ni pontificis aſſenſus acceſſerit.

Et infra: *Item quod in prædictis omnibus & ſingulis reſervetur, & reſervatum intelligatur beneplacitum & aſſenſus, confirmatio, rati-*



*ficatio, & approbatio dicti domini noſtri ſummi Pontificis & Apoſtolicæ ſedis ad perpetuam concordatorum hinc inde roboris firmitatem; ita quidem, quod prædicta confirmatio & aſſenſus obtineri non poſſint infra & per totum feſtum pentecoſtes proxime futuri anni decimæ indictionis ſeu poſt, donec ipſæ partes ipſum aſſenſum & confirmationem concorditer proſequi voluerint, & prædicta concordia & omnia alia & ſingula pro nullis & infectis penitus habeantur, neutri partium generando præjudicium, non obſtantibus quibuſcumque quietationibus, conventionibus, & renuntiationibus ſupradictis: nam conventionaliter eſt inter dictas partes deventum, quod dicta concordia & promiſſa hinc inde effectum non habeant ſine aſſenſu & confirmatione præfatis.* Hactenus publica documenta.

VI. Miſſi a Friderico ad Pont. oratores pro his confirmandis.

Delata itaque res eſt ad Gregorium, ad quem ſupremum utriuſque regni ſpectabat imperium, ut has leges ſua auctoritate firmaret temperaretve, vel novas adderet: miſitque ad eum Trinacrius princeps oratores ampliſſimis fretos mandatis, ut cum apoſtolica ſede paciſcerentur, ejuſque acciperent imperia, pontificia beneficentia regnum conferri, cenſuras quibus illaqueati erant Trinacrii diſſolvi, ſacrorum uſum reſtitui, debitam ob intermiſſum vectigal annuum auri vim remitti, conjugium cum Antonia ducis Andriæ filia ratum ab eccleſia haberi, flagitarent. Mandati regii dati proximo anno exemplum infra ſcriptum (a) eſt.

(a) Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to.3. pag.233. &c. & apud Greg. XI. to.2. ep. cur. 205. & in lib. privil. Rom. eccl. to.2. p. 360.

Ejuſdem literæ.

*Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ, ac Athenarum ac Neopatriæ dux.*

*Univerſis & ſingulis præſens commiſſorium ſcriptum, ſeu inſtrumentum publicum inſpecturis volumus notum eſſe, quod cum inter ſereniſſimam dominam Joannam Jeruſalem & Siciliæ Reginam honorabilem matrem noſtram proprio nomine ex una parte, & venerabilem magiſtrum Ubertinum de Corliono ordinis Minorum ſacræ theologiæ profeſſorem magiſtrum magnum cappellanum & devotum nuncium noſtrum vice noſtra ex altera fuerit dudum pacis tractatus ſub certis conditionibus, conventionibus, capitulis, atque pœnis habitus & firmatus fuerit, per dictam dominam Reginam & nos mutuo & corporali ſacramento juratus ſub reſervatione apoſtolici beneplaciti & conſenſus, pro cujus obtentu ſuppliciter impetrando, eundem magiſtrum Ubertinum ad dictam Apoſtolicam ſedem curiamque Romanam juſſimus acceſſurum; nuper vero de fide laudabili ſufficientia cognita, & legalitate probata Jacobi Pitigne militis magiſtri notarii & Bartholomæi de Papaleone de Meſſina juriſperiti magnæ noſtræ curiæ judicis conſiliariorum, familiarium, & fidelium plene confiſi, ac optantes ut inter dictam dominam Reginam & excellentiam noſtram, ac ſubditos uniuſcujuſque vera pax vigeat & firmiter ſervetur illæſa; ipſos Jacobum & Bartholomæum præſentes & onus commiſſionis prædictæ in ſe ſponte ſuſcipientes, & ipſorum quemlibet in ſolidum [ita quod non ſit præoccupantis conditio melior, nec potior cenſeatur; ſed quod unus ipſorum incœperit, alter proſequi libere valeat, & debita concluſione finire] facimus, ordinamus, & conſtituimus noſtros veros & legitimos procuratores, actores, factores, negotiorum geſtores, ambaxiatores, & nuncios ſpeciales, & quocumque alio nomine ſive modo efficacius dici poſſit, cum omni juris & facti ſolemnitate conveniente ad acceptandum, ratificandum, & confirmandum vice & nomine noſtris præfatum pacis tractatum cum omnibus capitulis, ordinationibus, conventionibus, pactis & clauſulis quibuſcunque, quibus inter eandem Reginam & nos firmatus & juratus extitit (ut præfertur) ſeu etiam cum additionibus, mutationibus, & reformationibus omnibus & ſingulis prout per ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum noſtrum dominum Gregorium, divina providentia ſanctæ Romanæ eccleſiæ Papam XI. ordinabitur, & videbitur melius expedire:*

Immutandarum pactionum poteſtas data.

*& ad promittendum pro nobis & ſucceſſoribus noſtris in regno, & jurandum in animam noſtram de obſervantia ordinationum, adjectionum, & capitulorum prædictorum, & omnium & ſingulorum contentorum in ipſis ad dictum pacis tractatum ſpectantium, qualiter de ipſius domini noſtri ſummi Pontificis beneplacito & mandato erit ſolemniter ordinatum:*

Poſcit Fridericus Trinacriam ſibi apoſtolica auctoritate tradi.

*ac etiam ad petendum, recipiendum, & habendum inveſtituram & conceſſionem de novo dicti regni Trinacriæ cum adjacentibus inſulis & omnibus aliis pertinentiis ſuis a dicto domino noſtro ſummo Pontifice eccleſiaque Romana, & faciendum pro eis ligium homagium, & fidelitatis debitæ juramentum tam pro nobis & ſucceſſoribus noſtris prædictis eidem domino noſtro Papæ vel aliis commiſſariis ad hæc ſpecialiter & expreſſe ſtatutis, vel de novo forſan ſtatuendis a quibuſcumque perſonis dictus dominus ſummus Pontifex ordinaverit faciendum cum promiſſionibus, obligationibus, juramentorum præſtationibus, pœnarum adjectionibus, & aliis circumſtantiis ſingulis, & clauſulis univerſis:*

Clientelarem ſponſionem ſe exhibiturum pollicetur.

*ac etiam ad tractandum & de novo cotrahendum, concordandum, & ratificandum, prout opus fuerit dictum tractatum pacis, tam cum ipſa domina Regina, ac cum aliis ejus habentibus poteſtatem, quam cum præfato domino noſtro Papa, vel ejus commiſſariis & legatis ad hæc apoſtolica authoritate ſuffultis: ac firmandum & concludendum cum eiſdem ſub pacis prædictæ tractatu quidquid de novo forſitan occurreret ut prædictorum nunciorum noſtrorum arbitrio & diſcretioni videbitur expedire, cum præ-*

præfatis omnibus promiſſionibus, obligationibus, juramentorum præſtationibus, aliiſque clauſulis opportunis, pœnarum etiam adjectionibus, ſolemnique ſtipulatione vallatis, ſecundum quod fieri eſt in talibus conſuetum; dantes, mandantes, & concedentes eiſdem nunciis noſtris ſub dictæ pacis tractatu, & omnibus & ſingulis dependentibus connexis, & emergentibus in eodem plenam licentiam, authoritatem omnimodam, & liberam facultatem, cum generali, ampla, libera, ſpeciali, & expreſſa poteſtate ad agendum vice noſtra & dicto eorum procuratorio nomine in exequendo & complendo omnia & ſingula ſupraſcripta, & omnia ac quæcumque alia circa hæc juxta dictorum noſtrorum nunciorum arbitrium, & eis largitam potentiam opportunam; ratificantes, confirmantes, ratum habentes, & acceptantes, quidquid ſuper his dicti nuncii & ambaxiatores noſtri duxerint peragendum; promittentes etiam, & nos firmiter obligantes ab eo, quod ipſi exinde perfecerint, nullo unquam tempore reſilire, id ex nunc prout ex tunc ſub fide regia firmiſſimum reputantes: ac etiam ad petendum precibus humiliter inſtantibus, & devote impetrandum, obtinendum, & recipiendum vice noſtra ab eodem domino noſtro, vel alio, ſeu aliis quibuſcunque ad hæc ſtatutis vel etiam ſtatuendis commiſſariis aut delegatis remiſſionem integram & totalem excommunicationum, interdictorum, pœnarum temporalium & ſpiritualium, & ſuſpenſionem omnium, quibus tam nos quam prædeceſſores noſtri bonæ memoriæ, noſtrique vaſſalli & ſubditi, aut ipſum regnum noſtrum Trinacriæ & prædictæ circumadjacentes inſulæ per ſententias eccleſiaſticas tam dicti domini noſtri, quam aliorum prædeceſſorum noſtrorum in ſcriptis vel ſine ſcriptis videamur ſubjici, vel aliquatenus alligari: ac ad implorandum & habendum abſolutionem plenariam omnium debitorum contra eoſdem prædeceſſores noſtros & nos hactenus contractorum ratione juris cenſus eccleſiæ non ſoluti; aut quacunque alia ratione, occaſione, vel cauſa, atque probabiliter obligari aut teneri de jure vel de facto poſſimus, ut jam reconciliatione ſanctæ matris eccleſiæ optata diutius obtenta ſalubriter, ac quas guerrarum introduxit calamitas, culpis exterſis ſimus quodammodo nova Sancti Spiritus infuſione renati: ac ad petendum, exigendum, & recipiendum a dicta domina noſtra Regina Joanna pro ſe, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis, aliiſque perſonis prout extiterit opportunum, corporale & debitum, tactis ſacroſanctis evangeliis, juramentum ſub obſervantia prædictorum capitulorum, conditionum, & clauſularum omnium dictæ pacis: ac ad requirendum, petendum, & habendum ab eodem domino noſtro, aut ejus ſtatutis ſe ſtatuendis commiſſariis vel legatis diſpenſationem liberam, & confirmationem matrimonii tractati dudum & jurati inter præfatum magiſtrum Ubertinum nomine noſtro, & magnificum virum Raimundum de Baucio magnum regni Siciliæ camerarium procuratorio nomine, & pro parte illuſtris dominæ Antoniæ filiæ ſpectabilis ducis Andriæ, ac vice & nomine ejuſdem ducis: & ad requirendum & habendum ſuper his a quibuſcunque perſonis expediens fuerit, & fieri faciendum expedientia reſcripta, & publicas ſub debita forma ſcripturas: & generaliter ad gerendum & exercendum in præmiſſis, & ſuper præmiſſa cauſa cum præfatis domino noſtro ſummo Pontifice, Cardinalibus, & commiſſariis aliis, aut legatis ſpecialiter ordinatis ſeu ordinandis, ut ſupra, quam cum dicta domina Regina & perſonis aliis ſubſtitutis & ad ea omnia & ſingula, quæ dictis nunciis noſtris neceſſaria viderentur, & infra, ſub hypotheca & obligatione omnium bonorum noſtrorum, ad majorem rei geſtæ & gerendæ cautelam præſens commiſſarium ſcriptum ſeu inſtrumentum publicum exinde fieri, noſtræque majeſtatis ſigillo pendente juſſimus communiri. Dat. & actum Meſſanæ anno incarnationis Dominicæ MCCCLXXII. die ſecunda menſis martii XI. indictionis.

Flagitat, ut cenſuræ Trinacriæ incuſſæ removeantur.

Habeatur ratum matrimonium cum ducis Andriæ filia.

VII. Paci aſſentitur Gregorius.

Exceptis Friderici oratoribus, Gregorius eccleſiaſticæ detrahendum ſeveritati cenſuit, cum religionis cultus in Trinacria ob intermiſſa diu ſacra obſoleſceret: paciſque inſtaurandæ ſtudio, cum agitatas inter Fridericum ac Joannam pactiones diſcuſſiſſet, adhibitis in conſilium Cardinalibus, nonnullas ex iis reſcidit, addidit alias, alias temperavit, pontificioque in ea regna juri conſuluit ſubjecto diplomate (a).

Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Illius pactiones temperandas decernit mutandaſque.

Tractatum ipſum per nonnullos S. R. E. Cardinales fecimus magna diligentia recenſeri: & quia (prout ipſius tractatus evidenter oſtendebat inſpectio) omiſſa erant aliqua, propter quorum omiſſionem de directo dominio, quod nos & eadem Romana eccleſia in præfato regno habemus, grave præjudicium generari poterat, quæ ſuppletionem; aliqua vero ſuperflua interſerta, quæ reſecationem; & nonnulla etiam inordinata, quæ ipſarum partium voluntate inſpecta neceſſario mutationem requirebant, prædictum tractatum, prout nobis fuit exhibitus, non duximus admittendum: ſed ſuperfluis reſecatis, & illis quæ erant omiſſa ſuppletis, ac immutatis quæ immutanda nobis viſa fuerunt, circa pacem prædictam, ubi dictarum partium conſenſus accedit, de fratrum noſtrorum conſilio in forma infraſcripta duximus procedendum. Primo ſiquidem, quia jura ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſponſæ noſtræ conſervare, protegere, & defendere ex officii noſtri debito obligamur

(a) Greg. to. 2. ep. cur. 105. ext. inter coll. Plat. to. 3. p. 233. &c. & in lib. priv. Rom. eccl. to. 2. p. 360.



mur, ordinandum providimus, quod Joanna & Fredericus præfati recognoſcant, ad nos & eccleſiam Romanam ſpectare & pertinere de jure directum dominium in toto regno Siciliæ tam ultra quam citra pharum: cui directo dominio & juri, quod in toto regno, tam ultra quam citra pharum, nos & eccleſia Romana habemus, non intendimus in aliquo derogare; ſed ea volumus & intendimus remanere illæſa, & quod tale, & totum jus nobis & eccleſiæ Romanæ remaneat in dicta inſula & adjacentibus inſulis (quæ regnum Trinacriæ intitulabuntur) quale & quantum habemus in terris citra pharum: & ſi quæ in præſentibus capitulis inveniantur, quæ directe vel per obliquum præfato dominio & juri, quod eccleſia Romana habet in dicta inſula & adjacentibus inſulis quomodolibet præjudicarent, illa ex nunc pro non appoſitis, & non adjectis habeantur; & quod ad contenta in iſto capitulo Joannæ & Frederici prædictorum expreſſus conſenſus accedat.

Jus pontificium in utrumque regnum conſtabilitur.

Item, cum per Joannam & Fredericum præfatos in forma infraſcripta tractatus pacis, prout ipſum tranſmittimus fuerit acceptatus cum ſolemnitatibus debitis & cautelis, dictus Fredericus & ſucceſſores ſui in regno Trinacriæ facient ratione directi & majoris dominii, quod ad nos pertinet, homagium ligium nobis & Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & ſacramentum fidelitatis præſtabunt ſub hac forma.

Nuncupandi a Trinacrio ſacramenti formula deſcripta.

Ego Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ plenum & ligium homagium facio domino noſtro Gregorio Papæ XI. & ſucceſſoribus ſuis canonice intrantibus pro inſula Siciliæ ac adjacentibus inſulis, quæ regnum Trinacriæ nominantur: & juro ſuper hæc ſancta Dei evangelia, quod ab hac hora in antea uſque ad ultimum diem vitæ meæ fidelis & obediens ero beato Petro ſanctæque eccleſiæ Romanæ, præfatoque domino Gregorio, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium quod mihi credituri erunt per eos, aut per nuncios ipſorum, ſive per literas, ad eorum damnum (me ſciente) nemini pandam: & ſi ſcivero fieri vel procurari, ſive tractari aliquid (quod abſit) ad eorum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi non poſſem impedire, illud eis ſignificare curabo. Papatum Romanum, & regalia ſancti Petri tam in inſula Siciliæ & aliis inſulis adjacentibus quam in regno Siciliæ præfato, quam alibi exiſtentia adjutor eis ero ad defendendum & retinendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem: & omnia & ſingula capitula ſub forma fidelitatis, comprehenſa inviolabiliter obſervabo. Univerſas & ſingulas promiſſiones, conventiones, & obligationes in præſenti privilegio literis ſive inſtrumento contentas, & omnia & ſingula in eis contenta plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo; nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

VIII.

Et quia volumus, quod per hujuſmodi homagium ligium, & fidelitatis juramentum, quæ per dictum Fredericum & ſuos in regni Trinacriæ ſucceßores, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus (qui pro tempore fuerint) præſtabuntur, juribus eidem Reginæ & ejus ſucceſſoribus in regno competentibus quoad homagium & juramentum fidelitatis eiſdem præſtanda, ut ſequitur, nullum præjudicium generetur; faciet inſuper dictus Fredericus, & ſui in poſterum ſucceſſores in regno Trinacriæ eidem Joannæ Reginæ & ſucceſſoribus ſuis ex ſuo corpore deſcendentibus legitime tantum, homagium & præſtabit debitæ fidelitatis juramentum: & ſi ipſam Joannam ſine liberis ex ſuo corpore deſcendentibus mori contingat, ſinguli ſucceſſores ejuſdem Joannæ Reginæ in regno prædicto Siciliæ dictus Fredericus, & ſui ſucceſſores in Regno Trinacriæ, præſtabunt fidelitatis debitæ juramentum ſecundum formam, quæ infra in capitulo ordinato ſuper hoc continetur. Hujuſmodi autem homagium ligium prædictum, quod nobis, ſucceſſoribus noſtris, & eccleſiæ Romanæ præſtabitur, Fredericus præfatus & ejus ſucceſſores in regno, ſi interim moreretur infra annum poſtquam præſens tractatus fuerit approbatus per ipſos Joannam & Fredericum, nobis & noſtris ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint, facere teneantur, & fidelitatis juramentum præſtare ſecundum formam præſcriptam; & tam ipſe, quam ſinguli ſui ſucceſſores in regno infra annum, poſtquam ſucceſſio regni eis delata fuerit, nobis & ſucceſſoribus noſtris ſingulis, ac ipſi Romanæ eccleſiæ præſtabunt, & facient, ac renovabunt. Item tam ipſe Fredericus, quam ſinguli ejus in dicto regno Trinacriæ ſucceſſores, in talibus præſtatione, & renovatione homagii hujuſmodi & fidelitatis juramenti tradent realiter, & aſſignabunt nobis, & ſucceſſori noſtro Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, literas regias aurea bulla bullatas, in quibus approbabunt omnes iſtas conventiones: & id obſervare promittent & jurabunt, inſerendo eas de verbo ad verbum in iſtis literis cum expreſſione propriorum nominum Romani Pontificis, qui tunc erit, & ipſius facientis homagium & juramentum prædicta; vel ſaltem infra menſes ſex, poſtquam hujuſmodi homagium præſtiterint & fidelitatis debitæ juramentum, literas prædictas aſſignare tenebuntur.

De ſponſione Joannæ exhibenda.

Singuli Trinacriæ Reges ad Pontifici fidem adicendam obſtricti.

IX.

Deſcendentes autem ex præfato Frederico

Quis ordo ſucceſſionis in regno Trinacriæ ſervandus.

*rico & ejus liberis utriuſque ſexus ſuccedant in inſula prælibata cum adjacentibus inſulis ſuis; ſic tamen, quod de liberis maſculis, in eodem gradu ac per eandem lineam concurrentibus, primogenitus: de duabus fœminis primogenita: de viro & fœmina, in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur; ſic tamen, quod filia jam nata dicti Frederici admitti debeat ad ſucceſſionem prædictam juxta formam & ordinem in præſenti capitulo declaratam. Sed ſi aliquem de ſucceſſoribus ſuis, qui in dictis inſulis ſeu regno Trinacriæ ſucceſſerit, ſine legitima prole ſui corporis mori contingat in futurum, ſuccedant eiſdem ſervatis gradibus ſeu ordine ſupradictis, ſi ſuperſtites fuerint, hæ perſonæ [dum tamen de deſcendentibus fuerint præfati Regis, Frederici videlicet Regis, vel Reginæ ſine legitima prole ſui corporis decedentis] frater vel ſoror, ac collaterales ſuperiores mares & fœminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ & ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat.*

Quinam ad hæreditariam ſucceſſionem admittendi.

*Collaterales etiam inferiores ſuccedent ſimiliter mares & fœminæ, utpote nepos vel neptis ex fratre vel ſorore, & inferius uſque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ, & collateralium ſuperius eſt expreſſum, intelligendum eſt tam de nuptis quam de innuptis; dummodo nuptæ ſint fidelibus, & eccleſiæ Romanæ non ſuſpectis, ſed devotis. Et ſicut inter has perſonas gradus ſervari volumus, ut ſcilicet prior gradus poſteriori gradui præferatur: ſic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu poſteriori, & marem fœminæ in hujuſmodi ſucceſſoribus volumus anteferri. Perſonarum autem deſcendentium hujuſmodi nulla ſuperſtite, regnum Trinacriæ, ſeu inſula Siciliæ prædicta cum aliis inſulis adjacentibus ad præfatam Joannam Reginam Siciliæ, ejuſque ſucceſſores in regno, ipſo jure libere revertantur: aut, eiſdem Reginæ & ſucceſſoribus in regno non exiſtentibus, vel exiſtentibus in caſu quo regnum Siciliæ juxta conventiones habitas inter felicis recordationis Clementem IV. prædeceſſorem noſtrum, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ eſſet ad Romanam eccleſiam devolutum; regnum Trinacriæ ſeu inſula prædicta cum adjacentibus inſulis ad præfatam Romanam eccleſiam ipſo jure libere revertantur.*

Quo caſu Trinacria ad ſedem Apoſt. devolvenda.

*Quod ſi forte, deficiente maſculo, contigerit fœminam innuptam ſuccedere in regno Trinacriæ, ſeu inſula prælibata, illa maritabitur perſonæ, quæ ad ipſorum regimen & defenſionem exiſtat idonea, ſummi Pontificis, qui erit pro tempore, conſilio requiſito, ut nubat viro catholico & eccleſiæ Romanæ non ſuſpecto, ſed devoto, nec dictæ Joannæ ſeu ejus ſucceſſoribus in prædicto regno Siciliæ inimico. Et idem per omnia in filia primogenita, etſi nondum ei regni ſucceſſio ſit delata, quæ in regno veriſimiliter ſit ſucceſſura, volumus obſervari: & ſi contra hæc fieret, licebit ſummo Pontifici, qui erit pro tempore, contra ipſam ad privationem regni ſeu inſulæ prædictæ & adjacentium inſularum procedere abſque omni juris ſolemnitate, & ſine ſtrepitu & figura judicii, in quacunque ætate ipſam eſſe contigerit, ſi hoc ei videbitur expedire. Et eo caſu ad ipſam Reginam Siciliæ præfatam, ſeu ejus ſucceſſores in regno, ſeu ad Romanam eccleſiam juxta prænotatum ordinem dicta inſula ſeu regnum libere devolvatur.*

Regina Trinacriæ non nubat inconſulta ſede.

Nec alia probabiliter ſucceſſura.

X. Qua ætate Trinacriæ Rex poſſit regnum adminiſtrare.

*Illud etiam providimus ordinandum, quod ſi ille, ad quem ſucceſſio regni Trinacriæ ſeu inſularum hujuſmodi devolvetur qualitercunque ſeu quomodocumque, & major decem & octo annis fuerit, libere adminiſtret; ſi autem fuerit minor decem & octo annis natu, quouſque prædictam ætatem compleverit, tam ipſius perſona quam regnum in cuſtodia, regimine, & adminiſtratione noſtris ſeu ſucceſſorum noſtrorum & eccleſiæ Romanæ remaneant libere abſque impedimento quocunque. Fructus tamen qui ſupererunt, deductis expenſis, quæ fient pro ſtatu Regis & regni manutenendi & conſervandi eidem Regi, poſtquam major decem & octo annis fuerit, integre reſtituentur. In regno autem ſeu inſulis prædictis nullus ſuccedet, qui non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nec aliquis ab eo mediate vel immediate deſcendens, etiam ſi ipſe fuerit de legitimo matrimonio procreatus. Item quod dictus Fredericus & ſucceſſores ſui regnum Trinacriæ prædictum nullatenus divident, ſed ſemper dictam inſulam cum adjacentibus inſulis, ſeu regnum teneat unus tantum, modis, formis, & conditionibus ſupra & infra ſcriptis: nec terras demanii inſularum ſeu regni prædicti infeudabunt ſeu alienabunt quovis titulo vel colore quæſito, niſi in filios vel in filias Regis natos ſeu natas, naſcituros ſeu naſcituras, & deſcendentes ab eis, in quos loca & terras, quæ conſueverunt alienari tempore Regis Frederici avi ſui, & prædeceſſorum ſuorum in regno, alienare poterunt, civitatibus tamen exceptis.*

Illegitimi regni jure excluſi.

Regnum divelli in toparchias vetitum.

*Item quod præfatus Fredericus promittet ſolemniter & jurabit, quod omnibus eccleſiis tam cathedralibus quam collegiatis regularibus & ſecularibus, nec non aliis eccleſiis, & omnibus prælatis & clericis, ac univerſis perſonis eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus, & quibuſcunque religioſis locis & perſonis in regno Trinacriæ ſeu inſulis prædictis infra tres annos, quanto citius poterit, bona fide aſſignabit realiter & cum effectu ſuo poſſe omnia caſtra, fortalitia, jura & bona ad ipſas eccleſias, ſeu eccleſiaſticas perſonas ſpectantia quoquo modo, ſeu pro eis, ſeu eorum nomine quo-*

De reſtituendis eccleſiarum juribus.

*modo-*



*modolibet poſſeſſa, ſeu in quorum poſſeſſione fuerunt tempore, quo Siculi contra inclytæ memoriæ præfatum Regem Carolum rebellarunt; ita quod de nullo curſu temporis opponatur eiſdem, cum notorie dictis temporibus hoſtilitatis duraverint; niſi quod per prælatos eccleſiarum ipſarum, vel alios authoritatem habentes, aliqua ex prædictis caſtris, fortalitiis, poſſeſſionibus, juribus, & bonis quibuſcunque perſonis conceſſa, permutata, ſive alienata legitime exiterint: quo caſu prædicta conceſſio, datio, permutatio, ſeu alienatio inviolabiliter obſerventur, & in ſuo robore perſeverent: quodque libertatem eccleſiaſticam conſervabit ſuo poſſe, univerſis perſonis eccleſiaſticis ac rebus & bonis eorum, ac earum eccleſiarum * prædictas eccleſiaſticaſque perſonas, omnia religioſa, & pia loca, reſque & bona eorum in ſua libertate reſtituet, & curabit reſtitui facere, & gaudere permittet juribus & juriſdictionibus, privilegiis, libertatibus a jure conceſſis, beneficiis, bonis, juribus, redditibus, & proventibus earundem: nec aliquas exactiones quovis quæſito colore petet vel exiget ab eiſdem per ſe vel alium, directe vel indirecte; nec peti, vel exigi permittet. Ne autem ſuper iis reſtituendis ingeri poſſit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano Pontifice aliqui viri diſcreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium & rerum immobilium (ſi qua extent) reſtitutio plena fiat; ita quod eam de quorum dominio vel proprietate ſeu poſſeſſione notum fuerit, ad eorum mandatum, & arbitrium mox reddantur. In dubiis vero per ipſos ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii veritas inquiratur, & juſtitia miniſtrabitur.*

Inſtauranda libertate eccleſiaſtica.

* prælatos.

XI. Permittendis liberis electionibus.

*Omnes inſuper eccleſiæ tam cathedrales quam aliæ regulares & ſeculares, nec non omnes prælati & clerici, ac univerſæ perſonæ eccleſiaſticæ ſeculares & religioſæ in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt: nec ante electionem, nec in electione, vel poſt dicti Frederici ſeu ejus ſucceſſorum in regno ſive inſulis prædictis, conſenſus vel conſilium aliquatenus requiratur: quam utique libertatem ipſe Fredericus, ipſiuſque in dictis inſulis ſeu regno ſucceſſores ſemper manutenebunt & conſervabunt, & manuteneri facient ab omnibus ſubditis ſuis: dictæque eccleſiæ & perſonæ, & omnia religioſa & pia loca utentur libere omnibus bonis & juribus ſuis; ſalvo ſibi & ſucceſſoribus ſuis in regno prædicto Trinacriæ ſeu inſulis jurepatronatus, prout & ſecundum quod patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, & in illis tantum eccleſiis, in quibus Reges antiqui Siciliæ hujuſmodi juſpatronatus habuerunt; ſalva ſemper circa eccleſias cathedrales, & alias regulares & ſeculares quaſcumque, ac perſonas & loca eccleſiaſtica tam in faciendis proviſionibus & electionibus confirmandis, quam in reſervationibus de ipſis eccleſiis faciendis, quam in omnibus & quibuſcumque aliis Romani Pontificis & eccleſiæ Romanæ juriſdictione, ordinatione, & authoritate plenaria, & libera poteſtate.*

De regio jure patronatus.

*Omnes vero cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes libere & abſque ullo impedimento agitabuntur, ventilabuntur, & tractabuntur coram ordinariis, & delegatis apoſtolicis, & aliis eccleſiaſticis judicibus, & terminabuntur per eos: & ſi ad ſedem Apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire ſedem pro appellationum proſecutionibus libere, & abſque inhibitione aliqua & impedimento quolibet permittentur. Sacramenta vero fidelitatis præſtabuntur Frederico præfato, & ejus in regno Trinacriæ ſucceſſoribus ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem (prout canonica inſtituta permittunt) ab illis eccleſiarum prælatis, quorum prædeceſſores antiquis Regibus Siciliæ præſtiterunt. Si qui autem ſint prælati & clerici, qui temporalia ſive regalia bona teneant a dicto Rege & aliis dominis temporalibus, & qui ratione hujuſmodi bonorum ab antiquo conſueverunt Regibus & ipſis dominis temporalibus ſervitia exhibere hujuſmodi honeſta & antiqua ſervitia ipſi Regi & dominis ſecundum rationabilem & antiquam conſuetudinem, & ſicut ſtatuta patiuntur canonica impendent. Promittet etiam quod nullus clericus vel perſona eccleſiaſtica eorumdem regni, ſeu inſularum in civili, vel criminali conveniatur coram judice ſeculari: ſed omnes perſonæ eccleſiaſticæ omnimode erunt liberæ, & in nullo dicto Frederico ſeu ejus ſucceſſoribus ſubjacebunt. Nullas inſuper talias vel collectas, ſeu alia onera eccleſiis, monaſteriis, clericis, & viris eccleſiaſticis vel rebus eorum directe vel indirecte imponent, imponi facient, vel permittent; & in eccleſiis ac beneficiis vacantibus ipſe Fredericus vel ipſius in regno Trinacriæ vel inſulis ſucceſſores nulla habebunt regalia, nullam juſtitiam, nulloſque fructus, redditus, & proventus; nullas obventiones & nulla prorſus alia percipient ab eiſdem, ſed cuſtodia earumdem eccleſiarum & beneficiorum interim libera penes perſonas eccleſiaſticas juxta & ſecundum ſtatuta canonica remanebit. Revocabunt etiam omnes conſtitutiones ſeu leges per eumdem Fredericum ſeu prædeceſſores ſuos, præfatarum inſularum detentores, ſi quæ editæ exiſtant contra eccleſiaſticam libertatem: quas nos etiam ex nunc irritas nunciamus, nec conſtitutiones vel ſtatuta edent aut promulgabunt, quæ juri vel eccleſiaſticæ libertati in aliquo derogent.*

Cauſæ eccleſiaſticæ a judicibus eccleſiaſticis dirimendæ.

Clerici ad profana tribunalia non abducendi.

Leges contra jus eccleſiaſticum abrogari juſſæ.

*Item*

XII.

*Item quod dominus Fredericus & ſucceſſores ſui in regno ſeu inſulis præſtabunt hujuſmodi juramentum, ad hoc ſe ſpecialiter obligantes, quod nunquam per ſe vel alium aut alios, ſeu quocunque modo procurabunt, ut eligantur vel nominentur in Regem vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Theutoniæ, ſeu dominum Lombardiæ vel Tuſciæ, vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tuſciæ, niſi hoc de expreſſa Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, proceſſerit voluntate: & ſi electionem, vel nominationem ad ipſum imperium vel regnum Romanorum ſeu ad regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu majoris partis earundem de eo celebrari contigerit, nullum hujuſmodi electioni vel nominationi aſſenſum præſtabunt; vel intromittent ſe ullo modo de regimine ipſius imperii vel regni Romanorum ſeu regni Theutoniæ, vel dominii Lombardiæ ſeu Tuſciæ, vel majoris partis ipſarum, ad horum quodcunque nominatus fuerit vel electus *. Quod ſi ipſe vel aliquis ſeu aliqui ipſius in regno Trinacriæ ſeu inſulis ſucceſſores ad imperium vel ad dictum regnum Romanorum vel Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ ſeu Tuſciæ vel majoris partis earum procuratione eorum vel ſtudio nominati fuerint vel electi, ſi hoc verum & manifeſtum fuerit, aut ſi poſt talem electionem vel nominationem dicti imperii, regni Romanorum, ſeu regni Theutoniæ, aut dominii Lombardiæ, ſeu Tuſciæ vel majoris ipſarum partis regimine ſe manifeſte intromiſerit, ſeu intromiſerint, eo ipſo a jure regni Trinacriæ ſeu inſularum Siciliæ prædictarum cadat & cadant ex toto, ipſuque prorſus amittat ſeu amittant; & prædictum regnum ſeu inſula cum adjacentibus inſulis ad Joannam prædictam, ſeu ejus ſucceſſores in regno Siciliæ, ſeu [regno ad eccleſiam devoluto] ad Romanam eccleſiam libere revertantur. Si autem ipſe vel aliqui ex prædictis ſucceſſoribus nominationi vel electioni factæ eis non procurantibus, conſenſerint vel conſenſerit, tunc huic electioni vel nominationi vel juri omnino renuncient & renunciet; & de imperio ſeu aliquo alio præmiſſorum, ad quod electi vel nominati fuerint vel fuerit, ſe nullatenus intromittent vel intromittet: & ſi moniti infra quatuor menſium ſpatium poſt monitionem hujuſmodi tali nominationi, ſeu electioni vel juri non renunciaverint vel renunciaverit, ſeu de ipſo imperio vel aliquo præmiſſorum, ad quod electi vel nominati fuerint vel fuerit, ſe intromiſerit vel intromiſerint quoquo modo, ex hoc ſit & ſint eiſdem regno ſeu inſula cum adjacentibus inſulis, & omni prorſus eorum jure in illis privati & privatus; &, ut dictum eſt, ad prædictos, prout ſuperius eſt expreſſum, libere devolvantur. Si vero ad ipſum Fredericum vel ipſius in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſores non poterit commode talis monitio pervenire [ſuper quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeat ſeu nequeant, credetur & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis ſive dicto] ſufficiat ſuper hoc Romani Pontificis monitio publica & ſolemnis; ita quod ſi infra ſex menſes poſt illam hujuſmodi electioni, nominationi, ſeu juri non renunciaverit ſeu renunciaverint, aut de imperio ſeu de aliquo alio prædictorum, ad quod ipſe vel dicti ſucceſſores electi vel nominati fuerit vel fuerint, ſeu quomodolibet intromiſerit vel intromiſerint, ex hoc cadat & cadant ab omni jure ipſorum regni ſeu inſularum cum adjacentibus inſulis & ipſa ad præfatos libere devolvantur, ut ſupra.*

Vetitum ne Trinacria cum Germanico imperio, vel Etruria aut Inſubria conjungatur.

Trinacrius ad imperium aſpirare vetitus.

* vel nominati fuerint ſeu electi.

Si illud corripiat, Trinacriæ regno excidat.

XIII.

*Cæterum ſi contingeret aliquem de ſuis ſucceſſoribus, qui deberet in prædictis regno ſeu inſulis ſuccedere, in Regem ſeu Imperatorem Romanorum ſeu Regem Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ aut Tuſciæ, aut majoris earum partis nominari vel eligi ſeu aſſumi, nullatenus poſſeſſionem dicti regni ſeu inſularum nanciſcatur vel habeat, nec de illorum jure ſeu dominio & regimine per ſe vel alios ſe aliquatenus intromittat, niſi prius imperio vel regno Romanorum ſeu regno Theutoniæ, aut dominio Lombardiæ aut Tuſciæ, aut majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus, nominatus fuerit, vel aſſumptus, & omni jure ſibi in illo competenti omnino renunciet, & de illorum regimine, nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens, ſe aliqualiter intromittat; ſed omnino dimittat, ipſum nullo unquam tempore reſumpturus: alioquin cadat ab omni ſucceſſione & jure, quæ in dicto regno Trinacriæ ſeu inſulis competerent ſibi eo ipſo; ita quod eadem regnum ſeu inſulæ ad præfatos juxta prædictum ordinem plene & libere devolvantur. Quod ſi, non extantibus maſculis, fœmina in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſerit, illa Regi vel Imperatori Romanorum, ſeu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi vel electo Theutoniæ, ſeu Lombardiæ vel Tuſciæ domino, aut majoris partis earum, ſeu electo ad eorum dominium nunquam matrimonialiter copuletur. Et ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat a regno ſeu inſulis prælibatis, & jure quod in illis haberet, maneatque prorſus illorum jure privata, ipſumque regnum ſeu inſulæ ad præfatos juxta præmiſſorum ordinem devolvantur. Si autem dictus Fredericus, vel alius ſuorum in regno ſucceſſorum contra hæc venerit, ſeu venerint eo ipſo excommunicatus ſeu excommunicati, inſuper labe & reatu perjurii notatus vel notati exiſtat vel exiſtant.*

Imperator vel Etruriæ vel Inſubriæ princeps Trinacriæ regno excludendus.

De fœmina, ſi Imperatori aut Etruriæ vel Inſubriæ principi nubat, idem ſancitum.

*In hujuſmodi quoque juramento ipſe Fredericus nunc expreſſe addet, & per ipſius in dicto regno ſeu inſulis ſucceſſores addetur expreſſe, quod nullo unquam tempore regnum ſeu imperium Romanorum ſeu regnum Theutoniæ, vel dominium Lombardiæ ſive Tuſciæ, ſeu majoris partis earum, aut eaſdem Lombardiam ſeu Tuſciam, vel majorem partem ipſarum, per ſe vel alium ſeu alios occupabunt, capient, vel acquirent, aut ſibi quomodolibet vendicabunt: & ſi ſecus fecerint, ſecundum formam præſcriptam, pœnas ſimiles incurrant. Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ, intelligitur ſcienter. Si vero ignoranter, etiam eam ad mandatum eccleſiæ dimittere teneantur: & ſi eam ad mandatum eccleſiæ dimittant, non incidant in pœnam in articulo iſto, & conſimilibus conſtitutam: ſi vero moniti non dimittant, incidant in pœnas in articulo iſto & conſimilibus conſtitutas. Quod ſi forte in poſterum Regem Trinacriæ contingat in Imperatorem vel Regem Romanorum aut Theutoniæ, ſeu dominum Lombardiæ ſeu Tuſciæ eligi, poſtquam fuerit ipſius regni Trinacriæ ſeu inſularum poſſeſſionem adeptus, ad imperium, regnum, ſeu dominium prædicta, ſeu eorum aliquod non tranſeat: alioquin in pœnas incidat in hoc articulo & ſimilibus comprehenſas.*

Ad hæc Fridericus ſucceſſoreſque devincti jurejurando.



XIV.

De emancipando filio, patre ad imperium evecto.

*Quod ſi, regni Trinacriæ ſeu inſularum prædictarum poſſeſſione habita ſeu obtenta, in Imperatorem, Regem, ſeu dominum electus tranſire voluerit ad imperium, regnum, ſeu dominium hujuſmodi, in manu prius Romani Pontificis vel illius, quem ad hoc idem Pont. duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſurum in regnum Trinacriæ ſeu inſulis, cujuſcumque fuerit ætatis, prius emancipet & regno ſeu inſulis prædictis renunciet, nihil dominii, juriſdictionis, aut cujuſcumque ſervitutis, ſeu poteſtatis in eo vel eis retinens clam vel palam, nec ipſum filium ad aliquod ſervitium vel ſubſidium faciendum ſtipulatione, pacto, juramento, vel voto, ſeu alias qualitercunque ſibi vel ſuis ſucceſſoribus obliget, vel aſtringat: quod ſi, hujuſmodi emancipatione & renunciatione non factis, ad imperium, regnum, ſeu dominium hujuſmodi tranſiverit, eorum vel alterius ipſorum adminiſtrationi ſe qualitercunque immiſcendo, eo ipſo cadat a regno Trinacriæ ſeu inſulis hujuſmodi, & ad dictam Joannam ſeu ejus in regno Siciliæ ſucceſſores, vel (regno ad Romanam eccleſiam devoluto) ad ipſam Romanam eccleſiam libere devolvantur. Quod ſi, emancipatione & renunciatione hujuſmodi factis, ad imperium, regnum, dominium prædicta, vel eorum alias tranſiverit, filius ejus ſic emancipatus ad ſucceſſionem regni, ſeu inſularum prædictarum libere admittetur: ſicque factus filius ſui juris homagium ligium, & fidelitatis juramentum juxta formam in præſentibus annotatam præſtabit Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit; & alia faciet, quæ juxta præſentis tractatus tenorem reges Trinacriæ Romano Pontifici & ſedi Apoſtolicæ facere ſunt aſtricti. Faciet etiam præfatæ Joannæ Reginæ, & ipſius in regno Siciliæ ſucceſſoribus, tam juramentum fidelitatis, quam omnia alia & ſingula, quæ in capitulis præſentis tractatus, eoſdem Joannam & ſucceſſores tangentibus, exprimuntur. Et ſi filium ipſum abſque liberis decedere forte contigerit, ad ſucceſſionem regni Trinacriæ ſeu inſularum hujuſmodi pater nullo umquam tempore admittetur, Imperator ſeu Rex Romanorum aut Theutoniæ, vel dominus Lombardiæ ſeu Tuſciæ, ſeu majoris partis earum exiſtens. Si autem imperio aut regno ſeu dominio hujuſmodi veraciter, ſine dolo, & fraude verbis & facto renuntiaverit, & hujuſmodi regno Trinacriæ ſeu inſulis velit eſſe contentus, ad ipſius filii ſucceſſionem poſt renunciationem hujuſmodi libere admittetur, facietque tunc Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Romanæ eccleſiæ, ac dictæ Joannæ Reginæ, & ejus in regno Siciliæ ſucceſſoribus omnia & ſingula, quæ ſupra in ejus filio ſunt expreſſa. Cum autem Rex Trinacriæ ſeu inſularum, hujuſmodi legitimum non habens filium, ad imperium, regnum, vel dominium prædicta, ſeu eorum aliquod eligetur, ac hujuſmodi regno Trinacriæ renunciare, & ad imperium, regnum, vel dominium, ad quod ſit electus, vel nominatus fuerit, tranſire velit, ſi filiæ vel aliquæ aliæ de perſonis, quas ſupra diximus in regno Trinacriæ prædicto poſſe ſuccedere, ſuperſtites ſint, quæ de filio præordinavimus obſerventur in illis; excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in ſolis perſonis procedere poterit, quæ capaces emancipationis exiſtent ratione patriæ poteſtatis. Si autem nullæ tales perſonæ ſuperſtites fuerint, regnum Trinacriæ ſeu inſulæ hujuſmodi ad dictam Joannam, ſeu ejus in regno Siciliæ ſucceſſores, vel regno ad Romanam eccleſiam devoluto, ad ipſam Romanam eccleſiam juxta prænotatum ordinem revertantur libere.*

Tendenti contra jactura regni objecta.

Emancipatus filius ſacramentum fidei præſtabit Pontifici.

Si filio careat Trinacrius, idem in aliis hæredibus obſervandum.

XV.

*Declaramus etiam, quod ſi Regi Trinacriæ, ſine filio decedenti, ſuperſtes ſibi filia vel mulier alia fuerit, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujuſmodi ſucceſſionem admitti, & quæ Imperatori aut Regi Romanorum ſeu Theutoniæ, aut domino Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu majoris partis earum, dum ipſe Rex viveret, fuerat deſponſata vel nupta, non ſuccedat in regno ſeu inſula prælibata: & ſi, regno ſeu inſulis ſibi delatis, Imperatori vel Regi Romanorum vel Theutoniæ, ſeu domino Lombardiæ vel Tuſciæ, vel majoris earum partis nupſerit, cadat protinus ab eiſdem, niſi in quocunque duorum caſuum præmiſſorum vir ejus imperio aut regno ſeu dominio prædictis prorſus renuncians, regno ſeu inſulis prædictis ſolummodo ſit contentus: & hæc locum habeant, niſi de Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, imperium vel regnum, ſeu dominium Lombardiæ vel Tu-*

Succeſſione ad Imperatorem, vel Etruriæ Inſubriæve principem devoluta, quid conſtituendum.

Tuſciæ, ſeu majoris partis ipſarum expreſſa acceptaverit voluntate. In primo autem caſu, videlicet quod filia vel mulier alia Regi Trinacriæ ſine filio decedenti, ſuperſtes extiterit, & quæ juxta formam prædictam debeat ad ſucceſſionem admitti, Imperatori, Regi, aut domino præfatis, Rege vivente, fuerit deſponſata vel nupta, propter quod a ſucceſſione præmiſſa (ut præmittitur) repellatur, ad perſonas alias, ſervatis gradibus, regnum ſeu inſula cum adjacentibus inſulis perveniant, quas prænotavimus in regno ſeu inſulis poſſe ſuccedere in caſu, quo Rege præmortuo filii non ſuperſint. In ſecundo autem caſu, videlicet quo regno ſeu inſulis ſibi jam delatis Imperatori, Regi, aut domino præfatis poſtea nupſerit, regnum ſeu inſula cum adjacentibus inſulis, ad prædictam Reginam ſeu ſucceſſores ejus in regno Siciliæ, ſeu (regno ad Romanam eccleſiam devoluto) ad Romanam eccleſiam libere devolvantur: prædictaque regnum ſeu inſulæ imperio, regno, aut dominio prædictis nullo modo ſubdentur, nec ſibi ullo umquam tempore in eadem perſona quomodolibet unientur. Et præciſe ſuper hoc articulo, tam per pœnas ſpirituales, quam alias cautiones cavebitur juxta eccleſiæ voluntatem, quandocumque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum:

Decretum, nullo caſu Trinacriam cum imperio aut Etruriæ Inſubriæve principatu conjungendam.

cum prorſus intentionis ſit noſtræ & Romanæ eccleſiæ, ut regnum Trinacriæ ſeu inſulæ prædictæ nullo umquam tempore imperio aut regno Romanorum aut Theutoniæ, ſeu dominio Lombardiæ aut Tuſciæ, vel majoris partis earum uniantur, quod ſcilicet unus Romanorum Imperator vel Rex Romanorum aut Theutoniæ, vel dominus Lombardiæ ſeu Tuſciæ, vel earum alicujus majoris partis & Trinacriæ Rex exiſtat; ita quod ipſe Fredericus & ſui ſucceſſores in regno Trinacriæ in Urbe, ſive Campania, vel Maritima, ſeu ducatu Spoletano, aut marchia Anconitana, aut in patrimonio Beati Petri in Tuſcia, ſive in aliis quibuſcumque terris, aut dominiis, aut feudis

Nullis bonis in ditione eccleſiaſtica poſſe ſuccedere.

ipſius Romanæ eccleſiæ, ubilibet conſtitutis, ex ſucceſſione, legato, aut venditione, aut donatione, ſive alio quocumque jure vel titulo ſeu contractu nihil umquam ſibi acquirent, ſeu vendicabunt, ſeu poterunt acquirere ſeu quomodolibet vendicare, & nihil umquam recipient, habebunt, vel retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt, niſi in regno Siciliæ & terra citra pharum, ſi ad ipſos de jure ſpectaret ſucceſſio, ad quem caſum prohibitiones hujuſmodi declaramus aliqualiter non extendi. Nullam etiam poteſtariam ſeu capitaniam vel rectoriam, nullumque alium honorem, dignitatem, ſeu poteſtatem ſenatoriam, vel quamcumque aliam adminiſtrationem ſeu commendam, nec quodcumque aliud officium recipient ſeu recipere, habebunt, & retinebunt, recipere, habere, vel etiam retinere poterunt in eiſdem.

XVI. Si quovis ſpecioſo nomine urbes eccleſiaſticas occupent, Trinacriæ jure deturbati.

Quod ſi contra præmiſſa vel aliquod de contentis in præſenti capitulo facere vel attentare præſumpſerint, aut Campaniam, vel Maritimam, ſeu Urbem, vel ducatum Spoletanum, vel marchiam Anconitanam, ſive patrimonium B. Petri in Tuſcia, vel alias terras quaſcunque Romanæ eccleſiæ ubilibet conſtituta, ſeu earum aliquam partem occupaverint vel occupari fecerint, aut ſuper his offenderint vel moleſtaverint eccleſiam ſeu fecerint moleſtari; & poſtquam a Romano Pontifice moniti vel requiſiti fuerint, vel ſi commode moneri vel requiri nequiverint, juxta Romani Pontificis aſſertionem vel dictum, poſtquam de hoc ipſe publice vel ſolemniter ipſos monuerit, infra tres menſes acquiſita, vel delata realiter, integre, & effectualiter non dimiſerit; aut a capitaneatu, rectoria, ſenatoria, vel alio (quodcunque illud ſit) officio, eorumque ſeu eorum alicujus exercitio omnino non deſtiterint, vel reſtituerint integre omnia occupata, eo ipſo ab eorundem regni Trinacriæ ſeu inſulæ Siciliæ cum adjacentibus inſulis jure cadent totaliter, ipſaque totaliter amittent; & ad præfatos Reginam, ſeu ſucceſſores ejus in regno, vel Romanam eccleſiam juxta prænotatum ordinem libere devolventur. Quod ſi etiam reſtituerint occupata, nihilominus ad plenum de univerſis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejuſdem Romani Pontificis ſatisfacere teneantur.

Si Trinacriæ hæredes id pertentent, jure hæreditario exauctorati.

Alii quoque ipſius Frederici heredes, videlicet qui ſibi non ſuccedent in regno ſeu inſulis prædictis, ſi contra præmiſſa vel eorum aliquod facere vel venire attentaverint quomodolibet, eo ipſo ſint excommunicati; & tam ipſi, quam eorum poſteritas in perpetuum ad ſucceſſionem prædictorum inſulæ cum adjacentibus inſulis, ſeu regni (ſi in aliquo forte caſu ejuſdem ſucceſſio devolveretur) ad illam nullatenus admittantur: & Rex Trinacriæ, qui erit pro tempore, teneatur patenter aſſiſtere Romano Pontifici contra ipſos.

XVII. Nullum fœdus ineundum a Trinacriis contra Rom. eccleſiam.

Nullam etiam confœderationem vel pactionem ſeu ſocietatem faciant dictus Fredericus aut ſui ſucceſſores, aut parentelam contrahent cum aliquo noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum aut Romanæ eccleſiæ inimico; nec etiam cum aliquo Imperatore, Rege, principe, vel barone Chriſtiano, Saraceno, Græco, aut cum aliqua provincia, civitate, aut communitate, aut loco alio ſcienter contra Romanam eccleſiam. Et ne poſſet in poſterum ſuper hoc oriri dubietas, illum declaramus debere reputari noſtrum ſeu Romanæ Eccleſiæ inimicum, de quo fuerit eiſdem Regi Trinacriæ per Romanum Pontificem, qui erit pro tempore, nunciatum quod ſuus ſeu Romanæ eccleſiæ inimicus exiſtit, vel qui eccleſiæ fidem non teneat; ſeu de quo manifeſtum eſt, quod

eccle-



eccleſiæ Romanæ inimicus exiſtat, etiamſi non fuerit ſibi nunciatum. Et ſi contra fecerit vel fecerint, eo ipſo cadat & cadant a dictis regno Trinacriæ ſeu inſulis, & ad præfatam Reginam ſeu ejus in regno ſuo Siciliæ ſucceſſores ſeu ad Romanam eccleſiam juxta præmiſſum ordinem libere revertantur.

Communes cum eccleſia hoſtes & amicos habere debet Trinacrius.

Item quod dictus Fredericus habebit & tenebit inimicos noſtros & Romanæ eccleſiæ pro inimicis ſuis, & amicos noſtros pro amicis ſuis & præfatos inimicos noſtros & Romanæ eccleſiæ ad noſtrum & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, mandatum perſequetur toto poſſe.

Permittat educi ex inſula commeatus pro uſu curiæ ſine ullo vectigali.

Item quod nobis & ſucceſſori noſtro, qui pro tempore fuerit, ubi nos vel ſucceſſor noſter, qui pro tempore fuerit, vellemus pro ſubſidio terræ ſanctæ, licitum erit & liberum extrahi facere anno quolibet, prædicto occurrenti caſu, de prædictæ Inſulæ partibus ſalmas frumenti ad menſuram Siciliæ decem millia: & ubi nobis & ipſi ſucceſſori, qui pro tempore fuerit, placebit pro uſu noſtro & ſucceſſorum noſtrorum & venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, familiariumque noſtrorum & ſucceſſorum (quantum nobis & ipſi ſucceſſori, qui pro tempore fuerit, videbitur expedire) liberas a jure quolibet exituræ, dohanæ, ſeu alterius oneris vel vectigalis, quocunque nomine nuncupentur, tranſvehendas quo nos vel ſucceſſor noſter vel Romana eccleſia mandaverimus, juxta noſtræ ac ſuæ beneplacitum voluntatis. Item quod omnia & ſingula contenta in pactis & conventionibus habitis inter Romanam eccleſiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ tam affirmative quam negative, quæ in dando vel in faciendo vel mixtim, vel in non dando vel non faciendo vel mixtim conſiſtunt, ipſe Fredericus & ſui in regno Trinacriæ ſucceſſores plene & integre ſervabunt quatenus non diſcrepant, nec contrariantur capitulis in præſenti tractatu poſitis, prout ipſos contingit, ſeu contingere poſſit, & non aliter; præſertim in eo caſu, quo regnum Siciliæ ad Romanam eccleſiam redire contingat. Intendimus etiam, quod per nominationem ipſam regni Trinacriæ honori regalis tituli, qui de regno Siciliæ apud præfatam Joannam ejuſque ſucceſſores in regno Siciliæ remanet, quemque apud eam ſucceſſores ejus remanere volumus, nullum (etiam quantum ad vulgi labia ſeu prolationem ſermonis) præjudicium afferatur.

XVIII. Si quæ oriantur dubia declaranda a Pont.

Et ſi contingat, quod aliqua emergat dubietas vel contentio in tractatu pacis prædictæ vel circa ipſum nos ſeu ſucceſſor noſter, qui pro tempore fuerit, tanquam ſuperior dominus cognoſcamus; & ſtetur ſimplici dicto noſtro & Romani Pontificis, qui erit pro tempore, etiam parte aliqua non vocata. Omnes vero præmiſſas & ſequentes conditiones, quæ in perſona præfati Friderici apponuntur circa ipſius etiam in dictis inſulis ſeu regno Trinacriæ ſucceſſorum * intelligimus, & volumus eſſe dictas: & quod omnia & ſingula prædicta & infraſoripta juramenta homagia, obligationes, promiſſiones, & conventiones, dicti Friderici in dictis regno ſeu inſulis ſucceſſores promittere, revocare, præſtare, ſervare, & facere teneantur nobis & ſingulis Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, & Joannæ præfatæ & ſingulis ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ, in quantum ex tenore præſentium capitulorum facere tenentur; eiſdem ſalvis omnibus, quæ circa alios heredes dicti Friderici ordinata conſiſtunt, prout ſuperius & inferius eſt expreſſum.

* perſonas

Impoſitæ Friderico leges ſucceſſores devinciunt.

Per aliqua autem in præſentibus capitulis deſcripta ſeu contenta non intendimus pacta, & conventiones habitas inter Romanam eccleſiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ, quæ affirmative vel negative, in dando vel faciendo vel mixtim vel in non dando vel non faciendo vel mixtim conſiſtunt (& præſertim ſuper ſolutione cenſus & exhibitione ſervitiorum nobis & eccleſiæ Romanæ debitorum juxta conventiones prædictas) mutare, innovare, ſeu eis in aliqua ſui parte detruhere, vel aliquod derogare, niſi de expreſſo conſenſu Reginæ præfatæ: ſed ad prædicta omnia, & ſingula alia, dicta Joanna & ſucceſſores ſui in regno Siciliæ integraliter eccleſiæ Romanæ perinde remaneant obligati, ſicut ſi regnum ipſum Siciliæ cum ea integritate, qua dicto domino Carolo infeudatum extitit, totaliter poſſideret: & omnia contenta in prædictis pactis & conventionibus cum cenſurarum, pœnarum ſpiritualium & temporalium adjectionibus, & omnibus capitulis & clauſulis ibidem deſcriptis (ſalvo quod in proximo capitulo ſequitur) inconcuſſa & illibata in ſuo robore volumus remanere.

Regina Joanna ad eadem obſtricta, ad quæ antea tenebatur.

XIX. Pactio de non dividenda Trinacria ſoluta.

Verum quia in conventionibus inter Romanam eccleſiam & dictum quondam Carolum habitis continetur, quod inſula Siciliæ & terra citra pharum dividi non deberent; nos, conſiderantes tot & tantas ſtrages hominum, deprædationes, & diſſolutiones eccleſiarum, raptus, incendia, divini cultus diminutionem, & alia mala innumerabilia, quæ ex guerris, quæ diu viguerunt inter dictam Reginam & ſuos prædeceſſores ex una parte, & dictum Fridericum & ſuos ex altera (qui dictam inſulam & terram aliam citra pharum de facto diviſas tenuerunt jam per ſeptuaginta annos, & ultra) ſunt ſecuta;

Quæ cauſæ Pontificem ad pacem reſtituendam permoverint.

& quod propter interdictum, cui dictæ inſulæ jam per multos annos ſubjacuerunt, in dictis inſulis tantum excrevit indevotio populi, hæreſes pullularunt, quod de totali ſubverſione catholicæ fidei in eiſdem probabiliter dubitatur; nec non quietis quæ in ſubditis utriuſque terræ (cujus ad nos directum dominium perti-



net

*net ] proveniret ex pace prædicta, maxime quia quodammodo guerris hujuſmodi finis imponeretur, alias quam per pacem ſpes veriſimilis non habetur, immo quod ex dilatione ipſius pacis Reginæ & ipſius regno, ac Rom. eccleſiæ hoſtes hoſtibus adderentur, non immerito formidatur; ex his & aliis cauſis juſtis ad hoc nos moventibus dictam conventionem ad ſupplicationem ipſius Reginæ de fratrum noſtrorum conſilio, authoritate apoſtolica ex certa ſcientia relaxamus: adjicientes, quod ſi in aliquo caſu juxta hujuſmodi tractatus conventionem dictas inſulas ad manus Joannæ ſeu ſucceſſorum ſuorum in regno pervenire ſeu reverti contingat, reſumat ſuum robur præfata conventio; ita videlicet, quod dicta inſula ab alia terra citra pharum nullatenus dividatur. Circa capitula autem tractatus præfati habiti inter partes, nobis ( ut præmittitur ( præſentati, modo & ſerie infraſcriptis duximus procedendum; videlicet quod partes ipſæ viciſſim rancores & odia hucuſque habita inter eos, nec non damna cujuſcunque generis ſeu intereſſe; quæ ex præteritis guerrarum temporibus vigentium in regnis tam ultra quam citra pharum, tam pro ſe quam pro fidelibus & vaſſallis ſuis, ſubditis, ſequacibus quibuſcunque fautoribus, aut habentibus cauſam dictæ guerræ etiam fructus, redditus, & proventus, qui percepti ſunt ab ipſo Friderico ſeu prædeceſſoribus ſuis, vel percipi poterunt, ſeu occaſione, prætextu, vel cauſa præmiſſorum ab eodem Friderico quomodolibet peti poſſent, ſibi invicem remiſerunt; ſumus de ipſarum partium ſuper hac ordinatione contenti: & propterea volumus, quod in perpetuum univerſaliter & ſingulariter, ſimpliciter & bona fide vigere debeat vera pax & ſincera concordia inter eos dictoſque eorum fideles, vaſſallos, & alios ſuperius nominatos.*

Sacrorum uſus in Trinacriam reſciſſo interdicto, revocatus.

XX. *Item dictus Fredericus & ſinguli ipſius ſucceſſores in regno Trinacriæ & ſingulis antedictis recognoſcent pro ſe & ſucceſſoribus ſupradictis, tenere dictum Trinacriæ a dicta Joanna Regina & ſuis ſucceſſoribus in regno Siciliæ, ex ſuo corpore deſcendentibus legitime tantum. Poſt mortem vero dictæ Joannæ Reginæ ejuſque heredum ex ſuo corpore deſcendentium, ſeu ejus, ſi nulli ex ſuo corpore heredes ſuperſint, recognoſcent tenere in feudum inſulam & regnum prædictum cum adjacentibus inſulis ſuis, a nobis & ſucceſſoribus noſtris, & ſancta Romana eccleſia tanquam a ſuperiori & directo domino [ honore regalis tituli regni Siciliæ, quem apud Joannam præfatam ſuoſque ſucceſſores in regno remanere volumus, ſemper ſalvo ] ut in præſentibus capitulis continetur; reſervatis obligationibus ſolutionis cenſus trium millium unciarum, ſervitii equitum & galearum, & præſtatione homagii & juramenti fidelitatis eidem Joannæ Reginæ & ejus heredibus ex deo corpore deſcendentibus & etiam non deſcendentibus; etiam reſervatis ſingulis ſucceſſoribus ejus in regno, etiam non deſcendentibus ex ſuo corpore, obligationibus cenſus trium millium unciarum, ſervitii equitum & galearum, & præſtatione juramenti fidelitatis; & aliis obligationibus, ordinationibus, retentionibus ſupra & infra ſcriptis in ſuo robore permanentibus. Item quod dictus Fredericus, & ſucceſſores ipſius utriuſque ſexus deſcendentes ex eo ſuccedentes in regno ſeu inſulis prædictis præſtabunt præfatæ Joannæ Reginæ & ſingulis ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ ſervitium decem galearum, & centum militum præſtandum in pecunia anno quolibet tempore notabilis invaſionis ipſius regni Siciliæ citra pharum in hunc modum: videlicet tertiam partem iſtis temporibus uſque ad redintegrationem ſupradictæ inſulæ vel majoris partis ipſius, ad dominium, & obedientiam ipſius Frederici ad rationem quidem unciarum centum quindecim per menſem pro qualibet ipſarum galearum: quæ unciæ reductæ ad florenos de auro ad pondus generale regni Siciliæ ad rationem de florenis quinque per unciam faciunt ſummam unciarum trium millium centum quinquaginta, & pro prædictis militibus, equitibus centum ad rationem de unciis duabus pro quolibet ipſorum per menſem in florenis prædictis faciunt ſummam unciarum ſexcentarum: & tota prædicta pecunia erit in ſummam pro tribus menſibus unciarum quatuor millium quinquaginta annis ſingulis, quibus continget fieri invaſionem prædictam computando ut ſupra.*

Trinacrius Joannæ regnum acceptum relaturus ſit.

Et vectigal militare ſoluturus.

XXI. *Redintegrata vero inſula, vel majori parte ipſius, ut ſupra, ad dominium & obedientiam ipſius Frederici, præſtabit ipſe Fredericus & ſui ſucceſſores dictum ſervitium in pecunia juxta præmiſſum calculum ſine diminutione quacumque: & ſi dubium oriri contingat, quæ cenſeri debeat notabilis invaſio, vel redintegratio inſulæ de quibus ſupra, ſtetur ſimplici dicto noſtro & Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, etiam parte non vocata. Sufficiet autem dictam redintegrationem, de qua præmittitur, ſemel fieri, dictuſque Fredericus per procuratorem & ſucceſſores ipſius utriuſque ſexus deſcendentes ex eo ſuccedentes in dicto regno Trinacriæ ſeu inſulis per ſe ipſos, niſi juſtum impedimentum contigerit. Quo caſu per procuratorem ſufficientem & idoneum, ſufficienti poteſtate ſuffultum teneantur & debeant præſtare & facere pro dictis inſulis & regno Trinacriæ homagium, fidelitatis juramentum præfatæ Joannæ & ſingulis ſucceſſoribus ſuis in dicto regno Siciliæ ex ſuo corpore deſcendentibus; & etiam ſingulis non deſcendentibus ex ſuo corpore teneantur modo ſimili præſtare, & facere fidelitatis juramentum*



Sacramenti formula Joannæ & ſucceſſoribus præſtandi.

*tum ſub hac forma: Ego Fredericus Dei gratia Rex Trinacriæ juro ſuper hæc ſancta Dei evangelia, quod ab hac hora in antea ero fidelis vobis sereniſſimæ dominæ Joannæ Reginæ Siciliæ illuſtri, & veſtris in regno Siciliæ ſucceſſoribus, ac impendia omnia ſiniſtra, & præjudicialia vobis, regno, ſtatui, & honori veſtris, cum ad meam notitiam pervenerint, quanto melius ſcivero & potero avertam: quod non ero in conſilio vel facto contra perſonam, regni ſtatum, & honorem regalem veſtrum, ſed ipſas perſonas, regnum, & regalem honorem defenſabo toto poſſe per me & meos bona fide contra omnem hominem viventem, excepto domino noſtro Gregorio Papa XI. & ejus ſucceſſoribus, ac ſede Apoſtolica: & omnia & ſingula capitula ſub forma fidelitatis contenta inviolabiliter obſervabo: univerſas & ſingulas promiſſiones, obligationes, conventiones, in præſenti privilegio, inſtrumento, ſeu literis contentas, & omnia & ſingula in eis contenta plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia; ita tamen quod ex prædictis recognitione regni Trinacriæ ſeu inſularum, ac homagio & fidelitatis juramento comites, barones, & omnes vaſſalli & fideles Friderici præfati, heredum, & ſucceſſorum ſuorum in regno & inſulis ſupradictis, nullo reſpectu nulloque jure intelligantur aſtricti, nec cenſeantur ſubjecti præfatæ Reginæ ſeu heredibus ſuis; nec in eoſdem præfata Regina ſeu heredes ſui cognitionem, juriſdictionem, ſeu aliam poteſtatem exercere valeant nec prætendant: immo præfatus Fredericus, heredes, & ſucceſſores ſui in dicto regno Trinacriæ ſeu inſulis in eoſdem comites & barones, & alios ſuos vaſſallos, per ſe omnem ac liberam poſſint & debeant juriſdictionem exercere, & pleniſſimam poteſtatem; juribus tamen omnibus & ſingulis noſtris, & Romanæ eccleſiæ ſemper ſalvis.*

Subditi Friderici Joannæ non cenſeantur ſubjecti.

XXII. *Item quod præfatus Rex, heredes, & ſucceſſores ipſius in dicto regno Trinacriæ ſolvent, tradent, & aſſignabunt, & ſolvere tenebuntur eidem Reginæ & ſingulis heredibus & ſucceſſoribus ſuis in dicto regno anno quolibet, in feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi in civitate Neapolitana periculo & expenſis ipſius Frederici & ſuorum ſucceſſorum in regno, ſeu inſulis uncias auri tria millia ad rationem præmiſſam de florenis quinque aut ad pondus generale regni Siciliæ pro qualibet uncia, quæ reductæ ad florenos auri ad pondus & rationem prædictam faciunt ſummam florenorum quindecim millium contingentium dictas inſulas, ſeu regnum Trinacriæ ratione debiti per ipſam Reginam ſanctæ Romanæ eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi; conceſſo tamen gratioſe per eandem Reginam quod præfatus Rex eximatur, abſolvatur, & veniat liberatus pro ſe, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis a præſtatione & ſolutione dicti cenſus per annos tres inchoandos in prædicto feſto Apoſtolorum proxime elapſo. Completis vero annis tribus, teneatur ipſe Rex ſolvere dicta quindecim millia florenorum anno quolibet pro cenſu prædicto eidem Reginæ, & ſingulis ſuis ſucceſſoribus in regno Siciliæ prædicto in civitate Neapolitana abſque diminutione quacumque in prædicto termino feſti Apoſtolorum Philippi & Jacobi modo præmiſſo. In caſu vero quo contingeret regnum Siciliæ redire ad manus ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, eo caſu teneantur & debeant dictus Fredericus & ſucceſſores ipſius præfati dare & ſolvere dicta tria millia unciarum pro cenſu in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ anno quolibet, ubicumque ſummum Pontificem ſeu Romanam curiam adeſſe contingat, expenſis ſuis & periculo; ea remiſſione dicti cenſus de prædictis tribus annis futuris per præfatam Reginam facta ( ſi eis durantibus contingeret regnum ad eccleſiam Romanam redire ) nihilominus in ſuo robore manente.*

De cenſu Joannæ præſtando.

XXIII. *Si vero dictus Fredericus aut ſucceſſores ſui in dicto regno ſeu inſulis quomodocumque non ſolverint integrum cenſum Joannæ præfatæ aut ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ ( vel regno ad Romanam eccleſiam devoluto ) ipſi Romanæ eccleſiæ, & expectati per duos menſes terminum ipſum immediate ſequentes de eo ad plenum non ſatisfecerit aut ſatisfecerint eo ipſo erit & erunt excommunicationis vinculo innodatus & innodati. Quod ſi in ſecundo termino ſubſequente duos menſes eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſolverint, totum regnum Trinacriæ ſeu inſulæ Siciliæ adjacentes prædicta eccleſiaſtico erunt ſuppoſita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menſes primos per plenam ſatisfactionem ejuſdem illius cenſus ſibi non duxerit conſulendum; ita quod, tranſactis eodem termino tertio & duobus proxime ſequentibus menſibus, non ſit de tribus millibus unciarum hujuſmodi primi termini ipſi Joannæ ſeu ejus ſucceſſoribus, aut Romanæ eccleſiæ juxta ordinem prædictum integre ſatisfactum, ab ipſo regno ſeu inſulis ipſorumque jure cadat & cadant ex toto; & regnum ipſum ſive inſulæ ad præfatam Joannam ejuſque ſucceſſores in regno, vel ( regno ad eccleſiam devoluto ) ad Romanam eccleſiam ipſo jure libere & integre revertantur. Si autem de cenſu trium millium unciarum hujuſmodi primi termini infra dictum tertium & duos ſequentes menſes plenarie ſatisfecerit aut ſatisfecerint, nihilominus ſemper pro ſingulis tribus millibus unciarum ſingulorum terminorum, ſi ſimili modo in earum ſolutione ceſſaverit vel ceſſaverint, vel ipſa non ſolverit vel ſolverint,*

Irrogatæ, ſi defuerit ſolvendo Trinacrius pœnæ.

*verint, pœnas ſimiles incurret & incurrent; ſalvis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem, ſeu per Joannam præfatam aut ejus ſucceſſores in regno Siciliæ in hoc caſu. In omnibus vero caſibus, in quibus vel propter ceſſationem ſolutionis cenſus (ut dictum eſt) vel alio quoquo modo regnum Trinacriæ vel inſula cum adjacentibus inſulis prædictis, dictum Fridericum & ſuos ſucceſſores in regno ſive inſulis ſive jure quod habet in illis, privari ipſo jure contingat ſeu privari debere regnum, inſulæ, ſeu jura prædicta ad Joannam præfatam ſeu ejus ſucceſſores in regno, ſeu (regno ad eccleſiam devoluto) ad Romanam eccleſiam libere devolvantur.*

XXIV. De titulo a Frederico uſurpando.

*Item quod præfatus Fridericus, heredes, & ſucceſſores ſui nullo umquam tempore intitulabunt nec ſcribent ſe titulo regni Siciliæ, ſed tantummodo titulo Trinacriæ, & intitulent & ſcribant ſe Reges Trinacriæ, & non ſcribant ſeu intitulent ſe Reges Siciliæ, nec alio titulo Siciliæ: ipſaque Regina & heredes & ſucceſſores ſui intitulentur & vocentur titulo Siciliæ; ita tamen, quod intitulatio regni Siciliæ nullum afferat præjudicium intitulationi regni Trinacriæ, nec e converſo: immo quodlibet regnum diſtinctum per ſe ſuum habeat titulum, nec uni pro altero derogetur, ſervatis dictæ Reginæ & ſucceſſoribus ſuis quæ occaſione præſentis contractus ad eos poſſunt quomodolibet pertinere. Item quod dictus Fredericus pro ſe & ſingulis ſuis ſucceſſoribus in regno Trinacriæ ſeu inſula Siciliæ prædictis promittet ſolemniter, non facere confœderationem ſeu pactionem cum aliquo Imperatore, aut aliquibus principibus, ſeu communitatibus mundi Chriſtianis vel infidelibus contra dictam Reginam, heredes, & ſucceſſores ſuos in regno Siciliæ prædicto: & e converſo dicta Regina prædictas confœderationes & pactiones promittat pro ſe & ſuis in regno Siciliæ ſucceſſoribus, non facere contra eundem Fredericum & ſucceſſores ſuos.*

Non percutiendum ab eo fœdus contra Joannam.

*Item quod præfatus Fredericus veniat liberatus ab omni & quolibet cenſu debito pro dictis inſulis dictæ Reginæ ſeu Romanæ eccleſiæ & habentibus cauſam ab eis, pro omnibus retroactis temporibus uſque nunc ratione inſularum ſupradictarum; ac etiam ab omni jure, actione, debito, ad quæ præfatus Fredericus teneri poſſit ratione dictarum inſularum & cauſa guerrarum eidem Reginæ & dictis ſuis heredibus & ſucceſſoribus alias quomodolibet teneretur. Item præfatus Fredericus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis promittet præfatæ Reginæ & ſucceſſoribus ſuis, quod ipſe Fredericus aut aliquis ejus in regno Trinacriæ ſucceſſor, non receptabit in dicto regno Trinacriæ rebelles, ſeu facientes guerram dictæ Reginæ ſeu ſucceſſoribus ſuis, nec eiſdem præſtabit auxilium, conſilium, nec favorem: & e converſo præfata Regina promittet pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, non receptare rebelles, ſeu guerram facientes præfato Frederico & ſucceſſoribus ſuis, nec eis præſtare auxilium, conſilium, ſeu favorem.*

Non fovendi Joannæ perduelles.

De inſula Lipari poſt mortem Joannæ devolvenda ad Fridericum.

*Item quod inſula Lipari, quam nunc tenet Regina præfata, remaneat cum vaſſallis, fortalitiis, juribus, & pertinentiis ſuis in poteſtate & pleniſſima juriſdictione dictæ Reginæ Siciliæ, quamdiu vixerit; poſt mortem vero ipſius Reginæ redire debeat cum omnibus ſupradictis juribus ſuis ipſo facto ad dictum Fredericum, heredes, & ſucceſſores ſuos tanquam bona de adjacentibus inſulis dictæ inſulæ Siciliæ: quodque prædicta Regina juret, & per ſtipulationem ſolemnem promittat pro ſuis heredibus & ſucceſſoribus prædictam inſulam cum juribus antedictis reſtituere & reſtitui facere præfato Regi, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis: & nihilominus prædicto caſu præfatus Rex, heredes, & ſucceſſores valeant, & licitum ſit eis authoritate propria, ſeu qualitercunque melius poſſint, recuperare & capere dictam inſulam, tanquam unam de adjacentibus inſulis inſulæ Siciliæ, præſenti pacis tractatu nihilominus in ſuo robore permanente; convento expreſſe, quod in ſuperioribus capitulis, ubi fit mentio de adjacentibus inſulæ Siciliæ & regni Trinacriæ, non intelligatur de inſula Lipari, niſi prout in iſto capitulo continetur.*

Creatur Fridericus a Pont. Rex Trinacriæ.

*Et cum firmata fuerint per partes, & ſolemniter roborata contenta in præſentibus capitulis & tradita inſtrumenta, ſeu literæ aurea bulla bullatæ, ut inferius continetur, dictum Fredericum in eo caſu ex nunc Regem Trinacriæ facimus, conſtituimus, & creamus, & concedimus authoritate apoſtolica, quod dictus Fredericus, & ſucceſſores ſui in regno ſeu inſula prædictis, titulo prædicto Trinacriæ intitulare poſſit ſe: & non aliter, nec alio ullo modo. Item quod præfata Regina & ejus in regno Siciliæ ſucceſſores dabit & dabunt, præſtabit & præſtabunt præfato Frederico, heredibus, & ſucceſſoribus ſuis, auxilium, conſilium, & favorem juxta poſſe ſuum circa reductionem, & redintegrationem dictæ inſulæ ad dominium, & obedientiam præfati Frederici & ſucceſſorum ſuorum; non aſtringendo ſe, nec ſucceſſores ſuos niſi juxta velle & beneplacitum ſuum, & eorum. Et ut præmiſſa omnia & ſingula cum mutationibus, additionibus, & detractionibus authoritate apoſtolica per nos factis, per Joannam Reginam & Fredericum præfatos inviolabiliter obſerventur, prout ſuperius ſunt expreſſa; infra ſex menſes a die, qua eis fuerint præſentata, teneantur promittere, & ſolemniter tactis ſacroſanctis evangeliis jurare, quod ipſa omnia & ſingula inviolabiliter obſervabunt. De pœnis autem, obligationibus, clauſulis, ſolemnitatibus, & cautelis pro inviolabili obſervantia omnium præmiſſorum partes ipſæ provideant inter ſe, ſicut eis videbitur expedire; pœnis tamen per nos pro obſervantia præſentis tractatus generaliter ſeu aliquorum capitulorum in eo contentorum particulariter adjectis in ſua nihilominus ſemper remanentibus firmitate; declarantes expreſſe, quod per aliquas adjectiones ad tractatum habitum inter partes per nos factas, quæ ſuperius deſcribuntur, non intendimus juri, quod ex feudatione facta de regno Siciliæ Carolo præfato & ſuis ſucceſſoribus competit Joannæ præfatæ, ſeu ejus in regno ſucceſſoribus, in aliquo derogare; immo illud volumus remanere illæſum, iis ſalvis, quæ in præſentibus capitulis continentur. Et ulterius declaramus ſpecialiter, & expreſſe, quod per præſentem tractatum, ſeu aliqua quæ continentur in eo, non intendimus juri alieno quomodolibet derogare. Volumus etiam quod de contentis in præſentibus articulis, qui per nos deſtinantur, nihil partes ipſæ valeant immutare. Et ad hoc, ut firmius obſerventur, prælati, principes, duces, comites, & barones, & ſindici notabilium civitatum, ad hoc poteſtatem habentes, tam inſulæ quam terræ citra pharum jurabunt quanto commodius fieri poterit, infra tempus noſtro arbitrio ſtatuendum in illius vel illorum manibus, quos ad hoc duxerimus deputandos, qui curabunt & facient bona fide, quod præmiſſa omnia & ſingula (quantum eis erit poſſibile) fideliter & inviolabiliter ſervabuntur. Dabunt etiam inſtrumenta ſeu literas præfata Joanna Regina & Fredericus nobis & Romanæ eccleſiæ aurea bulla bullatas, in quibus contineantur & approbentur omnia de verbo ad verbum, prout ſuperius ſunt expreſſa: & in ſingulis homagiis, & fidelitatis juramentis Romano præſtandis Pontifici per eumdem Fredericum, & ejus ſucceſſores in regno Trinacriæ antedicto, ipſe Fredericus & ſui in regno hujuſmodi ſucceſſores modo præmiſſo bullas hujuſmodi renovabunt cum expreſſione nominis Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, & ipſius renovantis, prout ſuperius eſt expreſſum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis VI. kal. ſeptembris Pontificatus noſtri anno ſecundo.*



Joannæ ſucceſſorum juri ex prædictis non detractum pronunciatur.

Ut ſuperiora a Joanna & Friderico renovanda.

XXV. Epiſc. Sarlatenſis legatus in Siciliam.

Ad pacis decreta mandanda operi Gregorius Joannem epiſc. Sarlatenſem in Siciliam legavit: coram quo Joanna Regina proximo anno ſancitas a Pontifice memoratas fœderis leges admiſit; eaſdemque Friderici Regis Trinacriæ oratores, ampliſſimis ad id inſtructi mandatis, confirmarunt. Qua de re extant conſcripta juſſu Joannæ publica documenta, quibus hæc temporis nota adjecta eſt: *Datum Averſæ per manus viri magnifici Ligorii Zuruli de Neapoli militis, logothetæ & protonotarii regni Siciliæ, collateralis, conſiliarii, & fidelis noſtri anno Domini MCCCLXXIII. die ultima menſis martii x. indiction. regnorum noſtrorum anno* XXXI. Altero autem poſt anno Fridericus, qui juſtos Trinacriæ Regis titulos ſibi eo fœdere pepererat, ſuperiora omnia publicis etiam literis, ſuo afferendis (*a*) loco, corroboravit. Cum vero ipſe hoc anno a Pontifice ſupplicibus votis contendiſſet, ut adeundæ ſedis Apoſtolicæ onere ad clientelarem ſponſionem præſtandam liberaretur, ne regnum nondum pacatum in nova diſcrimina coniiceret, annuit Gregorius, modo internuntio apoſtolico acceptum pontificia beneficentia regnum ſolemni ritu referret: quo argumento extat ſubjectum diploma. (*b*)

Superiora a Joanna & Friderico confirmata.

(*a*) *An. Chr.* 1374. *n.* 19.

(*b*) *An.* 2. *ep. com. pag.* 171.

*Gregorius, &c. dilecto filio magnifico viro Frederico de Aragonia inſulam Siciliæ regenti.*

*Cum in capitulis tractatus pacis inter chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Joannam Reginam Siciliæ illuſtrem tuamque magnificentiam auctore Domino reformandæ, contineatur expreſſe, quod tu & ſucceſſores tui in regno præfato* nobis & Romanis Pontificibus, qui pro tempore fuerint, homagium ligium, & ſacramentum fidelitatis præſtare in forma, quæ expreſſe in dictis capitulis continetur; nobiſque pro parte tua fuerit humiliter ſupplicatum, ut cum tibi valde redderetur difficile, ac propter cauſas multiplices etiam perſonæ tuæ dictoque regno magnum periculum immineret, ſi te oporteret ſedem dictam perſonaliter viſitare, tibi indulgere, quod propter hujuſmodi homagium & ſacramentum facienda & præſtanda non tenearis antedictam ſedem perſonaliter viſitare, ſed ſufficiat tibi hujuſmodi homagium & ſacramentum fidelitatis per procuratorem idoneum ad hoc ſufficiens mandatum habentem in manibus noſtris vel Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, vel per te in manibus illius vel illorum, qui ad eadem homagium & ſacramentum recipienda per nos vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices ſpecialiter fuerint ordinati, facere & præſtare de ſpeciali gratia dignaremur; nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi dumtaxat (ita quod hoc indultum ad ſucceſſores tuos in regno præfato nullatenus extendatur, ſed ſucceſſores ipſi hujuſmodi homagium & ſacramentum fidelitatis facere & præſtare perſonaliter teneantur, prout in eiſdem capitulis continetur) quod propter hujuſmodi homagium & ſacramentum fide-*

* debebitis.

Liberatus Trinacrius adeundæ ſedis Ap. labore ad clientelarem ſponſionem præſtandam.

*fidelitatis facienda & præſtanda non tenearis jam dictam ſedem perſonaliter viſitare; ſed ſufficiat tibi hujuſmodi homagium & ſacramentum fidelitatis per procuratorem idoneum, ad hoc ſufficiens mandatum habentem, in manibus noſtris vel Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, vel per te in manibus illius vel illorum, qui per nos vel Romanos Pontifices, qui erunt pro tempore, fuerint ſpecialiter deputati, facere & præſtare, de ſpeciali gratia indulgemus. Volumus tamen, quod ſi te aliquando contingeret ſedem Apoſtolicam perſonaliter viſitare, etiam poſt hujuſmodi homagium & ſacramentum hujuſmodi renovare & facere perſonaliter tenearis. Nulli ergo, &c. Datum Avin.* IV. *kal. novembris anno* II.

(a) To. 2. ep. ſecr. pag. 293.

Monitus eſt aliis literis (a) Fredericus, ut oratores ampliſſimos mitteret ad ſedem Apoſt. qui expoſcerent, ut pontificia auctoritate regia illi ſacra & ornamenta conferrentur. Cæterum ob divulſam eo fœdere Trinacriam a Neapolitano regno Joanna Ludovicum Regem Ungariæ non obſcura in Siciliam hereditaria jura obtendentem in ſe aſperavit (b): quem demulcere niſus eſt Gregorius; eundemque, cum jam lites ſuas cum Cæſare diremiſſet, interpretem adhibuit (c), ut duces Bavariæ cum ipſo conciliaret.

(b) Ibid. pag. 97.

(c) Ibid. pag. 18.

XXVI.

Neque hoc loco reticendum videtur, ornatum a Pontifice hoc anno Imperatorem, pietati ac venerandis ſacris reliquiis egregie addictum, pretioſiſſimo munere, ſacratiſſimæ nimirum crucis, in qua Chriſtus Dominus humani generis crimina ſuo cruore abluit, particula; ipſumque ad dominicam paſſionem recolendam excitatum (d): *Quia ea*, inquit Gregorius, *quæ Chriſti ſunt, tanquam princeps Chriſtianiſſimus devotius veneraris, ut paſſionem Salvatoris noſtri eo mediteris frequentius, & meditando ipſius beneplacitis ferventius te coaptes quo lignum ſuæ crucis, in qua ſalvati ſumus, corporeis oculis ſæpius fueris contemplatus, quandam particulam dictæ crucis repertam inter reliquias & theſaurum ſanctæ Romanæ eccleſiæ recondi fecimus in cruce aurea cum lapidibus precioſis, eamque devotioni tuæ per dilectum filium Elium de Vodromo cantorem eccleſiæ Xantonenſis clericum cameræ noſtræ, Apoſtolicæ ſedis nuncium, latorem præſentium deſtinamus. Datum apud Pontemſorgiæ Avinionenſis diœceſis* VI. *id. maii anno ſecundo.*

(d) An. 2. ep. cur. pag. 33.

Pars ligni vivificæ crucis dono miſſa Cæſari.

In Galliis recruduerant vetera bella: ad quæ avertenda ſummus Pontifex Carolum Regem Francorum ad pacis cum Eduardo Angliæ Rege inſtaurandæ conſilia impellere niſus eſt: verum Itienſe colloquium, ad quod Regum oratores ea de cauſa convenerant, re infecta diſſolutum eſt, extremoque anno de eo Brugis redintegrando ſumptum conſilium. Pontifex itaque Eduardum & Carolum Reges (e), ut ſæpe ante, tum Joannem & Simonem Cardinales internuntios (f), ac proceres de concordia acturos (g) ad pacem inſtaurandam eſt adhortatus. Neque tamen pax potuit conciliari, cum ſecundis rebus Galli uterentur; Anglus vero ſuperioribus bellis & annis pluribus parta uno momento amittere æquo animo non ferret. Cæterum rediere in Gallorum fidem Sanctones, Engoliſmenſes, Fanum S. Angeliaci, Rupella, aliaque loca. In eo belli ardore eccleſiaſtici ab utriſque oppreſſi fuere: a ſenatu quidem Pariſienſi edictum regium iis iniquiſſimum eſt promulgatum (h); ad quod abolendum plurimum operæ impendit Pontifex. Joannes pariter dux Britanniæ eccleſiaſticorum jura eliſit, omnemque in urbibus auctoritatem ad ſe derivare contendit. Sed parum hæc ipſi profuere: Britannia enim pene univerſa ad Regis Francorum partes ſe convertit, ac Joannes, amiſſa ditione, in Angliam transfugere fuit coactus (i).

Diſſolutum pacis colloquium.

(e) Pag. 238.

(f) Pag. 339.

(g) Pag. 237.

Plura ab Anglo amiſſa.

(h) To. 2. ep. ſecr. pag. 211.

Britannia minor ad Gallum redit.

(i) Walſing. in Eduar. III.

XXVII.

Depreſſa etiam eſt in Hiſpaniis ob ſuborta bella eccleſiaſtica auctoritas, ad quam tutandam Gregorius nonnullas Aragonum leges, quarum occaſione plures eccleſiis inferebantur injuriæ, reſtrinxit (k). Inſcriptæ erant eæ, *De ſonu emiſſo*, ac *De pace & treugua*; atque ex una quidem contendebant judices, ut ſi cujuſpiam facinoris reus judiciorum ſeveritatem declinaturus in aliquod caſtrum ſe reciperet, ac præfectus loci reum tradere forenſi ſatellitio detractaret, illud caſtrum oppugnare ac vaſtare agros liceret: quo obtentu plura eccleſiarum nobilia ædificia diruebantur. Altera vero lege cautum erat, ut cum quis poſtulatus judicio non compareret præconis voce, pelleretur in exilium, & quæcunque illi ac bonis, tum partium illius ſequacibus damna inferre liceret: ex quo fiebat, ut viri eccleſiaſtici non ſine magno dedecore præconis voce proſcriberentur omnique ſolatio ac patrocinio eſſent deſtituti: cumque ſententias eccleſiaſticas & cenſuras a conciliis provincialibus latas promulgarent, a magiſtratibus regiis exagitarentur, redigerentur in ſervitutem, ac bona etiam virorum religioſorum impune diriperentur. Edixit itaque Pontifex, ne quis ejuſmodi legum ſpecie eccleſiaſticis ulla damna injuriaſve inferret, ac ſi privatus extiterit, anathemate; ſi plebs, interdicto eccleſiaſtico perculit, ac non niſi ſarcita injuria ſacris reſtitui vetuit: ſi vero non expiato crimine obiiſſent tandiu inhumatos jacere ſanxit, donec heredes læſæ eccleſiæ feciſſent ſatis. Cui edicto apoſtolico dies aſcripta eſt non. februarii.

(k) An. 2. ep. cur. pag. 89.

Nonnullæ Aragonum leges emendatæ.

Conſultum ſacerdotali immunitati.

Ingrata fuit ea conſtitutio Petro Regi Aragonum, ſimultateſque haud leves cum

Ara-



Aragoniæ clero ſuſcepit; quem mulcere Pontifex ſtuduit (a), atque ad æquitatem revocare: *Sane*, inquit, *fili chariſſime, ſi ex conſtitutione præfata juriſdictionem tuam in aliquo fore læſam videas, quod non credimus, id nobis ſignificare non tardes, quia ſuper hoc celeriter, quocumque ſublato favore, miniſtrabimus juſtitiæ complementum. Ideo ſerenitatem tuam attente rogamus & hortamur in Domino, quatenus præmiſſa, quæ de paterni cordis affectu etiam pro tua ſalute prodeunt, debita mente conſiderans, & tanquam divinæ legis amator in Romanæ eccleſiæ matris tuæ benevolentia perſeverans, omni depoſita turbationis materia, quaſlibet regnorum & terrarum tuarum eccleſias & perſonas eccleſiaſticas manuteneas in ſuis libertatibus & defendas, ac eis ob Dei & Apoſtolicæ ſedis ac noſtram reverentiam aſſiſtas, &c. Dat. Avin.* II. *id. maii anno* II.

(a) Ib. p. 142.

Dedit etiam operam Gregorius, ut diſſentientes Reges Hiſpanos in concordiam adduceret, miſſo ea de cauſa Guidone Bolonienſi Cardinale in Hiſpanias, quem ſedente Innocentio VI. apoſtolica legatione perfunctum vidimus, Luſitanus quidem hereditario jure Caſtellæ & Legionis ſceptra ob turpes Henrici natales ſibi debita contendebat: Aragonius vero & Navarrus ob ſuperiores rerum converſiones Caſtellani regni partem divellere, ac ditioni ſuæ adjungere moliebantur.

Hiſpanis Regibus conciliandis navata opera.

Quod ad Henrici Caſtellæ & Petri Aragoniæ Regum controverſiam ſpectat; ea ratione ſopitam refert Surita (b), ut illius arbitrum & concordiæ interpretem Romanum Pontificem delegerint. Quæ literis pontificiis (c) confirmantur: in quibus etiam additur, controverſiam Regis Caſtellæ cum Navarro ſedis Apoſtolicæ judicio permiſſam, idque Caſtellanos oratores profeſſos.

(b) Sur. l. 10. c. 14.

Conciliati Aragonius & Caſtellanus.

(c) To. 2. ep. ſecr. pag. 135.

XXVIII.

Idem etiam munus ſuſcepturum ſe eſt pollicitus Gregorius pro componendis aliis diſſenſionibus, quæ inter Aragonium ipſum & Dominicum e Campofregoſo recrudeſcebant, ut Turcas contunderet, qui in oriente Chriſtianos, noſtrorum uſi diſcordiis, opprimebant (d). Et ſane barbari poſt inſigni prælio deletos (e) Græcos, Valachos, & Raſcios ſigna victricia late circumtulere; atque excitis ex Aſia novis exercitibus Dalmatiam, Macedoniam, Achajam, Neopatriam, Conſtantinopolitanum imperium, ſive eam partem quæ Palæologo Græco, ſive aliam quæ Philippo Tarentino parebat, tum Raſciam & Valachiam in diſcrimen ſervitutis adduxere. Quibus Chriſtiani nominis hoſtium progreſſibus perculſus Dei vicarius Ottobono Cataluſio patria Genuenſi Smyrnarum præfecto, ut ſtudioſe illius urbis, rei Chriſtianæ propugnaculi, cuſtodiæ incumberet, imperia dedit (f): dumque Anglos Galloſque Reges veteribus odiis efferatos, Hiſpanos variis implicitos bellis plenam motibus Italiam, inquietam Germaniam circumſpexit, ad Ludovicum Regem Ungariæ plurium regnorum acceſſione viribus & bellica virtute florentiſſimum cogitationes convertit, pioque ſtudio accendere niſus eſt (g), ut expeditionem in Turcas compararet: ac pericula expoſuit, quæ imminerent Ungariæ, ni mature ad elidendos eorum conatus proſiliret.

Formidandi Turcarum progreſſus.

(d) Pag. 5. & p. 89.

(e) Pag. 88.

(f) Pag. 311.

(g) Eod. to. 2. ep. ſecr. p. 32.

*Gregorius, &c. Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

*Audi, fili chariſſime, verba patris ſalubria, audita mature conſideres, & conſiderata ſtudeas adimplere: cum illa tibi ſuadeant quidquid honoris & gloriæ, quidquid ſecuritatis & commodi, quidquidve perpetui præmii valeas adipiſci. Diebus ſiquidem non longe præteritis multiplicati rumores de diverſis partibus ad ſedem Apoſtolicam perduxerunt, quod impii Turchi atroces hoſtes Chriſtiani nominis, ſuper nonnullas partes Græciæ in gravi multitudine irruentes, ſubactis quibuſdam magnatibus regni Raſciæ, tunc in eis dominantibus & earumdem partium populis profeſſione Chriſtianis, ſcilicet ſchiſmatum & hæreſum maculatione fœdatis, & impietatis erroribus depravatis, lata terrarum ſpatia occuparunt, & uſque ad tui Ungariæ & præfatæ Raſciæ regnorum, nec non Albaniæ & Sclavoniæ confinia pervenerunt & venire ad maritima, & portus obtinere maris Adriatici formidantur: propter quæ timor & tremor fidelibus partium vicinarum incutitur, & deſolationis earum proximum præparatur periculum, ac maris & terræ conturbatio pertimetur.*

Excitatus ad vertenda in eos arma Ungarus.

*Eapropter, cum ad obviandum ſufficienter ingruenti turbini tantæ cladis aliud, quam tuæ prægrandis potentiæ valiturum non videatur remedium, cum præſenti tempore, quo mundus plus ſolito eſt poſitus in maligno, de generali paſſagio in hac parte nequeat provideri; devotiſſimam magnificentiam tuam, quæ inter omnes Reges catholicos conſuevit eſſe & perſecutrix infidelium, & defenſatrix catholicæ fidei, omni qua poſſumus affectione precamur, quatenus pie grateque recognoſcens eximiam potentiam tuam ad hoc a Domino tibi datam, ut ea utaris ad defenſionem ſui populi, quem pretioſiſſimi cruoris ſui ſparſione redemit, & per hoc de caduco regno ſeculi conſcendas æternum, ad occurrendum potenter rabiei & præſumptioni tam crudelis tamque execrabilis nationis tamquam leo fortis & animoſus exurgas, ſpereſque in dextera Regis regum in tuo fideli populo, quod de ipſis hoſtibus victoriam reportabis, & a tuis aliorumque fidelium terminis procul pelles: ſicque tui regni & aliorum fidelium ſecuritati duraturo, Deo dante, ef-*

Monitus, ut periculo imminenti occurrat.

*fi-*

*ficaci remedio providebis; & præter tui famoſi nominis adauctam gloriam æterni regni diademate potieris. Nos enim dilectum filium nobilem virum ducem Venetiarum, ut tibi (ſi indigueris) de copia navigiorum ſubveniat, per noſtras literas exhortamur, alioſque poſſibiles favores Apoſtolicæ ſedis magnitudini tuæ offerimus, cum ad hoc intendere volueris, promptis affectibus impendendos. Dat. apud Pontemſorgiæ Avinionenſis diœceſis id. maji anno ſecundo.*

Pluribus vero aliis literis Eliſabetham Reginam, Carolum Dyrrachinum, archiepiſcopos Strigonienſem & Colocenſem, & epiſcopum Vacienſem eſt adhortatus Pontifex (*a*), ut Ludovicum ad bellum Turcicum concitarent. Conciliare autem illi Venetorum maritimas vires ſtuduit, atque Andream Contarenum ducem ad id literis ſolicitavit (*b*), cum maximi reipublicæ Venetæ intereſſet, Turcarum tyrannidem ingraveſcentem elidere, ne confirmata viribus exitium illi inferret. Apoſtolicis precibus ac monitis obſecutus dux Venetorum potentiam ſuam verſurum in hoſtes fidei tuendæ divinæ gloriæ ſtudio reſpondit; de quo actæ illi a Gregorio gratiæ (*c*). Tum novæ adulto jam anno additæ preces, ut cum Turcæ latius in dies tyrannidem proferrent, ac plures populos ſchiſmaticos ſibi ſubjeciſſent, ſuos oratores in Bœotiam mitteret, qui Thebis fœdus armorum una cum pluribus aliis principibus percuteret.

(*a*) *Ib. p.* 33.

Rogatus Venetus, ut jungat arma in Turcas.

(*b*) *Ead. pag.*

Contarenus dux ad id pronum ſe exhibet.

(*c*) *Pag.* 86.

XXIX. Solemnes porro Gregorius Chriſtianorum conventus Thebis indixit, quibus etiam Neopatriæ & Nixienſem archiep. intereſſe juſſit (*d*): in iis enim orientales occidentaleſque arctiſſimo inter ſe nexu ad compeſcendam Turcicam feritatem devincire moliebatur. Atque in primis Joannem Palæologum Græcorum Imperatorum ſolicitavit (*e*), ut cum Turcæ, maxima illius imperii parte evaſtata, reliquæ excindendæ inhiarent, non expectato etiam Thebanorum conventuum exitu, quantas poſſet copias in barbaros compararet.

Solemnes conventus Thebis indicti.

(*d*) *An.* 2. *ep. cur. p.* 77.

(*e*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.*88.

*Chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri.*

Propoſitum Græco Imp. imminens a Turcis exitium.

*Lachrymabili expoſitione venerabilis fratris noſtri Franciſci archiepiſcopi Neopatrenſis latoris præſentium, publicæque famæ atteſtatione admodum dolenter audivimus, quod impia gens Turcorum, inimica & perſecutrix nominis Chriſtiani tuique imperii occupatrix, in tanta copia de ſuis finibus eſt egreſſa, & peccatis exigentibus noviter ſic prævaluit, quod nonnullos populos dicti tui imperii uſque ad fines Raſciæ & Albaniæ & ducatus Athenarum ſuæ perfidiæ ſubjugavit, & tenet aſtrictos ſub ſua miſerabili ſervitute; & tam potenter tamque fortiter alias partes Chriſtianorum impugnat & invadit aſſidue, quod [niſi obvietur eidem] de totali perditione dicti tui imperii aliarumque terrarum fidelium ultramarinarum probabiliter pertimetur. Nos igitur in tantis Chriſtianitatis periculis de opportunis providere remediis cupientes, inter alia remedia [Deo dante] ad hoc utilia ſuper reſiſtentia Turchis prædictis facienda unionem tuæ magnificentiæ ac aliorum fidelium de dictis ultramarinis partibus providimus & conſulimus eſſe, quam cito fieri poterit, faciendam; & ſuper his hoc certis prælatis ac principibus & magnatibus direximus ſcripta noſtra. Quare imperialem celſitudinem, de cujus intereſſe grandi agitur in hac parte, requirimus & hortamur attentius, ac totis cordis affectibus deprecamur, quatenus ad civitatem Thebanenſem, quæ aliquibus terris tuis vicina, & ad hoc tuis ambaxatoribus & aliis, qui in hac parte tanguntur, quibuſque ſcribimus, magis accommoda reputatur, ad kal. menſis octobris proxime ſecuturi tuos ambaxatores & procuratores cum pleno mandato ad tractandum & faciendam unionem hujuſmodi cum eccleſiarum prælatis ac principibus & magnatibus, qui in ipſa unione ligari & contribuere voluerint, & ad offerendum & promittendum certum ſubſidium gentis armigeræ, in mari vel terra tenendæ, eadem tua ſerenitas velit deſtinare. Nos etenim archiepiſcopo præfato injunximus, quod ad requirendum ex parte noſtra te & eoſdem prælatos & principes ac magnates debeat perſonaliter ſe conferre, vel mittere alium loco ſui: & cum ſit in mora periculum, & conventio requirendorum hujuſmodi propter longam eorum diſtantiam non poſſit citius commode fieri, eandem celſitudinem rogamus ex corde, quatenus non expectata firmatione unionis præfatæ, quam cito poteris tuæ gentis ſubſidium contra eoſdem Turcos mittere non retardes, ſic prompte ſicque magnifice ſuper his facturus, quod tuis & totius Chriſtianitatis damnis & periculis provide obvies & nihilominus exinde a Deo perenne præmium conſequaris. Nos etiam de mittendo ad partes illas Apoſtolicæ ſedis legato & aliis opportunis exhibendis remediis [dante Domino] curabimus providere. Dat. Avin. iv. id. novembris anno II.*

Admonitus ut copias cum Latinis jungat.

Excitati etiam ſunt ad mittendos ad comitia Thebana oratores, avertendumque imminens ſibi a Turcis exitium plures orientales magnates, ut Leonardus e Thoco Leucalæ dux (*f*), Hermolaus e Minocto Lifernarum dominus (*g*), Nicolaus e Carceribus dux Agiopelagi (*h*), Franciſcus Catalufius Mitylenes princeps (*i*), Raynerius de Azajolis genere Florentinus Corinthi regulus (*k*), Franciſcus Georgius marchio Bondaniciæ (*l*) Athenarum & Neopatriæ ducatus præfectus (*m*), earumdemque & finitimarum provinciarum

Alii principes ad id fœdus ſolicitati.

(*f*) *Pag.* 89.

(*g*) *Ib.*

(*h*) *Pag.* 95.

(*i*) *Pag.* 85.

(*k*) *Pag.* 86.

(*l*) *Ead. pag.*

(*m*) *Pag.* 94.



rum archiepiſcopi & epiſcopi (*a*): tum Petrus Rex Cypri (*b*) (qui cum adhuc ætate rebus impar eſſet, Joanni principi Antiochiæ ſacri hujus fœderis cura commendata eſt (*c*);) ac Rhodiorum equitum magiſter (*d*) in id pontificiis adhortationibus incitati. Ex occidentalibus vero præter Ludovicum Regem Ungariæ, quem expeditionis Turcicæ ducem optabat Gregorius (*e*) atque Andream Contarenum Venetorum ducem, Dominicus e Campofregoſo Genuenſium dux (*f*), Fridericus Trinacriæ Rex (*g*), Philippus princeps Tarentinus (*h*) Imperator Conſtantinopolitanus dictus, laceri enim illius imperii portionem aliquam retinebat, ut e literis pontificiis conſtat (*i*), ad eam ſocietatem provocati: citeriores etiam Siculi ad conferenda in Turcos belli ſubſidia inflammati (*k*). Utque fideles ad ea alacrius adducenda concurrerent, propoſitis præmiis indulgentiarum ipſos pellicere conatus eſt (*l*).

(*a*) *Pag.* 98.

(*b*) *Pag.* 95.

(*c*) *Super. p.*88.

(*d*) *Pag.* 89.

(*e*) *Pag.* 87.

(*f*) *Pag.* 89.

(*g*) *Pag.* 95.

(*h*) *Pag.* 89.

(*i*) *Pag.* 200.

(*k*) *An.* 2. *ep. cur. p.* 76.

(*l*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 101.

Cum vero adeo nonnullos mercatores ex ea Genuenſium colonia, quæ Galatam vulgo Peram, incolebat, auri cupiditas obcæcaſſet, ut ſubſidia fidelibus invehenda ad infideles transferrent (*m*), Gregorius Dominicum e Campofregoſo Genuenſium ducem admonuit (*n*), ut tantis malis mederetur. Quæ vero ſuis lucra pepererint ex rebus ſuppeditatis infidelibus hujuſmodi avari mercatores, Peræ atque aliarum nobiliſſimarum Genuenſium coloniarum excidia teſtantur.

(*m*) *Ib. p.* 75.

(*n*) *Ibid.*

Quæ retulerint præmia ab iis.

XXX. Neque Græciam modo Turcæ ſecundis elati ſucceſſibus infelici ſervitutis atterebant jugo, verum Armeniam etiam magnis irruptionibus ſunt populati, adeo ut Regina Maria ad imploranda occidentalium principum contra Chriſtianæ fidei hoſtes auxilia oratorem miſerit. Acceſſit is primum ad Philippum Tarentinum, deinde ad aulam apoſtolicam ſe contulit; de quo hæc eidem Philippo reſcripſit Gregorius (*o*).

Armenia evaſtata a Mahometanis.

(*o*) *Pag.*4.

*Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Imperatori Conſtantinopolitano illuſtri.*

Ad Philipp. Tarentin. de eo literæ.

*Celſitudinis tuæ literas (in quibus nobis filialiter ſupplicaſti, ut chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Reginæ Armeniæ minoris illuſtri nepti tuæ ſuoque regno, ex Turcorum ſævis hoſtilitatibus in anguſtia & grandi periculo conſtitutis, de opportuno ſuccurſu fidelium Chriſti providere apoſtolicæ ſolicitudinis ſtudio dignaremur) benigne recepimus, & venerabilem fratrem Joannem archiepiſcopum Sitienſem præfatæ Reginæ nuncium latorem præſentium, dilecto filio Manuele Armeno nato quondam Joannis de Leone militis Januenſis interprete ſuo mediante, audivimus & audiri fecimus diligenter: dolemuſque ab intimis, quod videntes totam fere Chriſtianitatem, illas præſertim ipſius partes, quæ ultramarinis fidelibus ſolebant in neceſſitate ſuccurrere, bellorum turbinibus involutas, non occurrit nobis quomodo dictis Reginæ & regno ſuccurri valeat feſtinanter & magnifice ut articulus neceſſitatis expoſcit. Sed nihilominus ſuper hoc dilectis filiis nobilibus viris principi Antiocheno gubernatori regni Cypri, ac Venetiarum & Januenſium ducibus, nec non magiſtro & conventui hoſpitalis Jeroſolymitani dirigimus preces noſtras: & ubi tua manificentia & prædicti vel alii vellent circa ſuccurſum præfati regni aliquem notabilem facere apparatum, nos paratos offerimus dare indulgentiam in talibus conſuetam. Tuam autem ſublimitatem ad tribuendum ſuccurſum hujuſmodi per nos rogari non expedit, vel induci, cum te ad hoc præ cæteris ſecundum tuam potentiam voluntarium exiſtimemus: expediret tamen, quod ad tantum negotium, apud tot & ſic diſtantes perſonas, & alias utiliter promovendum, eſſent aliqui ad id idonei atque voluntarii & ſoliciti promotores, de quibus ſatis deceret per tuam magnitudinem provideri; ac etiam ſolicitari, rogari, & induci ad ſuccurſum hujuſmodi chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Ungariæ illuſtrem tuum & Reginæ præfatæ conſanguineum, quem Deus in mari & terra grandi potentia roboravit.*

Qui principes ad ferendam opem excitati.

*Verum quia idem archiepiſcopus inter alia nobis expoſuit, & veriſimile creditur multum expedire honori, ſtatui, & ſaluti præfatorum Reginæ & ſuorum ſubditorum, quod ipſa haberet conſortem de occidentalibus partibus genere illuſtrem, ſtrenuum, ac magnanimum & potentem, aliaſque aptum ad recuperationem, defenſionem, & regimen ſui regni, & hoc merito credimus (ſi talis reperiri valeat) plurimum expedire; diverſis magnatibus & partibus mentaliter perluſtratis, occurrit nobis dilectus filius nobilis vir Otho dux de Brunſuich, de genere imperiali Othonum de Saxonia conſanguineus dilecti filii nobilis viri Joannis marchionis Montisferrati, cujus guerras ſtrenue geſſit & gerit, & etiam conſanguineus regalium Cypri, cujus Othonis frater habet in conſortem matrem claræ memoriæ Petri Regis Cypri; a quibus regalibus & fratre propter vicinitatem utilia poſſet ſubſidia obtinere: qui quidem Otho multum providus & magnificus, aliaſque virtuoſus fama celebri reputatur. Et licet non ſit potens de ſe ipſo, tamen cum ſua prudentia & ſolicitudine, ſi ad hoc vellet intendere, poſſet congregare ſubſidia diverſarum * ſuper quo ſibi nuper fecimus ſcribi, & dictus archiepiſcopus vult tranſire per eum & ejus exquirere voluntatem, quam & alias ejus conditiones poterit indagare, tibique referre: tuque ſuper hoc poteris cogitare & de ipſo vel alio meliori præfatæ Re-*

De principe Latino thoro jungendo Reginæ Armeniæ actum.

Propoſitus Otho Brunſuvicenſis.

Rogatus, ut exercitum cogeret tranſportandum in Armeniam.

* nationum.

*Reginæ tuum ſalubre conſilium deſtinare. Datum Avin. kal. februarii anno* II. Nupſiſſe poſtea Othonem Brunſuicenſem non Armenæ, ſed Neapolitanæ Reginæ, viſuri ſumus: quam etiam rogavit (*a*), ut ad paranda laboranti Armeniæ auxilia incumberet: tum Andream Contarenum Venetorum ducem rogavit (*b*), ut claſſem pro Turcis Armenia propulſandis adornaret: inque ejuſdem belli Armenii adverſus Turcas ſocietatem adducere ſtuduit Dominicum e Campofregoſo (*c*) ac Raimundum Berengarium Rhodiorum equitum magiſtrum. Præterea Mariam Armeniæ Reginam (*d*) eſt adhortatus, ut Armenos in Chriſti hoſtes confirmaret: auxiliis comparandis jam ſe dediſſe operam, ac poſthac maximam daturum. Impellendi etiam in Armenorum opem erant Cyprii: ſed triſtis & inopinatus caſus bello atrociſſimo Cyprios ac Venetos fœderatoſque inter & Genuenſes faces injecit.

(*a*) *Ead. pag.*
(*b*) *Eod. to.* 2. *ep. ſecr. pag.* 5.
(*c*) *Ead. pag.*
(*d*) *Ead. pag.*
Diſturbatus ex novis diſcordiis auxiliorum apparatus.

XXXI.
Cyprius Rex adoleſcens ad virtutes excitatus.

Succeſſerat in Cypro Petro Regi ſtrenuiſſimo infidelium domitori, quo duce Chriſtiana res inſtaurari in Aſia potuerat, Petrus filius, ſive Petrinus ob ætatis imbecillitatem appellatus, cui paternum ſceptrum imbellibus manibus ſuſcipienti Pontifex ſtimulos pios addidit (*e*), ut virtutibus ætatem ſuperare niteretur, fidemque amplificare, domare ſchiſmaticos, impios contundere, ac venerari eccleſiam ſtuderet; [1] *Excellentiam*, inquit, *tuam rogamus, & paterna charitate monemus, ac exhortamur in Domino, quatenus in Deum, per quem Reges regnant, & regium ſolium ſtabilitur; ſine quo omnia caduca & inſtabilia reperiuntur & varia, & ſubito dilabuntur & decidant, erigas tuam ſpem, ejuſque mandata cuſtodias, tuamque juventutem, vitam, & mores ita honeſtis rationibus & diſciplinis inſtituas atque regas, ut obtinere nomen & decus regium merito comproberis, fidemque catholicam, quæ omnium aliarum virtutum eſt primum & ſtabile fundamentum, in tuo regno conſervare & augere: infideles quoque ac ſchiſmaticos comprimere, prælatos eccleſiaſticaſque perſonas, eccleſias & monaſteria, earumque libertates manutenere, conſervare, protegere, atque tueri, & ampliare totis viribus innitaris; juſtitiam, ſine qua Reges non differunt a tyrannis, conſtanter & ſummo opere colere, pacem & tranquillitatem atque concordiam ſummis ſtudiis procurare coneris. Et quia juvenilis ætas, in qua regia tua celſitudo conſiſtit, maxime indiget prudentum conſiliis dirigi, age, fili chariſſime, ut bonorum & prudentum conſiliis acquieſcas: & ſic cætera, ut ſperamus, laudabiliter exequaris, quod ſub tuo regimine regnum ipſum honoris & commodorum continuo ſuſcipiat incrementa, & ſancta Romana eccleſia mater tua de tuis ſucceſſibus ſingulariter collætetur, &c. Dat. Avin. id. junii anno ſecundo*. Exacuit etiam Gregorius aliis literis Reginam Eleonoram, ut conformandis filii moribus vacaret.

(*e*) *Eod. to.* 2. *ep. ſecr. pag.* 269.
Tradita illi præcepta.

Dum regiæ illius inunctionis pompa ornabatur, vetus ac funeſta inter Venetorum & Genuenſium in Cypro commorantium prætores, vulgo bajulos vocant, exarſit (*f*) æmulatio de ſuperioris honoris loco: quæ controverſia ad Venetorum gratiam dirempta. Deinde Genuenſes ſolemni convivio accumbentes, ira & vino calentes procacia verba laxarunt in Venetos, ac die altero, reconditis ſub veſtibus ſicis, ad epulas regias acceſſere. Patefacta re revocantur in crimen conſpirationis in Regem, ac velut in flagranti ſcelere deprehenſi, octo numero e turri regia in præcipitium acti. Perperam ſane id actum, nulla ſcilicet de iis habita quæſtione, cum ad deturbandos tantum ſuperiore loco æmulos inſanum facinus illos aggreſſos conjectura non abeſſet: tum magno crudelitatis exemplo aliorum Genuenſium inſontium cædes editæ. Perlata re in occidentem, verſa omnis Genuenſium ad vindictam cogitatio: atque ita ex paucorum mercatorum inſanientium jurgiis bellum ingens conflatum, quo Chriſtianorum pars mutuis gladiis cædenda erat, alia Turcarum ſævitiæ exponenda, & diſſoluta omnia ſuperiora de contundenda Turcica tyrannide ſuſcepta conſilia a Chriſti vicario. Qui eam ob cauſam ingenti dolore affectus apoſtolica ſtudia ad molliendas Genuenſium iras convertit, hiſque literis ut Chriſti cauſam ſuæ præferrent, ſolicitavit (*g*).

(*f*) *Foliet. l.* 8. *Bizar. l.* 2. *de bello Veneto.*
In regia celebritate Genuenſes & Veneti diſſident.
Genuenſes læſæ majeſtatis rei acti præcipites de turri.
Alii inſontes trucidati.
Ex paucorum mercatorum jurgiis bellum atrox enatum.
(*g*) *To.* 2. *ep. ſecr. pag.* 104.

*Dilecto filio nobili viro Dominico de Campofregoſo duci, ac conſilio antianorum & communi civitatis Januenſis.*

*Fidedigna, ſed amara nimis, quorumdam relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod hoſtis humani generis, ſuſcitator indeſinens ſcandalorum inter vos & Cyprienſes (quorum & nonnullorum ultramarinorum fidelium una vobiſcum confœderationem adverſus impios Turcos ſacræ fidei inimicos, perſequentes plus ſolito Chriſtianos, tractari & fieri per apoſtolicas literas nuper vobis & eis ſuaſimus) grande ſcandalum ſuſcitavit: propter quod adeo provocati dicimini quod diſponitis certas armare galeas, & guerram facere Cyprienſibus prælibatis. Nos igitur advertentes, quod guerra ipſa eſt nimium periculoſa vobis & eiſdem Cyprienſibus, aliiſque Chriſticolis, maxime iſto tempore, quo iidem Turci contra Chriſtianos eoſdem ſuas vires extendunt, & proh dolor! dilatant potentiam, quodque ambaxiatores eorundem Cyprienſium, ut fertur, tam fuerant Venetiis ad ſedem Apoſtolicam profecturi, & quod forſan talia portant, quod de eis poteritis contentari; ac intendentes inter vos & Cyprienſes præfatos concordiam procurare, prudentiam veſtram rogamus & hortamur attentius, vobis ſano conſilio ſuadentes, quatenus mature conſiderantes præmiſſa, & quod ſicut cortina cortinam trahit, ſic ſcandalum ſcandala generat & bellum bella producit, ex quibus utræque partes nimium patiuntur; ab omni novitate Cyprienſibus inferenda præfatis velletis penitus abſtinere. Dat. Avin.* VI. *kal. januarii anno* II.

Genuenſes claſſem inſtruunt in Cyprios.
Moniti placanda ira.



Adhibiti ſunt a Gregorio (*a*) Thomas patriarcha Gradenſis ac Bartholomæus archiepiſcopus Genuenſis, ut ducis ac ſenatus exaſperatos animos delinirent, atque arma in Turcas, a quibus majora tum iis tum cæteris fidelibus imminebant diſcrimina, traducerent: ſed hæc omnia ad irritum cecidere, uti ſuo loco lugebimus. Nunc de pontificio in traducendis ad Chriſtum infidelibus, convertendis ſchiſmaticis, hæreticis abolendis nonnulla afferamus.

(*a*) *Ead. pag.*
Miſſi a Pont. internuntii ad ſopiendum bellum.

XXXII.
Minoritæ ad evangelium propagandum adhibiti.

Data eſt provincia Franciſco e Podio Minoritarum in Tartaria Aquilonari vicario (*b*), ut duodecim viros religioſos ad barbaros evangelii luce colluſtrandos duceret mitteretve: conceſſa ad Ludovici Regis Ungariæ preces facultas Boſniæ vicario (*c*), ut in Boſnia, Raſcia, & Baſarat plura religioſa domicilia pro amplificanda fide ſtatueret: *Quod*, inquit, *in eiſdem*, Boſniæ ſcilicet Raſciæ ac Baſarat, *& aliis partibus eis vicinis multi ſchiſmatici & hæretici commorantur; & quod ibidem convertendorum meſſis eſt multa, operarii vero pauci*. Præterea, flagitante eodem Rege, religioſæ illius familiæ præfecti, quos miniſtros vocant, encyclicis literis ſunt excitati (*d*), ut ſodalibus, quos pius ardor ad laborem commoveret, eo proficiſci permitterent: cum licet plures in dies hæretici & ſchiſmatici errores damnarent, major tamen multitudo fidem ſuſceptura eſſet, ſi præconum evangelii major numerus in id incumberet. In Halicia, cum epiſcopus ſchiſmate infectus eſſet, Andreæ epiſcopo Cerethenſi, catholicorum illius provinciæ cura eſt demandata (*e*). Refloruit fides orthodoxa in Moldavia, cujus princeps Laſco ad Romanæ eccleſiæ obſequium rediit quem Gregorius ad propagandam in principatu pietatem eſt adhortatus (*f*).

(*b*) *An.* 2. *ep. cur. pag.* 17.
(*c*) *To.* 2. *ep. ſecr. pag.* 35.
(*d*) *Ib. p.* 36.
(*e*) *An.* 2. *ep. cur.*
Moldavus ſchiſma ejurat.
(*f*) *To.* 2. *ep. ſecr. p.* 8.

*Dilecto filio nobili viro Laskoni duci Moldavienſi ſalutem, &c.*

*Literas tuæ nobilitatis gratanter recepimus, ad quarum contenta præſentibus reſpondemus, quod ſicut de tua converſione ad catholicam fidem & obedientiam ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum fidelium, & tua bona perſeverantia in Domino gratulamur, ita de tuæ uxoris, quæ in prioribus erroribus permanet, pertinacia condolemus: ſperanteſque quod tu ſalutaribus & ſedulis monitis, tuæque præclaræ, ac ſinceræ fidelitatis exemplis ad præfatam fidem & obedientiam convertas eandem, te non intendimus cogere ad eam quocunque tempore dimittendum: ſed caute caveas, ne propter mutuam cohabitationem ipſius uxoris ab ea quomodolibet ſeducaris, & a tuis ſanctis propoſito & profeſſione, quam feciſti dictæ eccleſiæ, retraharis (quod abſit) ſed in eis ſemper proficias ad tuæ ſalutem animæ, & exemplum invitabile aliorum. Dat. Avin.* VIII. *kal. februarii anno ſecundo.*

Gratulatoriæ ad Laſconem ducem literæ.

XXXIII.

Per idem tempus ſubortæ ſunt plures hæreſes, atque infernæ poteſtates ad oppugnandam eccleſiam habenas furori effudiſſe viſæ ſunt: in Germania in primis proſiliere ſceleſti homines, qui inſtituta a Chriſto ſacramenta negarent, quos a fidei cenſore ordinis Prædicatorum comprimi juſſit Gregorius (*g*): *Cum*, inquit, *ſicut accepimus, peſtis illorum hæreticorum negantium eccleſiaſtica ſacramenta, qui appellantur Flagellatores, in nonnullis Alamanniæ partibus, procurante humani generis inimico, dicatur exorta, &c.* Cum etiam pluribus libris aureo fictæ pietatis calice babylonica venena ſimplicibus propinarentur, Pontifex cauſarum fidei cognitoribus, coacto doctorum cœtu, excuti exurique hujuſmodi libros juſſit, (*h*), objectiſque graviſſimis pœnis exſcribi perlegive vetuit.

(*g*) *Eod. to.* 2. *ep. ſecr. p.* I.
Flagellatores ſacramenta negant.
Libri hæretic. exuri juſſi.
(*h*) *An.* 2. *ep. cur. p.* I.

Inter cæteros impios Albertus epiſcopus Alberſtadenſis e paſtore in lupum ſæviſſimum verſus, inſano dogmate ſuos inficere non perhorruit, quo libertatem humani arbitrii perimebat, affirmabatque omnia fato inevitabili contingere: merita ac demerita tollebat: divini Numinis & ſanctorum opem uti ſupervacaneam non implorandam cenſebat. Ut vero inſanientem ad ſanitatem mentis revocaret Gregorius, cenſoribus fidei partes demandavit (*i*), ut ipſum ad damnandas publice coram populi circumfuſa multitudine hæreſes apoſtolica authoritate adigerent: detrectanti judicium apud ſubſellia pontificia intenderent, ac bimeſtri excurrente comparere juberent.

Albertus epiſc. Alberſtaden. hæreſiarcha.
(*i*) *Eod. an.* 2. *ep. cur.* II.

NOTÆ [1] BElli Cyprii cauſas hoc anno natas optime explicat Annaliſta, utpote cui fidem adſtruunt indubiam rerum Genuenſium, non recentiores tantummodo ſcriptores quos laudat, Folietta, Bizarus, ſed & authoritas ſcriptorum ejus ætatis atque inter cæteros Georgii Stellæ, qui res Genuenſes per hos annos ſcribebat. Ejus vero teſtimonio diſcimus qua die Petrus regni Cyprii coronam ritu ſolemni aſſumpſerit, nam id præſtitum die X. Octobris notat. MANSI

*Gregorius, &c. Herbordo præpoſito eccleſiæ S. Severi Erfordenſi Maguntinæ diœceſis, ac Vualchero Karlinger ordinis fratrum Prædicatorum profeſſori in nonnullis partibus Alemanniæ inquiſitori hæreticæ pravitatis, ac Rodulfo ordinis fr. Eremitarum S. Auguſtini profeſſori in ſacra theologia magiſtris.*

Fatum inducebat.

Tollebat liberum arbitrium.

Et merita & demerita.

*Non abſque multa amaritudine noſtri cordis fidedignis relatibus ad noſtrum pervenit auditum, quod Albertus Alberſtadenſis epiſcopus coram multis nobilibus & aliis tam clericis quam laicis civitatis & diœceſis ſuæ, paſtorali gubernationi, non diſſipationi a ſede apoſtolica commiſſarum, in verba nefandiſſima aſperſa labe pravitatis hæreticæ ſæpius eſt prolapſus, aſſerendo inter cætera contra catholicam fidem & ſanctorum patrum definitiones, quod omnia in hoc mundo ex neceſſitate eveniunt, & quod fata cuilibet homini vitæ ac mortis neceſſitatem imponunt; & quod non eſt habendum conſilium nec deliberandum de aliquo, cum omnes actus hominum, etiam a libero arbitrio procedentes, noſcantur ex neceſſitate cœleſtis influentiæ provenire, quodque de his idem epiſcopus eſt in illis partibus publice diffamatus: propter quæ nonnulli etiam nobiles & alii de partibus illis dicto epiſcopo, qui literatus aſſeritur humana ſcientia potius, quam divina ſapientia eruditus, damnabiliter in hac parte credentes, & per hæc putantes tolli merita & demerita, incipiunt omittere invocationem divini auxilii & ſanctorum, nonnullaque alia opera pietatis, & alias in dicta fide catholica vacillare; ac alia multa & periculoſa nimium ſcandala in dictis partibus oriuntur.*

Publice hæreſim ejurare juſſus.

*Nos igitur, ne tam lethalis morbus ſerpat in plurimos, & Chriſti fideles ſua peſtifera contagione commaculet, ſed jam ortus penitus extirpetur, volentes (prout ad noſtrum ſpectat officium) ſuper his de opportuno remedio providere; diſcretioni veſtræ per apoſt. ſcripta mandamus, quatenus ſi vocatis dicto epiſcopo, & aliis, qui fuerunt evocandi, inveneritis ita eſſe, ſeu eumdem epiſcopum fore de prædictis publice diffamatum, ipſi epiſcopo ex parte noſtra in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis & ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium pœnis, quas eo ipſo incurrat, niſi fecerit quæ præceperitis ſibi, diſtricte mandantes, quod in præſentia veſtra ac cleri & populi dictarum civitatis & diœceſis, ad hoc ſpecialiter congregandorum, errorem & temeritatem hujuſmodi veraciter & humiliter recognoſcens, prædicta temere prolata per eum publice revocare, retractare, & deteſtari ac ejurare procuret, dicendo & aſſerendo, quod talia credere & aſſertive dicere hæreticum eſt, & a præfata fide catholica alienum, confecto exinde publico inſtrumento: & ſi hoc infra certum peremptorium terminum competentem, quem ad id ſibi duxeritis ſtatuendum, non fecerit, ipſum ex parte noſtra citetis, quod infra duorum menſium ſpatium, a die citationis hujuſmodi computandum, conſpectui noſtro perſonaliter ſe præſentet, ſuper his & aliis noſtris pariturus mandatis, ac pœnam & pœnitentiam debitas ſubiturus, ac ſuper præmiſſis ſtaturus, & recepturus quod juſtitia ſuadebit. Et nihilominus, ſive idem epiſcopus præmiſſa aſſertionem & verba revocaverit, retractaverit, & abjuraverit publice, ut præfertur, ſive non, vos & quilibet veſtrum per vos vel alium ſeu alios ea publice prædicetis, & aſſeratis fore hæretica & a ſancta Romana eccleſia matre & magiſtra cunctorum fidelium reprobata: tuque fili, inquiſitor, & alii inquiſitores hæreticæ pravitatis contra omnes & ſingulos hujuſmodi hæreſis labe reſperſos, prout ad veſtrum ſpectat officium, procedatis, &c. Dat. Avin. id. martii anno ſecundo.*

XXXIV. Exercita cenſura in Beghardos.

Contaminabant etiam Germaniam Begardi ac Beghinæ multis erroribus: in quos cum jam ante Urbanus V. Carolum Imperatorem excitaſſet, ut imperiali auctoritate cenſores fidei in obeundo munere fulciret, iique in Magdeburgenſi & Bremenſi provinciis judiciorum ordinem in hoſce hæreticos inſtituiſſent; mox impii ad declinandam ſeveritatem in provincias quas Rhenus alluit, tum Hollandiam, Brabantiam, ac ducatum Stetinenſem, ubi altiores impietas radices fixerat, avolarunt. Ad quos revocandos in viam ſalutis, perdendoſve, ne cæteros ſubornarent, Carolum Imperatorem ſolicitavit Gregorius, ut principes ac magiſtratus cauſarum fidei cognitoribus auxilio non deeſſe juberet (a). Encyclicis quoque literis apoſtolicis (b) univerſi archiepiſcopi & epiſcopi, principes, proceres, urbiumque magiſtratus Germaniæ, Poloniæ, Sileſiæ tuendæ fidei ſtudio inflammati ad Begardos abolendos; cum etiam in finitimis Ungariæ provinciis plures impii, abjecto Chriſti cultu, ad Mahumeticam ſuperſtitionem deſciſcerent; atque alii, qui ab ea ad Chriſtianorum caſtra transfugerant, poſtquam baptiſmo fuiſſent initiati, ad priſtinam impietatem relaberentur; Gregorius tantum flagitium repreſſurus Prædicatoribus & Minoritis, quibus de fidei cauſis cognoſcendi munus erat injunctum, dedit imperia (c), ut in hos eodem pœnæ genere atque in hæreticos animadverterent.

(a) To.2. ep. ſecr. p.1.

(b) An.2. ep. cur. p. 51.

Nonnulli ad Mahumetiſmum deficiunt.

Pœnæ in hos ſtatutæ.

(c) Ib. p. 52.

Waldenſes reprimi juſſi.

In Waldenſes etiam, qui Allobrogum, Provinciæ, ac Delphinatus fines inquinabant, ſtatuit Pontifex eccleſiaſtica tribunalia, ut eam peſtem, quæ exciſa ſæpius iterum germinabat, aboleret: ac tum præſules (d), ut Petrum archiepiſcopum

(d) To. 2. ep. ſecr. p.129.

Ebre-



Ebredunenſem, & epiſcopum Valentinum, tum Delphinatus Viennenſis præfectum (a) atque Amedeum comitem Sabaudiæ (b) permovit, ut ſua auctoritate ac potentia fidei cenſores abolendæ illi peſti vacaturos communirent.

(a) Ead. pag.

(b) Pag. 128.

XXXV. Nova hæreſis Toloſæ diſſeminata.

Toloſæ ſimiliter, in qua urbe olim Albigenſium colluviem diu hæſiſſe vidimus, hæreſeon novarum ſpargebantur ſemina, jamque plures religioſos & ſeculares ſcientiæ avidiores inter ſe ad periculoſas concertationes curioſa temeritas commiſerat, in quibus plura adverſus fidei veritatem nonnulli effutierunt: cui naſcenti malo adhibiturus remedium Gregorius, Toloſano archiepiſcopo atque Hugoni ordinis Prædicatorum fidei cenſori partes dedit (c), ut in eos, qui Toloſæ diſputando concionandove aliquem contra fidem catholicam errorem diſſeminarent, eccleſiaſticam ſeveritatem diſtringerent.

(c) An.2. ep. cur. p. 169.

*Gregorius, &c. venerabili fratri .. archiepiſcopo Toloſano, & dilecto filio Hugoni de Verduno ordinis fratrum Prædicatorum profeſſori magiſtro in theologia, inquiſitori hæreticæ pravitatis in partibus illis authoritate apoſtolica deputato.*

Animadverti jubet Pont. in ſectarios.

*Nuper diſplicenter accepimus, quod in civitate Toloſana, nonnullæ perſonæ eccleſiaſticæ ſeculares & etiam regulares, plura ſapere, quam oportet, contra doctrinam apoſtoli temere appetentes in ſuis prædicationibus, diſputationibus, reſponſionibus, determinationibus, ac lecturis, nonnulla erronea & fidei orthodoxæ contraria prædicare, docere, tenere, & aſſerere non verentur in animarum ſuarum periculum, Chriſti fidelium pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, tam circa correctionem exceſſuum hujuſmodi, ne ſanguis prædictorum de noſtris manibus requiratur, quam circa ſuarum ſalutem animarum providere ſalubriter cupientes, ac ſperantes id poſſe per veſtræ diligentiæ ſtudium feliciter divina ſuffragante gratia provenire; diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus omnes & ſingulos ſeculares & etiam religioſos qui Toloſæ errorem aliquem contrarium fidei orthodoxæ prædicaverunt, aut in futurum prædicabunt, vel docuerunt ſeu tenuerunt aut aſſeruerunt, vel in futurum hoc facient in ſuis diſputationibus, reſponſionibus, determinationibus, aut lecturis, authoritate apoſtolica, prout juſtum fuerit, corrigatis, puniatis, & ipſos hujuſmodi eorum errores revocare compellatis. Dat. Avin.* XIV. *kal. decembris anno ſecundo.* Dum floruit pietate Gallia, Reges pontificia imperia in hæreticos ſua authoritate armarunt: quibus ſane parata eſt ingens gloriæ meſſis, ſi in excindendis hæreticis Chriſtianiſſimi nomen implere velint.

Raymundi Lulli libri ut peſtiferi accuſati.

In Aragonia ſparſi erant apud imperitum vulgus plures libri variis erroribus inquinatiſſimi Raimundi Lulli Balearis nomine inſcripti, ſive ii ab eo compoſiti, ſive ab aliis ut tutius ſub ſplendido nomine venena funderent conficti. De quibus cum Nicolaus Eymericus fidei cenſor ad ſedem Apoſtolicam retuliſſet, Gregorius archiepiſcopo Terraconenſi dedit imperia (d), ut eos libros diligenter conquireret, atque una cum theologis doctrinam iis contentam in examen adduceret; ac ſi aliquibus fœdatos erroribus comperiret, flammis abolendos curaret: *Nuper*, inquit, *dilecto filio Nicolao Emerici ordinis fratrum Prædicatorum profeſſore magiſtro in theologia in partibus Aragoniæ inquiſitore hæreticæ pravitatis nobis referente percepimus, quod in partibus illis nonnulli laici quamplures libros habent in vulgari per Raimundum Lullum civem Majoricenſem compoſitos, in quibus (ut idem inquiſitor videtur aſſerere) errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in præmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, providere volentes, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus hujuſmodi libros, per quoſcunque habeantur ſeu detineantur, tibi facias exhiberi: & ſi per tuam ac dicti inquiſitoris, & aliorum magiſtrorum in theologica facultate & juriſperitorum (quos propterea coram te evoces) repereris, quod præfati libri errores in fide contineant, eoſdem libros comburas, & comburi facias atque mandes. Dat. apud Pontemſorgiæ Avinionenſis diœceſis non. junii anno ſecundo.* Perfunctus impoſito ſibi munere Eymericus Dertuſenſis epiſcopi notario concredidit librum Raimundi Lulli, erroribus ſcatentem, Catalano idiomate conſcriptum: quem poſtea Gregorius III. kal. octobr. pontificatus anno IV. tranſmitti ad ſedem Apoſtolicam juſſit (e). Damnatam autem ab eodem Pontifice illius doctrinam teſtatur idem Eymericus qui inter cætera Lulliſtarum deliria, hoc inſigne affert (f): *Quod doctrina veteris teſtamenti attribuitur Deo Patri, doctrina novi teſtamenti Deo Filio, ſed doctrina Raimundi Lulli Deo Spiritui Sancto.* Quam doctrinam ajebant ſectarii non humana induſtria, ſed divini Spiritus ſolo afflatu excurrente quinquaginta vel ſexaginta horarum ſpatio comparandam.

(d) Eod. an.2. ep. cur. p.131. ext. etiam in append. direct. inquiſit. p. 85.

Exuri juſſi.

(e) To. 4. ep. ſecr. pag.201. ext. etiam in append. direct. inquiſit. p. 86.

(f) Eymeric. 2. p. direct. q.9. §. ult.

Ejus doctrina a ſectariis æquata evangelio.

Eorum pertinacia & error.

Cum vero eam Gregorius damnaſſet, tantum abeſt, ut Lulliſtæ ab erroribus reſipuerint, ut cæteris hunc adjeciſſe referat Eymericus: *Quod Dominus Gregorius Papa XI. qui doctrinam Raymundi Lulli in viginti ejus voluminibus contentam ut hæreticalem in ducentis articulis Avinione in conſiſtorio condemnavit, totamque ge-*

*nera-*

*neraliter ut ſuſpectam vehementer de hæreſi cunctis fidelibus interdixit ; ſacrum collegium, quod conſenſit ; Cardinalis Hoſtienſis, qui commiſſarius in illa cauſa fuit ; magiſtri in theologia ultra viginti qui ad condemnationem prædictam conſilium præſtiterunt ; iſti doctrinam iſtam non intellexerunt, decepti ſunt, & turpiter erraverunt*. Recenſentur a Pegna (*a*) viginti Raimundi Lulli libri ut hæreſibus aſperſi damnati : extatque in appendice directorii inquiſitionis diploma Gregorii, quo Raimundi Lulli opera damnantur, conſignatum pontificatus anno VI. Sed hæc Lulliſtæ conficta ab Eymerico vel ſubreptitium eſſe diploma contendunt. At virum gravem, egregie de religione catholica meritum, nullius utilitatis illecebra pellectum id facinus perfricta fronte auſum, vix credi poteſt, cum facillime coargui mendacii potuiſſet ; An vero erratum ſit in diſcernendis genuinis Raimundi Lulli libris, excerpendiſque ex iis ſententiis errores continentibus, non liquet ; deque illius doctrina varii varia ſentiunt (*b*), liſque mota apud ſubſellia pontificia anno MDLXXXIII. adhuc eſt ſub judice. Adſcripta porro fuiſſe Raimundo Lullo ſeniori adulterina opera, veluti De alchimia & de mercuriis, & teſtamentum noviſſimum, a recentiori auctore poſt Lulli obitum edita, demonſtrat Lucas Wadingus (*c*). Attributi etiam feruntur ab aliquibus Raimundo Lullo libri peſtiferi de invocatione dæmonum alterius Raimundi dicti de Terraga neophyti ordinis Prædicatorum, cui ſacræ familiæ, abjecto Judaiſmo, ſed aliis erroribus fœdiſſimis non depoſitis, ſe addixerat. Enumerantur ii a Nicolao Eymerico in ſuo directorio (*d*), qui legentibus horrorem pariunt, ac fere in eo verſantur, ut cultum dæmonibus venerationemque conciliare moliatur : Deoque ac ſanctis odium conflet : cujus deliria blaſphema ſilentio potius, quam memoriæ poſterorum tradenda. Is vero judicio impietatis dum vixit poſtulatus, vel ſponte vel metu eam evomuit, damnavitque, in carceribus vero fidei cenſorum extinctus plures libros hæreſibus contaminatiſſimos reliquit, quos Pontifex a Tarraconenſi archiepiſcopo & Nicolao Eymerico ignibus exuri juſſit (*e*). Irrepſerant etiam in inſula Corſicæ plures hæretici pietatiſque ſplendorem obſcurare moliebantur : cujus reſtituendi ſolicitus Pontifex, Petro epiſcopo Maranenſi provinciam dedit (*f*), ut ad tuendam religionem, inſectandoſque impios incumberet.

(*a*) *Pegna comment. 51. in q. 26.*

Lis de Raimundo Lullo eſt ſub judice.

(*b*) *Bellarm. de ſcript. eccl. cap. de Raim. Lul.*

Adulterina opera illi falſo adſcripta.

(*c*) *Vvading. to. 3. annal. Minor. An.* C. 1315. *n.* 14.

(*d*) *Direct. inquiſ. 2. p. q. 10. & 27. & Pegna in ead. c. obſervat. com. 42.*

Exuſta ejus volumina.

(*e*) *An. 2. ep. cur. pag.* 191.

Excindi e Corſica hæretici juſſi.

(*f*) *Ib. p.* 195.

XXXVI. In inſula Siciliæ pietatis ſpecie circumventi ſimplices oſſa putrida cincreſque inanes Fraterculorum venerabantur, quaſi ſanctorum cultus iis ab ſede Apoſtolica decretus fuiſſet. Injecerat fraudi occaſionem ejuſmodi hominum hypocriſis, cujus aureo velamine ſcelera texerant. Abolendæ itaque profanæ illius ſuperſtitionis ſtudio permotus Pontifex omnibus præſulibus munus impoſuit (*g*), ut populos ab ea, intentato anathemate, deterrerent.

Fraticelli ſuos obtrudunt ut ſanctos.

(*g*) *Ibid. p.* 95.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopis, epiſcopis, aliiſque ecleſiarum prælatis, in inſula Siciliæ conſtitutis, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem, &c.*

*Moleſta ſignificatio ad noſtrum perduxit auditum, quod in nonnullis civitatibus, caſtris, villis, & aliis locis inſulæ Siciliæ vobis ordinario jure ſubjectis, quidam diabolica fraude decepti, oſſa & cineres quorundam de Fraterculorum, Dulciniorum & de paupere vita ſectis per ſedem Apoſtolicam reprobatis ( qui dum viverent ut ſimplices ſub ſpecie recti deciperent, ipſis ſimplicibus ſe viros pœnitentiæ oſtendebant ) ac ſi cineres & oſſa hujuſmodi eſſent reliquiæ aſcriptorum ſanctorum catalogo, temeritate propria colere, & eccleſias ſeu capellas in talium honorem erigere, & erectas cum luminaribus in anniverſariis obituum eorundem catervatim annis præſumunt ſingulis viſitare. Cumque præmiſſa, quæ abſque authoritate Romanæ eccleſiæ fieri a ſacris canonibus prohibentur, nullatenus debeant tolerari, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in veſtris civitatibus & diœceſibus prædicta vel ſimilia per quaſcumque perſonas de cætero attentari diſtrictius inhibere curetis, contradictores ( cujuſcumque ſtatus, ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant ) authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Dat. apud Villamnovam Avinionen. diœceſis* II. *id. ſeptembris anno ſecundo.*

Repreſſa eorum temeritas.

Poſtremo addimus Gregorium ad inſtaurandam religioſorum ordinum diſciplinam incubuiſſe, ut teſtantur apoſtolicæ literæ, quibus Prædicatores, Minoritas, Carmelitas, & Ciſtercienſes, eam ob cauſam ad ſolemnes conventus congregatos diligentem rei operam dare juſſit (*h*) :

(*h*) *Eod. an. 2. ep. cur. pag.* 39. 201. 202. & 204.

Anno



I. ANno humanæ ſalutis milleſimo trecenteſimo ſuptuageſimo tertio indictione undecima potiti ingentibus victoriis Turcæ, atque Epiro & Macedonia in ſuam tyrannidem majori ex parte redactis, dum occidentales principes, ſpreta Chriſti gloria ac fide, ſuis augendis rebus ſtudent, extremi exitii terrorem orientali imperio ac ſchiſmaticis triſtem ſervitutem inferebant : cum Joannes Palæologus Græcorum Imperator tantis perculſus barbarorum progreſſibus ampliſſimos oratores ad ſedem Apoſtolicam atque occidentales Reges miſit, ut ipſos ad defendendum orientem incenderet. Functus eſt ea legatione Joannes Laſcaris veterum Imperatorum Laſcarorum ſtirpe oriundus, qui expoſitis Gregorio rerum Græcarum ruinis, ad Reges Chriſtianos profecturus, ut ipſos ad reprimendos infideles excitaret, Carolo Francorum Regi (*a*) ac Ludovico duci Borbonii (*b*) apud ipſum gratia & authoritate florentiſſimo, Joannæ Reginæ Siciliæ (*c*), Philippo principi Tarentino Imperatori Conſtantinopolitano (*d*), Dominico e Campofregoſo duci Genuenſium (*e*), Raimundo Berengario Rhodiorum equitum magiſtro (*f*), Ludovico Regi Ungariæ (*g*), Carolo e Dyrrachio Dalmatiæ & Croatiæ duci (*h*) commendatus eſt : utque Turcæ facilius edomari poſſent, ſumpta ſunt conſilia (*i*) inſtruendæ claſſis duodecim triremium, quæ in Helleſponto atque Ægæo mari barbaros trajectu ex Aſia in Europam arcerent. Quibus conſtitutis Pontifex de navata a ſe pro fulciendo labante orientali imperio Joannem Palæologum certiorem fecit : illiuſque infelicem ſortem miſeratus, cum nominis Chriſtiani hoſtes, Conſtantinopoli & Theſſalonica exceptis, reliquas pene imperii terras ſuæ ſubjeciſſent ſervituti, aut excurſionibus infeſtas redderent, admonuit pleriſque eam opinionem infixam, juſtas a divino Numine de ſchiſmaticis pœnas exigi, qui toties ad conjunctionem Romanæ eccleſiæ allecti obduruiſſent in pertinacia : ſe vero majori alacritate ad comparanda auxilia incitatum iri, quo ipſos ad orthodoxam fidem revocandos ſingulari amore complecteretur ; utque imperiale in id ſtudium interponeret, ipſum eſt adhortatus (*k*).

Imperatoris Conſtantinop. ad Pont. legatio.

(*a*) *To. 3. ep. ſecr. pag.* 36.

(*b*) *Ead. pag.*

(*c*) *Ibid. pag.* 59.

(*d*) *Ead. pag.*

(*e*) *Pag.* 61.

(*f*) *Ead. pag.*

(*g*) *Pag.* 58.

(*h*) *Pag.* 62.

(*i*) *Pag.* 76.

Gregorii reſponſum.

(*k*) *Eod. to. 3. ep. ſecr. pag.* 58.

II. Ejuſdem literæ.

*Gregorius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri ſalutem, &c.*

*Cum prægrandi amaritudine noſtræ mentis relationibus continuatis audimus, quod impii Turci hoſtes ſanctiſſimi Chriſtiani nominis, ſpecialeſque tui culminis perſecutores & deſtructores tui imperii contra Chriſtianos aſſiduis ſucceſſibus proſperantur ; propter quod civitates Conſtantinopolitana & Theſſalonicenſis, & aliæ terræ, quas poſſides de præſenti, quaſi ab eiſdem Turchis incluſive * in magno dicuntur periculo remanere : ideoque catholicis, qui in illis ſunt partibus, & etiam Græcorum ſeu Romaniæ populis, licet a ſancta catholica & apoſtolica eccleſia ex antiquo ſchiſmate ſeparatis ( ſpe tamen concepta, quod ad ovile Domini & unitatem ſanctæ ſedis Apoſtolicæ revertantur ) paterno compatientes affectu, ad reſiſtendum dictis Turchis & defendendum terras ultramarinas, quas idem poſſident Chriſtiani, certam unionem galearum, de qua tuæ celſitudini alias ſcripſimus, & alia remedia pro nunc poſſibilia, donec ( ut ſperamus ) ſedatis bellis occidentalibus meliora adhiberi poterunt, ſolicite procuramus, ut per ea Turchis reſiſtant eiſdem, ac clerus & populi tui imperii, relicto damnabili ſchiſmate, propter quod ( ut communis eſt opinio ) ipſi quaſi ad nihilum ſunt redacti ; & inimici Chriſti, videlicet Saraceni & Turchi, prævaluerunt & prævalere non ceſſant aſſidue contra eos, ad unitatem dictæ eccleſiæ devotis mentibus unanimiter revertantur : & ſi tu & ipſi velitis vere & pure ad hoc intendere, & inciperetis dare operam efficacem, nos ac principes occidentis circa defenſionem dictorum populorum Romaniæ eſſemus indubie promptiores. Et quia tu ac clerus & populus dicti tui imperii, ſi ad hoc diſponatis intendere, eſſetis forſan contenti, per perſonas veſtræ nationis ſuper hoc incboare tractatum ; nos contentaremur, quod dilecti filii nobiles viri Joannes Laſcari Galoferos miles, & Demetrius Chidonii de Conſtantinopoli nobis noti, ſcientes Græcam & Latinam linguas ( viri utique fideles, circumſpecti, & literati ) exiſterent tractatores : ſuper quibus velis nobis quod tua celſitudo & ipſi clerus intendant, tuis & ipſorum literis reſpondere. Dat. apud Pontemſorgiæ Avinionenſis diœceſis* XI. *kal. julii anno* III.

* incluſæ

Infelix Græciæ ſtatus.

De claſſe comparanda actum.

Solicitati Græci, ut veterem pertinaciam exuant.

III. Obtritis Græcis, ac Raſciis vaſtatis, & Bulgaris magnis cladibus affectis, Turcæ Amurate principe circumferre latius victorias, in catholicorum terras penetrare, ſibique Ungariam ſubjicere ſunt meditati : ſed cum ſuam potentiam Ludovici Regis, qui recenter Poloniam aliis regnis adjunxerat, viribus imparem eſſe metuerent, Tartaros quos olim Ungariam non tam ſibi ſubjeciſſe, quam redegiſſe in ſolitudinem vidimus, ac deinde pluribus præliis contuſos, inito armorum fœdere concitare tentarunt. Quibus acceptis Ludovicus Rex ad infideles propulſandos, ſi victricia Ungariæ ſigna inferrent, ſe inſtru-

Turcæ Ungariam terrent.

Concitant Tartaros.

(a) *Ibid. pag.* 42.
(b) *An.* 3. *ep. cur. pag.* 30.

ſtruxit (*a*) : miſſiſque ad ſedem Apoſtolicam oratoribus, Gregorium rogavit (*b*), ut ad fideles pio ardore ad tuendam religionem accendendos ſacrum in barbaros bellum, propoſitis indulgentiarum præmiis regia caſtra ſecuturis, indiceret. Cujus votis aſſenſit Chriſti vicarius, ac Strigonienſi & Colocenſi in Ungaria, Gneſnenſi in Polonia, Jadrenſi, Spalatenſi, & Raguſino in Dalmatia archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis epiſcopis provinciam dedit, ut Ungaros ad arma in Turcas expedienda inflammarent, cruciſque ſymbolo inſignirent : tum preces inter ſacra myſteria fundendas a ſacerdotibus pro divino auxilio conciliando inſtituit.

Indicta in eos ſacra expeditio.

*Gregorius, &c. archiepiſcopo Strigonienſi ejuſque ſuffraganeis.*

*Dudum multorum fidedignorum literis atque relatibus amare didicimus, & nuper chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Ungariæ illuſtris per dilectos filios Vvratiſlavum Catonis præpoſitum eccleſiæ Tranſilvanæ decretorum doctorem, & nobilem virum Nicolaum comitem de Vung ambaxiatores ſuos nobis ſignificare curavit, quod infideles impii, Turchi vocati, crudeliſſimi hoſtes nominis Chriſtiani, & illius perſecutores aſſidui, plus cæteris infidelibus catholicam fidem & ipſius cultores perſequi, & delere (quod abſit) animoſis conatibus molientes, a non longis temporibus, præſertim a viginti menſibus citra, amplas terras imperiorum Romaniæ & Bulgariæ, & regnum Raſciæ aliaſque partes profitentium nomen Chriſti, quamvis ſchiſmaticorum continuatis hoſtilitatibus invaſerunt, occuparunt, & immaniter deſtruxerunt, & contra incolas terrarum & partium earundem magnas victorias habuerunt, eiſdem incolis aut crudeliter trucidatis, aut in miſerabilem captivitatem abductis, aut alias retentis ſub jugo infeliciſſimæ ſervitutis, nonnullis eorum abnegantibus, proh dolor! nomen Chriſti : quodque ex his iidem Turchi in tantam aſcenderunt ſuperbiam, quod prædictum regnum Raſciæ & alias partes Chriſtianorum præſumpſerunt amplius invadere ac præſumunt; & ad ſuæ elationis fomentum & robur, ut probabiliter præſumitur, ſeſe cum Tartaris vicinis regno Ungariæ ad invadendum ipſum regnum, utique glorioſum, in quo fides catholica præcipua noſcitur devotione vigere, impietatis funiculis colligarunt : propter quæ Rex ipſe Chriſtianiſſimus princeps, & infidelium perſecutor magnificus, ut nobis per eoſdem ambaxiatores notificavit, intendit Deo prævio, cujus fidei cauſa geritur in hac parte, in perſona propria & cum ſua potenti militia, & etiam alia de diverſis partibus fidelium procuranda, infra annum ab inſtante menſe maij computandum, contra eoſdem Turchos & etiam Tartaros, ſi forte ipſi Tartari contra dictum regnum Ungariæ venire tentaverint, in Chriſti nomine proficiſci, & ipſos perſequi juxta poſſe. Quare idem Rex nobis humiliter ſupplicavit, quatenus (ut incolæ dicti Ungariæ & Poloniæ & Dalmatiæ regnorum ſuorum, & aliarum ſuarum terrarum, & alii qui cum ipſo ibunt eo lætiores & promptiores ad dictorum infidelium exterminium proficiſcantur, quo majora præmia, ſpiritualia videlicet, exinde ſe ſperaverint adipiſci) in dictis ſuis regnis & terris & aliis partibus, de quibus nobis videretur expediens, verbum crucis prædicari, & venerabile ſignum ejus quibuſvis fidelibus quarumcumque partium illud ſuſcipere devote volentibus concedi, ipſorumque humeris imponi, de benignitate apoſtolica dignaremur.*

Bulgaria Raſciaque evaſtatæ a Turcis.

Ungaria objecta diſcrimini.

Ludovicus ad infideles propulſandos ſe accingit.

IV.

*Nos igitur ejuſdem Regis hujuſmodi ſanctum propoſitum dignis laudibus commendantes, & in eo ipſum & alios ſimiliter proponentes, intendentes favoribus & gratiis apoſtolicis confovere, fraternitati veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, vos nihilominus obſecrantes per aſperſionem pretioſi ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus provide conſiderantes, quod cum ipſe Dominus fidelium ſuorum regimini vos velut in ſolicitudinis partem aſſumptos præfecerit, & ad promotionem hujuſmodi ſancti negotii plus cæteris teneamini ex officio paſtorali, tamquam præcones fideles & fortes athletæ fidei, ſinguli videlicet veſtrum in ſingulis veſtris civitatibus & diœceſibus, exiſtentibus intra ipſa regna & terras, contra prædictos infideles blaſphemos Chriſtiani nominis per vos & alias perſonas eccleſiaſticas ſeculares & regulares ordinum quorumcumque, quas ad hoc idoneas fore noveritis, cunctis Chriſti fidelibus juxta datam vobis & eis a Deo prudentiam proponatis publice verbum crucis, & venerabile ſignum ejus quibuſvis dictorum regnorum, & terrarum Regis ejuſdem dominio ſubditarum, & illud ſuſcipere devote & cum præfato Rege ire volentibus in negotio prælibato, quos ad hoc utiles fore credideritis concedatis, ipſorumque humeris imponatis, & fideles eoſdem, quos ad audiendum propoſitionem ipſam (quoties expedierit) ad loca idonea convocare poſſitis; ſolicitis exhortationibus & opportunis inſtantiis inducentes eoſdem, ut ſuſcipientes cum reverentia dictum ſignum, ipſumque ſuis cordibus imprimentes contra hoſtium prædictorum perfidiam & ad ipſorum exterminium aſſurgant viriliter, ac negotium ipſum ferventer aſſumant, & ferventius proſequantur.* Ad pelliciendos vero ad ſacram expeditionem adornandam, & crucem induendam fideles datur concionatoribus authoritas ut anni unius & quadraginta dierum indulgentias auditoribus conferant; & pollicetur Pontifex

Juſſi fideles cruce inſigniri.



Propoſitæ piam militiam profeſſuris indulgentiæ.

ſex criminum veniam iis, qui vitæ apud ſacerdotem expiatis criminibus ſemeſtri integro continuo vel interrupto ſub ſignis Ungariæ Regis adverſus infideles meruerint : eademque prærogativa illis propoſita, qui in militum ſtipendia opes conferrent; ſpondetque non ea modo crimina deletum iri, quæ apud ſacerdotem confitebuntur; verum ea etiam, quæ e memoria exciderint, modo ubi in mentem venerint ſacerdoti exponant. Si vero e vita ante ſuſceptam vel non confectam expeditionem eriperentur, ſi ea, quæ in eo bello inſumpturi erant, pro cujuſque fortunis & conditione reliquerint, propoſiti præmii participes futuros. Tum ad cruceſignatos omnibus injuriis vindicandos, tuendaque illorum bona ipſos privilegiis communit, ſuſcipitque in clientelam apoſtolicam : ad quos defendendos archiepiſcopos & epiſcopos incumbere, atque regiam potentiam ad coercendos invaſores implorare jubet. Demum ne fidelium eleemoſynæ direptioni paterent, tum etiam ad divinum præſidium comparandum, hæc ſancit.

V.

Fidelium collationes in belli ſumptus convertendæ.

*Ut autem hujuſmodi ſanctum negotium felicius proſperetur, volumus, ut in ſingulis cathedralibus collegiatis ac parochialibus eccleſiis ſinguli trunci concavi ponantur tribus clavibus conſignati; prima videlicet penes epiſcopum loci, ſecunda penes eccleſiæ prælatum ſeu rectorem aut ſacerdotem, & tertia penes aliquem vitæ probatæ laicum conſervandis; ut in eis fideles ipſi, juxta quod Dominus mentibus eorum inſpiraverit, ſuas eleemoſynas deponere in ſuorum remiſſionem peccaminum moneantur; ita tamen, quod de pecuniis in truncis ipſis exiſtentibus idem Rex per ſe vel alium niſi per manus illorum, qui authoritate apoſtolica ad hoc deputati ſunt, ſeu deputabuntur, nihil recipiet; & poſtquam receperit, nihil expendet, niſi in negotio prælibato. Porro deſiderantes intenſe, quod hujuſmodi negotium optatum ſortiatur effectum, ac ejuſdem Regis & aliorum Chriſtifidelium pia devotio adjuta ſuffragiis circa proſecutionem dicti negotii efficacius roboretur, authoritate præſentium ordinamus, ut in ſingulis ſupradictis & aliis etiam regularibus eccleſiis dictorum regnorum & terrarum ejuſdem Regis qualibet hebdomada ſemel certa die, pronuntianda populo, una miſſa pro ſalute dicti Regis & ſui populi, præfata proſecutione durante, ſolemniter celebretur; ita quod in prima de Trinitate, in ſecunda de cruce, & in tertia hebdomadis de beata Maria Virgine, & ſic deinceps, miſſæ hujuſmodi debeant celebrari : niſi forſan id feſtivitatis alicujus ſolemnitas impediret. Cunctis vero fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui durante proſecutione dicti negotii pro ipſius conſummatione felici devote ad Deum preces effuderint, decem dies videlicet ſingulis diebus, quibus oraverint, de injunctis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Cæterum volumus, memoratumque Regem hortamur, quod ipſos Turcos uſque ad ſtrictum maris, quod eſt inter Conſtantinopolim & inſulas Ægiopelagi, & quod a nonnullis brachium ſancti Georgii appellatur, poſſe ſuo fideliter perſequatur. Vobis autem & cæteris aliis inhibemus, ne crux ipſa prædicetur niſi in dictis regnis & terris dominio præfati Regis ſubjectis, & perſonis eorum regnorum & terrarum dumtaxat humeris imponatur, præſentibus poſt triennium ab inceptione proſecutionis hujuſmodi negotii computandum minime valituris. Dat. Avin. x. kal. aprilis anno* III. Antequam Strigonienſis archiepiſcopus has literas divulgaret, una cum Colocenſi archiepiſcopo & epiſcopo Quinqueccleſienſi juſſus eſt (*a*) ſacramento adigere Ludovicum Regem, excurrente anno ducturum exercitum, nec ſacras opes in alios ſumptus derivaturum : tum data eidem archiepiſcopo imperia (*b*), ut cenſuris ferrum Turcis aut Valachis illaturos percellerent. Sacra vero indulgentiarum præmia non tantum Regis Ungariæ ſubditis, verum omnibus exteris illius ſigna ſecuturis propoſita (*c*).

Indictæ ſolemnes preces.

Imperatum Ungaro, ut Turcas ex Europa ejiciat.

(a) *Eod. an.* 3. *ep. cur.* 33.

(b) *Ibid. pag.* 51.

(c) *Ibid. ſuper. pag.* 33.

VI.

Germani ad belli ſocietatem provocati.

Non enim in Ungaria modo, Polonia, Dalmatia, aliiſque regnis Ludovico obnoxiis cruceſignatam in Turcas expeditionem promulgandam indixit Pontifex, verum etiam in Germania, e qua florentiſſimæ copiæ educendæ ſperabantur, ſi publica inter Imperatorem duceſque Bavariæ concordia revocaretur. Carolum itaque ſolicitavit (*d*), ut illi accommodaret animum, cum Germanicæ rei maximi intereſſet, Turcas comprimi.

(d) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 40.

*Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Licet, fili chariſſime, negotium contra Turchos hoſtes nominis Chriſtiani, occupantes multas & magnas partes Romaniæ & etiam Bulgariæ, quod Chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Ungariæ illuſtris eiſdem Turchis vicinus tam prompta voluntate, quam urgente neceſſitate vult proſequi, ut nobis per ſuos ambaxatores notificare curavit, ſit omni laude digniſſimum, & non ſolum Apoſtolicæ ſedis, ſed principum & aliorum fidelium auxiliis pro reverentia Dei & defenſione catholicæ fidei muniendum, & ipſe Rex petierit verbum crucis non ſolum in ſuis regnis, ſed etiam in Alemannia prædicari; nos tamen, conſiderantes dolenter, quod in dicta Alemannia ſunt plurimæ principum diſcordiæ, inter quos tua cum dilectis filiis ducibus Bavariæ fore dignoſcitur celſitudo, & quod ex hujuſmodi prædicatione, durantibus ipſis diſcordiis, fructus modicus forſitan ſequeretur in vilipendium dictæ præ-*

Data eorum diſcordiis ſopiendis opera.

*dicationis & conceſſionis ejuſdem ; & quod proſecutio dicti negotii non ſolum ad ipſum Regem, ſed etiam ad imperialem magnificentiam dignoſcitur pertinere ; ipſam prædicationem in eadem Alemannia nondum duximus concedendam. Quare, ſi Altiſſimus tuis inſpiraret præcordiis, quod ad hoc negotium pro reverentia Dei & animæ tuæ ſalute velles attendere, acceptiſſimum nobis eſſet, & prædicationem crucis in nonnullis partibus in tui culminis auxilium concederemus libenter : & te aliis, quibus poſſemus, favoribus apoſtolicis muniremus.*

VII. *Ubi autem ad hoc nolles ſeu non poſſes intendere, devotam ſerenitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus provide cogitans, quod ipſi Turchi contra Chriſtianos, quamvis ſchiſmaticos, magnas habuerunt victorias, & amplas terras etiam occuparunt, & quod olim quidam infideles, videlicet Tartari, regnum Ungariæ invaſerunt, & eccleſias & fideles ipſius regni miſerabiliter diſſiparunt ; & quod, ſi dictus Rex non munitus potentia neceſſaria in bello ſuccumberet, quod Deus avertat, magnum Chriſtianitati poſſet periculum evenire, & ſtrenua militia Theutonica ſit ipſi Regi opportuna quamplurimum, & in hoc non ſolum agatur intereſſe Regis præfati, ſed fidei & fidelium, præſertim vicinorum regno Ungariæ, inter quos eſſe dignoſceris ; digneris pro Dei obſequio, animæ tuæ ſalute, & gloria celſitudinis auguſtalis propter hoc ſpecialiter concordias pro te ipſo & aliis reformare, ut prædicatio dictæ crucis fieri valeat fructuoſe : ſuper quibus venerabili fratri noſtro Agapito epiſcopo Ulixbonenſi Apoſtolicæ ſedis nuncio latori præſentium velis fidem plenariam adhibere. Dat. Avin. II. non. aprilis an. III.*

Rogatus Cæſar, ut Germanicis copiis Ungarum fulciret.

De Marchionatu Brandeb. lis inter Carolum & Bavaros.

Internuntius pontificius ad illam ſopiendam incumbit.

(a) *Eod. to. 3. ep. ſecr. pag.* 263.

Vertebatur diſſenſio de marchionatu Brandeburgenſi, quem Bavaris principibus eripere ſuæque inferre familiæ moliebatur Carolus : cum etiam magni illius intereſſet ad propagandum in filium Wenceſlaum imperium, jus creandi Cæſaris cum eo principatu ad ſuos traducere : quare Pontifex Wenceſlaum majorem illius natu filium Regem Boemiæ adhortatus eſt (*a*), ut ſe una cum fratribus ad componendam controverſiam omnem Agapito internuntio apoſtolico, eam ob cauſam miſſo, facilem & obſequentem ſe præſtaret.

VIII. Genuenſes bellum parant in Cyprios.

Funeſtior longe diſſenſio Cyprios ac Genuenſes inter ſeſe commiſerat, qui Turcas conterere potuiſſent. [1] Genuenſes enim ob editam ſuorum ſuperiori anno carnificinam vindictæ avidi bello ſe accingebant, quos mulcere jam ante Pontifex, uti vidimus, erat conatus : ac Thomæ patriarchæ Gradenſi repetitis XIII. kalend. februarii imperiis provinciam dedit, ut ipſos ab invadenda Cypro deterreret ; iiſdemque propoſuit (*b*), Petrum Regem ab illatæ injuriæ crimine puriſſimum eſſe : commemoravit illius parentis in eos ſtudia eximia ; utque animum ad concordiam æquitate componendam flecterent, eſt hortatus.

(*b*) *Ibid. ep. ſecr. p.* 255.

Placare eos Greg. nititur. Satalia a Turcis capta.

(*c*) *Ibid. pag.* 309.

Inter quæ dum Genuenſis belli impendentis terrore Cyprus fluctuat, nec tuendæ in Aſia partæ a defuncto Rege ditioni vacare poteſt, Turcæ Sataliam expugnatam Mahumetanæ impietati reſtituerunt. Extant ea de re apoſt. literæ ad Petrum Regem datæ (*c*), quibus ubi perceptum a ſe inde dolorem expreſſit, ſubjecit quantos labores pro Genuenſibus mulcendis ſuſcepiſſet, quot colloquia una cum Guillelmo & Hugone Cardinalibus, tum Petro Aragonio principe materno avo Minorita iniiſſet : ſed cum Cyprii oratores pro agitanda pace nulla fuiſſent inſtructi auctoritate, omnes conatus irritos cecidiſſe. Monuit (*d*) vero Joannem e Leſiniano Regis patruum & Elionoram Reginam Petri olim comitis Ripacurtiæ tunc Minoritæ filiam, ut periculo imminenti proſpicerent. Nec vana ſuggeſſit Chriſti vicarius : immiſſus enim cum ſeptem triremibus Damianus Cattaneus Genuenſis, maritimis locis vaſtatis, magnum terrorem intulit, ac pleroſque quorum agros non urebat, ſecum ſentire fingens, ingentes inter Cyprios diſcordias injecit, ac tumultibus regnum implevit. Cui poſtea Petrus Fulgoſius cum triremibus quadraginta tribus ſe conjunxit, obſeſſaque V. non. octobris Famaguſta, quatuor regias triremes & aliam majoris alvei navim primo impetu incendit : neque ita multo poſt Elionoram

(*d*) *Ibid.* Moniti periculi Cyprii.

Genuenſium in Cyprum expeditio.

Famaguſta obſeſſa.

Re-

NOTÆ [1] EXpeditionem Cypriam a Genuenſibus hoc anno martio menſe ſuſceptam, & feliciter abſolutam, vetus Genuenſium Annaliſta Georgius Stella latius exponens, ea omnia narrat quæ ab Annaliſta hic per compendium tanguntur. Ex quo tamen nonnulla illuſtranda & corrigenda ſunt, quæ imprudenti Annaliſtæ exciderunt. Damianus ille Cattaneus, qui cum ſeptem triremibus inſulam primus tentavit, vir fuit juris ſcientia clarus, a Genuenſibus pretio conductus ut leges ſtudioſæ juventuti exponeret. Porro ille in inſula copiis expoſitis, primo quidem die XVI. Junii Nicoſiam cepit, tum die XXIII. ejuſdem Paphum. His ita comparatis, ſupervenit Petrus Fregoſus cum triremibus XXXVI. (non XLII. ut male Annaliſta) quibus cum acceſſiſſent ſeptem illæ triremes Damiani, tota claſſis triremibus XLIII. conſtitit. Cœpta tunc die V. non. octobris Famaguſtæ obſidio, quæ tamen urbs die X. octobris victoribus ceſſit. Cætera ex Annalibus repetenda. MANSI



Reginam, quæ ſuſtinere ægre obſidionem poterat, ac viri cæſi necem ulciſci optabat, ad deditionem coegit. Capti ſunt illatæ Petro Regi necis auctores, moxque capitis ſupplicio affecti : Jacobus Leſinianus ac duo Joannis Leſiniani Antiochiæ principis filii cuſtodiæ traditi. Petrus autem Rex ad extrema compulſus, pacem impetravit a Genuenſibus ea lege, ut Famaguſtam reipublicæ Genuenſi concederet, & aliquot annis quadraginta aureorum millia penderet, obſideſque clariſſimos ut fidem ſuam devinciret tradidit. Ex quo funeſto bello, ſecuta alia bella rem Chriſtianam admodum in oriente everterunt. At dum Genuenſes ſuas ulciſci injurias, quam Turcicam tyrannidem reprimere malunt, demum etiam ampliſſimam ditionem, quam obtinebant in oriente, barbarorum prædæ objecere.

Petrus impubes, data Genuenſibus Famaguſta, pacem redimit.

IX. De equitum Jeroſol. ſedibus in Aſiam transferendis actum.

Convertere ipſorum ſtudia ardoremque animorum accendere in Turcas niſus eſt Pontifex ; ac tum maxime, cum ad comprimendos infidelium impetus Rhodios equites traducere in Aſiam ſuperiorum Pontificum exemplo meditaretur : eamque ob cauſam ſolemnia equitum comitia indixit prope Avenionem Pontifex, ac datis ad Dominicum e Campofregoſo ducem ac ſenatum literis, ut conſilium & operam communicarent, ipſos eſt adhortatus (*a*). Provinciam vero dedit Raimundo ſupremo Rhodiorum equitum magiſtro (*b*), ut Smyrnæ cuſtodiæ diligentem daret operam, cum Turcæ eam terra marique adoriri molirentur : *Ad noſtrum*, inquit, *perduxit auditum, quod truculenta Turcorum rabies, Chriſtiani nominis inimica, tam per mare quam per terram, ut futura æſtate terras fidelium (quod Deus avertat) invadere valeat, magnam armatam & exercitum nititur præparare. Nos timentes de invaſione civitatis prædictæ, quæ inter ipſos Turcos, & valde, (ut aſſeritur & eſt veriſimile) deſiderata eis exiſtit ; & quæ ſi perderetur (quod abſit) inſula veſtra Rhodi maximis periculis ſubjaceret, in grave fidei catholicæ detrimentum ; diſcretionem veſtram hortamur, vobis diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus circa ſolertem cuſtodiam, & defenſionem dictæ civitatis Smyrnarum, ſi expedire videritis, efficacibus auxiliis & opportunis favoribus (ita quod de tanto ſiniſtro caſu, perditionis videlicet ipſius civitatis, nequeat dubitari) vigiletis attentius, & modis omnibus accommodis attendatis, &c. Dat. Avin. kal. martii an. III.*

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 74.
(*b*) *Ib. p.* 27.

Smyrna a Turcis affectata.

X. Bernabos Eccleſiam vexat.

(*c*) *An.* 3. *ep. cur. pag.* 51. & 184.
(*d*) *Ib. ep. cur. p.* 1.

Non potuit Gregorius vires omnes ac pontificia arma in barbaros convertere ob Bernabonis Vicecomitis tyrannidem : quem ob fœdera antea ſancita inconſtanter violata perfidiæ damnavit (*c*). Extantque alia in ipſum & Galeatium fratrem acta judiciaria (*d*), quibus Gregorius immania carnificinæ ab iis inſtar Decii in ſacerdotes exercitæ exempla deſcribit ; utque munera eccleſiaſtica pro arbitrio contulerint abrogaverintque, tum pontificiam in conferendis ſacerdotiis auctoritatem oppugnarint : quorum potiorem partem ſubiicimus.

*Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.*

Judiciaria in eum acta.

*A quatuor annis citra quondam Ambroſium Ortulanum præpoſitum monaſterii S. Barnabæ Mediolanenſis ordinis S. Auguſtini fecit capi, & tam crudeliter torqueri, quod in equuleo expiravit ; & in majus vituperium ordinis clericalis & religionis, corpus ejus ſuper curru poſitum per civitatem Mediolanenſem publice trahi, & ad locum publici ſuſpendii deportari. Et tam ipſe Bernabos quam Galeaz de Vicecomitibus frater ſuus miles Mediolanenſis imitati crudelitatem impii & infidelis Decii, quondam Martinum de Rubeis præpoſitum domus portæ orientalis Mediolanenſis ordinis Humiliatorum, & quondam Simonem de Caſtillione primicerium Mediolanenſis presbyteros, ac quondam Brancham de Cuticis S. Mariæ de Brivate ordinis S. Auguſtini, & quondam Joannolum de Cuticis S. Petri de Roſiate Mediolanenſis diœceſis eccleſiarum canonicos per eorum ſatellites deteſtabileſque miniſtros fecerunt capi, carcerari, ac vinculis ferreis ligari, equuleis ſuſpendi, & diverſis tormentorum generibus cruciari, eorumque brachia & alia membra diſrumpi ; & in majus opprobrium ordinis clericalis, mitra alba facta de papyrea charta præfati primicerii impoſita capiti, ad caudas equorum ligatos per ſtratas civitatis Mediolanenſis ac per terram & lutum publice trahi, & tandem ad ſtipites ſeu palos in platea dictæ civitatis infixos ligari, & ad majorem prolixioremque pœnam paulatim ignis incendio concremari. Rurſus idem Bernabos, cum nonnulli coloni & comitativi, ſeu diſtrictuales dictæ civitatis Mediolanenſis vicini monaſterii S. Petri de Clivate ordinis S. Benedicti præfatæ Mediolanenſes diœceſis invicem tumultuati fuiſſent, & propter hoc certas congregationes feciſſent ; idem Bernabos, his auditis, rabie furioſa commotus, & cum multitudine gentium profectus ad monaſterium prælibatum quondam Joannem abbatem ejuſdem monaſterii de ſuo genere Vicecomitum oriundum, & quemdam ejus monachum juſſit & fecit per ſuos ſatellites coram ſe interfici & fruſtatim incidi, magnumque ignem ſuccendi, & fruſta corporum ipſorum etiam in ſuo conſpectu terribili proiici & cremari. Et inſuper quemdam fratrem conventualem domus Brayde Mediolanenſis dicti ordinis Humiliatorum, in proprio habitu incedentem, ſuſpendi per gulam in civitate prædicta, & vitam ſuam ſic ignominioſe ſicque crudeliter*

Illius immanitas in ſacerdotes.



*ter-*

*terminari. Venerabilem quoque fratrem noſtrum Hugolinum epiſcopum Parmenſem, jam multis annis elapſis, non permiſit ſtare in civitate Parmenſi, & ſuum pontificale officium perſonaliter exercere: ſed in prædicta civitate Mediolanenſi detinuit, prout detinet, arreſtatum. Clericos quoque etiam ſacerdotes, & religioſos quamplures capi & in publicis carceribus laicorum cum ſecularibus ſceleratis detrudi, actorqueri, & cruciatibus affici facere non expavit.*

XI. Munera eccleſiaſtica pro libidine contulit abrogavitque.

*Dilectam etiam in Chriſto filiam Agneſinam antiquam abbatiſſam monaſterii majoris Mediolanenſis ordinis S. Benedicti jam pluribus annis elapſis de facto depoſuit, ac ejus loco Andriolam ſpuriam quondam Matthæi de Vicecomitibus fratris ejuſdem Bernabonis, tunc infra vigeſimum ſuæ ætatis annum agentem, in dicto monaſterio intruſit & tenet intruſam, ac facit & fecit ipſi Andriolæ tamquam abbatiſſæ præfati monaſterii ab omnibus ejus monialibus obediri. Ac dilectos filios Chriſtophorum abbatem monaſterii Clarævallis Ciſtercienſis ordinis dictæ Mediolanenſis diœceſis a regimine dicti monaſterii, ac Lantirolum monachum & canipa rium ipſius monaſterii ab officio canipariatus monaſterii prælibati ſimiliter de facto amovit, ac fecit carceribus mancipari, ac teneri per annum & ultra: & in ipſo monaſterio ſuo officiales poſuit, qui ejus fructus & proventus pro ipſo Bernabone collegerunt & colligunt, tenui quantitate ipſorum fructuum & proventuum pro monachis ejuſdem monaſterii deputata. Rurſus dilecto filio Franciſco Buſche præpoſito eccleſiæ S. Nazarii Mediolanenſis ſub pœna perditionis vitæ mandavit, ut renunciaret præpoſitatui dictæ eccleſiæ, conferendo Jacobo de Vicecomitibus presbytero Mediolanenſi: & quia idem præpoſitus hoc facere renuens, clam de Mediolano receſſit, & ad curiam Romanam ſe tranſtulit, idem Bernabos omnes fructus, redditus, & proventus, ac bona patrimonialia dicti præpoſiti fecit & facit ſuæ cameræ applicari.*

XII. Pontificiam oppugnavit auctoritatem.

*Ad hæc ſæpiſſime ſuis minis, terroribus, & mandatis impedivit & impedit quominus nonnullæ perſonæ eccleſiaſticæ, tam religioſæ quam etiam ſeculares, beneficia eccleſiaſtica a ſede Apoſtolica ſeu ab eorum ordinariis impetrantes, in civitatibus & terris, quas idem Bernabos detinet occupatas, literis ſuper his impetratis & etiam aliis literis juſtitiam continentibus, ipſorumque poſſeſſione a fructibus, redditibus, proventibus & aliis juribus uti valeant & gaudere; ſed frequentiſſime in ipſis beneficiis facit intrudi, ſeu ad illa eligit & recipi per prælatos & capitula & conventus eccleſiarum & monaſteriorum perſonas inſufficientes & indignas, ſibi tamen acceptas, de quibus mandatum dederit ſpeciale, dicendo temere, ac ſæpiſſime, quod ipſe in terris, quas detinet, quaſque ſuas eſſe dicit, intendit eſſe Papa & etiam Imperator: & inſuper epiſcopis, abbatibus, prioribus, præpoſitis, aliiſque eccleſiarum & monaſteriorum prælatis & aliis perſonis eccleſiaſticis, nec non capitulis, & conventibus eorundem tam generaliter quam ſpecialiter tallias & exactiones intolerabiles impoſuit, & nonnullos eorum ad tenendum, cuſtodiendum, & paſcendum innumerabiles canes ſuos venaticos tyrannica violentia & ſeveritate coegit; tales retinentes canes eoſdem, ſi ipſi canes receſſerant, infirmabantur, aut erant mortui, crudeliter puniendo.*

Bona eccleſiaſtica invaſit.

*Nonnulla inſuper caſtra, villas, poſſeſſiones, redditus, & proventus, aliaque bona, nec non jura & juriſdictiones nonnullorum eccleſiarum, monaſteriorum, aliorumque piorum locorum occupavit, & detinet occupata, ac etiam occupari & detineri fecit & facit, fructus, redditus, & proventus percipiens & percipi faciens ex eiſdem, ac perſonas eccleſiaſticas hujuſmodi terrarum, quas detinet, pejoris conditionis faciens, quam eſſent ſacerdotes idolorum ſub crudeli & ethnico Pharaone. Pacem quoque, quam ſæpe obtinuerat a dicta eccleſia, & cum juramento ſervare promiſerat, etiam ſæpe infideliter frangere non expavit. Ex quibus diverſas excommunicationum ſententias, perjurium, infamiam, inhabilitatem, & alias pœnas inflictas a iure talia crimina perpetrantibus ipſo facto noſcitur incurriſſe.* Subjicit illum, male de eccleſiæ clavibus ſentiendo, hæreſeos notam aſperſum ſe non levibus argumentis oſtendiſſe: quæ licet explorata & conſpicua eſſent, Guillelmo tamen S. Angeli diacono Cardinali inquirendæ veritatis provinciam ſe dediſſe; eumque munere ſuo perfunctum dicta veritati conſentire reperiſſe. Perpendentem itaque ſe Matthæum Vicecomitem avum & Stephanum Bernabonis patrem ac Galeatium & Marcum patruos ab eccleſia hæreſeos nota inuſtos, ac Bernabonem paterna ſcelera novis cumulaſſe, atque ob ea ab Urbano V. prædeceſſore de hæreſi damnatum, cingulo militari exutum, ac pœnis omnibus hæreticis infligendis obnoxium pronuntiatum: & quamvis Bernabos ſe ab illius ſententiæ ſeveritate liberatum exiſtimet; id tamen certis legibus, quas infregit penitus, conceſſum extitiſſe, atrocia enim adeo ſacrilegia ac flagitia eum patraſſe, oppreſſiſſeque eccleſiaſticos immaniſſime, ut cenſuris prioribus ſe devinxerit, quas obdurata mente pluribus annis contempſit: proinde ne mali exempli pernicies cæteros inficiat, vigeſimam octavam menſis martii diem hora conſiſtoriali indicere, ad dicendam cauſam audiendamque ſententiam, qua ſacrilegus, homicida, perſecutor & oppreſſor eccleſiarum ac ſa-

Judicio hæreſeos poſtulatus.

cer-



cerdotum, omnibuſquæ pœnis a legibus impoſitis obnoxius promulgandus ſit. Interea ſe Bernabonem intentata anathematis religione monere, ut Parmenſem epiſcopum cæteroſque eccleſiaſticos, quos in vincula conjecit, libertati reddat, atque eccleſiarum jura ac poſſeſſiones reſtituat, vectigalia impoſita amoveat, in dignitates ac ſacerdotia munerave eccleſiaſtica neminem intrudat: ac ne pontificia imperia ipſum latuiſſe obtendere poſſit, in eccleſiæ Avenionenſis veſtibulo præ omnium oculis defixa fuiſſe. *Datum & actum Avin. in palatio apoſt.* VII. *idus jan. pontific. noſtri anno* III.

XIII. Contractus impertinacem exercitus.

Armata eſt ferro legum vox: fœderatorumque principum Italorum (*a*), ac Germanica (*b*) & Ungarica (*c*) auxilia a Gregorio implorata fuerunt. Eduxiſſe etiam ipſum e Galliis ingentem exercitum, eique Amedeum Sabudiæ comitem præfeciſſe, a quo ingentia damna tyrannis Mediolanenſibus illata ſint, refert Gregorii vitæ ſcriptor (*d*). Faviſſe autem pontificiæ cauſæ æquitati ſecundos ſucceſſus [1], ſcribit Pontifex ad Philippum Conſtantinopolitanum Imperatorem (*e*): *Infra duos menſes*, inquit, *ultra centum caſtra per rebellionem & alios modos dictorum perfidorum tyrannidi ſunt ſubtracta*. Verſa eſt contra a tyrannis belli moles (*f*) partim in Etruriam ac Lunenſem diœceſim, partim in agrum Bononienſem, in quo atrox commiſſum prælium, atque ab Ingerranno comite Sueſſionenſi parta de hoſtibus inſignis victoria (*g*): cujus accepto nuntio, Pontifex exercitum in Mediolanenſem principatum illum promovere, ſeque Amedeo Sabaudiæ comiti conjungere juſſit. Data etiam Joanni Acuto Anglicarum copiarum duci imperia (*h*), ut in hoſtium terras irrumperet. Cum Bernabos ſuperiori clade, ac ſuorum defectione conſternatus, ad ſolitos dolos confugit: ut enim pontificiorum progreſſus reprimeret, ſuoſque contineret in officio, pacem a ducibus eccleſiaſtici exercitus flagitavit. Cujus fallacibus verbis cum ii faciles aures dediſſent, Gregorius initio colloquium fœderis reſpuit (*i*), ac rationem facti expoſuit (*k*); *Quia*, inquit, *iidem hoſtes, præſertim præfatus Bernabos, qui pluries eccleſiæ memoratæ pacem frangere non erubuit, & eſt notorius fidefragus, pacem & promiſſa eorum niſi ad ipſorum commodum non obſervant; non intendimus pacem habere cum ipſis, quia de ea confidere non valemus*. Et infra: *Nec facimus tot intolerabiles expenſas vobis notas, ut ad pacem deceptibilem deveniamus*. De iiſdem Vicecomitum dolis, quibus toties alios Pontifices deluſiſſent, ac tum demiſſionem fingebant, ut deinde tutius furorem effunderent, graviſſime diſſeruit Gregorius in literis ad Petrum tit. S. Mariæ trans Tyberim datis (*l*): deduci tamen poſtea ſe ab ea ſententia ſivit Pontifex, ut clientes eccleſiæ bello attritos levaret.

(*a*) *An.*3. *ep. cur. p.* 18. 45. 46.
(*b*) *Ib. p.* 26.
(*c*) *Pag.* 36.
Plura Vicecomitibus erepta.
(*d*) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*
(*e*) *To.*3. *ep. ſecr. p.*18.
Bernabonis copiæ profligatæ.
(*f*) *Ib. ep. ſecr. p.* 96. & 177.
(*g*) *Ib. p.* 51.
(*h*) *Ibid.*
Pacem Vicecomes expetiit.
(*i*) *Eod. to.*3. *ep. ſecr. p.* 35. & 279.
(*k*) *Super. p.*35.
(*l*) *Ib. p.* 278.

XIV. Vexata peſte Italia.

Non modo bello vexata eſt Italia, verum etiam peſte: quæ cum Urbem depaſceret, Gregorius expiaturis conſcientiam apud ſacerdotem, veniam tribuit: (*m*): *Cum*, inquit, *ſicut diſplicenter accepimus, in Urbe magna epidimiæ ſeu mortalitatis peſtis vigere noſcatur, nos animarum ſaluti providere de ſalubri remedio cupientes, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut confeſſor, quem quilibet veſtrum & etiam quivis alius fidelis Chriſtianus eccleſiaſticus vel ſecularis in ipſa Urbe exiſtens, uſque ad ſex menſes a tempore publicationis præſentium in eccleſia S. Joannis Lateranenſi faciendæ inantea numerandos, quos ex hujuſmodi epidimia ſeu mortalitatis peſte mori contigerit, duxerit eligendum, omnium peccatorum ſic eligentium, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem ſic confitentibus*: & infra, *auctoritate apoſtolica concedere valeat veſtræ & fidelium Chriſtianorum prædictorum devotioni tenore præſentium indulgemus: ſic tamen, quod idem confeſſor de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam ſic confitentibus per eos, ſi ſupervixerint, vel per heredes ſuos aut alios, ſi tunc forte ſic confitentes tranſierint, faciendam injungat, quam ſic confitentes vel illi facere teneantur, ut præfertur. Et ne* [*quod abſit*] *propter hujuſmodi gratiam reddatur quis proclivior ad illicita in poſterum committenda, volumus quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua quis forte committeret, quoad illa prædicta remiſſio ſic committenti nullatenus ſuffragetur. Datum Avin. id. octobris anno* III.

(*m*) *An.*3. *ep. cur. p.* 165.
Ea laborantibus oſtenſa veniæ ſpes.

XV. Eccleſia S. Mariæ majoris anno jubileo luſtrari juſſa.

His addimus ſtatuiſſe publico decreto Gregorium (*n*) ad pietatis ſtudium in Deiparam commendandum, ut fideles recurrente anno jubileo Lateranenſem & principis Apoſtolorum baſilicas luſtra-

(*n*) *To. papyrac. an.*3.

ſtra-

NOTÆ [1] INſignis illa victoria a pontificiis de hoſtibus relata eſt die XV. Januarii, teſte authore Miſcellæ, qui & hoſtium agmen conſtitiſſe mille haſtatis; victores vero ad 700. haſtatos habuiſſe ſub armis cum equitibus 300. narrat. Addit demum ſcriptor ille accuratus, menſe maij palam annunciatas fuiſſe inducias inter Vicecomites Mediolanenſes, id eſt, Dom. Bernabonem & Galeatium cum eccleſia quibus impoſita ſibi multa 20000. florenorum aureorum Eccleſiæ ſolvenda.. Quare miſſi a Vicecomitibus Bononiam mercatores ſexdecim Mediolanenſes, ut tamdiu detinerentur, donec ſolutio præſtaretur. MANSI

ſtraturi, ſanctam etiam Mariam majorem, ob ingentia in ea patrari ſolita miracula veneratione digniſſimam, adirent.

*Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*Sane felicis recordationis Clemens Papa VI. prædeceſſor noſter de fratrum ſuorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine indulgentiam, quam felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædeceſſor noſter omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum baſilicas de Urbe in anno a nativitate Domini MCCC. & ex tunc quolibet anno centeſimo ſecuturo certo modo viſitare conceſſit, ad annum quinquageſimum duxit reducendam, ſtatuens quod quicumque vellet hujuſmodi indulgentiam aſſequi, baſilicas prædictas ac Lateranenſem eccleſiam in anno nativitate ejuſdem Domini MCCCL. tunc proxime ſecuturo, & ex tunc de quinquaginta in quinquaginta annos certo modo viſitare deberent prout in literis Clementis ejuſdem prædeceſſoris ſuper hoc confectis plenius continetur, quarum tenor talis eſt Clemens, &c. Unigenitus Dei filius, &c. Adductæ a nobis fuere ſuo loco, iis vero hæc temporis & loci nota additur: Dat. Avin. VI. kal.* * februarias *pontificatus noſtri an. I.* (quæ non integre in extravagantibus apponitur. Pergit Gregorius: ) *Conſiderantes igitur, & intra noſtra mentis arcana revolventes, qualiter glorioſus Deus in ſanctis ſuis, in majeſtate ſua mirabilis opera manuum ſuarum mirificans, olim miro diſpoſuit ordine eccleſiam B. Mariæ majoris de Urbe fundari ac conſtrui, & ſubſequenter etiam dedicari, & qualiter etiam ipſe omnipotens Dominus in eccleſia ipſa omnium veneratione colenda ob interceſſionem ejuſdem B. Virginis, ut pie creditur, multa operatur miracula; & ideo ex illis & aliis certis & rationabilibus cauſis cupientes, ut dicta eccleſia B. Mariæ majoris pariter cum eiſdem baſilicis ac eccleſia Lateranenſi præfatæ indulgentiæ privilegio decoretur, authoritate apoſtolica & ex certa noſtra ſcientia volumus, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod quicunque Chriſti fideles, qui hujuſmodi indulgentiam in præfatis literis ejuſdem Clementis prædeceſſoris noſtri declaratam aſſequi voluerint, præfatam eccleſiam B. Mariæ majoris, ſicut & baſilicas ac eccleſiam Lateranenſem prædictas viſitare debeant; & etiam teneantur. Nulli ergo &c. Dat. Avinion. III. kalend. maii anno III.*

* deeſt hæc vox in extravag.)

Piæ oblationes a Gallo Rege eccleſiis Urbis erogatæ.

Hoc anno miſit Carolus Francorum Rex ad Urbis baſilicas, de quibus facta eſt mentio (*a*), Lateranenſem nimirum, S. Petri, S. Pauli ac S. Mariæ majoris piæ oblationis ergo octingentos aureos, quorum quadringenti ad earumdem eccleſiarum ornatum erant derivandi, alii canonicorum collegiis & Benedictinis S. Pauli tribuendi; trecenti etiam alii aurei monaſterio S. Agnetis (*b*) una cum aurea ejuſdem virginis ſacra imagine traditi, quorum in monaſterii uſus convertendorum Pontifex Lucæ epiſcopo Nucerino urbis vicario munus injunxit: *Cum chariſſimus*, inquit, *filius noſter Carolus Rex Francorum illuſtris operibus pietatis intentus ex devotione, quam habet ad S. Agnetem virginem & martyrem, mittat ad ejuſdem ſanctæ monaſterium unam imaginem auream cum uno agniculo etiam aureo ponderis trium marcharum & ſex unciarum & ſex denariorum, cum uno pede argenteo deaurato ponderis quinque marcharum & mediæ unciæ & quatuordecim denariorum in dicti monaſterii eccleſia & ejus theſauro perpetuo retinendis; mittat etiam dicto monaſterio trecentos florenos ſeu ducatos auri in utilitatem ejuſdem monaſterii convertendos, &c. Dat. apud Pontemſorgiæ Avin. diœceſis VI. kal. junii anno III.*

(*a*) *To. 3. ep. ſecr. pag.* 53.

(*b*) *Ibid. pag.* 51.

XVI. Minoritis in Boſnia ſacramenta conferendi jus datum.

Propagabatur ea tempeſtate in Boſnia & Ruſſia religio, auctique Minoritæ pluribus privilegiis, atque authoritate inſtructi (*c*), ut baptiſmum atque alia ſacramenta piis conferre poſſent, cum parochiæ in ea provincia diſtinctæ non eſſent: pariterque in Ruſſia eadem poteſtate ornati ſunt (*d*): de quibus etiam fideles Lamburgenſes, ac Ruſſos Pontifex certiores fecit (*e*): ipſos enim nonnulli invidi ea opinione abalienare a Minoritis pertentarant, quaſi nulla poteſtate ad ſacramenta conferenda valerent. Pellicere ad Chriſti cultum Lithuanos etiam eniſus eſt Pontifex; atque Oligerdum, Renſtucum, ac Lubardum ferociſſimos principes, qui continuis præliis cum Pruſſiæ cruciferis equitibus vario plerumque eventu decertabant, ad manſuetudinem Chriſtianam traducere: in quam rem ut ſtrenue incumberent, Ludovicum Ungariæ & Poloniæ Regem, Eliſabetham Reginam, ac Wladiſlaum Opolienſem & Semovitum Mazoviæ duces eſt adhortatus (*f*): quorum poſtremus multam in iis ad divinum cultum impellendis operam contulerat (*g*). Nec Lithuani duces a pietatis amore plurimum aberant: quos cum egregie erga divina comparatos accepiſſet Gregorius, ubi ampliſſimas utilitates (præter enim animarum ſalutem etiam corporibus conſultum iri, nec tot ſtrages patrandas, iis fidelium numero aggregatis expoſuit) ſubjecit; ſacerdotes doctrina & religione conſpicuos a ſede Apoſtolica mittendos ad ipſos, ſi cœleſtibus inſtinctibus aſſenſiſſent.

(*c*) *Ibid. pag.* 19. Et in Ruſſia.

(*d*) *Pag.* 62.

(*e*) *Pag.* 63.

Lithuanos principes ad fidem allicere nititur Greg.

*Nobilibus viris Oligerdo magno, & Renſtuco, ac Lubardo fratribus ducibus Lithuanorum viam veritatis agnoſcere, & agnitam cuſtodire.*

(*f*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 89.

(*g*) *Ead. pag.*

*Salvatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti, qui de cœlis miſericorditer deſcendit in mundum*



Pontificiæ ad eos literæ.

*dum, ut ſalvos faceret omnes, qui crederent in eundem, vices (licet indigni) tenentes in terris, omnium mortalium ſalutem, qui utique ab ipſo Domino ſunt creati, præcordialibus deſideriis affectamus, & ſolicitis ſtudiis, prout noſtræ fragilitati conceditur, procuramus: & quod in hac parte per nos ipſos non poſſumus, per alias perſonas fideles & providas anhelanter ſatagimus adimplere. Advertentes igitur inter vos & dilectos filios fratres domus S. Mariæ Theutonicorum eorumque ſubditos & nonnullos alios Chriſtianos duriſſimum & lethale bellum longis temporibus viguiſſe ac vigere continue, gerimus in deſiderio cordis noſtri, quod vos & veſter populus ad fidem catholicam, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, per miniſterium prædicatorum ejuſdem fidei, ſicut fecerunt hactenus & adhuc faciunt aliæ nationes quamplurimæ, voluntarie veniatis: quia illud ſacrificium & obſequium eidem Salvatori acceptabile redditur, quod a voluntate præbetur: ſicque animæ veſtræ & cunctorum Lithuanorum per gratiam Dei & ejus veram fidem ac opera charitatis erutæ de potentia Sathanæ, qui per infidelitatis errorem & execranda opera detinet eas miſerabiliter captivatas, æternaliter fiant ſalvæ: ceſſent bella, effuſiones cruoris, mortes crudeles, captivitates impiæ, rapaces prædæ, ſervitutes miſerabiles, labores graviſſimi, & incendia conſumptiva, aliaque mala innumera, quæ ſolent ex bellicis actibus evenire; fiatque pax individua inter vos ac fratres eoſdem & alios Chriſtianos, ut quos una junget fides, nulla poſſit, præſertim tam dira & prolixa diſcordia ſeparare: ſequatur optata tranquillitas, ſervetur mutua charitas, & utrinque dulcedo fraternæ communionis accedat, opes amiſſæ reſurgant, & ſuperveniant ampliores, ac unitis in Chriſto cœleſtia & terreſtria præparentur; cæteriſque infidelibus diabolica fraude deceptis imitativo demonſtretur exemplo, quid felicitatis & gratiæ, quid conſolationis & gaudii, quidve ſecuritatis & pacis converſis ſucceſſerit Lithuanis, ac cæteris incredulis pandatur aditus in viam ſalutis dirigendi ſimiliter greſſus ſuos.*

Propoſita ingentia ex fide ſuſcepta bona oboritura.

*Eapropter nobilitatem veſtram, quam optamus ſalvari, ac in præſenti ſæculo apud omnes Chriſticolas, & demum in excelſis fieri glorioſam, charitative hortamur in Domino, quatenus ad recipiendum dictam fidem vos & veſtri ſubditi, quos ad hoc provide inducatis, veſtros diſponatis animos humiliter & devote. Nos enim, ſi in hoc volueritis exhibere conſenſum, viros religioſos in lege Domini eruditos ad prædicandum vobis fidem præfatam & alia, quæ ad animarum veſtrarum ſalutem ſpectabunt, ac ad tractandum auctoritate apoſtolica veram & firmam concordiam cum dictis fratribus & omnibus aliis Chriſtianis, qui magiſterio ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ intendunt fideliter, cum opportuna poteſtate curabimus deſtinare. Super quibus vobis plenius exponendis dilecto filio Dobregeſtio præpoſito eccleſiæ Cracovienſis decretorum doctori, capellano & familiari chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Regis Ungariæ & Poloniæ illuſtris latori præſentium de noſtra intentione informato plenarie velitis fidem plenariam adhibere. Dat. Avinion. X. kal. novembris anno III.*

Miſſus ad eos internuntius Apoſtolicus.

XVII. Exericæ principis pium ſtudium in Saracenis ad fidem convertendis.

Eodem tempore effloruit in trahendis ad Chriſtum Saracenis magna pietatis commendatione in Aragonia Alfonſus e Cherica ſive Exericæ princeps, ac liberalitate tantum opus ornavit: cum enim plura mancipia in Mahumetanis ſordibus educata haberet, ad baptiſmum ſuis adhortationibus perducta libertate donavit. Quo egregio exemplo Pontifex Petrum (*a*) Regem Aragonum, Alienoram Reginam, Joannem ducem Gerundenſem ſceptri heredem & Martinum comitem Biſulduni filios, Joannem comitem Empuriarum (*b*) ad ſuos ſervos Saracenos in Dei filios transformandos incitavit: ſi quam in ea re jacturam paterentur, æterna apud divinum Numen præmia ipſos manere. Tum Valentinum, Dertuſenſem, & Segobricenſem epiſcopos, Valliſdignæ & Bonifaz abbates, alioſque plures eccleſiaſticos viros permovit (*c*), ut in Saracenis Chriſtiana religione erudiendis diligentem operam collocarent.

(*a*) *An.* 3. *ep. cur. p.* 15. & 16.

(*b*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 1.

(*c*) *An.* 3. *ep. cur. p.* 16.

XVIII. Schiſmaticorum fraudes in Creta repreſſæ.

Nec minus eluxit pontificium ſtudium in excindendis hæreſeon fibris ac ſchiſmaticorum reprimendis conatibus, ne regna catholicis principibus obnoxia inquinarent: certior enim factus in Creta Græcos nonnullos in ſchiſmate obfirmatos ab inſula diſcedere, ut a ſchiſmaticis epiſcopis ſacris ordinibus initiarentur, ac reverſos vetus ſchiſma inter Cretenſes confirmare, quamvis jam ante a duce ac ſenatu Veneto cautum eſſet, nullum ſchiſmaticum epiſcopum in inſula verſari permittendum, nec Græcis fas fore ut a ſchiſmaticis ſacerdotio inſignirentur; Pontifex Andream Contarenum Venetorum ducem urſit (*d*), ne tam præclaram legem obſoleſcere pateretur, ſuamque operam pro tuendo ſervandoque inter Cretenſes fidei nitore impenderet.

(*d*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 90.

*Dilecto filio nobili viro Andreæ Contareno duci Venetiarum.*

*Lætamur in Domino, fili dilecte, cum de te tuiſque civibus & officialibus actus laudabiles præſertim circa extirpationem hæreſum & ſchiſmatum, ac ampliationem catholicæ fidei, noſtris auribus referuntur. Nuper ſiquidem gratanter audivimus, quod cum olim per antipatriarchas Conſtantinopolitanos hæreticos, & ſchiſmaticos unus epiſco-*

*ſcopus, ſeu potius antiepiſcopus hæreticus & ſchiſmaticus, in inſulam tuam Cretenſem ad præſidendum in ſpiritualibus Græcis ſchiſmaticis tam clericis quam laicis ejuſdem inſulæ pro tempore mitteretur & reſideret in ea; per quendam ducem Venetiarum tuum prædeceſſorem fuit tam provide quam catholice ordinatum, ac ſub gravi pœna ſtatutum, quod ex tunc nullus talis ſchiſmaticus epiſcopus reciperetur in inſula prælibata: & quod poſt obitum cujuſdam Macarii ſchiſmatici epiſcopi ſic obſervatum extitit, prout etiam laudabiliter obſervatur: & quod etiam per eundem prædeceſſorem tuum ſub diverſis gravibus pœnis fuit ſtatutum, quod nullus ſchiſmaticus dictæ inſulæ exiret de illa, a ſchiſmatico epiſcopo, exiſtente extra ipſam inſulam, quoſcunque ordines recepturus, & quod licet hoc aliquandiu obſervatum extiterit, tamen præſentialiter non ſervatur; propter quod nonnulli ſchiſmatici ordinandi exeunt licenter de dicta inſula, & ab epiſcopis ſchiſmaticis aliarum partium ad ordines ritu ſchiſmatico promoventur, per quos inter Græcos dictæ inſulæ ſchiſmata & hæreſes nutriuntur in damnationem multarum animarum, & fidei catholicæ detrimentum.*

Vetitum Venetis ne ſchiſmatici epiſ. in Creta permittantur.

Ne qui ex inſula ad ſuſcipiendos ordines a ſchiſmaticis abeant. Pium edictum dein violatum.

*Quare nobilitatem tuam rogamus & hortamur attentius, quatenus ob reverentiam Dei & zelum dictæ fidei, ſine qua non eſt ſalus; & ut iidem Græci ſubditi tui eo tibi fideliores reddantur, quo tecum & cum aliis Latinis catholicis ſtrictiori nexu profeſſionis ejuſdem fidei tuæ nobilitati fuerint obligati; dictum ſanctum ſtatutum per pœnas condignas facias inviolabiliter obſervari, & quidquid potes per te tuoſque officiales, quos habes in dicta inſula, pro converſione Græcorum ſchiſmaticorum hujuſmodi, & tutela & conſervatione illorum ex ipſis, qui ab eorum erroribus jam dicuntur converſi, & (dante Deo) cum tuo favore convertentur in poſterum, devotis & ſolicitis ſtudiis opereris, ut præfata inſula inveteratis ſchiſmate ac hæreſibus expurgetur, tuque ac tua communitas proinde præter laudem humanam, & majorem benevolentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram, æternum inæſtimabile præmium reportetis. Et inſuper quia eadem nobilitas & concives tui de aliis utilibus modis tenendis in converſione dictorum Græcorum debent eſſe informati, plenarie de ipſis velis nos tuis literis informare. Dat. Avin. VI. kal novembris anno III.* Docuit experientia ſaluberrimum fuiſſe Gregorii conſilium, cum divina juſtitia Cretenſes, qui hactenus ſchiſma damnare detrectarunt, a Mahometanis vexari patiatur.

Dux Venetus ad illud redintegrandum rogatus.

XIX.
Arnaldus Montanerius pſeudominorita.

Ne tranſmarini etiam fideles inquinarentur erroribus Arnaldi Montanerii Minoritæ e Podio Ceritano oriundi, qui judicio hæreſeos ab Eymerico fidei cenſore poſtulatus in orientem aufugerat, Gregorius Armando ordinis Minorum vicario Aquilonari dedit imperia (*a*), ut illum vinctum ad ſubſellia Apoſtolica trahendum curaret. Recenſet ejus errores & deliria idem Eymericus, qui una cum Berengario Darili epiſcopo Urgellenſi illum in principe templo, conſulto prius Gregorio Papa, hæreſeos crimine damnavit (*b*).

(*a*) *To. 3. ep. ſecr. p. 3.*
Damnatus hæreſeos.
(*b*) *Eymer. p. 2. direct. inquiſit. q. 11.*

Repullulanti quoque tum in Galliis fœdiſſimæ hæreſi Beguardorum ſive Beguinorum, Turlupinorum, ac Lollardorum (iis nominibus vulgo infame horum hominum genus nuncupabatur) falcem apoſtolicæ ſeveritatis injecturus Gregorius, ut clementia rigorem temperaret, cenſoribus fidei primum partes dedit, ut omnes, quos ſponte criminis pœniteret, in gratiam eccleſiæ admitterent: in pertinaces vero univerſos principes, urbium magiſtratus, ac viros nobiles Francos Belgaſque pio ardore accendit (*c*), ut ad delenda ejuſmodi religionis opprobria ſtudium vireſque conferrent. Turlupinis pares erant ſcelere Waldenſes, in quos licet ſæpius legibus actum eſſet, in Delphinatu tamen circumjectiſque locis hæreſeos virus fovebant: ad quos ab impietate revocandos Gregorius Gallicanos præſules, qui Pariſiis ad ſolemnes conventus coacti erant, ſolicitavit (*d*), ut Carolum Francorum Regem ad eos inſectandos permoverent: quo etiam argumento extant ad Carolum Regem literæ adhortatoriæ, ut Turlupinos ac Waldenſes ſuppliciorum terrore ad pietatem adduceret, cenſoribus fidei ad munus obeundum opera non deeſſet, & magiſtratus, qui his oblique obſtabant, ad conjungenda ſtudia in impios regia authoritate adigeret.

Hæreſes fœdæ gliſcunt in Galliis.
Cenſores fidei eas excindere juſſi.
(*c*) *An. 3. ep. cur. p. 15.*
(*d*) *To. 3. ep. ſecr. p. 38.*

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciæ illuſtri.*

*Chriſtianorum principum Regum Franciæ progenitorum tuorum fervidum zelum ad fidem catholicam, quem ſcripta diverſa teſtantur & fama publica manifeſtat, grata memoria recolentes, & te inclytum imitatorem ipſorum in hoc & aliis bonis operibus attendentes; ac tenentes indubie, quod negotia dictæ fidei pro Dei reverentia ſuſcipiens cordialiter commendata, illa promovebis pro viribus, & officialium, ſubditorumque tuorum in hac parte negligentias & culpas alias, cum illas agnoſces, nullatenus ſuſtinebis; ad devotam magnitudinem tuam apoſtolica ſolicitudo, quæ circa hoc invigilare tenetur, recurrit cum fiducia ſpeciali. Audivimus ſiquidem ſæpius, fili chariſſime, quod hoſtis humani generis, circuiens ſemper & quærens quos devoret, ubi majora viderit opera ſanctitatis, ibi virilius ſatagit ſuæ venenum effun-*

Excitatus Francor. Rex ad naſcentes errores præfocandos.



*fundere pravitatis, in regni tui, quod præ cæteris mundi regnis præclaruit, prout præclaret fide & operibus virtuoſis, in aliquibus partibus in nonnullis perſonis utriuſque ſexus, præſertim de ſecta Begardorum, qui alias Turlupini dicuntur, ſparſit ſemen peſtiferum multiplicis hæreticæ pravitatis: quodque ingens tua devotio, de iis aliqua ſentiens ab inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, ferventer incœpit circa ea regiæ poteſtatis remedia adhibere: de quo eam dignis laudibus commendamus.*

Turlupini iidem qui Begardi.

XX.
Delphinatus Waldenſibus infectus.

*Audivimus etiam relatibus fidedignis, quod in partibus Delfinatus Viennenſis & aliis locis vicinis eiſdem eſt quorumdam hæreticorum, qui vocantur Vvaldenſes, maxima multitudo: & quod quidam officiales tui dilectos filios . . . inquiſitores dictæ pravitatis in eiſdem partibus deputatos non ſolum non juvant, ut deberent, in ſuo inquiſitionis officio; immo multa impedimenta ut ſequitur, contra ipſos præſtare præſumunt: videlicet quod eoſdem inquiſitores, ne poſſint procedere contra dictos hæreticos, impediunt indirecte, eiſdem aſſignando ut plurimum loca minus tuta ad procedendum contra hæreticos prælibator: & quod non permittunt, ut iidem inquiſitores procedant ſine judice ſeculari, & compellunt eoſdem, quod proceſſus ſuos judicibus ſecularibus oſtendant, ſi quos fecerint ſine ipſis. Hæreticos quoque ſeu ſuſpectos de hæreſi, captivatos per inquiſitores eoſdem, eis irrequiſitis præcipiunt a carceribus liberari. Requiſiti præterea a dictis inquiſitoribus, quod præſtent juramentum a jure diſpoſitum de expurgando hæreticos & ſuſpectos de hæreſi, illud præſtare contemnunt. Aliqui etiam nobiles Delfinatus ejuſdem hæreticos & ſuſpectos de hæreſi, contra quos per inquiſitores proceditur memoratos, receptare ac fovere multipliciter non verentur. Quare devotam ſerenitatem tuam requirimus & hortamur in Domino, quatenus præmiſſa, zelo fervoris regii utique deteſtanda, devote conſiderans, eis & ſimilibus (de quibus diligenti facias indagatione perquiri) toto tuo niſu pro Dei & dictæ fidei reverentia ſtudeas opportunis remediis obviare, præcipiens expedite ſine quolibet impedimento in præmiſſis & aliis, quæ pro dictæ fidei conſervatione utilia erunt pro tempore, ſic te reddens fervidum, ſolicitum, ac promptum, quod pugil magnificus ejuſdem fidei præſentibus & futuris temporibus reputeris, & apud Deum & homines veris laudum præconiis glorioſius extollaris, dictumque regnum & Delfinatus in ſua conſueta devotione & cultura fidei mediantibus tuis piis operibus & favoribus conſerventur. Dat. Avin. VI. kal. aprilis anno III.*

Cenſura fidei libere non exercita.

XXI.

Paruiſſe apoſtolicis monitis Carolum Regem Francorum colligitur ex hiſtoricis, qui tradunt (*a*) ipſius imperiis quæſtionem acerbiſſimam in Turlupinos habitam, adeo ut plures ex iis Pariſiis incendio abſumpti ſint, ac nefaria factio in Galliis fuerit abolita, ut refert Gaguinus his verbis: *Superſtitionis quoddam genus eodem tempore, a Turlupinis [hoc enim erat hæreticis nomen, qui ſe de ſocietate pauperum vocitari gaudebant] ortum, finem fecit, crematis eorum veſtibus & libris in foro ſuillo extra ſancti Honorati portam. Joanna autem Dabentona, & cum ea alter, cujus nomen hiſtorici non tradunt, ejus ſectæ in primis profeſſores comburuntur. Hic autem, quem ſine nomine ponimus, cum ante damnationis ejus ſententiam in carcere mortem obiiſſet, dies quindecim in aggere calcis, ne putreſceret ejus cadaver, aſſervatus eſt, & die ad ſupplicium præſcripto crematus.* De Turlupinorum hæreſibus meminit Bernardus Lutzemburgius (*b*), aitque eos de nulla re a Deo naturaliter indita erubeſcendum jactaſſe, & promiſcuis concubitibus palam ſine ullo pudore uti ac membra nudare ſolitos. In quibus abolendis Carolus Philippi Auguſti religionem eſt imitatus, qui Almarici diſcipulos ſimilia venena fundentes extra Lutetiæ portas rogis tradi juſſit: *Dixerunt*, inquit bibliotheca patrum (*c*), *quod illud, quod alias eſt peccatum mortale, ut ſtuprum, factum in charitate, non eſt peccatum.* Porro Almarici hæreſes ſuo loco recenſuimus (*d*): tum Albigenſes (*e*) eandem impuritatem conſectatos, nec non Hermanni ſequaces, tum Dulciniſtas (*f*) ſeu Libertinos, a quibus confictum libertatis ſpiritum, quo freti in omni luxuriæ genere volutabantur, & a Clemente V. graviſſime confutatum vidimus. Eadem inſania perciti erant ii, quos a Joanne Rege Boemiæ concrematos diximus (*g*), quæ ſecta poſtea recruduit in Boemia, ubi Adamitarum nomen accepit, & ad quam etiam inſtaurandam plura infanda dogmata Lutherus ſparſit. Quod vero ad Waldenſes ſpectat; eos internuntii apoſtolici imperio Caroli Francorum Regis ope carceribus mancipatos inferius viſuri ſumus: nunc quæ a Pontifice ſtudia ad bellum Anglicum ſopiendum adhibita ſint, perſtringimus.

(*a*) *Gaguin. l. 9. Meyer. l. 13. Belleſ. l. 5. Gault. ſæc. 14.*
Turlupini Pariſiis flammis exuſti.
(*b*) *Bernar. Lutzemb. & ex eo Sander. de viſib. monarch. in Greg. XI.*
(*c*) *Bibl. Pat. to. 4. col. 1337.*
(*d*) *Ann. to. 13. A. C. 1209. n. 28.*
(*e*) *Eod. to. A. C. 1204. n. 63.*
(*f*) *To. 15. an. 1311. n. 66. &c. an. 1312. n. 17. in 3. errore Begard.*
(*g*) *An. 1375. n. 26.*

XXII.
Anglis Gallisque conciliandis navata opera.

. Cum ex eo Chriſtiana religio, Francorum Anglorumque armis defendenda, omni pene auxilio deſtituta infidelium victoriis everteretur; Pontifex ſuperiori anno ad colloquium Itii, vulgo Caleti, agitandum Reges induxerat: ſed cum id re infecta eſſet diſſolutum, iterum ut Brugis iniretur perpulit (*h*); ac tum Eduardum, tum Carolum graviſſimis ſententiis ſolicitavit (*i*), ut pacis conſilia amplecterentur: ad quæ ut procerum, qui illi colloquio Regum nomine erant affuturi, animos compararet, adductis in medium graviſſimis malis emerſuris ex ejuſmodi diſcordiis, ut

(*h*) *To. 2. ep. ſecr. pag. 237. 238. 239.*
(*i*) *Ib. p. 238.*

ad Reges in mutuam concordiam redigendos operam conferrent, fuit adhortatus (*a*).

(*a*) *Eod. to.* 2. *ep. ſecr. p.* 237.

*Gregorius, &c. dilectis filiis nunciis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum illuſtris pro pace, inter ipſum & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Eduardum Regem Angliæ illuſtrem in loco de Brugis Tornacenſis diœceſis tractanda & reformanda, deputatis.*

Auctæ ex Anglico bello barbarorum vires.

*Conſiderantes quantum eorundem Regum hoſtilis commotio, tanto tempore radicata & toti mundo nociva, negotio terræ ſanctæ fuerit damnoſa & exiſtat, & non ſolum Babylonicum hoſtem inducit ad Chriſtianorum excidium, ſed etiam multis infidelibus ad occupandas Chriſtianorum terras, & religionem Chriſtiani nominis extinguendam, audaciam proximis elapſis temporibus miniſtravit; quodque, ſi infideles ipſi inter ipſos Franciæ & Angliæ Reges percipiant durare diſcordiam, & concordiam exulare, adverſus Chriſtianos & terras eorum ex ſolita rabie eorundem inſurgent virilius & audacius, & majorem ſument audaciam ad atrociores ſolito & perniciosiores moleſtias Chriſtianorum Regibus atque regnis & populis inferendas (ad quorum executionem, præfati nefandiſſimi infideles, prout fertur, jam ſe præparant & diſponunt) guerram & diſcordiam hujuſmodi amplius ſana conſcientia tolerare non valentes; nec minus advertentes & ſæpius recenſentes, quod nos & prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, tam ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales quam alios diverſos apoſtolicæ ſedis nuncios, ad partes illas pluries tranſmittendo, in hoc diligentiam, quam potuimus adhibuimus, cum alia remedia non videamus ulterius, ſi concordia & pax hujuſmodi non perficiatur, ulterius differre non intendimus, quin contra partem, per quam ſtabit, & alios quoſcunque ei faventes ac præſtantes auxilium, conſilium, & favorem, per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia, ſublato quocunque favore, mediante ſemper juſtitia, procedamus. Dat. Avin.* III. *non. januarii anno ſecundo.*

Decernit Gregor. contra belli auctores leges diſtringere.

Fefellit (*b*) Pontificis ſpem atque expectationem odiorum pertinacia ac rerum, quæ agitatæ erant, difficultas: quamvis Simon tit. S. Sixti & Joannes tit. SS. Quatuor coronatorum presbyteri Cardinales ad Reges miſſi, literiſque extimulati (*c*) labori & operæ non pepercissent.

(*b*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 248.

(*c*) *To.* 2. *ep. ſecr. pag* 239.

XXIII. De reſtituenda Caſtellæ pace agitatum.

Liberandæ e bellis civilibus Hiſpaniæ pari ſtudio accenſus Pontifex, ad cœptum jam ante conciliandæ Henricum Caſtellæ & Legionis inter ac Fernandum Luſitaniæ, Carolum Navarræ, Petrum Aragoniæ Reges pacis colloquium incubuit. Atque in primis, quod ad Luſitanicum bellum ſpectat; cum jam illud ante ab apoſtolicis internunciis extinctum putaretur, in majus incendium eruperat, ac Reges univerſas vires in certaminis periculum conjecturi erant. Ad quos in concordiam adducendos Chriſti vicarius Henricum Caſtellæ Regem, qui Luſitaniam irruperat maximo ſuccinctus exercitu, precibus urſit (*d*), ut armis abſiſteret. Similique modo Joannam Reginam Caſtellæ (*e*), ut virum demulceret atque ad concordiam flecteret; tum Fernandum Luſitaniæ Regem (*f*) hortatus eſt, ut ad pacem cum Henrico ſtudia converteret: tum Guido Cardinalis A. S. L. ad Reges pro dirimendo ſua authoritate & induſtria bello ſe conferre juſſus (*g*). Capeſſivit is ſtrenue apoſtolica imperia, ut refert Mariana (*h*): cum enim hoc ineunte anno Henricus Rex Caſtellæ Luſitaniam ferro flammaque populatus, Viſeo expugnato, ac tentata Conimbrica, belli impetus ad Scalabim vertiſſet, quo cum Ferdinando Rege acie decerneret, illumque ab ambienda Caſtella deterreret; detrectanteque Luſitano univerſum certamen, nec viribus, nec belli peritia pare, atque etiam Dionyſio fratre hoſti adjuncto ad Ulyſſiponem uſque penetraſſet, ac ſuburbia incendiſſet, plures naves cepiſſet adducta claſſe in portum, magnumque obſeſſæ urbi regiæ inferret terrorem; Cardinalis legatus ultro citroque ad caſtra adverſa commeare non deſtitit, ſprevitque labores & pericula, ut pacem inter Reges conciliaret; ac demum eo annitente ad v. kal. aprilis fœdus ſancitum iis legibus: ut oppida utrinque eo bello capta reſtituerentur: Caſtellani profugi nobiles quingenti & eo amplius finibus Luſitaniæ arcerentur; denique affinitatibus novis fœdus confirmaretur. Cum vero nonnulli religioſi per Caſtellam diſcurrerent, ut novos in ea cierent motus, Pontifex publicæ pacis alendæ ſtudio, ne barbari ad religonem opprimendam animis augerentur, Guidoni Cardinali legato munus impoſuit (*i*), ut eos coerceret.

(*d*) *To.* 3. *ep. ſecr. pag.* 120.
(*e*) *Ibid. pag.* 8.
(*f*) *Pag.* 120.
Guido Card. legatus.
(*g*) *Pag.* 8. & 120.
(*h*) *Marian. de reb. Hiſp. l.* 17. *c.* 17.
Caſtellanum inter & Luſitanum pacem redintegrat.
(*i*) *An.* 3. *ep. cur. pag.* 122.

XXIV. Inter Navarræum Caſtellanumque inſtauratum fœdus.

Confecto Luſitano bello, Henricus Caſtellæ Rex virium molem ad obruendum Carolum Regem Navarræ, qui nonnullas Caſtellæ urbes in ſuperioribus motibus ſuæ ditioni adjecerat, convertebat (*k*): cum internuntii apoſtolici ſtudio, antequam oppoſitæ acies ſigna conferrent, in concordiam mutuam revocati ſunt. Carolus enim bello clariſſimum Henricum florentiſſimoque ſuccinctum exercitu in ſe concitare tutum non putabat; atque Henricus ſuæ dignitatis arbitrabatur amiſſa ſine bello recipere. Fœdus itaque percuſſum his legibus. Navarrus Lugrunium & Victoriam Caſtellano redderet: amicitiam, pactis inter Carolum filium & Eleonoram filiam Henrici nuptiis, aſtringeret. Pro ſumptibus vero in redditis arcibus muniendis, ac dotis nomine centum

(*k*) *Marian. l.* 17. *c.* 17.

vi-



viginti aureorum millia Navarro conceſſa. Ex felicis hujuſmodi concordiæ nuntio ingenti gaudio affectus Gregorius, Regi Caſtellano de confecta pace gratulatus (*a*), ut cum Aragonio controverſias veteres componeret, eſt adhortatus.

(*a*) *To.* 3. *ep. ſecr. p.* 203.

*Gregorius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Henrico Caſtellæ & Legionis Regi illuſtri.*

Henrico gratulatur Pont.

*Fili chariſſime, Deo gratias agimus, & laudationum vota debite perſolvimus, qui te & chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Navarræ illuſtrem, prout nuper ad noſtrum pervenit auditum, ad bonam reduxit concordiam: ac ſinceritati tuæ congaudemus, qui zelo fidei, ac ad noſtram & ejuſdem Romanæ eccleſiæ devotionem accenſus pacis conſilia iniiſti; teque ut charius poſſumus deprecamur, quatenus hujuſmodi pacem Deo placitam, & (dante Domino) populo fructuoſam prout plene confidimus, obſerves & a tuis ſubditis facias inviolabiliter obſervari: ita quod tu & idem Rex Navarræ in unitate & concordia firmati valeatis (ut expedit) in pacis multitudine delectari: ſicque pacis angeli vobis congaudeant, & nos, qui te & ipſum Regem Navarræ ſincere brachiis charitatis amplectimur, in vobis ſicut in principibus pacificis, & pacis filiis delectabiliter gloriemur. Cæterum, amantiſſime fili, cum (ſicut præfatus legatus nobis pluries ſcripſit) tu inter cæteros mundi principes nos & eamdem Romanam eccleſiam, prout experientia docet ſpeciali devotione proſequaris, & libenter noſtris & prædictæ ſedis conſiliis acquieſcas, ſuper quo tuam prudentiam multipliciter commendamus, excellentiam regiam attentius exhortamur, ac pro ſpeciali munere petimus, quatenus ad bonam pacem & concordiam cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Petro Rege Aragonum illuſtri, dante Domino, adimplendam (ſuper quo alias eidem excellentiæ pluries ſcripſimus) tuum inclines animum, diſponas & mentem: ac præfato legato in iis, quæ ſuper hoc ex parte noſtra tibi dicet, plenam fidem adhibere ſinceritas tua velit. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* XI. *kal. ſeptembris anno tertio.*

Ad pacem cum Aragonio ineundam ſollicitat.

Guidonis Card. mors.

Ereptus eſt e vivis Guido Cardinalis, antequam controverſiam inter Aragonium & Caſtellanum ſopiret, ut ex literis pontificiis conſtat: ſublatum autem increbuit rumor illum veneno a Carolo Rege Navarræ. Quo rumore ſparſo Carolus objectum crimen purgare conatus eſt; admiſitque Gregorius ejus excuſationes, cum Guidonis neceſſarios diligenter percunctatus non veneno, ſed morbo interemptum compeřiſſet; priſtinæque illi famæ integritatem hiſce literis ſequenti anno exaratis (*b*) reſtituit.

Sparſa fama veneno ſublatum.

(*b*) *To.* 4. *ep. ſecr. pag.* 117.

*Gregorius, &c. Carolo Regi Navarræ illuſtri.*

*Iidem nuntii ſub commiſſa eis per eaſdem literas credentia pro parte tuæ magnificentiæ nobis expoſuerunt, quod eidem ſerenitati relatum extiterat, nobis falſo ſuggeſtum fuiſſe; quod bonæ memoriæ Guidoni epiſcopo Portuenſi, tunc in partibus illis Apoſtolicæ ſedis legato, venenum ſeu toxicum dari ſeu miniſtrari feceras, propter quod viam fuerat univerſæ carnis ingreſſus. Verum, fili chariſſime, id nobis a pluribus dictum fuit: ſed conſiderantes puritatem devotionis ad Deum catholicorum principum progenitorum tuorum, atque tuam, ſtatumque regium nolle tantam maculam in ſui nominis gloria ponere; nec non ſincerum amorem, quem ad dictum epiſcopum gerebas, hoc credere nulla ratione potuimus. Et licet cum familiaribus præfati epiſcopi de infirmitate ipſius & de morte ſæpius & diligenter locuti fuerimus, numquam tamen ſcire potuimus, eum aliter quam morte naturali, quæ nulli parcit, deceſſiſſe. Quapropter, amantiſſime fili, de præmiſſis nobis falſo ſuggeſtis, cum veritatis claritas mendaciorum tenebris in hoc obfuſcari nequeat, in antea non cures ſinceritas regia nobis chara. Datum Sallon. Arelatenſis diœceſis* x. *kal. julii anno* IV. Detergere ita facile alterius criminis ſibi impoſiti labem non potuit Navarrus, ipſum ſcilicet veneno Regem Francorum tollere pertentaſſe: conſcii enim flagitii necati ſupplicio fuerunt, atque in Navarrum a Franco redintegratum bellum, expugnatis nonnullis urbibus, quas in Galliis jure fiduciario obtinebat.

Navarræum Greg. ea ſuſpicione liberat.

Rex Navarræ veneficii poſtulatus a Gallo Rege.

XXV.

Claudimus hunc annum felici S. Birgittæ obitu, quem ejus vitæ author apud Surium (*c*) ita deſcribit: *Ubi Romam rediit, morbus increvit: & tandem illius vi extincta eſt. Cumque immineret dies obitus ejus, quinque diebus ante rurſus apparuit ei dominus Jeſus ante altare, quod erat in conclavi ejus, jucunda facie, & corporeis ejus oculis viſibilem ſe præbens, eique dicens: Ego ſic tibi feci quemadmodum ſponſus ſolet, ſubducens ſe ad tempus a ſponſa, ut ardentius deſideretur: non viſitavi te divinis conſolationibus, quandoquidem tempus erat, quod probareris. At nunc probata ſatis procede, & præpara te: tempus eſt enim, ut (ſicut pollicitus tibi ſum) coram altari meo monaſtico habitu induaris, deinceps non modo ſponſa mea, ſed etiam monacha & mater in Vvadſthena voceris. Attamen ſcias te corpus hic Romæ poſituram, donec veniat ad locum ipſi præparatum. Placet Deo parcere tibi a laboribus: accipit ille voluntatem tuam pro opere. Deinde ſubjunxit: Quinto abhinc die mane, ſumptis ſacramentis, convoca ſingulatim quas tibi indicavi, & facien*-

(*c*) *Sur. to.* 4. *die* 23. *julii c.* 16.
Felix S. Birgittæ obitus.
Ut Chriſtus illi eum prædixerit.

*da illis demanda; atque ita venias ad monaſterium tuum, id eſt in gaudium meum. Porro corpus tuum in Vvaſthena reponetur.* Ex his licet animadverti B. Birgittam, dum eſſet in corpore, monaſtico habitu indutam non fuiſſe, neque illius ordinis veſtibus, quem ipſa inſtituit: ſed emigrantem a corpore a Chriſto ſponſo ſuo accepiſſe ejuſmodi habitum incorruptibilem, ſicut ei in revelationibus ſuis promiſerat. Itaque pingitur plerumque ut monacha: nam tametſi non fuit monacha, dum vixit, attamen petiit veſte ejuſmodi indui, qua nunc utuntur moniales ordinis ejus: ſed etiam accepit in cælis.

XXVI. Sacramentis rite munitur.

*Die quinto ſub ortum ſolis Chriſtus iterum ei apparens, conſolabatur eam. Miſsa celebrata, perceptiſque ſacramentis, inter manus earum, quas paulo ante diximus, ſpiritum reddidit piiſſime Salvatori, quem toto pectore amavit. O ineffabilem increatæ ſapientiæ benignitatem, eos qui ipſam concupiſcunt, præoccupantem, ut illis prior hilariter ſe oſtendat! O ſponſæ ſingularem gloriam, quam ſponſus in fide & miſericordia ſibi deſponſans verbis blandiſſimis conſolatur! O felicem nimium, quæ poſt multiplices toleratos labores & miſerias jam ſedet in pulchritudine pacis & requie opulenta! Felix obitus ejus non obſcuris argumentis declaratus eſt: quidam enim bonæ & venerabilis vitæ vidit quendam parari lectum, & a perſonis albis veſtibus indutis ferri in ſublime; dictumque eſt illi admiranti: Perſona illa, quam in hoc lecto vides, ſponſa Dei eſt, quæ in mundo contempta a multis nunc tranſit de morte in vitam ſempiternam: eadem autem hora illa obiit. Porro corpus ejus ſumma cum laude ad monaſterium S. Laurentii deportatum, & illic honorifice ſepultum eſt. Obiit anno ſalutis milleſimo treceteſimo ſeptuageſimo tertio, X. kal. auguſti. Anno autem proximo poſt multorum miraculorum coruſcationem, & oſſium ejus ſubitam & ultra modum mirabilem purgationem & exſiccationem, ab urbe Romana, multis in itinere editis miraculis ad monaſterium Vvaſthenæ XII. julii die cum ingenti populorum frequentia & gaudio per ſanctam filiam ejus Catharinam tranſlata eſt, ubi miris ſignis & multivariis miraculis eam ornat & illuſtrat dominus Jeſus Chriſtus. Præſtatur cæcis viſus, ſurdis reformatur auditus, muti loquuntur, paralyticis membra diſſoluta confirmantur, & (ut paucis multa expediam) morbi omnes devote illic Chriſtum invocantes meritis ſponſæ ejus ab eo curantur.* Repoſita (a) eſt in ſanctorum catalogo Birgitta a Bonifacio IX. ut ſuo loco dicetur.

Oſtenſa viro pio parata illi felix immortalitas.

Poſt mortem coruſcat miraculis.

(a) *Ext. diploma in bull. in Bonif. IX.*

XXVII. B. Andreæ Corſini mors.

Migravit etiam ad cæleſtem immortalitatem per id tempus B. Andreas Corſinus patria Florentinus epiſc. Feſulanus, quem parentes pie Deiparæ virgini ſacrarant, excultuſque monaſticis inſtitutis apud Carmelitanos ſanctitate & miraculis effloruit: cujus geſta deſcripſit Petrus Andreas e Caſtaneis, ex quo ſanctiſſimi præſulis extremum vitæ actum repetemus (b): *Cum in epiſcopatu*, inquit, *vixiſſet annis duodecim, & appropinquaret tempus ſuæ mortis, poſtquam ſeptuagenarius eſſet, & multa miracula feciſſet, cum in nocte nativitatis Domini, antequam primam miſſam cantaret, oraret in eccleſia S. Mariæ Pumeranæ, apparuit ei glorioſa Virgo, dicens: Ecce fili mi, appropinquat tempus, in quo de hoc ergaſtulo ærumnoſo debes egredi. Itaque in nocte apparitionis, quando magi Filio meo & mihi obtulerunt aurum, thus, & myrrham, & tu dediſti animam tuam, corpus, cor, & omnia bona amore ipſius & mei, ideo ipſa nocte pro anima tua veniam, & ipſam cum angelis in regno cælorum ſociabo. Andreas autem ex iſta revelatione ſumme gaviſus eſt, & cum maxima jucunditate tres miſſas cantavit: & erat tantæ jucunditatis, quod facies ejus roſea videbatur atque cherubica, cum antea eſſet ex auſteritate pœnitentiæ pallidus atque nullius vivi coloris. In craſtinum igitur febre gravatus canonicum Guidonem, quem fideliſſimum ſuum habuit, accerſivit & ei intimavit, qualiter migraturus erat in nocte epiphaniæ, & quod Deo pro ipſo preces porrigeret. Qui Guido hoc audiens fortiter flere incœpit, atque clamare. Væ nobis! Vere cecidit corona capitis noſtri: peccata noſtra talem virum non merentur. Interim viſitatur a civibus & a clericis, quos omnes ad pacem & ad unionem confortabat, dicendo: Filii, ne detis locum diabolo.*

(b) *Petr. Andreas e Caſtaneis M.S. bib. Vat. apud Bolland. to. 2. die 30. janua.*

De illius hora a B. Virgine fit certior.

XXVIII. Pie fidei ſymbolum profitetur.

*In nocte igitur apparitionis Domini recumbens ſuper aſperrimum lectum ſuum fecit portare pſalterium; & cum adjutorio clericorum incœpit valde attente ſymbolum Athanaſii, Qui vult ſalvus eſſe, &c. & Credo Apoſtolorum, & Credo patrum: Et dictis iſtis ſymbolis, camera facta fuit ita luminoſa, ſicut ſi eſſet ſol in meridie; ita quod aſtantes non parum fuerunt admirati. Poſt autem ſpatium unius horæ cum erant omnes canonici & clerici ante ipſum, S. Andreas in aurora incœpit dicere: Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace; quo finito, anima ipſius a mortali corpore diviſa eſt, & libere ad gloriam evolavit die ſupra dicta, ſexta videlicet januarii, anno ſalutiferæ incarnationis MCCCLXXIII.* Collucius vero in ejus epitaphio hunc annum conſignat.

*Luce obiit ſexta jani labentibus annis*
*Septuaginta tribus Domini cum mille trecentis.*

*Ætatis ſuæ LXXII. ab ingreſſu quidem ordinis LXV. epiſcopatus vero anno XII. Corpus autem ejus ſuper ſtramina remanſit, ſed redolens ita, quod ex illo odore multi ex diverſis infirmitatibus liberati ſunt.*

Ejus corpus ſacrum odorem ſpirat.

*Ve-*



*Veniebant multi infirmi, qui ipſum tangendo ſanabantur. Hæc quidem atteſtatur Collucius .... tunc temporis cancellarius Florentinus in epitaphio, quod ſculptum eſt in ſepulchro, &c.* Plura ſancti viri implorata ope patrata miracula recenſet author, quæ nobis indicaſſe ſuffecerit. Inclaruit poſtea ejus ſanctitas Eugenio IV. Romano Pontifice, cum Picininus eccleſiæ hoſtis divinitus profligatus fuiſſet: quare juſſu Eugenii illius corpus omnis corruptionis expers repertum venerationi piorum expoſitum fuit: dein agente populo Florentino inſtituta eſt religioſa actio de vitæ & miraculis ejuſdem B. Andreæ, quæ a Clemente VIII. inſtaurata fuit, extractaque demum ad Urbanum VIII. qui ſolemni ritu, quem ex publicis documentis conſecratæ illius memoriæ deſcribit Joannes Bollandus (a), ſanctorum honores illi decrevit.

Claret miraculis. Poſt diuturnum examen SS. catalogo apponitur.

(a) *Bolland. to. 2. die 30. januar. in vita S. Andr. Corſini.*

Aucta

I. Gregorius exquirit cauſas, cur nondum Græci ad Romanam Eccleſiam redierint.

AUcta in Europa Turcarum tyrannide, extremique exitii terrorem Græcis inferente, anno hujus ſeculi ſeptuageſimo quarto indictione duodecima Gregorius Papa fulciendi orientalis imperii, ac veteris abolendi ſchiſmatis pio adductus ſtudio, cum Græci, quamvis reverſo ad eccleſiæ Romanæ obſequia Palæologo Imperatore, in veteribus ſordibus hærerent, internuntios apoſtolicos pro redintegranda priſtina eccleſiarum conjunctione mittere meditatus, de omnibus, quæ a Gaſperto epiſcopo Cenetenſi olim Clementis VI. nomine cum Conſtantinopolitanis fuerant agitata doceri cupidus XIV. kal. aprilis geſtæ legationis commentarios ad ſe illum tranſmittere juſſit (a), ac ſignificare, qua de cauſa perducta rex ad exitum non fuiſſet, quidve ad Græcos in eccleſiæ catholicæ gremium revocandos præſtare operæ foret. Sed Gaſperto interea vita functo, Raimundo deſignato Patavino epiſcopo dedit imperia (b), ut Gaſperti de legatione Conſtantinopolitana memoratos commentarios ad ſedem Apoſtolicam afferendos curaret. Tum lectiſſimos religioſos viros in orientem legavit, & clerum populumque Conſtantinopolitanum ad inveteratum ſchiſma removendum hiſce literis excitavit (c).

(a) To. 4. ep. ſecr. pag. 22.

(b) Ibid. pag. 26.

Ejus ad Conſtantinopolitanos legatio.

(c) Lib. 4. ep. cur. pag. 40.

*Univerſis prælatis, rectoribus, & perſonis Conſtantinopolitanis gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro.*

*Circa ſalutem chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Imperatoris Græcorum illuſtris, ac veſtram & populorum dicto Imperatori ſubjectorum ſpiritualem & temporalem (authore Domino) proventuram; & ad obſiſtendum impietati ſæviſſimorum Turcorum hoſtium ſacri nominis Chriſtiani meditatione paterna ſæpius cogitantes, ſuper quibuſdam, quæ hujuſmodi ſalutem proſpiciunt, eidem Imperatori & vobis exponendis vivæ vocis oraculo dilectos filios Thomam de Bozolaſco & Bartholomæum Cherracii fratrum Prædicatorum & Minorum ordinis profeſſores in ſacra theologia magiſtros, nec non Bertrandum Fronc & Heſſonem Slegrbolts Neapolis & de Friburg præceptoriarum præceptores hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani Apoſtolicæ ſedis nuntios harum latores, de noſtra intentione plene informatos, ad ejuſdem Imperatoris & veſtram præſentiam deſtinamus: quibus ſuper his, quæ vobis ex parte noſtra narraverint, velitis fidem plenariam adhibere. Dat. Novis Avinionenſis diœceſis VIII. kal. auguſti anno IV.*

Qui ea functi.

II. Juſſus eſt cum his nuntiis operam conjungere Simon archiepiſcopus Thebanus ad redintegrandum eccleſiarum ſanctiſſimum fœdus: iidemque Joannæ Reginæ Siciliæ (d), Andreæ Contareno Venetorum & Dominico e Campofregoſo Genuenſium ducibus (e), Rhodiorum equitum magiſtro (f), Galatæis (g), Franciſco Cataluſio Mitylenes regulo ( ), Joanni Canthacuzeno eximperatori ordinis S. Baſilii monacho (i); tum Demetrio Chidonii & Philippo Conſtantinopolitanis proceribus (k), ac demum Joanni (l) Palæologo Imperatori (m) enixe commendati fuere. Cui quidem Palæologo ob oculos poſuit, non alio ſalubri remedio Turcicam potentiam propulſari poſſe; quam ſi Græcos in arctiſſimum cum occidentalibus Chriſtianis fœdus redigeret, ad quod ſanciendum miſſos internuntios ita ei ſignificat: *Ad obſiſtendum*, inquit, *impietati ſæviſſimorum Turcorum hoſtium ſacri nominis Chriſtiani meditatione paterna ſæpius cogitantes, ſuper unione ipſorum populorum cum ſancta eccleſia Romana matre & magiſtra cunctorum Chriſti fidelium ſi forte ejuſdem unionis dies advenerit, dante Domino, facienda, & ſuper præſtando tuo culmini & eiſdem populis potenti auxilio contra dictos Turcos per eamdem eccleſiam & Latinos, & quibuſdam aliis, quæ hujuſmodi ſalutem proſpiciunt tibi plenius exponendis*, & infra, *deſtinamus, &c. Dat. Avin. VIII. kal. auguſti anno IV.*

(d) To. 4. ep. ſecr. pag. 47.
(e) Ibid. ead. pag.
(f) Pag. 49.
(g) Pag. 48.
(h) Pag. 49.
(i) Pag. 48.
(k) Pag. 47. 48.

Propoſitum Græcos nonniſi catholicis conjunctos a Turcica ſervitute liberari poſſe.

(l) Ead. pag.
(m) Pag. 47.

III. Inſtructi ſunt plurima authoritate a Gregorio apoſtolici internuntii (n), ut Conſtantinopolitanos & alios Græcos ad gremium eccleſiæ Romanæ redituros cenſuris ſolutos catholicorum numero aggregarent; atque orthodoxæ fidei formulam, ex qua a Græcis ſchiſma damnandum eſſet, deſcripſit: *Attendentes*, inquit, *quod tam in ipſa civitate*, ſcilicet Conſtantinopolitana, *quam in aliis partibus ultramarinis, per quas tranſire habebitis, nonnullæ ſunt perſonæ utriuſque ſexus eccleſiaſticæ & regulares ac ſeculares, quæ ab unitate ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ ſunt præciſæ; ac ſperantes in Spiritu, qui ubi vult ſpirat, quod per ipſius gratiam, & veſtram induſtriam ac ſanctam prædicationem nonnullæ ex perſonis eiſdem ad dictam venerint unitatem ac obedientiam & reverentiam debitam & devotam dictæ eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus; vobis & utrique veſtrum in ſolidum per vos, vel alium ſeu alios authoritate noſtra perſonas eaſdem, cujuſcumque ſexus, ſtatus, ordinis, dignitatis vel conditionis exiſtant, etiam ſi pontificali, imperiali, regali, vel alia qualibet dignitate ſeu præeminentia fulgeant, ad dictam unitatem recipiendi, & corpori ipſius eccleſiæ uniendi ſecundum ſubſcriptam formam in talibus per dictam eccleſiam conſuetam ſer-*

(n) An. 4. ep. cur. 43.

Mandata legatis data.



Formula fidei propoſita.

*vari, quæ talis eſt, Ego talis, &c. profiteor & credo ſanctam Trinitatem &c.* Concepta eſt iiſdem verbis ac ſententiis atque illa, quam ab Urbano (a) Palæologo Imperatori atque alias pluribus Imperatoribus, Regibus, ac populis, ut Armenis, Perſis, Tartaris, Raſciis, Ruſſis propoſitam vidimus; *& inſuper cum eiſdem perſonis eccleſiaſticis, quæ dum erant in hujuſmodi ſchiſmate etiam ſcienter quoſcumque ordines etiam ſacerdotalem ab epiſcopis ſchiſmaticis ſeu hæreticis, etiam eis in contemptum fidei adhærendo receperunt, authoritate noſtra per manus impoſitionem abſolvendi, & reconciliandi etiam ad cautelam, ſi dubitaretur, an alias fuerint abſoluti & reconciliati; ac diſpenſandi ſuper ipſis ordinibus ſeu eorum executione, ipſoſque ad eoſdem ordines habilitandi & habiles reddendi, etiam ſi ante diſpenſationem, poſt converſionem tamen eorum, in ipſis ordinibus miniſtrarunt; & inſuper quibuſlibet antiſtitibus gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habentibus perſonis eiſdem hujuſmodi ordines etiam omnes, ſi de ipſorum collatione dubitetur, una & eadem die ad hoc per dictam eccleſiam conſueta, & etiam dominica de novo (alias tamen juxta formam ejuſdem eccleſiæ) conferendi, & ipſis perſonis hujuſmodi ordines recipiendi licentiam tribuendi: & tam vobis etiam in ſolidum, quam ipſis antiſtitibus hujuſmodi perſonis poſt ſuſceptionem dictorum ordinum ad quæcumque dignitatis, perſonatus officia, & beneficia cum cura vel ſine cura obtenta per eos a catholicis vel ſchiſmaticis collata eiſdem, ſi dignitates ipſæ majores poſt pontificales in cathedralibus & principales in collegiatis eccleſiis exiſtant, retinere licite valeant*, & infra, *concedimus facultatem &c. Dat. Novis Avinionenſis diœceſis non. auguſti anno IV.*

(a) A. C. 1369. n. 2. &c.

Solvendarum cenſurarum collata authoritas.

IV. Dum legationem hanc decernebat Gregorius, Palæologus Turcicæ potentiæ terrore conſternatus fœdus cum Amurate ſanxit indignum adeo, ut filius barbarum tamquam ſtipendiarius in bellicis adverſus Chriſtianos expeditionibus ſequeretur, ut refert Chalcondylas (b) his verbis: *Reverſus Byzantium*, nimirum Palæologus, *miſit legationem ad Regem Amuratem: præterea filium ſuum in januis Regis ſtipendia facere juſſit. Amurates imperavit Joanni ut ſe quam maxima fide coleret, nec ſuam militiam quocumque bellum vertere detrectaret.* Miſſo autem Palæologus Philippo oratore, ſe apud Pontificem de geſtis cum infidelibus excuſavit: cui Gregorius haud dubie prænuntiavit (c) ſub Turcarum Tyrannide, quorum armis cinctus erat, ipſum ſuccubiturum, nec ſecus diſcrimen propulſaturum, quam ſi Græcos cum Latinis ſociaret, atque ea de cauſa internuntios mitti, cum quibus ſuo conſuleret imperio. [1]

(b) Laonic. Charcond. de reb. Turc. l. 1.

Palæologus cum Turcis fœdus excuſat.

(c) To. 4. ep. ſecr. p. 68.

*Chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri.*

*Dilectum filium nobilem virum Philippum Cicandilis militem Conſtantinopolitanum nuntium tuum latorem præſentium de-ſti-*

NOTÆ [1] REum Græcarum chronologiam mire deformatam in Annalibus ut reformem rectoque ordine dirigam adnitendum mihi eſt. Quæ igitur hic narrat Annaliſta de concordia a Calojanne & Amurate inter ſe conciliata, tum & de expeditione ab utroque fœderato principe, non quidem in Hungarum, ut male hic Annaliſta, ſed in Aſiaticos ſuſcepta qua oblata occaſione utriuſque imperatoris filii in parentes ſuos conjurantes regnum uterque ſuum uſurpavit; non ſine utriuſque exitio cum parentes celeriter regreſſi, ſeditionis incendio extincto, reſumpto regno atque filios in poteſtatem traductos luminibus privarunt; hæc inquam, omnia, cum ante excurſum Joannis in Italiam ab utroque rerum Græcanicarum ſcriptore narrentur, Calcondyla rer. Turcic. lib. I. pag. 16. edit. Venet. & Phranza lib. I. cap. XVI. atque excurſio iſta anno 1369. acciderit; hinc nonniſi ante annum illum ſumptum hoc de utroque filio perduelle ſupplicium retrahendum eſt. Ex quo dein conſequitur primum illud fœdus Joannis cum Amurate poſt annum 1368. coaleſcere haud potuiſſe.

Quæ vero addit Annaliſta hic num. 4. de Turcico fœdere hoc anno inito, non quidem de fœdere illo, quod priorem utriuſque filii defectionem præceſſit, accipienda ſunt; ſed novum eſt fœdus cum Amurate hoc forte anno compoſitum. Cæterum Andronicus, Calojannis filius, poſt aliquot annos iterum in patrem rebellavit, eumdemque imperio dejecit. Dejectionem enim hanc bis contigiſſe ex diligenti veterum ſcriptorum collatione colligo. Continuator enim hiſtoriæ Venetæ Danduli vulgatus cum eadem Danduli hiſtoria rer. Italic. to. XII. pag. ibid. 443. narrat eo tempore quo Cyprius in poteſtatem Genuenſium venit, adeoque anno ſuperiori 1373. occupatam viſedem Conſtantinopolitanam Andronicum Joannis filium tenuiſſe patremque habuiſſe captivum referri hæc ad priorem defectionem ſalva fide Græcorum ſcriptorum Calcondylæ & Phranzæ nequaquam poſſunt; cum uterque finem priori defectioni impoſitum aſſerat ante annum 1369. quo Joannes in Italiam perrexit. Nova ergo hæc eſt Andronici defectio, cujus Græci ſcriptores non meminerunt. Verum & ſecundus iſte motus brevi quievit; nam Venetorum auxilio, eodem continuatore teſte, Joannes anno 1379. amiſſa recuperavit. Non tamen animis deſpondit Andronicus, nam poſt Amuratis obitum, quem in annum 791. Ægiræ ideſt Chriſti 1390. Annales Turcici a Leunclavio illuſtrati referunt, Bajazeto ſucceſſore rerum potiente filius perduellis ope Turcarum impetrata patrem regno & libertate privavit; idemque tamen non diu poſt pater iiſdemque artibus recuperavit. Tres iſtæ Joannis deſtitutiones a ſcriptoribus confuſæ vel parum diſtinctæ ſedulo explicandæ erant, ut errores & perplexitates quæ in Annales irrepſerant, tollerentur. MANSI

*ſtinatum benigne recepimus, atque audivimus in omnibus quæ pro tua parte nobis voluit enarrare. Super quibus, cum ſolas excuſationes de motivis tuæ mentis in duobus tuis actibus, de quibus humanum judicium nequit eſſe, contineant, nos aliter reſpondere non expedit, niſi quod tibi in utroque facto compatimur & etiam condolemus. Credimus, quod cum impii Turchi fide careant, ſemper tecum & cum aliis Chriſtianis infideliter agent: & cum circa tuum imperium ſuum dilataverint potentatum, tua ſerenitas quaſi in pugno concluſa eis tandem reſiſtere non valebit. Ideoque tuam tuique populi ſalutem & præſervationem a dictorum Turcorum tyrannide aliter non videntes, niſi per ſinceram & firmam unionem Latinorum & Græcorum [auctore Domino] faciendam, pro ipſa unione tractanda nuper certos noſtros nuntios ad imperiales ſublimitatis præſentiam duximus tranſmittendos, quos digneris benigne tractare ac fideliter expedire. Dat. Avin. II. id. decembris anno* IV.

Pontificis ad eum monita.

Prædixerat hoc paucis ante annis Chriſtus Dominus B. Birgittæ, dum Jeroſolymis verſabatur; quod coram Cyprio Rege ejuſque proceribus ab eadem ſancta fœmina ſubjectis verbis promulgatum eſt (*a*) Famaguſtæ VI. die octobris: *Sciant Græci, quod eorum imperium & regna ſive dominia nunquam ſtabunt ſecura, neque in pace tranquilla: ſed inimicis ſuis ſemper ſubjecti erunt, a quibus ſemper ſuſtinebunt graviſſima damna, & miſerias diuturnas, donec ipſi cum vera humilitate & charitate eccleſiæ & fidei Romanæ ſe devote ſubjecerint, ejuſdem eccleſiæ ſacris conſtitutionibus & ritibus ſe totaliter conformando.* Repetit hoc oraculum Sanderus (*b*) in ſuo de viſibili eccleſiæ monarchia commentario, additque: *Quam revelationem vere divinam extitiſſe, ex eo ſcimus, quod ita res tunc futuras prædixit, ut eas eveniſſe nunc videmus: nam D. Birgitta multis annis prius mortua eſt, quam tota Græcorum reſpublica expugnata per Turcos Conſtantinopoli penitus deleretur. Futura vero prædici non poſſunt præterquam a Dei ſpiritu, qui ſolus futura novit velut is qui & auctor eſt eorum, & cui jam nunc præſentia exiſtunt.*

S. Birgittæ vaticinium de Græcorum ob ſchiſma everſione.

(*a*) *Revelat. S. Birgit. l. 7. c. 19.*

(*b*) *Sander. de viſib. monarch. l. 7. n. 1046.*

Quod ad ea ſpectat, de quibus Palæologo condoluit Pontifex circa hæc tempora referunt Phranzes (*c*) & Calchondylas (*d*) occupato contra Ungaros Amurate, Sauzem ſive Moſem Zelebim Amuratis majorem natu filium, qui in Europa regiam ſedem Didymotichi fixerat, cum Andronico Palæologi filio ad retinendum Europæ imperium conjuraſſe: immo ea lege inter ſe conveniſſe ferunt, ut parentes in ordinem redigerent. At Amurates ex Aſia in Europam, patefacta conjuratione, traduxit exercitum, ac milites, cum ad filii caſtra proxime acceſſiſſet, partim veniæ ſpe, partim pollicitationibus in ſuas partes pellexit, filiumque inſecutus Didymotichum urbem regiam ad deditionem compulit, Græcos conjurationis participes ex urbis turribus in fluvium præcipites egit, filiumque conjecit in vincula: defectionis reos a patribus jugulari juſſit (*e*), detrectantes ſcelus in amnem vinctos projici imperavit. Deinde Palæologum adorſus, illius filium in crimen vocavit, eademque pœna Andronicum jubet afficere, quam ipſe Sauzi inflixerat. Ita infelix Palæologus, Sanze ab Amurate obcœcato, filio oculorum vim, infuſo ardenti aceto, extinguere coactus (*f*). Sed cum id invite ageretur, accidit ut Andronicus oculorum uſum omnino non amiſerit, ac dein lapſus cuſtodia ad Bajazethem Amuratis in tyrannide ſucceſſorem ſe contulerit, ac patrem Palæologum imperio deturbarit. In quo quanto ſuo damno Palæologus pontificiis monitis morem non geſſerit, triſtis rerum eventus edocuit.

(*c*) *Phranzes l. 1. c. 17.*

(*d*) *Calchon. lib. de reb. Turc. ſub fin.*

Filium rebellem Amurates opprimit.

(*e*) *Phrantzes & Calchondyl. ubi ſupra.*

Cogit Palæologum ad filium obcœcandum.

(*f*) *Calchondyl. ib.*

Ut Palæologus vim pontificii moniti ſenſerit.

V. Emanuel Peloponneſi deſpota.

Turcicæ tyrannidis odio affectus egregie erga fidem catholicam viſus eſt Emanuel deſpota Joannis Cantacuzeni filius; ac Pontificem de pio quo tenebatur traducendæ Græciæ ad eccleſiæ Romanæ obſequium, deſiderio fecit certiorem. Cui Dei vicarius pluribus verborum officiis paternos ſinus expandit, utque cum apoſtolicis internuntiis optatiſſimam conjunctionem promoveret eſt adhortatus (*g*).

(*g*) *To. 4. ep. ſecr. pag. 70.*

*Nobili viro Emanueli Cantacuzino deſpoto Romaniæ gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Sicut ſancta catholica & apoſtolica eccleſia mater omnium fidelium & magiſtra, extra cujus gremium non eſt ſalus, de ſuorum filiorum quos regeneravit per ſacri baptiſmatis ſacramentum, ſeparatione a ſua obedientia, quæ ab univerſis Chriſtianis debetur eidem, dolet ab intimis, & deviantibus cum filio prodigo ſincera compatitur charitate; ſic in ipſorum ſalubri reditu & filiali obedientia jucundatur, & cum cernit ad id materiam quomodolibet fore divina miſeratione diſpoſitam, illos [ne pereant] ad gremium ſalutis invitat, maternæ pietatis uberibus confovendos. Eapropter a dilecto filio nobili viro Caſſiano.. domicello Conſtantinopolitano, ſe tuum aſſerente devotum, lætanter audito, quod tua nobilitas deſiderio magno deſiderat univerſos Græcos a dicta obedientia deviantes ad eam efficaciter reduci, & perſeveranter perſiſtere in eadem, & quod tu & genitor tuus, utpote potentes opere & ſermone in hac parte poteſtis poſt imperialem celſitudinem præ cæteris efficacius operari; nos de hujuſmodi tua diſpoſitione, quam non ambigimus tibi divinitus eſſe datam, lætificati quamplurimum, eidem nobilitati præſentibus reſeramus, nos nuper nuncios noſtros*

Ad redeundum in ſinum eccleſiæ paratum ſe offert.



*ſtros ſuper tractanda unitate Latinorum & Græcorum Conſtantinopolim deſtinaſſe.*

*Quare te hortamur in Domino & rogamus attentius quatenus per te & eundem genitorem tuum & alios (prout poteris) opereris, quod hoc tuum deſiderium impleatur; ſciturus, quod hujuſmodi tractatus, favente Deo, ex eo commodius poterit & fieri citius conſummari, quo nos in fine æſtatis proxime ſecuturæ intendimus Deo prævio, ad ſacram Urbem cum Romana curia nos transferre. Cæterum cum dicaris prope civitatem Patracenſem alioſque catholicos tuam habere potentiam, Patracenſem & alias catholicas eccleſias eorumque prælatos & populos tuæ nobilitati, ex quo audimus te habere ſupradictum propoſitum, cum multa fiducia commendamus; ſperantes, quod præfatis favendo catholicis id, quod latet in tuo corde, per effectum efficacis operis demonſtrabis. Datum Avinion. idus decembris anno* IV.

VI. Parat Pontifex claſſem ad arcendos trajectu Helleſpon. Turcas.

Contundere Amuratis tyrannidem poterat Ludovicus Ungariæ & Poloniæ Rex; ſed is, quem antea cruceſignatam expeditionem in Turcas ſuſcepiſſe vidimus, adeo in ſuſcepto conſilio intepuit, ut cum Pontifex claſſem in Helleſponto ad Turcas tranſitu ex Aſia in Europam arcendos comparare communibus fœderatorum principum ſumptibus ſtatueret, Ludovicus Rex ad id fœdus accedere detrectarit (*a*). Ex quo haud levis conjectura capitur, tacitas cum eodem Pontifice ſimultates ſuſcepiſſe, cum ſacerdotiorum decumas ad conficiendum Turcicum bellum depoſcens a Gregorio, qui illas ad gerendum cum Bernabone bellum derivare decreverat, repulſam tulerit: dataque ſuperiori anno Strigonienſi & Colocenſi archiepiſcopis atque epiſcopo Quinqueccleſienſi fuiſſent imperia, (*b*), ut ſi Ludovicus Rex decumas Ungaricorum ſacerdotiorum ad ſedem Apoſtolicam transferri vetuiſſet, diplomata pontificia, quibus ſigna Ungarica in Turcas ſecuturis criminum condonatio & alia ampliſſima beneficia conferebantur, non divulgarent. Perculſus vero ſtupore Gregorius, Ludovicum Regem ad Turcicam tyrannidem reprimendam mutato ſubito conſilio tepeſcere, ipſi præ oculis poſuit (*c*), infidelium potentia brevi rem Chriſtianam everſum iri ſi Chriſtiani vires ad eam ſuſtentandam non conflarent.

(*a*) Eod. *to. 4. ep. ſecr. pag. 65.*

(*b*) *To. 3. ep. ſecr. pag. 43.*

(*c*) *To. 4. ep. ſecr. p. 55.*

*Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

*Rediens ad præſentiam noſtram dilectus filius nobilis vir Joannes Laſcari miles Conſtantinopolitanus, qui dudum cum noſtris literis ad præſentiam tuæ ſerenitatis acceſſit, nobis retulit, quod ſerenitatem eandem ad contribuendum in unione inter Romanam eccleſiam tuamque celſitudinem & nonnullos alios principes ac magnates facienda contra Turcos hoſtes ſacri nominis Chriſtiani, & ad contribuendum in certo numero galearum tenendarum continue contra Turcos eoſdem, diſpoſitam non invenit. De quo miramur non modicum, cum regnum tuum Ungariæ vicinum ſit nunc Turcis eiſdem, & negotium hujuſmodi te & ipſum regnum non modicum tangere dignoſcatur. Quare regalem devotionem ac magnificentiam precamur attentius, & in Domino exhortamur, quatenus provide conſiderans, quod alii, qui volunt eſſe & contribuere in unione prædicta, te in hac parte deficiente etiam deficiant (quod abſit) & ſic, non facta reſiſtentia Turcis eiſdem, ipſi contra fideles poterunt (prout verendum eſt) nimium prævalere in perditionem innumerabilium animarum & catholicæ fidei maximum detrimentum, digneris ob reverentiam Dei & dictæ fidei, ac tutelam præfati & aliorum fidelium regnorum & partium hujuſmodi tuum propoſitum in melius commutare, ac ligari in unione prædicta, & in illa contribuere condecenter, ſuper hoc nobis tuam piam & gratioſam reſponſionem per regias literas reſerando, ut ea habita ad dandum debitum ordinem in hac parte procedere valeamus, prout hæc & alia venerabili fratri noſtro Stephano epiſcopo Zagrabienſi, & dilecto filio nobili viro Petro Zuderbano Sclavoniæ ambaxiatoribus tuis, latoribus præſentium, verbo duximus exprimenda, ut ea tuæ referant majeſtati. Dat. Avin.* XIII. *kal. octobris anno* IV.

Negat Ungarus partem ſumptuum contribuere.

Rogatus ut Ungariæ proxime arſuræ proſpiciat.

VII. Smyrna in periculum adducta.

In tanta orientis conſternatione Franciſcus Cataluſius Genuenſis Mytilenes regulus vires ſuas in Turcas ſtrenue exercebat: cui Pontifex Smyrnam Chriſtianæ fidei in Aſia propugnaculum commendavit (*d*); quæ urbs in magnum adducta erat diſcrimen (*e*), cum præſidiariorum militum numerus admodum eſſet imminutus, iique ſuis ſtipendiis defraudarentur: Turcæ autem cognito infelici rerum Chriſtianarum ſtatu, præſidiarios magna auri vi oſtentata ad proditionem allicere non deſinerent. Quibus acceptis Gregorius Rhodiorum equitum ordinem, ut illam adverſus barbaros defendendam ſuſciperet, eſt adhortatus (*f*): *De veſtra*, inquit, *fidelitate ac ſolicitudine, & prudentia ac potentia confidentes, vobis prædictam hinc ad quinque annos proxime ſecuturos cuſtodiam, regimen, & gubernationem civitatis prædictæ & pertinentiarum ipſius cum mero & mixto imperio & omnimoda juriſdictione veſtris expenſis, & cum ſubſidio trium millium florenorum auri vobis ſolvendorum de pecuniis decimæ proventuum eccleſiaſticorum regni Cypri per nos in ipſo regno dudum impoſitæ, noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine per illos, quos ex vobis, vel aliis ad hæc duxeritis deputandos, fideliter ac juſte exercenda committimus per præſentes, &c. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* XI. *kal. octobris anno* IV. De Smyrnæ cuſto-

(*d*) *Eod. to. 4. ep. ſecr. pag. 62.*

(*e*) *Ib. p. 37.*

(*f*) *An. 4. ep. cur. p. 51.*

Rhodiis equitibus tradita a Pont.

dia tradita Roberto Juliacenſi Rhodiorum equitum magiſtro, qui functo vita Raimundo Berengario ad equeſtris illius ordinis præfecturam communibus votis, dum in occidente verſabatur, vocatus fuerat, meminit Boſius (*a*), illumque mox, ſalutato Avenione Pontifice, Rhodum contendiſſe, ut exorientes inter equites ob abſentiam ſuam ſimultates compeſceret; cui extremo anno data fuere imperia, (*b*) ut ſtudia omnia cum internuntiis apoſtolicis ad everſas Genuenſi bello Cyprias res inſtaurandas, pacemque componendam conjungeret.

(*a*) *Boſ. p. 2. l. 3. hiſt. Hier.*

(*b*) *To. 4. ep. ſecr. p. 74.*

Rhodius princeps Cypri paci dare operam juſſus.

Miſit tum etiam in occidentem ad Dominicum e Campofregoſo Genuenſium ducem Petrus Cypri Rex oratorem Theobaldum Belfaragum pro tractanda cum eo concordia, quem Pontifex duci aliiſque Genuenſibus enixe commendavit (*c*): angebatur enim gravioribus curis, ne ex perniciali bello res Chriſtiana in Cypro penitus concideret; ac pluribus literis inculcavit (*d*), ne Petrum Regem omnis culpæ expertem ſuis juribus exuerent. De pace demum Cyprios inter ac Genuenſes feliciſſime revocata ſequenti anno dicetur.

Petrus Rex Genuenſes de pace poſtulat.

(*c*) *Pag. 75.*

(*d*) *Pag. 51. & 74.*

VIII. Interea proferendæ apud orientales, ſuperſtitionum erroribus involutos, religionis Chriſtianæ pio incitatus ſtudio Gregorius Papa, viros religioſos, ac potiſſimum ex Dominicana familia, ad apoſtolicum illud munus obeundum delegit: cum ex ea olim prodiiſſent viri virtutibus conſpicui, qui ut in literis ad Eliam ſupremum ejus ordinis magiſtrum datis loquitur (*e*), *per gratiam Dei aſſiſtentem eiſdem in partibus Armeniæ majoris multitudinem infidelium converterunt ad dictam fidem, in qua uſque adhæc tempora permanſerunt, prout permanent de præſenti: in quibus etiam partibus iidem fratres plantaverunt ordinem fratrum Unitorum dicto tuo ordini ſubjectorum.* Non defuere tamen, qui egregiis hujuſmodi exemplis ad penetrandas remotas eas pro diſſeminanda fide regiones excitatos nonnullos Prædicatores a ſacro eo conſilio avocarent. Quod ubi accepit Gregorius Eliæ, de quo paulo ante memoravi, præcepit ut in ſolemnibus ordinis comitiis apoſtolico pro imperio, & anathematis intentata religione præciperet, ne qui exercendo evangelii prædicandi infidelibus muneri idoneos trajicere in orientem cupientes, ab itinere deterrerent: immo libros ſumptuſque neceſſarios ad adeundam aulam pontificiam ſuppeditarent. Cumque plures, quos Divinus Spiritus pio evangelii Armeniæ inferendi ardore accenderat, iter ornarent, Pontifex religioſos Armenios, qui Prædicatoribus conjuncti erant, literis ſolicitavit, (*f*) ut venientes debitis officiis proſequerentur. Exemplum literarum hoc eſt.

Prædicatores in Armenia majori fidem amplificant.

(*e*) *An. 4. ep. cur. p. 3.*

Intentatum anathema revocantibus a ſuſcepto conſilio præcones evangelicos.

(*f*) *Ib. p. 10.*

*Gregorius, &c. dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum in terras Saracenorum, paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitorum, aliarumque non credentium nationum orientis & Aquilonis, ſeu quarumcumque aliarum partium conſtitutis, & ad eas proficiſcentibus ſalutem, &c.*

*Habet ex parte veſtra expoſitio nobis facta quod de multis perſonis partium prædictarum, quæ ut presbyteri divina celebrarunt officia, & pro talibus reputantur, frequentes dubitari contingit, an juxta formam eccleſiæ * baptizandi fuerint vel non, & an ordines receperint, in quibus [ut præmittitur] miniſtrarunt; quodque ſi in ordinandis ipſis de novo interſtitia temporum ſervarentur, magnum ſcandalum inter populares, qui ab eiſdem audierunt divina, & ſunt etiam eiſdem confeſſi, poſſet veriſimiliter generari: quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his providere ſalubriter de opportuno remedio dignaremur.*

* baptizati

*Nos itaque cupientes, ut hujuſmodi veſtrum ſanctum negotium felicius [auctore Domino] proſperetur & optatum de bono in melius ſuſcipiat incrementum; intendentes quoque animarum prædictarum & aliorum fidelium partium earundem ſaluti utiliter providere, vobis & ſingulis veſtrum tam in ſacerdotii quam in diaconatus ordinibus conſtitutis, ut omnes & ſingulos partium prædictarum, de quibus dubitatur, ſi fuerint baptizati, vel non, baptizare juxta proviſionem juris in hujuſmodi caſu adhibitam valeatis, his verbis præmiſſis, videlicet: Si baptizatus es, non te rebaptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen; auctoritate apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Inſuper eiſdem fidelibus de partibus antedictis taliter ordinatis, qui divina [ut præmittitur] celebrarunt, quod a veſtri ordinis vel aliis epiſcopis gratiam & communionem dictæ ſedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam minores quam ſacros ordines ſtatutis temporibus, aliquo tamen intervallo in hujuſmodi ſacris ordinibus recipiendis & conferendis propter eorum reverentiam obſervato, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit; alioquin omnes una die & eadem ſimul præfatos ordines ſacros & minores pro hujuſmodi ſcandalo evitando recipere, ipſiſque epiſcopis dictos minores & ſacros ordines perſonis eiſdem ſecundum præfatam diſtinctionem cum intervallo, vel una & eadem die ſimul valeant conferre, dicendo videlicet: Si ordinatus es rite, non te reordino; ſed ſi nondum ordinatus es,*

Formula conferendi conditionaliter baptiſmi.

Et ordinis.



*es, te ordino ad ſacros ordines antedictos; ſervata alias forma & materia ac ſolemnitate debita in præmiſſis, quibuſcumque conſtitutionibus apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, de gratia concedimus ſpeciali. Dat. Avin.* II. *non. martii anno* IV.

Inſtructi ſunt ampliſſima auctoritate (*a*) ii religioſi viri, qui ad gentes evangelii luce colluſtrandas, atque hæreticos vel ſchiſmaticos a ſuis erroribus revocandos miſſi ſunt: atque inter cætera, ut cum interdum non rite ab hæreticis baptiſmus aut ſacri ordines conferrentur, ea ſacramenta certis legibus impertirentur. Porro ſi quis ex iis, qui ad inferendum gentibus evangelium erant profecturi, abjecta perſeverantiæ palma in occidentem greſſum reflecterent, pronuntiavit Pontifex (*b*), ipſos omnibus privilegiis ſpoliandos exauctorandoſque. Superioribus vero prærogativis exornatus eſt Franciſcus e Podio Minorita (*c*) rerum geſtarum in propaganda fide inter orientis & aquilonis barbaros gloria inſignis, qui una cum duodecim ſodalibus ejuſdem ordinis ad tranſmarinas oras pro evangelio diſſeminando legatus eſt.

(*a*) *Eod. an. 4. ep. cur. p.* 11.

Collata evangelicis præconibus poteſtas.

(*b*) *Pag. 12.*

(*c*) *Ib. p. 58.*

Minoritæ ad gentes miſſi.

IX. Ad augendam etiam in Walachia catholicam religionem Chriſti vicarius epiſcopalem in ea ſedem inſtituendam ratus, cum pauci ſacerdotes Ungari ſacramenta Walachis conferrent, iique lingua & moribus ab his diſſonarent, unde promoveri divina gloria in erudiendis iis populis ad fidem catholicam recenter traductis non poterat, ac ſpes amplior amplificandæ divinæ rei affulgeret, ſi epiſcopus virtutibus & eruditione inſignis, quique linguam Walacham calleret, eam nationem regeret; Strigonienſi & Colocenſi archiepiſcopis provinciam dedit (*d*), ut conſulto Ludovico Rege Ungariæ inquirerent, qua in urbe epiſcopalis ſedes collocanda, quibus circumſcribenda limitibus diœceſis, cui metropolitano ſubiiciendus epiſcopus videretur: ac ſi Antonius Minorita, qui in Walachis Chriſtianis ſacris initiandis plurimam navarat operam, gerendo epiſcopali muneri par eſſet. Qua de re Ludovicum Regem Ungariæ, qui Walachos ad fidem ſua auctoritate & pio ardore pellexerat, certiorem fecit Pontifex (*e*), utque in cœptum tam ſanctum opus incumberet, eſt adhortatus.

De epiſcopali ſede in Walachia erigenda agitatum.

(*d*) *Pag. 55.*

(*e*) *To. 4. ep. ſecr. p. 61.*

X. Pari a Gregorio pro retinendo in occidente priſtino religionis ſplendore, ne ab hæreticis inficeretur, deſudatum eſt ſtudio quo ad eam propagandam incubuit: atque archiepiſcopos & epiſcopos, Reges ac principes ad elidendas novas contra pietatem factiones excitavit. Inquinabat novis erroribus Poloniam, Boemiam, Sileſiam, & circumjacentes provincias Milleczius, ac plures a veritate catholica abduxerat: qua de re factus certior Pontifex, Gneſnenſem archiepiſcopum perſtrinxit (*f*), ipſum ſuo gregi venenata pabula a peſtifero homine ſubminiſtrari pati, ſtimulavitque ut illum ac ſequaces coerceret: *Errores hæreticales*, de Milleczio hæreſiarcha loquitur, *ſimplicibus in tua civitate & diœceſi Gneſnenſi prædicare præſumpſit. Nos de iis, ſi vera ſint, merito condolentes ab intimis, cum non ſint aliquatenus toleranda, & de negligentia tuæ fraternitatis & aliorum antiſtitum in quorum civitatibus & diœceſibus idem Milleczius & ſui complices converſantur, ac inquiſitorum hæreticæ pravitatis in illis partibus deputatorum quod contra tales adverſus dictam fidem temere inſurgentes & præmiſſa deteſtabilia præſumentes, ſi ita ſit, non proceſſiſtis, prout tenemini, & nobis de præmiſſis nihil notificare curaſtis, plurimum admirantes; eidem fraternitati per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus authoritate noſtra de præmiſſis te plenarie informes: & ſi inveneris ita eſſe, adverſus præfatos Milleczium & ſequaces ac fautores eorum, ſi ſint in tuis civitate vel diœceſi prælibatis, procedas ſecundum canonicas ſanctiones ac errores contentos in dicta cedula publice in prædicationibus reprobes, ac per clericos ſæculares & religioſos peritos in lege Domini facias reprobari, &c. Dat. Avin. id. januarii anno* IV. Data (*g*) ſunt etiam imperia Cracovienſi, Wratiſlavienſi, Luthomuſlenſi, Olomucenſique epiſcopis, atque etiam Pragenſi archiepiſcopo, ut hæreſiarcham ac ſectarios reprimerent antequam malum confirmatis in dies viribus augeretur: tum Carolum Imperatorem hortatus eſt (*h*) Gregorius, ut juſtam ſeveritatem in ſceleſtiſſimum prædonem animarum Milleczium ejuſque impietate imbutos diſtringeret.

Milleczius hæreſiarcha.

(*f*) *Eod. to. 4. ep. ſecr. p.* 1.

Poloniam inficit.

(*g*) *Ibid.*

(*h*) *Pag. 13.*

*Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, & Boemiæ Regi.*

XI. *Plurium fidedignorum relatibus nuper ad noſtrum pervenit auditum, quod quidam Milleczius presbyter, olim canonicus Pragenſis, ſub ſpecie ſanctitatis, ſpiritu elationis & temeritatis aſſumpto, & prædicationis officio (quod ſibi non competit) uſurpato, multos errores non ſolum temerarios & iniquos, ſed etiam hæreticos & & ſchiſmaticos, utique nimium ſcandaloſos & periculoſos fidelibus, præſertim ſimplicibus dicere publice, prædicare in tuo regno Boemiæ & aliis terris tuis præſumpſit hactenus & præſumit; nonnullas perſonas utriuſque ſexus ad ejus ſectam, quam damnabiliter inchoavit, ac in errores deteſtabiles & reprobandos actus in derogationem catholicæ fidei & contemptum ſacrorum canonum inducendo, prout in quibuſdam articulis ſcriptis in ſchedula incluſa præſentibus continetur. Nos igitur de iis,*

Et Boemiam.

*ſi vera ſint, merito condolentes ab intimis cum non ſint aliquatenus toleranda, venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopo Pragenſi, ac Vratiſlavienſi, Lutomiſlenſi, & Olomucenſi epiſcopis, in quorum civitatibus & diœceſibus ipſe Milleczius & ſui ſequaces plurimi eſſe dicuntur, præcipiendò mandamus, quod de præmiſſis contentis in dicta cedula contra eoſdem Milleczium & ſequaces diligenter inquirant: & ſi ea repererint eſſe vera, ſuper ipſis ſecundum canonicas ſanctiones, & prout ad eorum ſpectat officia, authoritate noſtra juſtitiæ debitum exequantur.*

Cæſar ad eum reprimendum excitatus.

*Quare devotam ſerenitatem tuam catholicæ fidei ac juſtitiæ zelatricem requirimus & rogamus attentius, quatenus præfatis archiepiſcopo & epiſcopis contra jam dictos Milleczium ac ſequaces & fautores eorum liberaliter ac prompte præbeas tuum brachium ſeculare, cum ipſi archiepiſcopus & epiſcopi ſeu eorum aliquis ad hoc te duxerint requirendum, ut regnum & terra tua prædicta a talibus maculis celeriter & totaliter expurgentur, ac (prout hactenus fuerunt) conſiſtant in dicta fidei claritate. Dat. Avin. IV. id. februarii anno IV.* Hunc hæreſiarcham inter Lutheri anteceſſores collocat impius novator (*a*), memoratque jactaſſe illum a ſe & ſequacibus tantummodo viam ſalutis doceri: jam veniſſe antichriſtum, & extinctam eccleſiam, Pontifice, Cardinalibus, epiſcopis, cæteriſque præſulibus eccleſiaſticis nullius veritatis lucem oſtendentibus. Diſſeminati etiam ab eodem Milleczio alii errores de laxandis libidinibus habenis, quos novatores ad velandam teſtium ſuorum turpitudinem illi affictos a catholicis ſuſpicantur, ii vero licet plures errorum ſuorum anteſignanos teſteſque fuiſſe contendant, nullos tamen demonſtrant, qui in omnibus cum ipſorum doctrina conſenſerint.

(*a*) *Illyric. in ſuo catal.*

XII. Speculum Saxonum contaminatum erroribus.

Inficere etiam tum Germaniam moliebantur nonnulli impii, qui commentarios nequiſſimos inſcriptos, *Leges ſeu ſpeculum Saxonum* (*b*), edidere, cum Gregorius, ne pontificali deeſſet muneri, ad offuſas ſimplicibus populis hæreſeon tenebras veritatis luce diſcutiendas Cardinales alioſque peritiſſimos viros coegit, notavitque ſingulos errores juſta cenſura. Tum Germaniæ, Livoniæ, Boemiæ, Galliæ pluribus archiepiſcopis & epiſcopis ad fidem propugnandam ſtimulos addidit: ac denique Carolum Imperatorem, ut pro animarum ſalute promovenda (*c*) ac moribus expoliendis operam explicaret, eſt adhortatus.

(*b*) *Ext. apud Goldaſt. to. 2. collect. conſt. Imperial.*

(*c*) *To. 4. ep. ſecr. p. 62.*

*Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Fili chariſſime, jam longum eſt tempus præteritum, quod de erroribus & execrabilitate quorumdam ſcriptorum deteſtabilium, quæ leges ſeu ſpeculum Saxonum appellantur, quibuſque nonnulli de partibus tuorum imperii ac regni & terrarum uti, ſeu potius abuti dicebantur, per fidedignas & intelligentes perſonas fuimus informati: & petitum fuit a nobis, ad quos ſpectat in talibus providere, ut ſuper eis ad ſalutem animarum proviſionem adhibere congruam dignaremur. Noſque ſcripta ipſa mature vidimus, & per nonnullos tam fratres noſtros S. R. E. Cardinales, quam alios in ſacra theologia ſolemnes magiſtros, ac utriuſque juris doctores examinari fecimus diligenter, & illa ex eis quæ falſa, temeraria, iniqua, injuſta, & in quibuſdam hæretica & ſchiſmatica & contra bonos mores exiſtentia periculoſaque nimium animabus fore reperimus, authoritate apoſtolica reprobavimus, damnavimus, ac decrevimus irrita & inania ac carere omni robore firmitatis, prout in noſtris literis inde confectis (quarum tenorem mittimus præſentibus incluſum, quaſque venerabilibus fratribus noſtris Maguntino, Colonienſi, Rhemenſi, Magdeburgenſi, Pragenſi, & Rigenſi archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis dirigimus) videre poteris plenius contineri. Quare devotam excellentiam tuam, quæ ſancta, juſta, & honeſta veneratur & colit, & contraria deteſtatur, requirimus & rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, & ut pareatur contentis in eis, digneris pro reverentia Dei ac Apoſtolicæ ſedis & noſtra, dictaque animarum ſalute, & reformatione morum imperialis & regalis poteſtatis favorem efficaciter impertiri. Dat. Avin. id octobris anno IV.*

Damnatum a Pontifice.

XIII. Dæmonum cultores ſupplicio affici juſſi.

Nonnulli per id tempus in Galliis artes magicas exercere, ac dæmonum opem implorare ſunt auſi: in quos cum fidei cenſor animadvertere pararet, revocatum eſt in dubium, an illius cauſæ cognitio ad ipſum ſpectaret. Cui ſedem Apoſtolicam conſulenti, Gregorius imperavit (*d*), ut canonicarum legum ſeveritatem in perditiſſimos eos homines diſtringeret. Deturbatos plures de poteſtate mentis fuiſſe magicis artibus hoc anno; ac bacchantum veterum more funeſtas choreas agitaſſe, donec ſacris exorciſmis dæmones ex miſerorum corporibus depulſi ſunt refert ex Petro authore magnum chronicon Belgicum his verbis: (*e*) *Eodem anno*, nimirum *MCCCLXXIV. mira ſecta tam virorum quam mulierum venit Aquiſgranum de partibus Alemanniæ, & aſcendit uſque ad Hannoniam ſeu Franciam, cujus talis erat conditio. Utriuſque ſexus homines illudebantur a dæmonio, ut tam in domibus quam in plateis & eccleſia ſe invicem manu tenentes choreas ducerent, & in altum ſaltarent, nomina quædam dæmoniorum nominantes, videlicet Friſkes & ſimilia; nec ullam cognitionem in hujuſmodi choreis, nec*

(*d*) *An. 4. ep. cur. p. 92.*

(*e*) *Chron. Belgic. hoc an. & Jo. a Leyd. l. 31. c. 26.*

Bacchantes a dæmonibus agitati.



*nec verecundiam propter aſtantes populos habentes. In fine vero choriſationis ita circa pectoralia torquebantur, ut niſi mappulis lineis a ſuis amicis circa medium ventris fortiter ſtringerentur, quaſi furioſe clamarent ſe mori. Tandem Leodii per conjurationes ſumptas de illis, quæ ante baptiſmum in catechiſmo fiunt, a dæmonio liberabantur: & ſanati dicebant, viſos ſe tempore ſaltationis immerſos in fluvio ſanguinis, & propterea ſic in altum ſaltaſſe.* Hactenus chronici Belgici author.

XIV.

Hoc anno comperrum (*a*) eſt Peruſii Fraticellos ſub Franciſcani habitus larva immanem texiſſe faſtum, atque in eam opinionem & dementiam veniſſe, ut eccleſiaſticam hierarchiam inter ſuos tantum contineri putarent: inter quorum tenebrionum duos cum exarſiſſet contentio, *unus alteri obiiciebat*, inquit Wadingus, *nimiam præſumptionem, quod ſe tanquam Papam venerari & pro vero Papa coli vellet: ille vero huic inſolentiam & ſacrilegam temeritatem, quod ſibi canonice electo nollet obtemperare.* Ex his confirmantur a nobis ſæpius dicta, Fraticellos ex Petri Joannis Olivi deliriis ſomniaſſe, pontificatum ad ipſos uti evangelii ob carentiam omnis dominii obſervantiſſimos devolutum: atque ob id crimen a Clemente VI. canonicæ ſeveritati ſubiici juſſos (*b*): præterea duos pſeudominoritas, cum Joannem XXII. ac ſucceſſores divinitus exauctoratos contenderent, flammis juſſu Innocentii VI. Avenione exuſtos vidimus (*c*); quæ confirmantur etiam atque illuſtrantur ex iis, quæ B. Virgo a S. Birgitta viro pio Minoritæ, ut Fraticellos refelleret, exponi juſſit his verbis: (*d*) *Dic illi ex parte mea, quod reſpondebit illis, qui Papam dicunt non eſſe verum Papam, nec illud eſſe verum Corpus Jeſu Chriſti filii mei, quod ſacerdotes in altari conficiunt, quod ipſe reſpondeat illis hæreticis ſic: Vos vertitis occiput ad Deum, & ideo vos non videtis eum. Vertatis ergo ad eum faciem, & tunc poteritis eum videre: nam vera & catholica fides eſt, quod Papa qui eſt ſine hæreſi, quantumcumque aliis peccatis ſit commaculatus, nunquam tamen eſt ita malus ex illis peccatis & ex aliis ſuis malis operibus, quin ſemper ſit in eo plena auctoritas & perfecta poteſtas ligandi & ſolvendi animas: quam auctoritatem ipſe per B. Petrum habuit, & aſſumpſit a Deo.* Hanc Fraterculorum Pontifici, Cardinalibus, & epiſcopis propter luxum vel delitias abrogatam authoritatem ſomniantium Wicleffus hauſit, cœpitque propagare latius: quam a concilio Conſtantienſi damnatam viſuri ſumus. Ut vero hos & alios mendiculos impoſtores, qui pietatis tantum inanem ſpeciem colerent, exagitari jubebat pontifex: ita alios, qui veras virtutes una cum paupertate ſectarentur, a quorumvis injuriis vindicatos texit: & Colonienſi, Trevirenſi, Moguntino archiepiſcopis, ac præſulibus reliquis Germanis, Flandris, ac Brabantinis, in quorum diœceſibus hujuſmodi homines, qui a fide orthodoxa non diſcrepabant, verſabantur, mandavit (*e*), ut diligenter perquirerent, an recte vel prave de fide ſentirent: ac ſi in veram pietatem incumbere comperiſſent, ipſos divino cultui permitterent vacare, ſuiſque ſtudiis proſequerentur.

(*a*) *Vvadingh. hoc ann. n. 22.*

Fraticelli pſeudopapam habuere.

(*b*) *A. C. 1344. n. 8.*

(*c*) *A. C. 1354. n. ult.*

(*d*) *Revel. l. 8. S. Birgit. l. 7. c. 6.*

Religioſos ab hypocritis diſcerni jubet Pontifex.

(*e*) *An. 4. ep. cur. p. 79.*

Quod ad memoratos archiepiſcopos attinet; certabant tum poſt Joannis Moguntini obitum (*f*) de Moguntino archiepiſcopatu Adolphus epiſcopus Spirenſis, & Ludovicus epiſcopus Bambergenſis quem Gregorius, exauthorato Adolpho, confirmavit (*g*) ad Caroli Cæſaris gratiam, cum is illum ad ſtabiliendum in Boemica ſtirpe imperium ſibi devinxiſſet. Ut vero Ludovico, quem Serarius in ſerie Moguntinorum archiepiſcoporum prætermiſit, divina ultione in media chorea percuſſo (*h*) Adolphus poſtea ſucceſſerit, dicetur inferius. Addimus nunc Carolum amplificaſſe regnum Boemiæ, adjecto illi marchionatu Brandeburgenſi: de quo felici ſucceſſu, reſtituraque impacatæ provinciæ pace, Gregorius eſt illi gratulatus (*i*). Miſerat (*k*) autem ineunte anno Thomam internuntium, ut eam controverſiam inter Carolum & Rupertum ducem Bavariæ componeret, quam fœdere diremptam refert Dubravius (*l*).

(*f*) *To. 4. ep. ſecr. p. 129.*

De Moguntino Archiepiſcopatu certatum.

(*g*) *Ib. ep. ſecr. p. 244.*

(*h*) *Serar. l. 5. Mogunt. rer. in Adolph.*

(*i*) *Greg. l. 4. ep. ſecr. p. 129.*

(*k*) *Ib. p. 18.*

Brandeburgenſis marchia adjecta Boemiæ.

(*l*) *Dub. hiſt. Boem. l. 22.*

Reponebat mutuam Pontifici gratiam Imperator, ac Bernabonem tyrannum Mediolanenſem eccleſiæ bellum inferentem non modo acerbis edictis perculit, verum etiam permiſit Gregorio (*m*), ut clientes imperii Inſubres, qui Bernabonis & Galeatii jugum excuterent, ad eccleſiæ obſequia & clientelam admitteret: quod a Pontifice pluribus III. id. octobris hujus anni ſignificatum eſt ad eos libertatis ſpe ad defectionem concitandos. His vero in furorem actus Bernabos, calumnias ſpargere in Chriſti vicarium non perhorruit, ipſumque aculeatis literis laceſſere: quas Gregorius conſtanter ſubjectis ſententiis refregit (*n*).

(*m*) *To. 4. ep. cur. p. 65.*

Permittit Carolus imperiales Inſubriæ urbes in Pontificis fide recipi.

Vicecomitum res depreſſæ.

(*n*) *An. 4. ep. cur. p. 8.*

*Bernaboni de Vicecomitibus ſpiritum conſilii ſanioris.*

*Recepimus & audivimus literam tuam datam a Mediolano die XIII. menſis januarii proxime præteriti, indignam tamen apoſtolica viſione: ad cujus contenta, utique horrenda & omnino falſa, nec humano proferenda ore commenta, cum ſciamus illa omnia ab homine tanquam rabido & inſano ſpiritu blaſphemiæ vehementer exagitato nequiter fuiſſe concepta, decrevimus nullum penitus dare reſponſum, cum tibi maligno hoſti aliud dici non conveniat, niſi quod Michaelem archangelum dixiſſe diabolo*

Gravi reſponſo fractæ Bernabonis calumniæ.

*bolo ſanctus Judas Apoſtolus refert, videlicet: Imperet tibi Dominus; qui cum ſit & potentiæ infinitæ, ſanctorum placatus inſtantia, faſtum evaneſcere faciet tuæ tyrannicæ poteſtatis. Credimus nempe te, adverſarium veritatis, ea intentione tantam adinveniſſe blaſphemiam, ut immanitate tuæ deteſtandæ verſutiæ, qua Chriſti & eccleſiæ fideles pugiles dudum veneno extinguere tentaviſti, conficta relatione enormiſſimi criminis verbis utcumque tegeres infamibus & doloſis. Porro mirum non eſt, ſi tu in vitiis merſus, qui ſapientes movere non potes, ſerpentinæ vocis afflatu peſtifero ſimplicium mentes conaris inficere, cum male vivens aliud quam malum non valeas ſcribere, vel proferre. Dat. Avin.* IV. *non. februarii anno* IV.

Vercellæ expugnatæ.

Retuſa eſt non minus armis, quam verbis Bernabonis & Galeatii inſolentia; Vercellenſis enim urbs (*a*) primum, dein arx illius munitiſſima (*b*) Joannis epiſcopi Aretini Apoſtolicæ ſedis internuntii opera in eccleſiæ poteſtatem redacta eſt: quam cum Vicecomites obſidione cinxiſſent, Otho dux Bruſvicenſis (*c*) pontificii exercitus præfectus ac Joannes Acutus (*d*) ad eam ſolvendam ſubmiſſi, cum quibus Amedeus Sabaudiæ (*e*) comes Nicolaus marchio Ateſtinus (*f*), Joannes epiſcopus Vercellenſis & alii (*g*) moniti, ut auxiliares copias conjungerent. Clavenna etiam in Novocomenſi diœceſi, repulſis Galeatii turmis (*h*), Oſſolenſes (*i*) in Novarienſi, Uglenamenſes (*k*), Placentini (*l*), & Papienſes (*m*), ad pontificias partes transfugerunt. Poſtea vero cum Vicecomites, fractis rebus ſuis, ad inducias ineundas duces Auſtriæ deprecatores adhibuiſſent (*n*), Pontifex clientum ſuorum, qui bello feſſi erant exhauſtique fortunis, miſericordia permotus, ad concordiæ conſilia flexit animum (*o*), omneſque fœderatos, de quibus ſuperius facta mentio eſt, de ea agitanda conſuluit (*p*). Ne vero facile hoſtis ſolitis artibus inducias capta meliorum rerum occaſione violaret, fixam animo ſuo de fluxa illius fide adſtringenda ſententiam his verbis patefecit Leopoldo duci (*q*), Galeatium fratremque Bernabonem inter atque eccleſiam interpreti futuro; *Magnificentiam tuam ſcire volumus, quod pacem cum omnibus fidelibus habere deſideramus & volumus: ſed quia idem Bernabos prædictam Romanam eccleſiam ac nonnullos prædeceſſores noſtros ſub pace ficta, quam cum eis ſe facere fingebat, ſæpius decepit, pacem ipſam non obſervans ſed violans, noſtræ intentionis exiſtit, quod ſi inter nos & ipſum pax ſive treuga fiat, talibus firmitatibus validetur, quod pax ipſa ſive treuga inviolabiliter perſeveret. Dat. Avin. id. decembris anno* IV.

Expetitæ induciæ.

Pactas [1] Bononiæ a Guillelmo legato Cardinale, cui ea authoritas erat conceſſa (*r*), fuiſſe inducias, ac Pontificem a Vicecomitibus ſolita perfidia fidem violaturis deluſum, adductamque inde in ingens diſcrimen univerſam ditionem eccleſiaſticam, viſuri ſumus.

XVI.

Ungariæ Rex Provinciam Folcalquerium & principatum Salernitaſibi jure debitos repoſcit.

Interea intendebat (*s*) Reginæ Siciliæ apud ſedem Apoſtolicam judicium Ludovicus Ungariæ Rex, depoſcebatque a Gregorio, ut principatu Salernitano, Honore montis S. Angeli, ac Provinciæ, Pedemontii, & Folcalquerii comitatibus injuſte ſpoliatum, ac jure hereditario ad ipſum devoluta eas terras pronuntiaret: quæ enim Bonifacius VIII. de Siculi regni ſucceſſione ad Roberti gratiam ſanxiſſet, in aliis provinciis non fiduciariis Romanæ eccleſiæ non valere. De Siculo vero regno a Joanna petebat, ut cum liberis careret, regio edicto teſtaretur, ſceptri Siculi heredem legitimum ipſum Ludovicum futurum: quamvis enim a Joanna vexanda abeſſet animo, non æque tamen ferendum, ſi illa regnum ad exteros derivaret. Significarunt etiam Pontifici oratores Ungarici (*t*), conventum cum Gallo Rege, ut Ludovicus Andegavenſis alteri filiarum Ludovici Regis Ungariæ nuberet. Ex quibus cum metueret Gregorius, ne bellorum novorum materies suboriretur, Reginam eſt adhortatus, ut oratores pro componendis hiſce controverſiis ad ſedem Apoſtolicam mitteret.

(*a*) To. 4. ep. ſecr. pag. 17. & an. 4. ep. cur. 2.
(*b*) To. 4. ep. ſecr. p. 53.
(*c*) Pag. 41.
(*d*) Pag. 122.
(*e*) Pag. 134.
(*f*) Pag. 123.
(*g*) Pag. 122. 123. 124. 126. 127. & 130.
(*h*) Pag. 19.
(*i*) Ibid. pag. 62.
(*k*) Pag. 66.
(*l*) An. 4. ep. cur. p. 4.
(*m*) Ibid.
(*n*) To. 4. ep. ſecr. pag. 160.
(*o*) An. 4. ep. cur. p. 89. & 111. & to. 4. ep. ſecr. pag. 173.
(*p*) Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 129. 159. & an. 4. ep. cur. p. 60.
(*q*) To. 4. ep. ſecr. p. 160.
(*r*) To. 4. ep. ſecr. p. 128.
(*s*) Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 56.
(*t*) Ibid.

NOTÆ

[1] AD inducias inter pontificios & vicecomites hoc anno pactas quod attinet, Author Miſcellæ Bononienſis, quem per hos annos ſcripſiſſe jam diximus, teſtatur die VI. Junii Bononiæ denunciatas publice fuiſſe inducias in has leges, ut per annum, ex eo temporis articulo incipiendum, durarent, quas & ad ſemiannum prorogare pontifici fas eſſet. Tum vero utri parti bellum redintegrare placeret, huic ante bimeſtre bellum alteri annunciare onus imponeretur; neque id ſatis, ſed & poſt bimeſtre ſolvendis induciis tempus prorogaretur ad menſem, quæ ſane omnia induciarum tempus intra menſes XXI. definiebant. Præludia hæc pacis, quin & pax credebantur. *Pace ſi credeva che foſſe.*

Quæ vero hic ſcribit Annaliſta de induciarum fide a vicecomitibus pro conſueto more neglecta, pugnant cum authore Miſcellæ, qui cum per hos annos Bononiæ ſcriberet, Eccleſiæ partibus ſtudebat, ille enim ad A. 1376. de induciis hoc anno ſtabilitis agens hæc notat: *Certamente fu egli leale in queſta volta alla Chieſa.* Illud tamen animadverſione dignum judico, inducias illas quamvis Junio menſe Bononiæ promulgatas, ne tamen executioni ſtatim mandarentur varios rerum caſus ſuſpendiſſe; donec tandem ſequenti anno ineunte obtinuerunt. Etenim Petrus de la Gazata in chronico Regienſi, vulgato rer. Italic. to. XVIII. ſcribit, inducias illas nonniſi ſequenti anno 1375. die VI. Januarii Regienſibus indictas fuiſſe ſcribit. MANSI



Contraria Joannæ argumenta.

Graviſſima lis erat: neque Joannæ deerant argumenta, quibus cauſam ſuam tueretur; nam Carolus primus ſanxerat Provinciam, Pedemontium, ac Folkalcherium a Siculo regno non divellenda, neque eos principatus repetierat Ludovicus Ungariæ Rex dum Siciliæ regnum, quod armis tenebat, pacto cum Joanna fœdere reſtituit; ſed tantummodo principatum Salernitanum & Honorem montis S. Angeli ut hereditarios exegerat: qua de re datas ab ipſo & fratre Stephano ad Clementem literas (*a*) Gregorius biennio poſt promulgavit, quas hic conjungemus, ne eadem repetere cogamur.

Ludovici Regis lit. de pace antea inita.

*Ad futuram rei memoriam.*

*Dudum chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Rex Ungariæ illuſtris, & quondam Stephanus dux Tranſilvaniæ ejuſdem Regis frater certos procuratores ſuos per ſuas patentes eorum ſigillis ſigillatas fecerunt, conſtituerunt, crearunt, & etiam ordinarunt, quarum quidem literarum tenor ſequitur in hæc verba: Noverint univerſi & ſinguli præſens procuratorium inſpecturi, quod nos Ludovicus, Dei gratia Ungariæ Rex, ac nos Stephanus, eadem gratia dux Tranſilvanus frater ejuſdem illuſtriſſimi Regis votis & beneplacitis ſanctiſſimi in Chriſto patris domini Clementis divina providentia ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummi Pontificis nos conformare volentes, & ejuſdem in hac parte condeſcendere voluntati, venerabilem patrem dominum Joannem, divina miſeratione epiſcopum Veſprimienſem aulæ reginalis cancellarium, & nobilem virum de Voolphord comitem Caſtriferrei præſentes, & præſens mandatum ſponte ſuſcipientes, & quodlibet eorum in ſolidum (ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod unus eorum incœperit, alter proſequi ac mediare valeat & finire) facimus, conſtituimus, creamus, & ordinamus ſimul & uterque noſtrum per ſe noſtros veros, certos & legitimos procuratores, actores, factores, & nuntios ſpeciales omnibus viis & modis, quibus melius fieri de jure poteſt; ipſis & eorum cuilibet in ſolidum per has noſtras patentes literas mandantes & ſpecialem, plenam, & liberam ac abſolutam poteſtatem dantes & concedentes noſtro & utriuſque noſtrum nomine ſolemniter promittendi, & nos & utrumque noſtrum obligandi ad dandum & aſſignandum, ac dari & aſſignari faciendum realiter, plene, & libere ac efficaciter in manibus domini noſtri Papæ vel alterius cujuſcumque aut quorumcumque, quem ſeu quos ipſe dominus noſter Papa ad hoc duxerit deputandum ſeu deputandos, nobis non ſuſpectum vel non ſuſpectos, infra certum terminum ad hoc per ipſum dominum Papam, aut dictos procuratores noſtros vel eorum alterum, ſtatuendum (titulis dumtaxat paternis, ſcilicet principatu Salernitano & Honore montis S. Angeli exceptis) omnes & ſingulas civitates, caſtra, terras, villas, fortalitia, caſalia, & quælibet alia loca, tenimenta & territoria ac omnia alia & ſingula, quæque habemus & tenemus per nos ſeu alterum noſtrum, alium vel alios noſtro nomine in regno Siciliæ & terris citra pharum uſque ad confinia terrarum Romanæ eccleſiæ; & in corporalem poſſeſſionem omnium & ſingulorum quo ſupra nomine præmiſſorum dictum dominum Papam vel alium ſeu alios, quem ſeu quos ipſe dominus Papa ad hoc deputaverit, nobis (ut præmittitur) non ſuſpectos, pure, plene, & libere ac efficaciter & realiter inducendum ſeu induci faciendum: noſque ipſe & uterque noſtrum hæc omnia & ſingula præſentis ſcripturæ teſtimonio adimplere & adimpleturos, & facturos ac curaturos realiter & adimpleri ſolemniter promittimus, & ad ea adimplenda nos ipſum & utrumque noſtrum obligamus.*

Ut regnum Siciliæ reſtituerit, exceptis Salernitano principata & honore montis S. Angeli.

XVII.

*Cæterum damus dictis noſtris procuratoribus, & cuilibet eorum in ſolidum plenam & liberam poteſtatem & ſpeciale mandatum noſtro & utriuſque noſtrum nomine promittendi, ſicut & nos promittimus, quod omnes & ſinguli, qui in regno Siciliæ noſtro nomine reſidentiam faciunt, & pro nobis dictum regnum Siciliæ aut terras alias ſupradictas ſeu earumdem aliquam intraverunt, abinde recedere & exire, omni excuſatione & quæſito colore ceſſante, & abſque notabili damno & læſione regnicolarum & aliorum in dictis terris habitantium, faciemus: & quod ita omnes & ſinguli prædicti facient, & uterque noſtrum bona fide procurabimus & promittemus in verbo regali cum effectu. Dictis autem recedentibus de regno & terris prædictis dabuntur in locis, per quæ tranſire habebunt, victualia neceſſaria pro pretio competenti. Sane omnes & ſingulos, qui (ut præmittitur) exibunt de dicto regno Siciliæ, & qui ſub noſtro nomine intraverunt, dictus dominus Papa efficaciter operabitur & faciet una cum rebus ſuis quibuſlibet ad locum tutum & ſecurum conduci. Illis autem, qui remanere voluerint cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, de dicto regno Siciliæ oriundis, vel qui fuerunt familiares claræ memoriæ Regis Andreæ fratris noſtri, undecumque fuerint oriundi, dictus dominus Papa remittat & remittere neceſſario teneatur omnes injurias & offenſas illatas Romanæ eccleſiæ uberiorem ad cautelam; quodque dictus dominus Papa bona fide curabit & efficaciter procurabit, quod damna, detrimenta (quæ per eos reperientur illata) ac injuriæ & offenſæ perſonaliter ſeu reales quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis*

(*a*) Ext. apud Greg. an. 6. ep. cur. p. 12.

*nis vel ſtatus & præeminentiæ exiſtant, illatæ fuerunt, per illos, quorum intererit omni excuſatione & quæſito colore ceſſante remittantur. Et nihilominus volumus, quod prædicti procuratores noſtri, ſeu quilibet eorum in ſolidum modo, quo præmittitur, facere poſſint & faciant ſtatim præmiſſorum omnium traditionem & realem aſſignationem dicto domino Papæ, vel alii ſeu aliis, quem vel quos modo quo ſupra ipſe dominus Papa ſuper hoc duxerit deputandos.*

De arcibus conſignandis Pontifici.

*Præterea noſtris procuratoribus & cuilibet eorum in ſolidum damus & concedimus plenum, generale, ac ſpeciale mandatum tranferendi & ponendi totaliter in manibus dicti domini Papæ totam cauſam quam habemus, ſeu habere poſſemus occaſione mortis dicti Regis Andreæ fratris noſtri legitimi contra quoſcumque, qui culpabiles fuerint de morte ejuſdem Regis Andreæ, cujuſcumque præminentiæ, dignitatis, conditionis, ſexus, aut ſtatus exiſtant, ſperantes per ſanctam ſedem & dominum noſtrum Papam juſtitiam fieri de eiſdem: quod totum ejuſdem domini Papæ conſcientiæ & ſanctæ ſedis diffinitioni duximus relinquendum: cæterum prædictis noſtris procuratoribus & cuilibet eorum in ſolidum dantes & concedentes ſpeciale mandatum & liberam poteſtatem utriuſque noſtrum nomine, prout eis & eorum cuilibet videbitur faciendum, de remiſſione regalium, quos ex cauſa in noſtra fortia detentos habemus, tractandi, paciſcendi, & ordinandi quidquid modo quo ſupra pro nobis eiſdem videbitur expedire, & fuerit opportunum: ſuper quo ipſis noſtris procuratoribus & eorum cuilibet in ſolidum modo quo ſupra plenam, abſolutam & liberam ac omnimodam concedimus poteſtatem.*

XVIII. Petita cenſurarum expiatione.

*Poſtremo, quia bonarum mentium eſt timere culpam, ubi forſitan culpa non eſt, ideo noſtræ intentionis exiſtit, quod dictus dominus Papa, ex ſuperabundanti ſalutem & ad cautelam, remittat omnes injurias & offenſas, ut præmittitur, ſi quæ ipſi domino Papæ & eccleſiæ Romanæ tempore præterito per quaſcunque perſonas nobis adhærentes cujuſcumque dignitatis, conditionis, ſtatus, præeminentiæ, ſexus, ordinis, & gradus extiterint, factæ fuiſſent occaſione receptionis, apprehenſionis, ſeu obtentionis dicti regni Siciliæ per nos vel alios noſtro nomine quomodolibet factarum: committereque teneatur per ſuas literas alicui ſeu aliquibus, quod quibuſcumque petentibus ex cauſis prædictis vel aliquod eorundem beneficium abſolutionis in forma juris gratioſe impendant, & alias ſententias quaſlibet, ſuſpenſionis videlicet & interdicti apoſtolica auctoritate relaxent cum talibus, ut in ſuſceptis, & ſuſcipiendis ordinibus ac dignitatibus & beneficiis, ſeu officiis quibuſcumque, quæ taliter ſunt adepti, ſeu eos in poſterum contigerit adipiſci, miniſtrare & retinere valeant, ſuper irregularitate, quam propterea contraxiſſent, & quolibet uſufructu alio diſpenſando, ſuper quibus omnibus & ſingulis petendis, tradendis, faciendis, promittendis, aſſignandis, quitandis, & renuntiandis & exercendis generaliter ac ſpecialiter in omnibus & ſingulis ſupradictis eiſdem procuratoribus noſtris ac cuilibet eorum in ſolidum plenam & liberam poteſtatem & auctoritatem, ac plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum cum plena, libera, & generali adminiſtratione nos & uterque noſtrum damus & concedimus per præſentes; & generaliter omnia & ſingula tractandi, dicendi, promittendi, faciendique ad robur & perpetuam firmitatem omnium & ſingulorum prædictorum vel ejus connexorum aut dependentium dici, fieri, & excogitari poſſent quæ & erunt pro expeditione & effectuali executione prædictorum neceſſaria ſeu etiam opportuna; promittentes tenore præſentium nos & uterque noſtrum ratum, gratum, & firmum habere & tenere perpetuo quidquid per dictos procuratores noſtros vel alterum eorum petitum, obtentum, tractatum, promiſſum, firmatum, traditum & aſſignatum, quitatum & alias factum fuerit ſeu geſtum noſtro nomine & utriuſque noſtrum in præmiſſis & quolibet præmiſſorum: literas noſtras patentes amborum noſtrum ſigillis ſigillatis notificationis, approbationis, omnium & ſingulorum, quæ acta & facta fuerunt per dictos procuratores noſtros vel alterum eorum in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum modo prædicto, promittimus concedere, & dicto domino noſtro Papæ aut deputandis ab eo tradere vel tranſmittere infra terminum, per dictum dominum Papam procuratoribus noſtris prædictis vel eorum alteri præfigendum. Dat. Budæ* XI. *die menſis octobris anno Domini MCCCLI. Cæterum ut earundem literarum tenor prædictus ſic inſertus omnimodam ſeu facti certitudinem faciat, apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur eamque vim eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales ſupradictæ, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocumque & ubicumque in judicio vel extra judicium fuerit exhibitus vel oſtenſus; & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Dat. Avin. kal. ſeptembris anno* VI. Memoratos porro principatus Salerni & Honoris montis S. Angeli Joanna retinuit, donec conflati ſchiſmatis occaſione, immiſſo a Ludovico Rege exercitu, regno & vita privata eſt.

XIX. Fridericus Rex Trinacriæ initum cum Joanna fœdus confirmat.

Hoc anno Fridericus Trinacriæ Rex temperatas a Gregorio, veluti ſupremo utriuſque Siciliæ principe, initi fœderis inter ipſum & Joannam leges, quas antea ſuo loco



loco attulimus, ſolemni ritu admiſit, coram pontificio internuntio conceptam ſacramenti fidei formulam nuncupavit, ſe & ſucceſſores Trinacriæ Reges Romanorum Pontificum futuros clientes, imperataſque omnes a Gregorio pactiones ſanctiſſime ſervaturos profeſſus: qua de re publica hæc monumenta ad ſecuturas ætates propaganda edidit (a).

(a) *Ext. in arce S. Angeli & inter collect. Plat. to.3. pag. 279.*

Publica hac de re documenta.

*In nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejuſdem MCCCLXXIV. indictione* XI. *die* XVII. *menſis januarii pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Gregorii, divina providentia Papæ XI. anno quarto in mei notarii & teſtium infraſcriptorum vocatorum & rogatorum ad hoc ſpecialiter præſentium præſentia, reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus Joannes, Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Sarlatenſis epiſcopus, ac in toto regno Siciliæ citra & ultra pharum præfatæ ſanctæ ſedis Apoſtolicæ nuntius vigore & authoritate quarundam literarum apoſtolicarum, quas in manibus ſuis tenebat, & quarum copia inferius deſcribetur, requiſivit ſummum principem dominum Fredericum de Aragonia Trinacriæ Regem illuſtriſſimum ac Athenarum & Neopatriæ dominum ibidem præſentem, ſi volebat ſibi, dicti ſanctiſſimi patris & domini Papæ & S. R. E. vice & nomine accipere parato ſecundum poteſtatem ſibi datam in prædictis apoſtolicis literis contentam, facere & præſtare ligium homagium, & fidelitatis debitum juramentum juxta formam in tractatu pacis facto inter ipſum dominum Regem & ſereniſſimam dominam Joannam Jeruſalem & Siciliæ Reginam, & per quemlibet eorundem approbato, contentam. Qui quidem dominus Rex reſpondit, quod ipſe erat dictam requeſtam explere paratus, & dictas apoſtolicas literas ibidem legi fecit. Et poſtea manus ſuas tenens infra manus domini nuntii ſupradicti, dictam formam homagii juramentum fidelitatis continentem, in dicto tractatu pacis poſitam, fecit coram ſe in verbis Latinis, ſicut ſcripta erat, & etiam vulgariter exponi per rever. in Chriſto patrem dominum dominum fratrem Ubertinum, Dei gratia epiſcopum Toricocenſem. Quibus lectis ac expoſitis, & per eundem dominum Trinacriæ Regem intellectis, dominus idem Rex, humiliter & devote tactis ſacroſanctis evangelicis ſcripturis, eidem domino nuntio apoſtolico recipienti & acceptanti; vice & nomine dicti domini noſtri Papæ & ejus ſucceſſorum ſummorum Pontificum canonice intrantium ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſponte, ſimpliciter, atque pure, tenendo & ſequendo per omnia modum & formam in dicta clauſula tractatus pacis (cujus hic tenor inferius eſt inſertus) contentos, ligium & homagium ac vaſſallagium fecit, & fidelitatis dedit præſtititque juramentum; nec non oſculum pacis dedit eidem domino apoſtolico nuntio nominibus quibus ſupra. De quibus omnibus ac ſingulis ſupraſcriptis præfati domini Rex & apoſtolicus nuntius petierunt & voluerunt per me Franciſcum notarium publicum præfatum fieri publicum inſtrumentum, & publica inſtrumenta unum & plura, quoties requiſitus ero. Tenor autem prædictarum literarum apoſtolicarum & clauſulæ dicti tractatus pacis, de quibus ſupra eſt facta mentio, ſequitur per ordinem, & ſunt tales.*

Ut præſcripta a Pontifice conventa admiſerit.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Joanni epiſcopo Sarlatenſi Apoſtolicæ ſedis nuntio ſalutem, & apoſtolicam benedictionem.*

*Cum te ad regnum Siciliæ tam citra quam ultra pharum pro certis arduis negotiis per nos circumſpectioni tuæ commiſſis præſentialiter deſtinemus, & inter cætera recipiendi a chariſſima in Chriſto filia noſtra Joanna Regina Siciliæ illuſtri, & a nobili viro Frederico de Aragonia (inter quos ac eorum progenitores pacis æmulus & humani generis inimicus dudum graves diſcordias ſuſcitavit) nomine noſtro ac Romanæ eccleſiæ approbationem & ratificationem certi tractatus pacis, per nos de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium pro bona pace & concordia inter partes ipſas habenda facti ad ipſorum Reginæ & Frederici conſenſum juxta tenorem hujuſmodi tractatus & conventionum in ipſo (quem quidem tractatum penes te habere dignoſceris) per alias noſtras certi tenoris literas dederimus poteſtatem, nos de hujuſmodi circumſpectione tua in arduis ſæpius comprobata plurimum in Domino confidentes, fraternitati tuæ noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine a præfato Frederico (poſtquam tamen hujuſmodi probationem & ratificationem dicti tractatus & conſenſum dictarum partium receperis & habueris) ligium homagium, & vaſſallagium, & fidelitatis debitæ juramentum juxta tenorem capitulorum prædicti juramenti formam continentium, & in dicto tractatu contentorum, plenam & liberam authoritate præſentium conceſſimus poteſtatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Villamnovam Avenionenſis diœceſis kal. octobris pontificatus noſtri anno* II.

XX. Sacramenti ab eo præſtiti formula.

*Ego Fredericus, Dei gratia, Rex Trinacriæ plenum ligium homagium facio domino meo Gregorio Papæ undecimo & ſucceſſoribus ſuis canonice intrantibus pro inſula Siciliæ una cum inſulis adjacentibus, quæ regnum Trinacriæ nominatur: & juro ſuper hæc ſancta Dei evangelia, quod ab hac hora inantea uſque ad ultimum di-*

*em vitæ meæ fidelis & obediens ero beato Petro, ſanctæque Romanæ eccleſiæ, prædictoque domino Gregorio ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio vel facto, quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri erunt per eos aut nuncios ipſorum ſive per literas, ad eorum damnum (me ſciente) nemini pandam: & ſi ſcivero fieri vel procurari ſive tractari aliquid (quod abſit) in eorum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi impedire non poſſim, illud eis ſignificari curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in inſula Siciliæ & in aliis inſulis adjacentibus, quam in regno Siciliæ prædicto quam alibi exiſtentia adjutor eis ero ad defendendum & retinendum & recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem: ac omnia alia & ſingula capitula, ſub forma fidelitatis comprehenſa, inviolabiliter obſervabo, & univerſas & ſingulas promiſſiones, obligationes, & conventiones in præſenti privilegio, literis ſive inſtrumento contentas, & omnia & ſingula in eis contenta plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Acta fuerunt hæc Meſſanæ in palatio regali anno, indictione, die, menſe, & pontificatu, quibus ſupra, præſentibus reveren. in Chriſto patribus dominis Martiali Dei gratia epiſcopo Catanienſi, Roſtagno abbate monaſterii S. Severini majoris de Neapoli, ac nobilibus & magnificis viris dominis Franciſco de Vintimiglio milite & comite Coliſani ac dicti domini Regis majori camerario, Artali de Alagona comitatus Miſtrete domino ac dicti Regis Trinacriæ magno juſticiario, Matthæo de Montecatteno comitatus Auguſtæ domino, Philippo de Vintimilio dicti domini Regis mareſcallo, &c.* Servarunt Aragonii hujus ſacramenti fidem, dum lucri illecebra eos irretitos tenuit: at Friderico ejuſque filia ſine liberis vita functis, eam turpiter violarunt, ut notat Baronius (*a*). Quæ res uti contigerit, ſuo loco dicetur: nunc ad Gallicas res ſtylum convertimus.

Violata a ſucceſſoribus hujus ſacramenti fides.

(*a*) *Baron. annal. to.* 11. *A. C.* 1097. *n.* 114.

XXI. De Anglo & Gallo conciliandis actum.

Cum accepiſſet Gregorius non modo pacem inter Francorum & Anglorum Reges non coaluiſſe, verum in dies vetera reviviſcere odia, ac Ludovicum Andegavenſem & Joannam Lanclaſtriæ duces in ſe mutuo ſigna infeſta attollere, Guillelmum patriarcham & Eliam archiepiſcopum Burdegalenſem internuntios decrevit (*b*), ut exercitus hoſtiles dirimerent. Habita ſunt plura pacis colloquia: extractæ a Gregorio induciæ (*c*) ad proximi anni reſurrectionis dominicæ diem: additi (*d*) Regibus, ut pacis conſilia amplecterentur, pii ſtimuli, indictique Brugis ſolemnes oratorum conventus (*e*).

(*b*) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 86. & *an.* 4. *ep. cur.* 75.
(*c*) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 137.
(*d*) *Ibid. p.* 112.
(*e*) *Pag.* 123.

De jure eccl. controverſum inter Pont. & Anglum.

Conſtituenda etiam erat in Brugenſibus cœtibus (*f*) concordia agitari cœpta ſuperiori anno Pontificem inter & Eduardum Regem de conferendorum nonnullorum ſacerdotiorum jure: ad quam componendam Bernardus Pampilonenſis ac Rodulphus Senogallienſis epiſcopi, & Ægidius Sancius Valentinæ eccleſiæ præpoſitus miſſi a Gregorio. *Pro libertatibus*, inquit, *eccleſiæ Anglicanæ ac prælatorum & aliarum perſonarum eccleſiaſticarum regni Angliæ.* Quæ porro illa controverſiarum capita fuerint, quaſve concordiæ leges Gregorius (*g*) ſervari voluerit, ex ſubjectis literis ſuperiori anno datis patebit.

(*f*) *Ibid. p.* 100. 110. & 111. & *to. papyr. ep. cur.* 12.

(*g*) *An.* 5. *ep. cur. p.* 296.

*Gregorius &c. venerabilibus fratribus Benedicto Pampilonenſi & Ladulpho Senogallienſi epiſcopis, ac dilecto filio Ægidio Sancii Munionis præpoſito eccleſiæ Valentinæ legum doctori Apoſtolicæ ſedis nuntiis.*

Quæ fuerint controverſiæ capita.

*Cum dudum ambaxiatores chariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Angliæ illuſtris ad noſtram acceſſiſſent præſentiam, ac ſuper certis articulis, jus patronatus, regalia, & quædam alia jura eccleſiarum regni Angliæ concernentibus, nonnulla nobis expoſuiſſent; nos dicto Regi tamquam præamabili & peculiari filio noſtro cupientes, quantum poteramus (ſalva conſcientia) complacere, & ſperantes de bona concordia ſuper dictis articulis inter Romanam eccleſiam & eundem Regem (divino medidnte ſuffragio) reformanda, voluntatem noſtram, videlicet* XII. *kal. januarii pontificatus noſtri anno tertio in forma, quæ ſequitur duximus declarandam: Primo quod omnes & ſingulæ cauſæ, quæ occaſione beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ in regno Angliæ in regalia vacaviſſe dicuntur, apud ſedem Apoſtolicam, & in curia dicti Regis vel earum altera agitantur de præſenti, uſque ad inſtans feſtum B. Joannis Baptiſtæ nativitatis ſuſpendatur apud eandem ſedem (dum tamen fiat in præfata dicti Regis curia illud idem) & quod interim in cauſis ipſis nullatenus procedatur. Quo quidem lapſo termino cauſæ prædictæ, niſi ſuper eis fuerit medio tempore concordatum, vel alias terminus prorogatus, illæ videlicet, quæ apud ſedem ventilantur eandem, in eodem ſtatu etiam quoad proceſſus & cenſuras eccleſiaſticas, & citatos ut perſonaliter comparerent, reſumantur & ſint, in quo erant die ſuſpenſionis ſupradictæ, & in eis poſſit procedi abſque alia citatione, ac ſi nulla fuiſſet facta ſuſpenſio. Item quod illi, qui auctoritate apoſtolica in dicto regno beneficia eccleſiaſtica quæcumque poſſident, alias in poſſeſſione fuerint, in poſſeſſione ſua remaneant, nec in ea occaſione præmiſſa quomodolibet moleſtentur. Item quod, ſi medio tempore contingat in dicto regno aliquas cathedrales eccleſias, monaſteria, prælaturas, aut alias dignitates vacare, ex quorum vacatione*





*in beneficiis, ſuper quibus litigatur, vel quibuſvis aliis per ſedem Apoſtolicam collatis aut conferendis, aut vacatione hujuſmodi idem Rex prætendat ſe præſentationem habere; non faciat circa dicta beneficia occaſione vacationum hujuſmodi aliquam novitatem in præjudicium dictorum litigantium aut aliorum, qui collationem beneficiorum ipſorum a ſede prædicta habuiſſent; nec hujuſmodi vacatio dictis litigantibus aut aliis prædictis aliquod præjudicium afferre poſſit. Item quod interim tractetur concordia ſuper præmiſſis inter Romanam eccleſiam & Regem præfatos per nuntios, illuc per dominum noſtrum Papam vel per ipſum Regem ad Romanam curiam tranſmittendos. Contentatur autem Dominus noſter, quod ſuper hujuſmodi tractatu hic vel ibi faciendo Rex objectionem habeat: ſed eidem domino noſtro ſuam ſuper hoc Rex ipſe infra quatuor menſes a data præſentium computandos, ſignificet voluntatem.*

*Item quod idem Rex debeat certificare dominum noſtrum infra hujuſmodi quatuor menſes proxime ſecuturos per ſuas literas autenticas ſuo ſigillo ſigillatas, ſi ſibi placuerint ſupraſcripta: alioquin ex nunc pro tunc ſuſpenſio hujuſmodi nullius ſit roboris vel momenti. Item ordinavit dominus noſter, quod in omnibus & ſingulis cauſis, regaliam antedictam non concernentibus, quæ de dicto regno in dicta Romana curia ventilantur, & quæ cum poteſtate citandi aliquos, ut in eadem curia perſonaliter compareant, ſunt commiſſæ, ſuſpendantur hujuſmodi citationes perſonales uſque ad unum annum, a data præſentium computandum: & nihilominus interim per procuratores in cauſis ipſis perſonaliter procedatur, ac ſi nulla decreta fuiſſet citatio perſonalis. Et de cauſis ſimilibus infra prædictum annum proponendum in curia ordinavit dominus noſter ob Regis contemplationem & relevationem regnicolarum, quod ſi partes querelam proponentes, citationem decerni petierint perſonalem, cauſas hujuſmodi dominus noſter committet Coloniæ, Leodii, vel in Flandia, ſeu vicinis locis Angliæ citra mare, ubi partes ipſæ ſecure poſſint perſonaliter comparere, vel, ſi partes ipſæ potius hic elegerint, in Romana curia per procuratores litigabitur ſuper cauſis ipſis. Datum & actum Avin.* XII. *kal. januarii pontificatus ejuſdem domini noſtri Papæ anno* III. Extracta (*a*) eſt in aliquot annos hæc controverſia, merſitque (*b*) hæreſiarcha Wicleffus, qui Regi ſummum in eccleſiaſticum ordinem cauſaſve ad eum ſpectantes imperium conferret. Sed idem, non divini tantum, ſed humani juris hoſtis manifeſtus, infandos errores ad hereditarias regnorum ſucceſſiones convellendas, omnemque politicum ordinem confundendum evomuit (*c*), de quo inferius.

De cauſis ad tribunal pontificium evocandis.

(*a*) *Greg. ubi ſup.*
(*b*) *Polydor. Virg. l.* 19.
(*c*) *Valſin. in Riccar.* II.

XXII. Aragonius Tarraconam ad jus regium revocat.

Opprimebat tum eccleſiarum jura Rex Aragonum, atque authoritatem, quam archiepiſcopus in Terraconam hactenus obtinuerat, ad regiam revocabat (*d*): ex quo, cum eccleſiarum dignitas exoleſceret, Dei vicarius Romæum epiſcopum Ilerdenſem, (*e*) qui gratia apud Regem florebat, ſolicitavit ut ipſum ab eccleſiæ Terraconenſis juribus uſurpandis abduceret, utque cœptam inter Petrum Aragonum & Henricum Caſtellæ Reges pacem Guidonis Cardinalis morte abruptam redintegrare conaretur. Flagitavit porro Henricus Caſtellæ Rex a Gregorio (*f*), ut tam cum Aragonio, quam cum Carolo Navarræ & Ferdinando Luſitaniæ Regibus initas pacis leges, apoſtolica authoritate confirmaret.

(*d*) *To.* 4. *ep. ſecr. p.* 113.
(*e*) *Ib. p.* 84.
Pax Hiſpanica agitata.
(*f*) *Pag.* 168.

Hieronymitarum ordo in Caſtella inſtitutus.

Prætermittendum hic non ducimus commendatam a Pontifice (*g*) Henrico Regi novam Hieronymitarum religioſam familiam, quæ in Caſtella novos ſanctioris vitæ radios cœpit diffundere, ac plures tum claris majoribus, tum obſcuris natalibus ortos pietatis ſtudio accendit.

(*g*) *Eod. to.* 4. *ep. ſecr. pag.* 177.

*Gregorius &c. Henrico Regi Caſtellæ illuſtri.*

*Dilectus filius Petrus de Guadaſſinaria prior monaſterii S. Bartholomæi de Lippiana ordinis S. Auguſtini Toletanæ diœceſis, ad noſtram accedens præſentiam, ſuum & quorumdam ſociorum ſuorum tam nobilium quam plebejorum tui regni, qui propter Deum mundanas divitias & delitias reliquerunt, devotum propoſitum ſerviendi Regi regum in regulari ſtatu ordinis approbati nobis expoſuit reverenter, noſtrum in hac parte conſilium & favorem benignum humiliter poſtulando. Noſque ad animarum ſalutem paternis affectibus aſpirantes, conſideratis in hac parte mature iis, quæ conſideranda cenſuimus, dicto Petro conſuluimus, quod ipſe & iidem ſocii profiterentur regulam B. Auguſtini cum certis ſpecialibus obſervantiis, quæ per quoſdam profeſſores ejuſdem ordinis laudabiliter obſervantur. Cum idem Petrus poſt moroſam deliberationem noſtris acquieviſſet conſiliis, dictam regulam in noſtris manibus eſt profeſſus, ſibique certum regularem habitum duximus exhibendum, ac de perſona ipſius Petri monaſterio prædicto, quod de novo ereximus apoſtolica authoritate providimus; illique eum præfecimus in priorem, cum ſpe firma, quod iidem ſocii ſimiliter dictam profiteantur regulam, & habitum recipiant prælibatum, &c.* Commendat naſcentem religioſam familiam, ut in extruendis monaſteriis regio illi favore non deſit. *Dat. Avin. kal. martii anno* IV. Meminit Mariana (*h*) de eadem religioſa familia, quæ Hieronymitarum, ut indicavi, ſibi indito nomine in Caſtella admodum effloruit, quæque eodem anno in Aragoniam propagata eſt, præcipuo au-

(*h*) *Marian. l.* 17. *c.* 18.

thore Jacobo Ynanyes, quem una cum ſociis epiſcopo Dertuſenſi commendavit Gregorius (a), ut ad extruenda quatuor monaſteria piis eorum votis faveret.

(a) To. 4. ep. ſecr. pag. 42.

XXIII. Poſtremo prætereundum non eſt, Gregorium qui ſuperioribus annis a S. Birgitta (b) pluribus acceptis a cœlo oraculis monitus fuerat, ut Urbi ſedem Apoſtolicam reſtitueret, exceptis hoc anno populi Romani ampliſſimis oratoribus, pollicitum Apoſtolicam ſedem in urbem ſe revecturum, ut pontificiæ teſtantur literæ (c), quibus adſcripta eſt dies VI. idus martii. Idemque a ſe ſuſceptum conſilium Carolo Romanorum Imperatori ſub autumnum aperuit (d), ab ineunte quidem pontificatu pio ſe deſiderio reſtituendæ urbi ſedis æſtuaſſe; ſed graviores ob cauſas retardatum.

(b) Revel. S. Birgit. l. 4. c. 139. 141. 142. 143. 144.

(c) To. 4. ep. ſecr. p. 19.

Gregorius de ſede Apoſt. Italiæ reſtituenda certiores facit Chriſtianos principes.

(d) Eod. to. 4. ep. ſecr. p. 59.

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

*Licet a noſtræ promotionis ad apicem ſummi apoſtolatus primordiis in votis ſemper geſſerimus, prout gerimus inceſſanter, viſitare ſacram Urbem, in qua eſt principaliter ſedes noſtra, in ipſaque ac vicinis partibus cum noſtra curia reſidere; tamen ex diverſis impedimentis, quæ produxerunt media tempora, ipſa vota implere nequivimus; nec hucuſque ad idem præfigere certum tempus: Nunc autem nolentes, quantum in noſtra deliberatione conſiſtit, id ulterius retardare, deliberavimus cum Dei auxilio de menſe ſeptembris proxime futuro verſus dictam urbem arripere iter noſtrum, quod ipſe Deus, cui ex hoc placere confidimus, dignetur ſuis præſidiis ad ejus laudem & gloriam, & univerſi ſui gregis ſalutem & pacem reddere proſperum & jucundum. Credentes itaque hoc gratum reddi tuis affectibus; id imperiali celſitudini ad gaudium nunciamus, rogantes eamdem, quod ut nos & dicta curia poſſimus dictum iter tute peragere, ac in eiſdem Urbe & partibus manere quiete, digneris (ſi opportunum fuerit) tui favoris auxilium impartiri. Dat. Avin. VIII. id. octobris anno IV.* Certiores eadem de re fecit Pontifex duces Auſtriæ, Ludovicum Ungariæ ac Fredericum Trinacriæ Reges; tum univerſos Italiæ magnates & inſignes populos, ac ditionis eccleſiaſticæ præfectos, quorum prolixior extat catalogus (e): atque inter cæteros Petro Gambacurtæ ac Piſanis de triremibus oblatis actæ ſunt gratiæ (f).

(e) Reg. poſt eand. ep. & pag. 61.

(f) Ibid. pag. 183. & 191.

Ruente



I. RUente in Amuratis Turcarum tyranni ſervitutem Græcorum imperio, ac domina gentium Conſtantinopoli facta ſub tributo, Romanus Pontifex anno a Virgineo partu milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto indictione decimatertia apoſtolicas curas intendit maxime, ut Græcos ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem revocaret, copiaſque auxiliares pro infringendis Amuratis conatibus ac liberanda Græcia compararet. A priore igitur conſilio de eripiendo ex veteris ſchiſmatis erroribus oriente exorſuri, rem paulo altius repetimus; miſſos ante biennium Conſtantinopolim apoſtolicos internuntios, qui clerum Conſtantinopolitanum ad ſummi in terris Chriſti vicarii obſequium pellicerent: tum etiam nonnullos epiſcopos, alioſque viros religioſos in majorem Armeniam, ut evangelium iis nationibus inferrent, legatos. Hi vero cum applicuiſſent Conſtantinopolim, clerum Græcum ſuperiori anno ad theologicas concertationes provocarunt, in quibus ſchiſmaticorum errores illuſtribus adeo argumentis diſcuſſi ſunt, ut plures calogeri ad orthodoxam fidem fuerint traducti: quæ felicia auſpicia referente apud ſedem Apoſtolicam Tauriſienſi epiſcopo, Gregorius Marraghaenſi & Nacchoanenſi epiſcopis, cæteriſque evangelii præconibus de navata egregie Chriſto opera eſt gratulatus (a).

Legati epiſcopi in majorem Armeniam.

Plures ſchiſmatici ab his ad fidem converſi.

(a) To. 5. ep. ſecr. pag. 10.

II. Commiſerat eloquentiam ſuam in hiſce de Latinorum & Græcorum dogmate concertationibus cum ſuperioribus nuntiis Joannes Cantacuzenus, qui imperiali faſtigio, ad quod multis ſceleribus irrepſerat, deturbatus a genero Palæologo, attonſuſque in monachum magna cum eruditionis laude inter ſuos florebat: ac veritate victus, profeſſus erat certiſſime ſe credere, Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem, ſupremum a Chriſto in univerſas orbis eccleſias imperium accepiſſe, proque hoc dogmate fundere ſanguinem paratiſſimum. Quo accepto Gregorius recreatus, ingenti ſpe orientalem eccleſiam eo admiſſo dogmate ad Romanæ obſequium revocatum iri, Cantacuzenum adhortatus eſt (b), ut damnaret ſchiſma, & univerſis Græcis, apud quos ob geſtatum imperiale diadema in ſumma exiſtimatione erat, exemplo præluceret; ac ſi Romam vellet accedere, amantiſſime a ſede Apoſtolica exceptum, cultumque iri: tum una cum ipſo de orientali eccleſia ad gremium Romanæ adducenda conſilia ſe agitaturum.

Cantacuzenus primatum Rom. Eccleſiæ profitetur.

(b) Ib. p. 4.

*Joanni dicto Cantacuzeno ordinis S. Baſilii profeſſori gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Inter deſideria cordis noſtri illud noſcitur eſſe præcipuum, ut in commiſſo nobis apoſtolatus officio id agamus ſolertius, & agi per alios noſtræ ſolicitudinis ſtudio procuremus, quod Salvatori noſtro domino Jeſu Chriſto, cujus licet indigni vices exercemus in terris, æſtimamus acceptius, pluribus animabus ſalubribus, fidei catholicæ defenſioni validius, & expedientius tutelæ populi Chriſtiani. Et cum tantorum bonorum aſſecutionem indagine diligenti perquirimus, ea in unione Latinorum & Græcorum, quos una fides conjungit, ſed ſchiſma damnabile ſeparat, confidimus invenire: proptereaque cum ſentimus aliqualem diſpoſitionem unionis hujuſmodi, lætantes in Domino optatam viam tutiores ingredimur, cujus patentiorem aditum invenimus, ſperantes in illo, qui dixit:* Quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: *quod fructum noſtræ charitativæ inquiſitionis cum ejus gratia ſortiemur. Sane quia venerabilis frater noſter Joannes epiſcopus Tauriſienſis lator præſentium nobis expoſuit, quod in quadam diſputatione, quam nuper tu & quidam alii Græci tam prælati quam alii cum quibuſdam fratribus ordinis Prædicatorum (quos ad partes Armeniæ majoris ad conſervationem fidelium & converſionem infidelium dictarum partium mittebamus) ſuper his in quibus Græcia Latinis diſcordare noſcuntur, in civitate Conſtantinopolitana habuiſtis, non immemor verbi Salvatoris noſtri, qui dixit B. Petro, cujus ſumus divina permiſſione ſucceſſor,* Tu es cephas, *ſponte confeſſus es, te credere & tenere ſanctam Romanam eccleſiam, quæ mater eſt omnium fidelium & magiſtra, ſuper omnes orbis eccleſias obtinere primatum; & quod ad hoc defendendum, ſi expediret, morti exponeres corpus tuum. Cujus quidem epiſcopi, uti fide digni, relationi hujuſmodi nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum ſumus de dicta confeſſione lætati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo eſt dignatus infundere, ut verbum tam bonum tamque ſalutiferum eructaret.*

Gregorii ad eum literæ.

Egregia Cantacuzeni vox.

III. *Cum enim hujuſmodi primatus negatio, olim præſumpta per Græcos eoſdem diſſidii Latinorum & ipſorum Græcorum fuerit cauſativa & conſervativa ſchiſmatis ſubſecuti; tuque prout fama publica prædicat, ſis vir magnæ prudentiæ, morum gravitate conſpicuus, dono ſcientiæ redimitus, ac ex his & imperiali celſitudine, qua claruiſti conſtitutus in ſæculo, omnibus populis eorundem Græcorum venerandus imitabiliſque exiſtas; ſperamus in Deo, qui tibi*

tam

*tam ſalubris confeſſionis tanquam laudandi primordii largitus eſt gratiam, quod effectu obedientiæ & concordandi cum dictis eccleſia & Latinis in aliis, in quibus hactenus diſcordaſti, donum pretioſius largietur; nec, ſi voles, ſolus accedes ad arcam Domini, ſed innumerabiles manipulos præſentabis eidem. Ideoque prudentiam tuam inſtanter requirimus, & rogamus attentius, quatenus cum poſſis eſſe promotor præcipuus unionis præfatæ, pro ea [ ut ſit unum ovile & unus paſtor, & inconſutilis tunica Domini non ſcindatur ulterius, & non pereant animæ in ſchiſmate conſtitutæ, glorioſus ſtatus Græcorum præfatorum qui poſt ſchiſma jam dictum miſerabiliter corruit, Dei & prædictorum eccleſiæ & Latinorum opitulatione reſurgat, exaltetur fides catholica, & fidelium perfidia confundatur ] velis totis tuis niſibus laborare, ac ob reverentiam Dei ac Apoſtolicæ ſedis & noſtram tam Latinos ſpecialiter religioſos, quam Græcos habitantes in civitate præfata & dictæ ſedis magiſterio intendentes, ne lædantur in perſonis vel bonis, ſicut jam læſi dicuntur, tuis præſidiis confovere. Cæterum ſi ſuper tractanda unione præfata ad præſentiam noſtram in urbe Romana, ad quam Deo prævio ire diſpoſuimus in autumno proxime ſecuturo, accederes; id multum haberemus acceptum teque jucundis obtutibus videremus, ſperaremuſque tecum in unione præmiſſa utilem ordinem adhibere. Dat. Avin. v. kal. februarii anno v.*

Invitatur ut Romam accedat.

IV. De calogeris, qui ad orthodoxam fidem ejurato ſchiſmate ſe contulerant, exagitatis a ſchiſmaticis graviſſimæ ſunt Pontificis querelæ ad Joannem Palæologum Imperatorem (a), hæc ab ipſo Romanæ eccleſiæ filio permitti: ac ni Græcos catholicos in dignitate priſtina tueatur, fore ut pontificius ardor in parandis pro defendenda contra Turcas Conſtantinopoli auxiliis refrigeſceret: tum monuit, ut ad illius cuſtodiam diligentiſſime incumberet.

(a) Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 5.

*Gregorius &c. chariſſimo in Chriſto filio Joanni Palæologo Græcorum Imperatori illuſtri.*

Græci catholici a ſchiſmaticis vexati.

*Quia ſenſimus, quod nonnulli Græci tam clerici & religioſi, quam laici civitatis Conſtantinopolitanæ, qui relicto damnato ſchiſmate ſunt effecti catholici, & magiſterio ſanctæ Romanæ eccleſiæ volunt intendere, ſuis bonis & dignitatibus ac ſtatibus privantur, multæque moleſtiæ per alios Græcos in dicto ſchiſmate remanentes inferuntur eiſdem; de iis merito perturbamur: & per ea datur nobis materia præfatæ civitati contra impios Turcas inſidiatores & oppreſſores ipſius & tuos minime ſuccurrendi. Ideoque imperialem ſublimitatem tamquam catholicam requirimus & rogamus attentius, quatenus ſi cupis habere gratiam Dei ac noſtram, & prædictæ eccleſiæ auxilium & favorem, contra eoſdem catholicos talia fieri de cætero non permittas. Cæterum quia intelleximus, quod iidem Turcæ poſt factam per te treugam cum ipſis præfatam civitatem in non parva multitudine intrare in illaque nonnulla enormia patrare præſumunt, timemus ne tuam ſerenitatem decipientes, eamdem occupent civitatem. Ideoque tibi paterne conſulimus, quod ſuper hoc caute ſtudeas obviare. Dat. Avin. v. kal. februari anno v.*

Monitus Palæologus Imp. ut eos reprimat.

Ne Turcas Conſtantinopolim ingredi ſinat.

V. Explicuit pariter Gregorius in Emanuelem Imperatoris Palæologi filium, nondum eccleſiæ gremio aggregatum paternum amorem, quo in ipſius ac fratrum tum parentis ſalutem ac honorem incumberet; atque auxilia ingentia contra Turcas eſt pollicitus. Cum vero Græcorum & Latinorum arctiſſima conjunctio perneceſſaria eſſet, ad dandam operam ut fide æque atque armis ſociarentur, illum eſt adhortatus (b).

Emanuel collega Imperii cum patre.

(b) Ib. p. 4.

*Magnifico viro Emanueli Palæologo Imperatori Græcorum illuſtri gratiam in præſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.*

*Per ea, quæ nuper per dilectos filios certos nuntios noſtros, quos ad illuſtrem genitorem tuum tranſmiſimus, eidem genitori ſignificavimus, poteris cognoſcere evidenter, quod erga præfatum genitorem ac te alioſque natos ejus, & totum Græcorum imperium pietas & compaſſio ſanctæ Romanæ eccleſiæ diffunditur viſceroſe, unionem ipſorum Græcorum cum ipſa eccleſia cæteriſque Latinis materna ſolicitat charitate; ac deviantibus filiis conſtitutis in magno diſcrimine offert ſuæ propitiationis auxilium, ſi ad ejus gremium voluerint remeare. Propterea cum dictam unionem, eidem imperio non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam temporaliter in unum opportunam, idem genitor ac tua ſublimitas aliique nati ejus, & totum ipſum imperium ardentibus deſideriis debeant effectare, & affectum eorumdem operum exhibitione monſtrare, ut dicta pietas ſemper maneat, manens creſcat, creſcens fructificet, tuque ac idem genitor & fratres tui, cæterique Græci fructum accipiatis hujuſmodi animarum & corporum refectivum; indecens eſt & Deo diſplicitum, ſi ex parte juvandorum præbeatur rependium ingratitudinis adjuvanti; ſi pro bono malum, pro beneficio ſupplicium, pro charitate crudelitas, & pro dilectione odium iniqua retributione reddatur, &c.* De Emanuele meminit Laonicus Calchondylas (c), ac thermis Macedoniæ, Theſſalonicæ ſcilicet, imperitaſſe ait, ac Pherras e Turcarum tyrannide eripere inſidiis meditatum, at eo cognito, Amuratem furore accenſum Charatini

Ad eccleſiæ gremium repetendum ſolicitatus.

(c) Calchon. hiſt. Turc. l. 1. Franz. l. 1. c. 16.



ni duci ſtrenuiſſimo Theſſalonicam cingere obſidione, ac nonniſi Emanuele victo reverti ad regiam Turcicam juſſiſſe: cum itaque acceptis imperiis Charatines Theſſalonicam extremi exitii terrore urgeret, Emanuelem fugam ad patrem Palæologum tentaſſe; ſed Turcici belli metu abſcedere vetitum Lesbon profugiſſe, ac deinde trajeciſſe in Aſiam & Amuratis amicitiam pluribus officiis eblanditum, ac ſub eo poſtea ſtipendia ad redigendos in ſervitutem Turcicam Græcos ſtipendia emeritum. Addit idem Calchondylas de Charatine præcipuo Amuratis ſatellite: *Adjutus ab iſto viro non modica fecit, quæ tendebant ad ſubjugandum ſibi Europæ imperium: tot ſibi ſubegit gentes: tot in Europa duces ſtipendium pendentes. Præter Græcorum gentes, quæ cogebantur quæcumque terrarum duxiſſet, Amuratem militantem ſubſequi, Emanuele præ omnibus Græcis plurimum delectabatur. In Amuratis poteſtatem devenit Rex Myſiorum Drageſas Zarci filius, nec non Pogdanus, qui Rhodopen imperio tenebat. Acceſſere etiam in ditionem & alii Europæi, duces Triballorum videlicet Græcorum, & Albanorum. His omnibus imperio ſuo admotis, etiam Aſianis ducibus ſtipatus deinceps quoſlibet bello laceſſere ſtatuit.*

Emanuel fruſtra Pherras tentat.

Profugit in Aſiam.

Sub Amurate Chriſtiani in Chriſtianos ſtringunt arma.

VI. Ad liberandos ejuſmodi ſervitute Græcos Pontifex Ludovicum Ungariæ ac Poloniæ Regem ſolicitavit (a), ut Græcorum auxilio cum exercitu accurreret.

Ungariæ Rex ad ferendam Græcis opem ſolicitatus.

(a) To. 5. ep. ſecr. pag. 5.

*Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

*Significavit nobis nuper chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Imperator Græcorum illuſtris, quod licet olim, dum ipſe tecum fuit in tuo regno, a te contra impios Turcos tuæ potentiæ auxilium poſtulaverit, tuaque devota magnificentia ſibi ob reverentiam Dei & catholicæ fidei benigne reſponderit, quod ſi ipſe ad obedientiam Romanæ rediret eccleſiæ, ſibi hujuſmodi auxilium exhiberet; & poſt hæc idem Imperator ad Urbem perſonaliter acceſſerit, & ibidem obedientiam præfatam ſolemniter etiam cum proprio juramento, ſecundum quod felicis recordationis Urbanus Papa V. voluit & mandavit, promiſerit, & ex tunc a te inſtanter petierit auxilium prælibatum: illud tamen adhuc obtinere nequivit: quare cum, ſicut præfatæ ſignificatio ſubjungebat, licet idem Imperator & civitas Conſtantinopolitana treugam habeant cum Turcis eiſdem, tamen in magno ſunt periculo conſtituti; ſupplicaveritque nobis inſtanter Imperator præfatus, ut pro dicto auxilio per modum utilem, inter te & ipſum tractandum, ſibi præbendo partes noſtras apud ſerenitatem eamdem interponere dignaremur, nos de certitudine dicti periculi non ſolum pro parte præfati Imperatoris, ſed ab aliis informati, & illud accidere in maximum detrimentum Chriſtianitatis, & ſpecialiter regnorum tuorum, & etiam regni Siciliæ merito formidantes, eamdem magnificentiam excitamus & rogamus attentius, quatenus periculum præfatum pie conſiderans, etiam ſi nulla oblatio regia præceſſerit, aut facta alias impleri non debeat, tamen ob reverentiam Dei & dictæ Chriſtianitatis tutelam brachium tuæ potentiæ, qua uti debes in ſervitium Regis regum, qui illam tibi tribuit, contra eoſdem Turcos & pro defenſione præfatorum Imperatorum & civitatis extendas, ut per hoc eiſdem Imperatori & civitati ſubvenias, & ipſos Turcos longius præpeditos ad tuos fines accedere non permittas.*

Expoſitæ illi Palæologi querelæ, quod promiſſis defuerit.

Quanto diſcrimini Chriſtiana res ſit obnoxia.

Oppreſſis Græcis periclitaturos Ungaros.

*Speramus ſiquidem, fili chariſſime, quod clerus & cives jam dictæ civitatis humanitatem tuam pro ipſorum liberatione monſtratam certius comprobantes, relicto ipſorum damnato ſchiſmate, ad gremium ejuſdem eccleſiæ promptius revertentur: ſuper quo nuper ad eos quatuor noſtros nuntios duximus deſtinandos, & credimus ex gratia Dei materiam ad hoc eſſe diſpoſitam. Nam, ut fide digno relatu percepimus, in quadam diſputatione per quoſdam fratres ordinis Prædicatorum, quos ad converſionem infidelium orientis tranſmiſimus, cum prælatis, doctoribus, & calogeris Græcorum in menſe octobris proxime præterito facta in civitate prædicta, per eoſdem fratres, obtenta victoria veritatis, nonnulli ex eiſdem prælatis, doctoribus, & calogeris ad rectam fidem ſunt divina miſeratione converſi, & ad dictum gremium redierunt, nobiſque ſuper conſervando ſtatu eorum in dicto gremio humiles literas deſtinarunt. Dat. Avin. v. kal. februarii anno v.*

VII. Monentem Chriſti vicarium Ludovicus maximo rei Ungaricæ detrimento non eſt ſecutus; & licet antea Amuratis Imperatoris Turcarum victoriis, ac Raſciæ oppugnatione excitatus, ab Apoſtolica ſede ſacræ in Turcas expeditionis ducem creari poſtulaſſet, proque concione fideles propoſitis indulgentiarum præmiis ad accipiendum crucis ſymbolum impellendos curaſſet; cœptis tamen deſtiterat. Ad intermiſſam igitur expeditionem redintegrandam Ungarum Regem graviſſimis de cauſis provocavit Pontifex (b): Græcorum Imperatorem Amuratis vectigalem factum, in extremum diſcrimen adductum, illique ab Apoſtolica ſede oblata maritima auxilia: Conſtantinopolitanos, ſi congruis fulcientur auxiliis, Romanæ eccleſiæ adhæſuros ſpopondiſſe: conjungeret itaque ſuas vires ad Turcas Europa eiiciendos; ita enim terra marique coarctatos facile debellatum iri.

Ludovicus Rex in ſuſcipiendo bello Turcico remiſſus.

(b) Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 65.

*Chariſſimo in Chriſto filio Ludovico Regi Ungariæ illuſtri.*

Pontificiæ ad eum literæ.

*Meminimus, fili chariſſime, quod dudum devota magnificentia tua, defenſioni & ampliationi catholicæ fidei & impugnationi ſuorum hoſtium anhelanter aſpirans, & ſpecialiter adverſus Turcos ſævos hoſtes nominis Chriſtiani magnifice intendens procedere, literas ſuper prædicatione crucis facienda in tuis regnis a nobis per ſuos nuncios impetravit. Sed audivimus, quod adhuc (neſcimus ex quibus cauſis) dicta prædicatio non eſt facta, nec contra Turcos eoſdem tuum regalem exercitum direxiſti: credimus tamen, quod non ſine magna cauſa hoc bonum diſtuleris, & quod ad id efficiendum pro tempore tua devotio perſeveret. Et propterea notificamus magnitudini tuæ, quod dudum a pluribus fidedignis audito, quod iidem Turchi adverſus Chriſtianos, licet ſchiſmaticos, nimium prævalebant, & quod Imperator Græcorum nimis oppreſſus a Turcis eiſdem, omnique auxilio deſtituto, factus erat eis tributarius, & cum ipſis certam concordiam & colligationem inierat, quæ admodum periculoſa Chriſticolis reddebatur; nos conſiderantes, quod de infidelium concordia confidendum non erat, & quod civitas Conſtantinopolitana aſſerebatur, prout erat, nihilominus in magno perditionis periculo conſtituta, qua perdita (quod Deus avertat) omnes aliæ terræ fidelium ultramarinorum perditæ reputabantur prout reputantur; ad inquirendum de eis veritatem, & ad confortandum Imperatorem præfatum ſuoſque ſubditos, & ad offerendum eis ſubſidium gentis armigeræ & galearum, per certos fideles oblatorum pro iſto negotio; ac inſuper & principaliter ad exquirendum ab eis, ſi ad obedientiam & unitatem ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ redire volebant (quod tanquam maximum bonum plenis deſideriis affectamus) quatuor providos nuncios noſtros anno præterito duximus deſtinandos. Qui nuper reverſi ſunt, & periculum dictæ civitatis, & debilitatem potentiæ Imperatoris præfati, aliaque Chriſtianitatis pericula, exinde proventura indubie, nobis certius retulerunt: propter quæ nonnullas gentes armigeras de fratribus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, & de aliis fidelibus in bono numero, & quamplures galeas (ut præmittitur) nobis oblatas, & alias per noſtram cameram ſtipendiandas, ſi tuum & aliorum fidelium (ut ſperamus) tribuantur auxilia, quamcito fieri poterit intendimus deſtinare, & ſuper obedientia & reconciliatione Græcorum tale habemus reſponſum, quod ſi eis competens mittatur ſuccurſus, contentamur exinde.*

Palæologus Amuratis vectigalis.

VIII. *Quare pietatem & magnificentiam regiam ex parte Dei cujus fidei negotium agitur in hac parte, inſtanter requirimus & cordialiſſime deprecamur, quatenus ad conterendos ſeu expellendos Turcos, qui ſunt in Romania vel aliis partibus citra mare, utique tuo regno ſatis vicinis (ut dicitur) illum regalem exercitum, quem olim contra dictos Turcos deliberaveras mittere, vel ſaltem minorem ad beneplacitum tuum, quamcito poteris deſtinare digneris. Speramus enim in brachio virtutis Dei, quod iidem Turci (ut nobis aſſeritur ab informatis de talibus) ſic inter tuum & alterum aliorum fidelium, qui erunt ex parte maris exercitus conſtringerentur, quod ſperata victoria habebitur de eiſdem: ſuper quibus & aliis dependentibus, tuo culmini latius exponendis, dilectis filiis Bonaventuræ de Padua ordinis eremitarum S. Auguſtini magiſtro in theologia, & Heſſoni præceptori de Friburgh hoſpitalis ejuſdem Apoſtolicæ ſedis nunciis latoribus præſentium de his plenius informatis, velis fidem plenariam adhibere. Dat. Avin.* VI. *kal. novembris anno* V.

Repetitæ apud Ungarum preces de bello Turcis inferendo.

IX. Hoſpitalarii in Græciam contra Turcas juſſi trajicere.

Solicitato ita Ludovico, ut terra Amuratem aggrederetur, conſtituit Pontifex, ut quingenti equites Hoſpitalarii S. Joannis Jeroſolymitani ſuccincti totidem ſcutatis militibus, armiſque egregie inſtructi in Græciam traiicerent ad Græcos contra Turcicos impetus tutandos: qua de re encyclicis literis ad Hoſpitalarios Boemiæ, Galliæ, Navarræ, Caſtellæ, Aquitaniæ, Angliæ, Luſitaniæ datis expoſuit (*a*) miſerandum orientalium rerum ſtatum, inſulas Ægæi maris ſubactas, everſum pene Græcorum imperium, Turcarum vectigalem Conſtantinopolim factam, Bulgariam & Serviam quati, Armeniam Saracenis Turciſque cinctam. Ad reſtituendam itaque collabentem religionem illos inſtruere arma juſſit, ut appetente anni hujus ſeculi ſeptuageſimi ſeptimi vere mare traiicerent.

(*a*) *An.* 5. *ep. cur. pag.* 46.

*Gregorius, &c. Hoſpitalariis Regni Boemiæ, &c.*

*Ingentiſſima damna aliaque mala animarum & corporum, non abſque flebili memoratu fidelium recitanda, quæ evenerunt propter Chriſtianorum negligentiam, in graviſſimum diſpendium fidei Chriſtianæ commiſſam, piget & pudet recolere: ſed id cogit urgens neceſſitas, ut oſtenſis negligentiæ culpis, & infeliciſſimis eventibus ſubſecutis, ex eis ipſæ culpæ horreantur deteſtabilius, & promptioribus animis poſſibilis emendatio præbeatur. Eſt ſiquidem notiſſimum, quod olim, etiam de multorum memoria, impii Turchi perſecutores nominis Chriſtiani, non inventa reſiſtentia ſufficienti fidelium, poſt diſſipationem multarum inſularum, quæ fertiles erant & inhabitatæ per populos Chriſtianos, invaſerunt, occuparunt, & deſtruxerunt fere totum glorioſum imperium Romaniæ, & ſibi tributarium effecerunt, abductis abinde in ſervitutem miſerrimam infinitis perſonis utriuſque ſexus, quas ad terras ſuas abducere voluerunt: nuncque imperium Bulgariæ & regnum Serviæ aliaſque partes dictorum Chriſtianorum crudeliter impetere aſſeruntur. Civitas quoque glorioſa Conſtantinopolitana & ejus Imperator illuſtris adeo ſunt arctati a Turcis eiſdem, quod non ſolum eis tributarii facti ſunt, ſed fere in eorum manibus conſiſtunt, niſi ipſis per auxilium fidelium occidentalium celeriter ſuccurratur: regnumque Armeniæ minoris, utique Chriſtianum, poſitum inter Saracenos & Turcos eoſdem, jam longis temporibus auxilium fidelium occidentalium etiam minimum non præſenſit; propter quod paulatim & quaſi totaliter in manus decidit impiorum.*

Amuratis in Græcia progreſſus.



Innumera Chriſtianorum multitudo abducta in ſervitutem.

Armenia a Saracenis pene univerſa occupata.

*Præmiſſis igitur & nonnullis aliis utilibus & neceſſariis cauſis circa iſtam materiam, quæ conſultius præſentibus ſubticemus matura deliberatione digeſtis, ad laudem Dei, defenſionem & dilatationem dictæ fidei, gloriam & honorem Romanæ eccleſiæ, animarum veſtrarum ſalutem, & religionis veſtræ reformationem ac augmentum in ſpiritualibus & temporalibus, dante Domino proventurum, authoritate apoſtolica duximus ordinandum, ut quingenti fratres milites dicti hoſpitalis & totidem eorum ſcutiferi tempore veris anni nativitatis Domini milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi ad partes Romaniæ, præfatas debeant transfretare, in eiſdem partibus ad dictæ ſedis beneplacitum permanſuri, & geſturi bellum contra Turcos, prout per dilectos filios magiſtrum & conventum Rhodi dicti hoſpitalis & alios præſidentes & conſiliarios ad hoc deputandos pro tempore provide diſponetur, &c.* Præcipit, ut equitum numerum, qui ab ipſis ſubmittendus eſt, eorumque armigeros neceſſariis omnibus ad expeditionem illam obeundam inſtruant. *Dat. Avin.* VI. *id decembris anno* V. Quingenti illi equites ac totidem ſcutiferi ex variis regnis tanquam militiæ Chriſtianæ delibatus flos colligendi ab hoſpitalariis deſignati erant in ſingulis provinciis certo numero, pro quibus ſuſtentandis ſumptus conferebantur: cumque vigintiquinque ejus ordinis equites cum totidem ſcutatis militibus e Caſtella ſubmittendi forent, Henricum Regem hortatus eſt Gregorius (*a*), ut bellico apparatui inſtruendo operam daret. De quo alii etiam Reges & principes rogati videntur. Veneti præterea ac Genuenſes ſunt excitati (*b*), ut claſſes ornarent in Turcas: ac Thomas Gradenſis patriarcha & Andreas archiepiſcopus Genuenſis in hanc rem incumbere juſſi. Tum Joanna Regina Siciliæ, quæ vires ad Syriam recuperandam explicare affectabat, impulſa (*c*) ut primum eas ad reprimendos Turcas & Conſtantinopolim defendendam converteret: ita enim conficiendæ ex univerſis regnis crucesignatæ expeditioni pro terra ſancta liberanda viam ſtructum iri. Reſtituendæ in Syria Chriſtianæ fidei Joanna Regina Siciliæ verſabat conſilia, cum a viris piis, qui ex oriente redierant, ſacro ſtudio eſſet accenſa: retulerant enim ii (*d*) ad commovenda in impios occidentis arma, Saracenos plures ad fidem amplectendam comparatos, egregiamque ad alios opprimendos occaſionem affulſiſſe.

Indicta ad annum 1377. expeditio.

(*a*) *Ibid. p.* 80.

Rogati Veneti & Genuenſes, ut Græcis opem ferant.

(*b*) *Eod. to.* 5. *ep. ſecr. p.* 67.

(*c*) *Pag.* 65.

(*d*) *Pag.* 23. & 25.

X. Spargebantur tum rumores inter Saracenos Syros & Afros ſuperſtitionem Mahumeticam a Chriſtianis exciſum iri: Joanneſque de Caſtello, Nicolaus Malavena, Corſeletus de Hamcuria, Joannes Pelizon, aliique exiſtimatione & probitate inſignes viri ad ſedem Apoſtolicam acceſſere, ut Gregorium de barbarorum conſternatione certiores facerent: ſtructam videlicet inſtaurandis rebus Syriacis egregiam viam, ac facile de trepidis, qui nondum viſo hoſte victos ſe putarent, triumphum reportatum iri. Diſcuſſis iis Gregorius, licet vaticiniis infidelium leviter fidem adhibendam non putaret, quia tamen divino miraculo interdum impiis hominibus vaticinari datum eſt, ſpernenda hæc omnino non putavit: & Carolum (*e*) Francorum, Eduardum (*f*) Anglorum Reges, Philippum (*g*) ducem Burgundiæ, Joannem ducem Lanclaſtriæ (*h*) ad bellum ſacrum tentavit accendere, authorque fuit (*i*), ut Saracenorum trepidationem explorandam curarent.

Propoſita occaſio egregia.

(*e*) *Ib. p.* 33. (*f*) *Ib. p.* 34. (*g*) *Ib.* (*h*) *Pag.* 35. (*i*) *Pag.* 31. (*k*) *Ib. p.* 24.

De his etiam Pontifex Bertrandum e Cliquino magiſtrum equitum in Francorum regno bellica gloria hoc tempore florentiſſimum certiorem fecit (*k*), cum ſæpius audiſſet, ipſum pio deſiderio contra Mahumetanos exercendæ religioſæ militiæ æſtuare. Negligentibus vero Regibus pontificias adhortationes, plures viri nobiles propagandæ Chriſti fidei deſiderio accenſi ſedi Apoſtolicæ expoſuere, ſe ſuaque pro orientali expeditione conficienda collocaturos; tantumque catholicorum numerum eodem pio ſtudio inflammatum, ut florentiſſimus colligi exercitus, ac militantium ipſorum opibus aut piorum eleemoſynis ſuſtentari poſſet. At Gregorius, ut neceſſariam in ea re conſilii maturitatem in bello ſacro indicendo adhiberet, Joanni Baliolo & Jacobo Mortarolo viris prænobilibus Cameracenſis & Morinenſis diœceſeon auctoritatem contulit, ut Chriſtianorum regna ac provincias obirent, & coram epiſcopis ac præſulibus aliis in publicos commentarios eorum nomina, qui bello ſacro nomen daturi eſſent, tum facultates huic expeditioni addicendas referrent, ut his omnibus exploratis ſedes Apoſtolica optimum conſilium expedire poſſet. De quo encyclicæ literæ ad patriarchas, archiepiſco-

Plures proceres ad ſacrum bellum comparatos ſe oſtendunt.

Inquiſitum de copiarum numero & ſumptibus qui comparari poſſunt.

pos, & epiſcopos, univerſoſque fideles datæ ſunt (a).

(a) *An. 5. ep. cur. p. 28.*

XI.

Pontificis ad ea extinguenda ſtudia.

Cum vero ad ingentia ea conſilia mandanda operi Francorum Anglorumque concordia neceſſaria eſſet, Carolum & Eduardum graviſſimis ineunte anno literis ad pacem conficiendam ſolicitarat (b), cum oratorum regiorum conventus ea de cauſa indixiſſent: atque diſerte expoſuit, quanti ad æternam ſalutem aſſequendam pacem reſtituere feſſis populis momenti foret: quot & quanta mala bello veherentur, divinus cultus exoleſceret, atque omnium ſcelerum, quæ committantur, reum futurum, cujus culpa bellum geratur: reliquum orbem Chriſtianum ob ipſorum diſcordias fluctuare: augeri barbarorum potentiam, atque univerſum orientem periclitari: milites quos ipſi in mutuas cædes committerent, libentiſſime, uti acceperat, in religionis hoſtes ferrum converſuros.

(b) *To. 5. ep. ſecr. pag. 7.*

*Gregorius, &c. Carolo Regi Franciæ illuſtri.*

*Conſidera quod ultra mala, quæ in tuis & hoſtium tuorum patrantur dominiis, ex dicto diſſidio vicina ſunt regna colliſa, & tota fere Chriſtianitas prægrande patitur detrimentum; quodque Romana eccleſia mater tua & cunctorum fidelium, quæ per tuos inclytos prædeceſſores a ſuis ſolebat urgentibus oppreſſionibus liberari, tuo & eorum deſtituta præſidio paſſa eſt hactenus ex perſecutione tyrannica gravia damna, opprobria graviora, moleſtias importabiles, & atroces injurias in verecundiam catholicorum principum & totius populi Chriſtiani; & quod adhuc, ut ſecura conſiſtat, aliter non adjuta pro ſui liberatione ac tutela a perſecutione præfata propriis conatibus importabiliter cogitur laborare. Hoſtes quoque Chriſtianæ fidei ſentientes ejus pugiles invicem diſſidere, & bello dominico vacare non poſſe, ſua contra Chriſticolas ſæpius ſolito cornua erexerunt, obtinuerunt victorias, occuparunt terras ampliſſimas, profanarunt eccleſias, & renatos fonte baptiſmatis magnos & parvos aut trucidarunt gladio, aut ſubmiſerunt jugo miſerabiliſſimæ ſervitutis; & hæc patrare crudelius aſſiduis niſibus non deſiſtunt: eorumque præſumptuoſa rabies adeo invaleſcit, quod ſi celeriter non reſiſtatur eiſdem, non ſolum ſpes recuperationis terræ Sanctæ, pro qua Chriſtianiſſimi prædeceſſores tui præ cæteris mundi principibus laborarunt, ſubtrahitur; ſed timetur probabiliter de perditione omnium terrarum fidelium partium orientis.*

Propoſitæ Gallo eccleſiæ clades.

Et orientis pericula.

*Quare devotam ſublimitatem tuam, quæ libenter operibus pietatis intendit, obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quatenus provide attendens, quod ſubjectorum amor eſt inexpugnabile munimentum, cum populi pacem deſiderent, ut ipſi te tuoſque natos amplius diligant, ſi eam concedas eiſdem & ab eis & aliis digne vocari valeas princeps pacis: ob Dei reverentiam & miſerationem tui populi, ex aſſiduis guerrarum turbinibus agitati, ac compaſſione pereuntium partium ultramarinarum (ad quarum ſuccurſum, ut ſæpius a fidedignis audivimus, nonnullæ gentes armigeræ dictas guerras ſectantes, & pugnare pro Chriſto ſaniori conſilio cupientes, in caſu ejuſdem pacis ſe libenter pro ſuorum commiſſorum ſatisfactione transferrent) de modicis mundanis, ne impediant tantum bonum, regia liberalitate non curans, & eis cæleſtia præferens, quam feliciori commercio conſequeris, ut tantorum malorum ſis profugator mirificus, actorque bonorum tractatum dictæ pacis (dante Domino) perpetua ſtabilitate manſuræ, quantum in te fuerit, perficere non omittas; nos enim nuntiis noſtris, exiſtentibus cum tractatoribus prælibatis, ſcripta noſtra dirigimus, ut ipſos ad hoc pro parte noſtra inſtantius exhortentur. Dat. Avin. v. id. februarii anno v.* Hæc fuere ſtudia apoſtolica pro redintegranda Anglos inter & Gallos concordia, ut orienti conſuleret.

Comparatos exercitus ad vertenda in barbaros arma.

XII.

Nec minore ſolicitudine incubuit Gregorius, ut concuſſæ bello Genuenſi Cypro ſubveniret: ad temperandas enim acerbiores pactiones, quas Cyprius Rex a victoribus acceperat, ac reſtituendam Cypro pacem Petrum Aragoniæ ſtirpis principem Minoritam (c) eumdemque Regis Cypri maternum avum, tum Petrum Aragonum & Carolum Francorum Reges adhibuit (d), quorum poſtremo miſerum regni ſtatum ita exponit: *In quanto diſcrimine regnum Cypri, quod eſt caput Chriſtianitatis in partibus orientis, ſit poſitum celſitudinem tuam credimus non latere: ideoque circa ipſius regni miſerabilem ſtatum narrandum præſentibus ſuperfluum reputamus.* Cæterum Genuenſes illata Cypro mala nonnullis funeſtis naufragiis (e) hoc anno & ſequenti luerunt. Inteſtinis etiam diſcordiis laborarunt, conjurationis principe in Dominicum e Campofregoſo epiſcopo Vercellenſi (f), ad quem revocandum a cœptis quæ ab illius dignitate abhorrebant, Gregorius, Nicolaum Fliſcum Lavaniæ comitem incumbere juſſit (g). Verum dum in componendis Chriſtianorum principum & populorum diſſidiis laborabat Chriſti vicarius, in eum humani generis hoſtis Florentinos concitavit.

Cyprus in diſcrimen adducta.

(c) *Ibid. p. 78.*

(d) *Pag. 77.*

Genuenſes domeſticis funeribus afflicti.

(e) *Foliet. l. 8. hiſt. Gen.*

(f) *To. 5. ep. ſecr. pag. 55.*

(g) *Ead. pag.*

XIII.

Florentini iras in Gregorium concipiunt.

Adeptus is populus Pontificum Romanorum auſpiciis libertatem, continuiſque eorum ſtudiis provectus, ut ſuis locis retulimus, cum jam dominatum latius in Etruriam protuliſſet, ad ditionem Eccleſiaſticam invadendam, capta ex Pontificum Gallorum abſentia occaſione, aſpirare cœpit, ac vanos colores obtendere, ut ſcelus tegeret. Sparſerant illi jam ante inter ſe rumores in Gregorium Etruriæ do-



minatum ab eo affectari: quam ſuſpicionem deterſiſſe Pontificem graviſſimis argumentis ſuperius vidimus; iterumque non ambiguis verbis, ſed clariſſimis operibus confutavit: beneficia ab Romana eccleſia in ipſos collata objecit (a) nulla vero ab iis auxilia adverſus Bernabonem Bononienſem agrum evaſtantem elici potuiſſe; denique exaſperatos ipſorum animos mulcere pluribus verborum officiis eſt conatus.

(a) *Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 22.*

*Gregorius, &c. dilectis filiis prioribus artium & vexillifero juſtitiæ, populo, ac communi civitatis Florentinæ.*

Gregorii apologia.

*Duas literas veſtras excuſatorias de quibuſdam ſiniſtris, quæ nobis fuerant de veſtra diſcretione relata, ſolita benignitate recepimus, & ſicut pater optans audire innocentiam filiorum ipſarum literarum tenores ſano ſuſcepimus intellectu. Verum ne turbationem noſtram ſine cauſa aut ſubitam exiſtimetis, ad memoriam veſtram reducimus per præſentes, quod jam longum eſt tempus elapſum [videlicet poſtquam vos de auxilio aut vigore colligationis, quam habebatis cum Romana eccleſia, aut gratuito aut mutuo impendendo eidem eccleſiæ contra ſuos & veſtros hoſtes, qui ſtatum veſtrum & Tuſciæ interdum tractatibus, & interdum manifeſtis aggreſſibus contra pacta vobiſcum & cum aliis Tuſcis inita, infidelibus moribus perturbarunt, tam per literas, quam per nuntios noſtros, ſæpius ut colligatos & filios requiſivimus confidenter; etiam cum iidem hoſtes in noſtro Bononienſi territorio cædibus, rapinis, & incendiis hoſtiliter inſiſtebant] nonnulli ex vobis, ut ſæpius & a pluribus fuit aſſertum, fictas ſuſpiciones, omnimoda veritate carentes, aſſeruerunt habere: dictamque eccleſiam matrem veſtram reliquiſtis in gravi bellorum diſcrimine inadjutam, & per hoc indirecte aliorum Tuſcorum auxilium ſubtraxiſtis. Non tamen ſic egit erga vos dicta eccleſia, quæ non obſtantibus ſuis guerris, quas pro magna parte reliquit, vobis contra hoſtes eoſdem veſtris appropinquantes confinibus, quantum potuit, magnificum gentium armigerarum auxilium deſtinavit, voſque cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto cum multa affectione & ſolicitudine concordavit, & pro veſtris bono ſtatu & libertate feciſſet & faceret quidquid honeſte valeret. Nuper vero de Tuſciæ ac Lombardiæ, etiam Mediolani & aliis partibus noſtro apoſtolatui eſt a diverſis fidelibus reſeratum, quod vos, ſeu [ut agatur occultius] aliquæ ſingulares perſonæ veſtrum, tractatum habebatis cum hoſtibus prælibatis: quod tamen vix credere potuimus, cum tam execrabilis exceſſus denigraret indelebiliter famam veſtram, & vos a veſtra devotione antiqua ſine juſta cauſa degeneraſſe probaret, ac effectos eſſe filios alienos.* Et infra.

Propoſita vetera beneficia.

Ut eccleſiæ opera Carolo IV. conciliati ſint.



XIV.

*Nos enim credimus, prout ſæpe audivimus, quod populus veſtræ civitatis ſit devotus & purus erga eccleſiam prælibatam: & propterea iniquius agunt quidam, qui devotionem illius depravare perverſis ſuggeſtionibus moliuntur. Dicitur enim, quod quidam ex vobis palam & ſæpius, ſed temere & minus vere, protulerunt in populo, quod dicta eccleſia volebat terras Tuſciæ occupare: cum hoc veritate careat, & tales ex his liquide reprobentur, videlicet quod præfatus Imperator civitatem Lucanam & ejus diſtrictum, dum eos poſſidebat, dediſſet dictæ eccleſiæ, ſi eos ipſa eccleſia recipere voluiſſet: & illis, quibus caſtrum Burgi ſancti ſepulchri ac Citonii & Ciſternæ donaverat, conceſſerit quod ea eccleſiæ Romanæ poſſent vendere, ſi illa dicta eccleſia emere vellet; ſed eadem eccleſia de iis ſe intromittere noluit quoquo modo, nec caſtra imperii, quæ Peruſini tenebant, voluit retinere: cum enim quis ab amore antiquo ſejungitur, facile labitur in activa & paſſiva ſimultates & odia, ex quibus ſæpiſſime mala graviſſima ſubſequuntur.*

Objectæ calumniæ dilutæ.

Lucam & alias arces non admiſſas a Greg.

*Cæterum cum necdum communitates civitatum Italiæ, ſed potentes ac remoti principes Chriſtiani amorem & favorem dictæ ſedis deſiderent, & ex eis ſpiritualia & temporalia commoda ſubſequantur; vos ex devotione antiqua veſtra, & quia viciniores eſtis terris dictæ eccleſiæ, illos debetis, ſi judicio recto ducamini, ardentius affectare, & inde vos non elongare, quo appropinquare debetis: quia ſi perſpicaciter advertatis, nullius dilectio vobis poteſt eſſe fidelior, nec potentia tutior, aut juvamen efficacius, quam eccleſiæ memoratæ, quæ nedum jactis & ſumptibus, ſed ſolis verbis & favoribus poteſt per divinam gratiam vos ab adverſis multiplicibus præſervare, & veſtra commoda promovere. Dat. Avin. id. aprilis anno v.* Perſpicuis hiſce, aliiſque argumentis, quibus conſtabat Etruriam ab eccleſia non affectatam, victi Florentini præ ſe tulere, omnem illam ſiniſtram ſuſpicionem excuſſam, ſeque in eccleſiæ priſtinis ſtudiis perſtituros: qua ſignificatione amoris recreatus Gregorius, patrocinium apoſtolicum eſt ipſis pollicitus (b).

Nullius amicitiam pontificiæ anteferendam.

(b) *Ibid. p. 183.*

XV.

Florentinorum crudelitas in monachum.

At qui eccleſiæ conciliati, & majorum veſtigiis ſe inſtitutos erant profeſſi, mox abjecta illa amoris & obſervantiæ larva, apertas inimicitias cum eccleſia ipſa exercuerunt: ditionem pontificiam everſuros ſe comminati ſunt: tyrannidem exercuerunt in viros eccleſiaſticos; ac Neroniana crudelitate religioſum virum terræ vivum infodere. Cum vero inſano furori nonnullas querelas vel a veritate vel ab æquitate abhorrentes obtenderent, Pontifex eas refregit, ipſoſque ad priſtinam obſervantiam revocare ſtuduit (c).

(c) *Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 46.*

*Gregorius, &c. dilectis filiis prioribus artium & vexillifero juſtitiæ & communi civitati Florentinæ.*

*Cum non modica mentis diſplicentia & indignatione percepimus, quod univerſitas veſtra falſis ſuggeſtionibus concitata contra nos & dilectum filium noſtrum Guillelmum S. Angeli diaconum Cardinalem, in nonnullis terris Romanæ eccleſiæ pro nobis & eccleſia ipſa in temporalibus vicarium generalem, in querelas & verba contumelioſa prorumpit, Deum [cujus vices in terris gerimus] præfatamque eccleſiam [cui, licet immeriti, præſidemus] ipſamque incorruptam veritatem lædere non verentes.* Et infra: *Non dedignamur domini Dei noſtri præcepta ſequi, qui ait:* Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde; *& ob hoc ad retrahendum vos a præcipitio & ruina, ad quæ videmini currere, & ut ſimus Deo & mundo excuſati, ſi evenire contingat, id quod veſtris exceſſibus exigentibus formidamus, hanc viam mitem & benevolam ſcribendi vobis duximus eligendam: his etiam volentes adjungere, quod de querelis, quas contra nos & dictum Guillelmum Cardinalem facitis, ut dicitur, non verecundaremur nos ſubjicere veritati & etiam rationi, qui de nobis ipſis, ſi peteretur, juſtitiam faceremus.*

Cur illi a Pontifice abalienati.

*Quæ enim ſunt, quæſivimus, tantæ querelæ, tantique veſtri furoris cauſæ? Reſpondetur nobis a multis, quia treugua nomine noſtro & dictæ eccleſiæ firmata fuit cum nobilibus viris Bernabone & Galeas de Vicecomitibus de Mediolano, ex qua a gentibus armigeris, quæ prius erant ad noſtra ſtipendia, vobis magna diſpendia ſecuta ſunt. Sed, ut cauſas ad id nos urgentes omittamus, quærimus: Quid ad vos de pace vel treugua, cum de guerra noſtra nunquam aliquid cogitare, nec in hoc etiam pacta ligæ, qua nobiſcum eratis aſtricti, volueritis obſervare?*

Cur Bernabos expetierit inducias.

XVI. Qui populi ab eo defecerint.

Quod ad pactas cum Bernabone & Galeatio Vicecomitibus inducias ſpectat; illas ii exambivere non ut ſervarent, ſed cum jam in ruinam impulſi (*a*), & populi ad excutiendum eorum jugum comparati eſſent, eorum exemplo, qui eccleſiæ imperiis ſe ſubmiſerant, rerum ſuarum inſtaurandarum occaſionem captarent. Pontifex vero, licet plura bello peperiſſet, Vercellenſes (*b*) enim, Clavennenſes (*c*), Placentini (*d*) Papienſes (*e*), & alii (*f*) pontificium jugum acceperant; ex quibus Papienſes Gregorium monuere, ne cum hoſte fracto inducias faceret, facile enim tum ſub ejus tyrannidem ipſos recaſuros; exhauſto tamen ærario, belloque feſſus interpretibus concordiæ Othone & Stephano Bavariæ ducibus (*g*) aſſenſit iis legibus, ut qui ad partes eccleſiæ transfugerant, ſub ejus clientela perſtarent (*b*), ac Vicecomites ab eccleſiaſticis dignitatibus & ſacerdotiis conferendis temperarent (*i*). Edicta vero apoſtolica in eos lata viribus carerent (*k*). Percuſſis (*l*) iis induciis Bononiæ (*m*) a Guillelmo Cardinale S. Angeli legato, mox Galeatius, ut jam antea Pontifici prænuntiatum vidimus, ad Placentinos & Papienſes ſibi ſubjiciendos nonullas arces contiguas proditione occcupavit: qui ſtatim monitus eſt a Pontifice (*n*) ut fidem induciarum coleret hac etiam de cauſa: *Si contra dictam treuguam juratam venires vel faceres, nullus in antea de te confidere poſſet, nec fidem tuis promiſſionibus adhibere.* Viciſſimque Guillelmus Cardinalis juſſus eſt (*o*) ea emendare, quæ a pontificiis copiis adverſus inducias geſta eſſent. Ne vero dimiſſæ e caſtris vagæ copiæ in fœderatos prædas acturæ incurrerent, Aretinos, Piſanos, Senenſes, Lucanos, ac Florentinos admonuit (*p*), ut ad illas repellendas, agroſque defendendos ſe compararent. Pergit refellere alias de Guillelmo querelas Gregorius.

(*a*) *Eod. to.5. ep. ſecr. p.* 26.
(*b*) *An.* 5. *ep. cur. p.* 1. 20. 27. 28. 29.
(*c*) *To.* 5. *ep. ſecr. pag.* 3.
(*d*) *Ib. p.* 26.
(*e*) *Ibid.*
(*f*) *Ead. pag.*
(*g*) *Pag.* 18.
(*b*) *Super. p.*26.

(*i*) *Super. p.* 18.
(*k*) *An.*5. *ep. cur. p.* 66.

Quæ pactiones cum Bernabone initæ.

(*l*) *To.* 5. *ep. ſecr. p.*52.
(*m*) *Pag.* 232.
(*n*) *Pag.* 138.
(*o*) *Ib. p.* 76.
(*p*) *Pag.* 183. 184.

Florentini quibus ſtimulis acti in Pont.

*Quid autem culpæ Guillelmo Cardinali præfato aſcribitis, ſi paſſus eſt, quod etiam denegare non poterat, quod gentes ipſæ potius in territoria aliena diſcurrerent, quam noſtras & eccleſiæ præfatæ terras premerent & conſumerent, prout etiam ipſæ & aliæ exiſtentes ad ſtipendia dictæ eccleſiæ tanquam effrænes & inobedientes ſæpius & notorie feciſſe noſcuntur? Nonne & ſimilia pluries vos feciſtis? Recenſeatis veritatem vos ipſi in cordibus veſtris, nec ita in falſis opinionibus veſtri oculi perſtringantur, ut audire & intelligere quid ſit veritas non velitis. Non enim longa nimis effluxerunt tempora, ut uno contenti ſimus exemplo, quod comes Lucius a veſtris ſtipendiis recedens, etiam per vos [bene credimus tamen, quod non ex propoſito offendendi] ſibi data pecunia, terras noſtras & præfatæ eccleſiæ invaſit: quod perfeciſſet, niſi per gentes dictæ eccleſiæ data ſibi certa pecunia cum eo & ſuis gentibus facta concordia extitiſſet. Id ſimiliter, non eſt diu, fecerunt aliæ gentes veſtræ a veſtris ſtipendiis recedentes, cum civitatem Lucanam vobis vicinam, & vobiſcum in benevolentia & pace manentem, & ejus territorium invaſerunt: & vos excuſaſſe dicimini, quod eas, licet non multæ forent, retinere ſeu prohibere minime poteratis. Sed male & peſſime faciunt veſtri rectores, qui habent veſtram rempublicam gubernare, cum eorum defectus & culpas reflectunt in innocentias aliorum. Nonne jam ſunt tempora multa, & præſertim ab anno, circa quem nos ambaxiatoribus veſtræ civitatis aliiſque civibus veſtris multiplicatis vicibus dici fecimus, quod oportebat nos ad hujuſmodi treugam vel pacem venire, niſi in proſecutione guerræ juvaremur a vobis? Nonne per literas noſtras vos requiſivimus, ſicut & alios colligatos,*

Juſtos non fuiſſe oſtendit Gregorius.



Conſultos ipſos de pace cum Bernabone fuiſſe.

*quod nuntios veſtros ad audiendum tractatus, qui fieri debebant circa pacem vel treuguam hujuſmodi, & circa id dicendum quod eis videretur, cum ſufficienti mandato ad Romanam curiam mitteretis, & vos ambaxiatoribus veſtris, qui hic erant & ſunt adhuc, quod audirent & vobis referrent, quæ eis dicerentur, tantummodo commiſiſtis? Nonne ante oculos eorum & veſtros pericula, quæ evenerunt vobis prædicta & oſtenſa fuerunt? Nonne quod provideretur quid eſſet faciendum de gentibus armigeris propter treuguam vel pacem caſſandis ambaxiatores ipſi & vos requiſiti pluries extitiſtis? An erat tractatus iſte occultus? Immo per plura tempora deductus omnibus notus erat: & tamen iidem rectores & gubernatores veſtri debito tempore aliquid remedii apponere noluerunt. In ultimo autem cum res ipſa jam erat in fine ſuo, ipſoque effectu firmandæ treuguæ, nec ſine magno periculo noſtro & terrarum noſtrarum retardari poterat, tunc de remedio tenuiter cogitabant.* Et infra.

XVII. Pontificia ad pacem adhortatio.

*Inſurgunt modo aliæ querelæ graviores, nec ceſſabunt, ut dubitamus, donec falſa ſeminantium ſcandala ceſſent aut confundatur iniquitas. O miſeræ & infelices animæ, quæ tantorum malorum & ſcandalorum quæ exoriri dubitamus, cauſa ſunt! Deum teſtamur & homines, quod in hoc culpa noſtra non eſt: quodque nos inviti & coacti veniemus, exigente juſtitia & neceſſitate cogente, ſi a veſtris perverſis conatibus non deſiſtatis, ſi veſtros cum ſatisfactione debita non corrigatis errores, ad illa remedia, a quibus poſtquam incœpta eßent, deſiſtere non poſſemus. Ideoque, filii, vos monemus & exhortamur in Domino, quatenus omni perturbatione repoſita reducentes vos ad Deum, & examinantes bene conſcientias veſtras, & illas cum veritatis examine ſerenantes, deponenteſque omnem ſuperbiam & elationem, a veſtris malis cogitationibus & perverſis conatibus & erroribus deſiſtatis, & atrocia delicta, quæ commiſiſtis in Deum & eccleſiam ſuam tam enormiter, tamque in exempli perniciem, emendare & corrigere cum ſatisfactione debita ſtudeatis, voſque ad antiquam viam devotionis & rectitudinis reducatis; conſiderantes provide pericula & mala, quæ vobis poſſent contingere, ſi in veſtris erroribus perſiſtatis: nos enim pietatis paternæ & dilectionis antiquæ habitum retinentes, ſi veſtros errores & exceſſus velitis cum debita emendatione corrigere, parati ſumus erga vos apoſtolicæ benignitatis munificentiam & gratiam exhibere. Dat. apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis* VI. *id. aug. anno* V.

Clientes eccleſiæ ad defectionem ſolicitati a Florentinis.

Deliniti juſtiſſimis hiſce rationibus non ſunt Florentini; ſed meditatum ſcelus ad exitum perducere aggreſſi, pluribus ſuſurris clientes eccleſiæ ſubornarunt, atque ad rebellionem impulere; jactabant (*a*) enim Pontifices Gallos, traducto in Gallias pontificatu, præfectos exteros populorum cervicibus imponere, quorum ſuperbia intoleranda eſſet: extructas in ſingulis pene urbibus arces ad libertatis ſpem omnem extinguendam. Conſurgerent igitur ad tutandam libertatem, cujus ipſi non tuendæ modo, ſed etiam aliis comparandæ acerrimi forent vindices. Signa itaque militaria, in quibus majoribus characteribus libertatis ſpecioſum nomen erat exaratum conflarunt, ac vim verbis addidere. De quorum conatibus plura vitæ Gregorii author narrat (*b*), ipſeque Gregorius hiſce verbis conqueritur (*c*): *Florentini, ultra diverſos exceſſus ſacrilegos, in illud ſacrilegium noviter ſunt prolapſi, ut per gentes eas armigeras, ſeu cum eorum aſſiſtentia & favore dilectum filium noſtrum Geraldum S. R. E. Cardinalem, in civitate Peruſina & nonnuliis aliis terris ejuſdem eccleſiæ noſtrum & pro ipſa eccleſia in temporalibus vicarium generalem, & quoſdam epiſcopos & prælatos, alioſque officiales & gentes dictæ eccleſiæ in civitella dictæ civitatis Peruſinæ faciant hoſtiliter obſideri.* Florentinos etiam pellicere ad defectionem Æmilios & Picenos pertentaſſe, apud Franciſcum Carrariam expoſtulavit Gregorius (*d*): *Circumeunt*, inquit, *quærentes aſſidue, quod ſubjectos ipſius eccleſiæ ſua calliditate damnabili, quam populi libertatem appellant, faciant deviare; prout in provincia B. Petri in Tuſcia plurimos jam fecerunt; quod non ſine gravi cordis amaritudine recenſemus, timentes permaxime, ne ſimplices aures fidelium populorum Bononiæ, Romandiolæ, & Marchiæ ſuis tentent inficere flatibus venenoſis, &c. Dat. Avin.* VIII. *kal. februarii anno* V.

(*a*) *Leonard. Aretin. in Flor. hiſt. l.*8. *Ant. tit.*22. *c.*9. §.1.
(*b*) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*
(*c*) *To.*5. *ep. ſecr. p.* 79.
(*d*) *Ib. p.* 97.

Æmilios & Picenos ſubornare nituntur.

XVIII. Thomaſuccius tertiarius prophetiæ dono clarus.

Quo tempore Florentini in Picenum copias ſubmittebant, Fulginates ex earum adventu in ſeditionem verſos pontificium præfectum Trincium nomine trucidaſſe, refert S. Antoninus atque hæc miranda addit (*e*): *In illo tempore in dicta civitate quidam ſanctæ converſationis nomine Thomaſuccius habitum gerens tertii ordinis B. Franciſci, vir utique magnæ abſtinentiæ ac mundi & ſui contemptor, qui claruit ſpiritu prophetiæ; is, inquam, inter cætera pronuntiavit tempus mortis ejus: nam cum ille dominus Trincia ſemel interogaſſet de tempore vitæ ſuæ, ſive curioſitate ductus ſeu deriſione, cum communiter diceretur ſpiritu prophetico futura prædicere, reſpondet ille: Tantum vives, quantum illæſa permanebit campana communitatis. Quod ita evenit, nam conjurati in mortem illius domini, cum ſignum dediſſent ad rumorem ſuſcitandum pulſatione illius campanæ in principio pulſationis ejus, fracta eſt, & ille dominus tunc occiſus.*

(*e*) *Ant.*3. *p. tit.*21. *c.*1. §. 6.

*ſus. Fertur etiam de illo, quod ille dominus iratus contra eum, quia arguebat eum de exceſſibus ſuis, aliquando decrevit eum in ignem jactare: qua de re pro illo miſit. At ille in ſpiritu prænoſcens, quid contra eum tentaret, acceſſit Thomaſuccius furnariam vicinam, & ab ea petiit, ut prunas ardentes ex furno poneret in chlamyde ejus: quo facto ad multam inſtantiam ejus, prunas illas chlamyde ſua clauſas detulit coram illo domino, projiciens eas ante ipſam in terram, illæſa omnino chlamyde ipſa, quaſi diceret: Ecce ignis, ſi me vis comburere. Dominus autem exterritus tanto prodigio reveritus eſt eum. Idem etiam prophetiam in ſcriptis dimiſit in rhythmis vulgaribus, in qua ſatis aperte prophetavit excidia plurimarum civitatum Italiæ: quæ omnia reperiuntur impleta diverſis temporibes. Multa de eo audivi ab iis, qui viderunt eum, & converſationem ejus noverunt.* Hæc S. Antoninus. Nunc ad Siculas res digredimur. [1]

Ardentes prunas ſine noxa in veſte geſtat.

XIX. De rebus Trinacriæ.

Perfecto fœdere inter Fridericum Trinacriæ Regem ac Joannam Reginam Siciliæ; Gregorius Joanni epiſcopo Sarlatenſi Apoſtolicæ ſedis internuntio provinciam dedit (a), ut Fridericum ſacramento in Pontificis verba adactum ſolemni ritu regio diademate inſigniret: qua de re etiam Fridericum ipſum his literis certiorem fecit (b).

(a) Ib. p. 117.

(b) Pag. 116.

*Chariſſimo in Chriſto filio Frederico Regi Trinacriæ illuſtri.*

*Eximiæ tuæ devotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam eccleſiam gerere comprobaris, merito nos inducit, ut perſonam tuam nobis peramabilem in his, quæ tui honoris incrementa conſpiciunt, favore ſpecialis gratiæ proſequamur. Sane nuper venerabilis frater noſter Martialis epiſcopus Catanenſis nuntius tuus, ad nos pro parte magnificentiæ tuæ deſtinatus, in noſtra & venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium præſentia in conſiſtorio nomine tuo ſupplicavit, ut cum tu in Regem Trinacriæ de ſpeciali mandato noſtro approbatus exiiteris, tibi diadema imponi regium, & ſancte ſolito more inungi de benignitate apoſtolica mandaremus. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, venerabili fratri noſtro Joanni epiſcopo Sarlatenſi Apoſtolicæ ſedis nuncio, viro utique laudandæ virtutis, ſcientia & innata prudentia prædito, ac tui honoris regii ſincero zelatori per noſtras literas committimus ac etiam damus in mandatis ut poſtquam tu ea, quæ continentur in capitulis [ quæ in cedula papyrea ſibi mittimus noſtris clauſis literis interclusa ] feceris, & homagium ligium, ac fidelitatem eidem epiſcopo, noſtro & eccleſiæ Romanæ nomine recipienti, præſtiteris juxta formam in dicta cedula contentam, & de omnibus tuas patentes literas aurea bulla tua impreſſa typario communitas conceſſeris, in nomine ac virtute Altiſſimi, ut eſt moris, inungat & tibi coronam regiam tribuat cum ſolemnibus conſuetis.*

Fridericus Rex diademate regio redimiri flagitat.

Aſſenſum illius votis, modo ſacramentum fidei præſcriptum nuncuparet.

XX. *Ut igitur ſignum non diſcrepet a ſignato, ſed quod geris exterius, interius ſerves in mente, ſerenitatem regiam nobis charam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus ea, quæ in dictis continentur capitulis facias, ac hujuſmodi homagium ligium, & fidelitatem præſtes, ut præfertur, & ſuper omnibus literas regias, ut præmiſſum eſt, concedas: ac humilitatem & juſtitiam, dante Domino, qui dat præmia, & munera elargitur, quæ ſuum ſervant & promovent ſervatorem, prout plene confidimus, debite conſervans, omnium Conditori per virtuoſæ vitæ ſtudium, & ſanctæ ipſius eccleſiæ per ſinceræ devotionis augmentum jugiter placere ſtudeas atque velis: venerabilem ſiquidem fratrem noſtrum Henricum epiſcopum Melfitanum ad te & partes illas deſtinamus, qui eandem ſinceritatem tuam latius de præmiſſis informabit. Dat. Avin. III. kal. aprilis anno v.* Fluctuabat inteſtinis externiſque bellis Aragonia, ac navata a Gregorio eſt opera (c), ut Sardici regni diſſidia cum Mariano Arboreæ regulo componerentur, tum ut concordia (d) Petrum Aragonum inter & Henricum Caſtellæ Reges ſanciretur, quæ demum pridie idus aprilis, compoſita eſt (e). Ad illam adductus eſt eo facilius Henricus Caſtellæ Rex, quo ad pietatem ob ſuperiores bellorum motus in Caſtella collapſam priſtino reſtituendam ſplendori egregie animatum ſe oſtendebat; cui Gregorius ea de re eſt gratulatus (f). Ad-

Commendata illi juſtitiæ virtus.

(c) To. 5. ep. ſecr. pag. 75.

(d) Ib. p. 172. 173.

Caſtellanum inter & Aragonium ſancita pax.

(e) Marian. l. 17. c. 18.

(f) To. 5. ep. ſecr. p. 10.

NOTÆ [1] DEcretæ præcedenti anno cum Eccleſia a Bernabone induciæ hoc anno perſeverabant. Nihilo tamen ſecius, Bernabos hoc anno, Julio menſe, fœdus cum Florentinis ſtrinxit, teſte, qui per hos anno ſcribebat, Sozomeno in ſpecimine hiſtoriæ Piſtorenſis, vulgatæ rer. Italic. to. XVI. Fœdus tamen iſtud clam initum; quamquam Florentinos arma hoc anno moviſſe in Eccleſiam idem Sozomenus affirmat. Florentinorum exemplum plures ditionis pontificiæ urbes imitatæ ſunt arma ſociantes cum Florentinis, qui in libertatem aſſerturos ſe jactabat Urbes malorum paſtorum regiminis pertæſas. Cujus rei gratia in militaribus inſignibus faſciam tranſverſam pinxerunt, aureis literis ſcriptum præferentem: LIBERTAS. Hac ſpecie ad ſexaginta Urbibus illuſum, teſte vetuſto Annaliſta Mediolanenſi, vulgato rer. Italic. to. XVI. cap. CXXXVII. qui & notat urbes illas cenſum ſuum pro conſueto more pontifici tamquam Domino ſolviſſe, ſed regimini deſtinatos præſides tamquam tyrannos detrectaſſe. Ita Bononienſes ſequenti anno Guillelmum Cardinalem S. Angeli Legatum, & præſidem ſuum; Peruſini præſidem itidem ſuum, & alii viciſſim ſuum expulerunt. MANSI



XXI. Dolet Caſtellæ Rex de Pontificis in Italiam receſſu.

Addictiſſimus porro idem Rex ſedi Apoſtolicæ graviſſimum dolorem præſeferebat, Gregorium in Italiam diſceſſum ornare, cum ipſe ſacrum ad fidem propagandam bellum contra barbaros meditaretur, ubi primum ſeſe ex bellis quæ in Chriſtianos gerebat, explicuiſſet: præter enim Aragonium bellum, cum Anglorum Regis filiis, qui Petri crudelis Regis filias uxores duxerant, decertabat exiſtimabatque maximo commodo ſibi futuram Pontificis præſentiam, ſi Mauros armis aggrederetur. Cui Gregorius divino ſe inſtinctu ad ſedem Apoſtolicam Urbi reſtituendam agi, nec tamen Regi ipſi, ſi crucis ſigna attolleret in impios, ſtudiis omnibus auxiliiſque ſe defuturum reſpondit.

(a) Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 13.

*Chariſſimo in Chriſto filio Henrico Regi Caſtellæ illuſtri.*

*Longa tua epiſtola de profundis tui pectoris, ut innuebat, emanans nuper noſtro apoſtolatui deſtinata, per quam dolorem tuum de noſtro acceſſu ad urbem [ Deo dante ] futuro, ex quo præſentiam noſtram a te, tuoque regno conſpicias elongari, filiali & reverenti lamentatione monſtraſti, noſtræ paternæ compunctionis affectum erga tuam magnitudinem renovavit. Dum enim cernimus te regnumque tuum de noſtræ perſonæ majori remotione dolere, profecto dolentibus filiis condolemus. Sed hæc & alia ſimilia obviantia dicto acceſſui jamdudum noſtris cogitationibus occurrerunt; illaque cum aliis cauſis & rationibus contrarium non ſolum ſuadentibus, ſed non parum urgentibus, in ſtatera noſtræ conſiderationis appendimus, & diu matureque cogitavimus ſuper illis: tandemque divinæ inſpirationis gratia invocata, dictum acceſſum pro meliori, conſideratis omnibus, deliberavimus in nomine Domini faciendum. Non tamen te regnicolaſque tuos deſerimus neque derelinquimus, quos in corde noſtro intendimus habere præſentes: & quanto tu & ipſi amarius de noſtræ præſentiæ elongatione triſtamini, tanto [ prout facultas aderit ] habere intendimus favorabilius commendatos: nos enim ad hoc eo ferventius animamur, quo per dictam epiſtolam ſumus redditi certiores & lætiores effecti, quod [ ſi Deus tibi cum Chriſtianis pacem tribuerit ] intendis aggredi hoſtes crucis vexantes ſæpius Chriſtianos; ad quod devotam magnificentiam tuam ad reverentiam Dei tuam ſalutem & gloriam, regnique præfati majorem tutelam paternis conſiliis exhortamur; offerentes tibi circa id, & alia tua honeſta beneplacita Apoſtolicæ ſedis gratias & favores. Dat. Avin. IV. kal. martii anno v.*

Divino ad id inſtinctu ſe agi reſpondet Gregorius.

XXII. Querenti de eodem Gallo æquitatem rei exponit

Nec minus iniquo ferebat animo Carolus Francorum Rex, Gregorium e Galliis ſedem Apoſtolicam traducere in Italiam. Cui ille, graviſſimas ob cauſas tuendamque fidei dignitatem incitatum ſe ad petendam Urbem, reſcripſit (b): *Quamvis*, inquit, *nobis durum exiſtat, nos a tuæ celſitudinis & tuorum vicinitate & partibus iſtis, in quibus nati ſumus & tempora noſtra conſolate peregimus, elongare; conſiderantes tamen, quod debitum honeſtatis expoſcit, & nonnullæ cauſæ, ſtatum Chriſtianæ fidei ac Romanæ eccleſiæ ſponſæ noſtræ, terrarumque ipſius eccleſiæ, & utilitatem publicam concernentes nos urgent quamplurimum, ut ad ſacram Urbem, in qua principaliter ſedes noſtra conſiſtit, & partes vicinas eidem, quamcito commode fieri poterit, accedamus: & propterea, ſuper hoc matura deliberatione præhabita, ordinavimus ad dictas Urbem & partes, duce Deo cui ex hoc complacere ſperamus, accedere in autumno proxime ſecuturo. Dat. Avin. V. id. januarii anno v.* Conceptæ (c) iiſdem verbis ad Eduardum Anglorum, Ferrandum Luſitaniæ, Petrum Aragonum, Carolum Navarræ, Henricum Caſtellæ Reges literæ. Pollicitus vero eſt illi Leopoldus (d) dux Auſtriæ, ſi maris faſtidia declinare vellet, iterque terra aggredi, ſe ipſum Lauſana ad Veronæ & Patavii limites ſuis ſumptibus ſtipaturum; cui Pontifex, actis gratiis, mari profecturum ſe reſpondit: egitque cum Joanna Regina Siciliæ (e), Friderico Trinacriæ Rege (f), & Andrea Contareno duce Venetorum (g), ut triremes egregie inſtructas mitterent ad mare ſub autumnum conſcendendum. Verum profectionis tempus protractum eſt, cum hoc principes, qui a Francorum & Anglorum Regibus ad concipiendas pacis formulas renunciati erant, precibus obtinuiſſent, ut facilior concordiæ via ſtrueretur; idque Pontifex Regibus ac principibus literis ſignificavit (h): quæ vero duci Veneto (i) inſcriptæ, his verbis conceptæ ſunt.

(b) Eod. to. 5. ep. ſecr. p. 1.

(c) Ead. pag.

Auſtriaci ducis in Gregorium officia.

(d) Ib. p. 27.

(e) Pag. 38. 39. & 41.

(f) Ead. pag. 39. & 231.

(g) Pag. 38. 129. & 127.

Cur extracta profectio.

(h) Ib. p. 41. 42. 43. 44. 45.

(i) Sup. p. 42.

*Nobili viro Andreæ Contareno duci Venetiarum.*

*Die octava hujus menſis tuæ nobilitati per literas noſtras ducimus intimandum, quod ex certa cauſa, quam ſcripſimus, receſſum galearum tuarum pro noſtro itinere ad Urbem per tuam liberalitatem oblatarum faceres differri uſque ad quintamdecimam diem menſis auguſti proxime ſequuturi. Cum autem inter chariſſimos in Chriſto filios noſtros Carolum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illuſtres, facta jam treugua, pax ſecutura ſperetur, in cujus tractatu & conſummatione noſtra præſentia in his partibus neceſſaria exiſtimatur; & tam præfatus Rex Franciæ quam dilectus filius nobilis vir Joannes dux Lancaſtriæ natus præfati Angliæ Regis tractator pacis ejuſdem, tunc Brugis Tornacen. diœceſis exiſtens, nobis per eorum literas duxerint humiliter ſupplicandum, quod* pro-

*propter tractatum dictæ pacis in tempore per nos ordinato de partibus iſtis nullatenus recedamus; & nobis ſcriptum ſit, quod ſi tractatores jam dictæ pacis, qui in proximo futuro menſe ſeptembris in præfato loco Brugis debent ad tractandum iterum convenire mediantibus noſtris nuntiis ibidem affuturis, concordare nequibunt, quod abſit, debent ad noſtram præſentiam ſe conferre; nos * dictam pacem non ſolum præfatorum Regum regnis & terris, ſed toti Chriſtianitati * dignum & opportunum * extimantes, quod pro ipſius conſummatione felici non ſolum receſſum differamus eundem, ſed ſi eſſemus in Urbe ad has partes redire celeriter deberemus; tam grandis utilitatis intuitu, & præfatorum Regis Franciæ ac ducis & nonnullorum aliorum etiam prælatorum ac principum & nobilium, nec non populorum in hac parte devote ſupplicantium precibus inclinati, non recedendo a propoſito eundi ad dictam Urbem, ſed illius effectum propter melius differendo, tempus hujuſmodi noſtri adventus ad tempus veris proxime venturi duximus prorogandum. Ideoque nobilitati præfatæ de filiali affectu, quem ut tibi & tuæ communitati viciniores ſimus, effectu operum oſtendiſti, & de grandi expenſarum onere, quod pro præparatione jam dictarum galearum & miſſione honorabilium tuorum civium ſubiiſti, condignas gratiarum referimus actiones; intendentes [annuente Deo, ad quem remeando & demum veniendo intuitum noſtræ conſiderationis dirigimus] te de prædictis galeis requirere in tempore competenti. Dat. apud Villamnovam v. kal. auguſti anno v.*

Indicti Brugenſes conventus pro pace agitanda.

* ob

* neceſſariam.

* exiſtimavimus.

XXIII. Inſtruere quoque ſuo exemplo præſules ut ad gregis ſui cuſtodiam incumberent, pie cogitarat Gregorius: ad quos etiam ad officium cogendos diplomate ſubjecto edixit (a), ut ſedes ſuas repeterent; ac divinum cultum in ſuis eccleſiis inſtaurarent.

(a) An. 5. ep. cur. p. 15.

*Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.*

Greg. edictum de præſulum reſidentia.

*Tacti dolore cordis intrinſecus tacere non poſſumus, nonnullorum pontificum & aliorum in Dei eccleſia prælatorum negligentiæ culpam graviſſimam cauſativam multorum facinorum, & etiam nutritivam, ipſi quidem, ut eſt fere toti mundo notorium, licet deputati ſunt ſuper greges ſuos in paſtores & vigiles, ut illos a morſibus lupinis cuſtodiant, & de ipſis bonam reddant Domino rationem, ſe mercenarios, quibus non eſt cura de ovibus, cum animarum lucra non quærantur, potius oſtendentes, adinventis fictis coloribus, a ſuis ſe elongant eccleſiis & monaſteriis etiam per tempora diuturna, ſponſas ſuas quaſi viduas relinquendo; ex quo in clero & populo vitia pullulant, cultus divinus minuitur, ſancta ſpernuntur, provenit indevotio populorum, oriuntur errores, decreſcit fides, creſcunt inſolentiæ, eccleſiaſticus ſtatus contemnitur, conculcatur libertas eccleſiaſtica, patitur ſæpe detrimentum juſtitia, dum proprius judex non miniſtrat eamdem, ac ædificia & alia bona temporalia collabuntur. Ex quibus & aliis malis innumeris, inde provenientibus, ſtrepunt murmurationes filiorum, dum ſpirituale patrum pabulum non deguſtant; ſuſcitantur ſcandala gravia, & proh dolor! animæ, ad quarum ſalutem præſides ſpirituales invigilare tenentur, evidentibus periculis exponuntur.*

Quanta ex præſulum abſentia mala oriantur.

XXIV. *Nos igitur tot & tantis malis & periculis opportunis obviare remediis affectantes, univerſos & ſingulos patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, electos, abbates regulares, archimandritas, & præſidentes quoſlibet, qui capita quorumcumque ordinum tam exemptorum quam non exemptorum non mendicantium eſſe noſcuntur, quocumque nomine cenſeantur [exceptis S. R. E. Cardinalibus ac etiam Apoſtolicæ ſedis legatis & nuntiis ad partes aliquas per nos miſſis ac mittendis in poſterum, nec non noſtris & eccleſiæ Romanæ officialibus, quos ad hoc duxerimus nominandos] authoritate apoſtolica præſentium tenore monemus, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte mandamus, quatenus infra duorum menſium ſpatium a die publicationis præſentium in Romana curia, illi videlicet, qui tunc in eadem curia, vel infra duas dietas prope illum exiſtent, alii vero ex eiſdem patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, electis, abbatibus, archimandritis & præſidentibus regularibus ubicumque infra hujuſmodi ſpatium extiterint, a die qua monitio & mandatum noſtra hujuſmodi ad eorum notitiam pervenerint, vel in provincia in qua tunc erunt publicata fuerint, computandum faciendæ, de ipſa curia & locis, in quibus exiſtent, omnino recedere, & bona fide continuatis dietis ad ſuas diœceſes, eccleſias, & monaſteria proficiſci, ac ipſi omnes & ſinguli [exceptis quatuor majoribus ſeu principalibus patriarchis, quorum ſedes ſunt in terris, quas infideles & ſchiſmatici detinent, conſtitutæ & in ipſis ſedibus tute reſidere non poſſunt] in ſuis eccleſiis & monaſteriis, vel iidem patriarchæ de dictis principalibus non exiſtentes; nec non archiepiſcopi & epiſcopi ac electi in ſuis diœceſibus, vel ipſi abbates, archimandritæ, & præſidentes in eccleſiis, prioratibus, ſive locis ad menſas pertinentibus eorundem, etiam ſi ſint extra diœceſes, in quibus monaſteria ipſa exiſtunt, dum tamen ultra mediam dietam ab ipſis monaſteriis non diſtent, reſidere perſonaliter & hujuſmodi continuare reſidentiam non omittant: ita tamen, quod abbates & præſidentes hujuſmodi pro majori parte temporis in principalibus eorum monaſteriis reſidentiam faciant*

Excepti a reſidentia Cardinales.





*ciant perſonalem, &c.* Decernit eos, qui apoſtolico imperio non paruerint, ex canonicarum ſanctionum præſcripto puniendos. *Datum Avinion.* IV. *kal. aprilis anno* v.

XXV. Segnior fuit in perficiendis apoſtolicis imperiis Petrus archiepiſcopus Cretenſis, quem ideo Gregorius graviſſimis literis perſtrinxit: intentatoque anathemate ei præcepit (a) ut gregem ſuum evolvendo ab acceptis literis menſe præſens curaret. Deſiderabatur eo magis Petri præſentia ad eccleſiam Cretenſem ſuſtentandam, quo plures in eam abuſus irrepſerant, eandemque ſchiſmatici quatere niterentur: conferebatur enim Græcis ſchiſmaticis eccleſiarum adminiſtratio, ſacerdotiorumve vectigalia locabantur; ex quo cum graviora incommoda emergerent, Pontifex incuſſo anathemate ipſos ab hujuſmodi muneribus deturbari juſſit (b). Præterea ad diſcutiendas ignorantiæ tenebras ſingula fidei orthodoxæ capita in luce & omnium oculis collocavit (c), tranſmiſſis ad Cretæ inſulæ epiſcopos catholicos literis, quos ampliſſima inſtruxit authoritate, ut ſchiſmaticos cenſuris ſolutos eccleſiæ gremio priſtiniſque juribus & dignitati reſtituerent.

(a) To. 5. ep. ſecr. p. 160.

De Cretenſibus abducendis a ſchiſmate.

(b) An. 5. ep. cur. p. 23.

(c) Eod. an. 5. ep. cur. p. 290.

*Venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cretenſi, & Kyronenſi, Sicienſi, Aichadienſi, Calomonenſi, Agrienſi, Kiſſimenſi, Canticenſi, Arienſi, & Milopotamenſi epiſcopis.*

*Ad propagationem catholicæ fidei [ſuper cujus cuſtodia ſumus, licet inſufficientibus meritis, a Domino deputati] & catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ matris & magiſtræ cunctorum Chriſti fidelium [cui auctore Domino præſidemus] reductionem ad obedientiam & reverentiam ipſius eccleſiæ paſtorali ſolicitudine intendentes, viam & formam omnibus hujuſmodi deviis tenemur oſtendere, per quas ſalubriter ad dictum gremium poſſint accedere, in eoque perpetuo commorari: & ut ad hoc eo animentur ferventius, quo benignitatem dictæ eccleſiæ guſtaverint dulciorem, eis opportunos favores & gratias de Apoſtolicæ ſedis clementia elargimur. Sane cum, ſicut relatu fidedigno percepimus, populi civitatum, caſtrorum, & villarum inſulæ Cretenſis pro longe majori parte ſint Græci ſchiſmatici, a gremio dictæ eccleſiæ ſeparati, ac diverſis erroribus hæreticalibus irretiti, & nonnulli eorum ex divina gratia & veſtris ac aliorum prædicationibus & inductionibus, relictis hujuſmodi ſchiſmate ac erroribus, ad orthodoxam fidem convertantur, & ad dictum gremium reducantur interdum; nos cupientes eos ſalutari edoceri doctrina, formam quam in talibus conſuevit ſervare dicta eccleſia, præſentibus fecimus annotari, volentes & mandantes, quod quilibet, qui fuerit ſchiſmaticus & præciſus a præfatæ eccleſiæ unitate, & ad eam redire voluerit, dictam profeſſionem in manibus alicujus veſtrum faciat in ipſa forma quæ talis eſt: Ego talis profiteor & credo ſanctam Trinitatem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, &c. uſque ſemper ſalva.* (Hanc iiſdem conceptam verbis lector reperiet; quibus Joannes Palæologus eam Romæ paucis ante annis profeſſus eſt (d), quamque Armenis, Tartaris, Alanis, Lithuanis propoſitam alias vidimus (e). Pergit Pontifex.)

Fidei orthodoxæ formula propoſita.

(d) A. C. 1369. n. 2.

(e) A. C. 1338. n. 78.

*Unde ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene ſcripta & lecta eſt & fideliter expoſita, veram ſanctam, & orthodoxam fidem eſſe recognoſco, eam accepto, & corde & ore profiteor; ipſamque, prout eam veraciter tenet & fideliter docet & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, & quoquomodo deviaturum, promitto: & abrenuncio omni ſchiſmati. Primatum quoque ipſius ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, prout in præmiſſa ſerie continetur, ad ipſius eccleſiæ obedientiam ſpontaneus veniens, fateor & recognoſco, accepto & ſponte ſuſcipio, & me omnia præmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem eccleſiæ Romanæ primatum, & ipſarum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, & perſeverantiam ſervaturum, præſtito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Quod ſi contra hæc aliquid ſentire, confiteri, aut alias agere præſumpſero, me ſchiſmaticum & anathematizatum eo ipſo recognoſco, ac ſeveritati ſacrorum canonum ſubjacere.*

Alia ejurandi ſchiſmatis.

*Præterea cum presbyteris & aliis clericis ſecularibus & regularibus Græcis, qui ſecundum dictam formam hujuſmodi profeſſionem emittent, volentes agere gratioſe, vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum illos ex eiſdem presbyteris & clericis, qui dum erant in hujuſmodi ſchiſmate, etiam ſcienter quoſcumque ordines etiam ſacerdotalem ab epiſcopis ſchiſmaticis ſeu hæreticis, etiam eis in contemptum fidei adhærendo, receperunt, authoritate noſtra per manus impoſitionem & etiam ad cautelam, ſi dubitetur an alias fuerint abſoluti & reconciliati, abſolvendi & reconciliandi, & cum eis diſpenſandi ſuper ipſis ordinibus ſeu eorum executione, ipſoſque ad eoſdem habilitandi & habiles reddendi, etiamſi ante diſpenſationem, poſt converſionem tamen eorum in eis ordinibus miniſtrarunt, & ipſos ordines omnes, ſi de ipſorum collatione dubitetur, una & eadem die etiam dominica de novo, [alias tamen juxta formam ejuſdem eccleſiæ exprimendo, quod ſi ipſos ordines receperunt, non conferuntur & ſi non receperunt, conferuntur] conferendi & inſuper quod quæcumque dignitates, perſonatus, officia, & benefi-*

Abſolvendi ſchiſmaticos ſacerdotes data auctoritas.

Conferendi juris in dignitates eccleſiaſticas.

*cia cum cura vel ſine cura obtenta per eos a catholicis vel ſchiſmaticis collata eiſdem etiam ſi dignitates ipſæ majores poſt pontificales in cathedralibus, & principales in collegiatis eccleſiis exiſtant, retinere licite valeant perinde, ac ſi ante collationes eis factas de ipſis ſuper prædictis omnibus plene diſpenſatum fuiſſet, diſpenſandi; fructus quoque per eos ex beneficiis ipſis perceptos remittendi eiſdem, & ad alia ſimilia in poſterum obtinenda, ſi eis canonice conferantur, etiam habilitandi, & alia licita circa hæc agendi, quæ veſtræ circumſpectioni expedientia videbuntur, quibuſcumque apoſtolicis & aliis conſtitutionibus, nec non ſtatutis & conſuetudinibus eccleſiarum hujuſmodi contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, quo ad alia poſt ſupraſcriptam formam ejuſdem profeſſionis contenta nequaquam obſtantibus, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem, præſentibus poſt viginti annos minime valituris. Dat. Avin. xv. kal. maii pontificatus anno v.*

XXVI. Delphinatus hæreſi infectus.

Sanciebat hæc ad pelliciendos ad officium ſchiſmaticos Gregorius, qui non minori ſtudio ad hæreſeon excindendas reliquias incubuit. Infecerat Waldenſium lues præcipue delphinatum Viennenſem, Sabaudiam, Provinciam, præſulumque inertia repullulabat. Ad quam abolendam in primis archiepiſcopos Arelatenſem, Viennenſem, Tarantaſienſem, Ebredunenſem, eorumque ſuffraganeos epiſcopos perſtrinxit inertiæ (a), qui ejuſmodi hæreſim in ſuis provinciis graſſari paterentur: *Audivimus*, inquit, *quod in eis hæreticorum multitudo moratur etiam ab antiquo, contra quos vos & prædeceſſores veſtri negligenter omiſiſtis veſtrum officium exercere: unde fit, quod multiplicantur execrabiles hæreſes, & hæreticorum numerus proh dolor! adaugetur.* Injunxit iiſdem munus, ut cenſuras apoſtolicas, ſolemni ritu incuſſas hæreticis, divulgarent. Tum confugit ad Carolum Francorum Regem, cui majorum in hæreticis perdendis exempla propoſuit (b), utque proceres illos delphinatus a vera nobilitate degeneres, qui hæreticos ſuo patrocinio texerant, comprimeret: nec modo acerbioribus edictis, ſed etiam miſſo aliquo regio adminiſtro orthodoxæ fidei cenſoribus authoritatem conciliaret. Obſecutus eſt pontificiis voluntatibus Carolus Rex ac more inſtitutoque majorum regio edicto meritis pœnis hæreticos affici, ac delphinatus magiſtratus iis quibus ſacræ inquiſitionis exercendæ provincia data erat, opera & auxilio non deeſſe imperavit (c). Verum delphinatus præfectus in fidei ſplendore tuendo ſegnior regia edicta non exequebatur, nec provinciæ proceres opponentes ſeſe catholicæ fidei

(a) An. 5. ep. cur. p. 21.

Solicitatus Gall. Rex, ut leges diſtringat in hæreticos.

(b) Pag. 29. & 30.

(c) Pag. 88.

cenſoribus cohibebat. (d) Vicit denique impia repagula pius Gregorii ardor, miſſuſque ab eo Antonius epiſcopus Maſſanus Apoſtolicæ ſedis internuntius, ut cum ſacris fidei inquiſitoribus & epiſcopis hæreticos damnaret: qui munus ſuum adeo ſtrenue geſſit, ut carceres reos vix caperent, nec facultates ad eos ſuſtentandos ſuppeterent; conſultuſque reſcripſit Gregorius, cum præſulum inertia tanta hæreticorum colluvies emerſiſſet, eccleſiarum vectigalia eo derivanda eſſe. Tum novos & munitiores carceres Arelate, Ebreduni, Viennæ, & Avenione extrui juſſit, ac fidelibus qui ſtipem in id conferrent, præmia indulgentiarum eſt impertitus (e).

(d) Ead. pag.

Miſſus internuntius apoſtolicus ad comprehendendos hæreticos.

Eccleſiaſtica vectigalia ad eos in carcere ſuſtentandos derivata.

(e) Pag. 25.

In Sabaudia cum fidei cenſores Dominicanæ familiæ tuendæ religionis integritati, confutandiſque hæreticorum erroribus operam navarent, in eum furorem nonnulli hæretici prorupere, ut illos obtruncarint: quo accepto nuntio, Chriſti vicarius Amedeum comitem pio in impios ardore accendere conatus eſt (f), ut qui olim tutandæ fidei præclariſſimum exemplum in debellandis Turcis, & Gallipoli iis eripienda explicuiſſet, orthodoxorum præſulum ſanguinem fundi pietatis odio impune non pateretur.

(f) To. 5. ep. ſecr. p. 19.

*Dilecto filio nobili viro Amedeo comiti Sabaudiæ.*

Cenſores fidei trucidati in Sabaudia.

*Cum multo dolore percepimus, quod cum quondam Antonius Salvianenſis ordinis fratrum Prædicatorum in partibus Pedemontis inquiſitor hæreticæ pravitatis, ſciens nonnullos utriuſque ſexus de villa Bricarax Taurinenſis diœceſis, tuo dominio temporali ſubjecta eſſe infectos labe hæreticæ pravitatis, & contra errores eorum prædicaſſet in eccleſia dictæ villæ, nonnulli ex eis circa numerum duodenum maligno concitati ſpiritu, diverſiſque armis accincti, more furioſi furentes in medicum ſalutis eorum, inquiſitorem egreſſum de præfata eccleſia prope ipſam immaniter trucidarunt. Nec omittimus, quod [ſicut habet fide digna relatio nobis facta, & dicitur eſſe notorium] non ſunt longa tempora, quod in clauſtro loci fratrum Prædicatorum terræ tuæ Secuſiæ dictæ diœceſis in die purificationis B. Mariæ virginis, de quodam alio inquiſitore ſimile fuit ſacrilegium perpetratum. Ex quibus præter graviſſimam offenſam Dei, cujus fides, quam ipſe Deus humano generi præbuit ad ſalutem, ſic graviter laceratur & læditur, & conturbationem fidelium honori tuæ nobilitatis, ſi contra hæc debitum non apponas remedium, nimium derogatur.*

*Quare devotionem tuam paterne requirimus, & hortamur attentius, quatenus tamquam pugil dictæ fidei, pro qua infideles & feroces Turcos cum magna & ſtrenua comitiva nobilium olim triumphali-*



Sabaudus ad hæreticos perdendos ſolicitatus.

*liter dimicaſti, ſicut alter Mathathias zelans legem Dei, in ſic deteſtabiles tranſgreſſores ipſius legis & fidei zelum ſanctum aſſumens, contra ſceleſtos patratores tantorum criminum debitas, prout ad te ſpectat, exerceas juſtitiam & vindictam ita quod ipſi juſtam punitionem non evadant, & alii committere ſimilia in tuis terris de cætero non præſumant, tuque glorioſi tui nominis effectum comproberis habere: merito enim amare Deum cenſeberis, cum ſubvertes ſuæ fidei ſubverſores, & terram tuam talibus pernirioſis ſpinis & tribulis expurgabis. Dat. Avinion. XIII kal. aprilis anno v.* Data etiam fuere Taurinenſi epiſcopo imperia, (a) ut in eos hæreticos Antonii viri religioſi ſanguine maculatos animadverteret. Cæterum in Siciliæ inſula Panormitani egregium in tuenda fide adverſus hæreticos ſtudium explicuere, duodecim unciis auri e vectigalibus civitatis ad eos perdendos attributis (b): ac ne ſumptus in perſcrutandis illis neceſſarii deeſſent, Friderico Regi ſuaſit Pontifex (c), ut hæreticorum bona fiſco addicenda in id derivarentur.

(a) Ib. p. 20.

Panormitanorum contra hæreticos egregia ſtudia.

(b) To. 5. ep. ſecr. p. 32.

(c) Ibid. p. 36. & 37.

XXVII. In ipſa etiam Africa inſectatur hæreticos Greg.

Neque in Europa modo, verum in Africa quoque & Aſia hæreticos inſectatus eſt Dei vicarius; in Africa quidem, cum ad inficiendos Tunetani regni Chriſtianos Laurentius Carbonellus pſeudominorita profugiſſet, Pontifex Jacobum Patani, & Guillelmum e Rivopullio Chriſtianarum copiarum, quæ ſub Rege Tunetano ſtipendia faciebant, duces excitavit (d), ut nefarium hominem, quem iniquitatis filium ac miniſtrum ſathanæ ſub ovili pelle lupum geſtantem vocat, vinctum ad archiepiſcopum Neapolitanum vel Piſanum tranſmitterent. Ad cohibendam pariter eorum impietatem, qui in Aſiam, ut hæreſeos virus vel in Syria aut Ægypto impune evomerent, ſe conferebant, Minoritarum præfectum, quem provincialem appellant, ad eos legibus perſequendos authoritate inſtruxit (e).

(d) Pag. 42.

Et in Aſia.

(e) Pag. 44.

Ad revocandos etiam eos, qui a Chriſto vel rerum terrenarum amore deliniti, vel terrore ſuppliciorum perculſi, ad Mahometanam ſuperſtitionem deſciverant, in ſalutis viam, eidem Minoritano præfecto ac Gerardo e Lineyo partes contulit (f), ut ipſos ſi criminis pœniterent, in gratiam cum eccleſia reſtituerent, exolverent cenſuris, ac priſtinis juribus aſſererent. Plures vero Chriſtianos vexatos a barbaris, ob Alexandriæ expugnationem efferatis, Chriſtianam religionem ejuraſſe, ex hac literarum apoſtolicarum parte colligitur, in qua Gregorius miſerandam earum animarum ſtragem ita deplorat (g): *Dolenter accepimus, quod in nonnullis partibus, quas ſoldanus Babyloniæ detinet inter Saracenos, nonnulli dudum Chriſtianam religionem profeſſi, & ſacri baptiſmatis fonte renati converſantur & habitant, qui antiqui hoſtis fraude decepti, vel adulatione blanda ſeducti, aut tormentorum timore perterriti, aut animorum levitate abnegantes ſalvificum nomen Chriſti ab authore ſalutis ſe alienos fecerint, & adhæſerint, & adhærent abominabili ritui Mahometi, & lapſi ſunt in nonnulla alia hæreticorum ſchiſmata, perfidiam, & errores. Dat. Avin. VII. kal. decembris anno v.*

Revocandis ad fidem apoſtatis data opera.

(f) Pag. 45.

(g) Ibid. p. 45.

Plures a Chriſto Babylonios divulſerat.

XXVIII.

Nec prætereundum videtur, Gregorium religionis inſtaurandæ ſtudio permotum nonnullas hoc anno eccleſias cathedrales erexiſſe: ſanxit enim (b) ad Ladiſlai Opulienſis ducis & Ludovici Ungariæ & Poloniæ Regis preces ut Primiſlienſis, Laudimirienſis, & Chelmenſis eccleſiæ in Ruſſia ſedium epiſcopalium dignitate inſignirentur, ipſiſque Haliſſienſem jure metropolitico præeſſe juſſit, cum in iis locis religio effloruiſſet: ac Gneſnenſi archiepiſcopo, & Cracovienſi Plocenſique epiſcopis partes demandatæ ſunt (i), ut idoneos præſules illis præficerent, quamvis epiſcopus Lubecenſis eas ſibi veluti parochiales obnoxias contendiſſet.

(b) An. 5. ep. cur. p. 3.

(i) To. 5. ep. ſecr. p. 10.

Epiſcopatus in Ruſſiam conditi.

Nec pium Chriſti vicarii ſtudium in tollendis pravis abuſibus, obtorpuit: Lundenſi quidem archiepiſcopo ac ſuffraganeis imperia dedit (k), ne diebus ſacris nundinas permitterent; ac præſules ad curandas eccleſias ac ſua tuendas præſentia cogerentur. Abhorrentem etiam a Chriſtiana manſuetudine nefariam conſuetudinem, quæ in Galliis atque alibi inoleverat, ne ſcilicet reis extremo afficiendis ſupplicio pœnitentiæ ſacramentum miniſtraretur, aboleri juſſit; ac judices ultra mortem ſævire, & necare cum corporibus animas vetuit. Quo argumento hæ ad Francorum Regem datæ literæ (l).

Nundinæ diebus ſacris vetitæ.

(k) An. 5. ep. cur. p. 83.

(l) To. 5. ep. ſecr. p. 152.

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum illuſtri.*

Impia apud Gallos corruptela.

*Ad pietatis & miſericordiæ opera tanto te, fili chariſſime, confidentius exhortamur, quanto, te illis devotius vacare percipimus, quantoque magis ſerenitatem tuam decet in eis jugiter exerceri. Cum itaque, ſicut accepimus, in nonnullis & maxime in Gallicanis partibus de conſuetudine, quæ dicenda eſt potius corruptela, hactenus ſit ſervatum, quod ultimo deputandis ſupplicio, etiamſi petant, negatur pœnitentiæ ſacramentum, propter quod quamplures grave, non eſt dubium, incurrunt periculum animarum; ac benignitatem tuam non deceat aliquatenus talia tolerare, benignitatem ipſam ut charius poſſumus deprecamur, & pro ſpeciali munere petimus, quatenus cum id ſit expreſſe contra canonica ſtatuta, pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia, & etiam tuæ ſalutis intuitu, præmiſſam conſuetudinem inantea obſervari non permittas:*

Sublata ad Gregorii preces.

Ultimo afficiendis ſupplicio pœnitentiæ ſacramentum conferendum.

*ſed hujuſmodi ultimo deputandis ſupplicio pœnitentiæ ſacramentum dari permittas atque mandes ; & in hoc taliter te habeas, quod tantum bonum, per quod Dominum tibi conſtitues propitium, & quod tibi ad magnum honorem & ſalutem cedet animæ, tuis fiat & adimpleatur temporibus ; noſque proinde celſitudinem regiam in dignis Domino laudibus attollamus : ſuper his autem venerabili fratri noſtro Annerito epiſc. Pariſienſi fidem indubiam adhibere ſerenitas tua velit. Dat. Avin.* v. *kal. novembris anno* v. Hæc de pietatis cultu tuendo augendove ſuffecerint : nunc de apoſtolico ſtudio in jure eccleſiaſtico contra Regum principumque potentiam defendendo agamus.

XXIX. Obſtrictus erat Carolus Francorum Regis major natu filius delphinus Viennenſis ad nonnullas urbes in ſuo principatu pontificiæ liberalitati acceptas referendas : cumque officio ſuo in ea re deeſſet, Gregorius ne Romanæ eccleſiæ jura obſoleſcere pateretur, Carolum Regem docuit (a), quæ loca jure fiduciario ſedi Apoſtolicæ obnoxia eſſent : rogavitque, ut delphinatus præfecto ad clientelarem ſponſionem ſolemni ritu præſtandam partes demandaret.

(a) *To.* 5. *ep. ſecr. p.*145.

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum illuſtri.*

*Scimus, quod eximiæ devotionis claritate præfulgidus circa Romanæ eccleſiæ matris tuæ manutenenda jura libenter intendis, ac ſtudio ſolicitudinis operoſæ intento proſequeris quæcumque ſibi utilia fore cognoſcis : propter quod ad id celſitudinem regiam tanto libentius invitamus, quanto in hoc promptiorem eſſe novimus per ſeipſam. Cum itaque, fili chariſſime, dilectus filius Carolus delphinus Viennenſis primogenitus tuus medietatem villæ de Romanis, ac de Nionus & de Mirabellis caſtra, & majus dominium caſtri de Vinſobrio ; nec non duas partes & jura vaſſallatica duarum partium dominii, meri & mixti imperii, ac juriſdictionis omnimodæ caſtri Reppeſature & Parenam, dominium & juriſdictionem merum & mixtum imperium proprietatis, & jura vaſſallatica caſtri Podii Hugonis ; nec non medietatem, dominium, & jura vaſſallatica, & quidquid hoſpitale S. Joannis Jeroſolymitani tenebat & poſſidebat a domino Montisalbani in caſtro de Novaviſano ; & inſuper quartam partem feudi & dominii meri & mixti imperii & juriſdictionis territorii Albanbaneti ; tertiam quoque partem feudi, juriſdictionis, meri & mixti imperii territorii S. Andreæ de Spontazano ; medietatem etiam pro indiviſo juriſdictionis & jus vaſſallaticum, & quidquid habes in territorio Baldibe S. Mauritii & de Quoqueto ; & quidquid juris habet & habere debet, aut viſus eſt habere in dictis caſtris, locis, & territoriis Viennenſis, Vaſionenſis, & Auraſicenſis diœceſis, a nobis & Romana eccleſia in feudum teneat, & ratione præmiſſorum nobis homagium & fidelitatis juramentum præſtare teneatur, prout [ ſicut credimus ] regia ſinceritas bene novit ; nos attendentes ætatem teneram dicti delphini, quem tanquam filium benedictionis & gratiæ, & ad magna & Deo placentia prælectum ſpecialiter gerimus in viſceribus charitatis ; & propterea in præmiſſis eidem delphino atque ſuis [ ita tamen quod per hoc eidem Romanæ eccleſiæ, ac nobis & ſucceſſoribus noſtris nullum in poſterum præjudicium generetur ] quamvis libenter ejuſdem delphini contemplaremur præſentiam, complacere volentes, excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus dilecto filio nobili viro gubernatori delphinatus, vel alteri, de quo eidem excellentiæ regiæ videbitur, committi facias, ut hujuſmodi homagium & fidelitatis juramentum ratione præmiſſorum & etiam aliorum, ſi quæ ſint, nomine dicti delphini [ ſic quod per hoc, ut præfertur, eidem Romanæ eccleſiæ, ac nobis & ſucceſſoribus noſtris nullum in poſterum præjudicium generetur ] nobis & eidem Romanæ eccleſiæ præſtet ut eſt moris : & ſuper his venerabili fratri noſtro Annerito epiſcopo Pariſienſi fidem indubiam adhibere ſerenitas tua velit. Dat. Avin.* v. *kal. octobris anno* v.

Pars delphinatus fiduciaria ſedis Ap.

Monitus Carolus, ut ab illius præfecto clientelarem ſponſionem præſtandam curaret.

Pari ſtudio incubuit (b) ad tuendum Rothomagenſis archiepiſcopi in Rothomagum dominatum, quo cum hactenus eſſet potitus, depelli a regiis magiſtratibus cœperat : & Carolum Regem admonuit, ne eam ſuo nomini labem aſpergeret ut libertas eccleſiaſtica, quæ ſub aliis Regibus viguerat, ab ipſo opprimeretur.

(b) *To.* 5. *ep. ſecr. pag.* 219.

Rothomagenſis archiep. Rothomagum imperio pulſus.

XXX. In Ungaria Ludovicus Rex libertati eccleſiaſticæ infeſtus in eo erat, ut ad ſui gratiam ac voluntatem omnes eccleſiaſticas dignitates conferri ab ſede Apoſtolica contenderet : cujus votis cum non aſſentiretur (c) Pontifex, priſtini in eccleſiam amoris ardor ob nonnullorum ſuſurros in eo refrixit ; qua de re Gregorius x. kal. auguſti apud Eliſabetham Reginam queſtus eſt, tum Ludovicum admonuit : *Tua*, inquit (d), *diſcreta devotio dignetur attendere, ſi eſt decens & expediens univerſali eccleſiæ, quod omnia prælaturæ, dignitates, & beneficia, in quibus dicta ſedes meram & plenam a Deo poteſtatem obtinet, ad beneplacita principum & aliorum dominantium concedantur. Hæc enim non catholici Reges, ſed tyranni faciunt, quorum exemplum deteſtabile & damnabile ipſi Regi per aliquos deteſtabiles Reges, ut audivimus allegantur. Advertas etiam, ſi ſuper his omnia dicti Regis beneplacita curaremus adimplere, quale inde exemplum daretur : oportet nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices aut facere ſimile [ quod abſit ] quia non expediret fidei*

(c) *Ibid. p.*40.

(d) *Ib. p.* 82.

Eccleſiaſtica munera ad principum vagas voluntates non conferenda.



*fidei Chriſtianæ : aut ipſorum Regum contra Apoſtolicam ſedem periculoſa turbatio orietur, &c.* Addit preces, ut Ludovicum Regem ab ea ſententia dimoveat, atque ad priſtinum eccleſiæ amorem revocet : illius enim potentiam hoſtibus eccleſiæ magno terrori futuram. *Dat. Avin.* VI. *id decembris anno* v.

XXXI. Auxit anno extremo Gregorius Cardinalium numerum quos vitæ ejuſdem Gregorii author his verbis recenſet (a) : *Anno, inquit, LXXV. die vigeſima menſis decembris, quæ fuit jovis * feria ſexta quatuor temporum, dictus Gregorius Papa XI. creavit novos Cardinales, videlicet octo presbyteros & unum diaconum ; presbyteri vero fuerunt dominus Petrus Judicis diœceſis Lemovicenſis monachus ordinis S. Benedicti, tunc archiepiſcopus Rothomagenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ : dominus Simon de * Brouſano Italicus, tunc archiepiſcopus Mediolanenſis referendarius ipſius Papæ : dominus Hugo de * Monari legum Brito, tunc epiſcopus Briocenſis : dominus Guido de * Maleſico diœceſis Tutellenſis, tunc epiſcopus Pictavenſis, conſanguineus & referendarius ipſius Papæ : dominus Joannes de Grangia diœceſis Lugdunenſis monachus ordinis S. Benedicti, tunc epiſcopus Ambianenſis : dominus Petrus de Sortenaco Caturcenſis, tunc epiſcopus Vivarienſis : dominus Geraldus de Podio, tunc abbas majoris monaſterii conſanguineus ipſius Papæ, & vicarius ſuus in Peruſio : & dominus Joannes de Buxeria Burgundus, tunc abbas Ciſtercienſis. Diaconus vero fuit dominus Petrus de Luna Aragonius decretorum doctor præpoſitus Valentinus. Et hic attendendum, quod iſta creatio non fuit facta die veneris, ſecundum quod fieri alias conſuetum ; & hoc ideo, quia illa die fuit feſtum B. Thomæ Apoſtoli, qua die non fuit tenendum conſiſtorium. Fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio uſque ad diem ſabbathi ſubſequentem propter dictum feſtum, cum tamen alias in craſtinum ipſius fieri debuiſſet.* Ubi accepit S. Catharina virgo Senenſis novos a Gregorio Cardinales eſſe creandos, divino inſtinctu afflata eum ſummis precibus monuit (b) viros virtutum omnium genere excultiſſimos ea dignitate inſigniendos : ſecus enim magno divinitatis opprobrio eccleſiæque exitio futuros. Et quidem ex iis plerique ſchiſmati conflando operam dedere ; flagitioque præcelluit Petrus e Luna, qui arrepto Benedicti XIII. nomine eccleſiam Dei diu vexavit.

(a) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*

Cardinales creati a Gregorio.

* *non*

* *al. Boyſſano.*

* *al. Monte legum.*

* *al. Maloſivo.*

S. Catharinæ ad Greg. de his vaticinium.

(b) *Ep.* 3. *ad Greg. XI.*

Tuendæ

I.

TUendæ dignitatis ſedis Apoſtolicæ, ac ditionis pontificiæ ex invaſorum tyrannide vindicandæ ſtudio legum ſeveritatem diſtrinxit Gregorius in Florentinos anno a Virgineo partu milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto indictione quartadecima: cum illius populi magiſtratus prava ambitione acti, libertatis oſtentato nomine, clientes eccleſiæ adducere in ſervitutem molirentur. Labentis itaque anni, tertia die februarii eos, qui Florentinæ reipublicæ habenas ab excurrente junio moderati erant, poſtulavit judicio; utque perverſe tentata reſcinderent, illataque eccleſiæ ſarcirent damna, objecto graviorum pœnarum terrore, indixit. Tum addita fuere imperia, ut pridie kal. aprilis ad dicendam cauſam apud ſubſellia apoſtolica ſe ſiſterent. Qua die conſtituta poſtea recurrente, cum Florentini magiſtratus inanibus fucis crimen colorarent, illos Gregorius, ſervato judiciorum ordine, damnavit: utque alienarum opum cupidum populum, ſuorum bonorum jactura intentata, ad officium revocaret, Florentinorum fortunas diripientium audaciæ, & corpora ſervituti ſubiecit, ut ejuſdem Pontificis vitæ author enarrat (a), ſubjectæ pontificiæ ſententiæ præcipua capita paucis complexus.

Florentini poſtulati judicio.

(a) *An. 6. p. 1. pag. 5.*

*Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*In omnem fere terram fidelium, præſertim in partes Italiæ & regiones quaſlibet vicinas eiſdem, exivit ſonus horribilis furoris immanis, & aliorum operum nefandorum, quæ perditionis filii impii Florentini adverſus Deum creatorem ſuum & Romanam eccleſiam, a qua multa beneficia & grata ſervitia receperant, aliaſque eccleſias & perſonas ecleſiaſticas etiam Cardinalatus & pontificalibus dignitatibus præditas, ipſiuſque Romanæ eccleſiæ & noſtros fideles devotos & ſubditos diverſis temporibus non ſunt veriti perpetrare: & quæ ſic fuerunt & ſunt notoria, & memoriæ cunctorum debent infixa conſiſtere, quod ad vitanda prolixitatis faſtidia, & tædioſum auditum hujuſmodi ſcelerum hominum reputamus conſultius non omnia repetere de præſenti. Sed ad memoriam cunctorum reducimus, quod iidem Florentini adverſus Dei & Apoſtolicæ ſedis reverentiam inquiſitorum hæreticæ pravitatis officium in ipſius libera executione impedientes, ſtatuerunt quod non poſſit in eorum civitate, territorio, & diſtrictu contra hæreticos niſi certo modo procedi; nec dicti inquiſitoris familiares, niſi ad certum numerum & habita licentia eorundem officialium temporalium, arma deferre valeant ordinarunt: quodque priores artium & vexillifer dictæ civitatis in principio eorum officii de obſervandis iniquis eorum legibus, contra dictum inquiſitorem & ejus officium editis, teneantur præſtare corporale juramentum. Ipſius quoque inquiſitoris carcerem, in quo hæretici ponebantur, concitato tumultu populi totaliter deſtruxerunt, & inquiſitorem qui tunc erat expulerunt: & quamplurima alia ſtatuta, & ordinationes in præjudicium inquiſitionis hujuſmodi hæreticæ pravitatis & hæreticorum favorem, ac in eccleſiæ libertatis præjudicium ediderunt, & ea de facto ſervare non verentur: ac etiam ordinarunt, quod authoritate literarum Apoſtolicæ ſedis poſſeſſionem alicujus beneficii eccleſiaſtici in præfata civitate & ejus territorio & diſtrictu conſtituti nullus recipere audeat, niſi prius literæ ipſæ prioribus & vexillifero dictæ civitatis præſententur, & licentiam obtineant ab eiſdem; & quod quando clericus accuſatur coram judice temporali, vel ab eo aliquid civiliter petitur, & allegat privilegium clericale, quod ex hoc ſit extra cuſtodiam dictæ civitatis; ita quod quilibet poſſit eum impune offendere & occidere; omneſque allegantes hujuſmodi privilegium clericale in quodam libro ſeu chartulario deſcribuntur, ut pateat omnibus libera licentia offendendi eos, & etiam occidendi.*

Objecta illis nefaria decreta adverſus fidei cenſores.

Jus eccleſiaſticum violatum.

II.

*Et inſuper dudum priores & vexillifer dictæ civitatis Florentinæ, qui tunc erant, ac populus & commune ſupradicti ſpiritu furoris accenſi quendam Nicolaum monachum in ſacerdotio conſtitutum quibuſdam ſceleratis viris, cum nullus officialis juſtitiæ partium earundem de hoc ſe intromittere vellet, torquendum dederunt, qui monachum ipſum in ſuæ religionis & ordinis clericalis vituperium ad oſtendendum eum fore ſacerdotem de novo radi fecerunt, & eum in quodam curru poſuerunt, & cum tenaculis igneis ipſius carnes evellentes, eas canibus projecerunt: & ſic eum per civitatem Florentinam prædictam tranſeundo etiam prope eccleſiam cathedralem ad majus ordinis clericalis vituperium, uſque ad locum, ubi fures ſuſpenduntur, deduxerunt: ipſumque coram populo clamantem, quod a ſibi impoſitis innocens erat penitus & immunis, vivum ſepeliri fecerunt atque mori. Et inſuper in pluribus civitatibus, terris, locis, atque caſtris noſtris & ejuſdem Romanæ eccleſiæ in partibus Italiæ, & ſpecialiter in provincia patrimonii B. Petri in Tuſcia, ducatu Toletano, provincia Maſſæ Trabariæ, marchia Anconitana, & Romandiola conſiſtentibus, cum eorum perverſa aſtutia ac innata malitia diverſas zizanias ſeminantes, rebelliones contra nos & eandem Romanam eccleſiam fieri procurarunt: & etiam ordinarunt, quod Franciſcus de Vico, qui præfectus Urbis nuncupatur, & Baptiſta*

Exercita in Monachum ſacerdotem carnificina.

Diſſeminatæ in eccleſiaſt. ditione diſſenſiones. Tyranni veteres concitati ad perduellionem.



*ſta ejus frater Viterbienſem, Antonius de comitibus de Monteferrato Urbinatem, & Sinnibaldus natus damnatæ memoriæ Franciſci de Ordelaffis Forolivienſem civitates, quæ Romanæ eccleſiæ ab antiquo fuerunt & exiſtunt, ac nonnulli alii tyranni terras, caſtra, & alia loca noſtra & ipſius Romanæ eccleſiæ eorundem Florentinorum adjuti pecuniis, & ſuffulti gentibus & auxiliis [quamvis etiam nonnulli ex tyrannis hujuſmodi & eorum progenitores prædictorum Florentinorum reorum & eorum partis inimici ſemper fuiſſent & hoſtes] tyrannice occuparunt, detinuerunt, & adhuc detinent indebite occupatas.*

III.

*Gentes quoque armigeras equeſtres & pedeſtres publice in favorem, ſuccurſum & defenſionem hujuſmodi noſtrorum rebellium tranſmiſerunt, & ipſas gentes tenent in terris hujuſmodi rebellatis; ac voluerunt & etiam ordinarunt, quod quicunque rebellis eccleſiæ Romanæ, ex eo quia factus rebellis, cenſeatur eorundem Florentinorum colligatus. Et cum in publicum hujuſmodi rebelliones proceſſerunt, ſtatim iidem Florentini duo erexerunt vexilla, videlicet communitatis Florentinorum ac vexillum aliud cum campo rubeo ubi literis argenteis ſcriptum erat,* LIBERTAS, *ac nonnullas gentes armigeras cum hujuſmodi duobus vexillis in ſuccurſum civitatis noſtræ Peruſinæ, quæ ipſis procurantibus jam rebellaverat, & aliorum locorum rebellium tranſmiſerunt & ad faciendum guerram hujuſmodi octo maledictionis & iniquitatis alumnos, videlicet Thomam Marcii de Strozzis, Matthæum Frederici Soldi, Joannem dictum Gueſſium dictum Guthi, Joannem Magalotti, Alexandrum de Bardis, & Joannem Simonis, ordinarunt. Et quia non videntur poſſe per ſe eandem Romanam eccleſiam invadere, omnes quos poſſunt in adjutorium ſuis pecuniis ſolicitare, ac verbis & literis fallacibus & mendaciis inducere non ceſſant. Et a clero civitatis & diœceſis Florentinæ, & aliarum terrarum, quas tenent, diverſas pecuniarum ſummas importabiles, etiam omni humanitate prorſus abjecta, extorſerunt: ac octo viros ſceleratos, videlicet Paulum Matthæi de Maleficiis, Beccum Guidigauze, Bardum Guich. de Altovitis, Joannem Cangeli de Caponibus, ... de Sacchetis, Salvum Philippi Salvi, Michaelem Peruzi hoſpitatorem, & Antonium Philippi de Tholoſinis, quos publice octo ſanctos appellant, ad rapiendum bona eccleſiaſtica deputarunt: qui eccleſias, monaſteria, & alia pia loca, eorumque perſonas bonis ſuis ſpoliant, & hujuſmodi bona mobilia & immobilia vendunt & diſtrahunt pro libito voluntatis. Et inſuper dilectum filium Lucam de Florentia ordinis fratrum Humiliatorum profeſſorem ſacræ theologiæ magiſtrum ad revelandum & declarandum quemdam hominem, qui eidem peccata ſua, & inter cætera quædam furta per eum commiſſa confeſſus fuerat, ſigillum confeſſionis frangere coegerunt: ac deinde præfatum hominem, cujus peccata fuerant revelata, ſuſpendi & mori fecerunt.*

Libertatis nomen fallax propoſitum ſimplicibus.

Seditionum incentores ludibrio ſancti appellati.

Arcana exomologeſeos piacularis propalari juſſa.

IV.

*Ad hæc priores artium & vexillifer dictæ civitatis, qui tunc erant, & nonnulli alii officiales, ac populus & commune civitatis Florentinæ ſupradicti, venerabilem fratrem noſtrum Lucam epiſcopum Narnienſem Apoſtolicæ ſedis nuntium, quem ſpecialiter ad partes dicti patrimonii deſtinabamus, & qui ab eadem Apoſtolica ſede recedebat, injurioſis, violentis, & ſacrilegis auſibus capere, & captum aliquandiu crudeliſſimo carcere detinere miſerabiliter præſumpſerunt. Rurſus priores, vexillifer, confallonierii, & alii officiales dictæ civitatis, qui tunc erant, ac populus & commune civitatis Florentinorum ſupradicti, ad inauditam patris offenſam proſilientes, ac dolum & proditionem per eos præparatos conantes producere in effectum, dilectum alium noſtrum Geraldum S. R. E. presbyterum Cardinalem, in nonnullis terris Italiæ pro nobis & eadem eccleſia in temporalibus vicarium generalem, magnum & honorabile membrum eccleſiæ, & in grandium agendorum executione probatum, hoſtiliter inſequentes, procurarunt & de facto fecerunt, gentes armigeras ad civitatem noſtram Peruſinam prædictam deſignando, quod dictus Cardinalis ac etiam venerabilis frater noſter Bernardus epiſcopus Bononienſis cum nonnullis aliis perſonis eccleſiaſticis, ejuſdem Romanæ eccleſiæ ac noſtris officialibus, obſeſſi fuerunt, ſeu populo Peruſino noſtris & ejuſdem Romanæ eccleſiæ rebellibus, ipſos Cardinalem, epiſcopum, & alios obſidentibus præbuerunt auxilium, exfortium, & juvamen in divinæ majeſtatis offenſam, Apoſtolicæ ſedis ac noſtri & eccleſiæ ſanctæ Dei totiuſque Chriſtianæ religionis opprobrium, læſionem libertatis eccleſiaſticæ, ac eorumdem Cardinalis, epiſcopi, & aliorum ſupradictorum offenſam, enormem injuriam, exempli perniciem, & grave nimis ſcandalum plurimorum, pœnas varias & ſententias tam in jure contentas, quam per proceſſus diverſos per felicis recordationis Joannem Papam XXII. & nonnullos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros contra tales factos damnabiliter incurrendo, & alia quamplura enormia crimina contra nos & eandem Romanam eccleſiam ac libertatem eccleſiaſticam, quarum etiam aliqua hæreſim manifeſtam ſapere dignoſcuntur, perpetrarunt.* Subdit Gregorius, licet crimen exploratum eſſet, inque Florentinos legum ſeveritas exeri juſte poſſet, demandatam tamen Petro tit. S. Laurentii in Lucina presbytero Cardinali provinciam, ut de re inquireret, ac pontificiis literis Florentinorum magiſtratus,

Geraldus Card. legatus petitus bello a Florentinis.

Commotum ad ſeditionem Peruſium.

Ut judiciorum ordo ſervatus in Florentinos.

tus, qui ab excurrente anni ſuperioris menſe junio, quo cœptæ in eccleſiam coitiones fuere, publicæ rei præfuerant, monitos tertia februarii die, ut a præſtanda perduellibus ope, diripiendiſque eccleſiaſticis ſibi temperarent, ac ultimam abeuntis martii diem illis ad cauſam dicendam apud apoſtolica ſubſellia conſtitutam: cum vero neque intentato bonorum privationis, ac ſervitutis aliarumque pœnarum terrore flagitio ſubmoveri poſſent, præcipuos conjurationis auctores anathemate defixos, ac Florentiam ſacrorum uſu interdictam: cumque neque his eccleſiaſticis cenſuris illos movendos ſpes adeſſet, humanarum pœnarum aculeis urgendos cenſuiſſe: vetitum itaque cæteris fidelibus inire cum Florentinis commercia aut commeatus, ac vitæ neceſſaria inferre, aut operam iis navare, ac pronuntiatum, deturbandos bonis, quæ jure fiduciario ab eccleſiis obtinerent; tum hanc adjectam pœnam.

V. Indictæ iis pœnæ.

*Et ne ipſorum temeritas tranſiret præſumptoribus in exemplum, bona ipſorum priorum, confalloneriorum, vexilliferorum juſtitiæ, officialium populi & communis, & etiam quorumcumque Florentinorum, ubicumque conſiſtentium, immobilia de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio confiſcavimus: & perſonas ipſorum omnium & ſingulorum, abſque tamen morte ſeu membri mutilatione, exponimus fidelibus, ut capientium fiant ſervi, & bona eorum mobilia quibuſcumque fidelibus occupanda.* Decernit etiam omnibus pœnis edictis Joannis XXII. in perduelles & tyrannos eorumque ſequaces latis irretitos teneri, publico commercio interdici, proſcribi, nota infamiæ inuri, teſtandi vel e teſtamento ſuccedendi jure orbari, legumque adverſus injuriam inferentes præſidio denudari. Derivat etiam in poſteros infamiæ maculam, eoſque honoribus, ſacerdotiis, ac muneribus publicis ſancit depellendos. Tum aliis pœnis, prout demeruerint, affectum iri intentat; additque: *Illud inſuper præfatos priores, confallonerios, vexilliferos juſtitiæ, officiales, populum & commune nolumus ignorare, quod contra eos univerſorum Imperatorum, Regum & principum, univerſitatum & aliorum fidelium quorumcumque proponimus invocare ſubſidium, & per omnem modum & viam, per quos juſte poterimus, proponimus ipſorum ſuperbiam, ingratitudinem & proterviam domare ſic, quod illis reatus ſuos pœnarum acerbitate deflentibus, pœnales eorum fletus cedant perpetuo ipſorum poſteris ad terrorem, &c. Dat. & actum Avin. in palatio apoſtolico XI. kal. aprilis anno VI.*

Intentatæ aliæ graviores.

VI.

Illata graviora Florentinis damna, atque e pluribus locis ſpoliatos bonis fugam arripere coactos, refert vitæ Gregorii ſcriptor (a): & Walſinghamus teſtatur (b), mercatores Florentinos in Anglia redactos fuiſſe in ſervitutem, eorumque bona fiſco addicta: hiſque malis perculſos Florentinos ad redintegrandam cum Pontifice pacem [1] Catharinam Senenſem ſanctitate clariſſimam miſiſſe: quamvis poſtea magiſtratus Florentini & Pontifici & S. Catharinæ illuſerint, ut refert S. Antoninus (c), ex vita S. Catharinæ a B. Raimundo Capuano Dominicanæ familiæ ſupremo magiſtro conſcripta: *His* inquit, *malis arctati coacti ſunt pacem cum Romano Pontifice Gregorio tractare, quam tractabant per medias perſonas, quas exiſtimabant gratas eſſe Pontifici. Et cum audiſſent, quod hæc ſacra virgo Catharina propter ſuam ſanctitatem ſatis erat Pontifici grata, procuraverunt eam venire Florentiam. Ad quam venientem acceſſerunt aliqui ex magiſtratibus, rogantes quod perſonaliter Avinionem accederet ad Pontificem ſummum ex parte eorum, ut iram ejus contra ipſos conceptam leniret, ac pacem & concordiam inter ipſum & eos tractaret. Zelo illa ſuccenſa charitatis laborem non recuſavit, & fiduciam gerens in Domino operis exequendi, iter aſſumpſit debilis corpore. Avinionem applicuit. Pontificem alloquitur, ſed per interpretem, me ſcilicet fratrem Raimundum: loquebatur enim in vulgari Tuſco, quod Pontifex non intelligebat, & ideo interpretatione opus erat. At benignus Pontifex pacis amator libenter audivit, & clementer reſpondit: Ut omnibus*

(a) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*
(b) *Walſing. hiſt. Angl.*
(c) *Ant. 3. p. tit. 23. c. 14. §. 16. ex B. Raymundo Capuano.*

Florentini concordiæ adhibent interpretem S. Catharinam.

Excipitur illa benevole a Gregorio.

NOTÆ [1] SOzomenus presbyter Piſtorienſis in ſpecimine Hiſtoriæ Piſtorienſis, vulgato rer. Italic. to. XVI. iis omnibus, quæ ab Annaliſta hic narrantur ſua temporum diſcrimina addit. Igitur eo teſte, in ipſo anni hujus exordio pontifex legatos ſuos, nempe Bartholomæum Jacobi Genuenſem J. C. & Nicolaum Neapolitanum *Siniſcalcum provinciæ* Florentiam miſit de pace acturos. Quibus aurem præbentes Florentini, cum prope conveniſſent Bononiæ, ab Eccleſia defectio ex improviſo annunciatur; eaque ſubita res de pace tractationes omnes abrupit. Tunc pontifex Florentinos cenſuris juſſit, Urbemque interdicto ſubjecit, quo ad diem XI. Maji *quaſi per unum annum* obvoluti. Adjectus & armorum terror; Robertus enim Gebennenſis Cardinalis cum VI. millibus equitum, & IV. millibus peditum ex Britonibus mercede conductis deſcendit in Italiam. Statim pacis conſilia agitare Florentini, quam & per S. Catharinam Senenſem Virginem de qua in Annalibus, ad Gregorium miſſam ſolicitabant primo, dein miſſis oratoribus die II. Junii palam poſtularunt. Aliæ pariter legationes ad regem Gallorum, ad Joannam reginam, & ad regem Hungariæ decretæ ut per principes illos pontificis animum flecterent; ſed fruſtra, nam bellum toto hoc anno perſeveravit. MANSI



*bus pateat, quia pacem cum eis volo, ecce pacem ipſam pono in manibus tuis, chariſſima filia: tu tantum recommendatum habeas honorem eccleſiæ ſanctæ. Verum quidam filii Belial octo numero aſſumpti a communitate, qui civitatem gubernabant, licet verba dicerent: Pax, Pax; tamen in corde eorum non erat pax, neque in intentione eorum: ſed pleni omni dolo ad hoc tendebant, ut eccleſia omni dominio temporali ſpoliaretur, ut non valeret ex eis ultionem aſſumere, ut patuit poſtea. Nam cum ipſam virginem miſerunt ad pacem tractandam, promiſerunt immediate oratores deſtinare poſt eam, qui haberent plenum mandatum aſſentiendi iis, quæ ipſa cum Pontifice concordaſſet: ſed tarde ſatis miſerunt, & ipſis miſſis Avinionem nihil ſuper prædictis fecerunt. Et interea Pontifex Catharinæ dicebat, videns tardationem: Catharina, iſti me deceperunt, & te etiam decipient, quia vel non mittent, aut totaliter nihil facient ſicut accidit.* Hactenus author.

Deſunt promiſſis Florentini.

VII. De his queſta eſt virgo ſancta.

Queſta eſt graviſſimis literis S. Catharina (a) apud Florentinos, ipſos a priori comparandæ demiſſione Chriſtiana Pontificis gratiæ conſilio diſceſſiſſe: hortata eſt, ut frangerent elatos ſpiritus: eccleſiaſticas opes invaſiſſe, ac obtrita religione caducas res tantum ſectari, corripuit: addiditque ſe a Pontifice humaniſſime exceptam, ſuoque arbitrio controverſiam omnem permiſſam, donec oratores Avinionem acceſſiſſent. Tardius ii a Florentinis miſſi ſunt, & quæ illi antea S. Catharinæ ſpoponderant, ſervare contempſere: quibus ipſa objecit (b) præterita ab iis metu & terrore, non admiſſæ culpæ dolore geſta; perverſi ſeculi dolos arteſque inſtruere, non divinæ Sapientiæ ſe accommodare: utque Chriſti vicario ſe ſubiicerent, ac duriora etiam exciperent imperia, preces addidit. Frangi non potuiſſe Florentinorum pertinaciam, ſed vetera ſcelera novis cumulaſſe, refert vitæ Gregorii ſcriptor hiſce verbis (c). *Eorum communitas ad cor minime reverſa eſt, immo fortior in ſua malitia extitit indurata, continue pejora prioribus contra dictam eccleſiam procurando & machinando: libellos etiam diffamatorios, falſa tamen & erronea continentes, contra ſtatutum ipſius eccleſiæ & perſonam dicti Papæ ubique tranſmittendo. Fecit præterea dictus Gregorius Papa ſuos proceſſus contra alios, qui ſibi & eccleſiæ rebellaverant, & talia commiſerant ſuperius enarrata, prout eorum cujuſlibet demerita exigebant.*

(a) *S. Cath. ep.* 201.
(b) *Ep.* 202.
(c) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*

VIII. Creati duo Card. legati in Italia.

Cum vero leges ſpernerent eccleſiæ perduelles, vim armorum conjunxiſſe Pontificem refert author: creavit nimirum duos Cardinales legatum Franciſcum (d) ſcilicet tit. S. Sabinæ, quem Urbi, Sabinæ Campaniæ, Maritimæ, patrimonio Beati Petri in Tuſcia, ducatui Spoletano, nonnulliſque urbibus inſignibus cum multa authoritate præfecit; ac Robertum Baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum, cui Flaminiæ, Piceni, aliarumque provinciarum adminiſtrationem demandavit, (e) præcepitque ut eccleſiæ hoſtes bello perſequeretur: tum inſtruxit authoritate, ut pacem cum Vicecomitibus Mediolanenſibus percuteret. Quæ vero ab eo geſta ſint, narrat Gregorii vitæ ſcriptor, nimirum pacem cum Bernabone iniviſſe, atque eos, qui excuſſo tyranni jugo in eccleſiæ clientelam ſe receperant, hoſti prodidiſſe: perduelles vero, qui Florentinorum viribus nitebantur, ad æquas concordiæ leges adducere non potuiſſe.

(d) *An. 6. ep. cur. 1. ad 16.*
(e) *An. 6. p. 1. ep. diverſ. form. pag. 11.*

Robertus Gebennen. poſtea antipapa pacem cum Vicecom. init.

IX.

Recenſet accuratius Roberti res geſtas S. Antoninus (f), utque Bononiam variis artibus ad obſequium eccleſiæ revocare fruſtra tentarit: tum illum in crimen vocat, permiſiſſe ut tres Britones cum totidem Bononienſibus ſingulari certamine equeſtri concurrerent: *Cum duellum*, inquit, *ſit prohibitum lege non ſolum canonica, ſed etiam divina, quia hoc eſt Deum tentare, ut dicitur. 2. q. v. Monomachiam, non catholice nec juſte legatus permiſit ipſum duellum & præſens adſtitit.* Addit Gallos in ea pugna ſuccubuiſſe Italis: ac Robertum, cum perduelles nec mulcere verbis nec armis potuiſſe frangere, Cæſenam ſe recepiſſe, ac licentiæ fræna militi adeo laxaſſe, ut Cæſenates atrociſſimis injuriis a Britonibus ſibi illatis laceſſiti, correptis armis, octingentos Britones obtruncarint. Ut vero Robertus verborum lenociniis civilem tumultum compeſcuerit, ac deinde inſigni crudelitate excitis Anglis Cæſenates nullo ætatis ſexuſve diſcrimine ferro conciderit, deſcribit ſanctus author ſubjectis verbis: *Arcem in ea munitiſſimam tenebat Gebennenſis: qui veritus ne civitas ad hoſtes deficeret, indignationem diſſimulabat, nihilque ſiniſtrum de Cæſenatium facto loquebatur; ſed eos multa perpeſſos indigne, merito ſimul neceſſarioque ajebat arma corripuiſſe: verum ea deponere tandem, & ad ſua redire ſuadebat. His verbis confiſi Cæſenates arma depoſuere. Accitis autem propere Anglorum copiis, & cum Britonibus conjunctis, per ipſam arcem eas contra populum inermem deceptumque immiſit. Britones vero irati cædem ſuorum ulciſci properantes, neque ætati neque ſexui pepercerunt, miſeram & innocuam multitudinem trucidantes crudeliſſime. Angli autem cum eis magis inſiſtebant rapinæ civitatis, unde & Cæſenates ipſos admonebant ad fugiendum e civitate, vix enim aliqui alii evaſerunt niſi a civitate recedentes: tanta fuit crudelitas Britonum, ut & lactentes de cunis*

(f) *Antonin. 3. p. tit 22. c. 1. §. 4. Leon. Aret. l. 8.*

Impie monomachiam permittit.

Cæſenates perfide contrucidari jubet.

*nis extraherent, capita eorum ad parietes contundentes, aliquos alios ſtrangulantes, reliquos perforantes, ipſos occiſos alligantes ad oſtia domorum. Stratæ plenæ erant cadaveribus & ſanguinibus. Juxta patres reperiebantur filii interempti ſecus germanos fratres eorum; & cum uxoribus viri. Numerus autem occiſorum fuiſſe dicitur tria millia, ſecundum aliquos quinque millia. Dominus autem Galeottus dux exercitus eccleſiæ hæc fieri ſinebat quaſi non curans, forte ſperans civitatem vacuam remanentem ad ejus dominium perventuram, ſicut poſtmodum accidit. Et ubi Britones hoc egerunt in vindictam, ut inde ab aliis civitatibus timerentur, citiuſque ſe eis traderent, ne paterentur talia; oppoſitum inde ſequutum eſt: nam tanto horrori omnibus Italicis hoc fuit, ut magis animarentur ad repugnandum eis, ne aliquando devenirent ad manus tam immanium ferarum. Et ſi legatus ad hoc illos induxit, ut dicitur, cum tamen ſub jurejurando permiſiſſet Cæſenatibus ſecuritatem, ut deponerent arma; ne dum prælatum eccleſiaſticum, vices tenentem vicarii Jeſu Chriſti, ſed Herodem & Neronem dedecuiſſet tam ſæviſſima ſceleſtaque vindicta.* Hæc fuere Roberti egregia illa illa facinora, quæ poſtea Cardinales apoſtatas ad virum ſanguinarium, promptumque ad omne ſcelus, creandum antipapam indicto Clementis illi nomine, permoverunt. Pergit S. Antoninus: *Sed inter hæc, ut habetur in chronico Florentino, hoc accidit ſtupendum miraculum quia tum quidam ex Britonibus ipſis in quadam eccleſia ſuper altare aliquos parvulos trucidaſſet, furoreque ebrius gladio ipſo cruentato percuteret imaginem B. Antonii in pariete depictam; mox ignis, devorans carnes, ejus corpus invaſit: dumque ſic immenſis doloribus ureretur, cucurrit ad mare, & in aquam ſe proiiciens, ibi ab igne conſumptus eſt totus cum oſſibus ſuis.* Hactenus ſanctus author. De Britonum & Vaſconum in Italia graſſationibus utque demum internecione deleti ſint, dicetur inferius.

Britonum barbara immanitas.

Divina in ſacrilegum vindicta.

X.

Adducta porro in diſcrimen ob Gallorum præfectorum intemperantiam (a) abſentiamque diutinam Pontificum ditione eccleſiaſtica, Gregorius tum officii religione, tum monitis (b) S. Catharinæ, tum crebris Italorum literis impulſus ad ſedem Apoſtolicam urbi reſtituendam animum confirmavit, cum maxima affulgeret ſpes, ſuperiores tumultus facile ſedatum iri; qua de re vitæ illius ſcriptor (c): *Prædicta*, inquit, *durante tempeſtate, fuit per nuntios & literas pluries inſinuatum dicto Gregorio Papæ, quod ſi ipſe perſonaliter veniret ad partes Italiæ, confeſtim prædicta omnia recuperaret, & alia quæcumque* præmiſiſſet ad ſtatum debitum reducerentur, ceſſarentque machinata, procurata, & tractata tam contra ſtatum ſuum, quam eccleſiæ memoratæ, quæ ſecundum relationes & conſiderationes plurium majora ac pejora prioribus exiſtebant. Ipſe vero volens circa ea providere, & ipſis poſſe tenus obiare, deliberavit ſe transferre ad partes memoratas, ſuoſque greſſus dirigere verſus Romam: cum etiam Romani ſui optantes præſentiam, cauſa ipſum ad hoc alliciendi multa & magnalia promitterent ſe facturos in ſui favorem & honorem quamprimum ad ipſos* declinarent. Qui ſic diſpoſuit facere & ordinavit, quamvis contra conſilium & deliberationem totius collegii omniumque amicorum ſuorum.* Scripſerat antea ad Gallici ſoli, ut in eo ſacrorum Chriſtianorum princeps perpetuas ſedes defigeret, commendationem commentarium vir eruditus Gallia oriundus, quem Petrarcha jam ante, eleganti elucubratione confutarat (d); ex qua pauca hæc graviſſimis referta ſententis delibamus: *Non equidem ſic inſanus ſum, ut Romano Pontifici legem ponam, cum ipſe ſit legifer omnium Chriſtianorum; aut legem ſibi ſtatuam ſive ſedem, qui ſedium dominus eſt cunctarum: ſi enim, ut apud Cordubenſem legimus, Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit, quanto magis ubi Romanus Pontifex habitat, ibi quoque conceſſerim Romam eſſe? Unum hoc [ſi cœlitus datum eſſet] optarem, ut ſicut tunc Camillus ubi licuit, Veiis omiſſis, Romam rediit; ita nunc Pontifex, audebo enim dicere temerarie forſitan, ſed fideliter & (ni fallor) vere, quod ſi hoc ſibi placeret, cui divinitas rei hujus arbitrium dedit, non modo honeſtius ſanctiuſque, ſed tutius ibi eſſet, quam in ulla penitus parte terrarum; nec ingenti pretio cogeretur a prædonibus redimere ſuam & eccleſiæ libertatem, quod prædeceſſor ſuus in ſancta fecit Avinione, de quo tunc & ipſe graviter in conſiſtorio queſtus eſt, & ego dum ſibi ſcriberem non ſilui.* Et infra: *Unum his nunc etiam pari fide ac ſimplicitate ſubnectam, non oportuiſſe nec oportere Pontificem Romanum armata manu Romam petere; tutiorem illum facit auctoritas quam gladii, ſanctitas quam loricæ. Arma ſacerdotum ſunt orationes, lachrymæ, & jejunia, & virtutes, & boni mores, & abſtinentia, caſtitas, humanitas, manſuetudo actuum & verborum. Quid ſignis militaribus opus eſt? Satis eſſet crux Chriſti: illam ſolam tremunt dæmones, homines reverentur. Quid buccinis? ſufficit alleluja.* Senſerat Petrarcha cum aliis, qui divino inſtinctu acti pronuntiabant, perduelles ad officium mox redituros, ſi Pontifex ſacra potius quam humana majeſtate formidandus acceſſiſſet: quo argumento S. Catharina Senenſis epiſtolam graviſſimis refertam ſententiis ad Gregorium dedit. Sed cum ipſe Robertum Card. Gebennenſem carnificis quam legati apoſtolici munere digniorem præmiſiſſet, in ſe Italorum animos efferavit (a). Interea Romani ſe ſuaque (ut par erat) ſolemni pactione Gregorio detulerunt; qua de re vetera hæc monumenta extant (b).

Decernit Greg. Italiam ad eam pacandam petere.

Quis in Italiam Pontificis reditus eſſe oportuerit.

XI.

Romanorum cum Gregorio conventa.

*Infraſcripta ſunt quæ per reverendiſſimos in Chriſto patres & dominos dominos Petrum Oſtienſem & Petrum Portuenſem epiſcopos, & Franciſcum tit. S. Sabinæ presbyterum, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales nomine prælibatæ eccleſiæ & ſanctiſſimi patris & domini noſtri domini Gregorii Papæ XI. a præſidentibus, regiminibus & populo almæ Urbis realiter & cum effectu devote executioni mandari petita ſunt & conceſſa ex deliberatione privati & generalis conſiliorum Urbis præfatæ. Primo petitum fuit, quod offeratur per præſidentem & populum Romanum plenum & liberum Urbis dominium dictis dominis Cardinalibus nomine domini noſtri Papæ eiſdem modo & forma, quibus oblatum fuit ſanctæ memoriæ domino Urbano: & idem dominium detur & aſſignetur eidem domino noſtro cum applicuerit Oſtiæ, vel alii loco vicino Urbi, ſupradictis modo & forma. Item quod ſpecialiter & expreſſe diſpoſitio, cuſtodia & ordinatio pontium, portarum, & turrium, & fortalitiorum, & totius partis tranſtyberim, & civitatis Leoninæ libere a nunc aſſignetur reverendiſſimo patri & domino domino Franciſco tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali in nonnullis terris Romanæ eccleſiæ vicario, vel illi ſeu illis, quos vel quem ipſe deputaverit nomine domini noſtri Papæ prædicti: ipſeque dominus noſter Papa de illis diſponat pro ſuæ libito voluntatis, & in omnibus & per omnia in prædictis fiat, prout factum fuit tempore domini Urbani ſanctæ memoriæ.*

Urbis imperium reſtitutum Pontifici.

*Et quia præfatus dominus noſter Papa firmam ſpem gerit, quod ſocietas executorum juſtitiæ & quatuor conſiliariorum, baliſtariorum, & paveſatorum honorem & exaltationem & ſtatum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ & domini noſtri Papæ præfati toto poſſe & bona fide procurabunt, intendit præfatus dominus noſter dictam ſocietatem conſervare & manutenere ad bonum ſtatum & augmentum hujus almæ Urbis, & exaltationem, ſtatum & honorem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſupradictæ. Et quia ad honorem & commodum dictæ almæ Urbis, populi & præfatæ ſocietatis intendit, vult quod emolumenta cameræ Urbis more ſolito adminiſtrentur & expendantur, & quod illi de ſocietate & alii cives, prout ſolitum eſt, habeant emolumenta & ſtipendia conſueta a camera ſupradicta; & quod reformatio dictæ ſocietatis ad dictum dominum noſtrum pertineat.*

Magiſtratus in priſtinis honoribus fovendi.

*Item petitur nominibus ſupra, quod dicti executores, & omnes & ſinguli de ſocietate præſtent fidelitatis & obedientiæ ſacramentum domino noſtro Papæ, vel illi, quem ipſe ſuper hoc duxerit eligendum, prout præſtiterunt ſanctæ memoriæ domino Urbano. Item quod quando dicti executores juſtitiæ & eorum conſiliarii ſciverint, ſanctiſſimum dominum noſtrum dominum Papam applicuiſſe Oſtiæ vel alteri loco Urbi vicino, vadant ad obviandum domino noſtro Oſtiæ vel alteri loco Urbi vicino pro reverentia impendenda: & quando iter arripient exeant omnes ſupradicti & eorum familiares domum communem, quam nunc dicti executores inhabitant: & demum, cum aſſociaverint dominum noſtrum ad eccleſiam S. Petri & palatium apoſtolicum, & ab eo receſſerint, accedant ad domos ſuas proprias ipſas inhabitaturi, & ibi recipiant emolumenta & ſtipendia conſueta; & ſimili modo ſucceſſores eorum & alii omnes officiales dictæ ſocietatis, prout nunc ſunt ſtantes in domibus propriis accipiant emolumenta & ſtipendia conſueta. Acceptata & approbata fuerunt dicta capitula, & quæ ſuperius petita & data ſunt, per Romanum populum & præſidentes & regimina almæ Urbis in privato & generali ac ſocietatis dictæ Urbis conſiliis ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto indictione XV. menſe decembris die XXI.*

Fidei ſacramentum Pontifici exhibituri.

De officiis illi præſtandis.

XII.

Properabat tum Romam Gregorius: cujus itinerarium (c) deſcripſit fuſius Petrus Amelius Alectenſis epiſcopus Senogalliæ Auguſtinianus; quodque Gregorii vitæ author ita conſignat hiſtoriæ (d): *In die decimatertia menſis ſeptembris anni LXXVI.* nimirum decimitertii ſeculi excurrentis, *de Avenione receſſit, iter ſuum arripiendo verſus partes memoratas cum dominis Cardinalibus, ſex dumtaxat exceptis, qui Avenione remanſerunt: intravitque mare in Maſſilia, ubi invenit galeas & navigia ad ſufficientiam pro ſe & concomitantibus eum: & ab inde progreſſus eſt, dictum ſuum iter proſequendo: in quo multas turbationes habuit, ac pericula plurima incurrit propter mare & temporis indiſpoſitionem, quæ quaſi continue duravit donec applicuit in Corneto, ubi tenuit feſtum nativitatis Domini, & ſubſequentia feſta.* De ejus in Urbem ingreſſu dicetur anno ſequenti; nunc ad Romani imperii res digredimur.

Gregorii in Italiam reditus.

XIII.

Propagandi in poſteros imperii deſiderio Carolus Cæſar ductus repetitis contendit precibus, ut comitia de ſubrogando contra fas ſucceſſore Wenceſlao filio celebrarentur. Imperialium literarum (e) exemplar ex pontificiis tabulariis petitum infra ſcriptum eſt.

Cæſarea ſtudia pro filio ad imperium evehendo.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino domino Gregorio, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, devotus ejus filius Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex ſeipſum ad pedum oſcula beatorum.*

Co-

(a) Leonard. Aret. l. 8.

(b) Ant. 3. p. tit. 22. c. 14. §. 16.

(c) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

* præmiſiſſet

* declinares.

(d) Petra. in apolog. contra Gallica calumnias.

(a) Leonard. Are. hiſt. Flor. l. 8. & ex eo S. Antonin. ſup. §. 4.

(b) Apud Urb. VI. l. 2. pag. 260.

(c) Ext. apud Maſſon. l. 6.

(d) Geſta Greg. XI. apud Boſq.

(e) Ext. in arce S. Angel. & in lib. privil. Rom. Eccl. to. 2. pag. 186. & inter collect. Plat. to. 3. pag. 278. & in MS. bibl. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 147.

Caroli ad Pont. literæ.

*Cogitantes ſæpius, beatiſſime pater, ætatem noſtram in ſenectute jam poſitam ad ſenium vergere, viribuſque corporalibus minui, ut conſuetudo hujuſmodi ætatis expoſcit, noſque non ſic habiles reddi ad imperii gubernacula feliciter exercenda, recognoſcimus imbecillitatem noſtram fidelis & ſtrenui adjutoris auxilio indigere: ſuperque hoc cum illuſtribus principibus præſertim electoribus ſacri imperii per nos & nuntios noſtros ſæpe contulimus, & ipſorum fidele requiſivimus conſilium, quo poſſet reipublicæ utiliter provideri, invenimuſque eorundem principum fere omnium beneplacitum atque conſilium, quod conſideratis mature devotione ad Deum & Romanam eccleſiam (quam Cæſar habet pro tempore defenſare) circumſpectionis induſtria, forma corporis, vires ſtrenui & laborioſi principis veriſimiliter habitura; nec non fidelitate ad dictum imperium, & præcipue ad perſonam noſtram, nec non regali potentia, boniſque moribus & conditionibus illuſtris principis Vvenceſlai inclyti Regis Boemiæ nati noſtri licet ætate ſit juvenis ipſe Rex etiam nobis viventibus eligatur in Regem Romanorum, in Imperatorem poſtea promovendus; noſque ab experto cognoſcentes, eundem Regem fore hujuſmodi virtutibus dotatum, ac conditionibus inſignitum, & probabiliter ſperantes, quod (dirigente Domino actus ſuos) de virtute in virtutem conſcendet, ad quod adhibebimus ſolicitudinem quantam poſſumus, & quod in amore & devotione ſanctitatis veſtræ ac ejuſdem eccleſiæ geſta genitoris imitabitur & augebit, cum hujuſmodi votis & beneplacito præfatorum principum plus intuitu imperii concurrimus, quam affectione paterna.*

*Cum autem ad hujuſmodi electionis celebrationem nobis viventibus procedi non valeat ſine veſtris beneplacito, aſſenſu, & gratia ac favore beatitudini veſtræ, reverenter & humiliter ſupplicamus, quatenus cum dicti electores diſpoſiti ſint de noſtro conſenſu electionem hujuſmodi de Rege celebrare præfato, conſideratis præmiſſis &*

Petita celebrandæ electionis facultas.

*aliis rationabilibus cauſis veſtro profundiſſimo intellectui occurrentibus in hac parte; & inter alias, quod vacante imperio ſolet interdum electio hujuſmodi in diſcordia fieri, & exinde bella crudeliſſima geri, multuſque cruor Chriſtianorum effundi, ut electio ipſa valeat celebrari; dignetur eadem veſtra ſanctitas præſtare beneplacitum & aſſenſum, ac etiam gratiam & favorem præſentium ſub imperialis noſtræ majeſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Dat. Nuremberg an. Dom. MCCCLXXVI. indictione XIV. II. nonas martii, regnorum anno XXXI. imperii XXII.*

Aſſenſit futurorum inſcius Gregorius Carolo non paterno ſtudio, ſed avertendi diſcriminis belli civilis cura ad id duci fingenti; ſubjectoque diplomate deligendi imperii ſucceſſoris ſpirante adhuc Cæſare facultatem contulit (a).

(a) *An. 6. p. 2. ep. diverſ. form. pag.* 289.

*Carolo Romanorum Imperatori ſemper Auguſto.*

Reſponſum Gregorii.

*Benignitate paterna recepimus auguſtalis excellentiæ literas, affectum quem habes ad ſtatum ſalubrem reipublicæ oſtendentes ac effectualiter continentes, quod tu ſæpe cogitans ætatem tuam in ſenectute jam poſitam ad ſenium vergere, viribuſque corporalibus minui, ut conſuetudo ætatis hujuſmodi expoſcebat, teque non ſic habilem eſſe, ut ſolebas, ad imperii gubernacula utiliter exercenda, recognoſcebas perſonam tuam fidelis ſtrenui adjutoris auxilio indigere; ſuper hocque cum principibus præſertim electoribus imperii per te & nuntios tuos ſæpius contuliſſe, & ipſorum*

Repetita ad Wenceſlai gratiam ſubornata mendacia.

*requiſiviſſe conſilium, quomodo poſſet in hac parte reipublicæ utiliter provideri: quodque inveneras eorundem principum fere omnium beneplacitum atque conſilium, quod conſideratis mature devotione ad Deum & Romanam eccleſiam, quam Cæſar habet pro tempore defenſare, circumſpectionis induſtria, forma corporis vires ſtrenui & laborioſi principis veriſimiliter habitura; nec non fidelitate ad dictum imperium, & præcipue ad perſonam tuam, nec non regali potentia boniſque moribus & conditionibus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvenceſlai inclyti Regis Boemiæ nati tui, licet ætate ſit juvenis, ipſe Rex etiam te vivente eligatur in Regem Romanorum in Imperatorem poſtmodum promovendus; tuque*

Spes inanes de eo conceptæ.

*ab experto cognoſcens eundem Regem fore hujuſmodi virtutibus dotatum, ac conditionibus inſignitum, & probabiliter ſperans, quod [dirigente Domino actus ſuos] de virtute in virtutem conſcendet, ad quod te adhibere ſcripſiſti ſolicitudinem quantum poſſes; & quod in amore & devotione noſtris & ejuſdem eccleſiæ geſta tui genitoris ſui imitabitur & augebit; cum hujuſmodi votis & beneplacito præfatorum principum plus intuitu imperii, quam paternis affectibus concurrebas: ſed ut ad hujuſmodi electionis celebrationem te vivente procedi poſſet, nobis ſupplicaſti reverenter ut, cum dicti electores diſpoſiti eſſent de tuo conſenſu electionem hujuſmodi de Rege celebrare præfato, conſideratis præmiſſis &*

Conquiſitæ rationes.

*aliis rationabilibus cauſis noſtro intellectui occurrentibus in hac parte; & inter alia, quod vacante imperio ſolet interdum electio hujuſmodi in diſcordia fieri, & exinde bella crudeliſſima geri, multuſque cruor Chriſtianorum effundi, dignaremur ſuper dicta electione noſtrum beneplacitum, aſſenſum, ac favorem & gratiam impertiri.*

*Nos igitur ſuper præmiſſis ſæpius cogitavimus, & cum fratribus noſtris collationem habuimus diligentem: & licet electio hu-*



*hujuſmodi te vivente minime de jure poſſit, aut debeat celebrari; ſperantes tamen publicam utilitatem ex hujuſmodi electione & ejus effectu [dante Deo] proventuram, ut electio prædicta modo præmiſſo hac*

Datus a Gregorio aſſenſus.

*vice dumtaxat valeat celebrari, noſtrum beneplacitum, aſſenſum, ac favorem & gratiam authoritate apoſtolica tenore præſentium impertimur. Per hoc autem non intendimus eiſdem electoribus vel eorum ſucceſſoribus aliquod jus acquiri, nec Romanæ eccleſiæ juri & authoritati præjudicium generari. Nulli ergo, &c. Dat. Avin.* V. *non. maii anno* VI. Impetrata itaque facultate pontificia, Imperator Spiritui Sancto

Francofurtenſia comitia.

linguis igneis in Apoſtolos devoluto die ſacro Francofurti una cum principibus convenit, ipſoſque ad Wencellaum filium creandum Regem Romanorum pellexit. Cujus electionis celebratæ ſeriem hiſce literis ſignificavit Pontifici, rogavitque ut illam apoſtolica authoritate confirmaret. [1]

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino noſtro domino Gregorio, digna Dei providentia ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Carolus IV. divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Boemiæ Rex, devota pedum oſcula beatorum.*

XIV.

Caroli Imp. literæ.

*Magnæ deliberationis ſtudio ſacri Romani imperii rempublicam, cui nos authore ſuperno per multorum annorum ſpatia præfuimus, prout adhuc præſumus feliciter, & in cujus regimine ſalubri diuturnitate temporis & labore conſumpſimus corporeas multipliciter vires noſtras, una cum aliis principibus imperii coelectoribus ſæpe ſæpius immo ſæpiſſime, prout expedit, accuratius ponderantes; ſignanter multis periculis, ſcandalis, & jacturis ad diſſipationem, immo ſubverſionem non ſolum imperii, verum etiam ſanctæ eccleſiæ Romanæ ſtatus, tranquillitatis, & commodi manifeſte tendentibus, &*

Conquiſiti ab eo fuci inanes.

*quæ proventura forent, prout veriſimiliter præſumitur ex imperii vacatione Romani, ſi ſic nos decedere [quod abſit] contingeret ab hac luce [maxime cum tam Italiæ, quam aliæ partes imperii inſolitis rebellionibus & damnabilium novitatum diſſidiis ſint iſtis modernis temporibus inhumaniter involutæ] quantum Altiſſimus conceſſerit, ſalubriter occurrendum, nuper die ſancto pentecoſtes nos tamquam Rex Boemiæ & alii principes coelectores, videlicet ſereniſſimus princeps dominus Venceſlaus Rex Boemiæ,*

Qui electores convenerint.

*venerabiles Ludovicus Moguntinenſis, Cuno Treverenſis, & Fredericus Colonienſis archiepiſcopi, Rupertus ſenior comes Palatinus Rheni & Bavariæ dux, Vvenceſlaus Saxoniæ & Luneburgenſis dux, ac Sigiſmundus marchio Brandeburgenſis convenimus in pomœriis ſubtus Renſec ſuper litus Rheni Treverenſis diœceſis. In quo loco poſt varios tractatus deſuper habitos nobis præſentibus, qui jam viribus a corporea valetudine laceſſiti & ſenio, multipliciter imperii labores & onera ſufferre commode non valemus; præſertim ut imperium Romanum multis ſuis partibus in tanto diſcrimine ſic poſitis, forti potentique præſidiatore non careat: pro ſalubri commodo totius Chriſtianitatis ac ſtatu in relevamen & adjutorium noſtrum de perſona idonea tractavimus, prout hujuſmodi negotii magnitudo requirit. Et ibidem, Altiſſimo diſponente, in certam perſonam convenimus in Romanorum Regem debitis loco & tempore nominandam, ac poſt hoc [ut moris eſt] ſolemniter eligendam. Demum, illis tractatibus neceſſario [ſicut præmittitur] ſic finitis, omnibus nobis principibus electoribus imperii taliter congregatis, de & ſuper nominationis & electionis hujuſmodi die concordavimus in locum oppidi Frankenfurti ſuper alveo Moſani Moguntinenſis diœceſis, videlicet decima die menſis junii ad nominationem & electionem Romanorum Regis prædictas, volente Domino, feliciter conſummandas: quæ dies nominationis & electionis futuri Romanorum Regis ibidem in pomœriis Renſec per dictum Cunonem archiepiſcopum Treverenſem in dictorum coelectorum & aliorum eccleſiaſticorum & ſecularium principum, comitum, baronum, nobilium, ac copioſa multitudine plebis imperii*

NOTÆ [1] DIes qua Wenceſlaus in regem Romanorum electus fuit ex literis Caroli patris ejus ad Pontificem hic in Annalibus recitatis, elucet. Conveniſſe enim electores conſtat apud Rens, qui locus eſt ad Rhenum in diœceſi Trevirenſi, ſacra Pentecoſtes die, quæ tunc in ipſas Junii Kalendas incidit. Decima ab hinc die Francofurti electio illa rite peracta, & promulgata. Qua vero die regni coronam obtinuerit Aquiſgrani, neque ab Annaliſtis, nec apud ſcriptores alios adnotatur. Unus indicat Cornelius Zantfliet, ſæculi XV. hiſtoricus, cujus chronicon vulgarunt PP. Martene & Durand veter. monum. to. V. Ille enim ad hunc annum ſcribit; *Sexta Julii* (die Dominica) *Carolus Imperator venit Aquiſgrani cum multa comitiva nobilium, ubi filium Wenceſlaum coronari fecit, & inungi in regem Romanorum & Bohemorum, convenientibus, & aſſidentibus electoribus Imperii.* Chroniſta quidem Senenſis Nerius filius Donati, qui per hos annos chronicon vernaculum Patriæ ſuæ ſcribebat, vulgatum rer. Italic. to. XV. ad hunc annum notat filium Caroli imperatoris Martio menſe ſequentis anni, quo author ille annum novum 1378. nondum exorditur, coronam regni Baſileæ obtinuiſſe, cujus nuncium a Senenſi republica Florenis VI. donatum addit. Sed ritum hunc tamdiu dilatum ægre conceſſerim. Cum tamen pro recepto eorum temporum more regum ſolemnis coronatio plus vice ſimplici iteraretur, fieri utique potuit ut ſemel jam coronatus Aquiſgrani Wenceſlaus, iterum Baſileæ diadematus prodierit. MANSI

*perii ſacri fidelium extitit ſolemniter publicata.*

XV. *Poſtquam die veniente prædicta nos, nec non omnes & ſinguli principes electores imperii ſupradicti venimus ad dictum oppidum Frankenfurt, & ibidem dicta conſtituta die nonnullis iterum deliberatione prævia tractatibus præhabitis, Spiritus Sancti gratia devotius invocata, ſignanter advertimus, quod pro tanti regiminis apice totiuſque reipublicæ laborum oneribus ſubeundis in adjutorium noſtrum neceſſario conſtituendus foret princeps illuſtris catholicus juvenis, fortis, potens, & tam terrarum rerumque divitiis, quam etiam ſubjectorum hominum cæteros multa virtute præcellens, & per quem imperio ſacro poſſit utiliter provideri. Sicque conſideratis conditionibus & circumſtantiis multarum perſonarum, nec non ſtatus reipublicæ tam eccleſiæ ſacroſanctæ quam imperii prædictorum, cauſis etiam extantibus prænotatis & nonnullis aliis nos ad hoc legitime moventibus; viſum eſt nobis cæteriſque coelectoribus, præfatum ſereniſſimum principem dominum Venceſlaum Regem Boemiæ, primogenitum noſtrum, aptum, habilem, & idoneum aggredi tanti laboris ſarcinam & honorem. Et ſic, his præmiſſis, eumdem ſereniſſimum principem Vvenceſlaum Chriſtianiſſimum Regem Boemiæ hodie in eccleſia collegiata S. Bartholomæi in dicto oppido Frankenfurt, ſacris miſſarum finitis ſolemniis, una cum omnibus & ſingulis eccleſiaſticis & ſecularibus principibus coelectoribus prædictis, ad quos electio Romanorum Regis legitime ſpectare dignoſcitur, iidemque principes coelectores nobiſcum in Romanorum Regem promovendum in Imperatorem rite concordibuſque votis elegimus nemine diſcrepante; ſpem firmam & in eo confidentem fiduciam obtinentes, quod per ipſius electi magnificentiam, fidei puritatem, conſtantiam, potentiam, ſtrenuitatem & multarum aliarum virtutum merita, noſtra fideliter imitando veſtigia, ſacroſancta Romana ac univerſalis eccleſia, tamquam ejus advocatus præcipuus & defenſor, necnon Romani imperii reſpublica poſſit & debeat reformari viriliter, & ſalubriter, & potenter.*

Ut Wenceſlaus Cæſar deſignatus ſit.

Falſa de eo jactata.

XVI. *Cui quidem electioni dictus primogenitus noſter Boemiæ Rex in perſonam ſuam ſic factæ, licet ſe tamquam inſufficientem ad tantæ ſublimitatis accingendos honores multipliciter excuſaret; tamen ratione victus & precibus conſenſit ad gloriam Altiſſimi, proprios humeros tanto ponderi ſubmittendo. Quo facto nos & omnes dicti coelectores dignas Deo gratias referentes, primogenitum noſtrum prædictum in Romanorum Regem concorditer ſic electum cum decantatione divini cantus, Te Deum laudamus, per dictum archiepiſcopum Moguntinenſem ad clerum, & præfatum ducem Saxoniæ ad vulgarem populum in copioſa valde multitudine congregatum, fuit [ſicut ab olim tentum eſt] hujuſmodi Romanorum Regis electio ſolemniter publicata. Quapropter veſtræ immenſæ clementiæ cum dictis coelectoribus principibus ſupplicamus tam humiliter quam devote, quatenus prædictum primogenitum noſtrum in Romanorum Regem concorditer ſic electum, in Imperatorem promovendum, paternis affectibus benignius amplectentes, Regem Romanorum nominare, ejuſque perſonam ad apicem tantæ dignitatis reputare; nec non eidem munus conſecrationis, ac diadema ſacri imperii loco & tempore opportunis per veſtræ beatitudinis ſanctas manus conferre dignemini, prout extat ab olim fieri ſolitum & conſuetum; ut ſciant & intelligant univerſi, quod poſuit in lucem gentium vos Dominus, ut per veſtræ ſanctitatis arbitrium orbi terræ poſt nubilum optata ſerenitas eluceſcat. Cæterum ut ſuper electione primogeniti noſtri prædicti ſanctitas veſtra unanimi voto concordes nos eſſe cognoſcat, præſentem ſignificationis & petitionis noſtræ literam, cujus vobis ſimilis tenoris, continentiæ, & effectus quilibet coelectorum principum imperii ſuas ſpeciales literas deſtinare debebit, ſigillo noſtro munitam veſtræ beatitudini tranſmittimus, ſicut expedit, reverenter. Perſonam veſtram ſanctiſſimam & incolumem conſervare dignetur Altiſſimus cum dierum felicitate longæva regimini eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Dat. Frank-nfurti regnorum noſtrorum anno* XXXI. *imperii vero* XXII. Adjunxit ampliſſimos oratores Wenceſlaus, qui ſupplices (a) Pontifici depoſcerent imperialis inunctionis munus, fideique ſacramentum veteri more inſtitutoque majorum ſedi Apoſtolicæ regio nomine præſtarent: quo argumento ſubjectæ literæ exaratæ.

Rogatus Pontifex ut auſpiciis illius faveat.

(a) *Extant in arce S. Ang. & inter collect. Plat. to. 2. pag.* 281.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino noſtro domino Gregorio, divina providentia ſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Venceſlaus Dei gratia in Regem Romanorum electus ſemper Auguſtus & Rex Boemiæ cum reverentia debita pedum oſcula beatorum.*

XVII. Wenceſlai ad Gregorium literæ.

*Cupientes ferventi deſiderio vobis patri & domino noſtro clementiſſimo & Apoſtolicæ ſedi zelum noſtræ devotionis offerre, noſque veſtris & ipſius ſedis beneplacitis coaptare, noſtroque & ſacri Romani imperii ſtatui [ſicut expedit] providere, venerabilem Ekardum Vormatienſem epiſcopum principem conſiliarium, & illuſtres Amedeum comitem Sabaudiæ, Raimundum de Baucio principem Auraſicenſem, Eberhardum de Koncenelbolgen comites, nec non honorabilem Conradum de Giſenheim decanum Spirenſem devotos noſtros, nec non fideles dilectos, de quorum fidelitate, legalitate, & induſtria plenam obtinentes fiduciam, fecimus & facimus, conſtituimus & ordinamus nuncios & procuratores noſtros: ipſoſque ad præſentiam veſtram pro noſtris & imperii negotiis ſpecialiter deſtinantes, damus & concedimus eiſdem plenam, generalem, & liberalem poteſtatem & ſpeciale mandatum, in veſtræ ſanctitatis præſentia devotionem & filialem reverentiam, quam erga vos & ſacroſanctam Romanam eccleſiam matrem noſtram ſinceris affectibus gerimus exponendi; petendi, procurandi, ſeu impetrandi pro nobis & noſtris favorem & gratiam veſtram; nec non tractandi, explicandi, exercendi, permittendi, offerendi, ſeu præſentandi in animam & ſuper animam noſtram debitæ vobis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ fidelitatis & cujuſlibet alterius generis juramentum, ſpecialiter ad petendum a vobis unctionem, conſecrationem, & coronam imperii, de ſanctiſſimis manibus veſtris nobis impendendam loco & tempore opportunis; ac faciendi omnia & alia & ſingula, quæ circa hujuſmodi noſtra & imperii negotia tractanda, explicanda, exercenda, promittenda fuerint ſeu etiam facienda, quæ ſecundum Deum & honeſtatem viderint expedire, & quæ ad nos promovendum ad Romanum imperium fuerint facienda; ac etiam requirenda & cætera facienda, quæ regalis excellentia noſtra faceret & facere poſſet, etiam in iis, quæ mandatum exigunt ſpeciale, & perinde ac ſi omnes caſus, qui mandatum exigunt ſpeciale, eſſent in præſenti procuratorio ſpecialiter denotati, promittentes nos ratum, gratum, & firmum perpetuis temporibus habituros quidquid in præmiſſis aut circa præmiſſa per dictos nuncios & procuratores noſtros omnes, vel majorem partem eorum, qui præſentes fuerint, expoſitum, petitum, impetratum, promiſſum, juratum, ſeu factum fuerit, aut quomodolibet procuratum.*

Ad præſtandum fidei ſacramentum paratum ſe exhibet.

*Volumus inſuper, ſalvis præmiſſis, quod prædicti procuratores & nuncii noſtri poſſint omnes inſimul, vel major pars eorum facere procuratorium fortius, quam fieri poterit nomine noſtro in perſona noſtra ſub ſigillis eorum, ad prædicta facienda, ſi defectus aliquis fuerit in prædictis. Teſtes hujus rei ſunt venerabilis Ludovicus Moguntinenſis archiepiſcopus ſacri imperii per Germaniam archicancellarius, illuſtris Vvenceſlaus dux Saxoniæ, ſacri imperii archimareſcallus, venerabilis Joannes Pragenſis archiepiſcopus legatus ſedis apoſtolicæ, nec non illuſtris Jodocus marchio Moraviæ, Henricus Bregens, & Bunzlaus Lignicen duces, nobiles Petrus de Vvartemberg imperialis curiæ magiſter, Timotheus de Koldicz imperialis cameræ magiſter, & quamplures alii noſtri & imperii ſacri fideles dilecti, quos præſentes eſſe voluimus in teſtimonium præmiſſorum præſentium ſub regiæ Boemiæ majeſtatis noſtræ ſigillo teſtimonio literarum. Dat. & actum Franckenfurt anno Domini MCCCLXXVI. indictione* XIV. IV. *id. junii pontificatus veſtri ann.* VI. *regni vero noſtri Boemiæ* VI.



XVIII. Repetitæ eædem literæ preceſque a Wenceſlao fuerunt anno proximo x. kal. octobris. Verum extracta res eſt a Gregorio, cum Wenceſlaus vitio creatus eſſet Romanorum Rex: Carolus enim Imperator, abjecta publicæ rei cura, & affectata tantum filiorum amplitudine, principes electores auro corrupit, ac vectigalibus imperialibus alienatis, imperatorum prorſus potentiam proſtravit, quare maximum ſibi dedecus ipſum peperiſſe, refert Æneas Silvius his verbis. (a)

Differt confirmare Wenceſlaum Gregorius.

*Clarus profecto Imperator, niſi Boemici regni gloriam magis quam Romani imperii quæſiviſſet. Illud quoque nomini ſuo non parvam inuſſit maculam, quod Venceſlaum ex filiis ſuis natu majorem in imperio ſibi ſucceſſorem adhuc vivens ordinare conatus eſt, idque pecunia: nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahi poſſent, quod virtute obtinere non potuit, pretio comparavit, promiſſis cuique electori centum millibus aureis; quos cum repræſentare non poſſet, publica illis Romanæ reipublicæ vectigalia obligavit, perpetuum imperii malum. Hinc Romana poteſtas ad nihilum redacta, nec poſthac attollere caput imperium potuit, cum principes electores omnia ſibi retinerent. Imperatoremque jurejurando adigerent, ne pignora revocaret.*

(a) *Æneas Silv. hiſt. Boem. c.* 33.

Ut Carolus IV. Imperium prodiderit.

Nec minus paterno amore obcœcatus Carolus filium veluti omnibus virtutibus ornatiſſimum principem Pontifici commendavit; cum ob fœdiſſimam ſocordiam imperio deinde fuerit deturbatus, de quo triſtia hæc præſagia refert Dubravius (b): *Vvenceſlaus Norbergæ natus, & aqua luſtrali tinctus eſt; acciditque ut eandem aquam adhuc infans lotio ſuo reſpergeret, ſicut alvi fimo ipſam aram, in qua nondum bimulus coronabatur, coinquinavit: utrumque peritiores inter prodigia retulere, portendi per hæc dicentes futuram quæ ſub hoc Rege evenit, ſacrorum fontium altariumque contaminationem & violationem.* At de his inferius: nunc ad pontificium in conciliandis principibus ſtudium orationem traducamus.

(b) *Dubr. hiſt. Boe. l.* 23.

Triſtia de Venceſlao præſagia.

Montisferrati marchioniſſa regni Balear. jura in Ludovicum Andegaven. transfert.

XIX. Exarſerat ſæva inter Alfonſum Regem Aragonum, & Ludovicum comitem Andegavenſem diſſenſio, cum Iſabella Montisferrati marchioniſſa, Jacobi Regis Majoricarum defuncti ſoror, quæ fratrem in bello ſtipaverat, eo mortuo regni Balearici ac aliorum principum jura in Ludovicum comitem dono transfudiſſet (c). Ut naſcentem itaque controverſiam, quæ plura alia bella facile erat paritura, ſopiret Pontifex, Ægidium Cardinalem epiſcopum Tuſculanum in Aragoniam miſit (d) inſtruxitque authoritate, ut coitiones diſſolveret, pacemque inter diſſentientes revocaret.

(c) *Surit. annal. l.* 10. *c.* 20 *& Maria. l.* 17. *c.* 18.

Miſſus ad naſcens bellum ſopiendum internuntius.

(d) *An.* 6. *p.* 1. *lit. diverſ. form. pag.* 19.

De-

Ferdinandus Luſitaniæ Rex in Mauros expeditionem parat.

Deſudatum eſt eo majori ardore ad bellicos motus naſcentes comprimendos, quo Hiſpanorum arma felicius in Mauros vertenda erant: Ferdinandus enim Luſitaniæ Rex amplificandæ fidei pio ſtudio incitatus, a Pontifice ſacræ expeditionis in Granatæ & Benamarinæ Reges ſuſcipiendæ provinciam popoſcit: ac tum decumarum æs ſubſidiarium ad tolerandos ſumptus, tum indulgentiarum præmia ab iis, qui religioſam militiam accepto crucis ſymbolo profiterentur ſtipemve conferrent, vel ſubmitterent milites, comparanda impetravit (a), ipſique injunctum ut Mahumetica ſuperſtitione in terris, quas hoſti eripuiſſet, exciſa conderet eccleſias, vectigalibuſque locupletaret.

(a) Eod. ann. 6. p. 2. lit. diverſ. form. pag. 235.

*Ferdinando Regi Portugalliæ illuſtri.*

*Accedit nobis & ſanctæ eccleſiæ Dei, cui [licet immeriti] præſidemus, ad ſpiritualis lætitiæ & exultationis augmentum, quod Rege regum & Domino dominantium per virtuoſos actus & ſtrenuos mentem tuam ſalubriter dirigente, animum tuum contra crucis hoſtes ad exaltationem & defenſionem catholicæ fidei præparavit, parans tibi virtutis iter ad dorſa hoſtium elidenda; & primitias deſuper ſperandæ victoriæ ſubminiſtrans, ut eo promptius & virilius cœptum contra prædictos hoſtes negotium proſequaris, quo ponens in domino Deo fiduciam, ejus dexteram auxiliantem tibique propitiam experiris: ex quibus nos & fratres noſtri Romanæ eccleſiæ Cardinales gaudemus tibi pro hujuſmodi proſecutione negotii de conſueta Apoſtolicæ ſedis benignitate paternæ proviſionis auxilium impendere, & apoſtolici favoris præſidia miniſtrare. Sane nuper venerabilis frater noſter Martinus epiſcopus Silvenſis, & dilecti filii Martinus abbas monaſterii Alcobaciæ Ciſtercienſis ordinis Ulixbonenſis diœceſis, ac nobilis vir Alvarus Gundiſalvi de Monramiles Elborenſis diœceſis ambaſſiatores & nuncii tui, ad noſtram præſentiam accedentes, nobis & eiſdem fratribus noſtris ex parte tuæ ſerenitatis reverenter exponere curaverunt, quod tu, zelo fidei & fervore devotionis accenſus, ad promovendum feliciter pro te cœptum piæ proſecutionis negotium contra Reges Benamarinæ & Granatæ, eorumque ſubditos hoſtes fidei perfidos Agarenos, & propulſandum impugnationes, contumelias, & offenſas, quas dicti hoſtes, regni tui Portugalliæ vicini, in Chriſtianos dicti regni & terrarum tuarum perpetrare & committere in gravem Dei noſtri Redemptoris injuriam jugiter non verentur: nec non pro exaltatione ejuſdem fidei & ſanctæ matris eccleſiæ, ac univerſorum Chriſtifidelium ad impugnandum & expugnandum hoſtes eoſdem, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, collatis undique viribus, viriliter intendebas. Et quia ad proſecutionem tanti negotii & continuationem proſecutionis ipſius neceſſario tibi noſcebantur incumbere magna profluvia expenſarum, ad quarum ſupportationem non poteras ſufficere per te ipſum; iidem ambaſſiatores & nuntii tuo nomine certa ſubſidia decimæ omnium proventuum eccleſiaſticorum regni, civitatum, terrarum, locorum, & dominii tuorum uſque ad aliquod tempus, de quo nobs videtur, concedi a nobis ſuppliciter poſtularunt. Nos igitur tuum pium & laudabile propoſitum in hac parte diligentius attendentes, hujuſmodi ſupplicationibus eo libentius annuendum fore providimus, quo hujuſmodi cauſam, quam ad laudem Dei te aſſumpſiſſe & promovere confidimus, apoſtolico favore fulciendum, & juvandum præſidiis utile & expediens extimamus.* Subjungit ſe omnium vectigalium eccleſiaſticorum decimæ partis dimidiam, exceptis Cardinalium equitumque religioſorum, qui ſe ſuaque bello in impios gerendo devovere, a feſto pentecoſtes imminente, ad biennium attribuere: alteram enim dimidiam ſedi Apoſtolicæ ad tolerandos graviſſimos ſumptus, quos in edomandis tyrannis tuendaque ditione pontificia profunderet, reſervaſſe. Tum ſubjectas leges ab eo admittendas imponit.

Subſidia ab Eccleſia illi decreta.

Illius ad Pontificem legatio.

XX. *Volumus, quod medietatem hujuſmodi decimæ, per nos tibi [ut præfertur] conceſſam, per te ſeu alios expendas cum conſilio archiepiſcoporum & epiſcoporum, & ſuorum collegiorum in ejuſdem proſecutione negotii, ipſa tantum proſecutione durante, & medietatem ipſam percipias juxta modum & formam præſentibus annotatos: videlicet, quod quandiu pro tempore dicti biennii tu inſtabis proſecutioni ſupradicti hujuſmodi negotii, medietatis dictæ decimæ ſubſidia tibi pro dicto tempore integre miniſtrentur; quoties vero & quamdiu infra dictum tempus ab hujuſmodi negotii proſecutione ſive per treugas ſive alias contigerit te ceſſare, toties & tandiu ceſſabis a receptione ſubſidiorum quorumlibet prædictorum; & cum hujuſmodi negotii proſecutionem [infra dictum tamen biennium] reſumes pro rata reſtantis temporis de dicto biennio, quo dumtaxat dictum ſit reſumptum negotium proſequeris, recipies ſubſidia ſupradicta; ita quod medio tempore, quo ab hujuſmodi negotii proſecutione ceſſabis, nihil omnino per te, vel alium, ſeu alios recipies de ſubſidiis memoratis: ſed integralis hujuſmodi decimæ ſubſidia pro dicto quo [ut præfertur] ceſſabis tempore, ad nos & cameram noſtram penitus volumus pervenire. Quod ſi ſecus per te vel tuo nomine ſcienter præſumptum fuerit, te excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto; ac civitates, terras, & loca, in quibus te tunc morari, vel ad quæ te interim declinare contigerit, quamdiu ibi fueris, eccleſiaſtico ſubjacere volumus interdicto.*

Leges additæ.



XXI. *Volumus etiam, quod tu hujuſmodi negotium, per te aſſumptum, tam per mare quam per terram ad exaltationem & dilatationem catholicæ fidei contra Reges & hoſtes eoſdem viriliter & efficaciter perſequaris, nihil de contingentibus omittendo, tam defendendo terram Chriſtianorum ab impiis nationibus dictorum Regum & hoſtium, quam etiam impugnando hujuſmodi Reges & hoſtes ipſos, ac caſtra, fortalitia, terras, & loca eorum; & alios infideles tam vicinos quam quoſcunque alios, qui venirent in auxilium eorundem: niſi forte interdum plus defenſioni dictæ terræ Chriſtianorum ab impugnationibus dictorum Regum & hoſtium, quam hujuſmodi expugnationi eorundem hoſtium perſpexeris inſiſtendum: quorum tamen hoſtium impugnationem & expugnationem debes intendere diligenter, cum ipſi fidem catholicam & terras fidelium, potiſſime in eorum frontariis conſiſtentes, ac perſonas Chriſtianorum non deſinant impugnare, Chriſtianos ipſos capiendo, ſuæque ditioni ſubdendo, ipſoſque tam mares quam fœminas & parvulos filios & filias eorundem cogendo fidem catholicam abnegare, & nonnulla alia nefanda in eoſdem catholicos committendo. Ut autem hujuſmodi negotium ſive circa defenſionem regni, terrarum, & locorum tuorum, ſive circa impugnationem crucis hoſtium prædictorum tam per mare quam per terram felicius & ſecurius, Deo tibi aſſiſtente propitio, proſperetur; hujuſmodi noſtræ ordinationis terminos non excedas, ſed illos diligenter ſtudeas obſervare. In terris quoque, caſtris, & locis in dictis regnis Benamarinæ & Granatæ, ſeu eorum altero, aut aliis terris per dictos Agarenos detentis, tam per te jam forſitan acquiſitis, quam quæ tibi [divina ſuffragante virtute] te acquirere contigerit in futurum, conſtrui & ædificari volumus eccleſias ſeculares: videlicet cathedrales ſecundum mandatum & ordinationem noſtram & ſucceſſorum noſtrorum vel aliorum, quibus nos vel dicti ſucceſſores id duxerimus vel duxerint committendum, conſiderata aptitudine, conditione, qualitate, & dignitate locorum, in quibus fuerint hujuſmodi eccleſiæ ordinandæ. In quibus etiam de mandato noſtro ſeu dictorum ſucceſſorum ponentur & inſtituentur perſonæ eccleſiaſticæ ſeculares, per quas in eis divina celebrentur officia, & miniſtrentur habitatoribus ipſorum locorum catholicis eccleſiaſtica ſacramenta. Collegiatæ vero & aliæ inferiores a cathedralibus fundari poſſunt de mandato prælatorum catholicorum, quibus hoc de jure competit vel competet in futurum: ac ſimiliter inſtitutio ſeu ordinatio perſonarum eccleſiaſticarum, quas [ut prædicimus] ſeculares eſſe volumus, in eiſdem collegiatis & aliis inferioribus eccleſiis ponendarum, poſſit fieri per eoſdem, quibus competit id de jure, ſalvo jure patronatus tui: quod jus intelligi volumus illud eſſe, quod ibi jura communia canonica in caſu, de quo agitur ſeu agetur, præſtiterant.*

Jubetur terra & mari bellum in barbaros gerere.

Condere eccleſias in locis ab hoſte ereptis.

XXII. *In locis autem taliter poſt guerram per te noviter cœptam acquiſitis vel in poſterum acquirendis, ſi ſeorſum vel permiſtim habitare contigerit Agarenos circa ſacerdotes ipſorum, qui zabazara vulgariter nuncupantur; nec non templa ſeu meſquitas ipſorum, ne [quod abſit] per eos funeſtos ritus, invocationes, & clamores verborum, ac publicas invocationes & peregrinationes ipſorum in cordibus fidelium ſcandalum generetur; tu tanquam princeps catholicus & zelator fidei Chriſtianæ juxta conſtitutionem ſuper hoc editam in concilio Viennenſi, cum eoſdem Agarenos in dictis locis noviter, ut præmittitur, acquiſitis vel in poſterum acquirendis ad eorum templa ſeu meſquitas contigerit convenire, ut ibidem adorent perfidum Machometum, ejuſdem Machometi nomen alta voce invocari, aut excoli, Chriſtianis audientibus, vel aliqua verba in ipſius honorem eos profiteri vel proclamare publice, ſeu hujuſmodi peregrinationes in fidelium ſcandalum fieri non permittas: ſed talem obſervationem funeſtam de dictis locis omnino auferas, & a tuis ſubditis auferri procures; diſtrictius inhibendo, ne præfata invocatio ſeu profeſſio nominis ipſius perfidi Machometi publice, aut peregrinatio prælibata ab aliquo in tuo exiſtente dominio attentetur de cætero, vel quomodolibet toleretur; eos qui ſecus præſumpſerint taliter caſtigando, quod alii eorum exemplo perterriti a præſumptione ſimili arceantur.*

De vetandis ritibus Mahumeticis.

*Et quia ſpiritualia Domini ſine temporalibus non ſubſiſtunt, ac juſtum eſt, ut qui altari ſervit, vivere debeat de altari juxta verbum Apoſtoli, & mirum eſſe non debet, ſi temporalia metant ii, a quibus ſpiritualia ſeminantur; volumus, quod pro bonis & rebus in dictis Benamarinæ & Granatæ regnis & terris per dictos Agarenos detentis per catholicos forſan, ut præmittitur, acquiſitis vel in poſterum [concedente Domino] acquirendis, decimas & primitias eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis inſtituendis ibidem, cum ſuper hoc per eas fueris requiſitus, facias cum integritate perſolvi, ſecundum quod jura te ad id aſtringere dignoſcuntur: & nihilominus libertas & immunitas eccleſiaſtica in civitatibus, caſtris, & terris, & locis acquiſitis, & quæ acquiri contigerit in regnis & terris prædictis, eiſdem eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis & aliis plene & libere ſervabitur juxta canonicas ſanctiones.*

De ſolvendis decimis.

*Volumus inſuper, quod proceſſus noſtri & ſententiæ excommunicationis & interdicti per nos, ut præmittitur, in perſonam tuam*

*tuam & civitatem & loca prædicta latæ, & præmiſſorum occaſione ferendæ per aliqua verba vel actus tua nullatenus reſtringantur, ſed in ſua firmitate conſiſtant, &c.* Subjungit, ſi forte aliqua dubia in præmiſſis emergere contigerit, ſedis Apoſtolicæ ea declarandi partium fore; tum velle ſe, ut quæ ipſius oratores ſpopondere, Ferdinandus publicis literis rata haberat, ac ſacramento, tactis rite ſacroſanctis evangeliis, Martino Elborenſi epiſcopo ſe obſtringat ea religioſe ſervaturum. *Dat. Avin.* IV. *non. aprilis anno* VI. Extant eo argumento ad Martinum epiſcopum Elborenſem, & Fulconem Pererii canonicum Caturcenſem juriſperitum Apoſtolicæ ſedis internuntium literæ (*a*), quibus provinciam ipſis dat, ut pro ornanda in Granatenſes alioſque infideles expeditione dimidiam decimarum partem Ferdinando concedendam curent poſſintque abſolvere illos, qui cenſuris ob eas tardius perſolutas ſeſe irretiiſſent.

(*a*) *Eod. an. 6. p. 2. lit. diverſ. formar. p.* 236.

XXIII. Genuenſes in Turcas claſſem parant.

Suſcepta tum etiam eſt ſacra expeditio a Genuenſibus adverſus Amuratem Turcarum Imperatorem, qui imperium Conſtantinopolitanum in graviſſimum diſcrimen adduxerat, extremique terrorem exitii Perenſibus objiciebat. Quorum pium ſtudium multis laudibus extulit Gregorius, ac Genuenſi archiepiſcopo hæc imperia dedit: *Pro parte*, inquit, *ipſorum ducis & communis nuper fuit nobis reverenter expoſitum, quod ipſi, dictæ fidei fervore ſuccenſi, vexationibus & labenti conditioni Conſtantinopolitanæ & aliarum terrarum & partium orientalium, quæ etſi per aliquos non ſane de fide ſentientes, nominis tamen Domini noſtri Jeſu Chriſti veneratores obtinentur, pio compatientes affectu, ad eorum partium, & terrarum quas, proh dolor! vehemens immanium & Chriſtiani nominis blaſphemorum Turcarum & paganorum illos exterminare & ſuæ inſaniæ ſubiicere ſatagentium furor invaſit, auxilium & ſuccurſum nonnulla galeas & navigia, viris pugnantibus armata & aliis neceſſariis communita, cum Dei [ cujus res agitur ] auxilio proponunt adveniente opportunitate temporum de proximo deſtinare, & inibi retinere: quare nobis pro parte dictorum ducis & communis fuit humiliter ſupplicatum, ut eos in hujuſmodi laudabili & pio propoſito eorum cum expedienti ſuffragio adjuvare de liberalitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi præfatorum ducis & communis catholicum & viris fidelibus dignum propoſitum multipliciter in Domino commendantes, & illud [ prout ardua temporis conditio patitur ] opportunis favoribus confoventes, eorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus &c.*

Laudata eorum conſilia.

Mandat archiepiſcopo, ut quæ male parta fuerint, de quorum dominis non conſtaret, uſque ad vigintiquinque millium aureorum ſummam in claſſis apparatum, contra infideles inſtruendæ derivare poſſit. *Dat. Avinion.* VI. *id. martii anno* VI.

Male parta in bellicos ſumptus derivari juſſa.

XXIV. Gregorii pia conſtitutio.

Addimus ad hujuſmodi anni calcem, Gregorium ad divinam gratiam ſibi conciliandam, tum pro anima Glementis VI. patrui inſtituiſſe (*b*), ut divina myſteria a Prædicatoribus peragerentur, ac precum varias formulas præſcripſiſſe, quas pie apud Deum pro ipſo funderent.

(*b*) *An. 6. ep. cur. p.* 17.

*Gregorius, &c. ad perpetuam rei memoriam.*

*De fratrum ordinis Prædicatorum, qui vitæ meritis & dono ſcientiarum quaſi ſydus prærutilans in militanti eccleſia noſcitur coruſcare, devotis orationibus ſpecialiter ſperantes in Domino, & ob reverentiam B. Mariæ Magdalenæ, ad quam ſpecialem devotionem habemus, & apud quam quidem eccleſiam domus & conventus dictorum fratrum exiſtit, prædictam eccleſiam,* nimirum B. Mariæ de Grolis Aquenſis diœceſis, & infra, *ipſi domui authoritate apoſtolica ex certa ſcientia interponimus & adnectimus.* Eos vero religioſos viros, collato pingui ſacerdotio, ad hæc obſtrinxit: *Dum vixerimus, ſingulis diebus [ exceptis feſtivitatibus Salvatoris noſtri & B. Mariæ Virginis glorioſæ, & tribus diebus proxime præcedentibus feſtum reſurrectionis ejuſdem Salvatoris noſtri ] pro nobis celebretur una miſſa, ut Deus nos in ſuis beneplacitis dirigat & conſervet: ſitque dicta miſſa aliquando de Trinitate, quandoque vero de Spiritu Sancto, & aliquoties de eadem Virgine glorioſa, aut de eadem B. Maria Magdalena: & in qualibet miſſa dicatur illa collecta:* Deus omnium fidelium, *&c. quæ pro Romano Pontifice ſolet dici. Et quater in anno per dictos fratres pro nobis fiat proceſſio cum hymnis,* Veni creator Spiritus, *& miſſa ſolemni de Spiritu Sancto: & poterit illud fieri hujuſmodi diebus, videlicet pentecoſtes, in craſtinum aſſumptionis ejuſdem B. Mariæ Virginis, & in die electionis noſtræ ad ſummi apoſtolatus officium, quæ fuit die penultima decembris, & in craſtinis feſtivitatis Apoſtolorum Petri & Pauli: & inſuper poſt menſem a publicatione præſentium facta in præfata eccleſia S. Maximi ſingulis diebus pro anima felicis recordationis Clementis Papæ VI. prædeceſſoris & patrui noſtri dicatur una miſſa de mortuis cum collecta pro pontifice, ut inferius continetur.*

De peragenda re divina precibuſque fundendis.

Pro anima ſua & patrui ſacra ſuffragia decernit.

*Et poſtquam nos eduxerit Dominus de ergaſtulo hujus vitæ, prædictæ miſſæ, quæ in vita noſtra [ ut præmittitur ] debent dici, & proceſſiones ceſſent; ſed loco earum perpetuis temporibus quater in anno dica-*





*tur officium defunctorum, & quatuor miſſæ conventuales his diebus; videlicet una in die anniverſarii noſtri, alia in craſtino commemorationis defunctorum, & alia nona die poſt prædictam feſtivitatem B. Mariæ Magdalenæ immediate ſequente, alia vero in præfata die, qua fuimus ad apicem pontificatus aſſumpti. Et in caſu, in quo talia impedimenta eſſent, quod prædictæ miſſæ his diebus commode celebrari non poſſent, diebus tunc immediate ſequentibus, impedimentis eiſdem ceſſantibus, celebrentur: ſinguliſque diebus etiam dominicis [ exceptis hujuſmodi feſtivitatibus noſtri Redemptoris, B. Mariæ Virginis, & B. Mariæ Magdalenæ; nec non omnium Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac B. Dominici, S. Thomæ de Aquino, & B. Petri martyris de dicto ordine Prædicatorum, & ejuſdem B. Maximi ] celebrentur duæ miſſæ de mortuis una pro nobis, & altera pro ejuſdem Clementis & aliorum omnium de genere noſtro, & illorum qui dictam eccleſiam ruralem fundaverunt & dotaverunt, animabus. Et dicatur illa collecta ſpecialiter in una:* Deus qui inter apoſtolicos ſacerdotes famulum tuum Gregorium, *&c. & in altera:* Deus qui inter Apoſtolicos ſacerdotes famulum tuum Clementem, *&c. cum aliis collectis dici ſolitis pro defunctis: Et ad prædicta deputetur capella illa, quæ eſt poſt illam, quam fundavit bonæ memoriæ Guillelmus archiepiſcopus Toloſanus, & intituletur ſub nomine beatorum Martialis apoſtoli & Magdalenæ; quodque in propria eccleſia in feſto B. Martialis dicatur miſſa conventualis, & ea die fiat ſolemne officium de ipſo ſancto: quodque prædictæ miſſæ celebrentur in hujuſmodi capella ſic ordinata, & illa, quam fundavit dictus Clemens Papa: niſi tale ſubeſſet impedimentum, quod ibidem hujuſmodi celebratio, ſecundum quod præmittitur, fieri non valeret: quo caſu celebrentur ipſæ miſſæ in aliis capellis dictæ eccleſiæ, donec impedimentum ceſſaverit prælibatum. Ad prædictas autem miſſas celebrandas per priorem dictæ domus ſingulis diebus ſabbatis deputentur duo fratres, qui per totam hebdomadam hujuſmodi miſſas debeant celebrare. Dat. Avin.* IV. *id. martii pontificatus noſtri anno* VI.

I. Gregorii in Urbem adventus.

ANnus a Virgineo partu ſeptuageſimus ſeptimus ſupra milleſimum trecenteſimum indictione quintadecima, reſtituta Urbi ſede Apoſtolica, quæ in Galliis uno & ſeptuaginta annis & eo amplius ( ſi anni a creatione Clementis V. intermiſſo eo exiguo tempore, quo Urbanus V. egit in Italia, numerentur ) exularat, illuſtris extitit. Gregorius enim decimatertia januarii die Corneto ſolvens, tranquillo mari Oſtiam delatus indeque per tyberis alveum decimaſeptima ejuſdem menſis die Romæ exceptus eſt, magiſtratibus omnibus ac promiſcuo populo & clero obviam effuſis; cujus in Urbem adventus celebritatem, ingreſſuſque pompam Petrus epiſcopus Senogalliæ, qui Gregorio comes hæſit, incompto verſu, ſed accurato, quod ad hiſtoricam narrationem ſpectat, ita deſcribit (a).

(a) *Petr. Amel. apud Maſſon. de Rom. Pont. l. 6. & Ciaccon. in Greg. XI.*

*Sero illo*, quo nimirum Oſtia tyberina ingreſſus eſt Pontifex, *properaverunt ſenes Romanorum venerabiles ad eorum præſulem accedere,*

Obviam itum ad fauces fluminis.

*Gaudio immenſo repleti, plaudentes manibus, non valebant verbum proferre.*
*Deo teſte, tanta jubilatio, in terris non viſa fuit: nequeo explicare.*
*Accenſo lumine chorizabant cum tubis & faculis calvi decrepiti cum ſonore.*
*Veneris ſequentis ſurrexit media nocte Antiſtes, ut laudes Deo caneret.*
*Libatis ſacrificiis, aliquali dormitatione ſuſcepta, tuba cecinit, ut omnes excitaret.*
*In galeam revertitur Romanus Pontifex, ut per alveum Urbem accederet.*
*Ventis & remis cum vela violentantur contra impetum fluvii, ut Romam applicaret.* Et infra.

Accenſis facibus inſtructiſque ordinibus ad S. Paulum expectatus.

*Effuſis Deo precibus ſupplicibus, nobis in ripa obviantibus, flentes præ gaudio,*
*Elevatis vexillis, equis oneratis tintinnabulis cum aſcenſoribus in campo magno,*
*Currebant banderarii Romani velut dementes, tubis clangentibus.*
*Veniebant ſenes, pueri ac juvenes clamantes: Vivat dominus.*
*Stabant in litore S. Pauli infiniti populi cum luminaribus.*
*Expectabant Romanum præſulem cum nimio apparatu: Vivat Papa vociferantes.*
*Nocte præventus non deſcendit in terram dominus: ibidem pernoctavit in alveo.*
*Bene conſolatus ſomnum cepit antiſtes in galea in Tyberio.*
*Mane autem facto, confluebant Romani innumerabiles a ſancto Paulo. Sole reſperſo deſcendit de galea prius bis libato ſacrificio.*

Die Cathedræ S. Petri illius cathedra Romæ reſtituta.

*Die ipſa Sabbati* XVII. *januarii Simone Petro Romam prius cathedrato.*
*Anteceſſore tuo, cujus tu veſtigia ſequeris ibidem cathedram tenuiſti primo.*
*Te ingrediente doctoris gentium eccleſiam, tuæ ſanctitati occurrit mirabilis proceſſio.*
*Flectente te genua, largito panno aureo, miſſam audiſti a Senogallienſi epiſcopo.*
*Facta viſitatione S. Pauli palatii, ordinataque proceſſione domum præſul egreditur.*
*Via incæpta obviant Pontifici hiſtriones cum filozis via tractatur.*
*Luta ſunt nimia: infinitus eſt apparatus: chorizantes in jubilo omnes progrediuntur.*

Triumphalis ingreſſus pompa.

*Tuba clangente, convocataque acie mirabili vexilla eriguntur.*
*Adeſt ſocietas nobiliſſimi ephœbi tyronis Remondi Turennæ multum grata.*
*Regaliſque nobilis & fortis acies erat militum bene armis decorata.*
*Multa milities, plurima ſagacitas velut caſtrorum acies bene ordinata.*
*Nec defuerunt primicerii, banderiique etiam ſenator manu armata.*
*Egrediente ſummo Pontifice S. Pauli palatium, affuerunt mille hiſtriones.*
*Progrediente præſule, ante chorizabant induti omnes panno albo, manibus plaudentes.*
*Canente tuba proceſſio incipit; & banderiæ eriguntur: omnes jubilantes.*
*Mane hora prima iter omnes ingreſſi fuimus, eundo lætantes.*
*Vexillum eccleſiæ gerebat ſenex tyro Empoſtæ caſtellanus.*
*Domicilium quilibet egrediebatur proprium: occurrit infinitus populus Romanus.*

Latis clamoribus Urbs perſonat.

*Nobilium filii pileos ferebant ante dominum: Iſte eſt dominus quem ſperabamus.*
*Vociferantium vox erat etiam: Vivat Papa: euntes læte eamus.*
*In porta civitatis affuerunt innumerabiles prælati induti pontificalibus.*
*Signa gerebant papalia imperialiaque cum clericis & ſacerdotibus.*
*Tintinnabula cum omni genere muſicorum reſonabant cum ſonoribus.*
*Limina cum ingreditur Romanus antiſtes, dominium ei traditur cum clavibus*
*Almæ Urbis. Conſiliarii, ſenator, bandarenſes omnes cooperti ſunt pannis ſericis:*

Romanorum magnifici apparatus.

*Unde oſtendebatur magnanimitas Romanorum nobilium cum eorum opulentiis.*



*Vere non credebam in præſenti ſeculo videre tantam gloriam oculis propriis.*
*Dire fatigatur præſul prolixitate itineris cum ſuis ſervulis.*
*Per medium Urbis proficiſcendo ambulantes mulieres præ gaudio lamentabantur.*
*Super tectum aſcendebant: cum nimia devotione præſulem intuebantur.*
*Hilariter colleridas ſpargebant velut roſarum flores: omnes gratulabantur.*
*Celeriter per vicos currebat ſicut Dei paranimphus Bertrandus Raphini manſionator.*
*Hora completorii ad gradus S. Petri jejuni læte pervenimus.*
*Tota prælibata die in proceſſione & divina laude inſudavimus.*
*Clauſa die nimium afflicti cum luminaribus prandium ſuſcepimus.*
*Membra fatigata debilitataque magnifice gemmatis ferculis refocillavimus.*
*Tibi Chriſte ſplendor Patris immenſas laudes refero.*
*Tuæque Virgini matri humilem veniam poſtulo, &c.*

II. Excitatæ nonnullæ turbæ.

Confirmat Gregorii vitæ ſcriptor (a) illum a Romanis magnifice exceptum [1]. Verum paulo poſt eorum refrixiſſe ſtudia atque nonnullos in patrimonio B Petri, ſignifero Franciſco e Vico Viterbii tyranno, rebellionem moviſſe.

(a) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*

Interdictum a Florentinis violatum.

Ut inteſtinos hos motus facilius ſedaret Pontifex, externos componere, ac Florentinos in concordiam cum eccleſia redigere eſt conatus: verum ii in contumaciam prolapſi ſacrorum juſtitium, ſpreta apoſtolica authoritate, violare & ſacerdotes ad rem divinam profanandam cogere, non perhorruerunt. Ad irritum etiam cecidere S. Catharinæ labores, ut Florentinos ad officium revocaret: qui eo etiam furoris prorupere, ut ferrum virgineo illius ſanguine cruentaſſent, niſi Deus eorum impetus repreſſiſſet. Prolixiorem, ſed egregiam de iis narrationem e B. Raimundo Capuano (b) Dominicanæ familiæ alumno, qui S. Catharinæ a ſacris conſeſſionibus fuit, illiuſque vitam ſumma fide conſcripſit, quam S. Antoninus ſuæ hiſtoriæ inſeruit (c), petere viſum eſt.

(b) *Raymun. Capuan. l. 3. vit. S. Cathar. c. 17.*
(c) *Anton. 3. p. tit. 23. c. 14. §. 16.*

B. Catharina Senen. ad eos miſſa.

*Virgo reverſa in Tuſciam. Poſtquam Pontifex ad Urbem applicuit, evocato inde Raimundo, inquit: Mihi ſcriptum eſt de Florentia, quod ſi Catharina de Senis eat Florentiam, habebo pacem cum eis. Tunc ego: Pater ſancte, nedum Catharina, ſed omnes quotquot ſumus, parati ſumus pro obedientia ſanctitatis veſtræ uſque ad martyrium ire. At Pontifex: Nolo, quod tu vadas, quia te male tractarent: ſed ipſa, tum quia mulier, tum quia reverentiam habent ad eam, nil ei nocebunt: confectaſque bullas ſuper his opportunas miſit virgini, quæ Senis erat. Quæ ut obedientiæ filia abſque tarditate iter aſſumpſit, & Florentiam pervenit. Ubi a viris Deo & eccleſiæ fidelibus cum non parva veneratione ſuſcepta eſt, locutaque eſt cum aliquibus probis civibus, perſuadendo eis, quod nullo modo perſiſterent in diſſenſione cum Pontifice & paſtore animarum ſuarum; ſed quam citiſſime poſſent reconciliarentur cum vicario Jeſu Chriſti: locutaque eſt cum capitaneis partis Guelphæ dicens, quod ſi eſſent, qui præſtarent impedimentum paci & conpordiæ inter patrem & filios, illi digni eſſent privari omni officio, quia non eſſent vocandi rectores, ſed deſtructores boni communis & civitatis ejuſdem, nec deberent habere conſcientiam liberandi civitatem a tanto periculo per privationem paucorum civium; addens, quod pax illa non ſolum expediebat corporibus & bonis temporalibus eorum, ſed [ quod eſt majus ] quia neceſſaria erat ſaluti animarum eorum, quam habere nullatenus poterant abſque ea: conſtabat enim,*

Ejus legatio.

NOTÆ [1] BAluzius V.C. in collectione actorum veterum ad vitas Paparum Avenionenſium to. II. col. 802. recitat literas quaſdam Gregorii ad Carolum IV. Imperatorem, datas Romæ die 4. menſis Decembris, adeoque hoc, non vero præcedenti 1376. cui Baluzius in nota marginali mendoſe adſcripſit; neque enim toto illo anno Romæ fuit Gregorius, qui Urbem die 17. Januarii hujus anni primo ingreſſus eſt. In his vero literis cauſas pandit quibus pacem denegavit Florentinis, quamquam illam per ablegatos ſuos poſtularint. Has enim conditiones propoſuiſſe pontificem, & adverſarios rejeciſſe idem Gregorius teſtatur: *ipſi nempe*, ſcribit; *circa Statuta neſandiſſima, & iniqua contra inquiſitionis hæreticæ pravitatis officium, & eccleſiaſticam libertatem edita in eorum civitate nullo modo revocare volebant; immo veluti hæreticorum fautores manifeſti, quemdam tenent hæreticum notorium, perverſa dogmata & errores manifeſtos in impugnatione fidei catholicæ palam, & publice in ipſa civitate docentem. Nolebant inſuper de bonis Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, & præſertim immobilibus, quæ venditioni exponendo ſuis deteſtandis uſibus applicaverant, & damnabiliter diſtraxerant, reſtitutionem facere condecentem.* Quid fuerint ſtatuta ipſa juri eccleſiaſtico plane repugnantia authores non produnt, niſi forte quod eorum juſſu ſacerdotes, & monachi ſacris operari neglecta interdicti cenſura coacti fuerint. Hæretici illius, cujus pontifex meminit nomen, & cætera omnia ignorantur. Latifundia vero eccleſiaſtica a Florentinis invaſa chronica Senenſia & Piſtorenſia teſtantur.

Mendoſe pariter apud eumdem Baluzium conſignatæ ſunt aliæ ejuſdem pontificis literæ, prioribus illis ſuccedentes ad eumdem Carolum Imperatorem datæ Romæ die .... Februarii, quas non anno 1376. ut ibi, ſed potius anno 1378. alligandas ex eo deducimus, quod poſt priores illas anni 1377. Decembri menſe ſcriptas datæ ſunt. MANSI

*quod ipſi operam dederant efficacem notorie ad expoliandam Romanam eccleſiam bonis ſuis; unde ſi fuiſſet etiam privata perſona, ipſi coram Deo, & quocumque juſto judice tenebantur ad reſtitutionem bonorum, quæ abſtulerant, ſeu auferri fecerant per alios: quod ſi per pacem habere poterant hujus debiti remiſſionem, ſequebatur utilitas maxima & corporibus & animabus eorum.*

III. Seditio orta Florentiæ.

*His & aliis rationibus & perſuaſionibus tam dicti officiales, quam multi boni cives inducti ſunt ad perſuadendum prioribus & aliis magiſtratibus, quod omnino pacem facerent non verbo tantum, ſed opere & veritate. Sed huic bono ſe oppoſuerunt illi octo viri deputati ad faciendum guerram contra eccleſiam, homines diabolici; ideo officiales partis Guelfæ unum ex illis octo privarunt officio, & aliquos alios paucos prout potuerunt. Inde exarſit ignis in ſynagoga eorum duplex, tum ex parte eorum qui fuerunt privati, tum ex parte quorumdam malevolorum qui accenſi ſunt ad faciendum privari etiam quoſdam ſibi odioſos, ut vindictam facerent de quibuſdam propriis injuriis: & plus nocuit ſecundus ignis quam primus, & multos commovit contra ſacram virginem.* Et infra: *Fit itaque conturbatio in civitate, & in eo turbine plures innocentes paſſi ſunt injurias & nocumenta, & qui pacem optabant exulare coacti ſunt: inter quos ſacra virgo, quæ pacis cauſa tantummodo venerat, per iniquos aliquos computata fuit, & inter alios deſcripta; ita quod publice quidam de inerudita plebe clamabant, dicentes: Capiamus & comburamus illam nequiſſimam mulierem, aut gladio eam trucidemus.*

Furor in B. Catharinam verſus.

*Hujus rei fama divulgata, hi quorum domus inhabitabat cum ſuis licentiaverunt eam, timentes ſibi, ne domus eorum propter hujuſmodi comburerentur a populi furore. At illa conſcientia innocentiæ ſuæ nullo modo permota a mentis ſuæ conſtantia, ſubridens & ſocios confortans, acceſſit ad locum, ubi erat hortus: & ea ibi orante, ecce ſattellites ſathanæ cum gladiis & fuſtibus advenientes tumultuabant, clamantes & dicentes. Ubi eſt illa mala mulier?*

Inſignis ejuſdem conſtantia.

*Quod illa percipiens ad martyrium avida, ac ſi ad convivium vocaretur, occurrit eis; & uni eorum, qui gladio evaginato fortius cæteris clamabat, dicens: Ubi eſt iſta Catharina? læta facie genuflexit & dixit. Ego ſum Catharina. Fac in me, quod tibi permiſerit Deus. Sed ex parte Dei tibi præcipio, quod nullum ex meis lædas. His verbis prolatis, ita conſternatus eſt ille nequam, taliterque perdidit vires, quod nec percutere peterat, nec coram præſentia ejus ſtare audebat: & qui tam ferociter eam quæſierat, poſtquam invenerat expellebat eam a ſe, dicens: Recede a me. At illa, martyrium ſitiens, reſpondit: Ego bene ſto: Quo debeo modo ire? Parata ſum pro Chriſto & eccleſia ſua pati. Hoc diu deſideravi. Nunquid debeo modo fugere, cum reperi quod optabam? Abſceſſit ille confuſus cum ſociis, alia læſione ei non facta. Quo facto, circumdederunt eam filii ſui & filiæ ſpirituales, congratulantes de evaſione ejus, de qua plurimum triſtabatur, quod martyrio digna non fuerat. Cum autem ſui hortarentur eam Senas redire, eis non acquievit, dicens ſe de territorio illo non poſſe diſcedere, quouſque pax præconizata foret inter patrem & filios, quia ſic habuerat a Domino in mandatis.*

IV. Wicleffus hæreſiarcha graſſari incipit.

Dum S. Catharina mortem pro tuenda ſedis Apoſtolicæ dignitate triumpho duceret, Wicleffus parochus in Anglia ad eam convellendam, eccleſiaſticumque ordinem evertendum, fremens ira, quod in ſummos honores conſcendere non potuiſſet, inſtinctu diabolico fœdiſſimas hæreſes ex Marſilio, Janduno, Michaele Cæſenate, & Fraticellis hauſtas, novarumque adjectione conſarcinatas diſſeminare, ac ſimplices ſubornare cœpit. Ad cujus reprimendam impietatem Gregorius Cantuarienſi archiepiſcopo & epiſcopo Londinenſi dedit imperia (a) ut in eum legibus agerent.

(a) Ext. apud Valſing. in Rich. II.

*Gregorius, &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo Cantuarienſi & epiſcopo Londinenſi ſalutem.*

*Plurium fidedignorum ſignificatione dolenter audivimus, quod Joannes Vvicklef rector eccleſiæ de Luttlevvorth Lincolnienſis diœceſis ſacræ paginæ profeſſor, utinam non magiſter errorum, in illam deteſtabilem veſaniam dicitur temere prorupiſſe, quod nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas & falſas, in fide male ſonantes, quæ ſtatum totius eccleſiæ ſubvertere & enervare conantur, quarumque aliquæ [licet quibuſdam mutatis terminis] ſentire videntur perverſas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſilii de Padua & Joannis de Janduno, quorum uterque per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus, non veretur in præfato regno aſſerere, dogmatizare, & publice prædicare, nonnullos Chriſtifideles eis maligne inficiens, & a fide catholica, ſine qua non eſt ſalus, faciens deviare, de quibus ſic ſubortis & non extirpatis, ſeu ſaltem eis nulla facta reſiſtentia [quam ſciamus] ſed tranſactis ſeu toleratis conniventibus oculis, tam negligenter tranſeundo, non immerito deberetis rubore perfundi, verecundari, & in propriis conſcientiis remorderi.*

Marſilii Jandunique hereſes exſuſcitat.

*Quare, cum tam pernicioſum malum, quod non præciſum ſeu radicitus extirpatum ſerpere poſſet in plurimos, in animabus eorum [quod abſit] letali contagione necandos, nolentes [ſicut nec debemus] ſub diſſimulatione tranſire, fraternitati veſtræ per*



*per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus receptis præſentibus, vos vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam vobis mittimus ſub bulla noſtra incluſam; vos ſecrete informantes, ſi inveneritis ita eſſe, præfatum Joannem faciatis authoritate noſtra capi & carceribus mancipari, ejuſque confeſſionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtudeatis, ac ipſum confeſſionem, & quæcumque dictus Joannes dixerit ſeu ſcripſerit ſuper earumdem propoſitionum & concluſionum inductione ac probatione, & quidquid feceritis in præmiſſis, ſub veſtris ſigillis clauſa & nemini revelata nobis per fidelem nuntium tranſmiſſuri: eumdemque Joannem ſub fideli cuſtodia teneatis in vinculis, donec a nobis ſuper hoc aliud receperitis in mandatis, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem* XI. *kal. junii anno* VII.

Juſſi præſules Angli in eum animadvertere.

(a) Ext. apud eund. Vvalſing. ea de re literæ.

Data ſunt quoque iiſdem præſulibus imperia (a), ut ſi Wicleffus intercipi & vinculis mancipari non poſſet, publico edicto judicium de hæreſibus promulgatis illi intenderent, & apud ſubſellia apoſtolica die conſtituta ad cauſam dicendam ipſum ſe ſiſtere juberent: tum Eduardum Regem ac filios, proceres, aliosque authoritate conſpicuos ad aſſerendam incorruptæ fidei puritatem pio ardore accenderent (b) monerentque quantum univerſæ Angliæ dedecus inde aſpergeretur: neque enim modo impii hominis dogmata fidem catholicam, verum civilem etiam omnem ordinem evertere. Præterea eundum Regem (c) ad religionem defendendam ac regia authoritate Cantuarienſem archiepiſcopum & epiſcopum Londinenſem, ut Wicleffum capere poſſent, fulciendos eſt adhortatus. Quo argumento etiam literas dedit ad Oxonienſis academiæ doctores. At ii, ut narrat Walſinghamus, æſtuare cœperunt, an pontificium diploma excipere cum honore vel rejicere deberent; in quos merito exclamat author (d): *Oxonienſe ſtudium generale, quam gravi lapſu a ſapientiæ & ſcientiæ culmine decidiſti, quod quondam inextricabilia atque dubia toti mundo declarare conſueſti? Jam ignorantiæ nubilo obfuſcatum dubitare non vereris, quæ quemlibet e laicis Chriſtianis dubitare non decet.*

Moniti principes ne illi ſtudeant.

(b) Ext. ibid.

(c) Ext. ib. ea de re lit.

Oxonienſis academia Wicleffo favet.

(d) Valſing. in Richardo II.

V.

(e) Valſing. in eod.

Poſtularunt (e) judicio Wicleffum, Pontificio juſſu Cantuarienſis archiepiſcopus & epiſcopus Londinenſis, profeſſi nullius ſe periculi terrore a diſtringendæ in hæreſiarcham eccleſiaſticæ ſeveritatis conſtantia dimotum iri. Verum minis Wicleffi ſequacium poſtea fracti ignave ſe geſſere: cum enim comparuiſſet in judicio Wicleffus, erroneas vel hæreticas ſuas propoſitiones plurima arte in molliorem ſenſum detorſit, erroreſque fidei catholicæ adverſantes damnare ſe paratum eſt conteſtatus. Cujus retractationis formulam affert Walſinghamus, qua nefarius hypocrita pium ſe ita fingit (f). *In principio proteſtor publice, ſicut ſæpe feci alias, quod propono & volo ex toto corde me [mediante Dei gratia] eſſe integer Chriſtianus; & quandiu manſerit in me halitus, profiteri atque defendere, quantum ſufficio, legem Chriſti: & quod, ſi ex ignorantia vel quacumque alia cauſa in iſto defecero, rogo Deum meum de venia; & nunc prout ex tunc revoco & retracto, ſubmittens me humiliter correctioni ſanctæ matris eccleſiæ.* Adjunxit mox ſubdolas propoſitionum impiarum interpretationes, hæreſimque de eccleſiaſticis a bonorum poſſeſſione deturbandis a laicis ita retractat: *Abſit credere, quod intentionis meæ ſit, ſeculares dominos licite poſſe auferre quandocumque & quomodocumque voluerunt vel nuda authoritate ſua, ſed omnino authoritate eccleſiæ in caſibus & forma limitatis a jure.* De pontificis vero & præſulum authoritate hæc profeſſus eſt: *Non intendo derogare poteſtati Papæ, vel cujuſcumque prælati eccleſiæ, quin poſſint in virtute capitis ligare & ſolvere.* De ſacerdotali vero munere hæc recantat: *Hoc debet credi pro catholico, quod quilibet ſacerdos rite ordinatus ſecundum legem gratiæ habet poteſtatem, ſecundum quam poteſt ſacramenta qualibet ſecundum ſpeciem miniſtrare, & per conſequens ſibi confeſſum de quocumque peccato contritum abſolvere.* Hac palinodia, indicti judicii ſeveritatem, tectus patrocinio Joannis ducis Lanclaſtriæ & aliquorum Londinenſium, Wicleffus evaſit, nec vinculis traditus eſt, cum de bifronte & aſtuto hæreſiarcha timendum eſſet, ne novas in eccleſia turbas miſceret. Tantummodo Cantuarienſis archiepiſcopus & epiſcopus Londinenſis ſilentium illi indixere (g): ſed vir impius metropolitani imperia mox obtrivit, vetereſque Berengarii, Waldenſium, Albigenſium aliorumque impiorum hominum hæreſes ab inferis excitavit: aſcivitque ſibi ſocios hypocritas, qui eas impune divulgarunt cum nimirum potentiorum, quibus propinato aureo calice Babylonis gratiſſimi erant, authoritate niterentur.

(f) Ibid. Wicleffi palinodia.

Studet illi dux Lanclaſtriæ.

(g) Valſing. ibid.

Hi, inquit Walſinghamus (h) *vocabantur a vulgo Lollardi, incedentes nudis pedibus, veſtiti pannis vilibus, ſcilicet de ruſſeto; ut per vitam pœnalem facilius incautos traherent ad ſectam ſuam.* Quos vero errores hi hypocritæ ſpargerent in vulgus, deſignat ſubjectis verbis: *Inter cætera iſta quidem tenuerunt ad unguem, videlicet quod Euchariſtia in altari poſt ſacramentum non eſt verum corpus Chriſti, ſed ejus figura. Item quod eccleſia Romana non eſt caput omnium eccleſiarum plus quam una alia eccleſia: nec major poteſtas per Chriſtum data fuit Petro, quam cuilibet alteri Apoſtolo. Item*

(h) In Eduardo III.

Inſignis Wicleffi hypocriſis.

Ejus hæreſes contra Euchariſtiam & primatum Romanæ Eccleſiæ.

*Item quod Papa Romanus non habet majorem poteſtatem in clavibus eccleſiæ, quam quicumque alius in ordine ſacerdotii conſtitutus. Item quod ſi Dominus eſt, domini temporales poſſunt legitime ac meritorie auferre bona fortunæ ab eccleſia delinquente. Item ſi dominus temporalis noverit eccleſiam delinquentem, tenetur ſub pœna damnationis ejus ab ea temporalia auferre.* Et infra. *Item quod nec Papa, nec alius prælatus eccleſiæ deberet habere carceres ad puniendum delinquentes: ſed quilibet delinquens poſſet libere quocumque vellet tranſire & facere quæ ſibi placerent. Iſta & plura alia in ſubverſionem noſtræ fidei aſſeruerunt & affirmaverunt dicti ſeductores in tantum, quod domini & magnates terræ multique de populo ipſos in ſuis prædicationibus confoverunt, & faverunt prædicantibus his errores eo nempe maxime, quia poteſtatem tribuerunt laicis ſuis aſſertionibus ad auferendum temporalia a viris eccleſiaſticis & religioſis.* Obſervandum porro eſt, impium hæreſiarcham furere primum cœpiſſe in ordinem eccleſiaſticum, a quo exambitos honores referre non potuerat: atque ubi ſacramenta deſtruere niſus eſſet, blaſphemiis divinitatis omnipotentiam adortum, tandem idololatriam & atheiſmum inducere pertentaſſe. Quo tanto anteſignano noſtri temporis novatores gloriantur, quanquam non admittant exercendas haſce Wicleffi blaſphemias (a): *Deus nihil poteſt annihilare, nec mundum majorare nec minorare: ſed animas uſque ad certum numerum creare & non ultra. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt. Quælibet creatura eſt Deus. Quodlibet eſt Deus. Deus debet obedire diabolo.* Ex quibus patet Wicleffum furiis infernalibus agitatum fuiſſe. Damnati ſunt primo illius errores (b) a Gregorio Papa, deinde a Londinenſi concilio (c) provinciali, cui Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis præfuit; ac demum in ſynodo (d) Conſtantienſi, qua de re alibi agemus.

Et jus eccleſiaſticum.

Et ſacram fidei cenſuram.

Horrendæ Wicleffi blaſphemiæ.

(a) *Ext. in catalogo articulor. Jo. Viclefi.*
(b) *Valſin. in Eduardo III.*
(c) *Villel. Videfor. adverſ. Jo. Vicleff.*
(d) *Acta Conſtantien. ſynodi.*

VI. Eduardus Rex criminis non expers in permittenda Wicleffo libertate.

Cæterum Eduardo Regi Angliæ crimini vertitur, Wicleffum diſſimulando ipſum provexiſſe: qui etiam in aliis veteres laudes labefactavit, atque Aliciam Pereſiam ſcortum impudentiſſimum in extremo ſenio infirmaque valetudine foverit, ſalutiſque inani ſpe deceptus prius vocis uſum amiſit, quam vocali exomologeſi crimina potuerit expiare, ut Walſinghamus narrat his verbis: *Rex Eduardus III. cum quinquaginta & fere uno annis regnaſſet, vigeſimo primo die junii apud manerium ſuum de Shene diem clauſit extremum: cui per totum tempus ſuæ decubationis aſſederat, proh dolor! illa infanda meretrix Alicia Peeres, quæ cuncta, quæ chariora ſunt, medio tempore ſemper, ſuggeſſit eidem, nihil omnino tractans aut tractari permittens de animæ ſuæ ſalute, ſed ei jugiter ſanitatem corporis repromittens, donec in eo vidiſſet indubitata mortis indicia per vocis præcluſionem. Tunc nempe cum cerneret vocem ademptam ſibi, & oculorum acies hebetari, caloremque naturalem extremitates relinquere, mox inverecunda pellex detraxit annulos a ſuis digitis, & receſſit. Solus tunc quidam ſacerdos aſſidebat Regi moribundo, cæteris circa rerum intentis direptionem: qui ei, eo quod loqui non poterat, nec confeſſionem oretenus facere, perſuaſit ut veniam peteret pro commiſſis, afferens ſibi crucis imaginem, quam dedit in manus ejus. Rex autem cum reverentia ſumma illam accipiens oſculabatur devotiſſime; nunc manus, ut poterat, in ſignum optandæ veniæ protendendo, nunc vero de ſuis oculis lacrymas uberes emittendo, & pedes imaginis frequentiſſime oſculando. Tandem cum ad nutum presbyteri motibus & ſignis, quibus potuit, petiiſſet primo & principaliter de peccatis a Deo remiſſionem, & ſecundario a cunctis creaturis, quas vel ſcienter vel ignoranter offenderat, ſpiritum exulavit.* Quid miſerum Regem juvit, tot geſſiſſe prælia pro Gallica corona adipiſcenda; immortalitatis vero & cœleſtis coronæ adipiſcendæ curas ad extrema fugientis vitæ ſuſpiria extraxiſſe? Reliquit filios tres ſuperſtites Joannem Lancaſtriæ, Edmundum Cantabrigiæ, & Thomam Gloceſtriæ duces, quorum nullus ſceptro ſucceſſit: ſed ex Eduardo Valliæ & Aquitaniæ majore natu filio, qui jam ante deceſſerat, nepos (e) Richardus undennis, qui die XVI. julii apud Weſtmonaſterium regiis inſignibus eſt redimitus. Deſcribit accurate Walſinghamus (f) ſingulos ritus, qui in ea Regiæ inunctionis coronæquæ impoſitæ celebritate ab archiepiſcopo Cantuarienſi ſervati ſunt: ex quibus veterum Anglorum pietas & in religionem catholicam ſtudium eniteſcit: creviſſe autem Richardi ſegnitie in Anglia hæreſim, tandemque ſolio illum dejectum, viſuri ſumus.

Scorti familiaritatem in extremo morbo non deſerit.

Ejus mors miſeranda.

Succedit illius ex primogenito nepos.

(e) *Walſin. in Eduard. III. geſta Greg. XI. apud Boſq. & alii.*
(f) *Valſin. in Eduard. II.*

VII. Friderici Regis Trinacriæ mors.

Eodem ferme tempore quo Eduardus Anglus, diem etiam extremum obiiſſe tradunt Fridericum Trinacriæ Regem Maria filia tantum ſuperſtite; proinde Petrum Aragonium regnum exambire cœpiſſe legatis ea de cauſa ad Gregorium miſſis: Pontificem ejus cupidinem refregiſſe, ac fœminas, allato etiam Conſtantiæ Reginæ exemplo, poſſe ſuccedere reſpondiſſe, negaviſſeque Mariam ſceptro a ſe dejectum iri. Hæc pluribus Surita (g) aliique.

(g) *Sur. ind. l. 3.*
(h) *Ext. A. C. 1359. n. 13.*

Decretum Caroli Imp. de libert. eccl. inſtauratum.

In Germania, cum libertas eccleſiaſtica a potentioribus opprimeretur, Carolus Imperator ad eam in ſuum ſplendorem vindicandam edictum (h) antea Francofurti & Pragæ promulgatum, v. kal. julii Tangerundæ inſtauravit.

Poſtremo, quod ad Gregorium Papam attinet, ipſum Roma Anagniam conceſſiſſe



(a) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*

Pontifex Euchariſtiam in itinere deferri jubet.

(b) *Ext. apud Papyr. Maſſon. de Rom. Pont. l. 6. & Ciacc. in Greg. XI.*
(c) *Geſta Greg. XI. apud Boſq.*

Officium S. Crucis inſtitutum a Gregorio.

ſiſſe colligendi aeris purioris & frigidioris gratia, refert ejus vitæ ſcriptor (a): *Eodem*, inquit, *anno adveniente tempore æſtivo Gregorius Papa propter calores Romæ vigentes ab inde exivit, venitque ad Anagniam, ubi moram traxit per totam æſtatem, cum ſit ibi bonus & purus aer.* Breve hujuſmodi iter deſcribitur ab Amelio epiſcopo Senogallienſi (b), de quo ſuperius memoravi, quem conſulat horum cupidus. Nos his tantum erimus contenti: *Primo mane junii antelucanum Corpus Chriſti omnibus viam patefecit;* quibus antiquus ritus deferendæ ante Pontificem in itineribus Euchariſtiæ illuſtratur. Addit vitæ Gregorii author (c) hæc ab eo ſancita ob egregium, quo erat delibutus, pietatis ſenſum in recolenda domini paſſione, & obſervantiam in Deiparam: *Eodem*, inquit, *anno dictus Gregorius in principio menſis ſeptembris ob devotionem, quam ſingulariter habebat ad paſſionem Chriſti & beatam Mariam Virginem, ordinavit quæ ſequuntur. Primo quod in poſterum fieret officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari, de inventione & exaltatione ſanctæ crucis, diebus quibus occurreret: cum per prius in matutinis non dicerentur pro earum qualibet dumtaxat niſi tres ultimæ lectiones, & aliæ ſex de certis ſanctis, quorum feſtivitates dictis occurrerent diebus. Secundo quod nativitas B. Mariæ Virginis haberet vigiliam cum jejunio, pro qua etiam officium proprium miſſæ ordinavit: cum tamen per prius nec eſſet de illa jejunium, nec miſſa de vigilia hujuſmodi cantaretur.* Addit auctor de Gregorii in Urbem reditu, ac Franciſco e Vico Viterbii tyranno ad officium revocato: *In menſe, vero*, inquit, *novembri poſt ſequente dictus Gregorius Romam rediit, & paulo poſt memoratus Franciſcus de Vico præfectus Urbis fuit ſibi reconciliatus & pacificatus: in cujus ſignum idem Papa in propria baptizavit quamdam filiam ſuam, quæ hac de cauſa Viterbio venerat, & Romam fuit aſportata.*

Pax cum Franciſco e Vico inita.

I.

INgentem luctum attulit Chriſtiano orbi anno a virgineo partu milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, indictione prima, Gregorii XI. obitus, ingenteſque ſubſecuti tumultus eccleſiam Dei concuſſerunt; ſed de his proximo tomo agemus. Nunc cætera, quæ ad Gregorium ſpectant, oratione proſequimur. Extremo ſuperiore anno de pace Pontificem inter ac Florentinos ſerio agitatum, ſcribunt Leonardus Aretinus (*a*) ac Boninſegnius (*b*) præcipuo interprete ac ſuaſore Bernabone Vicecomite: atque ideo communi conſenſu conventus publicos indictos [1], in quibus de fœderis pactionibus fuit agitatum, quos vero ii Sarzanæ habitos tradunt, Lucæ celebratos teſtatur vitæ Gregorii author (*c*); *Intervenientibus*, inquit, *& tractantibus aliquibus, fuit tunc actum de concordia & pace ineundis inter dictum Gregorium Papam & Florentinos cum eorum colligatis, qui erant [ut ſuperius eſt expreſſum] fere omnes vaſſalli & ſubditi terrarum Romanæ eccleſiæ in partibus Italiæ conſiſtentium, comitatu Campaniæ dumtaxat excepto: fuitque pro appunctuatione & perfectione tractatus hujuſmodi de communi partium conſenſu civitas Lucana ordinata, ad quam venerunt certi pro parte partium hujuſmodi deputati, & inter cæteros pro parte dicti Papæ dominus Joannes de Grangia tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis illuc fuit deſtinatus: qui iter ſuum proſequendo, tranſitum fecit per civitatem Viterbienſem noviter eccleſiæ reconciliatam, ubi fuit receptus cum debita ſolemnitate & honore.*

De pace cum Florentinis actum.

(*a*) *Leonard. Are. hiſt. Flor. l.* 9.
(*b*) *Boninſegnius l.* 4. *& alii.*
(*c*) *Geſta Gregorii XI. apud Boſq.*

Pro ea concilianda conventus habiti.

Inter hæc cum Pontifex receſſus Avinionenſes ad Cardinalium Gallorum preces meditaretur (*d*), arcano Numinis divini conſilio, ne Roma ſedis Apoſtolicæ faſtigio beneficioque careret, ut pii viri interpretati ſunt, implicitus eſt morbo graviore, quo omnia remediorum genera reſpuente, de ſucceſſore ſolicitus hæc ſanxit.

Avenionem redire cogitat Gregorius.

II.

(*d*) *To.* 2. *de ſchiſ. M. S. arch. Vat. pag.* 22.

*Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam futurorum.*

*Periculis & detrimentis graviſſimis, quæ eccleſiæ ſanctæ Dei ex longa vacatione propter guerras ingruentes & earum occaſione, & alias quamplures cauſas poſſent accidere, ſalubri remedio obviare cupientes authoritate apoſtolica tenore præſentium irrefragabiliter ſtatuimus & etiam ordinamus, quod ſi hinc ad kalendas ſeptembris proxime futuras [definitum eſt a Gregorio hoc tempus, cum autumno appetente Avenionem repetere cogitaret] contingat nos decedere, ſanctæ eccleſiæ Cardinales, tunc in Romana curia præſentes, ſeu major pars, abſentibus non vocatis nec aliquatenus expectatis, poſſint licite quemcumque locum alias honeſtum voluerint, eligere ſive intra vel extra urbem, etiam minoris partis præſentium, contradictione non obſtante, pro electione futuri ſummi Pontificis immediate ſucceſſoris noſtri hac vice facienda, recipere & habere, & tempus Cardinalibus præfixum ad expectandum Cardinales abſentes, antequam ad electionem ſummi Pontificis procedant & conclave pro eligendo ingrediantur, abbreviare vel prolungare, vel in totum tollere, prout ipſis vel majori parti ipſorum videbitur expedire, locumque prædictum electum & receptum ſemel vel pluries mutare, aliumque de novo recipere, & ſine eo quod aliquod conclave ingrediantur, libere eligere, prout ipſis vel majori parti ipſorum videbitur*

Decretum illius de proximis Cardd. comitiis pro deligendo ſucceſſore.

NOTÆ [1] COnventus ille pro Italiæ pace reſtituenda, cujus Annaliſta hic meminit, condictus fuit non quidem Lucam ut male Annaliſta ex Authore geſtorum Gregorii, ſed Sarzanam ut Author chronici Senenſis cum Sozomeno Piſtorienſi, & reliqui omnes ſcriptores conveniunt. Nec forte alia fuit mens ſcriptoris vitæ Gregorii, qui Lucæ habitum ideo aſſerit, quod Sarzana oppidum eſſet ditionis Lucenſis. Eo vero miſſi, ſcribit Sozomenus, Cardinalis Ambianenſis, Archiepiſcopus Rothomagenſis cum aliis *Oratoribus Legatis papæ*, Oratores Florentini, & fœderatorum Principum, Oratores pariter Regis Galliæ, Comes Brennenſis, Archiepiſcopus *Lemovicenſis, & unus miles*. Oratores Reginæ Joannæ, Otto Dux, Dux Brunſvicenſis, ejus conjux Nicolaus Neapolitanus. Res in deliberationem miſſa die XII. Martii, & cum jam de pace conventum fuiſſet; ſtatim obitus Gregorii annunciatur, quo audito omnes, tractatione pacis derelicta, remearunt in patriam.

Sed & hæc pariter corrigenda ſunt ex duplici epiſtola Colucii Florentinorum Cancellarii vulgata in collectione epiſtolarum ejus parte 2. epiſt. 47. prima data eſt anno 1377. ab incarnatione, qui ex noſtra ſupputatione eſt annus 1378. die IV. Martii indict. I. in ea vero legimus oratores Apoſtolicos nempe Cardinalem Ambianenſem, Archiepiſcopum Narbonenſem, & Epiſcopum Pampilonenſem ad Podium Bonizzum, quod in Senenſi ditione jacet, ad eam rem conveniſſe. Sed ex altera ejus epiſtola legenda ibidem num. 61. diſcimus pacis quidem tractationem habitam fuiſſe Sarzanæ, ſed diſſoluto conventu ex renunciato Pontificis obitu principum Legatos Lucam divertiſſe, quam urbem deſerentes ad propria remeaſſe. Legatos vero Gallos hos nominat Colucius, Petrum epiſcopum, & Laudunenſem, Simonem comitem de Berna, Rodulfum de Renvalle, magiſtrum Alermum Boiſtelli regalis hoſpitii magiſtrum, & Petrum de Corbeja regi a ſecretis. MANSI



*tur opportunum, minori parte non conſentiente, ſeu etiam contradicente; dantes & concedentes authoritate apoſtolica, & de plenitudine poteſtatis prædictis Cardinalibus præſentibus, ſeu majori parti ipſorum omnem poteſtatem & authoritatem eligendi Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummum Pontificem nobis immediatum ſucceſſorem; ſtatuentes ac decernentes authoritate apoſtolica, & de plenitudine poteſtatis, ut ille, qui a prædictis Cardinalibus in Romana curia præſentibus, vel majori parte, numero ipſorum minori parte etiam non conſentiente vel contradicente, in Papam & Romanum Pontificem electus fuerit, ſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummus Pontifex & paſtor abſque ulla exceptione ſit & habetur: prædictorum Cardinalium conſcientias de eligendo bono paſtore onerantes, & ipſos obſecrantes per viſcera miſericordiæ Dei noſtri; ipſiſque nihilominus injungentes diſtrictius & ſub pœnis juris, quod in præmiſſis pure, ſimpliciter, abſque omni fraude, ac celeriter quantum poterunt ſecundum Deum & eorum conſcientias procedere non poſtponant; conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum contrariis non obſtantibus quibuſcumque, quas inquantum præmiſſis obviant, vel alicui præmiſſorum, volumus pro iſta vice pro infectis haberi. Ipſas tamen, & ipſarum modificationes alias volumus in ſuo robore permanere. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* XIV. *kal. aprilis, pontificatus noſtri anno* VIII.

Monitum de idoneo ad Pontificium apicem evehendo.

Superſtes deinde paucis diebus vitæ extitit Gregorius, verſiſque ad ſalutem animæ curis, eccleſiæ ſacramentis rite munitus pie obiit, [1] ut narrat ſubjectis verbis geſtorum ejus ſcriptor: *Memoratus Gregorius Papa a diu ante ſatis debilis & valetudinarius, ac gravi infirmitate detentus, devote receptis eccleſiaſticis ſacramentis cum magna cordis contritione, prout Domino placuit, die* XXVII. *menſis martii anni prædicti* LXXVIII. *in pace quievit, fuit-*

III.

Sacramentis rite munitus obit Greg.



NOTÆ [1] GRegorius XI. hoc anno mortalem vitam abſolvit menſe, & die ab Annaliſta notatis. Virum juris ſcientia conſultiſſimum, morum innocentia eximium, mitem, benignum omnes uno ore prædicant. In Florentinos durior videri potuiſſet, niſi detrectatæ, ſæpius poſtulatæ ab illis pacis, eas graviſſimas cauſas prætendiſſet, quarum ſpecimen in nota ad A. 1377. 2. dedi. Neceſſarios ſuos dignitatibus eccleſiaſticis largiori manu collatis extulit, quo nomine, ſin minus laude, certe venia eſt dignus, cum promotos jam a patruo ſuo Clemente VI. in medio curſu deſtituere non ſuſtinuerit. Joannes Gerſon in tract. de examin. doctrin. part. 2. conſider. 3. in fine ſcribit, Gregorium in ipſo mortis articulo Corpus Chriſti in manibus tenentem, ſancta ſtatim communione reficiendum, palam monuiſſe fideles, *ut caverent ab hominibus, ſive viris ſive mulieribus ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis, quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen ſchiſmatis imminentis*. Quæ ejus dicta de Catharina Senenſi præſertim accepta fuiſſe ſcriptor affirmat. Sed rei, quam ſcriptores omnes coævi premunt ſilentio, Gallicus ſcriptor, nec ejus ætatis ſed paulo recentior, qui incertos ſæpe rumores facilis captabat, teſtis ſuſpectus eſt. Neque enim Gallis ſatis probata erat Catharinæ ſanctitas utpote quæ eorum commodis ſubductum pontificem Italiæ reſtituerat. Natali Alexandro in hiſt. eccl. ad vitam Gregorii hæc pariter hiſtoria multis nominibus ſuſpecta eſt. Suſpicionem hanc promovet etiam Author reſponſionum ad reſponſiones Anglorum pro aſſerendo Urbani VI. pontificatu. Porro rationes haſce Annaliſta hic num. 51. recitat; reſponſiones vero e MS. codice vulgavit Baluzius in collect. actor. veter. ad vitas papar. to. II. num. CCXIII. Objicientibus Anglis heremitolæ cuidam aſſertum fuiſſe a Deo per viſum jus Urbani VI. reſponſum hoc opponitur: *ex ſacris canonibus credendum non eſt talibus ſuper hujuſmodi inviſibilibus oſtenſibus*. Profecto ſi Gregorius viſiones perſimiles tam gravi cenſura notaſſet judicio hoc Gregorii author harum reſponſionum uſus tunc fuiſſet opportune. Apage ergo nugas.

Denique pontificis hujus curas ad reformandos cleri mores laudat, & commendat S. Catharina Senenſis, quæ de præſulibus E. R. ſub hoc pontifice ita ſcribit, epiſt. 204. nov. edit. quam anno 1377. ſcriptam conjicit P. Fridericus Burlamacchi ſoc. Jeſu in adnot. ad eamdem Epiſtolam. *Sappiate che l' onor Dio ſi vede ne prelati più che ſi vedeſſe mai.*

Hic vero de ſchiſmate quod hoc anno poſt obitum Gregorii, & ſub ipſo Urbani VI. ſucceſſoris exordio eccleſiam in partes diſtrahere atque diſcerpere cœpit, diſquirendi locus eſſet. Sed cum tam multa a viris doctiſſimis in utramque partem diſputata ſint; nec inveſtigata, ſumma diligentia & induſtria ſe ſe adhuc prodiderit veritas; ideo rem jam pene deploratam deſerendam optimum cenſeo. Unum hic adnotari e re eſſe judico, quæſtionis hujus cardinem non quidem in eo verſari, an vis illata electoribus ſit a Romanis; id enim pene demonſtratum ab adverſariis Urbani, nec plane negatum ab ejus propugnatoribus arbitror: ſed in eo potius ambigendi locus ſupereſt, an electores coacti Urbanum elegerint. Qua in re Urbano favet ineluctabile illud argumentum, quod vulgus furens Romanum pontificem poſtularit, electores vero neglecto Romano Italum extulerint. Neque enim vera prætendere illos cenſeo, qui Romanum vel ſaltem Italum pontificem petitum a ſeditioſis affirmant. Cur enim alioqui cardinales, cum Italum elegiſſent, ab irruenti undique populi furore præcavendum ſibi duxiſſent, Romanum a ſe electum non laudabili deceptione ſimulantes? Cur non ſtatim furorem compreſſerunt & flagitantibus Italum ejus nationis pontificem elegiſſe ſeſe demonſtrarunt? Argumenti hujus ea vis eſt, ut adverſæ opinionis patroni diſſimulandum illud potius, quam impugnandum aſſumpſerint.

Utcumque tamen res habeat ſeſe, Cardinales electores ſeu vi ſeu ſponte Urbano in Petri cathedram aſſumpto literas ea de re dederunt ad cardinales, qui Avenione agentes cum cæteris non convenerant. Literæ iſtæ in Annalibus leguntur cum ſubſcriptionibus cardinalium XII. inter quos Robertus tit. Baſilicæ XII. Apoſtolorum, qui idem eſt Robertus Gebennenſis, non diu poſt in Pontificem

*fuitque primo corpus ejus delatum ad eccleſiam B. Petri: & ibi pro eo ſolemnibus exequiis celebratis, in craſtinum tranſlatum & ſepultum in eccleſia B. Mariæ novæ, in qua prius Cardinalis exiſtens fuerat intitulatus. Ejus autem obitus fuit occaſio, ne dictus tractatus,* de componenda nimirum Pontificem inter ac Florentinos pace, *perfectionem habuerit, aperuitque viam multis malis & ſcandalis, quæ poſtea ſunt ſubſecuta.* At quorum flagitio ea eruperint mala, dicetur inferius; nunc de Gregorii moribus hæc ex eodem auctore adjungimus: *Ipſe multum dilexit ſuos, præſertim patrem, fratres, & nepotes & alios de domo & genere ſuis prodeuntes, quos licet denuo non exaltaverit, cum per prius per patruum ſuum Clementem Papam VI. ſublimati fuiſſent, tamen ipſos in ſuo ſtatu hujuſmodi conſervavit ſecumque tenuit, ac eorum conſilio & inſtigatione multa fecit, præſertim in promotionibus nonnullorum, quibus ſufficientiores in moribus & ſcientia*

Illius virtutes.

*forſitan reperiri potuiſſent. Fuit tamen alias multum virtuoſus, Deo & B. Mariæ Virgini ſingulariter devotus, quibus preces aſſiduas omni die cum magnis fervore & intentione effundebat. Fuit inſuper pauperum & afflictorum pius ſuſtentator, conſolator, & largiflue benefactor. Dilexit etiam ſingulariter viros literatos, multoſque ex ipſis ſuo tempore promovit & exaltavit quandiu eccleſiæ præfuit. Quaſi continue mentales anxietates habuit propter turbationes, quæ eidem eccleſiæ ſuo tempore contigerunt, quibus quantum potuit cum omni diligentia obviavit: ſed plene non valens occurrere. Etiam non minus afflictus eſt in perſona, quam gravella adeo gravavit, quod dies ſuos in magna parte minoravit,*

* XLVII.

*nondum enim annum * LXVII. ætatis ſuæ attigerat, quando ejus ſpiritus, ut pie creditur, ad ſuperos evolavit.*

Sedis tempus.

Quod ad ſedis tempus attinet; cum ipſemet teſtetur (a) penultima decembris, exeuntis nimirum anni MCCCLXX. Pontificem ſe creatum fuiſſe, vigeſima autem ſeptima martii hujus anni obiiſſe referant authores, illum annis ſeptem menſibus tribus, demptis uno & altero diebus, pontificatum tenuiſſe dicendum eſt.

(a) To.6. ep. cur. p. 17.

Sparſa eſt in Urbe fama (b), Gregorii mortem divinitus acceleratam, ut in Urbe ſedes Apoſtolica defixa hæreret, cum illam Avinionem reducere meditaretur, quamvis antea divino afflatus inſtinctu contra Cardinalium, Regum, nec non conſanguineorum ac patris luctantes voluntates Romam acceſſiſſet, maximaque ea de cauſa diſcrimina ſubiiſſet: cæterum religio ex illius morte damnum ingens paſſa eſt, cum hæreſiarcham Joannem Wicleffum apoſtolica ſolicitudine comprimere cœpiſſet, illique judicium intentaſſet: *Cujus obitus,* inquit Walſinghamus (c), *non modicum fideles contriſtavit, ſed in fide falſos ipſum Joannem & ipſius aſſeclas animavit.*

(b) MS. bibl. Vat. ſign. n. 5626. p. 117.

(c) Thom. Vvalſing. in Rich. II.

Hic deſinit Tomus VI. Raynal.

I. Schiſma exortum.

Decimum ſeptimum Annalium tomum ob diuturnum ſchiſma a Cardinalibus Urbani VI. ſeveritatem non ferentibus conflatum, diſſeminatas hæreſes, auctas Chriſtianæ fideli hoſtium ex principum diſſenſionibus graſſationes perluctuoſum aggredimur: ex quo demum ſchiſmate feliciter emerſit Eccleſia illius imperio, cui venti & mare obediunt (d), cujuſque auxilii nos ſpe erecti difficillimorum temporum hiſtoriam, plurium ſchiſmaticorum confuſam mendaciis, ſcribendam ſuſcipimus ex vetuſtis potiſſimum manuſcriptis codicibus ſumma fide dignis, quæ eo majorem integritatis authoritatem ſibi vendicant, quo aſſervata ab adverſariis, atque Avenione Romam allata fuere.

(d) Mat. 8.

Ordo narrationis.

Hanc autem in confuſarum rerum ſerie evolvenda rationem ſequimur ut temporum ac rerum geſtarum ordini narrationis ordo reſpondeat; ac primum quæ, dum interregnum pontificium tenuit, acta ſint perſtringimus. Secundo loco electionis Urbani Papæ hiſtoriam referimus: tum factioſorum hominum, qui Romanum patria Pontificem optabant, ſuiſque tantum commodis inſerviebant, tumultum exponimus. Tertio loco ſedato tumultu, thyaraque pontificia ſolemni ritu a Cardinalibus Urbano impoſita, ipſius geſta in pontificatus exordio percurrimus. Quarto ad cauſas, quæ Cardinales Gallos ad defectionem ab Urbano impulerint, deflectimus. Quinto quæ motæ controverſiæ de pontificatu turbulentiſſimo ſchiſmatis tempore, acta ſint in medio ponimus, & ſchiſmaticorum antipapam renuntiantium frigida vanaque argumenta, ac fraudes multiplices afferimus, reique geſtæ ab Urbano expoſitæ nitorem, & graviſſima ejus cauſæ argumenta proferimus. Sexto acta judiciaria ab Urbano in antipapam & ſchiſmaticos edicta proponimus. Poſtremo adjungimus; ut dæmon non modo ſchiſmate Eccleſiam laniare ſtuduerit, verum Joan-

NOTÆ cem contra Urbanum renunciatus. Oldoinus in addit. ad Ciaconium eaſdem literas recitat, ſed abſque ſubſcriptione *Roberti*, a quo proinde has literas minime ſignatas notat. Ex Oldoino, utpote qui poſt Raynaldum ſcripſerit, emendandas recitatas ad Annaliſtam literas cenſet Pagius in vita Urbani VI. Verum utrum ea lectio retinenda ſit ambigitur; neque enim varietatem iſtam ex Annaliſtæ oſcitantia ortam cenſeo, ſed ex codicum ab utroque conſultorum diſcrepantia. Annaliſtæ codex cum mancus vel eraſus ſit in nonnullis, quæ Oldoinus in ſuo legit, majorem vetuſtatem ſibi conciliat. MANSI



annis etiam Wicleffi hæreſim in ea occidentis parte, quæ verum Chriſti Vicarium colebat, excitavit. Memor itaque hujus ordinis lector veniam dabit, ſi perturbatarum rerum enarratio non ita dilucide planeque, ut forſitan optaret, contexta videatur, aut ſi aliqua ſæpius repetita minus grata ſint; cum ad conſtabiliendam Urbani VI. veritatem obſcuratam a ſchiſmaticis, atque a catholicis nonnullis circumventis ab illis in dubium revocatam plura, eaque maximi ponderis monumenta afferre neceſſe ſit, quæ eam probent: tum ad id nos adigit inſtituti noſtri ratio, quæ publicis tabulis rerum geſtarum veritatem, adductis etiam authorum verbis, illuſtrat. Præmonito ita benevole lectore hiſtoriæ primum caput aggredior.

Cur adducta publica monumenta.

II. Card. Gallor. diſſenſio in creando Pontif.

Anno igitur a partu Virginis milleſimo treceenteſimo ſeptuageſimo octavo indictione prima Cardinales Galli novum renunciaturi Pontificem in contrarias factiones priuſquam conclave ingrederentur, ut clariſſimorum virorum teſtimoniis conſtat, diſciſſi fuere, adeo ut ante Gregorii XI. obitum qui patria erant Lemovicenſes, omni ſtudio niteretur gentis ſuæ, poſtremis Pontificibus nobilitate, dignitatem novo Lemovicenſi Pontifice augere: alii vero ex aliis Galliarum provinciis oriundi ægerrime ferrent tandiu Lemovicenſes imperaſſe, atque ad Italum potius, ſi partium ſuarum ſtudioſum ad ſacrum ſolium evehere non poſſent, renuntiandum aſpirarent: cujus factionis ſignifer erat Robertus Gebennenſis (qui poſtea antipapatum arripuit) ut teſtatur Marinus archiepiſcopus Brunduſinus (a), qui hoc tempore Caſſanenſis erat epiſcopus, ac Roberti familiaris, omniumque arcanorum particeps.

(a) To.2. de ſchiſm. p.38. & 67. & to. 4. p.63. 64. & 78.

Roberti Gebennenſis factio.

*Quadam,* inquit, *vice dum dictus ſanctæ memoriæ dominus Gregorius ageret lethaliter in extremis, dictus olim Cardinalis,* de Gebennenſi loquitur, *incipiebat hinc inde viſitare alios Cardinales, & ſpecialiter quatuor Italicos, dominos Glandacenſem, de Britannia, & de Luna. Cum ergo dictus teſtis tunc epiſc. Caſſanenſis equitabat tanquam ſuus capellanus & continuus familiaris, & cum eſſet in via verſus Hoſpitium, dictus epiſcopus acceſſit ad eum: dicens ſolacioſe: Pater reverendiſſime nimis cito incipitis laborare pro habendo papatu, nam Papa adhuc vivit. Qui olim Cardinalis reſpondit eidem epiſcopo: Non curo de papatu pro me; ſed tamen operabor quod iſti proditores Lemovicenſes non habebunt optatum: nam non tractabunt me amplius clericaliter, prout huçuſque ſunt aſſueti facere. Item quadam alia vice poſt obitum dicti ſanctæ memoriæ domini Gregorii præfatus olim Cardinalis Gebennenſis nunc antipapa, habita collatione in camera paramenti ſita citra hoſpitium ſuum in ſancta Maria Tranſtyberim, in quo tunc idem Cardinalis habitabat; dictus tunc teſtis Caſſanenſis epiſcopus habens colloquium cauſa colluſionis cum eodem olim Cardinali, perquirendo quem crederet futurum Papam, an Lemovicenſem, ſeu de natione Lemovicenſi.*

Ejus odium in Lemovicenſes.

*Qui olim Cardinalis ſub breviloquio reſpondit: Nunquam iſti traditores Lemovicenſes erunt tantum potentes, quin pro iſta vice nos habebimus Italicum Papam: quia licet non poſſum facere Papam, tamen poſſum impedire, ni illi Lemovicenſes obtinebunt eorum optatum: nam habeo plures voces Cardinalium concurrentium mecum, quam habebunt Lemovicenſes, & accipiens breviarium ſuum in manibus ſuis juravit: Per hæc ſancta Dei Evangelia nunquam habebimus alium Papam, niſi archiepiſcopum Barenſem, aut alium, quem ad præſens nolo tibi publicare, & pluribus vocibus infra novenas dicti ſanctæ memoriæ domini Gregorii quoties equitabat ad viſitandum dictos Cardinales confirmabat idem, ut prædicitur. Demum alia vice infra novenas ejuſdem ſanctæ memoriæ domini Gregorii & poſt miſſam celebratam in ſancta Maria nova, ubi idem dominus Papa extitit tumulatus, & poſt conſilium habitum per Cardinales, idem dictus epiſcopus acceſſit ad eundem Gebennenſem tunc ſuum dominum dicens: Pater reverendiſſime publica vox & fama eſt, quod Cardinalis S. Euſtachii erit Papa. Qui medio juramento reſpondit: Nunquam Lemovicenſes habebunt tantum poſſe, quod habebunt Cardinalem S. Euſtachii, vel aliquem Lemovicenſem in Papam pro iſta vice: nam habeo plures voces Cardinalium concurrentium mecum nominando* VII. *ſupradictos Cardinales, videlicet quatuor Italicos, Glandacenſem, & de Britannia, & de Luna, qui una ſecum dicta miſſa, & facto conſilio in eccleſia S. Mariæ novæ, equitaverunt pariter ad hoſpitium domini Cardinalis S. Petri, qui Italicus fuit, & ibi habuerunt longum conſilium: Lemovicenſes vero equitabant ad hoſpitia eorum propria: & non interfuerunt præfato conſilio, & ſic multoties fecerunt dicti octo Cardinales conſilium in hoſpitio dicti domini Cardinalis S. Petri, quouſque intraverunt conclave; & ſemper dictus olim Cardinalis Gebennenſis retulit eidem domino epiſcopo Caſſanenſi: Italicum habebimus iſta vice in deſpectum iſtorum proditorum Lemovicenſium: nam ego ſum taliter conſenſurus, quia terræ meæ ſunt in confinibus Italiæ; continuo affirmando medio juramento de domino archiepiſcopo Barenſi, ſeu de alio, quem tunc nolebat eidem domino epiſcopo publicare, ut ſupra dicitur.*

Sententia de Barenſi archiep.

Actum de Card. S. Petri.

*Item cum Cardinales intraverunt conclave, & quamdiu dictus epiſcopus prælibatum Gebennenſem ſuum dominum aſſociavit, & præfatus epiſcopus intendens ab inde re-*

*recedere, & accipiens licentiam ab eodem domino ſuo, & aliis Cardinalibus; ut movis eſt, memoratus dominus Cardinalis Gebennenſis vocavit ad ſe dictum epiſcopum & retulit ſibi ſecrete de ſupradicto domino Barenſi, oſtendens ſibi quamdam cedulam, quam in manibus ſuis habebat, in qua fuerunt nomina dominorum Barenſis, & alterius quem nolebat eidem publicare, monſtrando ſibi nomen Barenſis, & alterius non. Et tunc dictus dominus epiſcopus receſſit licentiatus, & antequam exiret conclavi, invenit dictum dominum archiepiſcopum Barenſem, qui dixit dicto epiſcopo Caſſanenſi: Quem credis quod habebimus in Papam; nam communiter dicunt de Cardinali S. Euſtachii. Dictus epiſcopus dixit: vere non habebimus eum pro iſta vice: nam ſcio a domino Gebennenſi quod habebimus Italicum, & forte vos: & ſtatim receſſit ad hoſpitium dicti domini Cardinalis reverenter.*

Converſæ iterum ad Barenſ. voluatates.

III. Agitaſſe pariter Cardinales patria Lemovicenſes de Bartholomæo archiepiſcopo Barenſi renuntiando Pontifice conſilia teſtatur Robertus e Straton (*a*) cauſarum ſacri palatii apoſtolici auditor, atque a gente Gallica ad Italicam, ob mutuum livorem, non ob populares motus, pontificatum traduxiſſe: *Quia*, inquit, *domini Cardinales tunc exiſtentes in urbe non potuerunt concordare ad invicem de aliquo eligendo ex ſe ipſis, antequam ingrediebantur conclave, duæ partes illorum, ut dicitur, decreverant eligere reverendiſſimum patrem tunc archiepiſcopum Barenſem; & hoc ſecrete aliqui ex ipſis intimarunt, de quo, ut audivi, ſatis fuit triſtis & dolens.* Profeſſus etiam eſt Cardinalis S. Petri morti proximus publicis tabulis (*b*) ſe antequam conclave ingrederetur, a Cardinalibus Gallis rogatum, ut pro Urbano tunc Barenſi archiepiſcopo veluti paribus pontificatui virtutibus ornato, ſuffragium una cum ipſis ferret. Et quidem illum dignis ad gerendum pontificatum dotibus inſtructum jure merito viſum Cardinalibus, patet ex Theodorico Niemio, (*c*) qui illius primordia moreſque ita deſcribit.

(*a*) *To.2. de ſchiſ. p.67.*

Confirmantur mutua Gallorum odia.

(*b*) *Ext. l.2. de ſchiſ. p.38.*

Barenſis archiep. dotes.

(*c*) *Theod. Niem. l.1. c.1.*

Geſta ab eo munera.

*Illo tempore, quo Gregorius ante ipſius obitum remanſit in Italia, & poſtquam illuc Romanam curiam tranſtulit de civitate Avinionenſi, Urbanus tunc erat pauper archiepiſcopus Acheruntinus, tandem de metropoli Acheruntinenſi ad metropolim Barenſem in Apulia per eumdem Papam Gregorium, quam per annum ante ejus papatum vix poſſedit, tranſlatus, de mandato Gregorii in abſentia quondam domini Petri Cardinalis Pampilonenſis S. R. E. vicecancellarii, qui poſt receſſum Gregorii de Avinionenſi civitate uſque ad ejus obitum remanſerat Avinione, recepit in Italia officium cancellariæ apoſtolicæ: & natus fuit in Neapoli*, & infra: *Egregius decretorum doctor, nec non ante papatum homo humilis & devotus, & retrahens manus ſuas ab omni munere, inimicus & perſecutor ſimoniarum, & zelator caſtitatis & juſtitiæ: ſed nimis ſuæ prudentiæ innitendo, & credens adulatoribus libenter aures præbuit ipſis: frequenter & ſolicite in eodem jure & in ſacra pagina etiam ſtudens: ingenium quo, ut ipſe teſtatur Salluſtius, neque melius neque amplius aliud in natura mortalium eſt, ſocordia torpeſcere non ſinebat: viros literatos & bonos ſincere dilexit, & pro poſſe adjuvit, non impediens ſe de negotiis alienis: & ſingulis diebus, dum corporis ſoſpitate gaudebat, legit, & etiam plura officia in eadem curia tunc exiſtente in civitate prædicta, exercuit; fuit enim per plures annos examinator in gratiis ſpecialibus, nec non præſidens in cancellaria prædicta, & documenta quæ fieri ſolent circa literas apoſtolicas recepit, & hæc officia exercuit in Avinione, antequam hujuſmodi officium locumtenentis cancellariæ prædictæ in urbe foret aſſumptus. Erat etiam brevis ſtaturæ & ſpiſſus, coloris lividi ſive fuſci, & ſexagenarius vel circa, dum eligebatur in Papam.*

Ejus patria & parentes. Virtutes & peritia.

Pietas.

Forma corporis, & ætas.

*Hic etiam ante ipſius papatum per multos annos, me exiſtente cum ipſo ſingulis noctibus, poſtquam ad cubile ſuum cauſa quieſcendi aſcenderet coram ſe biblia quouſque dormiret legi fecerat, & raro, vel numquam tempus aliquod vigilando otioſe conſumpſit: ſed aut ſtudebat ut prædixi, ſeu commiſſa ſibi exercebat officia, vel orabat, & niſi arctatus quodammodo per plateas nullatenus incedebat: & incedendo duabus beſtiis contentus erat, una mula ſcilicet ſuper qua ipſe, & uno equo ſuper quo ejus familiaris ipſum aſſocians equitabant. Etiam induebatur cilicio diurno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit deſuper tunica alba talari de mediocri panno laneo, ac multum erat patiens tum temporis. In adverſis compatiens etiam valde calamitatibus aliorum. Omnia etiam jejunia per Eccleſiam indicta tunc ſanctiſſime obſervabat, nec non per adventum Domini & per ſexageſimam annis ſingulis jejunabat ſimiliter, nec non bonos religioſos ſatis amabat.*

Studium Sacræ Scripturæ.

Jejunabat in adventu.

Ut porro Cardinales meditata de eo gubernaculis Eccleſiæ admovendo conſilia perduxerint in conclavi, ac ſingula quæ in eo geſta ſint antequam Romani ſeditionem moverent, accuratiſſime Siſtrenſis abbas Aragonum Regi ſanctiorique illius conſilio ſubjectis verbis expoſuit (*d*) ubi deſcripſit Cardinales honorificentiſſime in conclave a magiſtratibus deductos, ac Britones urbe exire juſſos: *His ſic peractis quidam ex capitibus regionum ivit ad feneſtram conclavis, & dominos Cardinales* IV.

(*d*) *To.2. p.82.*

Britones Urbe deducti.



Cardd. 20. rogati ut Rom. vel Italum Pontific. creent.

*alloquitur in hunc modum: Reverendiſſimi patres & domini noſtri, veritas eſt, quod multoties per officiales urbis ſupplicatum extitit ut talem eligeretis, qui DEO & mundo eſſet acceptus, & vos reſpondiſtis, quod quia erat iſte actus divinus, non poteratis eis aliquid certitudinarie reſpondere: ſed procuraretis hominem juſtum & Deo charum eligere, per cujus induſtriam bene Dei Eccleſia regeretur. Scitis enim domini mei, quod in introitu conclavis multi clamaverunt rogantes vos, quod eis daretis Italicum, vel Romanum: nunc autem pro parte totius populi ſum miſſus ad paternitates veſtras & vobis eorum pro parte notifico, quod ſolum volunt eis dari Romanum, nec eſſent contenti de Italico; timent enim, ne ſub aliqua conventione ſecreto inter vos & aliquem Italicum non Romanum inita, ipſe poſt electionem reduceret curiam Avinionem. Unum pro Deo placeat vobis contentare populum & eis ſolum dare Romanum, alias timeo ne ſcandalum oriatur, quod vobis, & nobis poterit veriſimiliter diſplicere.*

Poſtea Roman. tantum poſtulatus.

Schiſmaticorum illatio.

Additum eſt in margine a ſchiſmaticis: *Hoc probat ſublatam libertatem, & per conſequens electionem nullam: hoc probat juſtum timorem*: Verum quam inſulſe ſchiſmatici concludant ad electionem Urbani refellendam, conſpicuum eſt: valitura forſan videretur concluſio, ſi Romanum elegiſſent Cardinales: at ſi conſtantia vicere metum, ac non Romanum elegere, ſummam illorum libertatem, ſpretis objectis periculis, arguit: Datum etiam a Glandacenſi Cardinale reſponſum id illuſtrat: *Cui quidem capiti regionis per reverendiſſimum patrem dominum Cardinalem Glandacenſem pro parte omnium aliorum Cardinalium reſponſum extitit in iſta forma: Multum miramur domini mei & ego, qualiter nos ſic infeſtatis, quia tibi & populo Romano ſatisfacere debent reſponſiones noſtræ vobis pluries factæ ſuper iſto negotio. Recedatis igitur, quia ſic ſemper diximus, ſicut dicimus nunc, nec a nobis aliam reſponſionem poteritis obtinere. Ille autem recedens ſic dixit: Placet Deo quod detis nobis Romanum; alias pro certo aliud quam verba proculdubio ſentietis.*

Confutatur.

Conſtans Glandacenſis ad regionarium reſponſum.

Jactatæ a regionario minæ.

*Facta relatione aliis dominis Cardinalibus per eundem dominum Glandacenſem de verbis iſtius Capitis regionis, dominus Cardinalis Lemovicenſis in hæc verba proruptit: Domini mei vos videtis, quod iſti Romani primo petierunt unum, qui deberet eſſe acceptus Deo & mundo, nec excipiebant patrias, vel perſonas, demum introitu conclavis generaliſſimam propoſitionem reſtrinxerunt ad unam nationem ſcilicet Italicam, nunc autem nec hac contenti ad ſpecialiſſimam reſtringunt ſcilicet Romanam, quod etiam ſi non feciſſent, ſed ſtarent etiam ſub iſta ultima ſpeciali, non video quod de Romano fieri poſſet electio, quia Deo & mundo diceretur veraciter impreſſiva.* Addit ſchiſmaticus in margine: *Ergo eadem ratione de Italico*. Sed quam ille a vero aberret conſtat, cum Romani non ad Italum, ſed Romanum obtinendum minas intentarent: cumque Romanorum petita & minas Cardinales eluſerint, Urbanum illata vi creatum dici non poteſt; ſed contra vim & minas furentis populi libere creatum, ut ex inferius adducendis magis eniteſcet; ſequuntur Cardinalis Lemovicenſis rationes aliæ ad Romanum ab electione excludendum.

Card. Lemovicen. oratio ad Cardd.

Non electus Romanus ne vis illata putetur.

*Præterea ſi eligeremus Romanum aut eſſet de collegio, aut de extra collegium: ſi de collegio, non habemus niſi duos quorum unus eſt decrepitus & infirmus, ſcilicet dominus S. Petri, alius autem nimis juvenis & inexpers, ſcilicet dominus de Urſinis. De extra collegium neminem ſcio aptum ad papatum; unde nec primo capite nec ſecundo apparet mihi quod Romanum eligere debeamus. Sed faciamus ſic, quod provideamus Eccleſiæ Dei, & talem eligamus, quod huic populo debeat merito complacere, & nobis omnibus ſe veriſimiliter debeat reddere gratioſum: circa quæ ſunt meo videre ſex præcipue attendenda. Primo quod ſit ætatis maturæ, item quod ſit vitæ honeſtæ, tertium quod ſit ſcientiæ magnæ, quartum quod ſit doctus in ſtylo, quintum quod ſit familiaris & amicus nobis, ſextum quod ſit ſaltem Italicus natione, ut per eum patrimonium eccleſiæ recuperetur, quod per extraneum fieri poſſe non credo. Quæ quidem ſex domini noſtri in nullo alio video contineri niſi in uno, ſcilicet in domino archiepiſcopo Barenſi; iſte namque quinquagenarius eſt, & ultra, & eſt adeo honeſtus, quod a quatuordecim annis citra, quibus converſatus eſt in curia Romana, nunquam auditum eſt de eo aliquid ſiniſtri renibus vel manu, ore vel opere. Quantum autem ad ſcientiam, de hoc non eſt dubitandum; nam magnus canonum doctor, ſicut in ſuis collationibus notum eſt. De ſtylo nemo hæſitat, nam gubernavit a multis temporibus citra cancellariam adeo, quod ipſe ſolus habet in ſtylo curiæ documenta. Præterea nobis omnibus familiariſſimus; nam creatura omnium noſtrum eſt maxime Lemovicenſium, utpote qui a ſanctæ memoriæ domino Gregorio eſt in Barenſem archiepiſcopum ordinatus: natione Italicus qui Neapolitanus & ſubditus generi Francorum, ex quo Rex Franciæ & fratres ſui debebunt merito contentari.*

Quæ virtutes in Pontif. expetantur.

Has in Barenſi archiep. commendat.

Ejus patriam Italis, Galliſque caram.

*Quibus omnibus ponderatis, ego in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti S. R. E. Cardinalem dominum archiepiſcopum Barenſem eligo in ſanctæ Romanæ univerſalis Eccleſiæ, ſummum Pontificem mea ſponte & libere, omni modo, via, & forma quibus melius poſſum tam de jure, quam etiam*

Qua forma illum elegerit.

Quo ordine alii Cardd. conſenſerint.

etiam de facto. Facta electione dicti domini archiepiſcopi per præfatum dominum Peneſtrinum, ſubito elegit eum dominus de Agrifolio, cui acceſſit dominus Pictavienſis: ſed quartus in ordine elegit dominus Glandacenſis, qui ante introitum conclavis per tres dies miſit eidem domino archiepiſcopo unam cedulam propria manu ſcriptam quæ ſic dicebat: Reverende pater hinc ad paucos dies eritis mihi dominus & magiſter, quapropter ex nunc ut ex tunc me vobis ſpecialius recommendo. Quintus fuit dominus Vivarienſis, & ſibi acceſſit dominus de Britannia. Majoris monaſterii dominus fuit ſextus, ſeptimus de Vernio, octavus dominus S. Angeli, & de S. Euſtachio fuit nonus, decimus autem fuit de Luna, & fuit undecimus Gebennenſis, quatuor autem Italici ultimi in electione fuere, quorum tres forte ſperabant eligi ad papatum: ſed videntes omnes ultramontanos concordes & unanimes in electione præfata de ipſis quodammodo deſperati elegerunt dictum archiepiſcopum hoc modo & ordine; nam dominus S. Petri fuit primus, ſecundus de Mediolano, & tertius Portuenſis, dominus autem de Urſinis numquam elegit, ſed his verbis uſus eſt: Illum in Papam eligo, in quem major pars conſenſerit; celebratam electionem antequam excitaretur ſeditio ſubditur: Hæc autem electio ſtatim poſt receſſum illius capitis regionis ſic communiter & concorditer facta eſt nullo medio tempore, niſi quanto dominus Lemovicenſis verba protulit ſupradicta quæ quidem electionis hora fuit ante veſperas de directo ante omnem rumorem populi per ſex horas.

Ante conclavis ingreſſum id decretum.

Cardd. Itali eundem deligunt.

Celebrata electio ante ſeditionem.

V.

His annectimus ex Bartholomæo Recinetenſi & Maceratenſi epiſcopo (a) plures circumſtantias, quæ in renuntiando Urbano occurrere, ac varia factioſorum Cardinalium geſta, quæ is juratus teſtis fide digniſſimus ex ore Cardinalis e Vernejo familiaris hauſerat: Quando, inquit, dominus de Vernejo, fuit in domo narravit mihi totum factum, videlicet qualiter dominus S. Euſtachii videns quod eſſe non poterat, contradicente ſibi domino de Vernejo & aliis aliquibus, voluit tractare quod dominus Jacobus eſſet, & tunc Lemovicenſis dixit. Certe domine Jacobe vos eſtis nimis juvenis & nimis partialis, certe non eritis. Aliqui autem volebant Mediolanenſem & Lemovicenſis dixit: Certe non erit, quia de terra Bernabonis, & alii nominarunt Florentinum, & dictum fuit quod certe non eſſet, quia Florentini erant inimici Eccleſiæ.

(a) To. 4. de ſchiſ. p. 71.

Ut Card. ſibi invicem obſtiterint.

Et ſi quæritur quare tunc non nominabantur ultramontani, dico quod de nocte præcedenti de Agrifolio ſolus ſecrete ivit ad cameras multorum, quibus nominavit S. Euſtachii, Pictavienſem, & Vivarienſem & vidit quod non potuit obtinere, quia reſponſum fuit eis per multos, quod certe illa vice non haberent Lemovicenſem aliquem quia intendebant videre ſi Eccleſia regeretur melius per alios, & quia jam ſatis habuerant etiam totum mundum occupabant: Gebennenſis & de ſero ſcrutatus fuit a multis, quia de ſe ſciebat jam quod rem non poterat, an poſſet facere dominum de Luna, & reſponſum ſibi fuit quod nimis erat juvenis, & ſufficeret ſibi galerus quem habebat: Dixit in ſecreto mihi dominus de Vernejo, quod dominus S. Euſtachii ad aurem ab eo quæſierat, an vellet eſſe & reſpondit quod non; & hoc fecerat forte fraudulenter ut attraheret eum ad ſe. Dixit mihi inſuper dominus de Britannia in Anagnia & dominus de Vernejo poſt exitum conclavis, quod dominus Jacobus videns, quod eſſe non poterat Papa, voluit electionem differre, & dixit: Domini mei vos audiſtis populum qui dicit: Romano lo volemo; induamus aliquem fratrem Minorem Romanum & dicamus Romanis quod eſt Papa, & poſtea cum erimus extra, ponemus eum in carceribus & alium eligemus; & tunc Cardinalis Lemovicenſis, & quaſi omnes clamaverunt: Certe domine Jacobe nos non decipiemus populum: nos volumus verum Papam eligere & nolumus facere populum idololatrare. Et audivi pluribus vicibus a domino de Vernejo & de Britannia quod Lemovicenſis & de Agrifolio nominaverunt dictum noſtrum modernum, qui erat de raubis ſuis, ipſis nimirum maxime addictus & deditus, cogitantes: Ex quo nullus noſtrum eſſe poteſt, habemus tamen iſtum ad voluntatem noſtram: & tunc alii audientes eum nominari, omnes conſenſerunt præter dominum Jacobum & dominum de Britannia ut egomet audivi a domino de Britannia in Anagnia: & cauſa quare contradixit fuit, dicens: Certe iſte eſt ſanctus homo & bonus homo: ſed amore Dei non faciamus tantam verecundiam collegio noſtro, quod eligamus de extra collegium. Tunc dixit, quod de Agrifolio & Lemovicenſis & alii de ſecta eorum etiam videntes, quod habebat jam ultra duas partes vocum, dixerunt: Certe nos habebimus iſtum, nos non habebimus iſta vice de collegio: & tunc dominus de Britannia dixit: Vultis vos? dixerunt: Ita certe. Dixit ipſe: Ego multum contentor: & dixit mihi dominus de Britannia in Anagnia, quod ſi dominus noſter poteſt dici electus per impreſſionem, nulla fuit, niſi de Agrifolio & Lemovicenſis cum ſecta ſua fecerunt, quod ſi unus Cardinalis non dediſſet vocem ſuam clamaverant contra eum ſicut contra inimicum? & hæc omnia dicta fuerunt ſtatim poſt miſſam Sancti Spiritus & ſermonem, &c.

Ut Lemovicenſem reſpuerint.

Cur ſinguli repudiati.

Propoſitio Card. Urſini de fingenda electione.

Barenſis communi conſenſu electus.

Urſinus & Brito ſoli reſtitere.

Dein ſua ſuffragia contulere.

VI.

Oſtendit etiam egregie Urbani VI. electionem non vi factam extortamque metu, ſed rite, ac libere celebratam Faventinus

Ut vis, metus & fictio abfuerint.



tinus epiſcopus ad Regem Caſtellæ pro rei veritate in luce collocanda miſſus, adductis nonnullis circumſtantiis, quæ demonſtrent Cardinales non ad inanes Romanorum clamores metui ſuccubuiſſe, ſed metum contrariis factis aſpernatos; in tertia enim veritate hæc exponit: Cum Cardinales, inquit, de Agrifolio & Pictavienſis poſt ingreſſum conclavis inquiſiviſſent vota domini ſancti Petri, & domini Mediolanenſis & ipſa reperiſſent diſpoſita in præfatum archiepiſcopum tunc Barenſem, & facta inter ſe ipſos computatione quod tot vota concurrebant in dictum dominum Barenſem, quod ſufficiebant ad canonicam electionem, & dixiſſet dominus Cardinalis de Agrifolio aliis dominis hæc verba: Domini ſedeamus ſtatim, quia pro certo credo, quod incontinenti eligemus & habebimus Papam. Cardinalis de Urſinis [Deus ſcit ex quo fonte] tale dedit conſilium: Domini differamus iſtam electionem & deludamus iſtos Romanos, qui vellent & petunt Papam Romanum, & fingemus nos elegiſſe unum fratrem Minorem Romanum, quem ego nominabo, & induamus eum cappa & mitra, & poſtmodum loco & tempore faciemus veram electionem. Ecce ergo conſulta fictio, quæ ſpreta fuit; nam epiſcopus Preneſtinus cum ſuis ſequacibus, ſtatim reſponderunt dicentes: Hoc non eſſe bonum conſilium, quia ex illo induceretur populus Chriſtianus in idololatriam, ſaltem uſque ad diem declarationis; ſubjungentes eſſe procedendum ad veram electionem non obſtantibus clamoribus, ſeu petitionibus popularium, de quibus non erat curandum. Ecce ergo fictionem ſpreverunt: Et ſtatim ſurrexit quarta veritas ſuppoſita celebratæ electionis. Nam licet dominus Florentinus, qui primam vocem habebat per viam collationis niſus fuerit trahere vota Cardinalium in dominum Sancti Petri, quem ad papatum nominavit, tamen dicti Lemovicenſes allegantes dominum S. Petri impotentem ad onera papatus ex cauſis in dicto caſu inſitis, direxerunt vota ſua in præfatum noſtrum; quibus vocibus computatis, repertum eſt, eum habere ultra duas partes dictarum vocum: Tunc arguitur ſic: electus eſt a duabus partibus, ergo verus Papa eſt. Antecedens ipſi concedunt; conſequentia patet per c. li. de elect. ſed ipſi contra dictam electionem timorem allegant pro cujus excluſione timoris pondero quintam veritatem ſuprapoſitam ipſius occultationis.

Spreti populares clamores.

Cur excluſus Card. S. Petri.

VII.

Celebrata quoque dicta electione, dicti domini conſilium inter ſe tenuerunt, an eſſet expediens electionem illam publicare, & concluſerunt quod non. Dicat cauſidicus partis adverſæ quod quia populus furebat, ideo non fuerint auſi eam publicare. Mirabile dictum eſt hoc ſi impellente populo, & propter hoc furente, & ad evitandum mortis periculum elegerunt dominum Barenſem quod electionem ſuam non audebant publicare. Quis unquam audivit, quod exiſtens in periculo mortis, noluit illud evitare? De re Ju. paſtoral. c. piſana in cle. & quis unquam audivit, quod volens evitare mortis periculum, non abſconderit, ſeu cælaverit cauſam evitationis, ſeu ſuæ liberationis, ſed revera ratio occultationis fuit quia non imaginabantur ſatisfeciſſe populo & per conſequens metus, quem attentatum per populum prætendunt, non impreſſit in mentibus eorum, nec eorum arbitrium abſorbuit, &c.

Non auſi Cardd. electionem promulgare.

VIII.

Celebrata electione, excitum a Cardinalibus Bartholomæum archiepiſcopum Barenſem, ut electioni rite celebratæ aſſenſum præberet, obſervat archiepiſcopus Brunduſinus (a), qui rem univerſam ex Roberti Gebennenſis, poſtea in antipapatu Clementis dicti, ore didicit: Item, inquit, domini antequam exiverunt conclavim, & quamquam fuiſſet facta aliqualis vociferatio in populo, miſerunt dicti Cardinales pro dicto domino archiepiſcopo Barenſi, qui diu ante exitum eorundem Carrinalium ad ipſos in palatium introivit. Confirmat hæc Theodoricus e Niem (b) ſinceræ fidei ſcriptor, ex quo pauca hæc verba afferenda ſunt viſa: Cumque poſtea dicti Cardinales in eandem electionem uniformem ſcilicet nemine ipſorum diſcrepante, factam in ſimul concordaſſent, quadam die, veneris ſcilicet IV. non. aprilis tunc currentis an. prædicto, nempe MCCCLXXVIII. paulo ante horam tertiam miſerunt pro eo & multis aliis eccleſiaſticis prælatis, qui tunc fuerunt in urbe ipſa præſentes. Qui quidem Urbanus ſtatim libros & quaſdam alias res ipſius ad loca tuta portari fecit, ne, ſi rumor inſurgeret in populo, quod ipſe electus eſſet in Papam, forſan Romani more ſuo irruerent in ejus hoſpitium ac ipſum ſuis libris & rebus hujuſmodi ſpoliarent.

(a) To. 4. de ſchiſm. p. 63.

Ante ſeditionem Barenſis excitus in conclave.

(b) Niem. l. 1. c. 2.

IX.

Subdit author ſubortum fuiſſe popularem tumultum, quem partim Jacobi Cardinalis Urſini amici, ut illi pontificatus deferretur concitarunt, partim impreſſa vulgi mentibus falſa opinio percrebuit, Joannem Barenſem Gregorii cubicularium patria Lemovicenſem ob vitia & faſtum exoſum, a Cardinalibus ad pontificium ſolium evehi, cum archiepiſcopus Barenſis ob tenuitatem opum ignotus pleriſque eſſet: Alia etiam, inquit, hujus rumoris, popularis cauſa fuit: nam inter illos prælatos tunc etiam vocatos ad dictum palatium, ut præfertur, erant aliqui Romani potentes, ſcilicet Petrus abbas monachus Montis Caſini, & alii, quorum cujuſlibet conſanguinei & amici credebant quod amicus eorum electus eſſet in Papam, unde repente maximus concurſus & ſtrepitus equitantium & concurrentium per

Variæ tumultus cauſæ.

Quæ cauſæ tumultus.

*per contratas dictæ urbis ad ipſum palatium illa tempeſtate auditus fuit ibidem durans pene illa tota die. Unde Cardinales prædicti ad ſedandum dictos rumores ſimulate; ſeu conficte populo per aliquos dici fecerunt, quod præfatus Cardinalis S. Petri eſſet electus in Papam: quod audientes ſui amici cum magna turba impetuoſe currebant ad prædictum palatium; quo recipientes ipſum violenter ad altare majus in ipſa baſilica,* at non in ea baſilica, ſed in palatii æde ſacra, rem geſtam alia acta teſtantur, *ut eſt moris de noviter electis in Papam fieri perduxerunt, & poſuerunt ſuper illud, eo invito; dicente quod non eſſet Papa; ſed archiepiſcopus Barenſis per eum & alios Cardinales electus foret in Papam. Et tam magna preſſura ibi facta illico fuit; ita quod dictus Cardinalis in illa comprehenſus mortem vix evaſit. Qui poſt hoc ad dictum palatium reductus ex tunc continue remanſit quandiu vixit penes dominum Urbanum antedictum.*

Uſos eo dolo ad furentis populi ob non creatum Pontificem Romanum genere impetus declinandos Cardinales, ac ſaluti Urbani VI. conſuluiſſe, affirmat inter plures alios prædictus abbas Siſtrenſis (a), qui poſt celebratam rite Urbani electionem ſubdit populum ſumptis armis ad palatium concurriſſe, atque inconditis vocibus Pontificem patria Romanum incuſſo terrore poſtulaſſe: a Cardinale vero Urſino verbis mollioribus delinitos, ac die inſequenti Cardinalem S. Petri theatralis pompæ inſtar papalibus ornamentis indutum fuiſſe hac de cauſa: *Mane*, inquit, *facto præfati domini Cardinales, videntes ſe habere verum Papam, & per conſequens non poſſe nec debere alium eligere, ut vitarent ſcandalum populi, qui docendus eſt & non ſequendus, immo etiam aliquando decipiendus in bono, talem cautelam & practicam invenerunt, dixeruntque domino S. Petri: Vos videtis, quod iſti volunt Romanum, alias minantur nobis mortem; ſed quia Romanum non poſſumus eis dare obſtante electione per nos facta de alio, oportet ut redimatis ſanguinem noſtrum, hoc eſt ut fingamus, nos elegiſſe vos, qui eſtis Romanus, & vobis imponamus indumenta papalia, & dum populus hoc credet, nos recedemus illæſi;* tum ſubdit. *Eſt & aliud de neceſſitate fiendum ante exitum noſtrum, ut videlicet præſentetur electio electo utrum velit conſentire vel non: ſed quia, ſi mitteretur pro eo ſolo, forte populus ſuſpicaretur, quod eſt in re, mittamus pro ſex ſub colore conſilii petendi. Quæ quidem cautelæ bonæ omnibus viſæ ſunt, unde in ortu Solis, dum populus clamaret:* Romano lo volemo; *induerunt dominum S. Petri, & pulſata campana conſiſtorii, cantantes Te Deum laudamus; eum poſuerunt in ſede papali, nunciaveruntque toti populo, quod dominus Cardinalis S. Petri ſit Papa verus electus: propter quod univerſus populus laudans Deum fregit feneſtras, & oſtia conclavis, ut ſibi oſcularetur pedes & manus.*

(a) To. 7. de ſchiſm. p. 82.

Expetitus a populo Romanus.

Non geſtus ei mos.

Diffracta a populo conclavis repagula.

X.

*Dum populus univerſus ad reverentiam conflueret exhibendam, vocati ſunt pro parte dominorum Cardinalium ſex prælati domini epiſcopi Ulixbonenſis, Tudertinus, Limocienſis in Cypro; abbates Montis Caſini, S. Pauli de urbe, S. Sabæ, & ſeptimus archiepiſcopus Barenſis: quibus in præſentia dominorum conſtitutis, traxerunt ad partem dominum Barenſem præſentantes ei electionem, eumque rogantes quod electioni prædictæ concordi & canonicæ conſentiret. Ille autem renuens, ac removens dixit in fine: Quare dicitis me elegiſſe, & video quod elegiſtis dominum S. Petri; ob quæ domini Cardinales, totam illam fictionem ſibi manifeſtantes, jurarunt in Deum & cœlum, electum nullum alium præter eum. Ipſe autem videns & audiens omnia ſupradicta cum humilitate maxima & lacbrymis undantibus acceptavit: quo facto fecerant eum abſcondi in ſecretiſſimis palatii apoſtolici timentes, & bene, ne ſcita veritate populus eum interficeret, & eoſdem.*

Electionis veræ decretum Barenſi datum.

Card. S. Petri fingitur Pont.

*His ſic peractis populus rudis, plenus tamen devotione, oſculando manus & pedes domini S. Petri adeo trahebat ſibi manus podagra tumentes, quod ipſe non potens tantum dolorem amplius ſuſtinere ut eum dimitterent, coactus eſt dicere, ſe non eſſe Papam, ſed alium: propter quod tota civitas cucurrit ad arma, & circumeuntes palatium ab omni parte minabantur interficere Cardinales. Quorum auditis minis & vocibus fugientes mortem, aliqui de ipſis dominis fregerant ſolarium conclavis, & per poſticum credentes aufugere, finaliter a populo capti ſunt, & cum magnis preſſuris & opprobriis reducti fuerunt in conclave territi per populum quod niſi eligerent Romanum, erant mortem nullatenus evaſuri. Nomina autem prædictorum, qui fugiebant ſunt hæc, dominus Gebennenſis, dominus de Agrifolio, dominus Pictavienſis, dominus Vivarienſis, dominus de Vernio.*

Durius attrectatus verum aperit.

Cardinalium fuga.

Reducti aliqui ut Romanum deligant.

Conſentit his Tudertinus epiſcopus (b) earum turbarum oculatus teſtis, ſeditionem moram eam ob cauſam, cum populus accepiſſet ſibi a Cardinalibus illuſum eſſe, atque adverſus Urbanum conjuraſſe: *Prælati*, inquit, *de palatio jam receſſerant propter timorem populi, qui clamabat. Non habemus Romanum?* morano morano. *Stantibus iſtis ſic, & videntibus Romanis quod dominus S. Petri non erat Papa & jam dicebatur de domino Barenſe in populo & communiter clamabant;* Non lo volemo; *iverunt aliqui Romani & fregerunt oſtia campanilis S. Petri, & pulſaverunt campanas ad ſtornium, ut omnes traherent, & viderent, quod non habebant Romanum: & tunc quatuor Cardinales videlicet Lemovicenſis, Pictavienſis, Vivarienſis, & de Alvernio projecerunt ſe per unam cameram de palatio in aliam inferiorem, & fuerunt inventi per aliquos Romanos, & per aliquos officiales cum verbis & forte cum verberibus fuerunt in palatium reducti.* Cum vero ab his Romani minis & terroribus extorquere niterentur per ſummum nefas, ut reſciſſa priore Urbani electione Romanum genere antipapam darent, tum illi præclarum conſtantiæ exemplum explicuere, ut ſubjungit Siſtrenſis abbas (a): *Reductis & iterato incluſis in conclave omnibus Cardinalibus oportuit eos approbare quod factum fuerat tam ſecreto, & fecerunt vocari dominum Agapitum de Columna, dominum Cadonem de S. Euſtachio, cancellarium urbis & abbatem Montis Caſini cujus domus fuit deraubata, quia convicinia ſua credebant eum Papam quando fuit miſſum pro eo: & iſtis quatuor manifeſtarunt domini Cardinales electionem archiepiſcopi Barenſis dicentes eis, quod populus poſſet eos bene interficere omnes, ſed non habere Romanum pro Papa iſta vice.*

(b) To. 2. de ſchiſ. p. 43.

Male excepti ob creatum Barenſem.





(a) Eod. to. 2. p. 82.

Spreta morte Urbani electionem confirmant.

Profitentur eam reſcindi non poſſe.

XI.

Moliros tum impium facinus Romanos magiſtratus, Urbanum ſcilicet vi adigere ut pontificatu ſe abdicaret, ſed a Tudertino epiſcopo arte & prudentia ab eo flagitio revocatos, idem Tudertinus epiſcopus affirmat (b); tum ſubdit; *Ipſis vero ſic recedentibus, ego dixi domino noſtro: Audiſtis quid dixerunt illi? qui bene audierat in parte, & ille dixit; Quid dixerunt? & ego recitavi ſibi verba dicta per eos, & ipſe dixit: Non cognoſcunt me bene. Si tenerent mille ſpathas ad collum meum, non renuntiarem; & quando ego recitavi poſtea iſta verba domino Gebennenſi, ridebat ita fortiter, quod eſt mirum, tantum gaudebat de reſponſione.*

Vim inferre Urbano parant Romani.

(b) To. 2. p. 43.

Conſtantia Urbani.

Quæſitum ab aliis pluribus Romanis fuiſſe ad necem vel ad vim, ut pontificatum poneret ipſi inferendam, ait epiſc. Recinetenſis, ac præcipue Cardinalis S. Petri famulus, ut herus impoſitas ficte papales infulas retineret in eum furorem prorupiſſe, atque a ſe coercitos teſtatur: (c) *Vidi*, inquit, *dominum S. Petri ſedentem in cathedra & dum fieret ſibi reverentia clamabat & deponebat mitram, & dicebat; Ego non ſum Papa, ſed dominus Barenſis: & vidi tunc multos Romanos, & maxime illos, qui antea clamaverant:* Romano lo volemo; *circumeuntes per palatium quærebant eum, ut interficerent, alii ut compellerent eum ad renuntiandum: quod dictum fuit aliquibus amicis & ſervitoribus domini S. Petri quod erat Papa. Et vidi aliquos quaſi furibundos euntes per conclave clamantes; Heu nos ſumus proditi & decepti, ubi poſſumus iſtum Barenſem reperire? & ego multos ex ipſis refrænavi, dicens: Fatui quid vultis? ſi dominus Barenſis eſt Papa, quomodo poteſt eſſe dominus S. Petri? & qualiter valeret renuntiatio, ſi dominus Barenſis renunciaret per metum? Certe ſi dominus S. Petri ſciret, numquam vellet vos videre: vultis eum facere Papam per vim? Quomodo creditis quod acceptaret? ſcio quod ſi ſponte fuiſſet electus, non acceptaſſet: & propter hæc verba mea aliqui deſtiterunt.*

(c) To. 4. p. 71.

Inſolentia familiarium Card. S. Petri.

Repreſſa.

Inter hos tumultuantium Romanorum motus indigne ferentium Pontificem ſibi non datum, qui in urbe ſacrum ſolium conſtabiliret, Cardinales partim in ſuas ædes, partim in molem Adrianam, partim in finitima munita oppida ſe receperunt, ut deſcribit inter plures alios Tudertinus epiſcopus, qui Urbanum abditiſſimi cubiculi latebris condidit, ne a Romanis trucidaretur: *Tum*, addit, *audivi a Lelo, quod aliqui Romani fecerunt conſilium, dicentes: Vadamus & capiamus eum & ſi non renunciat occidamus eum & ſi renunciat, faciamus quod dominus S. Petri faciat eum Cardinalem. Romanis ſic ſtupefactis, & pro majori parte recedentibus quotquot Gallicos, & ultramontanos inveniebant, diſrobabant, & volebant eos occidere dicentes:* Cha traditi ſimu: cha non havemo Romano: *Poſt vero dominus S. Petri fuit extractus de cappella, & portatus ad cameram, ubi nunc jacet dominus noſter Papa: & ego ivi & obviavi ei quando portabatur. Et tunc ille dixit mihi: Domine Tudertine, ego non ſum Papa, ſed alter eſt, domini mei Cardinales confuderunt me, deriſerunt & vituperaverunt: Tunc dixi: domine mi pro Deo non dicatis: immo ipſi hodie impoſuerunt coronam capiti veſtro, quod per totum mundum prædicabitur quod dominus S. Petri hodie liberavit fratres ſuos a tali occiſione, hodie liberavit populum ſuum ab innoxio ſanguine.*

Nefandum aliquorum conſilium

Galli cur direpti.

XII.

Ejuſmodi ſane ſeditio concitata in Cardinales ob non creatum Romanum patria pontificem, Urbani electionem non infringit, ſed ſumma libertate in ea uſos Cardinales demonſtrat, cum ab illa tuenda præſenti mortis diſcrimine abduci non potuerint. Ut porro Robertus Gebennenſis profeſſus ſit apud amicos & familiares Urbanum rite, ſpretis popularibus clamoribus ac minis, renuntiatum Pontificem, deque ejus ſalute anxium: ne a furente populo diſcerperetur, Martinum tunc Epiſcopum Caſſanenſem poſtea ad archiepiſcopatum Brunduſinum traductum, ad eundem miſiſſe, idem epiſcopus his verbis, jurejurando interpoſito, eſt profeſſus: *Dominus Cardinalis Gebennenſis dictum dominum epiſcopum ad ſe vocavit, perquirendo ab eo in ſecreto: Quem credis fore Papam? Qui epiſcopus Caſſanenſis prædicto Cardinali reſpondit: Ego credo illum fore Papam, quem omnis populus*

Libertas electionis demonſtratur.

Gebennenſis teſtimonium.

*pulus Urbis & tota curia Romana tenet pro Papa, videlicet Cardinalem S. Petri. Cui præfatus dominus Cardinalis reſpondit: Tace, fatue, neſcis quid dicis, & quid reſpondes: Dimittas tamen vociferari populum quantum velit: nam alium verum Papam non habemus, niſi archiepiſcopum Barenſem, ſed Cardinalem S. Petri monſtravimus populo pro Papa propter ipſius populi tumultum & vociferationem: tamen vereor quamplurimum, ut ipſe Barenſis verus electus Papa amittat vitam, dum pervenerit ad notitiam populi ipſos ſic fore deluſos per demonſtrationem Cardinalis S. Petri pro Papa. Et mox & in continenti quaſi ſecunda hora noctis præfatus Cardinalis miſit eumdem epiſcopum verſus palatium ad conſulendum eidem domino Barenſi, ut extraheret perſonam ſuam de palatio, ad evitandum periculum perſonale. Quo vero epiſcopo eunte verſus palatium, invenit ibidem Cardinalem S. Petri in cathedra ſedentem: volenſque ſibi impendere debitam reverentiam, dictus Cardinalis dixit eidem epiſcopo in præſentia quam plurimorum ibidem aſſiſtentium: Non faciatis mihi reverentiam, quia non ſum Papa: ſed faciatis reverentiam domino Barenſi, qui eſt canonice, unanimiter, & concorditer ab omnibus Cardinalibus electus in Papam.*

Cardinal. S. Petri profitetur Urbanum rite electum.

Seditio pacata.

Tum ſedato eo populari tumultu opera maxime, uti refert Siſtrenſis abbas (*a*), Agapiti e Columna Cadomie S. Euſtachio & abbatis montis Caſini, cum ut dictum eſt, Cardinales profeſſi eſſent ſibi quidem mortem inferri poſſe, at ut Pontificem alium ab Urbano, quem jam renuntiarant, eligerent extorqueri non poſſe, die proxima ab excitatis turbis, nempe nona aprilis, de Urbano pontificalibus ornamentis induendo actum eſt. Geſtæ vero rei ſeriem narrare aggredimur ex epiſcopo Caſſanenſi (*b*), quem Roberti Cardinalis Gebennenſis cujus familiaris erat, ut dixi, juſſu ad rogandos Cardinales, ut rite veteri ipſum in ſacro ſolio collocarent, interpretem miſſum teſtantur publica monumenta: *Secunda*, inquiunt, *die ſummo mane dictus epiſcopus acceſſit ad hoſpitium reverendiſſimi patris domini Cardinalis Florentini, quem invenit in ſuo cubili, & nondum de ſomno ſurrexerat. Qui dominus epiſcopus fuit ad eum introductus & retulit eidem domino Cardinali ex parte domini Barenſis; Pater reverendiſſime, placeat vobis aſcendere palatium & complere negotium, quod incœpiſtis. Qui dominus Cardinalis reſpondit eidem domino epiſcopo, videlicet, Domine epiſcope, recommendetis me domino meo Barenſi, quia eſt dominus meus, & faciatis pulſare campanam meam ad equitandum: nam ego ſurgam, & equitabo ad palatium complendo, & faciendo omnia, quæ erunt expedientia. Et ſupradictus dominus epiſcopus pulſata campana ejuſdem domini Cardinalis, ab inde receſſit equitans ad palatium referendo præfato domino Barenſi, ſe requiſiviſſe ſæpe dictum dominum Cardinalem Florentinum ex parte ſua, ut prædicitur: ipſiſque ſic exiſtentibus infra palatium una cum domino Cardinale S. Petri, qui infra palatium pariter cum dicto domino Barenſi pernoctavit, mox & in continenti venit ad palatium præfatus dominus Cardinalis Florentinus, qui dominus Cardinalis Florentinus exiſtens epiſcopus Cardinalis, videlicet Portuenſis, & dictus dominus Cardinalis S. Petri, ac dominus Barenſis electus in Papam ſe ſe invicem conſiliantes, fecerunt requirere alios dominos Cardinales, qui non effugerunt, ſed remanſerunt in hoſpitiis eorum propriis, ut deberent aſcendere palatium ad complendum illud, quod incœperunt. Et tunc ſtatim dominus Cardinalis Mediolanenſis, dominus Cardinalis majoris Monaſterii, & dominus Cardinalis de Luna ad palatium aſcenderunt.*

(*a*) *Eod. to. 2. p.* 32.

(*b*) *To.* 4. *de ſchiſm. p.* 63.

Card. Florentinus Urbanum verum Pontificem agnoſcit.

Exciti alii Cardd. ad Palatium.

XIII. *Demum dictus dominus Barenſis electus in Papam una cum ſupradictis dominis Cardinalibus miſerunt præfatum dominum epiſcopum Caſſanenſem ad caſtrum S. Angeli de urbe, in quo fuerunt nonnulli alii domini Cardinales tuti & ſalvi de perſona & rebus, & tunc camerarius Apoſtolicæ ſanctitatis citatur ad referendum eiſdem dominis Cardinalibus ex parte præfati domini Barenſis electi, & aliorum dominorum Cardinalium ſecum in palatio exiſtentium apud S. Petrum, ut placeret eis venire ad palatium, ad complendum id, quod incœperunt. Et idem dominus epiſcopus ibidem introductus ad faciendam ſuam ambaxiatam, ut præmittitur, Cardinales reperit pariter in capella dicti caſtri una cum domino olim camerario. Cui domino epiſcopo præfatus camerarius fuit allocutus in hunc modum: Credis tu, quod ille Barenſis ſit Papa? Qui dictus epiſcopus eidem camerario reſpondit: Domine camerarie non habeo facere vobiſcum, ſed cum dominis meis Cardinalibus hic exiſtentibus. Et tunc dominus Cardinalis Lemovicenſis, qui fuit epiſcopus Cardinalis frater dicti domini camerarii reſpondit eidem camerario fratri ſuo in præſentia dicti domini epiſcopi, videlicet: Tace, fatue, neſcis quod dicis. Et accipiens miſſale ſuum in manibus ſuis juravit ad ſancta Dei Evangelia: dominus Barenſis eſt ita verus electus, & unanimiter in concordia a nobis omnibus Cardinalibus, ſicut fuit unquam Sanctus Petrus verus Papa, & vicarius Chriſti.*

Camerarius carpit electionem Urbani.

Card. Lemovicenſem juramento confirmat.

His etiam conſona a Petro e Luna poſtea ſchiſmatis propagatore dicta refert Anſelmus canonicus Patracenſis his verbis (*c*): *Ipſe reſpondit ſuo more jurandi, per mia ſe ego credo, quod a tempore Sancti*

(*c*) *To.* 4. *de ſchiſm. p.* 78.



*Sancti Petri non fuit verior Papa in Eccleſia Dei tam rite, canonice, & concorditer electus ante & poſt ingreſſum conclavis.* Viterbienſis etiam epiſcopus (*a*) id a Petro e Luna & Cardinale S. Petri ſimiliter accepiſſe eſt profeſſus. Mutilam porro ſuperiorem Marini archiepiſcopi Brunduſini narrationem ex Recinetenſis & Maceratenſis epiſcopi rei univerſæ ſpectatoris teſtimonio abſolvimus: *Venit*, inquit, *dominus Florentinus, & flectens genua nedum videntibus, immo & audientibus, voluit oſculari dictum dominum noſtrum, & ſtrictiſſime amplexatus dixit publice omnibus audientibus: Vere vos eſtis Papa & dominus electus. Ego volo mittere pro domino S. Petri & aliis qui ſunt, ut inthronizemus vos, ſicut habemus ab aliis poteſtatem.* Interjectis nonnullis addit idem epiſcopus, Cardinales, qui in molem Hadrianam confugerant, rogatos a collegis in pontificias ædes ſe contuliſſe, ut ſolemni ritu Urbanum in ſacroſancto ſolio locarent: *Et ſtatim*, inquit, *vidente me deſcenderunt, & dum domini vellent equos aſcendere, venit unus, & dixit ad aurem domino de Agrifolio quædam verba. Et tunc ſe volvit ad alios, & dixit; Iſte dicit, quod populus Romanus eſt in platea armatus, & certatim clamat: Romano lo volemo. Et tunc dominus de Verneio reſpexit ad me. Et tunc ego dixi: Domini mei, ego volo degradari, ſi reperietis unum hominem armatum. Et tunc omnes crediderunt mihi, & aſcenderunt equos, & iverunt ad palatium, & ſicut dominus de Agrifolio fuit in palatio, ivit ad cameram ubi erat dominus noſter; & dominus de Verneio ſecutus eſt eum, & coram flexit genua, & dominus de Agrifolio diu locutus eſt ſibi, & cum reverentia qua Romano Pontifici conſuevit loqui. Et poſt eum ſimiliter dominus de Vernejo, & poſt de Vernejo dixit mihi: iſte de Agrifolio erit magnus homo cum iſto, quia ipſe pro certo fecit eum. Et vidi etiam in actibus domini noſtri, quod recognoſcit; & quod alius dixit ſibi.*

(*a*) *Ib. p.* 76.

Confirmata ſimiliter a Petro e Luna.

Sopito metu ad palatium profecti Cardd.

XIV. *Poſt hæc verba ivimus ad privatam capellam, dimiſſo domino noſtro in camera, & ego ivi cum domino de Verneio ad capellam primam in qua erant Florentinus, Lemovicenſis, de Agrifolio, S. Petri, Pictavienſis, Mediolanenſis, Vivarienſis, de Britannia, Majoris monaſterii, & de Luna Cardinales: ibique convocatis clericis capellæ & ſubdiaconis, petiverunt ſibi librum cæremoniarum, ubi deſcriptus erat modus inthronizationis: & libro recepto denuo fecerunt ſcrutinium extrahi ſuper omnibus, & miſerunt pro domino noſtro ad cameram; & ego cum aliquibus aliis ivi pro eo, & duximus eum ad capellam, & ſtatim ſicut fuit in capella omnibus data litania clauſerunt ſe cum eo. Et ſtatim paulo poſt apertis januis omnes Cardinales cantaverunt alta voce: Te Deum laudamus, & omnes intravimus. Et videntibus nobis omnes Cardinales prædicti cum læta facie oſtendebant ſe contentiſſimos, & unus eum diſcalceabat, alter calceabat, alter induebat eum, & fecerunt pulſari campanam, ut eſt moris & denunciaverunt nomen ſibi eſſe Urbanum ſextum. Et eo induto pluviali & mitra, poſuerunt eum ſuper faldiſtorium ad ſedendum, & convocaverunt omnes nos prælatos: & ipſi primo fecerunt ſibi reverentiam [ſicut fieri eſt Papæ ſolitum] ex eo poſtea nobis mandarunt ut ei faceremus reverentiam: & ita factum fuit* (ſervatos eoſdem ritus ſine ullo tumultu populari in Urbano papali cultu exornando, teſtatur Robertus Straton cauſarum ſacri palatii auditor) *& in conclavi die videlicet* VIII. *menſis aprilis ipſum elegerunt & eum per ipſos mandatum in palatio incluſerunt; ſed electionem ipſo die minime publicarunt: Cardinalis autem S. Petri propter ſalvationem electi præfati fuit papaliter mantellatus. Die autem ſequenti, videlicet veneris* IX. *dicti menſis duodecim ex Cardinalibus, qui de palatio receſſerunt, poſt prandium ad palatium, in quo elegerant, redierunt; videlicet domini Florentinus, & Peneſtrinus epiſcopi, item domini de Agrifolio, S. Petri, Mediolanenſis, de Britannia, Glandacenſis, Pictavienſis, Vivarienſis, & Majoris monaſterii presbyteri; item de Verneio & de Luna diaconi Cardinales, & capellam privatam palatii omnes intraverunt: ad quos tunc ſupervenit præfatus dominus noſter ſanctiſſimus electus, cui in aſſurgendo maximam reverentiam fecerunt, & ipſum, me vidente, in capite inter eos ſedere fecerunt, & electionem de ipſo factam ſibi nuntiarunt, humiliter & devote ſupplicantes, ut hujuſmodi electioni conſentiret. Qui poſt multas preces & rogamina finaliter conſenſit, genuflectendo ſe verſus altare in dicta capella, ac ſurgens ad illud aſcendit in ſede ſe ponendo. Qui depoſitis veſtibus quibus induebatur, extitit papaliter inthronizatus; cujus electionem dominus de Verneio populo congregato ſolemniter publicavit, ipſum dominum Urbanum Papam VI. publice nominando, cui præfato domino Urbano prædicti duodecim genuflectendo reverentiam fecerunt, quos & populum tunc inſiſtentem ad oſcula, ut moris eſt, recepit, prius Te Deum laudamus ſolemniter decantando.* Confirmantur hæc a Theodorico Niemio (*b*), qui addit Urbanum deductum a Cardinalibus in ſuperiorem porticum baſilicæ Vaticanæ populum ſacra prece & crucis ſigno luſtraſſe.

Ritu antiquo Urbanus in ſede poſitus.

Qui Cardinales interfuerint.

Rei geſtæ circumſtantiæ.

(*b*) *Theod. a Niem. l.* 1. *c.* 2.

XV. Hæc porro geſta ſine ulla impreſſionis terroriſve ſpecie, ſed potius magna cum Cardinalium lætitia & gratulatione, edisserit Recinetenſis, idemque Maceratenſis epiſcopus (*c*): *Et hæc*, inquit, *facta ſunt quaſi hora nona*, & paulo infra, *nullo*

(*c*) *To.* 4. *de ſchiſm. p.* 71.

Seditio metuſque abfuere.

*lo armato, nulloque vociferante, aut aliquid dicente: immo hæc facta ſunt cum pace maxima.* Et ſane non iis opibus, non ea gratia, authoritateque floruiſſe Urbanum, ut Cardinales ad ipſum in ſacro ſolio collocandum cogere poſſet, oſtendit Theodoricus Niemius (*a*), dum opum illius tenuitatem ac primordia exponit his verbis: *Numquam fuit talis, aut tantus, quod ipſe per ſe, vel alium pro aliqua conſequenda dignitate, item quantumque notabili, præſertim papatu, ſeditionem, ſeu impreſſionem moviſſet, vel aliquis de eo cogitaſſet, aut præſumpſiſſet.* Hæc ille. Multo vero minus terroribus eos Cardinales, qui confugerant in molem Hadrianam, in qua hoſtiles impetus retundere poterant, elicere in palatium potuiſſet; quin potius Cardinales, magna animi voluptate rem totam peregiſſe teſtis eſt Recinetenſis epiſcopus dum ait.

(*a*) *Ib. c.* 1.

Urbanus nullis opibus, vel auctoritate tum pollebat. Multo minus ad Card. ex arce detrahendos.

Cardd. exultatio.

*Poſtmodum ivi domum cum domino de Vernejo, & tunc dixit mihi præſente quaſi tota ſua familia: Frater chariſſime numquam toto tempore vitæ meæ habui tantum gaudium, quia negotium iſtud hodie ſic pacifice complevimus; dubitaveram enim ne Romani poſſint contentari. Cui reſpondi: Domine mi, Romani non ſunt ita mali ſicut dicitur. Certe, ſi vos elegiſſetis unum barbarum, nil dixiſſent. Viri tamen ii, qui heri erant ebrii, neſciebant quid dicerent, & quilibet credebat habere dominum ſuum in Papam propter clamorem ſuum. Inſuper domini ſcitis de quo ſumme gaudeo, Quia video quod Eccleſia reformabitur. Reputo enim iſtum probum & ſanctum virum, & pro certo Spiritus ſanctus miraculoſe operatus eſt in ipſius electione.*

Conceptæ de eo magnæ ſpes. Sparſæ de eo Cardinalium voces.

Senſiſſe etiam optime de Urbani pontificatu, ac præclaras de reſtituendo ab ipſo veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ ſplendore ſpes concepiſſe Cardinales Italos, refert Thomas Petra canonicus Patracenſis; (*b*) *Sæpe*, inquit, *audivi dominum Mediolanenſem, Florentinum, & de Urſinis, & diverſis temporibus dicentes, dominum noſtrum Urbanum prædictum fuiſſe verum Papam concorditer electum, per quem ſperabant Eccleſiam Dei reformari.*

(*b*) *To.*4. *p.*80.

Solemni demum pompa a Cardinalibus Urbanum papali thyara fuiſſe redimitum ſine ullius terriculi ſpecie, ac dein Lateranenſis eccleſiæ trimphali apparatu deductum poſſeſſionem iniiſſe, narrat Theodoricus e Niem (*c*): *Deinde*, inquit, *in ipſa ſacra paſchali Domini die mane valde ſolemniter per ipſos dominos Cardinales, ut moris eſt, ipſe Urbanus ſuæ coronationis inſignia recepit ante portam dictæ baſilicæ, ſicque coronatum dicti Cardinales, ac prælati & officiales, ac etiam multi nobiles & curiales, ac pene univerſus populus urbis ipſum ad eccleſiam Lateranenſem per eandem urbem cum papali honore ſeu pompa tranſeuntem aſſociarunt. Fuerunt etiam tunc in ipſa urbe valde multi barones & alii magnates per plures dies præſentes, qui univerſaliter, ſinguli videlicet eorum eidem Urbano ut vero ſummo Pontifici publice ac private honorem & reverentiam exhibuerunt.*

(*c*) *Theodoricus e Niem. l.*1. *c.*3.

Solemni pompa thyara redimitus.

XVI.

Inita vetere ritu & inſtituto pontificatus poſſeſſione, Urbanus encyclicis literis (*d*) totius imperii Chriſtiani epiſcopos & principes de Gregorii XI. obitu, traditiſque ſibi conſentientibus Cardinalium ſuffragiis eccleſiæ gubernaculis, fecit certiores.

(*d*) *Extant in l. brev. Urb. p.* 166.

*Urbanus &c. venerabilibus fratribus archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis &c.*

Encyclicæ Urbani lit.

*Nuper felicis recordationis Gregorio PP. XI. prædeceſſore noſtro in urbe, ubi tunc cum ſua curia reſidebat, ſicut Domino placuit, ſubtracto ab hac luce poſt exhibita eidem in ſolemnibus exequiis debita humanitatis obſequia venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales in palatio apoſtolico apud baſilicam Apoſtolorum principis ſito, in quo idem prædeceſſor, dum viveret, habitabat & curſum præſentis vitæ conſumpſerat, convenientes in unum pro electione ſubſtituendi Pontificis juxta neceſſitatis inſtantiam celebranda per eos, prius, ut eſt moris, Spiritus Sancti gratia ſuppliciter invocata, ejuſdem Spiritus, ut pia & devota ſupponit credulitas, aſſiſtente clementia prima die, qua ad hoc invicem convenerant, de ipſorum fratrum communi voto, raraque concordia eodem afflante Spiritu, proceſſit de nobis tunc archiepiſcopo Barenſi ad Petri cathedram canonica, communis, & concors electio. In his ergo ſtupemus non immerito pariter & terremur. Nonne ſtupor, nonne terror, quod nos, qui tutioris ſemper putavimus eſſe conſilii ſecure in domo Domini ſubjici quam periculoſe ſuper aliorum curam & regimen elevari, ſic ſubito & inſperato in maris altitudinem venimus? Et dum injuncti operis ſarcinæ inſufficientes humeros & viribus impares tanto oneri comparavimus, non indigne timebamus hujuſmodi oneris molem ſuſcipere: ſed hæc efficaciter ſuggerebant, ut in vocatione, qua nos vocaverat Dominus, maneremus, & ſi debilitas hujuſmodi onus refugeret, & opus inſufficientia vitaret. Verum quia merces laboribus commenſuratur & redditur, ac proinde doctor egregius non de fructu gloriatur, ſed veraciter ſuos labores atteſtans, non ait, plus omnibus perfeci, vel profui, ſed plus omnibus laboravi; licet deterreat onus & labor, tamen ad ſubeundum jugum apoſtolicæ ſervitutis & in ea pro viribus laborandum nos merces retributionis æternæ commenſuranda laboribus invitavit, & ſub illius fiducia, qui lapſo virtutem tribuit, ſibique ſolus ſufficienter plenitudo noſtros poteſt ſupplere defectus, debiles humeros tanto*

Divinæ vocationi ſe aſſenſiſſe ſignificat.



*to ſubjecimus oneri, nec expavimus pro Chriſtifidelium animarum ſalute manus exponere immenſitati laboris. Cæterum, quia ſupra vires noſtras eſſe conſpicimus ſuſceptum officium, illudque ſoli portare nequimus, orationum veſtrarum ſuffragia humiliter imploranda, & vos in partem ſolicitudinis evocatos, ut collaborando nobiſcum diligentius exequamini commiſſa nobis officia, decrevimus exhortandos. Ideoque univerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino nihilominus rogantes inſtanter quatenus preces humiles ac fideles frequenter fundatis ad Dominum, ut ſua pietate noſtram inſufficientiam ſuppleat, debilitatem roboret, nobiſque quod eſt oneroſum levet, obſcurum ſuæ claritatis luce revelet, & aſpera convertat in plana: ſicque vota noſtra præveniendo clementer aſpiret, ut miſericorditer adjuvando benignius proſequatur, quod zelus noſter ſemper in ipſius beneplacito ferveat, nec unquam in illorum executione torpeſcat: &c. Dat.*

XVII.

Sumptum ab eo ſymbolum.

Sumpſiſſe ferunt pro pontificio ſymbolo hanc ſententiam: *Judica Domine & diſcerne cauſam meam.* Inter hæc nullum ſiniſtrum rumorem ſparſum, quin optimo jure Urbanus pontificatum iniiſſet, memorat Theodoricus e Niem (*a*): *Et tunc*, inquit, *nullum dubium, nulluſque rumor ſiniſter erat in urbe Roma, etiam inter Cardinales & alios quoſcumque, quod idem Urbanus non eſſet verus Papa, aut quod per impreſſionem vel alias minus canonice foret electus, immo omnes ipſi Cardinales tunc temporis ſcriptis & dictis publice & private dicebant omnibus, etiam ſecum de ipſo Urbano conferentibus, quoniam ipſe Urbanus eſſet verus Papa, & canonice ac concorditer per ipſos electus: & hæc eſt veritas, nec potuit re vera negari.* Confirmant hæc alii innumeri teſtes, e quibus Robertus e Straton (*b*) non ſilet, Robertum Gebennenſem poſtea antipapam una cum S. Euſtachii, S. Angeli, & Urſino Cardinalibus nocte paſchatis Zagarolo loco munitiſſimo Romam reverſos, ut thyaræ pontificiæ triplici corona radiantis Urbano imponendæ celebritatem una cum aliis duodecim Cardinalibus, qui urbe non abſceſſerant, cohoneſtarent. Sed quid aliena teſtimonia accerſimus, cum ipſi Cardinales, qui ſacra comitia celebrarant, privatis ad Reges & principes datis literis teſtati ſint, Urbanum rite ad ſedem Apoſtolicam evectum? Inſignes inter ceteras ſunt eæ, quas Petrus epiſcopus Portuenſis ad Joannem Piſtoris præceptorem domus Apuliæ S. Antonii ſcripſit (*c*).

(*a*) *Theodor. e Niem. l.*1. *c.*3.

Nulla tam ſiniſtra injecta ſuſpicio.

(*b*) *To.*2. *de ſchiſ. p.*67.

Cardd. qui diffugerant ſponte reverſi.

Scriptæ a Cardd. ad Principes lit.

*Die*, inquit, *mercurii ſeptimo menſis hujus in veſperis pro futuri Pontificis electione nos clauſimus in conclavi. In die jovis* VIII. *poſt miſſarum ſolemnia congregati Spiritus Sancti gratia inſpirante reverendum tunc patrem dominum Bartholomæum de Neapoli archiepiſcopum Barenſem locumtenentem domini vicecancellarii in ſummum Pontificem concordes elegimus, & electione publicata cum ſolemnitatibus debitis inthronizavimus juxta morem, vocaturque nomen ejus Urbanus* VI. *per quem propter ejus claram ſcientiam, vitæ puritatem, cæteraſque virtutes innumeras, & rerum experientiam diu probatam, ſperamus indubie quod illius auxilio & clementia cujus juſtus eſt Vicarius, univerſalis Eccleſia fæliciter ac ſecundum Deum & juſtitiam gubernabitur, totuſque populus Chriſtianus conſolationem reperiet & augmentum. Laboravimus pro honore Italici nominis per Dei gratiam cum effectu. Scriptum Romæ die* XIV. *april. prima indictione.*

(*c*) *Ext. to.*3. *p. de ſchiſm. p.* 119.

Commendata Urbani electio, ut ſummo conſenſu facta.

Alias etiam Roberti Gebennenſis literas ad Carolum IV. Imperatorem de vera Urbani electione ſe perlegiſſe, perſancte profeſſus eſt Adamus Eſcon (*d*) religioſus vir Benedictinæ familiæ ſic inquiens: *Item vidi literas quas dominus Gebennenſis pro ſe miſit domino Imperatori de creatione libera domini noſtri Papæ per epiſcopum Vuormatienſem.* Eadem Robertum ipſum Card. Gebennenſem ad Flandriæ comitem & ad Britanniæ ducem ſcripſiſſe, teſtantur hiſtorici, adeo ut eo argumento ii principes victi, contraria poſtea ejuſdem Roberti ad pſeudopontificatum evecti teſtimonia aſpernati ſint. Sed quæ memoratus teſtis oculatus Adamus Eſcon referat audiamus: *Item vidi literas conſimiles de domino Mediolanenſi, Florentino & Ambianenſi, item vidi quando dominus de Agrifolio procuravit, quod B. de Verraco fuit miſſus ad Imperatorem de creatione domini noſtri Papæ.*

Cardd. Gebennen. ad Cæſarem & Belgam ſcripſit.

(*d*) *Froſſard. in chron. Vvalſingh. in Richar. Paul. Æmil. in Carol. V. Meger. in hiſtor. Fland. & alii.*

Alii etiam Cardd. ſcripſere.

XVIII.

Nec modo privato nomine a Cardinalibus de Urbano legibus creato Pontifice, verum etiam afferuntur ab Henrico de Knygton (*e*), literæ VIII. maij conſignatæ, quas integer Cardinalium ſenatus ad Imperatorem ſcripſit, quarum exemplum cæſareo & quindecim procerum ſigillis obſignatum divulgavit Imperator ad perduellium Cardinalium apoſtaſiam confundendam, quas fuiſſe encyclicas conſtat, cum verborum formula ab aliis in hiſtoria a nobis mox inſerendis non diſcrepet. De aliis etiam privatim a Cardinalibus miſſis literis ad alios proceres hæc addit laudatus Adamus de Eſcon teſtis oculatus: *Et vidi oculis meis intus & exterius quas ſcripſit dominus de Agrifolio diverſis epiſcopis Alamanniæ de civitate Anagniæ, &c.* Denique ut Urbani electio rite celebrata magis demonſtretur, literas alias totius Cardinalium collegii datas (*f*) ad Cardinales alios, qui Avenione ſubſtiterant, ex Avenionenſi tabulario depromptas producamus.

(*e*) *Henric. de Knygton. canonic. Leyceſtren. de eventibus Angl. l.*5.

(*f*) *Ext. to.*5. *de ſchiſm. p.*7.

*Re-*

XIX. Cardd. ad Cardd. Avenione agentes lit.

*Reverendiſſimi patres & domini.*

*Quia plerumque, immo & plurimum præſertim in rebus arduis, famæ loquacitas veritatem quibuſdam coloribus adulterinis obnubilat, ideo quid his diebus in Romana Eccleſia cujus honorabilia membra & ſublimes columnæ pariter nobiſcum exiſtitis, geſtum ſit, vobis præſenti ſcriptione veridica curavimus intimare ut & iis, qui vobis rem aliter narraverunt, ſeu ſcripſerunt non credatis, & mentes veſtræ, hac noſtra inſinuatione clarificatæ, in tranquillo & ſereno veritatis littore conquieſcant. Veſtris igitur paternitatibus innoteſcat, quod ſanctæ feliciſque recordationis domino, & patre noſtro domino Gregorio Papa XI. die XXVII. menſis Martii nuper elapſi viam univerſæ carnis ingreſſo, & ſicut de largiſſima Dei pietate confidimus, poſt labores ad præmia evocato, ſicut vobis ſcripſimus; Tantique patris, prout juris, & moris, cum debitis honore & reverentia exequiis celebratis die*.. præſentis menſis aprilis conclave palatii apoſtolici, in quo præfatus dominus noſter abierat, ne dicamus obierat, juxta ſanctiones canonicas decrevimus intrare; ſed certis ex cauſis, ad id noſtrum inducentibus animum, hujuſmodi noſtrum introitum ad immediate ſequentem duximus differendum, qua quidem die videlicet VII. hujus menſis; primitus gratia Sancti Spiritus invocata, conclave præfatum intravimus de electione & ſubſtitutione futuri Pontificis tractaturi; ſequentique die, luciferi neſcientis occaſum, ut pie credimus, radiis illuſtrati, circa illam diei horam, qua Spiritus ille Paraclitus, in Sanctorum diſcipulorum corda deſcendit ad perſonam reverendi in Chriſto patris, domini Bartholomæi archiepiſcopi Barenſis viri utique magnorum meritorum claritate conſpicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, libere & unanimiter direximus vota noſtra, eum ad celſitudinis apoſtolicæ ſpeculam concorditer evocantes; & hanc noſtram evocationem, ſeu electionem in conſpectu maximæ Chriſtianæ plebis multitudinis nunciantes. Cæterum die IX. hujus menſis, idem dominus electus, coram turba fidelium copioſa ſuper thronum dignitatis apoſtolicæ ſublimatus, ſibi Urbani nomen aſſumpſit, ac die, qua Chriſtus Jeſus ſummus Pontifex vitam noſtram reſurgendo reparavit, ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt in baſilica Principis Apoſtolorum de urbe, cum ingenti tripudio & lætitia innumerabilis populi Chriſtiani pontificali regno magnifice & ſolemniter extitit coronatus.*

* ſexta

Commendatæ ab iis Urbani virtutes.

Qua die thyara redimitus.

*Quæ quidem ideo vobis nunciamus, ut ſicut obitus memorati domini Gregorii nobis amaritudinis & triſtitiæ calicem propinavit, ſic in præſentis patris conceſſione cælitus nobis, & vobis facta, gaudii & exultationis ſpiritum aſſumatis: in illo enim, cujus vices idem dominus noſter gerit in terris firmam ſpem, fiduciamque tenemus, quod ſub ejus felici regimine, ſtatus Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ reflorebit, & orthodoxa fides felix, optatumque ſuſcipiet incrementum. Salvator noſter Jeſus Chriſtus, diu & feliciter in ſuo ſervitio vos perſeverare faciat juxta vota. Dat. Romæ die XIX. dicti menſis ſub ſigillis noſtris P. Portuenſis epiſcopi, G. S. Stephani in Celio monte presbyteri, & Jacobi S. Georgii ad velum aureum diaconi Cardinalium hic prioritatis locum obtinentium in ordinibus antedictis.*

Fauſta ei precantur.

De electione ſibi gratulantur.

*Petrus Portuenſis & S. Rufinæ.*
*Joannes Præneſtinus, epiſcopi.*
*Guillelmus tituli S. Stephani in Celio monte.*
*Franciſcus tituli S. Sabinæ.*
*Bernardus tituli S. Cæciliæ.*
*Robertus tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum.*
*Simon tituli SS. Joannis & Pauli.*
*Ugo tituli SS. Quatuor Coronatorum.*
*Guido tituli S Crucis in Jeruſalem.*
*Petrus tituli S. Laurentii in Lucina.*
*Gerardus tituli S. Clementis, presbyteri.*
*Jacobus S. Georgii ad velum aureum.*
*Petrus S. Euſtachii.*
*Guillelmus S. Angeli.*
*Petrus S. Mariæ in Via lata.*
*Petrus S. Mariæ in Coſmedin, diaconi S. R. E. Cardinales.*

XX. Cardinal. Avenionenſ. Urbanum agnoſcunt.

Acceptis iis literis Avenionenſes Cardinales numero ſex, nimirum Ægidius Iſelmius Tuſculanus, Joannes de Blanſaco Sabinenſis, Anglicus Grimoaldus Albanus epiſcopi, Petrus tit. S. Anaſtaſiæ presbyter dictus Pampilonenſis, Guillelmus tit. S. Vitalis Mimatenſis, & Ugo de S. Martiale diaconus S. Mariæ in porticu Urbano honores pontificibus ſacros detulerunt, quorum literas (a) inferius afferemus. Joannes tit. S. Marcelli presbyter Cardinalis dictus Ambianenſis accepta Urbani creatione ad ipſum ſe contulit, ut officia ſolita illi vetere ritu addiceret, cujus rei teſtis eſt Thomas Petra canonicus Patracenſis (b): *Vidi*, inquit, *& ſcio, quod dictus olim Cardinalis Ambianenſis tempore electionis erat Piſis in loco ſibi tutiſſimo, & tunc ſcita electione domini noſtri & omnibus, quæ & prout facta erant, venit & recognovit dominum noſtrum in Papam, faciens ſibi in publico conſiſtorio reverentiam papalem more ſolito.* Urbanum etiam conſiſtoria una cum Cardinalibus pluribus menſibus celebraſſe, atque in iis graviſſimas res diſcuſſiſſe, aſtitiſſe illos peragenti rem divinam, ac ſacra ex illius manu ſuſcepiſſe, & alia omnia obſequia pontifici Romano præſtanda exhibuiſſe, inter plures alios memorat idem Thomas Petra (c): *Item ſcio quod tam antipapa quam alii Cardinales ultramontani poſt exitum dicti conclavis exiverunt urbem & juverunt ad caſtra, in quibus tutiſſimi erant, & tandem reverſi fuerunt Romam & adoraverunt dominum noſtrum, ac ſecum promotiones tam Cardinalis Hoſtienſis, quam plurium epiſcoporum & prælatorum fecerunt, videlicet ad ipſorum relationes, ac de conſilio & conſenſu eorundem ſine vi & metu:* & paucis interjectis verbis: *Iterum pluribus vicibus vidi eos aſſiſtentes ſibi quando dabat generalem benedictionem populo, uno ipſorum annuntiante indulgentias, & cæteris indutis eccleſiaſticis veſtibus, & ſimiliter in Miſſis ſolemnibus, conſiſtoriis publicis præmiſſa reverentia papali. Item in die jovis ſancto vidi omnes ipſos ut ſupra indutos & paratos cum faculis accenſis in manibus, quas de pulpito projecerunt in terram, anathematizantes & excommunicantes una ſecum omnes in proceſſu dicti diei contentos, uno ipſorum legente proceſſum eundem, &c.*

(a) Ext. de ſchiſm. to. 2. p. 32.

(b) To. 2. de ſchiſm. p. 80. Item Card. Ambianenſi.

Celebrat a Cardd. cum Urban. conſiſtoria.

(c) Eod. tom. p. 80.

Obſequia omnia ei præſtita.

XXI. Excurrere aliquot menſes, quibus Eccleſia pace potita eſt, Urbano a Cardinalibus more pontificum culto: immo & inter Romanam Eccleſiam & Florentinam rempublicam concordia (a), quæ diu antea præſidente orbi Gregorio agitata, ſed ab improbis hominibus turbata fuerat, ſancita eſt, atque ab Urbano reſtitutus Florentinis ſacrorum uſus, pœnarumque remiſſio indulta eſt. Prædictam fuiſſe a Chriſto S. Catharinæ, pacem inter Florentinos & Romanam eccleſiam ejus opera & labore redintegrandam, imperatumque, ne Florentia, niſi pace confecta, diſcederet, refert Raymundus (b) Capuanus in ejus vita, qui deſcripta ipſius conſtantia, qua in tumultu populari a pacis hoſtibus concitato inter diſtrictos ſicariorum gladios ad martyrium paratam ſe oſtendit, ſubdit; *Domino Urbano VI. electo pax inter ipſam & dictos Florentinos fuit tractata, conſummata, & ex toto firmata, nec non in civitate ſupradicta præconizata, quo facto virgo domini filiis & filialibus in Chriſto dixit: Amodo poſſumus de civitate iſta recedere, quia gratia Chriſti feci obedientiam ejus, ac vicarii ſui, & quos inveni rebellantes Eccleſiæ dimitto pacificos & reconciliatos matri tam piæ. Redeamus ergo ad civitatem Senenſem, unde huc venimus: quod & factum eſt: ſicque evaſit manus hominum impiorum in nomine Domini, pacemque obtinuit juxta votum & hoc non ab homine, neque per homines, ſed Jeſu Chriſto tantummodo faciente inviſibiliter per Angelos pacis, illud, quod operantibus Angelis ſathanæ homines nequam impedire volebant.*

(a) Leonard. Aretin. l. 9.

Sancita inter Urban. & Florentinos pax.

(b) Raymundus Capuan. in Vit. S. Cathar.

XXII. Inteſtina diſcordia exoriri cœpta.

Cum ita Romanæ eccleſiæ pax reſtituta videretur, pacato externo bello, inteſtinum exortum eſt, [1] Cardinalibus Gallis in Urbanum rebellantibus: quod eadem virgo triennio ante lumine divino colluſtrata prædixerat, ut Raymundus ipſe Capuanus (c), cujus nomen in Dominicano ordine maxima ſanctitatis opinione floret in B. Catharinæ vita enarrat: *Tempore quo ex multorum Italicorum malitia omnes quaſi civitates & terræ, quas conſtat pleno jure ſpectare ad Romanam eccleſiam, Romano tunc pontifici domino Gregorio XI. rebellaverunt, quod fuit anno Domini MCCCLXXV. contigit virginem ſacram eſſe in civitate Piſana, ubi & ego tunc eram; & diebus illis quibus ſupervenit novum de rebellione civitatis Peruſiæ,* & infra, *cum novo percepto ego nimis mente amaricarer conſiderans nullum jam eſſe in Chriſtianis Dei timorem, nullamque reverentiam Eccleſiæ ſanctæ Dei, & per conſequens nullam curam de incidendo in excommunicationum ſententias, aut de rapiendo jura non modo aliena, ſed etiam ſponſæ Chriſti, tactus dolore cordis intrinſecus mœſtus & mœrens ad hoſpitale prædictum, ubi ſacra virgo ſtabat, acceſſi fratre Petro de Velletro me ſociante, eique dictum novum cum lachrymis cordis & corporis nunciavi. Quo ipſa percepto, primo una mecum ex corde condoluit, & compaſſa eſt animarum perditioni, ac tanto ſcandalo eccleſiæ Dei; ſed videns me nimis lachrymis deditum, tandem ad refrænandum fletum meum ſubintulit: Non incipiatis fletum veſtrum tam cito, quia nimis habebitis flere; iſtud enim, quod nunc videtis, eſt lac & mel reſpectu eorum, quæ ſubſequentur. Quo ego audito lachrymas non ex conſolatione, ſed ex majori dolore & admiratione continui, & ab ipſa petivi dicens: Nunquid poſſumus, mater mea, majora videre mala, quando videmus Chriſtianos erga ſanctam eccleſiam omnem devotionem & reverentiam perdidiſſe, nec ſententias ejus in aliquo timere, ac ſi eam factis ex toto negarent in publico, nihil reſtat amodo niſi, ut Chriſti fidem totaliter negent. Tunc illa: Pater hoc modo faciunt laici; ſed cito videbitis quanto deterius erit illud quod facient clerici; & ego plus admirans inquam: O me miſerum, nunquid etiam clerici Romano Pontifici rebellabunt? At illa: bene videbitis vos, quando ipſe voluerit.*

(c) Raym. Capuan. ibid. par. 2. c. 10.

Prædicta a S. Catharina.

Deſignat illius auctores.



NOTÆ [1] PAcem ab externis hoſtibus Eccleſiam Romanam antea obtinuiſſe, quam inteſtinum & crudele ſchiſmatis bellum inceperit Annaliſta hic ſcribit; ſed minus caute. Nam eſto cum Florentinis pax ſchiſma inter Pontifices præceſſerit. Pax enim illa Majo vel Aprili menſe coaluit, teſte Nerio in Chronico Senenſi; de pace tamen cum cæteris fœderatis, Bernabone, aliiſque non niſi Julio exeunte conventum eſt, cujus rei nuncium Senas perveniſſe die II. Auguſti idem ſcriptor affirmat. MANSI

*rit ipſorum pravos mores corrigere, facient enim tunc ſcandalum univerſale toti Eccleſiæ ſanctæ Dei, quod tanquam hæretica peſtis ſcindet & tribulabit eam. Ad quod ego quaſi amens ex ſtupore jam facto ſubjunxi: Et habebimus hæreſim, o mater mea & hæreticos novos? & illa: Non erit proprie hæreſis, ſed erit quaſi hæreſis & diviſio eccleſiæ, ac totius Chriſtianitatis: Itaque paretis vos ad patientiam, quoniam oportet vos iſta videre. Ad hoc ego conticui, & ſuſpenſus ad loquentem perpendi, quod diſpoſita erat ad plura dicenda; ſed ne meam anguſtiam augumentaret ſeipſam continuit.*

Ejus de futuro ſchiſmate ſententia.

*Fateor etiam quod tunc eam non intellexi ob cauſam obſcuritatis intellectus mei, quia putabam hæc omnia debere contingere tempore prædicti ſummi Pontificis domini Gregorii XI. qui tunc erat: ſed cum illo defuncto jam quaſi oblitus eſſem prophetiæ jam dictæ domino Urbano VI. ſuccedente, cum vidi ſchiſma præſens in Eccleſia inchoari oculata fide percepi omnia quæ mihi prædixerat, fore verificata, & me ipſum redarguens de modico intellectu expectabam ejus præſentiam, ut poſſem iterum cum ipſa conferre quod & dominus mihi conceſſit, quando ad mandatum dicti domini Urbani ſancta virgo venit ad urbem jam inchoato ſchiſmate: tunc autem reduxi ei ad memoriam id, quod ante per aliquot annos mihi dixerat Piſis, cujus ipſa optime memor adjunxit: Sicut dixi vobis quod illud erat lac & mel, ſic dico vobis quod illud quod videtis ad præſens eſt ludus puerorum reſpective ad ea, quæ futura ſunt & ſinguliriter in patria circumſtanti, denotans mihi regnum Siciliæ cum patria Romana & regione eorum adjacenti, quod ſic poſtea rei probavit eventus. Invoco teſtem cœlum & terram, tunc enim adhuc vivebat Joanna Regina: ſed quantæ poſtmodum tribulationes tam ei quam regno & ejus ſucceſſori, nec non & his qui de remotis partibus advenerunt ſequutæ fuerint, quantæque deſtructiones terrarum nullus, qui patriam novit, ignorat.* Prædictum etiam fuerat idem ſchiſma a Petro Minorita Aragonio principe, quod horrendo modo conflatum eſt, cum in inauditam apoſtaſiam lapſi Cardinales, Roberto Gebennenſi conjurationis authore deſciverunt.

Prædicta ab ipſa bella in regno Neapolitano & agro Romano.

XXIII. Injuſtas facinoris cauſas, nimirum concepta in Urbanum ob illius acerbitatem odia, Alfonſus eremita Gobelinus (a) & Theodoricus e Niem indicant, cujus poſtremi hæc ſunt verba: *Die Lunæ infra feſta paſchalia dictis veſperis in ejus præſentia in eodem palatio in capella majori, me præſente, ipſe Urbanus publice incœpit increpare epiſcopos, qui illuc venerant, dicendo quod omnes eſſent perjuri, quia eccleſias ſuas dſererent, in eadem curia reſidendo. Sed omnibus tacentibus ipſis prælatis, quondam dominus Martinus epiſcopus Pampilonenſis ejuſdem Urbani referendarius natione Catalanus, qui fuit doctor egregius in jure canonico & diu Avinione in eodem jure legit ordinarie, ſolus Papæ reſpondit ſatis acerbe, dicendo quod ipſe non eſſet perjurus, quodque dictam curiam non propter ejus privatam, ſed potius propter publicam utilitatem ſequeretur, & paratus eſſet de illa recedere, nec non ad ejus eccleſiam accedere, arguendo ſubtiliter per hoc dictum Urbanum, quod egit minus caute, ſic generaliter objurgando prædictos prælatos præſentes tunc in curia memorata.*

(a) Theod. e Niem. c. 4.

Aulicos increpat Urb.

Acerbum epiſ. Pampilon. reſponſum.

*Subſequenter (b) autem die lunæ immediate poſt ſecundam dominicam poſt paſcha ipſe dominus Urbanus, tenendo publicum conſiſtorium & confluentibus illuc dictis dominis Cardinalibus, nec non prælatis ac officialibus & curialibus in magno numero ut eſt moris, incœpit ſermonem facere in præſentia eorumdem, cujus thema fuit, Ego ſum paſtor bonus &c. quem minus caute, nec non etiam minus ornate fecit, in quo etiam mores dictorum dominorum Cardinalium & prælatorum incœpit arguere, quod ipſi ægre tulerunt.* Addit auctor ex iis increpationibus conflandi ſchiſmatis occaſionem improbos homines captaſſe: *Paulo poſt*, inquit, (c) *ſuſcitata nimis periculoſa diſcordia inter ipſum, & dictos Cardinales prædictum ſchiſma magis propterea ex rancore mutuo partium, quam allegata impreſſione in electione dicti Urbani, ut in præcedentibus tangitur, habuit ortum.* At de his cauſis ſchiſmatis ex graviſſimis teſtibus iterum inferius.

(b) Idem c. 5.

Cardd. incaute perſtricti.

Curiæ odia in Urb. accenſa.

(c) Cap. 7. Curiæ odia in ſe accendit.

XXIV. Confirmabat Cardinales Gallos in perduellionis ſcelere, molem Hadrianam a ſuæ factionis ſatellitibus præſidiariis, quibus Petrus Guntelinus Gallus præfectus erat, teneri: cujus arcis cuſtodiam cum repoſceret Urbanus a Guntelino, negavit is, ut perfidiam coloraret, ſibi integrum id eſſe, niſi Cardinales, qui Avenione reſederant, aſſenſiſſent: qui ea de re a Pontifice poſtulati haſce ad eum literas (d) dedere.

Adriana moles tenta a Gallis.

*Sanctiſſime pater, ac metuendiſſime domine.*

(d) Ext. to. 2. de ſchiſm. p. 32.

*Veſtræ ſanctitati innoteſcat, reverendiſſimos in Chriſto patres dominos Tuſculanum, Sabinenſem, Mimatenſem, & de S. Martiale Cardinales, & nos una cum eiſdem literas ejuſdem ſanctitatis recepiſſe in effectu continentes, quod Petrus Guntelini de S. Criſpino domicellus caſtellanus caſtri S. Angeli de Urbe ad veſtram ſanctitatem & Romanam Eccleſiam pleno jure pertinentis, cum eſſet pro parte ejuſdem ſanctitatis debite requiſitus, ut caſtrum ipſum vobis reſtituere & aſſignare deberet, & id facturum ſe paratum offerret, tandem poſtmodum nonnullorum iniquorum & per-*

Urbano repetenti denegata.



*verſorum ſeductus conſiliis caſtrum ipſum, licet pluries fuerit de hoc ex parte veſtra debite requiſitus eidem ſanctitati veſtræ reſtituere recuſavit & recuſat, nonnullas prætendens recuſationes in hujuſmodi veſtris literis contentas, quibus quidem literis per eoſdem reverendos dominos Cardinales & nos diligenter inſpectis, & conſilio ad invicem habito ſuper eiſdem, iidem domini Cardinales hoc differre volentes, ſuam ſuper hoc intentionem noluerunt declarare, nec etiam ſcribere de præſenti, aſſerentes, ſe velle prius per alios dominos Cardinales in illis partibus exiſtentes, vel eorum literas de ſuper præmiſſis certius informari. Nos propterea, pater beatiſſime, tamquam filii obedientiæ hujuſmodi veſtris literis & mandatis parere & obedire volentes, ut tenemur, caſtellano præfato præſentialiter mandamus quantum in nobis eſt, ipſumque per noſtras patentes literas noſtris ſigillis ſigillatas hortamur attente, ut caſtrum hujuſmodi veſtræ ſanctitati prout decet indilate reſtituat & aſſignet noſtrum in hoc præbentes aſſenſum. Eamdem S. V. conſervare dignetur altiſſimus longævis temporibus ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Scriptum Avinione die 3 Julii.*

Cardinalium fraus.

*Veſtri humiles & devoti A. Albanenſis & P. Pampilonenſis Cardinales.*

Non propterea Guntelinus mole Hadriana ceſſit, ſed ad conjuratorum Cardinalium nutum armatus in arce ſtetit, perfidiam hanc poſtea ultore Numine in Avinionenſi cataſta carnificis manu luiturus: at de eo poſtea. Nunc de Cardinalium ab Urbano ſeceſſione agamus.

XXV. Abalienatos a Pontifice fuiſſe Cardinalium animos, atque Anagniam ad agitanda in eum conventicula abiiſſe, cum Urbanus nonnullis ſanctionibus nimiam Cardinalium licentiam coercuiſſet, teſtatur Thomas (a) deſignatus epiſcopus Lucerinus, de quo extant publicæ tabulæ: *Item*, inquit, *dixit diligenter interrogatus, quod propter aliquas ſuas conſtitutiones, quas fecerat dictus dominus noſter Papa, quæ ligabant ipſos Cardinales, conceperunt odium contra dictum dominum noſtrum Papam, unde caute & aſtute ſciverunt licentiam habere a dicto domino noſtro Papa & ſe de urbe ad Anagniam tranſtulere.* Confirmat hæc Card. Ravennas (b) in literis ad Gallorum Regem inferius adducendis.

Odiorum fons.

(a) Eod. to. 2. p. 46. Perſtricta ab Urban. Cardinalium licentia.

(b) Anno 1379. n. 51.

Ob ademptas penſiones & ſimoniacas ſordes vetitas creviſſe odia, ex veteribus monumentis (c) conſtat, confirmatque S. Catharina Senenſis (d), moviſſe Cardinales rebellionem, cum ipſos ſordeſcere in vitiis non pateretur. Conſentiunt his quæ Walſinghamus (e) de hac Cardinalium defectione ſcripſit: *Ex poſt*, inquit, *cum ipſe Cardinalis*, nempe Robertus Gebennenſis, *& cæteri de collegio quibus eccleſiæ perturbatio complacebat, viderent Urbanum Papam ut ſummum Pontificem per omnia condecenter agere, contra avaritiam ipſorum diſputare, adverſus injuſtitias diſceptare, & in omnes ſimoniacos intrepide terribiliter fulminare, pœnituit eos feciſſe hominem. Augebat inſuper furorem eorum quod proteſtatus fuerat, ſe juſtitiam facturum inter virum & virum, & maxime inter Reges Francorum & Anglorum, per quorum pene diſcordias tota Chriſtianitas detrimentum accepit. Favebant nimirum Regi Francorum ejus illecti muneribus, unde & metuebant ne aliquid ſalubriter ſtatueret contra eum, propter quod vel eorum minueretur commodum, vel opinio penes Regem. His itaque & iis ſimilibus cauſis deſciverunt quaſi vir unus; & iſtum, de quo fit ſermo, ad inſtar Baal, quod interpretatur vanitas erigentes, ſtatuerunt ſimulacrum ſuum, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & procidentes curaverunt genua ſua ante Baal.*

(c) To. 2. de ſchiſ. p. 103.

(d) S. Cath. Senen. ep. 21.

(e) Vualſing. in Richar. II.

Item iniquitas & avaritia.

Didiciſſe aliam diſſenſionis hujus cauſam ex ipſius Urbani ore narrat Thomas Petra (f) canonicus Patracenſis cum ſcilicet ſolicitatum nempe a Cardinalibus fuiſſe, ut ſedem Apoſtolicam tranferret Avenionem, eoque dicente in pace continendam eſſe Italiam, ac ditionem eccleſiaſticam componendam, tum inſtauranda collapſa urbis templa, illos ſubjeciſſe, nunquam pontificatus honoribus Italiam potituram: *Tempore*, inquit, *diſcordiæ dominorum electorum cum dicto domino noſtro Urbano acceſſi ad ipſum humiliter, ut pro Deo diceret mihi quare veniebat diſcordia. Qui reſpondit dicens: vere Thoma fili non culpa noſtra, requiſiverunt enim nos, ut transferremus curiam Avenionem, & nos excuſavimus nos, quod non poteramus, nec debebamus, cum Urbanus quintus & Gregorius prædeceſſor noſter veniſſent huc permiſſione divina ad reſtaurandum ſanctuaria urbis in parietibus & devotione collapſis & reducendum populos ad devotionem Eccleſiæ & pacificandum Italiam, quod nondum erat factum, & quod ſi etiam vellemus non poſſemus habere galeas & alea opportuna; & tunc ipſi reſponderunt ad hoc dicentes: Italia nunquam pontificabitur per Apoſtolicam Sedem, & quod non debebamus de iis curare, & ad finem dixerunt, quod venderemus totum quidquid habebat ordo S. Joannis Hieroſolymitani in univerſo orbe, & tunc ſatis haberemus. Quibus auditis infremuimus ſpiritu & reſpondimus eis, quod citius paterer mille mortes, quam ſic deſtrueremus brachium fidei Chriſtianæ: & hæc reſponſio fuit eis turbationis cauſa.* Spectare eo videntur quæ tradit Theodoricus e Niem (g), dum ſcribit Urbanum eo magis Cardinalium odia incendiſſe, cum Romanos arctius ſibi devinciret: *Romanis autem civibus pro poſſe complacere ſtuduit idem Urbanus, in quo etiam ipſis Car-*

(f) To. 4. de ſchiſm. p. 80. De Sedis tranſlatione ſolicitatus Urb.

Urbani reſponſum.

Gallorum conſilium.

Urbani conſtantia.

(g) Theod. e Niem. l. 1. c. 7. Romanos ſibi conciliat.

*Cardinalibus vehementius diſplicebat. Unde ſigillatim dicti Cardinales ab ipſo exiſtente adhuc in eadem urbe circa medium menſis maii poſt ejus coronationem*, lapſo nimirum multo tempore, quo excurrente illum, ut creatum legibus Pontificem coluere, *receſſerunt, nec non ad Anagniam civitatem Campaniæ Romanenſem declinarunt recreationis cauſa pro illo æſtivali tempore, ut dicebant, quia tunc ut communiter incipit calor in eadem urbe vigere.*

Cardd. Anagniam profecti.

XXVI. Eadem vero Tudertinus epiſcopus (a) de receſſu Anagnino petito a Cardinalibus tradit, ac diu in ea urbe, ut juſtum Pontificem, in literis ac publicis precibus Urbanum veneratos teſtatur: *Poſt hæc,* nimirum electionem & conſecrationem recenſitas, celebrata cum Cardinalibus conſiſtoria, acceptaque ab iis obſequia pluribus menſibus, *audivi & vidi Cardinales omnes petentes licentiam ab iſto domino noſtro eundi Anagniam, ubi erat per dominum Gregorium ſanctæ memoriæ ordinatum facere reſidentiam in æſtivo, & tam per ipſum, quam per Cardinales erat facta proviſio in eadem, & dominus noſter etiam ordinavit ire ibidem in æſtivo, & propter hoc remanſit ſolus, pro eo, quod omnes Cardinales, excepto domino S. Petri, ac etiam camerarius domini Papæ cum tota rauba,* ideſt ſupellectili, *acceſſerunt ibidem.* Novarum is rerum ſuſpicionem attulit, ſupellectilem enim pretioſiſſimam latrocinio eo avexerat: in quem cum legibus agere pararet Pontifex, majora odia exarſerunt, qua de re inferius ex Urbano recurret ſermo.

(a) *To.* 2. *de ſchiſm. p.*48.

Priora Joannæ in Urb. officia.

*Poſt iſta vidi comitem Caſertenſem, archiepiſcopum Cuſentinum, & cæteros alios venientes Romam ambaxiatores ex parte dominæ olim Reginæ de Neapoli, & offerebant totam forciam,* id eſt armorum potentiam *ex parte ſua: & prout dicebatur domina Regina miſit ſibi partem cenſus regni Apuliæ. Vidi dominum Maſſilienſem tranſlatum ad eccleſiam Valentinam & fratrem ad eccleſiam Maſſilienſem. Vidi maritum Reginæ, comitem Fundorum, patriarcham qui nunc eſt Cardinalis adorare iſtum, & exhibere ſibi reverentiam tamquam Papæ, & remanere in prandio, & in miſſa cum eo, non ſemel, ſed pluries. Audivi, & vidi ſtantes Cardinales in Anagnia reſcripſiſſe domino noſtro pro beneficiis, gratiis, promotionibus, & aliis factis eorum, & familiarium eorum. Stantibus iſtis ſic, & Cardinalibus exiſtentibus in Anagnia, & Papa in Roma Cardinales ſcribebant, quod dignaretur ire Anagniam, & ibi ordinare ea, quæ eſſent ordinanda pro ſtatu Eccleſiæ univerſalis.*

Cardinales libellos ſupplices ad eum mittunt.

Tentant illum Anagniam allicere.

Tentarunt omnes dolos ut Urbanum Anagniam allicerent, redactumque in ſuam poteſtatem pontificatu vi deturbarent, atque ex dictis Angeli (b) Minoritarum pſeudogeneralis colligitur, ipſum novæ electionis, quam liberam futuram fingebant, ſpecie deludere conatos: *Memini me audiviſſe a multis Cardinalibus, quod in caſu ubi Bartholomæus vellet, ſe regere & gubernare, intendebant ipſum de novo & canonice in Papam eligere ad tollendum ſchiſma de Eccleſia militante.* Addit multa in Pontificem convitia, & Cardinales ejus odio concitatos, ad alterius intruſionem prorupiſſe. Nec latuere Urbanum inſidiæ, addit enim Tudertinus epiſcopus (c): *Et dum Papa erat in diſpoſitione eundi Anagniam, ſupervenerunt nova, prout audivi, quod ſi contingeret eum ire, ibi eſſet captus ab eis & a Comite Fundorum, & tunc iſtis auditis, prout audivi, deliberavit ire Tybur & non Anagniam, & ivit Tybur ſolus ſine aliquo Cardinali, quia dominus S. Petri qui remanſerat in urbe, non poterat equitare.* Confirmat Thomas de Acerro (d) deſignatus epiſcopus Lucerinus, comparatas fuiſſe a Cardinalibus Urbano inſidias, ſi Anagniam allici potuiſſet. *Pœnituit,* inquit, *ipſos Cardinales elegiſſe Papam Italicum, & fuit datum intelligi dicto domino noſtro, quod, ſi iviſſet Anagniam, Cardinales ſibi procuraſſent mortem, & elegiſſent unum ultramontanum: unde dominus noſter præfatus non ivit Anagniam, ſed Tybur, nec dicti Cardinales voluerunt venire Tybur, & ſic paulatim incœpit divortium animorum & obedientiæ, & natum eſt odium, quod odium intumuit in tantum, quod facti ſunt rebelles.* Dum nefarii hujus ad exitum perducendi conſilii, modos exquirebant Cardinales, Urbanus periculoſiſſimæ diſſenſionis ſedandæ cupidus, pluribus miſſis oratoribus, eorum iras mollire pertentavit, uti narrat Tudertinus epiſcopus (e), de quo ſupra memoravi.

(b) *To.* 3. *de ſchiſm. p.*4.
(c) *To.*2. *de ſchiſm. p.*48.
(d) *Eod. to.*2. *p.*16.
Parant inſidias.
Parata nex Urbano.
Aucta odia.
(e) *To.*2. *de ſchiſ. p.*48.

XXVII. Excitæ in Pont. Gallicæ turmæ.

Cum non e ſententia ſucceſſiſſent doli, aperta vi Chriſti Vicarium dejiciendum putarunt, ut teſtatur deſignatus epiſcopus Lucerinus (f): *Crediderunt,* inquit, *de facto cum potentia Britonum & Vaſconum dictum dominum noſtrum Papam opprimere quod Deo non placuit.* Eductas eas copias Gallicas antea contra nonnullos Eccleſiæ perduelles vidimus: nunc autem in Pontificem a Gallis Cardinalibus incitatæ fuerunt, excitæque Anagniam; nec tranſitu a Romanis arceri potuerunt, ut Theodoricus (g) e Niem pluribus narrat, indicatque epiſcopus Tudertinus, qui ſubdit: *Nolentibus,* videlicet Cardinalibus, *redire,* cum ſcilicet vocati eſſent a Pontifice, *& ſuperveniente conflictu Romanorum per Vaſcones dato juxta Romam ad pontem Salarium, Vaſcones & Britones erant in Campania, & dominus noſter & curiales timebant in Tybure de eis, & miſit ad Reginam pro gentibus, & illa miſit Tybur ducentas lanceas & centum pedites armatos pro cuſtodia domini noſtri & curialium, & ſervitutis: ac ibi venit*

*do-*

(f) *To.*2. *de ſchiſ. p.* 48.
Victi ab iis Romani ad Pontem.
(g) *Theod. Niem. l.*1. *c.*7.



*dominus Cartulus pro Regina,* perverſam a Gallis Cardinalibus poſtea fuiſſe, participemque ſceleris viſuri ſumus, *tanquam ambaxiator & tractabat concordiam pro parte Reginæ inter dominum noſtrum, & Cardinales exiſtentes in Anagnia, quia quatuor non erant tunc in Anagnia, videlicet Florentinus, Mediolanenſis, S. Petri, & de Urſinis, & cum iſtis quatuor dominus noſter in Tybure filium Imperatoris confirmavit.*

Vvenceſlaus Cæſar confirmatus ab Urb.

*Item me exiſtente in Tybure, & dictis Cardinalibus in Anagnia, vidi dominum Agapitum de Columna præſentantem unam literarum domino noſtro quam ſcribebat eidem domino Agapito dominus Gebennenſis, ubi erant duæ ſupplicationes pro permutatione duorum familiarium ipſius: & tunc dominus noſter incœpit ridere, & dicere, primo, dicunt quod non ſum Papa & tota die petunt a me: tamen conceſſit & tota die concedebat eiſdem.*

XXVIII. Extant inter Avinionenſia monumenta plures libelli ſupplices a Cardinalibus Urbano porrecti, quibus ampla ab eo ſacerdotia efflagitabant, atque inter cæteros Roberti baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyteri poſtea antipapæ concepti ſunt his verbis (a). *Sanctiſſime pater, & metuende domine;* & multis de ſacerdotio vacante interjectis: *Supplico igitur quatenus juxta per ſanctitatem veſtram alias dicta hac vice pulſanti aperiatur, ſanctitatem veſtram præfatam conſervet Altiſſimus feliciter ad regimen gregis ſui. Scriptum manu mea hac die ſabbati veſter humilis Gebennenſis.* Idemque dum verſabatur Anagniæ libellum alium ſupplicem Urbano tranſmiſit, cui hæc poſtrema verba adſcripta (b) ſunt: *Dignetur me exaudire benigne ſanctitas veſtra antedicta, quam conſervare dignetur Altiſſimus per tempora fæliciter longiora. Scriptum Anagniæ die* XV. *junii per humilem & devotum ſanctitatis veſtræ Gebennenſem.* Geraldus Majoris monaſterii magnus ſchiſmatis auctor ita orabat (c): *Beatiſſime pater,* & infra: *Supplicans humiliter ut eadem ſanctitas non deneget mihi iſtam primam gratiam poſt veſtram jucundam creationem & coronationem petitam, &c. Humilis & devotus ſanctitatis veſtræ Geraldus Cardinalis S. Clementis.* Hugo tit. SS. quatuor Coronatorum in libelli ſupplicis calce his verbis felices annos Urbano precabatur: (d) *Altiſſimus per ſui gratiam eandem ſanctitatem veſtram conſervet per tempora longiora in columnam regiminis Eccleſiæ ſuæ ſanctæ prout opto. Scriptum Anagniæ vigeſima die junii. Humilis creatura veſtra Cardinalis Britanniæ.* Idemque die ſexta & vigeſima prima julii libellis nomen adſcripſit: *Veſter humilis capellanus & orator Hugo tit. SS.* IV. *Coronatorum presbyter Cardinalis.* Optabat pariter ſalutem Pontifici Joannes epiſcopus dictus Lemovicenſis hac formula (e): *Altiſſimus per ſuam gratiam eandem ſanctitatem, cui me humiliter recommendo, feliciter conſervet ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora longiora. Scriptum Anagniæ die vigeſimatertia menſis junii. Veſter orator Cardinalis Lemovicenſis.* Proſequebantur Urbanum eodem cultu cæteri Cardinales qui Avenione verſabantur, ac fauſta omnia veteri more precabantur in ſupplicibus literis, quarum nonnullæ deſinunt (f) in hæc verba. *S. veſtram conſervet Altiſſimus longævis temporibus ad regimen Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Scriptum Avinione die* IV. *jun. devotus veſter Petrus Cardinalis Pampilonenſis.* Hæc afferre ex ipſis ſchiſmaticorum voluminibus libuit, ut veritas in luce illuſtriori collocetur.

(a) *To.* 2. *de ſchiſm. p.*30.
Libelli ſupplices Roberti Gebenn.
(b) *Ead. p.*30.
(c) *Ib. p.* 29.
Alius Geraldi.
(d) *Ib. p.* 31.
Alius Hugonis Card. Joannis Lemovicenſis.
(e) *Ib. p.* 31.
Avenionenſes Cardinales Urbanum colunt.
(f) *Ead. p.*

In cæteris etiam veluti in fundendis inter divina pro ipſo precibus, ut Eccleſiam juſte ac pie moderaretur, cultum ut Pontificem a Cardinalibus conjuratis, dum Anagniæ verſabantur, multo tempore Urbanum, teſtatur Chriſtophorus Galina (g) Venetus ſacri palatii apoſtolici auditor; *Dixit,* inquiunt acta, *quod in vera conſcientia teſtificabatur, quod exiſtens in Anagnia cum uno Cardinali domino ſuo de Agrifolio, quotidie erat in miſſa & audiebat quod quotidie ipſo domino præſente dicebatur miſſa pro domino Urbano. Item quod audiverat idem multoties ibidem in eodem loco & tempore in miſſis reverendiſſimi domini de Luna. Item quod viderat & ſtudioſe perlegerat uſque ad diem declarationis, quod in literis pœnitentiariæ erat pontificatus domini noſtri Urbani Britonibus & Vaſconibus morem trahentibus ibi. Item cum aliquando volebat tentare intrinſecos dicti domini ſui ſuper facto Papæ Urbani, quod ipſe & ipſi reputabant eum verum Papam.* Adjungemus his oculatum alium teſtem Bartholomæum Zabricium (h) in re graviſſima ſuperiora omnia confirmantem: *Vidi etiam plures literas ſub nomine etiam Cardinalis Lemovicenſis etiam tamquam pœnitentiarii, in quibus ſimiliter ponebatur. Pontificatus &c. ut ſupra: & ſcio quod forte mille literæ tranſiverunt & inſtrumenta in Anagnia, & ſcio quod ſemper ante declarationem omnes reputabant eum Papam forte exceptis duobus,* & infra; *dominus de Vernejo forte viginti vicibus mihi juravit, quod erat veriſſimus Papa, & canonice & ſancte electus, & quod credebat quod veriſſime Spiritus Sanctus induxerat diſcordiam inter eos ultramontanos, & quod etiam per Spiritum Sanctum fuerat nominatus in conclavi.*

(g) *Tom.* 2. *de ſchiſ. p.*74.
Inter ſacra pro Urbano orabant Cardd.
(h) *To.*41. *de ſchiſm. p.*74.
Cardinalis e Vernejo inſigne dictum.

XXIX. Petrus e Luna a collegis ſubornatur.

Petrum quoque e Luna, qui poſtea ſchiſma in tot annos maxima cum pertinacia, atque ambitione extraxit, Urbanum ut verum Pontificem agnoviſſe, at-

que

que Anagniam pio conſilio ſe contuliſſe, quamquam poſtea ab iis fuerit ſubornatus profeſſumque, Cardinales ſeſe ab Urbano non ob aliquod in renuntiando Pontifice vitium, ſed concepta in eum ex nimia acerbitate odia ſegregaſſe, teſtatur pluribus vir religioſus ordinis Prædicatorum, qui ipſi a confeſſionibus erat, atque ad Urbanum dimiſſus eſt, ut eum ad pontificalia inſignia ponenda induceret.

*Cardinalis*, inquit, *de Luna inter me & ipſum in camera ſua dixit mihi pro vobis, ut audiretis confeſſionem meam & conſolarer vobiſcum:* Et infra: *Dixit non ſine confuſione, quæ non modicum occupaverat eum: In veritate ego prius cum illa intentione veneram, ut inducerem iſtos ad illum, quia ſcio quod ex parte mea ego libere & devote dedi ſibi meam vocem: ſed poſtquam veni, & audivi dominos meos Cardinales, video quod ipſe non eſt Papa, neque ipſum credo Papam, immo teneo & tenebo ſemper contra ipſum. Et ego ad eum: In veritate domine, dixi, ut video diabolus coadunavit vos omnes hic, ut totum mundum in errorem ponatis. Et ipſe reſpondit ſatis humiliter, dicendo quod poſſibile erat, quia ipſe homo erat:* Et infra: *Multoties locuti fuimus de iſta materia, inter quæ verba ipſe dixit, quod ſi Papa non tenuiſſet modos quos tenuit, in veritate omnes adhuc eſſemus cum eo: ſed ipſe motibus ſuis totum deturpavit: Sed cum ego dicerem; En domine vos ponetis totum mundum in errore; ipſe reſpondit: De hoc in veritate maxime doleo; Contra quod ego, dixit ipſe, aliquod bonum medium cogitavi, quo forte vos, dixit mihi, multa bona poſſetis operari, & plus conferre eccleſiæ Dei, quam aliquis patrum veſtrorum de toto ordine Prædicatorum. Et ego dixi, quod utinam. Et ipſe dixit mihi in concluſione, quod ſi poſſemus ipſum reducere ad renunciationem nos faceremus & hæc & illa bona & mundus remaneret in pace, quia tunc poſſemus libere alium eligere ſecundum quod vobis videretur. Ego tunc coram Deo loquendo, videns quod illo modo optime poſſem pro tunc exire de laqueo in quo incideram annui velle facere quidquid ipſe volebat;* & infra:

Fatetur ſe elegiſſe Urbanum.

Acerbitas Urbani mali occaſio.

Ut pontificatum ſe abdicet poſtulatur.

*Veni ad dominum Papam, qui jam erat in Roma, & dicta ſibi ambaxiata de renunciatione & ipſum exhortatus ſum ex parte Dei ad diſſipandum ambitionem, & diaboli acies, quæ jam erant paratæ & juvandum ſe cum DEO & ſanctis omnibus. Ipſe vero ſicut miles, qui jam certum de bello firmato & deſiderato nuncium audivit, lætatus fuit, & cum lætitia mihi reſpondit: In veritate Dei de dimittendo Papatu modicum curarem: ſed non dimittam, ne dem locum diabolo & cornu peccatoribus. Sed ſtabo & debellabo, eos in nomine domini Dei noſtri.* Nonnullis interjectis ſubdit vir religioſus de Alfonſo olim epiſc. Giennenſi, quem Petrus e Luna ad ſe allicere ſtudebat: *Multa verba dixit mihi ibi ipſe cum intrinſeco dolore cordis, qualiter videlicet ipſe*, nempe Alfonſus, *ipſum Cardinalem exhortatus fuerat ne iret Anagniam, quia illi perverterent ipſum, dando ſibi opportunos modos faciendi quod volebat ſine offenſa Dei & Papæ, & etiam illorum Cardinalium: Et ipſe Cardinalis reſpondit ei, quod non erat poſſibile quod ipſe per aliquem viventem perverteretur, &c.*

Ejus reſponſum.

Card. de Luna præmonitus a viro ſancto.

Nimia ſui præſidentia periit.

*Et ſcripſi ego frater Alfonſus.*

XXX.

Vulgavit eadem publicis literis cujus paulo ante meminimus (*a*) qui epiſcopatu abjerat, ut rebus divinis liberiorem animum addiceret: ac Petrum e Luna, cujus ſtudioſiſſimus fuerat, diu de Urbani pontificatu recte ſenſiſſe, animo vero abalienatum, cum in nonnullis ſacerdotiis ab ipſo poſtulatis repulſam eſſet paſſus, atque has impias voces comparati ad apoſtaſiam animi indices edidiſſe: *Certe non ſervirem Deo, ſi non faceret mihi bonum.* Quibus abunde ſe a vera charitate, omnia ad Deum ut finem ultimum referente, excidiſſe turpiter indicabat. Illum etiam ſignificaſſe ſibi Urbanum legitime creatum Pontificem, objecit Joannes e Lignano (*b*), atque ad componendos perturbatos animi motus, abjiciendaque ſuſcepta de conflando ſchiſmate, conſilia eſt adhortatus: *In vobis pendet conſervatio fidei catholicæ, dirigite mentes veſtras in Salvatorem noſtrum, & ejus veſtem non ſcindite, orbem catholicum ſcandalis nolite ſubjicere, non advertitis quod ſtatum veſtrum funditus deſtruetis. Eccleſiam Dei ad ſtatum primitivum infallibiliter deducetis. Honeſtius foret & cautius animos paſſionatos refrænare quam tot & talia ſcandala inducere: Si enim vera ſunt de meritis electionis domini hodierni Pontificis mihi enarrata, & de geſtis ſubſequutis tacitæ & expreſſæ approbationis, illum reputo Pontificem canonice electum, niſi aliud ſit in facto; & vos etiam de gratia veſtra mihi notificaſtis ipſius electionem concordem, quod multum conſcientiam meam ſolidavit, quoniam tunc multa & diverſa dicebantur.* Interjectis nonnullis addidit, Cardinales virtutum externo apparatu abuti ad privata commoda, omneſque eorum adverſus pontificem molitiones ipſis dedecus parituras. *Veſter Joannes de Lignano Bononiæ* XVIII. *Auguſti.* Is eſt Joannes e Lignano ſcientiæ laude illa ætate florentiſſimus, qui ad tuendam Urbani dignitatem, licet ex falſo Cardinalium themate egregium opus (*c*) conſcripſit, ex quibus hæc, prætermiſſis maxima ex parte citationibus, decerpenda viſa ſunt.

(*a*) *Eod. to.2. de ſchiſm. p.22.*

Ob denegata ſacerdotia Urbanum deſerit.

Blaſphema ejus vox.

(*b*) *Joan. de Lign. tom.18. de ſchiſm. p. 45.*

Tranſmiſſum a Cardd. falſum thema.

(*c*) *Jo. de Lign. in tract. I. p. 56. ext. etiam to. 18. de ſchiſm. p. 77.*

XXXI.

*Quod electio tenuerit probatur ſic: ubicumque evenerunt ſubſtantifica electionis & ſo-*



Urbani electionem valere demonſtrat.

*& ſolemnia, nec impedit aliquid intrinſecum, ibi electio valet nec reſcindi poteſt. Sic eſt in propoſito. Ergo electio valida probatur: Major eſt per ſe nota. Probatur minor, ubi attendendum quod ad eſſe electionis concurrunt ſubſtantialia, quibus omiſſis electio nulla & ſolemnia in electione prælatorum inferiorum a Papa, patet in c. quia propter de electione ubi enarrantur ſubſtantialia & ſolemnia juncto c. quod ſic. & c. bonæ & c. cum nobis olim, & c. innotuit, & c. eccleſia noſtra, ac hoc in propoſito eſt certa ſpecialis forma ſervanda quoad ſua ſubſtantialia & ſolemnia ut c. licet de elect. & c. ubi periculum & ti. lib.6. juxta clemen. ne Romani eod. tit. At hic omnia ſunt ſervata, ut ſupponit thema præmiſſum. Ergo electio valida. Reſtat ſolum hanc electionem ab actu elidente, ſive nullitatem inferente defendere, ſcilicet ab impreſſione & ſimoniaca pravitate. Ubi attendendum, quod hic variatur quod ante ingreſſum conclavis intervenerint preces gubernantium, poſt ingreſſum congregatio populi clamantis in platea cum mixtura comminationis; & ſuppoſito quod hæc omnia facta fuerint ad metum incutiendum ut electio fieret de Romano vel Italico, quod credo veriſſimum, duo ſunt ponderanda, primum an iſti actus inducant metum ſufficientem nullitatem electionis inferentem, ſecundo ſuppoſito, quod inducant, an electio celebrata dici debeat impreſſiva. Quod iſti actus non inducant metum ſufficientem & efficaciter electionis nullitatem inferentem demonſtratur; nam, ut ſupponitur in themate, hic deputati fuerunt cuſtodes conclavis ſufficientes, & intervenerunt juramenta & promiſſiones de obſervando eis ut libertatem plenarie haberent circa actum electionis juxta formam c. ubi periculum de elect. lib. 6.* Et infra: *Sic ergo actus electionis præſumitur liber non probata impreſſione, alias preces porrectæ non ſunt ſufficientes metus inductivæ etiam illis verbis adjectis, quod dubitabant aliter ſcandalum in populo, nec congregatio populi in platea & conclamatio quod vellent Italicum: Sic & in palatio cum conclave fuerit liberum & ſub fida cuſtodia deputatorum juxta c. ubi periculum.*

Subſtantialia & ſolemnia fuiſſe adhibita.

An vis & ſimonia corruperint electionem.

An minaces populi clamores infregerint.

Cur cenſenda electio libera.

XXXII.

Non fuit metus cadens in conſtant. virum.

*Item non eſt veriſimile quem compulſum in urbe l. non eſt veriſimile ff. quod metus cauſa. Sed ſuppoſito pro conſtanti, quod metus cadens in conſtantem hic interceſſiſſet, non propter hoc vitiatur electio niſi metum paſſus fuerit juris remedio ſuffultus, nam quæ metu omittuntur vel fiunt obligant efficaciter, niſi præmiſſa fuerit proteſtatio:* Et infra: *At hic nulla proteſtatio fuit omiſſa, nec ante electionis actum, nec in actu electionis. Ergo non ſurgit juris beneficium actus reſciſſivum. Item: Ubi procedit metus cadens in conſtantem qui alias foret ſequentis reſciſſivus ſi ſuperveniat actus ſpontaneus ille eſt illius metus præcedentis purgativus.* Et infra: *Sic in propoſito, licet præceſſiſſet metus etiam cadens in conſtantem, tamen in actu electionis fuit libertas cujuſcumque. Ubi attendendum, quod hic fuerant duæ nominationes factæ de eodem, in prima electione dixerunt quod eligebant eum, intendentes quod eſſet verus Papa, exceptis aliquibus, qui dixerunt quod nullum volebant nominare propter tumultum illum. Iſti ergo qui fuerunt ultra quam duæ partes protulerunt quod eo animo ipſum elegerunt, ut eſſet verus Papa: iſta verba ſunt metus excluſiva.* Et infra: *Non enim eſt veriſimile quod quis proferat quod mente non gerat l. Labeo ff. de ſuper hoc eleg. geſſit. Ergo mens affuit quod verus eſſet Papa, quia non eſſet, ſi metu cadente in conſtantem ipſum elegiſſent: nam poterant non eligere, poterant eligere, & dicere quod metu ducti, vel proteſtari ut ſupra præmiſſum, hoc enim juris beneficio eſt præcluſum, nec iſta eſt bona conſequentia: Incutitur mihi metus ut talem eligam. Ergo metu ductus eligo: nam poſſibile eſt quod in actu electionis metu præcedente actum electionis victo libere & ſpontanee eligamus: nam poſſibile eſt quod nunc ſpontaneus velim & quolibet metu circumſcripto, qui ad inducendum præceſſit, quoniam electio fluit ab actu interiori voluntatis, quæ plene libera eſt* XXIV. *q. Nabuchod. Immo actus ille interior a nemine violentari poteſt præciſe licet conditionaliter.*

Altera electio libera, altera coacta.

Potuerat præmitti denunciatio.

*Si vero conſtat per actus extrinſecos de cujus contrario hic conſtabat, per verba ipſorum, cum dixerint quod animo illo eligebant, ut eſſet verus Papa, cui contrariam voluntatem demonſtrabant illi duo vel tres qui contrarium dixerunt & libere dicere potuerunt: & hoc attento actu primæ electionis. Attento autem actu ſecundæ electionis hoc clarius demonſtratur: nam per intervallum temporis dixit unus ſedato rumore: Iterato eligamus eum, quia nunc ceſſat rumor, & alter dixit quod nunquam eligeret: quibus verbis prolatis iterato concorditer eundem elegerunt, duobus vel tribus exceptis, qui contradicendo deſtiterunt. Quo attento ſtatim infertur plena libertas circa actum electionis; nam ſi primus actus primæ electionis fuiſſet meticuloſus, iſte ſecundus fuiſſet præcedentis violentiæ purgativus, quia binus actus fortius exprimit mentis declarationem quam unus &c. & tanto fortius quanto pluries iteratus, maxime cum timor non induceret ad ſecundam electionem, ſufficiebat vim inferentibus unica electio. Iteratus ergo actus electionis ſecundæ proceſſit a libera voluntate, quod probant verba eligentium cum dixerunt: Nunc poſſumus libere eligere, quia ceſſavit tumultus ille qui, ut aſſerunt, ceſſaverat & ſtandum eſt verbis eorum: cum ergo dixerunt ſe velle iterato eligere, quoniam*

Cur repetita elect.

tunc

tunc tumultus ceſſabat, & proceſſerunt ad actum electionis pure & ſimpliciter, nulla proteſtatione præmiſſa, quæ in talibus ſolet & debet fieri ubi ſubſunt electionis obſtacula juxt. no. de elect. illa & c. bonæ l. 1. conſtat, illum ſecundum actum electionis fuiſſe liberum.

Quod clarius demonſtratur, quoniam quidam eorum dixerunt expreſſe nulli velle vocem ſuam dare; ſic ergo in illa ſecunda electione cuilibet fuit liberum velle &

In ſecunda fuit ſumma libertas.

non velle eligere & non eligere, cum ad hanc ſecundam ſe non extenderit impreſſio etiamſi ſubfuiſſet, erant enim impreſſores contenti unica electione facta ad votum eorum & eſſe debent cum non poſſit uti duabus electionibus de elect. at quis duas li. VI. Ergo ſecunda proceſſit a mera voluntate iterato eligentium & per actum illum maxime purgata videtur quælibet violentia ſi qua fuit, ut l. 11. c. quod metus cauſa, &c.

Si qua vis in prima, in ſecunda purgata eſt.

Nec obſtat ingreſſa violentia cum fractura conclavis, quoniam ille ſubſequens non vitiat actum præcedentem factum cum nominatione libere facta adeo quod ſtatim adminiſtrare poſſet & nomen Pontificis aſſumpſit, ut ibi: quo jure privari non potuit per actum extrinſecum ſupervenientem: quod enim legitime factum eſt, non vitiatur, etiam ſi ſuperveniat caſus a quo non potuit ſumere initium: Et infra: Illa igitur preſſura ſuperveniens non vitiat actum præcedentem. Hæc quæ dicta ſunt procedunt attenta duplici electione.

Vis ſubſequens electionem non labefactat.

XXXIII. Liberi actus coronationis confirmant.

Sed ut ſupra narratur in themate ſequutus fuit actus coronationis, & requiſiti Cardinales per electum degentem in palatio ſolito & pontificali acceſſerunt & ipſum more ſolito coronaverunt, nulla proteſtatione præmiſſa, nulla preſſura imminente compulſiva, & qui erant in caſtro S. Angeli erant in loco libero & pro tunc ſecuro, qui tamen a principio libere voces ſuas aliis commiſerunt, & poſt perſonaliter acceſſerunt & manualiter ipſum ut verum Papam coronaverunt: per quod demonſtratur libertas præcedentium, cum ſequentia qualificent præcedentia, maxime non annexive ſive executione accedant, C. de pœnis. l. potens & l. lecta. ff. ſi certum petatur. &c. Nam ex actu ſpontaneo coronationis præſumitur circa præteritum electionis XXXIII. q. II. cum per bellicam XVIII. di. pervenit XLIV. di. multis, & ſic per actum expreſſum ſpontaneæ factum præſumitur libertas præcedentium efficacis & expreſſe tacitæ approbationis: nam ipſum coronando tacitæ approbare videntur electionem præcedentem, cum non poſſit coronari niſi canonice electus; hæc autem tacita approbatio ſive recognitio purgat defectum & validat, XXXII. q. II. honorantur XLIII. di. ſic rector de tranſactis, &c. ſic per hunc actum ſpontaneæ coronationis infertur neceſſario effectus efficacis tacitæ approbationes actus præcedentis, ſine quo actus coronationis non erat expedibilis.

Probatur de iis qui ex arce ſunt egreſſi.

Nec obſtat ſi dicant domini Cardinales, quod illa verba animo & intentione protulerunt metu continuato ductu; quia illa verba non ſunt formalia electionis, impreſſores enim impreſſiſſent ad expedire ſubſtantialia electionis. Illa verba ergo prolata, fuerunt ſpontanea, cum ad illa proferenda non imprimerent, impreſſores contenti erant de electionis formalibus. Sequitur in themate: Et electus miſit pro Cardinalibus, qui erant in caſtro S. Angeli & erant in loco libero, quoniam caſtrum hodie tenetur contra Romanos, & a principio ſcripſerunt manibus ſuis committentes vices ſuas aliis, ac poſtea iverunt ad palatium & una cum aliis ipſum coronaverunt. Hic aperte demonſtratur abfuiſſe impreſſionem, libere & ſpontanee exiverunt, & coronaverunt, hic enim actus iſtorum in nullo fuit meticuloſus, item ut aſſeritur in conſiſtoriis collegialiter ut Papam tractaverunt, cum de urbe ſinguli exire petiverunt: vellem libentius edoceri, ſi domini Cardinales metu ducti fecerunt ſignari rotulos familiarium, ſi metu ducti ſupplicarunt & promotiones amicorum & conjunctorum ſuorum fieri fecerunt, ſi metu ducti de manibus ejus beneficia receperunt: vellem libenter edoceri, ſi promotus eſt Oſtienſis & conſecratus metu Romanorum & metu vota ſua promotionibus apoſtolicis conſiſtorialiter celebratis direxerunt, ſi metu Romanorum ſupplicationes Romano Pontifici pro ſe & ſuis porrigi fecerunt: niſi vellent dicere quod errantes hoc fecerunt, & infra: Hic ergo ſufficiat ſolus legitimus conſenſus, de quo conſtat ſervatis tamen prævіis, de quibus in c. ubi periculum, & tunc ſufficit ſuperveniens conſenſus violentiæ, ſi qua affuit a principio purgativus, in talibus enim ex conſenſu pendentibus ſuperveniens validat & præcedentis defectum purgat, & infra: Ubi tamen attendendum quod hic idem fuit gerens & ratum habens & tunc ſi defectus interveniat ex parte rei, quæ agitur ratihabitio operatur effectum, idem ſi interveniat ex parte gerentis ubi alter gerens & alter ratum habens, tunc enim ſic in quantum tangit gerentem, ratihabitio operatur, ut l. cum 3. ff. de ſolut. Idem ſi in præjudicium tertii, qui fungeretur eadem perſona cum gerente ut in duobus conreis.

Actus poſt coronationem non extorti.

XXXV.

Item libertatem præcedentis actus electionis demonſtrat ſequens debitæ recognitionis & infra: At hic iſti eligentes in omnibus prædictis, vel pluribus ex iis ipſum ut verum Papam recognoverunt, ſic in conſiſtoriis, in divinis officiis per ipſum participando, & aſſiſtendo in promotionibus prælatorum conſenſum præſtando, in beneficiis de manibus ipſius & aliis conferri faciendo & omnibus thronum militantis eccleſiæ,

Ex parte Urbani ſtandum demonſtratur.

ele-



electionem & ipſius exercitium concernentibus, comitando utpote pars corporis cum vero ſuo capite de his, quæ ſiunt a prælato, vel verius ut pars capitis cum ſuo vero capite aſſiſtendo & participando. Ex quibus demonſtratur, quod illi iidem eligentes amplius reclamare non poſſunt prætextu eorum conſenſus non præſtiti vel expreſſi, qui procedunt apud thronum eccleſiæ militantis & de ſtricto juris rigore in foro conſcientiæ attendendæ ſunt conſcientiæ ſingulorum tempore electionis & actuum ſubſequentium, quorum ſolus Deus eſt judex & cognitor, maxime in hoc arduo & ponderoſo negotio totius Eccleſiæ Dei & catholici orbis ſubverſivo. Ex quibus Joannes Lignanus concluſit excutiendos omnes ſcrupulos, & Urbano ut vero Pontifici obtemperandum eſſe.

Interna voluntas inſpici nequit.

XXXVI. Joannis e Lignano conſilium ſpretum.

Sprevit una cum aliis Cardinalibus conjuratis Petrus e Luna prudens conſilium Joannis e Lignano, ac demum poſt maximos pro ſchiſmate propagando labores ſuſceptos, fallaceſque honores geſtos a concilio œcumenico Conſtantienſi anathemate ictus, fremens furenſque ob eccleſiarum conjunctionem redintegratam cum ignominia periit: de quo ſæpius inhonora mentio in hoc tomo recurret.

Conſulitur Baldus a Cardin.

Præter Joannem e Lignano ab uno e Cardinalibus conſultus eſt in ipſo defectionis exordio Baldus juris ſcientia clariſſimus, an Urbani electio valeret, propoſito ferme iiſdem verbis fictitio illo themate, quod ad fideles pervertendos (a) pſeudocardinalibus, conflato poſtea ſchiſmate, tranſmiſſum viſuri ſumus, ac primum allatis omnibus argumentis, quæ adverſus Urbanum fingi poterant, quæ eo ſpectant, inconditos populi Pontificem Romanum vel Italum depoſcentis clamores libertatem electionis reſtrinxiſſe, ea diſſolvit: pluribus vero prætermiſſis, quæ typis eo argumento cuſa ſunt, nonnulla quæ in ejus libris deſiderantur ex Avenionenſibus monumentis (b) afferemus [1].

(a) Extant inter ejus opera ad lib. 6. cod.

Baldi reſponſum.

(b) To. 5. de ſchiſm. p.36. & 39.

Ad honorem Dei & B. Mariæ ſemper Virginis & B. Petri principis Apoſtolorum & Eccleſiæ tam triumphantis, quam etiam militantis ego Baldus de Peruſio minimus utriuſque juris doctor &c.

Objectio de Romanorum tumultu.

Quod tumultuans populus Romanus more ſolito ff. ad l. Jul. l. 1. inf. ff. ad l. Cornel. §. 1. l. 1. ff. de pœnis l. ſi quis aliquid §. fautores vociferans vociferabatur, quod eligeretur Italicus, non tamen quod eligeretur Petrus vel Joannes, unde in electione unius individui, id eſt domini Barenſis non fuit compulſio, ut ſic eligerent, neque metus; aliud enim eſt cogi habere, aliud habere, ut no. ff. de procur. l. mutus §. is qui curatorem. Fuit igitur libertas in hunc eligendo, & fuit conſenſus immediati fundamenti: ideſt electionis certæ perſonæ de multis & multis, unde etſi in domino B. in quantum Italicus erat, non erat, ut dicitur, libertas arbitrii, tamen in quantum dominus Barenſis fuit libere electus non unus de mille ſed unus de mille millibus, unde in ſpecie ſpecialiſſima fuit omnino conſenſum, quia convocivum, ideſt acclamatio, & tumultus non cecidit ſuper certo; unde dico ſi quis, qui eſt in dicto c. quod ſupponit pro certo quod iſte tumultus non cecidit ſuper certo, non habet retinere ſuum ſignificatum in caſu noſtro, & videmur eſſe extra illud c. ſed certe cum electio debeat eſſe libera, & ab omni metu aliena, periculoſum eſſet per juris deciſionem & ſubtilitatem infringere arbitrii libertatem & facit quod not. in q. 9. hortamur de re judic. paſtoral. in Cle. ut dixi ſupra in evidentibus: nam ſicut ſe habet genus ſuperius, & genus inferius, & certum Corpus, ut S icus, ſic ſe habet orbis, Italia, & dominus Bartholomæus, ſi enim eſt licitum populo arctare electorem Papæ ad Italicum, ergo populus eligit Italicum nominandum per Cardinales, quod eſt impoſſibile, quia populus poſſet diſponere de jure vel de facto ſuper electione Papæ: immo incidit populus in legem juliam majeſtatis ut dicta l. in. fin. ad l. jul. &c. non enim facultas neceſſariæ electionis Papæ liberalitatis beneficium eſt ut ff. del. l. unum ex familia §. de falcidia & nos dicimus quod tutor Italicarum rerum non habet, in Gallicis poteſtatem & miles habens arbitrium, ſuper caſtrenſibus non dicitur habere arbitrium generale, ſed coarctatum Cod. de inoffi. ti. l. fi. & facit ff. de hær. inſtit. l. ex facto proponebatur; nec mirum qui refrænat libertatis habenas, contradicit libertati, quæ in electione vicarii Jeſu Chriſti maxime debet eſſe liberrima, quoniam tam ineffabile Sacramentum aut myſterium non debet violentiæ ſubjacere, nec vim pati: & cum juri communi aliquid

Libera electio demonſtrata circa perſonam.

Nullius nomen expreſſum a ſeditioſis.

Argumenta Gallorum Cardd.

Non deſignanda magis natio, quam perſona.



NOTÆ [1] QUæ hic narrat Annaliſta de Baldo pro Urbano VI. ſcribente vera quidem ſunt; ſed qui pro Urbano ſcripſit Baldus in ſchiſmatis exordio, dein ipſe doctor præcedentem ſcriptionem aliis editis pro Clemente VII. ſcriptis retractavit. Latuiſſe id hucuſque eruditos ſcio; vera tamen narrare conſtat ex tractatu pro defenſione Benedicti XIII. pſeudopontificis edito a Bonifacio Ferrerio S. Vincentii Ferrerii germano fratre, quod opus inter acta varia de ſchiſmate pontificum Avenionenſium a Martene in Anecdot. to. II. col. 1432. editum eſt. Hæc ergo Author ille ſcribit cap. 48. de Baldo. *Narratur, quod Dominus Baldus, quem oportuit deſerere civitatem Peruſii propter illas partialitates Italiæ, & cum legeret 12. aliis civitatibus Italiæ & fuiſſent ſibi oſtenſæ, allegationes contrariæ per eum factæ, in negotio primi ſchiſmatis, reſpondit: Conſidera in cujus dominio eram quando feci, & ſic erit tibi ſoluta admiratio.* MANSI

*liquid detrahitur novum jus efficit, ff. de jur. & juris l. jus civile, ſic hic ſi juri libero detrahitur videretur dari electioni Papæ nova forma per tumultum populi, quod eſt furioſum protegere, rogare autem bene potuit populus dominos Cardinales ſupplicando non exigendo ff. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit l. fin. & C. eod. l. fin.*

*Ponderandum autem eſt quod nonnulli prædixerunt, quod niſi propter metum non eligerent Italicum: nam iſta prædictio ſequentem actum declarat non tenere, & iſta proteſtatio non fuit revocata expreſſe nec tacite, quia metus duravit, ut not. Cyn. C. quod me. ca. l. 2. & totum quod ſequutum eſt videtur invalidum, quia canonica electio eſt ſubſtantia, nec ſufficit inthronizatio ſola, ut apparet in dicto c. ſi quis in v. ſine concordi & canonica electione: ex quibus videtur aperte concludi, quod iſte non ſit Papa legitimus & quod alius ſit eligendus.*

XXXVII Argumenta pro Urb.

*In contrarium, quia dominus Barenſis fuit electus prius ex intervallo temporis, quamquam non multo, tamen extraneo actu interpoſito, ideſt prandio, unde etiam atque etiam eligentes de ipſo deliberare debuerunt C. de falſ. & ſi ad te, unde eligentes perſtiterunt in electione c. ad vell. ſimiliter in ratione: ad quid enim eligebant ſecundo, niſi ad cautelam, ut ſi quod vitium eſſet in electione prima, purgaretur per ſecundam? Item ut prædixerunt quod eligebant eum tamquam notum & expertum in factis curiæ; nam per hæc verba ratio motus animi exprimitur ut ff. de re*

Expreſſæ cauſæ cur eligeretur.

*du. l. qui habebat &c. unde metus non fuit ſola cauſa, ſed perſonæ meritum, & notitia; & concurrentibus duabus cauſis inhærendum eſt favorabiliori ff. de uſu pro Donato l. ſi vir uxoris quæ magis fundetur in jure communi ff. ad ſill. l. qui poſthumos & fac. C. Sti. l. in ipſius & ff. de adi. le. l. 3. in fin. & ff. de donat. l. Aquilius regulus & l. ſi pater nam merita ut dictis l. patet, habentur loco cauſæ finalis: ex quo ſequitur quod metus hic remanet ſub natura cauſæ impulſivæ.*

Expreſſus conſenſus per ſcripta.

*Item tertio conſenſerunt procuratores conſtituendo, & ſua manu ſcribendo, unde non poſſunt contradicere, ut ff. de pign. fidejuſſor; populus enim compulit ad iterandum electionem vel ſcribendum, & facit C. de rebus alien. & non alien. l. 2. cum glo. ſua præterea inthronizaverunt & coronaverunt eum in quo complacens conſenſus apparuit manifeſtus tam de præterito, quam ante de præſenti.*

*Item & poſtea apoſtolicum eum vocaverunt & ideo purgata fuit omnis ſi qua ibi fuiſſet labes, quia ſemper prævalet quod noviſſime factum eſt ff. loc. cum in plures locator oneri ff. de acq. poſſeſſ. l. ſi quis ante & facit C. ſi rector provinciæ l. 1. §. impleri autem, & eſt ſimile prædictis, quia confeſſio facta in tormentis diverſo tempore repetita dicitur inducere perſeverantiam confitentis & fieri propter veritatem, non propter metum ut not. ff. de quæſt. l. 1. §. divus Severus & l. de minore §. tormenta & bene facit textus cum gloſſa 2. q. 3. ſi quis iratus & 7. di. fiunt merito textu cum gloſſa & bene facit quod legitur & not. ext. de divor. c. ex literis ex induſtria.*

Conſtantia in agnoſcendo Urbano non ex metu fluxit.

*Ergo electio repetita, præſertim dicendo ſe facere ea intentione, ut eſſet Papa, gratum fuiſſe manifeſte demonſtrat, ut in epiſtola inter claras §. fin. tales enim & tam literatos dominos ſine induſtria non proceſſiſſe certum eſt, quia firmior eſſet electio, & quidquid inde ſequeretur firmiſſime permanens: & ſi dicamus quod ultramontani non habuerunt propoſitum eligendi citramontanum, hoc condictum & monopolium, ut ſic dixerim, ſapit C. de monopol. l. 1. quod eſt maxime damnatum hic. ut dicto c. ubi periculum, non enim permittit Deus quod Eccleſia ſua citramontano vel Gallico præſepi ſemper remaneat alligata; ſed pro meritis & demeritis gentium illic, vel illic eligi jubet, ſuadet, aut patitur: Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Et ſi dicatur actus contiguus, non dicitur eſſe dimiſſus,* & paulo infra: *& ex multiplicatione verborum non augetur effectus ff. de auro & arg. l. pedit. §. Labeo. & quamdiu impedimentum influit cauſa, parum operantur mille actus quaſi unus ut not. C. quod met. cauſa l. 2. facit l. 1. §. honorandæ, quarum rerum actio non datur & l. fin. ff. de furtis & qui cogitur non apponere habetur pro opponente, ut no. ff. de negot. geſt. l. nam & ſervus in præſenti & factum ex conſequentia infirmatur, ſicut factum principale ff. de mi. l. 3. §. ſcio.*

Objicitur conſpiratio de Gallico eligendo. Reſpondetur divinitus diſſolutam.

*Reſpondeo ſupra ad hoc reſponſum eſſe ff. de uſufructu legali l. fundi quoniam apparet in ſecunda electione non fuiſſe vitium, nec in acceptatione, nec in coronatione in officii ingreſſu ff. de condi. & de. l. Publius cum etiam vocando eum Urbanum Papam VI. ipſa etiam nominis impoſitione rurſus ac rurſus conſenſerunt ff. de offi. prætor Barbarius C. de naturalibus literis autem. Item ſi qui liberos C. & de latina lib. coll. li. §. ſed, qui domini qui §. eſt multum in facto præſenti præcipue propter coronationem. Et confirmatur, quia refert an rumor ſit cauſa finalis an impulſiva: primo caſu vitiat, ſecundo non ut ff. de hær. ubi inſtitutio vitiatur, quia falſus & improbus rumor fuit tamen ſola & finalia legata non vitiantur, quia fuit cauſa impulſiva, quanto magis hic cum, ut dixi, rumor non fuit cauſa,*

Tumultus coactio non fuit.

*ſed evigilatio dormitantium animorum & ſoporatorum & perplexorum motuum, & tumultuantibus cauſis, bona & mala, unde minime ſperantur, erumpunt: & facit ad prædicta, quia ſignum oſtendit qualitatem ſignati C. de fabr. cenſibus,* & infra.



*Amplius ſciendum eſt quod ſigna diſſenſionis in principio tollantur per ſigna concurſus in medio & in fine, ut ex. de ſpon. ad id quod de deſpon. impu. c. de illis qui clerici, vel voventes Inſinuante extra de bap. majores §. ſed opponitur. Et ideo licet præludia meticuloſa præceſſerint & hæc patebant in verbis, & ſignis, immo factis & armis, multis enim modis probatur metus, ut no. C. quod me cauſ. l. metum ubi eſt glo. notabilis,*

Objectio de intentato periculo.

*& domini non ſolum ex atrocitate facti, ſed etiam quia multi dicebant eis pericula eventura quibus credere debuerunt, timuerunt valde, quamquam conſtantiſſimi viri; quia nedum dictis tot, ſed etiam unius diſcreti quandoque quis non leviter credit, ut notatur ff. de condi. & de. l. Titio fundus de navi §. ſi quis ipſi per Bar. & in tractatu ſuo de Tyranno ſuper eundem; tamen quia ipſimet domini viam invenerunt, & verbis, & factis poſterioribus ad faciendum actum valere, dicere omnino debebimus quod valeat cautela tanta ad faciendum novam electionem, & dicendum quod erat eorum intentionis quod eſſet Papa, & reliqua populus ignarus non coegit facere; unde imprudenti populo illudere debuerunt, & tunc haberet locum dictum c. ſi quis pecunia; nam ex ſagacitate adhibitum in actu contrafaciente præſumitur, ut not. Innoc. l. 6. ff. de condi. inſtit. & ar.* Hæc Baldus ad argutias ſchiſmaticorum diſſolvendas: qui nonnullis interjectis ad aſſerendam Urbani dignitatem perſpicua argumenta ducta ex ipſo ſchiſmaticorum themate, quamvis dolo compoſito docte & diligenter explicata (a) ſic inquiens.

(a) *Ib. p.* 41.

XXXVIII. Urbani cauſæ defenſio.

*In contrarium arguitur & pro ea parte, quæ meo videre fovet juſtitiam luculentam, & hoc ſic oſtenditur. Domini Cardinales conſenſerunt in dominum Urbanum, nam ipſimet non negant conſenſum; ſed dicunt quod elegerunt per metum alias non facturi.*

Probatur ex Cardd. confeſſione.

*Standum eſt ergo dicto eorum in quantum dicunt ſe conſenſiſſe, quia per hoc manifeſte patet, quod electio habuit fundamentum de jure naturali & ſic fundant ſua confeſſione intentionem electi. Cum vero dicunt quod fecerunt per metum alias non facturi, in hoc non creditur eis, nam quod alias non eſſent facturi, eſt mere negativa de ſecretis ſecretorum, id eſt de animo quem novit ſolus omnipotens ut d. c. exivi §. rurſus nam in factis ſemper præſumitur animus correſpondens ut C. de inſtit. & ſubſtit. l. reprehendenda, niſi quis fuerit in contrarium proteſtatus, & non clam, ſed dilucide arg. ff. pro ſuo l. ſi ancillam. C. de defen. civ. l. jubemus. Cum ergo domini Cardinales, qui*

Poterant de vi conteſtari.

*erant viri ſolemniſſimi & literati nihil fuerint in contrarium proteſtati, neceſſario ſequitur quod non fecerint nolentes, ſed volentes, quia facile erat eis contrarium proteſtari, ſicut dicitur feciſſe unum ex eis arg. C. de cad. toll. l. unica §. ſin autem ibi dum dicit. Nam ſi contrarium volebat, nulla erat difficultas, &c. nunquam enim ſic coarctati fuiſſe dicuntur, quod non potuiſſent habere unum tabellionem & duos teſtes, & proteſtari, & inde confici facere publicum documentum, ut not. in auth. de tabel. §. nos autem & C. de neg. geſt. l. fin. & C. his qui per me. jud. non appell. l. 2. extra de appell. l. ſi juſtus metus; ſciebant enim domini hoc eſſe de jure neceſſarium ad declarationem diſſenſus, nam per alium modum difficilis eſt iſta probatio.*

*II. Præterea electio domini Urbani habet fundamentum quatuor cauſarum: nam cauſa efficiens fuit potens, ſubjectum capax, cauſa formalis congrua, & cauſa finalis expreſſa, quia, ut ibidem dixerunt collegialiter & elective, elegerunt dominum Urbanum pro mundi utilitate: cum ergo concurrant omnes cauſæ, proculdubio ſecum ſuum traxerunt effectum.*

Argum. ex quatuor generibus cauſarum.

*III. Præterea actus interior non poteſt probari contra actum exteriorem, ut extra de ſponſ. c. tua nos in verbo non videmus. Plus dico quod cum opere conſenſus appareat, mentalis diſſenſus ſuppoſitus etiam pro conſtanti non vitiaret actum, qui conſenſu utriuſque partis ſumit effectum & hoc per theoricam datam C. de cond. ob cauſ. l. ſi repetendi & ff. e. l. 1. §. 1. ad quod facit quod eleganter not. Innoc. extra de ſponſa. c. tuæ.*

Spreta a Cardd. garrulitas Romanorum.

*IV. Præterea domini erant aviſati de eo quod accidit eis, unde ſuo facto & ſua culpa ſibi non proſpexerunt: unde voluiſſe videntur qui ſuo facto ſic fecerunt, ut nolle non poſſent, ſicut dicimus e contra. C. de ſecund. nup. l. 1. in glo. quæ incipit: Quod fecerat. Item de garrulitate populi Romani queri non poſſunt, cum ſcirent quemadmodum taceant. Præterea quam ob cauſam fecerunt electionem bis niſi cum myſterio? Omnia enim dicta & facta, maxime ſapientum præſumuntur facta cum myſterio & intellectu C. de fideic. l. quamvis. Præterea quare dixerunt quod eligebant ipſum, tanquam expertum, niſi quia de ejus regimine bene ſperabant, ut ff. de confirm. tut. l. ſi patruus? Acceſſit igitur ratio ad actum & fecit ratum factum arg. ff. de lega. 1. l. filius audivi & ff. de adi. leg. l. divus Severus in verbo ratione motus.*

Electio non ſine myſterio repetita.

*V. Prætera omnis quæſtio voluntatis in æſtimatione judicis eſt, ut C. de fideicom. l. voluntatis, qui ergo de hac cauſa cognoſcere poſſit non extat, cum dominus Urbanus ſit in poſſeſſione: niſi forte eſſet ſacrum concilium totius mundi legitime congregatum, quod tamen congregari non poteſt, niſi per dictum dominum Urbanum, qui eſt in poſſeſſione papatus, & ſedet ſuper cathedram S. Petri in ſuo loco naturali argum. ff. de offi. præfec. augu. l. 1. ubi de hoc.*

A quo ſit congregandum concilium.

VI. Præterea & ad iſtud non videtur ullo modo poſſe reſponderi; nam domini dixerunt ſe eligere ea intentione, ut ſit Papa! Quid igitur adhuc egemus teſtibus? loquela tua manifeſtum te facit, ut ff. quib. ex cauſ. in poſſ. ea l. fulcinius §. quid ſit latitare, & quod not. per Dyn. d. c. pro poſſeſſore & bene facit quod not. ff. de exce. do. l. apud Celſum in princip. & ff. qui ex cau. ma. l. antep. hos enim formatos cum myſterio ſermones imperitum vulgus penitus ignorabat: ſed domini ad vivificandum actum, cui impreſſio videbatur obſtare, motu proprio & formaliter protulerunt quod pertinet ad libertatem voluntatis, ut ff. de teſta. qui a latronibus.

Conſenſum illuſtrant facta.

VII. Præterea poſt hæc verba acceſſerunt facta tam ſubſtantialia quam cerimonialia procedentia in ipſum, ut in Papam, & ab ipſo ut a Papa de omnium judicio & conſenſu; unde & ſi quæ fuiſſet in electione & qualitas vitioſa ſequentibus actibus & conſenſibus purgato omni vitio efficax remanſiſſet electio, ut ff. de condit. ob cau. l. ſi ob turpem: nam facta conſenſum habent validum ſicut verba ut ff. de legi. l. de quibus ver. nam cum ipſe: cum enim coronaverunt eum, manifeſtiſſimum eſt quod conſenſerunt in ipſum, ut C. de lati. lib. tollen. l. 1. §. ſed qui domini qui tex. eſt ad hoc no.

Confirmant delata obſequia.

VIII. Præterea punctus dicit quod tractaverunt reverentiis & aliis ipſum ut Papam, ex quo tractatu dilucide conſenſus apparet; nam ut Innocen. in. c. ex parte de reſti. ſpol. differentes actus approbati dant cognoſcere verum eſſe rei, & ad hoc ff. de acquir. hæred. l. pro hærede §. Papinianus: habendo igitur ut Papam in actibus deputatis a jure, ſcire debuerunt, per hoc ſe conferre, vel confirmare veram poſſeſſionem, qui certe actus non fuerunt impreſſivi, ſed volitivi ut C. quod met. cau. l. 2. ita quod domini Cardinales non tantum verbis, ſed factis & ſententiis repleverunt orbem terrarum ab ipſo principio, quod Urbanus ſit Papa, & ſatis poteſt dici mundus fere totus ita opinatus. Ergo ita eſt, ut ff. de infa. l. athletas, & quaſi tota Eccleſia catholica erat pro eo, ut hæc etiam ſint luce clarius manifeſta. Et conſiderandum eſt, quod tria ſunt in anima, intellectus, ratio, & voluntas: intellectus namque examinat & illuminat, ratio determinat, & voluntas acceptat: quæ tria hic fuiſſe per omnia ſibi conſonantia manifeſte patet; fuit namque intellectus examinans perſonam electi, immo dudum ante examinatam habens ex diutina converſatione, ut ff. de reb. dub. l. qui habebat flaccum fullonem: Item fuit ratio determinans, quia propter bonum publicum & utilitatem univerſalis Eccleſiæ elegerunt dictum dominum Urbanum quæ quidem ratio & determinatio intellectus ad voluntatem uſque ſui natura pertranſit, quia omnes homines bonum appetunt ut patet lib. ethicorum in principi. Et infra.

Probatur libertas ex circumſtantiis.

IX. Præterea ſicut qui non habet aliquem animum ut leg. & not. ff. de acquir. poſſeſſ. l. peregre §. quæſitum; ita e contra qui habet aliquem animum, habet animum. Sed domini Cardinales habuerunt aliquem animum, Ergo &c. licet ſpes circumvenerit eos nil ad rumbum, quia ſpes ſæpe ſapientiſſimos fallit, ita ut patiantur letargum illuſarum mentium morbum ff. de condi. ob cauſ. l. 3. §. quamquam.

Illuſæ ſpes conſenſum non deſtruunt.

X. Amplius ſciendum eſt quod homo poteſt conſiderari in triplici ſtatu voluntatis ſcilicet conceptæ, prolatæ, & ſcriptæ, item ex conatu quodam & ſono oſtenſæ ut ad literam hæc patent, ff. de ſup. leg. l. labeo, nam dum dicit ſentit, & dum dicit ibi menti ſignificat conceptionem: ibi vero dum dicit vocis miniſterio ſignificat prolationem articulatam, & ibi dum dicit conatu & ſono ſignificat prolationem inarticulatam & confuſam, quia proprie non eſt vox, ſed ſonus vel ſignum. Item ponitur ibi verbum commune dixiſſe, quod eſt commune ad proloquutum vel ſcriptum; nam & ſcriptura dicit in Evangelio. Ut impleretur Scriptura, quæ dicit, &c. & hoc patet C. de teſta. l. hac conſultiſſima & inſtitut. de pupil. inſtit. poſt principium, & in infinitis locis, ſi conſideremus hominem in ſtatu voluntatis conceptæ per ſe & ſimpliciter: Et infra: Homo interius operans, exterius nil infundit, iſta voluntas non eſt conſenſus id eſt plurium in idem ſenſus, & ideo actus, qui regulatur conſenſu, non perficit, ut ff. de pac. l. 1. §. conventiones, nec aliquem actum humanum complet ff. de lega. III. l. fideicommiſſa §. 1. ff. de. teſt. l. is cui no. C. fa. erciſcun. l. 1.

XI. Nempe tantum diſtat feciſſe a concepiſſe quantum perfectum ab imperfecto, & quantum ſemen quod eſt reconditum in horreo, quod nihil fructificat, ab eo quod eſt ſeminatum in agro; abortum enim facit intentio, ſi conceptum ſuffocat in utero & non producit in lucem: unde hanc voluntatem præciſe mentalem nunquam exeuntem in actum, abortivam dico partus abortivi ſimilitudine ff. de ver. ſig. l. qui mortui C. de poſthu. hære. inſti. l. quo certatum ibi dum dicit: Si vivus ad orbem totus proceſſit.

XII. Sin autem conſideremus hominem in ſtatu voluntatis ſecundæ, ideſt prolatæ, vel etiam tertiæ, ideſt ſcriptæ tunc perfecta eſt diſpoſitio & voluntas de voluntate procedit, ideſt de interiori voluntate procedit verbum & totus homo concurrit, ideſt animus ſeu intellectus cum organis; & voluntas in actibus humanis complendis debet eſſe intrinſeca & ſenſibilis, non interior & ſpiritualis tantum, quia hic non eſt quæſtio de proprio ſpiritu, ſed de actu huma-



humano, & ideo textus in l. potuit C. de jure deliber. dicit actus ideſt conſenſus & voluntas, ideſt interior habitus mentis fuerit neceſſaria, vox enim ſine mente eſt ſine radice, ut voces fictitiæ & ſimulatæ; vel vocis vel doctrinæ cauſa non ad verum eſſe dictæ, C. plus vale quod agi per totum de præſumpt. c. afferte ff. de teſta. mili. l. divus & ff. de ædil. edic. leg. ſciendum, §. dictum, non enim quidquid dicitur eſt vel erit, ut ibi patet, & ſi mentis arcano accedat verbum, & ab utroque procedat ſcriptum erit verum de corde & ſcriptura de utroque procedens, & tamen non eſſentialiter niſi una voluntas præciſe, quæ negotium perfectiſſimum ac conſummatiſſimum reddit. In hoc autem triplici ſtatu fuerunt Cardinales ſecundum punctum prædictum; nam in ſtatu ultimo interioris hominis fuiſſe probantur propria oris confeſſione, quia dixerunt: eligimus, non ſine myſterio ſubjungentes hæc verba ea intentione: ut ſit Papa, mature & digeſte loquuti ſunt & bene & proprie debemus præſumere immo pro certo tenere, eos eſſe loquutos: ſi enim per metum dicant ſe confeſſos, certe reſpondetur quod nullus metus fuit incuſſus ad confitendum, & ad hos myſteriales ſermones proferendum, quos nec imperitum vulgus formare ſciſſet extraneis: Ergo conjecturis non egemus, nam ipſa loquela manifeſtiſſimi ſunt.

Ex externo probatur internum.

XIII. Item ex cauſa electionis inſerta, quæ juſta fuit, ideſt de genere juſtitiæ, nam juſtitia cauſæ ſuum juſtificat cauſatum, veſtit & informat, & non poteſt eſſe injuſtum quod ſit cum cauſa juſta & vera, ut ff. de in integrum reſtit. l. omnes. Item in ſtatu volitivo vocalis expreſſionis ipſi ſe fuiſſe fatentur, quia voluerunt loqui & ſic loqui. Et ſi dicant, quod voluerunt per metum: eſt enim meticuloſa voluntas, prægnans, impura & multiplicans, quemdam diſſenſum cum conſenſu, & quamdam cum affirmatione negationem; habent enim in ſuperficie volitionem, & in medulla nolitionem, & ſcinditur cor hominis in duas partes, & una pars eſt velle, altera non velle, prima ſuperficialis, ſecunda realis reſpondetur quod non eſt verum, quia ipſi contrarium aſſeruerunt, dicendo: Eligimus ea intentione, ut ſit Papa, quia verbum ſit, eſt verbum ſubſtantivum effectivum, & productivum, ff. de hæred. inſtit. l. his verbis ſubſtantiam rei perfectiſſimæ includens, nec eſt aliud verbum ita ſubſtantivum in mundo ſicut verbum ſum es, eſt: quis enim eſt tam inſanus qui arbitretur dominos Cardinales aliud voluiſſe quam verum, aut loquutos eſſe dementer? quod etiam in vili homuncione credendum non eſſet, ut C. de hæred. inſtit. l. fi. nempe quis credere poteſt dominos Cardinales tantum errorem commiſiſſe? ut no. ff. de ſup. lega. l. 11. ad fi. in glo. utebantur.

Objectio.

Probatur contrarium ex eorum verbis.

XIV. Et ſi dicatur: Domini non putabant iſta verba valere; reſpondeo immo accidit quod quis putat ſe nil agere & tamen valet quod agit, ff. de acqui. hæred. l. qui ſe pupillum, & ibi. no. in glo. ord. Item in ſtatu volitivo propria manu ſubſcriptos eos fuiſſe, lectio thematis declarat, præſertim qui erant in arce in tuto loco ut not. in l. 11. §. qui ſatis cog. unde omni modo ſtandum eſt ſubſcriptioni ſeu ſubnotationi propriæ manus ut C. de teſta. l. jubemus, & l. cum antiquitas, & in authent. quod ſine cum pluribus. Mente ergo, lingua, & manu omnia apparent fuiſſe perfectiſſime conſummata: ut in l. jubemus ſuperius allegata. Porro quia vere conſonant omnia, plurimi actus de plano poſtea ſubſequuti hanc veritatem tuentur, quia etiam noviſſima hominum judicia potiſſime valent, ut C. de fideicom. l. clari & aperti.

Et ſubſcriptionibus.

XV. Urbanum namque repetita electio probavit, ut C. de emenda. inſti. codi. l. 1. §. ſupradictis, ibi dum dicit: Quoniam repetita probavit electio, nam qui bis vel ſæpius quod facit videtur velle quod contra id nil poſſit opponi, quia ubi ſecunda intervenit conſideratio, ibi eſſe præſumitur plena deliberatio, ut in authen. ut nulli jud. §. & hoc vero jubemus, in tex. & in glo. quæ incipit: Non enim facile alias incipit juſſio. & no. C. ſi contra jus vel uti pub. l. fi. non enim eſt retractandum, ſed commendandum, & etiam obſervandum quod ſæpe factum nititur æquitate, ut extra de arbi. c. non ſine, & facit extra de reſcri. c. olim, in verbo ſemel & iterum confirmatur tali conſideratione. Certum eſt quod cauſa ſpecifica & immediata eſt major cauſa quam univerſalis cauſa remota: ſed domini Cardinales fuerunt cauſa ſpecifica nominationis & electionis Urbani; unde eſto quod impreſſio populi fuiſſet cauſa univerſalis ſeu in genere, non tamen fuit cauſa ſpecifica ſeu in ſpecie, & ſæpe poteſtas libertatis in ſpecie miſcetur cum neceſſitate in genere, ut no. de cod. l. fi. in gl. quod eligat & ff. famil. erciſcund. lege hæredes, §. ſi in certo. Habuit ergo hæc electio (inſpecta cauſa ſpecifica & propria) ſaltem fundamentum de jure naturale; unde aut fuit aliqua inſpectio jure naturali & ſimpliciter aliqua erit ſaltem ſecundam quid, id eſt ſecundum quod fuit conſenſus applicatus ad certum individuum & quidquid naturalitatis ſeu jure naturali inſit & inveniatur, in ipſa habet maximam radicem & fundamentum, ſuper quo conſequentes ratificationes & actus complacentiæ poſſunt ſe fundare, & coadunare, ut l. ſi unus, §. pactus, ff. de pact. & inſt. de repli. in princip.

An fuerit populi impreſſio.

XVI. Item non omnis metus vitiat, ſed ille ſolus, qui dat cauſam actui proximam & immediatam, ut d. l. qui a latronibus, ff. de teſti. & no. ff. quod metus cauſa, l. qui in carcerem. Item faciens coactus poteſt

Ex parte Cardd. fuit diſcreta electio.

poteſt nolle & velle, ut not. eodem. tit. lege ſi mulier, §. ſi metu. Hic licet ex parte populi fuerit impreſſio, ex parte tamen animorum dominorum Cardinalium votiva, diſcreta, & probabilis fuit electio; non debet ergo velamento compulſionis reſcindi, maxime quia qui recipit aliquid ab aliquo non habet rationem conquerendi ſe vi coactum, ut C. de pigno. lege cum te pecuniam, ubi eſt text. not. & valde facit contra Cardinales qui ab Urbano ſuſceperunt abſolutiones & gratias tamquam a vero Papa.

Confirmatur conſenſus ex gratiarum petitione.

Concluſio.

XVII. Ex quibus ſequitur concludenter quod voluntas dominorum fuit in actu electionis voluntas. Ergo fecit electionem eſſe ſolemnem: ad hoc ff. de lega. primo, l. ſi mihi & tibi, §. finali in fine, & ff. de jure cod. lege literæ in verbo animi affectus exprimitur. Blandiuntur ergo ſibi, qui putant ſe nihil egiſſe, ut ff. de adminiſtratione tutorum, lege plures, ff. ſi parens, in fine. §. quoniam creditur factis & verbis, ut ff. de jur. codicil. lege conficiuntur in verbo creditur. Experimentum verorum ſermonum eſt, ut concordent rebus ſenſatis, ut magnus ait Averroes: & cum de re dubitatur, credendum eſt quod naturæ negotii convenit, ut ff. de teſt. lege ob carmen, ff. ſi teſtes & qualitas factorum demonſtrat intentionem actorum, ut ff. de divort. lege quod ait lex §. illud rectiſſime.

Confirmata reditu fugitivorum.

XVIII. Auget etiam præſumptionem conſenſus reverſio illorum, qui de Roma receſſerant & proprio motu redierunt, & ſolemnia peregerunt: nam ex reverſione præſumitur animus, ut inſtitut. de rerum divi §. pavonum in ratione ſui, & multo magis, ſi qui ab eo tamquam a vero Papa gratias impetraſſent; nam amodo ſeparatorium edictum non habet, ut not. C. de hered. act. l. cum adulta, & ff. de ſepara. bon. leg. prima, §. illud & §. præterea, & C. de bon. authent. judi. poſſ. lege ſecunda verſic. reportatis, nam qui acceptat aliquid ab aliquo tamquam a tali, non habet amodo jus negandi, ut C. de contrahenda, & committenda ſtipulatione, lege optimam, & ff. de inofficioſo teſtamento, lege ſi proponas & ſi hæreditatem, talis enim negatio inſtar ſpoliationis haberetur, ut not. Dynus in dicto cepit, pro poſſeſſore. Cynus in lege ſecunda, C. ſi certum petatur, & facit lege litibus C. de agr. & cenſib. lib. 11. C. loca l. ſi quis conductionis cum ſimilibus.

Populus expetierat præcipue Romanum.

XIX. Diſcutiamus inſuper populi ſermonem qui erat; Romanum volumus vel Italicum; nam ex ordine verborum apparet ordo intellectus, de conſecratione diſt. 2. capitulo in Chriſto pater, & ff. de libe. & poſthu. lege Gallus, §. primo & ff. de uſufruct. lege ſervus communis ita intentio: ergo populi dirigebatur principaliter in Romanum; erant enim duo Romani in collegio notatu digni venerabiles & præclari & ſive ſeniorem ſive juniorem habuiſſet populus Romanus, hoc fuiſſet ad votum populi elegiſſe, ut ex themate patet, quod non contentabatur populus quod eligeretur Papa de extra urbem, & ideo de electione Urbani pernimium doluerunt quia Italicum extra Romanum in conſequentiam poſuerunt, nec voluerunt ipſum eſſe verbum principale, ſed intentio dominorum erat inter ſeipſos contraria, eo quod ad papatum per ſe quilibet inhiabat, unde ſibi invicem obſtiterunt, ff. de hæred. inſtitu. lege invicem: pugnaverunt vota cum votis & conſilium cum conſiliis: tandem eo ventum eſt ut ubi ratio non diſponeret, provideret mera fortuna, ut C. quando & quibus quarta pars deb. leg. ſecunda lib. decimo. Eo itum eſt ut in procelloſo mari onuſta mercibus jactatis, navicula Petri non mergeretur; nam jactus remedio cæteris in communi periculo ſalva navi conſultus eſt ut ff. ad leg. rhod. de jac. lege amiſſæ navis.

Indoluit ex Urbani electione.

XX. Præterea videamus ſi iſte dominus Urbanus debebat dici Italicus, & ſi populus fuiſſet interrogatus de eo, qui ſola naſcendi cauſa erat Italicus, populo Romano nec gratus nec ingratus, an opinionem habuerit clamandi prõ iſto, cujus mores inter Gallicos ſunt formati, & qui nutritus eſt in Gallia & transformatus in mores eorum, & de ipſorum appendicibus, ut ff. de acquirenda hæreditate, lege ſi quis hæres. Quis enim dubitat naturam in qualitatem transformari, ita ut naturale nomen non conveniat transformatis? ut ff. de verborum ſignificationibus lege provinciales, & ff. de poſtu. leg. 1. §. 11. & concurrentibus contrariis qualitatibus vincere præpotentem, ut ff. de uſucap. pro dona l. ſi vir uxori. Non igitur iſte fuit Italicus ſimpliciter, ſed mixta ratione naturæ & moris electus: ut utriuſque partis opinio ſalvetur, immo magis prævaleret opinio Gallicorum, quia uſus naturam vertere conſuevit, teſtante Ariſt. in pluribus locis. Ex quibus apparet manifeſte quod domini ultramontani ſeipſos propter conſuetudinem, & domini citramontani ſeipſos propter naturam conſiderantes, vota ad invicem miſcuerunt, & propter repugnantiam diviſa eſt hæreditas inter Cæſarem, & eum qui Parthemio ſubſtitutus erat, ut ait Sextus Pomponius ff. de hære. inſti. lege & hoo Tyberius, & quod ex concurſu qualitatum neuter per ſe dicatur obtinuiſſe animi votum, patet ff. de leg. primo. l. Titiæ textores, unde nec vox populi, nec intentio de Urbano prædicabatur, qui magis eſſet ultramontanus, quam citramontanus. Quid dicendum occurrit mihi? verbum Senecæ in declamationibus: Quis es tu qui de facto patrum ſententiam feras? Sed reſpondeo ſum agricola rudis & non fero ſententiam, quia

Utriuſque nationis particeps, utrique placuit.



quia ad me non pertinet ullo modo, nec pono os in cælum; ſed ſemino verbum in agro Domini exercituum & largitoris virtutum, & ſi bonum eſt, terra recipiet & fructificabit; ſi autem malum, tanquam mala herba eradicabitur, ut ff. locati, l. ſed & addes §. ſi quis dolia, nec in alterutram partem curro, quia ſum utrique parti homo ignotus, immo non homo quia nimia eſſet iſta prædicatio: ſum tamen in hoc miſero corpuſculo, devotus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quia per eam ſpem habeo in Deum.

Baldi in Eccleſiam pietas.

XXI. Concludo ergo mihi tantum, quia verba mea non ſunt alii concluſiva, dico & credo, ſalvo tamen judicio eccleſiæ cui me ſubmitto cum proteſtatione, ut extra de ſumma Trinit. c. damnatus, dominum Urbanum prædictum vere & proprie dici & eſſe Papam & apoſtolicum dicendum & tenendum & nuncupandum, nec levitati perfectam donationem revocantium aſſentiendum, C. de condi. ob cauſ. lege ſi repetendi, ibi dum dicit, cum levitati perfectam donationem revocare cupientium jure occurratur.

Ejus pro Urbano concluſio.

XXXIX. Baldus Romam ab Urb. excitus.

Hæc Baldus menſe julio hujus anni (quo diſcordia concitata eſt ad revocandam in dubium Urbani electionem) ad Cardinalem, cujus nomen preſſit ſilentio ſcribebat docte & pie, ut impendens ſchiſma averteret: cumque jam illud efferveſceret, Peruſio Romam mox ab Urbano evocatus controverſiam & utriuſque pontis argumenta diligentiſſime perpendit (a) ac primum verum thema electionis Urbani propoſuit, dein varietates & contradictiones thematis a Jacobo Urſino nonnihil corrupti, & thematis a Cardinale S. Euſtachii conficti & literarum Cardinalium, quæ recenter emanarant in vulgus (de quibus inferius agitur) in luce collocavit; tum ſua explicuit argumenta viginti propoſitionibus adductis, & conſpicuis argumentis confirmatis, quorum præcipua ſunt hæc. Juſtiſſimis de cauſis poſtulatum Italum Pontificem: eam electionem canonicam fuiſſe, quæ duabus partibus conſtiterit: pontificatum conferri poſſe per facta, quibus conſenſus ſui natura & vi legis annexus eſt: inanem, vel injuſtum metum non labefactare electionem: conjugia ex prætenſo metu reſcindi non poſſe poſt cohabitationem pacificam: ſi controvertatur an juſtus fuerit metus, Cardinales non poſſe in ea lite ferre ſententiam: probare ipſos hoc ipſo, non eſſe illuſtrem impreſſionem, dum ſacramento ſuo illam probatam volunt; ſacramentum enim obſcuræ probationis perfugium eſt, & ita probandi onus, quod ad ipſos incumbit, excutere: ſi qua fuit impreſſio, illam per actus liberos, conſecutos purgari potuiſſe: repetitam fuiſſe electionem pro avertendo ſchiſmate: liberos actus conſenſum includentes præteritam impreſſionem purgare: impreſſionem in actu electionis debere eſſe conſpicuam; non tractos fuiſſe veſte Cardinales ad eam celebrandam: non jugulo gladios admotos, ut Urbanum eligerent: ſi quis metus interceſſerit, illum inanem fuiſſe: non potuiſſe Cardinales aliam electionem celebrare, cum non conſtet, an prior irrita extiterit, ea enim ratione poſſe, cum liberet, ſchiſmata conflare: cum non conſtaret, an vacuum eſſet ſacroſanctum ſolium, electionem novam non potuiſſe moliri: toto orbi Chriſtiano debuiſſe eſſe conſpicuum, cur Urbanus gradu moveretur; in ambiguo obſequendum fuiſſe primo in pontificatum inducto: Cardinalium teſtimonia non valere contra literas ab iis miſſas ad principes: vel eas veras fuiſſe vel falſas; ſi veræ fuerint, ſtare Urbani cauſam; ſi falſæ, fide indignos eſſe, nec tamen exiſtimari poſſe tantos viros orbem inducere in errorem voluiſſe: jam vero ut fide inſtabiles, qui ſibi non credant, contemnendos ut conſpiratores, ut detractores ex contractis jurgiis a teſtimonio repellendos.

(a) To. I. de ſchiſ. p. 52.

Nullam illuſtrem probationem Cardin. attulere.

In ambiguo primum electo obſequendum.

Urbanum eſſe legitimum Papam demonſtravit Baldus his argumentis: Electum in Papam canonice eſſe verum Papam, quamquam tunc interſtrepat populus: mentalem concordiam eligentium ex verbali concipi: tumultum, etſi commovit animos, non ademiſſe libertatem: credi non poſſe tot actibus Cardinales voluiſſe induci pſeudopontificem & everti Eccleſiam: ergo in eum vere conſenſiſſe: eos afferre contra argutias leves, quæ fortioribus infringantur: adumbratum illum metum non præceſſiſſe electionem: non cenſendos ita molles animis & fragiles, ut haberi volunt: in electionis modo adjectas has voces, ut eſſet verus Papa: neminem adegiſſe, ut adderentur ex pondere amoris & voluntatis additas fuiſſe, non ex trepidanti reluctatione: metum non vitiare electionem, niſi principalis cauſa electionis foret: impoſitionem thyaræ pontificiæ conſenſum traxiſſe; ac futurum eo ipſo Imperatorem, cui ſine præcedenti electione ſeptemviri ſolemni ritu diadema conferrent: profiteri adverſarios ſolemni ritu Urbanum corona redimitum; ergo juſte & canonice: ratihabitionem ſupplere poſſe quod actui defuiſſet: ex imbecillitate mentis factam electionem per ſecutos actus potuiſſe confirmari: eo ipſo, quod de contrario diſſenſu non ſunt conteſtati, probari ipſos noluiſſe conteſtari: numquam jure cautum, ut Cardinales Pontificem ritu ſolemni thyara ornatum repellere queant: eum ritum numquam per vim celebrari potuiſſe: in conficto a Cardinalibus themate circumferri unumquemque con-

conſenſiſſe, cum putaret collegas in Urbanum conſenſiſſe, ergo omnes in Urbanum conſenſiſſe: dum perhibuere teſtimonium, conſenſum demonſtraſſe: non exiſtimandam ante ſuſcepta odia, in Cardinalibus fictionem, quæ poſſet ſchiſma inducere: ſi ficte Urbanum ſe coronaſſe ajunt, artifices eſſe ſchiſmatis & Eccleſiæ everſores, & quocumque ſe vertant publica execratione repellendos; ſi non placuiſſet eis Urbanus ad ipſum non eſſent reverſi, nec de eo ad principes ſcripſiſſent. Sed hæc & alia ex ipſo Baldi commentario ad calcem operis rejecto lector accipere poterit.

XL. Itali Cardin. Anagniam vocati.

His aliiſque graviſſimis argumentis ſpretis, Cardinales aggreſſuri dirum facinus, rati more tyrannorum & perſecutorum Eccleſiæ, Pontificem vel arte, vel vi oppreſſum iri, ex Anagnina urbe Italos Cardinales ſolicitarunt, ut communi conſenſu pſeudopontificem, deſerto & exauthorato Urbano, crearent. Conceptæ ſunt ſubjectis verbis plenæ dolo & mendaciis eorum literæ (a).

(a) Ext. to.16. de ſchiſm. p.12.

*Reverendiſſimis in Chriſto Patribus dominis.*

*Petro epiſcopo Portuenſi, Franciſco tituli San. Sabinæ, Simoni tit. S. Joannis & Pauli presbyteris, Jacobo de Urſinis Sancti Georgii ad velum aureum diacono miſeratione divina, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Joannes epiſcopus Peneſtrinus, Guillelmus tit. S. Cæciliæ, Robertus Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, Hugo tit SS. Quatuor coronatorum, Guido tit. S. Crucis in Jeruſalem, Joannes tit. S. Marcelli, Petrus tit. S. Laurentii in Lucina, Geraldus tit. S. Clementis presbyteri, Petrus S. Euſtachii, Guillelmus S. Angeli, Petrus S. Mariæ in via lata, & Petrus S. Mariæ in Coſmedin diaconi eadem miſeratione S. R. E. Cardinales Anagniæ exiſtentes, ſalutem & fraternæ dilectionis affectum.*

Datæ ad ad eos literæ.

*Cum nuper Apoſtolica ſede vacante per obitum piæ, & ſanctæ memoriæ domini Gregorii Papæ XI. qui de menſe martii proxime præterito, diem ſuum in urbe clauſit extremum, nos una vobiſcum pro electione futuri Romani Pontificis, ut juris & moris eſt, celebranda, in Conclavi ad hoc in apoſtolico palatio, in quo idem ſanctæ memoriæ dominus Gregorius obierat, deputato conveniſſemus, Romani officiales cum magna multitudine armati quaſi hoſtili more totum circumdederunt ab extra, & ab intus fere implentes palatium antedictum, & per impreſſionem, nedum in urbe, verum fere ubique terrarum notoriam ad eligendum repente contra deliberationem & propoſitum noſtrum firmum, & per metum mortis nobis palam & clare imminentis, coegerunt invitos, in ſcandalum maximum cleri & populi Chriſtiani, ac exempli perniciem, niſi provideretur, fere perpetuo duraturam, ac evidens periculum animatum. Cum igitur iſtud factum tam ſcandaloſum, ſine macula fidei, ſine ſcandalo cleri, & populi Chriſtiani, ſine magna ſubverſione ſtatus Eccleſiæ ſacroſanctæ, ſub diſſimulatione tranſiri non poſſit, volentes circa ea omnia providere, vos utique maxima, & honorabilia membra ipſius eccleſiæ ſacroſanctæ, & ad tardius quos una nobiſcum pertinet ſub debito fidelitatis, quo eidem Romanæ eccleſiæ tenemini, requirimus vos, quanto carius poſſumus deprecantes, ut infra quinque dies ad poſtquam præſentes literas receperitis in Anagnia conveniatis una nobiſcum ad deliberandum & providendum ſuper præmiſſis de remediis opportunis, nec non ad tractandum, & peragendum omnia, & ſingula, quæ propter præmiſſa fuerint neceſſaria, ſeu etiam opportuna ad ſalutem & utilem proviſionem ſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ ac fidei orthodoxæ. Dat. Anagniæ anno a nativitate Domini 1378. die 20. menſis julii, primæ indictionis ſub propriis ſigillis.*

Non aſſenſere tum temporis flagitio Cardinales Itali: ex quibus lapſo poſt menſe Franciſcus tit. S. Sabinæ vulgo Cardinalis S. Petri nuncupatus, vir ab ambitione & invidia alienus, quem papalibus ornamentis ſimulate a Cardinalibus indutum vidimus, ut Romanorum ob Urbani creationem ſuccenſentium ſe ſubducerent, correptus lætali morbo ad confirmandos in Urbani obſequio fideles contra perduellium Cardinalium improbitatem morti proximus publicis tabulis (b) hæc teſtata reliquit. XLI.

(b) Ext. de ſchiſm. to.2. p.38.

*In Dei nomine. Amen.*

Card. S. Petri morbo correptus.

*Noverint univerſi præſens publicum infraſcriptum inſtrumentum, quod cum reverendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Franciſcus tit. S. Sabinæ presbyter S. R. E. Cardinalis, vulgariter dictus Cardinalis S. Petri, & ſanus quidem mente, ſed gravi corporis infirmitate detentus, de qua ſecundum judicium medicorum credebatur infra paucos dies de hoc ſæculo debere migrare ad Dominum, intellecto, & cum gravi amaritudine cordis, ut dicebat, percepto per eum, quod nonnulli ex reverendiſſimis dominis S. R. E. Cardinalibus ſe ab obedientia ſanctiſſimi patris domini noſtri domini Urbani divina providentia Papæ VI. ſubtrahere, & inconſutilem tunicam Domini, ſanctæ videlicet Eccleſiæ unitatem ſcindere, ac ſe ipſos & totam Chriſtianitatem, quantum in eis erat in errorem ponere conabantur mendaciter aſſerentes præfatum dominum Urbanum non eſſe verum Papam, ſed per metum electum fuiſſe, ſciens firmiter, atque veraciter tenens & credens idem dominus Cardinalis, ut dicebat, hujuſmodi eorum aſſertionem eſſe falſam, & provenire non a ſynceritate bonæ conſcientiæ, neque a zelo veritatis, ſed potius ſub dolo*



*dolo adinventam fuiſſe per aliquos eorum, qui quærunt quæ ſua ſunt, ſuadente hoc eis diabolo patre mendacii, qui a principio originis ſuæ ſemper conatus fuit unitatem ſeparare, charitatem vulnerare, & ſanctorum operum dulcedinem, invidiæ ſuæ felle inficere; & timens ſibi, ut dicebat, idem Cardinalis pro eo maxime, quia ipſe ſemper fuit præſens in omnibus actibus, quando dictus dominus Urbanus & Barenſis archiepiſcopus fuit per dominos Cardinales, ad quos tunc pertinebat electio, nominatus, electus, aſſumptus, & demum inthronizatus in Romanum Pontificem, quod ſi per negligentiam ſilentio præteriret, & non indicaret præſentibus & poſteris ea, quæ circa hujuſmodi materiam vidit, ſenſit, atque ſecundum conſcientiam ſuam ſcit, tenet, & credit in extremo examine divini judicii ſibi poſſe imputari ad culpam, ſeu ad negligentiam, hac inquam conſideratione ductus, ut dicebat idem dominus Cardinalis, convocatis ad ſe omnibus infra nominatis, & coram eis tanquam coram publicis & autenticis perſonis proteſtatus fuit, & more prælatorum poſita manu ad pectus ſuum, publice recognovit & dixit in conſcientia ſua, ſe ſciviſſe & ſcire, tenuiſſe & tenere, credidiße & credere, ac reputaſſe & reputare præfatum dominum Urbanum VI. fuiſſe canonice nominatum, electum, aſſumptum, & inthronizatum in Romanum Pontificem, & ſervatis ſervandis publice & notorie coronatum, & eſſe verum Papam, quia interfuit, vidit, & audivit.*

Moriturus Urbanum eſſe verum Papam profitetur.

*Dicebat etiam & dicit dictus dominus Cardinalis publice, quod ipſe poſt obitum fœlicis recordationis domini Gregorii Papæ XI. immediati prædeceſſoris præfati domini Urbani ante ingreſſum & poſt ingreſſum conclavis audivit, & etiam per ea, quæ tunc ſcivit & præſenſit a nonnullis ex dictis Cardinalibus, qui ſecum de creatione futuri Romani Pontificis conferebant, per ea etiam, quæ ipſe Cardinalis exiſtens in dicto conclavi vidit, & audivit in actu hujus nominationis, electionis, aßumptionis, & inthronizationis, certe dictus dominus Urbanus tunc archiepiſcopus Barenſis fuit per eoſdem & alios Cardinales, ad quos ſpectabat electio, pure, libere, ſponte, & voluntarie nominatus, electus, aſſumptus, & inthronizatus, præſertimque de ipſo nominando, eligendo, & aſſumendo in Papam, etiam ante prædictum ingreſſum conclavis fuerat per eoſdem Cardinales præcogitatum, & nonnulli ex eis etiam tunc dixerunt, & dicebant ſibi, quod quantum in eis erat ante dictum ingreſſum tractaverunt ipſum dominum Urbanum tunc archiepiſcopum Barenſem, tamquam ſcientificum ac bonum, & ſufficientem ad Papatum & ad hoc ipſum dominum Cardinalem requiſiverant quod una cum eis concurreret, & quod ipſe dominus Cardinalis in hac veritate, ac firma & indubitata fide & credulitate dixit & proteſtatus fuit, ſe velle vivere & etiam mori, quando Altiſſimus placuerit ipſum ad ſe vocare: & voluit ac mandavit præmiſſa omnia & ſingula ſignificari univerſis & ſingulis prælatis & principibus & aliis Chriſti fidelibus per univerſum orbem. De quibus omnibus & ſingulis præfatus dominus Cardinalis petiit per me notarium infraſcriptum fieri unum, duo, & tot quot neceſſaria eſſent conſimilia publica inſtrumenta. Acta fuerunt hæc Romæ in hoſpitio habitationis præfati domini Cardinalis S. Petri ſub anno a nativitate Domini MCCCLXXVIII. indictione prima, die XXII. menſis auguſti, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Urbani divina providentia Papæ VI. ſupradicti anno I. &c.* Adjecta ſunt teſtium nomina, quæ brevitatis gratia prætermittimus.

Graviſſimum argumentum.

Id ipſum ut ſenſerunt etiam alii tres Cardinales Itali Urbanumque hoc tempore coluerunt, tum in conſiſtoriis publicis, Wenceſlaum Regem Romanorum creatum ad preces Caroli Imperatoris, una cum Pontifice confirmarunt, redintegrarunt fœdus cum Florentinis, cujus tractatus morte Gregorii intermiſſus fuerat, tum etiam Gallos ad officium revocare adniſi ſunt, ut deſcribunt publicæ tabulæ (a), quæ nonnulla quæſita a Cardinale Florentino continent: *Exiſtentibus dominis Cardinalibus ultramontanis in Anagnia, ac publicato dubio quod ipſi domini Cardinales ultramontani faciebant de jure domini Barenſis ad papatum, domini Cardinales Italici, videlicet domini Florentinus Mediolanenſis, & de Urſinis, remanſerunt, cum dicto domino Barenſi in Tybure, & ibi cum eo tenuerunt conſiſtoria publica & privata, in quibus confirmarunt filii Imperatoris ad imperium electionem, & fecerunt pacem cum Florentinis & multa alia; & quod ipſi domini Cardinales Italici de mandato dicti domini Barenſis interpoſuerunt ſe ad faciendum concordiam inter ipſum dominum Barenſem & ultramontanos, & quod propterea iverunt Anagniam, & quod quia nihil operari potuerunt, rediverunt Tybur ad dictum dominum Barenſem & ibi cum eo tenuerunt, ut prius, conſiſtoria publica & privata, & promotiones prælatorum familiarium & amicorum ipſorum dominorum Cardinalium Italicorum fecerunt.*

(a) Ext. to.3. de ſchiſ. p. 118.

XLII. At Cardinales Galli, cum multa inter ſe conventicula de Urbano e pontificio faſtigio depellendo inijſſent, ac plures doctores conficto themate (b) propoſito ex arcano conſuluiſſent, conceptum tacitis conſpirationibus ſcelus in lucem eduxerunt, ac ſinguli privatas literas ad Gallorum Regem dedere, quibus conqueſti ſunt, ſed falſo, vim ipſis illatam a populo Roma-

(b) To.2. de ſchiſm. p.165.

Carolus Francor. Rex a Cardin. Gallis conſultus.

mano ut Italum Pontificem renuntiarent, cum pontificatum in gente Gallica retinere decreviſſent; conſiliumque & opem adverſus Urbani vim expetierunt, ut Gallorum Regis viribus fulti Urbanum opprimerent. Quibus acceptis literis Carolus V. nimium credulus & Gallici honoris illecebris irretitus, magnos ſapientium cœtus coegit, in quibus pars maxima, cum graviſſima pro Urbano argumenta perpendiſſet, ſenſit cauſæ cognitionem concilio œcumenico deferendam, ut ex monumentis (a) Gallorum Avenione Romam tranſlatis conſtat.

Cœtus ſapientum cogit.

(a) Ext. ibid.

Argumenta pro Urbano expoſita.

*Primo, extitit diſceptatum, ſi hujuſmodi rei domini Cardinales deberent eſſe judices, qui melior pars dicebantur. Secundo, ſi ipſorum depoſitionibus crederetur, cum in ſuis dictis eſſent ſingulares. Tertio, fatebantur electionem concorditer & a duplo majoris parte factam, & licet per metum aſſerant ſi in hoc ipſis credi debeat, ut alter a poſſeſſione eiiciatur. Quarto, licet probetur inſultus, metus, vel impreſſio, non propter hoc cenſetur, quod elegerunt ipſum metu illius inſultus vel impreſſionis. Quinto, quod ſi etiam propter impreſſionem fuiſſet electus, ſecundum aliquos non ei noceret niſi probato quod illam impreſſionem procuraſſet. Sexto, nullum judicium ſeu poteſtas datur Cardinalibus ſede vacante, quomodo ergo illum poſſunt anathematizare, vel proceſſum facere contra ipſum? & ſi judices eſſent, & factum notorium, tamen adhuc neceſſaria eſſet partis evocatio ad ſententiam, ſeu declarationem audiendam. 7. Præterea iſte non intravit inthronizatus vel electus per alios quam per Cardinales, & ſic non fuit illud:* Si quis pecunia, & *illud* ne Romani, *non habet locum in caſu prædicto. 8. Item ſi domini Cardinales non ſunt veri judices in caſu præſenti, cum non reperiatur jure cautum, quomodo eorum ſententiis credetur, aut eorum teſtimoniis; cum judex non ſit, coram quo teſtes producantur, & ipſi videantur in hac parte officium judicis, teſtis, & partis occupare? 9. Item, qui eſt in poſſeſſione, nec apparet judici de violenta poſſeſſione cum pars fateatur in omnibus ſuis proceſſibus ipſum elegiſſe, quamvis aſſerat per metum, cognoſcet pars de iſto metu quem aſſerit. 10. Non videtur, cum reverentia, ut multi juriſperiti diſceptant, ad alium judicem recurrendum niſi ad concilium generale, quod concilium in hac diſceptatione eſt verus judex. Quis autem haberet in hoc caſu concilium congregare, diverſæ fuerunt ſententiæ: ſuper hoc affirmanter dicebant aliqui, quod ad illum qui erat in poſſeſſione papatus, & ſic ipſo concilio poſſet cauſam ſuam ſubmittere, &c.*

Cardd. volunt eſſe judices, partes, & teſtes.

Concilium verus judex a Gallis agnoſcitur.

Cum hi ſapientes egregie ſentirent, diſſenſere alii dicentes, concilium non ab Urbano, ſed a Cardinalibus cogendum: alii ſenſere indicendum a patriarchis, alii a principibus conſenſu unanimi decernendum, ad quod Urbanus & Cardinales vocandi eſſent. Cum autem ſapientes illi Gallo Regi conſulere debuiſſent, ne ab Urbano ante decretoriam conſilii œcumenici ſententiam diſcederet, conſuluere male, nimirum, ut inter utramque partem veluti veritatis explorator, & controverſiæ arbiter penderet, quod Urbanus licet accuſatus a Cardinalibus pontificatus poſſeſſione uteretur, & Cardinalium literæ adverſus Urbanum privatæ eſſent, nec publica fide communitæ. De expetito vero regio patrocinio adverſus Urbani vim, quippe finxerant ſe ab eo opprimi, ita reſponſum fuit Cardinalibus: *Quantum autem ad dandum conſilium, auxilium vel favorem ipſis dominis Cardinalibus pro ipſorum ſecuritate perſonarum, ſingillatim ut ſingulis tanquam ſuis fidelibus, & amicis, hoc jam fecit, & paratus erat ſemper facere & faciet, Domino concedente voluntate & animo ad hoc deditis, operis evidentia ſubjacente.*

Malum conſilium Gallo Regi datum.

Cardd. promiſſa regia clientela.

Dedit etiam imperia ſuorum ſapientum cœtui Carolus Rex, ut honorificos componendæ inter Urbanum & Cardinales diſſenſionis, & ſchiſmatis imminentis avertendi, modos exquirerent: ac tum nonnulli conſuluere, ut ampliſſimos oratores ea de cauſa decerneret, diſſuaſere alii, ne Gallicæ gentis odio a Romanis male exciperentur, ut ſibi fingebant animo: ſuaſere vero, ut aliquis e Cardinalibus, qui Avenione ſubſtiterant, mitteretur. Suadebant alii inſulſe ut Carolus Rex Urbano ſcriberet, ut cederet & Cardd. ut ipſum iterum eligerent, ſe committeret: alii melius ut Cæſarem excitaret ut una cum ipſo redintegrandæ concordiæ daret operam: alii ut ſolemnibus epiſcoporum conventibus deciſio controverſiæ permitteretur: *Ultimo*, inquiunt acta, *tactum fuit quod pendente via tractatus inter partes, principes ſæculares ſuper hoc concordes & adunati facerent generale concilium congregari, ut ſi ad concordiam partes non poſſent devenire, referretur nogotium ad concilium prædictum.* At non urſit, ut par erat, Carolus Rex concordiæ modos, ſed Cardinalium Gallorum fraudibus irretiri ſe ſivit: illi enim, cum certiores ab adminiſtris facti eſſent, Carolum Regem ab Urbani obſequio defecturum ad ipſos, ſi publica fide authorata monumenta de impreſſa ipſis vi a Romanis ederent, concordiæ pactiones omnes abruperunt, atque ad conflandum ſchiſma præcipites ſecunda die auguſti encyclicas literas (b), ad Chriſtifideles dedere, quibus Urbani electionem vi & metu extortam contenderunt.

Actum de concordia.

Conſilium ut extremum præſidium approbatur.

(b) Ext. to.5. de ſchiſm. p.8.

Conciliare ſibi Cardd. Urbanus nititur.

Ebulliente jam ſchiſmate Urbanus de illius compeſcendi modis plura conſiſtoria cum Petro Florentino, Simone Mediolanenſi,



nenſi, atque Jacobo Urſino, Cardinalibus egit: viſumque eſt ad dirimendam motam controverſiam ex univerſo orbe patres ad ſynodum œcumenicam convocandos: quod quidem optimum conſilium a Spiritu Sancto ſuggeſtum, ob furentium ſchiſmaticorum flendam pertinaciam, non niſi poſt plura annorum curricula Conſtantiæ mandari operi potuit. Miſſi itaque tres memorati Cardinales Itali, qui Gallis conjuratis offerrent, Urbanum œcumenicæ ſynodo ſubortam controverſiam permiſſurum. Qui cum in Præneſtino agro una cum tot aliis ſchiſmaticæ factionis Cardinalibus conveniſſent, Urbanum de geſta legatione, atque adverſariorum reſponſum circa oblatum concilium extrahentium improbitate certiorem his literis (a) fecere.

(a) Ext. to.2. de ſchiſm. p. 36.

*Sanctiſſimo domino noſtro domino ſummo Pontifici.*

*Sanctiſſime pater. Hucuſque non ſcripſimus ſanctitati veſtræ, quia non vidimus opus eſſe: nunc autem noverit veſtra beatitudo, quod die matutina & heri convenimus prope civitatem Peneſtrinenſem in quadam eccleſia campeſtri cum dominis Gebennenſi, Pictavienſi, & S. Euſtachii Cardinalibus, quibus loquuti fuimus juxta condicta coram veſtra præſentia poſt multa colloquia & diverſa variis vicibus habita, finaliter offerendo viam concilii, quorum finale reſponſum fuit, quod a dominis, qui ſunt Anagniæ, reſpondendi ad dicta per nos non habebant mandatum: ſed expediebat, ut ſupra illis deliberaretur cum eis; quare conſtantiſſime nos precabantur, ut Anagniam vellemus accedere omnibus dominis eadem dicturi, ut omnibus auditis ſuper eis deliberaretur maxime quod nos etiam in iſta materia tangebamur. Quibus reſpondimus quod ipſi referre cæteris dominis poterant, noſque in aliquo loco vicino expectaremus eorum reſponſum, rogantes ut ſine dilatione illud dare deberent; quamobrem præfati domini iſto mane Anagniam remearunt: nos vero reſponſum præſtolabimur in caſtro Genazani vel alio loco vicino operaturi omne bonum, quod nobis erit poſſibile. Scriptum Zagaroli die VI. auguſti prima indictione. Devoti veſtri, P. Portuenſis, S. Mediolanenſis, I. de Urſinis Cardinales.*

Concilium non approbant.

XLIII.

Averſantur concilium.

Perhorruere ad ſynodi vocem Cardinales Galli: conſcii quippe erant, nefarias ipſorum artes coram totius orbis patribus non valituras atque ideo diſturbandum concilium œcumenicum ab Urbano meditatum, in quo illius authoritas aſſerenda foret, cenſuerunt, ut ipſa ſchiſmaticorum publica acta (b), teſtantur: *Pro parte*, inquiunt, *dominorum Italicorum fuit aperta via concilii generalis, quæ cum eſſet per iſtos tres dominos miſſos reportata fuit communi omnium conſilio ut damnoſa & præjudicialis repulſa.* Neceſſarium tamen omnino erat concilium pro mota controverſia diſcutienda, dirimendaque: nam cum effutirent Cardd. ſe graviſſime erraſſe in Urbano creando, quem pſeudopontificem appellabant, & ab eo ſacerdotia petendo & celebrando conſiſtoria, patet ipſos fateri ſe errori eſſe obnoxios, ac proinde Urbanum eſſe poſſe verum Pontificem [ uti erat ] & opponi injuſte illi antipapam. Itaque controverſia illis permittenda non fuit, ſed Eccleſiæ univerſali, quæ errare non poteſt, & a Divino ſpiritu regitur. Cur ergo œcumenicam ſynodum ſemper recuſarunt, niſi quia hæreticorum more ſtare Eccleſiæ univerſalis judicio noluerunt, in quo damnandos ſe omnino norant? Non pertinere autem ad Cardinales ferendæ ſententiæ jus, ex Conſtantienſis ſynodi decretis ſuo loco viſuri ſumus: ac licet ad ipſos pertineat electum Papam oſtendere, non tamen ubi omnibus exhibitis ritibus oſtenderint, iſque ab univerſo orbe Chriſtiano ut verus Pontifex exceptus fuerit, oſtendere alium (priore abdicato) ipſis licuit, cum amplius fide non ſint digni, qui ſe perfidiæ & perjurii reos in priore oſtendendo jactent. At quibus argutiis injuſtam cauſam tutati ſint, ex Cardinale (c) S. Euſtachii ſchiſmatico audiamus: is enim ad confundendam Eccleſiam non congregandum eſſe concilium perperam diſceptabat.

(b) Ext. to.16. de ſchiſm. p. 12.

Neceſſitas concilii.

(c) To.5. de ſchiſm. p.136.

*Ad primum*, inquit, *venio & dico, quod concilium nec poteſt vocari, nec fieri in iſto caſu, quod ſic probatur: Omne concilium debet congregari per habentem authoritatem, & præſidentiam judiciariam ſuper illos, qui ad concilium ipſum vocantur, & ſuper perſonas, quarum cauſæ in concilio terminantur. Ergo in hoc caſu non poteſt concilium congregari; conſequentia tenet, ideo, quia ſede apoſtolica vacante, ſuper Cardinales, & illum, qui de papatu contendit nullus vivens juriſdictionem aliquam, poteſtatem, ſeu præſidentiam habet.* Et infra. *Secundo, probatur nullum concilium generale poteſt congregari, ſeu fieri, niſi per Papam, vel ejus legatum ad hoc ſpecialiter ordinatam. Ergo in iſto caſu, congregatio concilii non habet locum:* Et infra. *Tertio probatur ſic. Omne concilium generale recipit conſilium a Papa & quæ ibi ſtatuuntur & declarantur ab authoritate Papæ recipiunt efficaciam; Ergo in hoc caſu non poteſt celebrari concilium. Conſequens ex ſe notum eſt, quia ubi deficit Papa: & ejus authoritas deficit. Præterea hoc apparet ex exemplis ſanctorum Patrum qui nos ab ævo præceſſerunt: nam etſi reperiantur multis vicibus fuiſſe intruſi in Apoſtolica ſede ſicut modo, non tamen reperitur quod ad declarandum ſi ille eſſet Papa, vel non, unquam fuerit concilium celebratum. Ergo non eſt hæc via modo ſuperſtitioſe invenienda.* Inventam di-

Cardinalis S. Euſtachii argutiæ contra concilium.

Argumentum ab exemplo non valet.

divino inſtinctu viſuri ſumus. Quia falſæ pariter ſunt hæ argutiæ de non congregando concilio; *quia revera non poſſet congregari. Quæro enim per quem, per eum qui prætenditur intruſus? non. Cum* & paulo infra *non ſit ſibi obediendum; ut* XXIII. *in nomine Domini. Per collegium Cardinalium? non per c. ne Romani* §. 1. *de elect. in cle. Per principes? non, quia licet prælati, qui ab eis tenent temporalia, ſuper temporalibus, & ad eos pertinentibus, poſſint vocari, de app. cum parati, & ibi; de hoc tamen inter eccleſiaſticas perſonas, & ubi de ſpiritualibus agitur, ſicut hic, nulla eſt eis authoritas attributa, quos arctat neceſſitas obſequendi.* Et infra: *Nec per patriarchas & archiepiſcopos, quia extra ſua territoria, ſubditos vocare non poſſent. De conſti. ut animarum li.* VI. *cum concor. ibi allegat. Ergo iſta via concilii ſicut numquam fuit obtenta, retroactis temporibus, ita non eſt aperienda in futurum.* At hujus impoſtoris vafricies ex conſecutis malis & decretis Conſtantien. concilii adeo patet, ut expoſuiſſe fraudes confutaſſe ſit. Ex his cuique prudenti perſpicua erit horum Cardinalium iniquitas, qui ſe Pontificis, quem ipſi crearant & coluerant, accuſatores, teſtes, & judices conſtituerint.

XLIV.
Pia Urbani pro cogenda ſynodo ſtudia.

Commendandæ vero Urbani modeſtia, & æquitas, qui admotam a perduellibus de pontificatu ſuo controverſiam dirimendam & ſchiſma imminens propulſandum ſanctiſſimorum prædeceſſorum ſuorum exempla ſecutus ſe ſubmittere voluerit œcumenicæ ſynodo, quæ a piis expetebatur, ut exciſis naſcentibus diſſidiis Chriſtianæ reip. vires ad propulſandam Turcarum tyrannidem verterentur, ut S. Catharina Senenſis cœleſti luce colluſtrata ardentiſſimis votis exoptabat: ipſa enim in diſſenſionis hujus exordiis Petrum epiſcopum Portuenſem Florentinum rogavit (*a*) ut Urbanum urgeret ad crucis ſigna in infideles attollenda, neque cunctandum propterea quia Chriſtiani veluti membra putrida a ſuo capite ſe divellant; eam namque fore optimam rationem ad filios in gremium Eccleſiæ revocandos, ac rem quantocyus mandandam operi: qua de re etiam Jacobum Urſinum Cardinalem admonuit (*b*), ita enim bella in impios avertenda, quæ pios conſumptura forent.

(*a*) *Ep.*29.

S. Catharinæ conſilium ad præcavendum ſchiſma.

(*b*) *Ep.*28.

XLV.

At Cardinales Galli, quos ſalus Eccleſiæ non movebat, cum diu Cardinales Italos ſynodum œcumenicam offerentes reſponſi certioris vana expectatione deluſiſſent, ut viri a Deo averſi Eccleſiam, quam Urbanus concilii beneficio conglutinare ſatagebat, diſcindere ſuaſore diabolo decreverunt. Inſtigatos ad flagitium ab Ambianenſi Cardinale, qui ob vitia ab Urbano correptus rabidas in eum, implacabileſque iras ſumpſerat, Bartholomæus Zabricius teſtatur (*c*), ſic inquiens: *Si Cardinalis Ambianenſis non fuiſſet, nil fuiſſet de iſtis novitatibus.* Aperit Walſinghamus (*d*) conceptarum ab eo ſceleſto viro in Chriſto vicarium irarum cauſas ſubjectis verbis: *Abierat tunc quidam e Cardinalibus, qui quondam fuerat Ambianenſis epiſcopus, juſſu venerandæ memoriæ Papæ Gregorii ſupradicti ad ſedandum quaſdam diſſenſiones apud Piſas, quæ ortæ fuerant inter Papam & cives ejuſdem urbis: qui audito de morte Papæ Gregorii & de electione nova facta tunc quidem ibidem morari decrevit, donec nova reciperet a fratribus, aut a Papa, quod & factum eſt. Sed ex poſt in brevi apicibus accitus apoſtolicis properavit ad curiam mandatis papalibus pariturus. Poſt cujus adventum cum novus Pontifex intraſſet conſiſtorium cœpit ethice tractare de multis & inter multa diſputare contra Cardd. avaritiam, qui fulvo corrupti metallo, aut excœcati pecunia plus venabantur argentum quam pacem gentium, ad quam miſſi fuerant inter regna reparanda. Ambianenſis autem amplius publice deteſtabatur & condemnabat perſidiam, imponendo ſibi cum ſæpius miſſus fuiſſet a Papa Gregorio prædeceſſore ſuo, ut quoquomodo pacem inter Angliæ & Franciæ regna firmaret & ipſe inæſtimabiles auri & argenti ſummas pro labore ſui itineris juſſu Papæ de utroque regno cepiſſet, omiſſo ſuæ legationis officio non curavit paci providere regnorum, ſed potius elaboravit, ut diſſenſiones & odia continuarentur inter Reges diutius, ut dum ipſe ſæpius deſcenderet taliter ſub umbra firmandæ concordiæ rediretque multoties infecto negotio, ſuo provideret uberius infando marſupio de male quæſita pecunia relevata, de Chriſti patrimonio ac utroque regno ſophiſtice ſpoliato. Ambianenſis vero his auditis in furore mentis erexit ſe cum indicibili faſtu, & in propatulo extento digito domino Papæ hæc verba furioſe reſpondit: Tu,* inquit, *tanquam Barenſis mentiris; & mox relicto conſiſtorio cum contumelia receſſit a conſpectu papali; quem illico ſecuti ſunt plures e Cardinalibus, qui parti ſuæ favebant, vel conſimili ſe ſcelere obligabant.* Confirmat Urbanus illum flagitii maximum authorem fuiſſe; atque ideo una cum Roberto Gebennenſi, Geraldo Majoris monaſterii, ac Petro S. Euſtachii exauthoratum, ut in judiciaria ſententia viſuri ſumus.

(*c*) *Ext. ejus depoſit. to.*4.*de ſchiſm. p.*74.

Card. Ambianenſis ſchiſmatis architectus.

(*d*) *Walſ. hiſt. Angl. hoc anno.*

Reprehenſus fuerat avaritiæ.

Male geſtæ legationes ipſi objectæ.

Ejuſdem in Urbanum inſolentia.

Præcipui conſortes ſceleris.

XLVI.
Carolus Rex & Lud. Andegaven. favent ſchiſmati.

Acceſſiſſe participes ſceleris ad Carolum Francorum Regem, qui Cardinalis Ambianenſis regebatur conſiliis, & Ludovicum Andegavenſem ducem, quem privatæ augendæ rei cupiditas urebat, ac nonnullos Cardinales Gallos etiam invitos traxiſſe ad facinus, remque ab eorumdem Cardinalium ore ſe accepiſſe Bartholomæus Zabricius juratus teſtatur (*e*): *Scio,* in-

(*e*) *To.* 4. *de ſchiſm. p.*74.



inquit, *quod dominus de Verneio & dominus de Britannia, qui mihi in Anagnia hoc dixerunt, quod timor Regis Franciæ & ducis Andegavenſis faciebant moveri animos illius de Agrifolio & Pictavienſis. Et aliquorum, qui plus diligebant fratres & nepotes, quam animas eorum; & ſcio quod ſi non timuiſſent Regem Franciæ nil innovaſſent quoquomodo: &c.* Teſtatur etiam Faventinus epiſcopus (*a*) internuntius Urbani in Caſtellæ regno, Carolum V. Gallorum Regem armorum potentiam obtuliſſe Cardinalibus ad eos in ſchiſmatis cauſa protegendos, etiamſi Anglicum bellum ea de cauſa intermiſſurus foret, ejuſdemque literas in urbe oſtenſas Caſtellanis oratoribus. Immo Cardinales ſchiſmatici palam vulgarunt, ſe ad ſchiſma a Gallo Rege incitatos fuiſſe, de quo Ravennas archiepiſcopus queſtus eſt in literis (*b*) ad eumdem Regem datis.

(*a*) *MS. Vat. ſig. n.*4927. *p.* 146.

(*b*) *Ext. to.*18. *de ſch.* 48. *p.*341.

Joan. Regina Neapol. ſchiſmati favet.

Præterea Joannam Reginam Neapolitanam fœmineo furore in Pontificem efferatam Cardinalium perduellionem foviſſe, eoſque armaſſe audacia conſentiunt hiſtorici. Ipſam quidem initio ex Urbani, utpote patria Neapolitani, electione ingentem percepiſſe lætitiam, & quadraginta millia aureorum, atque alia ampliſſima munera ad ipſum miſiſſe refert Theodoricus e Niem (*c*) (id quod antea confirmatum eſt a Tudertino epiſcopo) pariterque Othonem Brunſvicenſem ſe & ſua Urbano detuliſſe. At ipſum poſtea in Urbanum concepiſſe odia, cum minus honorifice habitus eſſet, addit auctor. Referunt vero MS. diaria (*d*) vetuſta Hectoris Pignatelli comitis, poſtea ducis Montis Leonis, mihi perhumaniter a Carolo Borello ſacræ familiæ Clericorum regularium minorum ſacerdote communicata, Othonem a Regina Joanna cum ampliſſimo virorum nobilium comitatu miſſum, exambiviſſe ut regia corona pontificia indulgentia redimiretur [1]; ſed licet honorifice ab Urbano exceptus fuiſſet, id tamen eblandiri non potuiſſe. Joannæ quoque Reginæ oratorem Nicolaum Spinellum ira ſuccenſum in Urbanum, quod ſe minus liberaliter ab eo cultum putaret, tradit Pandulphus Collenutius (*e*): *Conqueſtus,* inquit, *eſt ea de re cum quodam Cardinali & expectandam occaſionem eſſe dicebat quod binas animas in uno corpore haberet, unam quidem Deo dicatam, alteram vero cuicumque alii, qui illam vellet atque deinceps Reginam ut Urbanum odio haberet perpetuo ſtimulavit & primarius auctor atque conſiliarius fuit in Clemente novo Pontifice deligendo.* Graviſſima ob id ab Urbano, viſuri ſumus, perculſum ſententia ut maximum ſchiſmatis auctorem una cum Nicolao archiepiſcopo Cuſentino & Antonio comite Caſertano, quos ex Tudertini epiſcopi tabulis Joannæ Reginæ oratores fuiſſe diximus, qui cum gratulabundi acceſſiſſent ab initio, poſtea proditionis conſilia in Urbanum injerunt. Fuiſſe vero Reginam maximis ſuſpicionibus ab improbis ſuſurronibus in Pontificem commotam, timuiſſeque, ne is Neapolitanum regnum ipſi eriperet, oſtendunt Vaticana monumenta (*f*): traditque Summontius (*g*). Urbanum cum Neapolitano regno conſulere vellet, meditatum ex Hungaria Carolum Dyrrachinum excire, ad quem ſpectabat regni poſt Joannæ obitum ſucceſſio, ne in Othonis Brunſvicenſis Germanorumque poteſtatem redigeretur, atque ex eo Joannam implacabile odium ſuſcepiſſe. Abalienatum etiam animo ab Urbano Othonem, cum impetrare non potuiſſet, ut conſanguineus Montisferrati marchio Mariam Trinacrii ſceptri heredem uxorem duceret: atque ita horum verſa ſunt eo ſtudia una cum perduellibus Cardinalibus, ut ad blandientem ſuis voluntatibus antipapam ſuo exitio excitarent.

(*c*) *Theod. e Niem. l.*1. *c.*6.

(*d*) *Hector Pignatel. in diar. Neap. MS.*

Nicolaus Spinellus rixarum auctor.

(*e*) *Collenut. hiſt. Neapol. l.* 5.

Blaſphema ejuſdem vox.

Odiorum cauſæ.

(*f*) *To.* 2. *de ſchiſm. p.*105.

(*g*) *Summont. l.*3. *hiſt. Neapolit.*

Otho Reginæ vir ab Urban. abalienatus.

Narrat vero Hector Pignatellus (*h*), Nicolaum Spinellum e Juvenatio juriſperitum XXII. maij Reginam in ædes ſuas relaxandi animi gratia invitaſſe, inque eo convivio de Urbano deturbando inita conſilia; quæ Joannam Reginam in exitium præcipitem egerunt, mox Nicolaum duabus triremibus invectum comitem Fundorum adiiſſe, & XXIII. junii die cum

(*h*) *Hector Pignatel. ubi ſup.*

Propagatum a Joanna ſchiſma.

NOTÆ [1] EPhemerides Neapolitanas quas Hectoris Pignattelli appellat laudandas hic ſuſcipit Annaliſta earumque authoritate multa toto hoc §. narrat. Nec ſane negaverim multa ad res præſentes ſpectantia innoteſcere; Simul vero agnoſcamus oportet, multa ibi pariter extra ſuum locum per hos annos narrari, ut modicam eſſe fidem hujus operis quoad res præſentes agnoſcamus. Ac principio quidem animadvertiſſe juvat Diaria hæc integra vernaculo Neapolitanorum dialecto ſcripta a Muratorio Rer. Italic. to. XXI. vulgata fuiſſe, qui & monet Authoris eſſe, qui circa annum 1450. vixerit oculatuſque teſtis ſpectavit ea quæ literis mandavit, ut ex ipſa rerum narratione dignoſcitur. Quare Hectoris Pignattelli, qui Siciliæ pro regem agebat anno 1535. ideo appellatum fuiſſe opus cenſet, quod apud illum in MS. Codice ſervaretur. Nunc vero ad rem noſtram. Robertum Gebennenſem in Pontificem aſſumptum fuiſſe die XX. Septembris anni hujus 1378. ex iis quæ notat Annaliſta num. 56. certum eſt. Anonymus vero Neapolitanus ad Annum 1379. ſcribit anno illo, die XIX. Novembris renunciatum fuiſſe Joannæ Reginæ omnia præſto eſſe ut ad ejus nutum Pontifex eligeretur. Ea vero annuente die XXIV. Decembris ejuſdem anni Robertum Gebennenſem Petri cathedram aſcendiſſe. Quæ omnia imperite ſcribi ſatis conſtat. MANSI

cum eodem rediiſſe ad Reginam, ac de creando Fundis novo Pontifice conjuratum fuiſſe, iterumque Nicolaum ipſum & Caſertanum comitem miſſos, ut Roberto Gebennenſi & aliis Cardinalibus adeſſent; cumque Cardinales, epiſcopi, præſules, & abbates Fundos concurriſſent, Joannam Reginam conſultam fuiſſe, num Papam novum renuntiari vellet, omnia enim in eam rem comparata. Ita ad nutum Joannæ, quæ occiſi quondam viri infamia laborabat, Cardinales Romanam eccleſiam funeſto ſchiſmate laniare aggreſſi ſunt; quibus conſentanea ſcribit Gobelinus (a), dum de Joanna Regina ita loquitur: *Ut non eſt caput nequius ſuper caput colubri; ſic non eſt ira ſuper iram mulieris, breviſque omnis malitia ſuper malitiam mulieris, ipſa Regina conſilii ſceleſti ſchiſmaticorum Cardinalium conſcia facta, Robertum antipapam vicarium Chriſti verum furore pertinaci mentis affirmans, ut maritus ejus prædictus regium ſuſciperet diadema, ipſi domino Urbano ſuiſque fidelibus totis viribus ſatagebat obeſſe.*

(a) *Gobelin in Coſmodrom. ætat. 6. c. 76.*

XLVII. Conquiſiti a Cardinalibus ſchiſmaticis judiciarii fuci.

Fulti Reginæ Neapolitanæ armis Regiſque Gallorum authoritate Cardinales Galli ſchiſmatis architecti, in falſam ſpem elati, cæteros Reges facile horum nutum ſecuturos, meditatum ſcelus judiciarii ordinis fuco colorarunt ut refert Theodoricus e Niem: *Cardinales*, inquit, *in Anagnia hujuſmodi contra ipſum proceſſum inchoarunt, in quo eum Bartholomæum Barenſem in papatu intruſum nominarunt, ipſumque ad certam diem citarunt, & multa contra eum attentarunt ſub tuitione quondam Honorati comitis Fundorum, qui dictam Campaniam tunc & diu ante pro eadem Romana eccleſia gubernabat.* Idem confirmant ipſorum ſchiſmaticorum acta his verbis (b): *Demum domini Cardinales diem qua alii Cardinales*, nempe Itali, *comparere debebant, ad aliam diem prorogarunt, & eis prorogationem notificari fecerunt, & illa die prorogata in eorum miſſa cum ſolemni miſſa & ſermone publicaverunt ipſum Bartholomæum intruſum, & anathematizatum.* Tunc autem violata fuiſſe a Cardinalibus omnia jura, obſervarunt (c) ſapientiſſimi quique doctores Gallici, videbitur inferius (quamquam Carolus Rex eorum ſalubre conſilium repulit) nulla quippe reddendi judicii nemine in ſacro ſolio præſidente Cardinales poteſtate pollere: ipſos judicis & partis geſſiſſe munera apertæ fuiſſe injuſtitiæ; cum non conſtaret de violenta poſſeſſione pontificatus ab Urbano inita, quem ipſi Cardinales elegiſſe faſſi erant: de illo metu, quem finxere, cognoſcere jure non potuiſſe, ad talium judicem fuiſſe confugiendum, neque alium cenſendum idoneum, niſi concilium œcumenicum: id vero ab iis, cum ab Urbano & Italicis Cardinalibus offerretur, repudiatum vidimus. Cumularunt autem Cardinales ſchiſmatici tantum facinus inſigni alia impudentia; atque Urbano ſuaſorias literas (d) ſcripſere, ut pontificatu ad ipſorum imperium abiret, ac ni ipſorum furori pareret, atroces minas objecere, tantæ perduellionis eam prætexentes cauſam turpiſſimam, ſibi in conclavi a tumultuante populo Romanum, vel Italicum depoſcente, mentem ereptam, ut ſui compotes non eſſent, cum illum Pontificem deſignarunt: quorum mendacia tum ex dictis, tum ex inferius afferendis perſpicuis argumentis convincuntur. Inſcriptæ ſunt eæ literæ ſubjecta verborum forma: *Epiſcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales Apoſtolica ſede vacante Bartholomæo Cerdani archiepiſcopo Barenſi ſpiritum conſilii ſanioris. Exigit ſanctæ & catholicæ fidei puritas, &c.* Extant eæ apud Walſinghamum, conceptæque ſunt iiſdem fere verbis, atque aliæ encyclicæ ad Chriſtifideles dolo & nequitia refertæ.

(b) *Extant to. 16. de ſchiſm. p. 12.*

Promulgant Urbanum intruſum eſſe. Violata ab iis omnia jura.

(c) *To. 2. de ſchiſm. p. 165.*

(d) *To. 2. de ſchiſm. p. 157. & apud Vvalſing. in Richardum II.* Præferunt vim allatam.

XLVIII. Reſiſtit Urbanus.

Indigna quidem res erat, ut ad conjuratorum Cardinalium libidinem, qui moniti officii, ut luxui & vitiis ponerent modum, eccleſias titulares reficerent curarentque, proruperant in rebellionis crimen, Pontifex Eccleſiæ gubernacula abjiceret. Cedendum itaque impietati Urbanus minime cenſuit, cum eo ſpectaret rebellium livor, ut Pontificem novum fingerent, qui ipſorum lenocinaretur cupiditatibus, & ſedem Apoſtolicam magno cum ludibrio & Chriſtiani orbis offenſione Italiæque exitio Avinionem transferret. In ſuſcepto vero ſcelere ſchiſmatici obfirmati encyclicas literas (e) ad fideles, ut eos in errorem traherent, dedere, quibus confinxere creatum metu & vitio Urbanum.

(e) *To. 5. de ſch. p. 8.*

Cardd. ſchiſmaticorum literæ encyclicæ.

*Univerſis Chriſtifidelibus miſeratione divina Joannes epiſcopus Peneſtrenſis, Guillelmus tituli S. Stephani in Cælio monte, Bertrandus tit. S. Cæciliæ, Robertus baſilicæ XII. Apoſtolorum, Hugo tit. SS. Quatuor Coronatorum, Guido tit. S. Crucis in Jeruſalem, Joannes tit. S. Marcelli, Petrus S. Laurentii in Lucina, Geraldus tit. S. Clementis presbyteri, Petrus tit. S. Euſtachii, Guillelmus Sancti Angeli, Petrus S. Mariæ in via lata, Petrus S. Mariæ in Coſmedin diaconi Cardinales S. Romanæ Eccleſiæ; facientes ultra duas partes omnium Cardinalium in urbe exiſtentium tempore obitus ſanctæ memoriæ domini Gregorii Papæ XI. & eo tempore, quo ſui ſucceſſoris debuit in eadem urbe electio celebrari, Anagniæ pro nunc, quem locum ad infraſcripta omnia peragenda, tanquam idoneum, elegimus, prout nobis fuit licitum, exiſtentes, abſentibus reverendiſſimis in Chri-*





*ſto patribus dominis Petro Portuenſi epiſcopo, Franciſco tit. S. Sabinæ, Simone tit. SS. Joannis & Pauli presbyteris; & Jacobo S. Georgii ad velum aureum diacono eadem miſeratione ejuſdem S. Romanæ eccleſiæ Cardinalibus; tamen pro noſtra parte, ut propter infraſcripta vellent hic convenire una nobiſcum literatorie requiſitis, Apoſtolica ſede vacante, ſalutem & in Domino vinculum charitatis.*

Eorum hypocriſis.

*Exigit ſanctæ, ac catholicæ fidei puritas, exigit & catholici, ac Chriſtiani populi devotio ſalutaris, exigit totius ſtatus eccleſiaſtici clara profeſſio, ac ſalus animarum Chriſtifidelium ſingulorum, ut ea, quæ diſſimulata in fide maculam, ſubverſionem in Chriſticola populo, ſtatus eccleſiaſtici enervationem, ac evidentia animarum inducerent pericula, palam notificentur omnibus, annunctentur in populis, & juxta doctrinam evangelicam ſuper tecta prædicentur, ne indiſcretum ſilentium in errore derelinquat qui poterant erudiri, ac ii, ad quos ex officio pertinet, ſubjaceant reprehenſioni Dei, per prophetam dicentis: Prophetæ tui videbant tibi falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Cum igitur nuper Apoſtolica ſede vacante per obitum piæ, ac ſanctæ recordationis domini Gregorii Papæ XI. qui de menſe martii proxime præterito in urbe diem ſuum clauſit extremum, nos pro electione futuri ſummi Pontificis, ut juris & moris eſt, celebranda in conclavi ad hoc in apoſtolico palatio, in quo idem ſanctæ memoriæ dominus Gregorius obierat, deputato una cum præfatis dominis abſentibus conveniſſemus; officiales urbis cum magna multitudine populi pro magna parte armati, etiam ad campanarum pulſationem factam propter hoc congregati hoſtium more totum circumdantes ab extra & ab intus fere implentes palatium, & terrori tam vehementi minas etiam ſuperaddentes, quod niſi eligeremus, & ſine mora, Romanum vel Italicum, ſtatim interficeremur; etiam congruo ſpatio temporis in quo ſaltem de perſona deliberare poſſemus, nobis penitus ſubtracto, contra voluntatem & propoſitum noſtrum, ad eligendum Italicum ſubito, & ex abrupto, per violentiam & metum mortis coegerunt invitos.*

Depravata mendaciis rei veritas.

Hic obſervandum, eam quam appellant violentiam, non fuiſſe illatam per tela, vel enſes: ſed per inanes tantum populares clamores Romanorum, qui a Cardinalibus contempti fuere, cum Romanum, ut populus maxime ambiebat, non elegerint, ut catholicus doctor ex alio ſinceriore ſchiſmaticorum themate perpendit, ſic inquiens (a). *Non ſequitur quod iſte actus induxerit impreſſionem, quoniam illa verba prolata in loco diſtanti, ſicque proferentes nullam habebant poteſtatem juris ſive facti in dominos Cardinales in conclavi concluſos & fideliter cuſtoditos juxta formam concilii ubi majus periculum.* Subdunt Cardinales.

(a) *MS. biblioth. Vatic. ſignat. n. 4927. p. 19.*

XLIX.

*Propter quod ad evitandum mortis duntaxat periculum, quod in rumore populi tam furentis nobis proculdubio imminebat, alias non facturis, ut etiam tunc palam inter nos diximus, Bartholomæum tunc Barenſem archiepiſc. in Papam duximus eligendum; exiſtimantes ipſum, cui tam nefanda impreſſio, ſicuti & pene toti clero & populo nota erat, talis eſſe conſcientiæ, quod eam nullatenus acceptaret: At ipſe propriæ ſalutis immemor, omni pura conſcientia procul pulſa, ambitionis alias inauditæ ardore maximo inflammatus, præſentatione electionis hujuſmodi ab illis ex nobis qui in urbe remanſerant etiam per officialium & populi diverſas minas, & ſuas importunas requiſitiones extorta, contra canonicas ſanctiones, in ſcandalum maximum cleri & populi chriſtiani, ac exempli perniciem, electioni hujuſmodi, licet nulla & invalida ipſo jure conſenſit.* (Ad hæc exclamat Joannes e Monteſono b): *Et ubi*, rogo, *eſt iſtud jus, quod invalidat & annullat electionem hujuſmodi, ſcilicet factam per Cardinales ſecundum formam capituli licet?* Et infra: *Et cum dicunt quod electioni hujuſmodi præſentatæ ſibi dictus Bartholomæus conſenſit. Habes conſenſus utriuſque partis ad invicem concurrentes, electorum ſcilicet & electi, ex quibus cauſatur & perficitur verum matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam & Papam.* Pergunt Cardinalium Literæ.

Crimen in ipſum transferunt.

(b) *Joann. e Monteſon. in correptorio contra epiſt. fundamenti.*

L.

*Nec non metu & ipſius metus cauſa adhuc proculdubio perdurantibus in urbe ipſa, inthronizatus & coronatus de facto Papam & apoſtolicum ſe nominavit qui a ſanctis patribus, & jure communi apoſtaticus, anathematizatus antichriſtus, & totius Chriſtianitatis illuſor, ac deſtructor potius, & merito nominatur, nempe cum iſta ſua tam nefaria intruſio in papatu jam ſit ſic divulgata per orbem, veluti tam notoria, quod jam alicubi cælari non poteſt, cum eo tempore, ſcilicet ante paſcha, facta fuerit, quando de univerſis partibus Chriſtianitatis major adeſt in urbe populi multitudo.* Conſtitit omnino contrarium, nullam ſcilicet vim Cardinalibus, ad coronandum Urbanum inferri potuiſſe, cum illi metu populi, quod Romanum non creaſſent, & creatio Cardinalis S. Petri mimica fuiſſet, in arcem S. Angeli ſe recepiſſent; quod in alio themate (c) cum doctoris catholici annotatiunculis perſpectum eſt his verbis: *Sequitur in themate quod electus miſit pro Cardinalibus, qui erant in caſtro S. Angeli, & in loco libero & tuto, ſpontanee exiverunt & coronaverunt. Hic expreſſe declaratur expreſſio liberi & ſpontanei conſenſus eorum Cardinalium, qui erant in caſtro S. Angeli, & erant in caſtro libero & in*

Eorum blaſphema figmenta.

(c) *MS. bibl. Vat. n. 4927.*

*loco tuto, quoniam caſtrum illud contrarium erat Romanis a principio.* Poſt impudentiſſima ſuperiora mendacia Cardinales Galli aliud mendacium, quod a diabolo mendaciorum patre didicerant, adjunxere, ſe defeciſſe ſcilicet ab Urbano, ne reſpublica Chriſtiana in exitii diſcrimen adduceretur, cum ipſi conflato ſchiſmate eam in exitium traxerint, ut multorum annorum curſu lugendum erit.

Impudentia.

*Quoniam quod errores quamplurimi pullulare incipiunt & fidelium Chriſtianorum conſcientiæ illaqueari, ipſeque diutius expectatus, ac in ſecreto charitative admonitus, immemor ſalutis propriæ ſecum in præcipitium cupiens trahere clerum & populum univerſum, ad cor redire non curat, ſed inanem & tranſitoriam mundi gloriam, ſaluti propriæ animæ, & cunctorum Chriſti fidelium anteponens, animo obſtinato ſatagit, totam Chriſtianitatem ſcandalizando, ipſum papatum tyrannice occupare, qui per oſtium non intravit; nos non valentes præmiſſa, ſalvis conſcientiis amplius ſub diſſimulatione tranſire, ad veſtram omnium Chriſti fidelium notitiam præmiſſa omnia, licet ipſa tam ſibi quam pene toti clero, & populo exiſtant notoria, deducentes ipſum anathematizatum, ac tamquam intruſum in papatu nulla electione canonica præcedente, totius Chriſtianitatis invaſorem, qui caput ipſius ſanctæ Chriſtianitatis invadere non formidat, deſtructoremque, qui ita ſub ſua occupatione tyrannica efficere ſatagit, ut fere ſacramenta deficiant, & ut Chriſticola populus vero paſtore carens per abrupta ducatur in devium, publicamus, & etiam denunciamus, vos & veſtrum ſingulos nihilominus ſolemniter & publice ſerie præſentium exhortantes, & obſecrantes per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, ut de cætero eidem ſceleſto viro, qui Dei Eccleſiam & ſponſam non erubuit invadere, nolitis aliqualiter adhærere, nec ejus factis, mandatis, monitionibus, atque dictis, quæ omni ſunt falſa ſimulatione imbuta, aliqualiter obedire, cum jam eumdem per alias noſtras patentes literas duxerimus exhortandum, & etiam per præſentes exhortemur, & obſecremus etiam per eadem viſcera, ut de fine cogitans, ad quem jam ipſum trahit plenitudo dierum, ad Deum & puram conſcientiam dirigat aciem mentis ſuæ, ipſamque beati Petri ſedem ſanctiſſimam, quam ſine canonico titulo occupat, liberam & vacuam omnino dimittat; inſignia deponat papalia, ac ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium papatus & Romanæ Eccleſiæ abſtineat indilate, & alias Deo & Eccleſiæ ſanctæ ſuæ per fructus veræ pœnitentiæ ſatisfacere ſtudeat juxta poſſe, quod ſi fecerit, gratiam Dei, gloriam mundi, ac laudes cleri, & populi univerſi, ac acerbarum pœnarum per jura communia ſibi impoſitarum & imponendarum remiſſionem, cum miſericordioſa indulgentia merebitur obtinere: alias indignationem Dei omnipotentis, ac beatiſſimorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctorumque omnium non immerito incurſurus; noſque divinum & humanum auxilium, cum Chriſti ſponſa & omnium Chriſtianorum communis mater per ipſum proculdubio violetur, invocabimus, aliiſque utemur remediis per canonicas ſanctiones conceſſis, abinde inantea nullam ſpem de miſericordia habiturus. Dat. Anagniæ Rectoratus provinciarum Campaniæ & Maritimæ, quem locum propter probitatem ac fidelitatem conſtantiſſimam magnifici viri Honorati Gaitani comitis Fundorum, ac dictarum provinciarum rectoris ſingularem devotionem, quam ad Romanam eccleſiam & fidem catholicam, ac ad nos gerere comprobatur, tanquam magis ſecurum, & idoneum, nobis ad præmiſſa omnia peragenda duximus eligendum,* rebellarat is in Urbanum, quod Thomæ e Sancto Severino adverſario gubernacula provinciæ tradere juſſus eſſet (a), *anno a nativitate domini MCCCLXXVIII. die nona auguſti primæ indictionis, ſub propriis noſtris ſigillis pendentibus, dicta apoſtolica ſede vacante.*

Scelus pietatis ſpecie coloratum.

Fere in hæreſim labuntur.

Sibi non pontifici parere jubent.

Arrogant ſibi in eum tyrannidem.

Deteſtanda eorumdem conſilia.

(a) To. 2. de ſchiſm. p. 109.

Tantam ſchiſmaticorum impudentiam confundit hoc argumento vir catholicus (b) Neapolitanus ordinis Prædicatorum: *Vos dixiſtis tam verbo quam opere: Hic eſt Pontifex; non ergo ipſe ſe finxit, ſed vos ipſum finxiſtis. Dicitote ergo qua pœna digni eſtis, qui ſic omnes Chriſticolas deluſiſtis, ut idolum in Eccleſia poneretis, ipſumque adorare faceretis, ac vos cum cæteris adoraretis ſimul: niſi proprius amor & acceptio perſonarum veſtrarum pervertat lineam recti judicii videbitis juxta priorem ſententiam ſuper alio promulgatam, vos magis meruiſſe mortem quam ille: Dum ergo voluiſtis fugere charybdim rebellionis & contumaciæ, in quam notum eſt vos incidere, ſi Pontifex verus eſt iſte, incidiſtis in ſcyllam fictionis, deceptionis, infidelitatis, & idololatriæ, negando ipſum eſſe Pontificem: prius agebatur de moribus, nunc de fide catholica diſputatur, quid dicitis, &c.* Fuere porro ſuperiores Cardinalium literæ pernicioſi & funeſti ſchiſmatis fundamina, quæ Joannes e Monteſono ordinis S. Dominici decennio poſt convicit erudito commentario, quem correptorium contra epiſtolam fundamenti ſchiſmatis inſcripſit.

(b) To. 7. de ſchiſ. p. 211.

Confutata inſolentia.

Confutatæ hæ lit.

LI.

Angli Gallorum ſchiſma execrati.

Cum fallaces ſuperiores literas a Gallis Cardinalibus accepiſſent Angli, indignabundi ad tantum flagitium, Urbani cauſam tuendam ſuſceperunt, ac perduellibus hæc inter alia conſtantiſſime reſpondere. (Referuntur eorum literæ (c) a Thoma Walſinghamo.) *Servi nequam ex ore veſtro judicandi, modum electionis ſummi Pontificis nuper celebratæ nobis per literas veſtras declaraſtis dicentes, quod conclave veſtrum vallavit armatorum indomita multitudo, minas vobis facientes terribiles & letales niſi eligeretis Italicum, vel Romanum, nullam tamen certam vobis limitando perſonam, ad quam compellerent eligendam. Manifeſtum eſt igitur quod perſonam, quam vos conceditis elegiſſe libere & non coacte: & ſic quantum ad perſonam a vobis tunc electam tenemus firmiter & tenebimus ipſam electionem eſſe & fuiſſe rite & canonice celebratam.* Ardebant pio ſtudio Angli in Eccleſiæ proditores, cum perſpicuis demonſtrationibus apud ipſos conſtaret de juſto Urbani pontificatu, decerptis ex ipſis ſchiſmaticorum teſtimoniis, quas ex eorundem ſchiſmaticorum monumentis (a) afferimus.

(c) Vvalſing. hiſt. Anglic. in Richard. hoc ann.





(a) Tom. 1. de ſchiſ. p. 32.

*Rationes Anglicorum, &c.*

Ejus electio libera oſtenditur.

*I. Ratio. Romani non arctabant dominos Cardinales, ad aliquam perſonam ſingularem, ſed ſolum petebant, quod erat conſonum rationi, videlicet quod eligeretur Romanus, vel Italicus. Igitur quantum ad perſonam eligendam domini Cardinales erant omnes liberi. Cum igitur elegerunt Bartholomæum Barenſem, quem non petebant Romani, apparet quod libere elegerunt eum. Igitur ipſe eſt Papa. In forma arguitur ſic: Nullam perſonam per Romanos eligere cogebantur Cardinales, quia nullum petiverunt: Bartholomæum Barenſem elegerant Cardinales: Ergo libere eum elegerunt: & nullo modo ad eligendum eum coacti ſunt per Romanos, & per conſequens videtur quod ipſe Bartholomæus Barenſis eſt Papa. Confirmatur per illud Numeri ultimo, ubi lege divina ſancitum eſt, & hæc lex ſuper filiabus Solphoat a Domino promulgata eſt: Nubant quibus volunt, tantum ſuæ tribus hominibus. Sane filiæ Solphoat ad certam tribum ex hac lege arctabantur, & tamen ab initio voluit Deus matrimonium eſſe liberum. Confirmatur in propoſito, licet domini Cardinales arctabantur per Romanos ad nationem certam, erat tamen eorum electio libera quoad perſonam.*

Rogatus ipſe ut electionem admitteret.

*II. Ratio. Præterea dominus Bartholomæus renuit cum magna & maxima inſtantia Papatum ſuſcipere, & tandem ad magnum rogatum Cardinalium ſuſcepit. Cum igitur rogaverint eum ſuſcipere, non eum elegerunt invito. Ergo libere. Igitur ipſe eſt Papa.*

Delectus ante Cardin. ingreſſum in concl.

*III. Ratio. Præterea ex relatione archiepiſcoporum, epiſcoporum, & magiſtrorum in Theologia, & aliorum doctorum, qui eo tempore fuerunt præſentes in curia, habent Anglici quod domini Cardinales, antequam intraverunt conclave, nominaverunt eum in Papam ex unanimi conſenſu, cum in nullum Cardinalium potuerant concordare.*



Electio ter repetita ne controverteretur.

*IV. Ratio. Et poſtquam intraverunt conclave, antequam exirent, fecerunt ſuper eum ternam electionem, quatenus ſine ſcrupulo pateret electio. Igitur videtur quod ſua electio in Papam fuit mere libera.*

*V. Ratio. Præterea libere coronaverunt eum quod patet per hoc, quod Cardinales, qui erant extra urbem redierunt ad coronationem ſuam.*

Pontificale munus exercenti adfuerant.

*VI. Ratio. Præterea quia domini Cardinales ſteterunt pacifice cum eo per plures menſes, & ſuſceperunt ab eo communionem ſacram: inſuper beneficia, & gratias pro ſe & ſuis petierunt: & non eſt veriſimile quod hoc feciſſent ſi non ſciviſſent eum eſſe Papam. Igitur videtur quod ipſe eſt Papa.*

Scripſerant pro eo literas.

*VII. Ratio. Præterea Romani non arctabant dominos Cardinales literas commendatorias ſcribere pro ipſo Bartholomæo. Quod igitur domini Cardinales ſcripſerunt principibus & proceribus aſſerentes eum eſſe Papam, & extollentes literis ſuis, libere fecerunt. Igitur videtur quod ſit verum, eum eſſe Papam.*

Dilemma inſolubile quod ſint indigni fide.

*VIII. Ratio. Præterea domini Cardinales pro nullo contra Deum debent decipere Eccleſiam ſanctam Dei: nunc domini Cardinales ſciverunt Bartholomæum eſſe Papam, vel ſciverunt eum non eſſe Papam. Si primum, habetur propoſitum. Si ſecundum, igitur deceperunt totam Eccleſiam ſanctam Dei. Igitur de cætero non eſt credendum eis. Patet conſequentia, eo quod non eſt metus cogens conſtantem virum ad peccandum mortaliter, ſed decipere Eccleſiam ſanctam Dei eſt peccatum mortale, &c.* Hic vero obſervandum ea infamia ſe contaminaſſe ſchiſmaticos Cardinales, ut teſte Joanne e Marenaſio archidiacono montis Peſſulani ſchiſmatico (b) non perhorruerint dicere antequam permitterent ſe interfici facerent diabolum Papam, quæ ſcelerate jactabant ut metu ad electionem Italici ſe coactos perſuaderent.

(b) To. 3. de ſchiſm. p. 7.

Deteſtanda eorum impietas.

*IX. Ratio. Præterea ſummus Pœnitentiarius ſigillavit literas tribunalis cum ſigillo ſuo ſub titulo tali. Dat. Romæ anno primo Urbani VI. Igitur teſtimonium perhibuit authoritate qua magis potuit, quod erat Papa.*

*X. Ratio. Præterea unanimi aſſenſu ſcripſerunt domini Cardinales electores ad parlamentum Regis Angliæ, quod elegerunt Bartholomæum Barenſem, ſcribentes: Elegimus Barth. Baren. metu tamen. Ergo elegerunt eum. Cum igitur metus iſte non vitiet electionem, tum quia non erat eis metus incuſſus pro perſona illa, quia Romani non petebant eum, tum etiam quia metu nullus poteſt cogi ad eligendum, eo quod electio liberi arbitrii eſt actus, quod cogi non poteſt per hominem: tum etiam quia antequam incuteretur eis metus nominaverunt eum eligendum.*

Ante incuſſum metum elegerant.

*XI. Ratio. Præterea Romani non petebant*

*quod Cardinales ſigillis propriis & publicis inſtrumentis affirmarent ipſum Bartholomæum Barenſem eſſe Papam. Igitur videtur quod domini Cardinales hoc libere fecerunt, ſi ſic fecerunt. Igitur iſtis teſtimoniis debent Anglici credere ipſum eſſe Papam.*

XII. *Ratio. Præterea in canone habetur: Si quis pecunia vel militari vel populari tumultu electus fuerit in ſummum Pontificem ſine unanimi conſenſu clericorum, &c. Igitur ſi ſit unanimis conſenſus valet electio, licet adſit militaris ſeu popularis tumultus. Patet hoc per exemplum de Gregorio V. qui ad inſtantiam Imperatoris in Papam eſt electus & pro Papa habebatur. Conformiter dicitur de iſto Bartholomæo, quod licet fuerit in electione ſua popularis tumultus, fuit tamen in eum concors aſſenſus Cardinalium.* ( His demonſtrationibus aliæ rationes probabiles adjunctæ ſunt. )

Non electus vi.

XIII. *Ratio. Præterea revelatum eſt cuidam ſancto eremitæ de Anglia, qui manet in loco, ubi incepit ordo fratrum Eremitarum de S. Auguſtino, quod Bartholomæus Barenſis debet recipi pro Papa. Quemadmodum dicitur quod ſcripſit ad Angliam tres literas Spiritu Sancto cogente ipſum, unam pro regimine regni, aliam pro reformatione ordinis ſui, & tertiam in qua narrat, quod ipſo celebrante oſtenſum eſt ſibi in hoſtia ſacroſancta Bartholomæum Barenſem eſſe verum Papam. Et in illa litera hortatur omnes, ad quos ſuæ literæ pervenerint quod dictum Bartholomæum Barenſem omni ambiguitate poſtpoſita teneant Papam ſicuti eſt ſibi [ ut dicit ] divinitus revelatum.*

Oſtenſum divinitus pio ſacerdoti Urbanum eſſe Papam.

XIV. *Ratio. Cæterum plebs communis dicit: Nos debemus credere quemadmodum prælati noſtri epiſcopi & archiepiſcopi nos informant, & cæteri magiſtri noſtri & doctores. Sed archiepiſcopi, epiſcopi, magiſtri in theologia & doctores ſacri canonis nos informant, quod tenemur ſub pœna excommunicationis majoris, & ſub privationis pœna omnium bonorum noſtrorum tam ſpiritualium quam temporalium credere Bartholomæum Barenſem eſſe Papam. Igitur tenemus eum Papam. Item iſte Bart. Baren. primo fuit electus. Ergo ipſe eſt Papa.*

XV. *Ratio. Sed & dicitur quod & triplici de cauſa domini Cardinales receſſerunt a B. B. poſt quam legitime approbaverunt eum Papam, una cauſa fuit, quia volebat juſte manutenere Regem Angliæ & cauſam ſuam, & noluit injuſtum favorem præſtare Regi Franciæ contra eum. Secunda fuit, quia volebat quod unuſquiſque dominorum Cardinalium reformaret titulum Cardinalatus ſui in Roma. Tertia cauſa fuit, quia arctabat eos ne nimis pompoſe incederent, & ne diſſolute, irreligioſe, prodigioſe, & contra regulam fidei viverent, ut ſolebant. Iis igitur moti domini Cardinales ſe a tanta ſanctitate, & juſtitia ſubtraxerunt.*

Triplex cauſa defectionis Cardd.

XVI. *Ratio. Præterea, dicitur communiter a quam pluribus quod Clemens antipapa eſt homo ſanguinis, eo quod plures mandavit interfici, & fuit dux exercitus bellatorum. Et ex iis ergo videtur quod non debebat eligi in Papam, in cujus ſignum in Paralipomenon* XXII. *capit. dicitur, quod factus ſit ſermo Domini ad David dicens; Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuſo ſanguine.*

LII. Pars orbis maxima adhæret Urbano.

Pari pio ardore maxima orbis Chriſtiani pars ſchiſmaticorum Cardinalium impietatem execrata eſt, Florentinorumque nomine Collutius Pierius Florentinæ reipublicæ ſcrinii præfectus dum antipapa creabatur, perduellium impoſturas detexit, Urbanique veri Pontificis aſſeruit dignitatem: electum ſcilicet & pontificia corona a Cardinalibus redimitum colendum ut Pontificem, donec judiciaria ſententia exauthoretur, Cardinales vero non idoneos eſſe judices, cum ſint actores: ſecundam electionem irritam, niſi prima reſcindatur: inanes eſſe metus confictì prætextus, pluribuſque argumentis refelli, neque ad futilis aſſertionis vocem, evertendum Eccleſiæ ordinem: moliri Gallos Cardinales motam controverſiam non Eccleſiæ judicio, ſed Britonum ferro dirimere: non ferendam eorum audaciam in arrogando ſibi in Pontificem judicio. Quod ad concilium œcumenicum ſpectat; non eſſe eligentium de electione cognoſcere: ſi præfidunt cauſæ, cur judicium ſynodi exhorreſcant? inſoleſcere nimium in pontificatu hereditario ſuæ nationi aſciſcendo: eligendum ex omnibus nationibus Pontificem, qui imperet omnibus: non ſpernendam nationem Italam, quæ plures quam Gallia Pontifices nacta eſt. Utinam illi Gallicum delegiſſent, quandoquidem ei ex univerſa Italia cervices pias, ut antea fecerat, ſubmiſiſſet: non confundendam tanto ſchiſmate Eccleſiam, innumeraque tandem mala ab iis invectum iri expoſuit (*a*) hiſce verbis.

(*a*) *To.* I. *de ſchiſm. p.* 208.

*Cardinalibus ultramontanis cuncta fidelium multitudo.*

*Ex quo per vos, ut ſcribitis, & alios patres Cardinales electus* ( nempe Chriſti vicarius ) *extitit aſſumptus, coronatus, ac ornamentis pontificalibus redimitus in conſpectu innumerabilis populi Chriſtiani, & aliquandiu tanquam verus Pontifex habitus per vos etiam & tractatus, donec fuerit aliter legitime declaratum, Chriſti vicarium oportet credere & Chriſti vicarium convenit appellare; nec eſt veſtrum, patres reverendiſſimi, tantas inter vos diſcernere lites: vos quidem cardines, quos ſic percepimus reputari, & illum ſummum Pontificem quem pro tali gerere ſe videmus & a vobis ipſis audimus honorari, non in alicujus hujus humani affectus paſſione, ſed in ſimplicitate cordis & puritate fidei convenit, niſi contrarium appareat, confiteri: non enim ſi contra diœceſanum quempiam de epiſcopatu judicium inferretur, liceret ſubditis, niſi prius diſcuſſo jure, re dubia per ſententiam declarata, etiam quidquid fama dictaret, quidquid major ſentiret auctoritas, ut non epiſcopum reputare temerarium ac nimis eſſet in tanta re aſſenſu privato ferre ſententiam:* Et infra.

Non deiici potuit niſi per Concilium.

Non idonei judices Cardinales.



Secunda electio nulla eſt ſi prima juridice non fuit reſciſſa.

LIII. Refelluntur objecta a ſchiſmaticis.

*Audite patres reverendiſſimi: cogitate hæc, quæ tam tenaciter affirmatis aliter a plurimis accipi, immo a nonnullis in communi prædicari. Sunt qui dicunt; ante illum impetum Romani populi vos in præfatum archiepiſcopum conſenſiſſe: ſunt qui conſtanter affirmant, quod & ſatis proprium eſt Romanorum, Romanum non alias Italicum poſtulaſſe, & ut in hoc paſſu aliquantulum immoremur, nonne credibilius eſt Romanum voluiſſe Romanos, quam de Italico in genere, qui Romanis inviſus eſſe poterat? & hujuſmodi opinionis eſt maximum argumentum, quod poſt ſecretum conſenſum habitum de archiepiſcopo ad Romanorum impetum evitandum dominum S. Petri pontificalibus exornaſtis: quæ ſimulatio profecto facta non fuiſſet, ſi ut ſcribitis poſtulaſſet Italicum vel Romanum, ſatis enim erat ad periculum evitandum electum veſtrum oſtendere, & ſic motum furentis populi tranquillare: mox autem, patres optimi, ſicut cuncti, qui tunc in urbe fuerunt, aſſerunt & teſtantur pene omnes, vos dum Romanus populus crederet dominum S. Petri legitimum fore paſtorem in ejuſdem ſicut Lateranenſis epiſcopi veneratione verſaretur, ne vos metuiſſe, ſicut aſſeritis, omnino urgeremus receſſiſtis ab urbe in oppida vicina, in quibus nullo tenebamini metu nulliſque minis vel Romanus populus inſultabat, nec ſi voluiſſet poterat inſultare: demum autem publicata electione per vos facta, & prædicatione domini S. Petri, omni ſedato tumultu ad urbem celebraturi ſolemnitatem debitam de eodem Pontifice rediviſtis.* ( Pluribuſque interjectis verbis. ) *Quis conſentiat tot vobis in momento conſilia ſuccurriſſe, ut unum ex vobis ad tollendum Romanorum impetum & tumultum pontificalibus ornamentis & alium eligeretis hac ſpe, quod per conſcientiam electioni de ſe factæ nullatenus conſentiret?* Et infra. *Quomodo enim ob metum tam terribilem elegiſtis, quem vobis opitulaturum fore nullatenus videbatis. Id profecto per metum proceſſiſſe creditur, per quod metuens ab imminenti periculo liberatur; fruſtra quidem per formidinem extortum dicitur quod ad ſecuritatem non pertinuiſſe probetur; in metu quidem, non propter metum factum fuiſſe poſſemus dicere quod trepidantem a metu non potuit liberare: At ſi ad formidinis remedium hoc factum eſt & ſolummodo propter metum cur non in illo fremitus popularis periculo hanc meticuloſam electionem ut opprimeretur furor imminens publicaſtis: manifeſtum quidem etiam eſt vobis teſtibus, qui occultantes & tacentes de electione prælibata remedium aliud paraviſtis ſine formidine Pontificem elegiſſe, quem non eſtis veriti poſtea ſine metu celebratis coronationis ſolemnibus confirmare, & illud ob metum patet vos ſimpliciter providiſſe, quod placuit ad ſedandum tumultum populi.* ( Et paucis interjectis. )

Cardin. S. Petri ornatus infulis ex metu.

Extra urbem ſine metu agebant.

In metu electus Urbanus, ſed non ex metu.

Timuere promulgare electionem.

*Iſtum quem veſtris manibus Pontificem plaſmaviſtis intruſum & apoſtaticum dicitis, atque antichriſtum veſtris in literis appellatis, qui ſi intruſus eſt, quis vos non dicat improbos intruſores? Si antichriſtus, nonne vos eumdem contra Chriſtum veſtris ſuffragiis ſtatuiſtis? ridiculum autem eſt impudenter deteſtando reprehendere, quod vos feciſſe non poſſitis in oculis hominum denegare.* Et infra: *Advertite an ad tantum & tale inceptum, quantum eſt hoc iſta metus aſſertio de jure ſufficiat, & ex ea opinioni cunctorum fidelium ſatisfiat, & eo maxime, quia non videmini tantum cauſæ veſtræ confidere, quod hoc non poteritis cum veſtris Britonibus marte judice diſceptare. Quid facitis, patres reverendiſſimi? videbitne populus Chriſtianus tantam abominationem in veſtris manibus, quod de capite ſuæ Eccleſiæ & apoſtolico pontificatu a ſucceſſione Petri & vicariatu domini noſtri Jeſu Chriſti, qui apud mortales eſt tanti culminis & reverentiæ intra ſpiritualia, & ultra quam ſupra ſpiritualia non judicialiter, ſed ferro judice dirimatur? Scitiſne quales ſint in ore fidelium de hujuſmodi contentione rumores? Dicunt plurimi contra Chriſtum deteſtabile bellum Apoſtolos indixiſſe, & de pontificatus apice non in maturitate & ſanctitate judicii, ſed in belli turbine & ferri violentia judicari.* Pluribuſque interjectis.

Impudentia Cardd. ſchiſmaticorum.

Non ferro, ſed judicio dirimenda lis.

LIV.

*Quanto ſanctius fuiſſet, quantoque perfectius primum illum meticuloſum aſſertum ſi metus tamen impreſſionis fuit & novo & libero confirmare conſenſu, quam in hoc certamen & diſſidium perveniſſe! Clericalis quidem perfectionis eſt bella tollere, lites extinguere, pacemque & concordiam ſeminare: vos autem in hac pontificatus contentione quantum bellum, quantamque diſcordiam excitatis cogitate. Denique ſi cauſæ veſtræ confiditis, cur audientiam generalis concilii evitatis? Conciliaris eſt proculdubio iſta diſſenſio non marte, nec alio judicio citra concilium dirimenda. Qua autem fronte ad arma recurritis, & oblatum concilii judicium devitatis? Quis non videt, vos non verum Papam quærere, ſed ſolum Pontificem natione Gallicum exoptare? Utinam a principio veſtrum ſtatim collegium aliquem Gallicum elegiſſet: non fuiſſet iſta contentio, etiam tacente tota Italia in ſede Pe-*

Cur ſynodi judicium exhorreſcunt.

Cur non delegere Gallum.

Hæreditarium pontificatum ſibi arrogant.

*Petri ſederet electus* : Et infra : *Nec ipſa urbs Roma ad injuriam reputaret, ſi in Romanum Pontificem fuiſſet Gallicus ſublimatus. Unde autem tanta inſolentia, quod apoſtolatus apicem quaſi veſtri ſanguinis hereditarium & nationi veſtræ debitum uſurpatis? Bene apud majores & ſanctiſſime receptum eſt, ut de cunctis mundi partibus ſine differentia Judæi vel Græci, Romani vel barbari Chriſti vicarius ſumeretur* : Et infra.

LV. Creatus antipapa dum hæc ſcribuntur.

*Dum hæc ſcriberemus deteſtabilis fama, immo infamis infamia, deinde nuntius certior advolavit, vos unum ex vobis dominum videlicet Gebennenſem in Papam, immo in antipapam & in antichriſtum elegiſſe : in qua re quam vehementer fuerint proſtrata corda fidelium, dicere non poſſumus.* Qua fraude uſi ſint Cardinales Galli, ut tres Italos Cardinales ad ſuos cœtus, in quibus renuntiandus erat antipapa attraherent, refert Theodoricus e Niem (a) ſic inquiens : *Cardinales ultramontani tunc in civitate Fundana in ipſa campania ſub defenſione dicti comitis,* nempe Gajetani Eccleſiæ perduellis, *congregati ad ipſos tres Italicos Cardinales, ſcilicet Petrum, Jacobum, & * Joannem, qui tunc erant ſimul in quodam caſtro dicti domini Cardinalis Jacobi, deſtinarunt oratores ſuos, ſcribentes cuilibet ſeorſum literas, in quibus quemlibet ipſorum intelligere fecerunt, quod ſi veniret ad ipſos, ſummus Pontifex crearetur ; ſed quod illud ſecrete quilibet eorum teneret, etiam dictæ literæ innuerunt, ſcientes dictos Italicos ambitionis vitio laborare, ſimulque ipſos ſic de levi attrahere poſſe. Unde prædicti tres Cardinales Italici ad dictam civitatem Fundanam ſublato moræ diſpendio venientes ad confratres ſuos tunc ad faciendum ſchiſma in univerſali Eccleſia realiter, nec non ad eligendum alium Pontificem congregatos inſimul acceſſerunt, & prædictum Rupertum dicti Cardinales ultramontani eiſdem Cardinalibus Italicis tunc præſentibus elegerunt, prout in hoc prius in eorumdem Cardinalium Italicorum abſentia mutuo concordarunt, ſcientes eum eſſe ambitioſum & pluribus indigentem, ac ſumptuoſum, largæ conſcientiæ, ſed genere nobilem, multis etiam conſanguineis & affinibus nobilibus & potentibus conſtipatum : unde poteſt elici quod illa electio a Spiritu Sancto & puris conſcientiis non proceſſit. Videntes autem dicti Cardinales Italici ſe taliter deluſos, indignanter a dicta civitate receſſerunt, ad ipſum caſtrum, unde illic venerant redeuntes, in quo tamdiu ex tunc ſimul ſteterunt, donec ipſe Jacobus Cardinalis in eodem caſtro poſtea infra pauca tempora decederet.*

(a) *Theodoricus e Niem. c. 9.*

* *Simonem*

Spe inani illecti Cardd. Itali.

Præſentibus iis delectus Gebennenſis.

Ejus mores & genus.

Cardd. Italorum confuſio.

(b) *S. Cath. ep. 31.*

S. Catharin. Senen. ad eos piæ literæ.

Extant S. Catharinæ literæ (*b*) ad tres ipſos Cardinales Italos, quibus eos arguit ab Urbano deſciviſſe, orbatoſque vita veluti membra abſciſſa a ſuo capite, hortaturque ad rerum humanarum contemptum & divinarum amorem : redarguendos præ cæteris in extremo judicio, quos Deus e luto ad dignitatem omnium auguſtiſſimam, ut cruoris immaculati agni miniſtri eſſent, extulit: educatos in Eccleſiæ gremio, veluti flores in horto conſitos, ut virtutum odorem diffundant : veluti columnas collocatos ad vicarium Chriſti confirmandum, & Eccleſiam ſuſtentandam : veluti faces candelabro impoſitos, ut fideles ac barbaros luce colluſtrent : a tanto vero officio deſerta virtute, eos deflexiſſe : concitaſſe una cum aliis perſecutionem in ſponſam Chriſti eo maxime tempore, quo ſe veluti firmiſſimos clypeos ad retundendos hæreſeos ictus opponere debuiſſent ; certiſſime noſſe Urbanum canonice non metu, inſtinctu divino, non humana induſtria creatum Pontificem, remque ut erat vulgaſſe ; nunc autem ut pavidos equites tergum vertiſſe, atque ad umbram inhorruiſſe : ad id vero amoris proprii veneno impulſos, columnis in paleas debiles defeciſſe : non flores amplius fore qui odorem fundant, ſed fœtorem qui orbem inficiant : non lucernas ad fidei dilatandum ſplendorem candelabro impoſitas, ſed modio ſuperbiæ occultatas : non amplificatores, ſed contaminatores fidei factos : non radios, ſed tenebras offundere : ex angelis in dœmones converſos, ac pios a vicarii Chriſti in terris obſequio ad ſervitutem antichriſti & membri diaboli, nimirum antipapæ, traducere : fruſtra jactare electum terrore Urbanum, cum patuerit omnium ſenſibus non illum, ſed Cardinalem S. Petri metu & ſimulatione renuntiatum. Si jactent, ipſos, qui electionem celebrarunt, magis quam cæteros veritatis conſcios eſſe, retundi eorum dicta hoc reſponſo: multis modis ipſos veritatem prodidiſſe : non probam adeo vitam ducere quæ dictis fidem conciliet: nunquam adeo metu perturbatos, quam cum Cardinalem S. Petri in papali ſede locarunt : conſtare ipſorum dictis rite creatum Urbanum, hunc ſolemni pompa pontificio ornatu decoraſſe, huic cultum & obſequia pontificibus ſacra impendiſſe, ab hoc ſacerdotia & honores popoſciſſe : mendacii & idololatriæ infamiam ſibi ipſis aſpergere, ſi Urbanum Pontificem negent, quem papalibus honoribus ſunt proſecuti: immane vero patraſſe facinus, cum externa ſaltem ſpecie execrandum conventiculum agere non puduit, cum induti humana carne dœmones antipapam dœmonis gerentem vices elegerunt ; quamvis ſe excuſent illum non elegiſſe: prius tamen fuiſſe morti occumbendum, quam flagitio intereſſe: electum jam membrum diaboli, ac ſi membra Chriſti ipſi Cardinales Itali extitiſſent ab iis mortem tanto ſceleri præferendam fuiſſe : abreptos tumore ſuperbiæ non modo factis, ſed

Objurgantur ignaviæ & ſuperbiæ.

S. Catharinæ de Cardd. ſchiſmaticis ſententia.

ne



ne verbo quidem reprehenſionem tuliſſe, antequam Chriſti vicarius ipſos redargueret. Tum eoſdem adhortatur, ut faſtu poſito ſe præpotenti manu Dei ſubjiciant : redeant ad Chriſti vicarium : divinam agnoſcant clementiam, quæ terram ſub eorum pedibus dehiſcere non imperet, nec animantia in eos irruere ac morſibus laniare jubeat : licet acerbius habiti fuiſſent a ſummo Pontifice, ab eo deſciſcere non debuiſſe, & quamvis omnes Chriſtiani in colendo illo paribus votis conſentire debeant, Italis tamen viris occaſionem defuiſſe, quæ ultramontanos ex nimio ſui amore impulerat, ut ab Italo Pontifice deficerent.

LVI. XX. Septemb. creatus antip.

(a) *To. 3. de ſchiſm. p. 44.*

(b) *Clem. antip. vit. ſcriptor apud Boſquet.*

Confirmat defectionem trium Cardinalium Italorum ab Urbano Joannes Roma capellanus Præneſtini epiſcopi teſtis oculatus (*a*), additque vigeſima menſis ſeptembris pervigilio S. Matthæi Apoſtoli creatum Robertum e Gebenna antea baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum antipapam: cui etiam conſentit ejuſdem antipapæ vitæ ſcriptor (*b*), aitque Robertum tunc ætatem triginta ſex annorum egiſſe. Cur illum potiſſimum antipapatus inſignibus induerint ſchiſmatici, & impietatis ſigniferum conſtituerint, obſervat idem author ſchiſmaticus: *Primo*, inquit, *quia erat admodum bene paratus, totuſque agilis & diſpoſitus ad laborandum ;* ideſt ad miſcendam Dei Eccleſiam, minitatum enim cum ab Urbano abſcederet, vires una cum aliis ad eum deprimendum converſurum, quod is Cardinales in diſciplina eccleſiaſtica continere niteretur diximus ſuperius, *& ſic tenebant eum eſſe cordatum & animoſum, & voluntarium ad exponendum etiam propriam perſonam ubi neceſſe exiſteret pro liberatione & ereptione Romanæ eccleſiæ a manibus dicti B. intruſi ;* ita loquitur ſchiſmaticus de vero Chriſti vicario, *præſertim cum in talibus pro negotiis Eccleſiæ memoratæ alias exercitium & experientiam habuiſſet.* Ipſum perfidiæ, ac fuſi cruoris innoxii crudelitatis nota ſe polluiſſe vidimus, dum legatum apoſtolicum agebat, ac Britones & Vaſcones in Cæſenates inermes, cum quibus ſolemne fœdus iniverat, effudit tanta rabie, ut pueri illiſi, atque ad domorum fores laqueo ſuſpenſi fuerint. Pergit author. *Secundo quia erat valde generoſus in gradu conſanguinitatis vel affinitatis, ſed magis & minus attingeret fere omnes majores principes Chriſtianos, propter quod ſperaverunt, quod tam conſideratione Eccleſiæ, quam contemplatione ſuæ perſonæ ſibi vellent obedire, ac viriliter aſſiſtere, & favere.* Hæc ſchiſmaticus ſcriptor. Adverſus ejuſmodi portentoſam Roberti electionem Collutius Pierius in ſuperioribus literis ad ſchiſmaticos Cardinales datis hæc adjungit.

Arrogantis erat animi.

Britones, & Vaſcones ſibi addictos habebat.

Plures principes conſanguinitate attingebat.

Creati tres a Gallis Pontifices.

(c) *To. 1. de ſchiſm. p. 280.*

LVII. Demonſtratur jus non habuiſſe.

*Quid eſt hoc? Neſcitis Eccleſiam ſolum eſſe unam, cujus caput eſt Chriſtus unicus Dei filius ſecundum divinitatem genitus, non factus ; ſecundum carnem autem de Virgine procreatus, in cujus Vicarium, & unius Eccleſiæ caput unum jam Pontificem vos elegiſtis : cujus autem vicarius erit iſte novus electus ; aut cujus Eccleſiæ caput? Eccleſiam autem, quæ unum eſt corpus faciendo duo capita in monſtrum horrendum, atque teterrimum convertiſtis, cavete ne tam iniqua tentantes det vos Deus in reprobum ſenſum ut dum ſpiritualia quaſi terrena tractatis, audiatis ſonum Spiritus vehementis, qui ſuo turbine vos cum hoc monſtruoſiſſimo monſtro ſubruat, & confundat.* Nec *latet orbem & cunctos Chriſtifideles quid de iſto veſtro Gebennenſi electo duxeritis faciendum, ſcimus plene & paſſim omnes, cur feceritis, agnoſcimus, & ſentimus dominos quidem & principes, quibus ille ſanguine conjunctus eſt, conciliare vobis, ut veſtræ tam honeſtæ cauſæ faveant, voluiſtis ; & illos optimos Chriſtianos, quos Eccleſiæ pugiles & fidei dictis athletas gentium omnium inhumaniſſimos, & de illo numero, qui dicunt in corde ſuo :* Non eſt Deus ; *Britones ſcilicet, quibus de Galliis in Italiam fœlicem, ſanctum atque pium præbuit ducatum fidelius vobis aſtringere procuraſtis : dignus vere exercitus tali duce & miles digniſſimus, qui tam juſtam cauſam aſſerat & defendat, cujuſque manu & opera vicarius Jeſu Chriſti in apoſtolica ſede ſedeat, & verus Chriſtianitatis antiſtes non per juſtitiam, ſed per injuriam confundatur : nec damnamus in hoc veſtrum conſilium, hæc enim certiſſima via fuit Britones vobis indiſſolubiliter obligandi : forte etiam cum ipſorum vos conſtiparet exercitus illi per metum & violentiam extorſerunt, ut tunc Gebennenſem apoſtolicum faceretis, ut qui dum cardo fuit avaritiæ, & crudelitati ipſorum civitatem Cæſenatem in cædem conceſſerat, atque prædam : nunc Papa rerum omnium dominus non unam urbem, ſed univerſum orbem vaſtandum cædibus, polluendum adulteriis atque ſtupris, & diripiendum rapinis in ſua clementia ſolita, poſtquam Clementis nomen non eſt veritus uſurpare, apoſtolico reſcripto tribuat & concedat.* [Pluribuſque interjectis : ] *Nec putetis vel factione cleri, vel favore principum, vel armis Britonum quem vultis Pontificem confirmare ; ſolius enim Dei eſt & ſuum vicarium & cunctos principes ordinare. Cito evaneſcit quod ab homine eſt ; quod autem a Deo quotidie roboratur. Sed quid rogamus, quid petimus? quod vos videmus obſtinatiſſime negaturos. Vos generale concilium ; vos & particulare, quorum utrumque oblatum fuit vobis, ut de hoc veſtra juſtitia quam prætendiſtis cognoſcatur, non permittitis adunari.* Et infra.

Conciliandos principes a Gebennenſi putarunt Cardd. ſchiſmatici.

Britonum armis Eccleſiam oppreſſuros.

Sæva antipapæ facinora.

Provocati ad Synodi judicium.

LVIII.

*Conſiderate quid a veſtro diſcedentes capite*

pite

*pite profeciſtis : certe errorem reparabilem errore irreparabili voluiſtis obruere. Metus, ut dicitis, fuerat impreſſus, hunc totum expiavit voluntaria coronatio, ad quam faciendam nullus vos compulit, vel coegit.* Et infra : *Illi clamores populi, ut allegatis, Italicum vel Romanum, nec dicamus conſtantiſſimos homines, ſed nec mulierculas etiam totidem debuit adeo terruiſſe quod naturaliter liberas in tanto præſertim negotio veſtras cogeret voluntates. Si pudet timorem diffiteri, quem adeo publice prædicatis, confiteamini ſaltem, quod & verum eſt, vos non ut conſtantiſſimos viros, ſed ut molles fœminas timuiſſe. Quod ſi eadem pervicacia hoc duxeritis forte negandum, ſtabit contra vos rei ſeries, ſtabit veſtra conſcientia, ſtabunt veſtræ literæ, veſtrique proceſſus.* Et infra :

Mulierculis timidiores credi volunt.

*Ipſum tumultum, dum non publicaretur electio, concitaſtis & in populi fremitu electionem, quam poſtulabant, & quæ per plures horas antea fuerat per vos canonice celebrata, offerentes in Papam dominum S. Petri, quaſi joculando per malitiam occultaſtis, & per armati populi cuneos, quem dicitis in veſtram cædem ſitientemque veſtram ſanguinem palatium intraviſſe, & ſtrictum illud penetraſſe conclave : adeo juſtus fuit timor, adeo verum & promptum periculum, ut illæſi & intacti redeuntes in veſtras habitationes libere declinaſtis, Romanumque populum, & infinitam fidelium multitudinem in ridiculo dimiſiſtis errore : dum ſtatim omnes dominum S. Petri ut caput Eccleſiæ, & verum Pontificem venerantur. Cumque in vicina oppida pene cuncti ſimulantes formidinem veniſſetis, ecce ſequenti die in urbem eodem durante metu, ut iterum deciperetis populum rediiſtis, & hunc, quem deponere quæritis, in Pontificem conſecrantes, ornamentis papalibus induiſtis, ſibi tanquam Pontifici reverentiam exhibendo. Quis veſtras ferat ineptias ? quis vobis * ſubjecit tot exquiſita mendacia, alias non facturi per metum ? Elegiſtis quem ad ſecuritatem captandam producere noluiſtis durante metu, qui ad locum tumultus & metus a nullo compulſi voluntate libera rediviſtis. Verus Papa non eſt, & per oſtium non intravit, inter manus veſtras, & ſervatis ſolemnitatibus, fuit ut Papa pluribus menſibus honoratus ? Vultis eidem non fore parendum, quem nullo cogente per orbem veſtris confratribus Cardinalibus, Imperatori, Regibus, & cunctis mundi principibus, atque populis pene ſingulis canonice electum, & futurum ſanctiſſimum nunciaſtis ? Debuiſtis ne in tantum errorem mundum inducere, & quod non verum veneraremur Pontificem perſuadere ?* Et infra : O *mortua fides, quæ potuit in tanto periculo contineri ! Malum fuit per metum electionem ſummi Pontificis celebrare, pejus confirmare non factum, peſſimum autem exhibere reverentiam confirmato : annunciare literis turpius, turpiſſimum autem rei veritatem cum taciturnitate tanti temporis occultare. Periculoſum fuit in ſedem intrudere, qui per oſtium non intravit ; tolerare tandiu periculoſius fuit intrantem ; ſed omnium periculorum periculoſiſſimum eſt Pontificem conculcare. Dum enim ſalutem animorum, & ſynceritatem conſcientiæ quæritis, fideles ſcrupuloſis cogitationibus implicatis, inſuperque vos metus invadit, ne cum terribili perſecutione fidelium fidei veſtræ integritas eclypſetur. Humilis ſervus veſter Collutius Pierius Cancellarius Florentinus.*

Seditionis cauſæ.

* ſuggeſſit.

Alter vere electus, alter ficte.

Multiplices Cardinalium errores.

LIX. Confirmato itaque ſchiſmate, S. Catharina Senenſis divino inſtinctu afflata Urbanum, exaratis quinta octobris hujus anni die literis (*a*), ad conſtatiam adverſus ſchiſmaticos, fundendumque pro Chriſti corpore myſtico ſanguinem adhortata hanc inſignem addidit ſententiam, *Accepi, dæmones humana carne indutos non elegiſſe Chriſtum in terris, ſed excitaſſe antichriſtum adverſum te Chriſtum in terris, quem ego profiteor, & non nego te Chriſti vicarium eſſe, qui tenes claves cellarii Eccleſiæ ſanctæ, in quo ſervatur ſanguis immaculati agni, cujus miniſter es, fremant licet & rumpantur adverſarii.* Hortati vero ſunt antipapam, & Cardinales ſchiſmaticos Carolus Imperator, & Ludovicus Hungariæ Rex, ut conflatum ſchiſma diſſolverent ob ingentia mala, quæ Eccleſiæ invecturi eſſent : ſed ſpreta eorum conſilia, atque oratores indigne habitos refert Theodoricus e Niem, (*b*) ſubditque : *Quod cum prædicti Imperator & Ludovicus Rex audiviſſent de hoc nimium perturbati decreverunt, quod partem dicti Urbani ; quoad ejus tuerentur juſtitiam donec quid juris eſſet de ipſa ſecunda electione diſcuteretur, vellent omnino tenere.* Tum nonnullis interjectis de Wenceſlai electione ab Urbano confirmata, de Germania, Hungaria, & Italia in Urbani obſequio perſtantibus, deque muneribus a Ludovico Rege ad Urbanum tranſmiſſis, ſubdit idem author : *Habuit*, ſcilicet Urbanus, *ſecum quaſi totam Tuſciam, necnon Lombardiam, & pro majori parte Alemanniam, Bohemiam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Suetiam, Norvegiam, Pruſſiam, Friſiam, & multas alias nationes Alemanniæ contiguas, quarum principes & eccleſiaſtici prælati, necnon incolæ dicto Urbano ejuſque ſucceſſoribus in ipſa ſua obedientia tanto tempore firmiter adhæſerunt.* Nec modo hæc regna, verum plura etiam alia in Urbani obſequio conſtanter perſtitere, ut queritur author ſchiſmaticus (*c*), qui ubi expoſuit ſperaſſe Cardinales, Regum, ac principum, qui Robertum Gebennenſem affinitate contingebant, opera populos ab Urbani veneratione revocatum iri, ſubdit : *Sed Domino permittente non ſic ſe res habuit*, & infra : *Totus namque mundus diviſus fuit : ſed, proh dolor ! multo major pars obedivit & adhæſit Bartholomæo intruſo*, id eſt Urbano, *immo pro tunc quaſi totus.*

(*a*) *Ep.* 22.

Urb. a S. Cathar. Senen. excitatus ad conſtantiam.

(*b*) *Theod. e Niem. l.*1. *c.*15.

Quæ regna Urbanum coluerint.

Deluſi nefanda ſpe Card.

(*c*) *Antipap. vitæ ſcriptor apud Boſq.*



LX. Siquidem pſeudocardinalium mendacia, atque impoſturæ parum valuiſſent, niſi Carolus Francorum Rex, quem maximum ſchiſmatis ſuaſorem vidimus, contra archiepiſcoporum, epiſcoporum, & ſapientum conſilia per tyrannidem primum invitos & reluctantes Gallos coegiſſet ad ſcelus, ac deinde Scotum & Caſtellanum Reges fœderatos ad id ſuis artibus pellexiſſet : obſervat enim Paulus Æmilius (*a*) ex literis cantoris eccleſiæ Pariſienſis rei univerſæ ſpectatoris, Gallicanos patres cenſuiſſe in celeberrimo cœtu menſe ſeptembris celebrato, Cardinalium dicta non admittenda : *Priore*, inquit, *conventu, qui menſe ſeptembri coactus fuit conſenſus ſex archiepiſcoporum, triginta epiſcoporum, complurium cœnobiorum patrum, ſimul theologiæ, jurisque & civilis & pontificii profeſſorum conſtitutum, Cardinalibus Romana comitia fando improbantibus non aſſentiendum, niſi majore conſilio, gravioreque deliberatione.*

Nil potuiſſent ſine Galliæ Rege.

(*a*) *Paul. Æmil. in hiſt.*

Galli in priore conventu decrevere ſtandum pro Urb.

Inter hæc Urbanus, ut decuit Chriſti vicarium, ad conglutinandam diſciſſam Eccleſiam intentus ſchiſmaticos provocabat (*b*), ut in concilio œcumenico tollendis publicis offendiculis daretur opera, deque vero Pontifice controverſia dirimeretur, qua de re iterum inſequentis anni exordio agendum. Cæterum neque Gallicana eccleſia ſeſe ab Urbano divulſiſſet, niſi eam oppreſſiſſet politicorum tyrannis : propugnavit enim Urbani jura Pariſienſis academia dum libertate potita eſt (*c*), atque pſeudocardinalium impietatem damnavit veritate crebris diſceptationibus in luce collocata : quare Urbanus ſubjectas ad doctores Sorbonicos literas dedit, ut Dei ejuſque Eccleſiæ cauſam fortiter tuerentur.

(*b*) *To.*3. *de ſchiſm. p.*129.

Schiſmatici ad concilium ab Urb. provocati.

(*c*) *Paul. Æmil. in Carol.*5.

*Urbanus &c. dilectis filiis rectoribus, magiſtris, doctoribus, ſcholaribus, ac univerſitati ſtudii Pariſienſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

LXI. *Inter immo ſuper cæteras ſtudentium univerſitates, in quibus ſcientiarum gemma reſplendet, veſtra Pariſienſis veluti quoddam ſydus radiat*, (interjectiſque ampliſſimis ſimilibus elogiis ſubdit) *plurimum conſolamur, quod nuper cum ingenti gaudio fidedignorum relatione percepimus, quemadmodum vos adverſus hæreticorum, atque ſchiſmaticorum aſſertionem ſubdolam, contra nos impudice loquentium, nonnullas ſanctas, veras, & ſaluberrimas, & quales profeſſionem veſtram decet, in noſtrum immo fidei favorem, & veritatis defenſionem ſententias publice tenuiſtis, & contra quoſcumque contrarium profitentes defenſaſtis : pro quibus univerſitatem veſtram iteratis in Domino laudibus proſequentes, devotionem veſtram requirimus, & hortamur attentius, ac per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, cujus in hac parte res agitur, obſecramus, quatenus cauſam, juſtitiamque noſtram toti mundo notoriam, quam dicti pſeudochriſtiani veri ſatellites antichriſti obnubilare, ac ſchiſma pernicioſiſſimum in Dei eccleſia ſuſcitare moliuntur, ſuſcipere, immo jam ſuſceptam velitis defenſare tanquam legitimi certatores & ne inconſutilis veri Joſeph tunica lanietur ſub divinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hoſtiumque multitudinem nullatenus formidetis ſub ſignis militantes victricibus veritatis, quæ licet quandoque calumniantium fuſcatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non poteſt, & illorum nequit multitudine conculcari ; nihil enim facilius quam pro veritate bellare, nulli clariores triumphi, nulla pinguiora ſpolia reportantur, quam quæ veritas defenſa pollicetur. Eja ergo athletæ magnanimi, & veritatis orthodoxæ fidei devotiſſimi defenſores contra illorum oppugnatores, & hoſtes fœliciter inſurgatis, ut proinde præter æternæ mercedis præmia humanarumque laudum præconia, & noſtram & apoſtolicæ ſedis benedictionem & gratiam, ac exauditionem in veſtris petitionibus tanquam benemeriti reportetis. Dat. Romæ apud S. Mariam tranſtyberim.* XI. *Kal. Decembris Pontificatus noſtri anno primo.*

Sollicitati ad tuendam eccleſiæ cauſam.

LXII. Oppreſſit regia vi Carolus doctorum Pariſienſium libertatem, ne dignitatem Urbani tuerentur, ſpretis enim ſapientibus decretis a Gallicanis patribus in priore concilio conſtitutis, alios conventus multo infrequentiores menſe novembri habuit (*d*), in quo antipapæ partes eſt amplexus, ac deinde catholicos cum Urbano ſentientes eſt inſectatus, politis nonnullis argutiis adductus, quibus etiam Cardinales in flagitium impulerat ; id enim ipſos vulgaſſe queritur Cardinalis Ravennas in literis (*e*) ad eumdem datis : *Hanc*, inquit, *eorum perverſitatem & ſchiſma dicunt ſe cum veſtro favore velle defendere ; hanc dicunt de veſtro mandato & conſilio proceſſiſſe.* Et quidem Carolum conatum omnem ad catholicos ab Urbani obſequio abducendos collocaſſe, narrat antipapæ Clementis geſtorum ſcriptor (*f*). *Quamplures*, inquit, *ambaxiatores fere ad omnes principes & regiones univerſas ſæpius deſtinavit, ipſos exhortans & requirens, ut, ſi non ſic faciliter vellent ad obedientiam dicti Clementis inclinari, ſaltem audirent pro ſui parte proponenda*, nimirum in conventiculis, non in concilio œcumenico. Ob hæc vero maximum ſibi dedecus peperit ; unde Walſinghamus (*g*) vir catholicus acerbe in ipſum declamat, additque Robertum Gebennenſem,

Carolus Rex Gallos catholicos opprimit.

(*d*) *Paul. Æmil. in Carol. V.*

(*e*) *Ext. to.*12. *de ſchiſm. p.* 341.

Promulgatur a Cardd. auctor ſchiſmatis.

(*f*) *Clem. vitæ ſcript. apud Boſq.*

Pellicere ad ſchiſma cunctos principes adnititur.

(*g*) *Valſ. hiſt. Angl. in Richar.*

ſem, antequam antipapatum arriperet certiorem feciſſe Belgarum principem ſuis literis, Urbanum rite ad pontificatum fuiſſe evocatum, affertque eaſdem cauſas Meyerus (*a*), ob quas Belga in Urbani obſequio conſtans perſtiterit, ſcilicet ipſum Roberti Gebennenſis literis factum certiorem mox atque Urbanus creatus fuerat, Urbanum rite Pontificem renuntiatum.

(*a*) *Meyer. in Lud. Malean.*

Nec Belgam modo, verum comitem Britanniæ antipapam execratum eadem de cauſa, refert Paulus Æmilius (*b*): *Flandrus*, inquit, *ac Britannus literis Gebennenſis adducti pro Urbano vita deinceps omni ſtetere, Gebennenſi ante exortam æmulationem affirmanti potius, quam, cum poſtea de pontificatu certaret, neganti credentes; ea tamen religione, ut teſtarentur ſe univerſi concilii, ſi quod forte cogeretur, placito ſententiam ſuam moderaturos.* Ampliſſimæ etiam aliquæ provinciæ, quæ Galli Regis tyrannidem ſpernebant, parebantque Anglo, ut Aquitania, antipapæ jugum accipere detrectarunt, cum Angli pari conſtantia, qua Wickleſſi hæreſim damnaverant, ſchiſma deteſtarentur; unde cum ignominia pſeudocardinalium nuntios repulſam paſſos narrat ſubjectis verbis Walſinghamus (*c*): *Ad idem parlamentum*, ſcilicet Glovernenſe, *pervenerunt ſolemnes ex Italia papales nuntii, petentes ſuccurri domino Papæ in arcto conſtituto, per Regem ſcilicet Francorum & magnates, declarantes injurias & damna, quæ idem dominus Papa pertulit inſolentia apoſtatarum Cardinalium, qui nitebantur eumdem cum univerſa Eccleſia ſubvertere & infirmare. Venerunt & nuntii eorumdem Cardinalium afferentes literas decem ſignatas ſigillis, petentes & ipſi auxilium præſtari Cardinalibus, allegantes fortiter pro eiſdem; ſed domino Deo favente, qui cuncta juſte diſponit, repulſi ſunt apoſtatici, & admiſſi papales, promiſſumque ſubſidium domino Papæ gratanter, quam cito tempus exigeret opportunum; Cantuarienſis archiepiſcopus perpendens publicam falſitatem & errorem manifeſtum per ſcripta eorumdem, in quo iidem Cardinales voluntarie verſabantur, & execrans eorum actus ſceleratos vehementer ſpiritu Dei ſubito agitatus cepit hoc thema; Unus erit paſtor noſter: nam invenit in eorum literis electionem factam de illo apoſtolico, & ita luculente illorum populo declaravit errorem, & per multa argumenta, & præcipue per eorum dicta propria, ut omnibus conſtaret illorum malitia, & error innoteſceret execrandus.*

(*b*) *Paul. Æmil. in Carol. V. Rege.*

(*c*) *Valſin. in Richar. II.*

Anglus Urbanum agnoſcit.

Cardd. ſchiſmaticorum facinus execratur.

LXIII. Quod ad fallaces illas literas ſpectat pſeudocardinalium ſigillis conſignatas, quibus Anglos ſchiſmaticorum nuntii pervertere nitebantur: extant eæ (*d*) inter Avenionenſia monumenta, quibus adhibito omni fuco ornatiſſimiſque mendaciis perſuadere Chriſtifidelibus niſi ſunt, Urbani electionem vitio celebratam, quæ idcirco adducendæ a nobis ſunt viſæ, cum ſæpius ab ipſis poſtea, novis additis figmentis, eadem variata ſit narratio, tum ut Urbani VI. pontificatus veritas etiam ex impoſtorum dictis illuſtrari poſſit.

(*d*) *To. 16. de ſchiſ. p. 16.*

Fictus ab iis caſus.

*Univerſis Chriſtifidelibus &c. Cardinales* (*e*) *ultramontani facientes ultra duas partes collegii, poſt vacationem antequam intrarent Conclave, & in introitu, & poſt ad tempus impreſſionis, de qua infra dicetur, continue fuerunt in voluntate, propoſito, & deliberatione, etiam ex cauſis tangentibus Eccleſiam ſanctam Dei, eligendi de collegio & non de extra, & eligendi Ultramontanum & non Italicum, & domini Italici erant etiam in deliberatione eligendi de collegio, & non de extra, licet tenderent, ubi bono modo poſſet fieri, ut unus Italicus de collegio eligeretur; & in iſta voluntate continuo permanſerunt etiam poſtquam intraverunt Conclave uſque in craſtinum, quo audierunt more ſolito miſſas ſuas; non obſtante quod, poſtquam intraverunt conclave, Romani ut moris eſt non permiſerunt, ut porta conclavis muraretur.* Ejuſmodi figmento (non enim de Gallo creando Pontifice conſentire ex ſuperius dictis potuere) hæc opponit Baldus (*f*): *Quia illi domini nolebant eligere de Italia, & præciſe dicunt ſe habuiſſe in mente excludere Italiam ab electione, certe hoc non fuit niſi propter ambitionem, & talis proteſtatio fuit turpis & apparuit facta contra Italicos, immo contra ipſum Deum, & contra univerſalem ſtatum Eccleſiæ manifeſta, & ideo credendum eſt, quod Deus poſuerit in conſcientia eorum mutare animi motum, & cedere rationi.* Obiicit etiam Joannes e Monteſono, obtendi cauſam turpem, atque ideo non audiendos: *Tales*, inquit, *operationes reſpicientes ædificationem eccleſiæ Spiritui Sancto ſunt attribuendæ, & miniſtri ejus ſunt.* Pergunt acta.

(*e*) *To. 16. de ſchiſm. p. 16.*

(*f*) *Bald. quæſt. de ſchiſm. ad VI. cod. §. ſed quia.*

Conſilium de Gallo creando immutatum divinitus.

*Immo poſtquam domini Cardinales jam lectum intraverant, cum magna difficultate cuſtodes conclavis dictam portam cum quadam barra lignea claudere permiſſi ſunt, & poſt occupaverunt palatium, & ſpecialiter partem illam, quæ de directo erat ſubtus conclave ſolarium dicti conclavis, ictibus & percuſſionibus tota nocte commoventes, & etiam exiſtentes armati, ut plurimum per horam intermiſſionis clamantes: Romano lo volemo o Italiano, & aliqui ſe aſſerunt audiviſſe aliquos clamantes: Moriantur; & ita continuaverunt clamores iſtos uſque in craſtinum adeo, quod vix aliquis de dominis de tota nocte dormivit.*

LXIV. Clamores tantum editi non vis illata.

*Poſt vero circa auroram fatigati, aliquo modico tempore a clamoribus quieverunt. Demum audientes dicti domini miſſas ſuas, clamores conſuetos reſumpſerunt, immo*



*validiores quam prius, ſic quod vix miſſas audire & intelligere poterant. Quibus auditis dicti domini Cardinales ſe diſponentes ad procedendum in facto electionis, campanæ Capitolii & eccleſiæ S. Petri, quæ erant prope palatium, incœperunt pulſari ad martellum pro congregatione totius populi ad rumorem, & tunc fortius populus more ſolito cum magno furore incœpit clamare:* Romano lo volemo, o almeno Italiano; *fuerunt etiam domini Cardinales aviſati per illos, qui ab extra cuſtodiebant conclave, quorum aliqui erant Ultramontani & aliqui Romani, quod niſi ſtatim ſine aliqua moroſa deliberatione eligerent Romanum vel Italicum, omnes domini Cardinales erant in periculo, quod mitterentur per fruſta: propter quod domini Cardinales Ultramontani propter vitandum mortis periculum, alias non facturi, prout etiam tunc dixerunt, condeſcenderunt, ut Italicus eligeretur.*

LXV. *Et quia etiam ex dominis Cardinalibus Italicis aliqui dixerunt, quod veraciter ſi eligerentur, non acceptarent electionem, cum viderent eis notorie impreſſionem fieri, omnes ſimul volentes vitare mortis periculum, cui proculdubio ſubjacebant, quaſi ex abrupto, & ſine aliqua diſcuſſione meritorum & ſtatus perſonæ, nominaverunt dictum dominum Bartholomæum tunc archiepiſcopum Barenſem.* (Ex abrupto putanda non eſt electio, ſi pluries faſſi ſunt (*a*), antequam conclave ingrederentur, ſuffragia in illum contuliſſe, ſi novem dierum ſpatio poſt divina peracta, fuſaſque pro Gregorii anima preces, in ædibus Cœleſtinorum conventus peragebant:) *& ipſum tanquam eis, ut credebant, magis notum, & in factis & in moribus curiæ magis expertum, licet ſequens experientia, contrarium oſtenderit manifeſte, elegerunt in Papam.* (Ipſos revera de eo deligendo deliberaſſe, ita arguit Joannes e Monteſono (*b*):) *Deliberare & non de re ipſa deliberare formaliter contradicunt: Sed ipſi dicunt, quod non potuerint deliberare de perſona eligenda, ſed ſubito & ex abrupto coegerunt invitos eligere, & ipſi de facto deliberaverunt de perſona Bartholomæi eligenda, patet quia æſtimaverunt eum bonæ conſcientiæ eſſe, æſtimatio enim eſt deliberatio & judicium rationis. Ergo de perſona eligenda deliberaverunt, & de eadem perſona eligenda non deliberaverunt, quod eſt contradictio.* (Pergunt Cardinalium literæ:) *Et eorum aliqui tunc dixerunt, quod elegerunt ipſum animo & propoſito, quod ipſe eſſet verus Papa, timore tamen mortis in eorum animis continuo perdurante; excepto uno domino Cardinale Italico Romano, qui dixit, quod propter notoriam impreſſionem, quam videbat, nec ſibi nec alteri daret vocem ſuam, niſi primo ceſſaret impreſſio & eſſet in ſua libertate.* Oſtendit Joannes e Monteſono (*c*), non fuiſſe notoriam impreſſionem, non ratione facti, cum medius paries inter Cardinales & populum eſſet interjectus; non ratione juris, cum de eo non lata ſit ſententia: ſubſecuta etiam electio Cardinalis S. Petri populari impreſſione facta demonſtrat, Urbanum per impreſſionem non electum. Subdunt ſchiſmatici Cardinales: *Et uno Ultramontano, qui primo unum de Cardinalibus Italicis nominavit, licet poſtea timore mortis adhæſerit Barenſi prædicto; & uno alio domino Cardinale Ultramontano, qui nominando ipſum proteſtatus fuit, quod nulla propter impreſſionem poterat fieri electio, ſed ipſum nominabat timore mortis, & ſalvo quod unus alius Ultramontanus, poſtquam hoc fieret, proteſtatus eſt ſolemniter coram publico notario, quod ſi contingeret ipſum conſentire in aliquem Italicum hoc faceret, dumtaxat timore mortis, alias non facturus.* Non fuiſſe illos ita conſternatos metu, ut voluntas liberum electionis actum elicere non poſſet, Baldus arguit (*d*):

Falſo prætexitur ex abrupto facta electio.

(*a*) *To. 4. de ſchiſm. p. 48. & p. 64.*

(*b*) *Jo. e Monteſono in correpț. contra ep. fundam. ext. in Cod. MS. Barb. ſig. n. 1504.*

(*c*) *Jo. e Monteſono in correpț. c. 9.*

Mera mendacia.

(*d*) *Bald. q. 6. de ſchiſ. ad 6. Cod. §. ſed quia.*

LXVI. *Is timor nondum omnes partes & cellulas rationis & mentis invaſit, ſed aliqua ſcintilla libertatis adhuc in mente eſt, quia quod ex parte eſt, non totum locum occupat, ſicut in corporalibus, ut L. ſi ut certo, §. fin. duobus vehiculum, ff. commo. In hac autem quantumcumque gradus ſcintilla libertatis poteſt actus liberi arbitrii fundari, quia ſuperior & ſecurior pars rationis & ſpiritus libera & ſoſpes eſt: ſicut enim in eo, quod eſt remiſſe frigidum, aliquid eſt innatæ caliditatis, ita in paſſionibus & terroribus animæ remiſſis; id eſt non intenſis accidit, quoniam eſt ibi aliquid innatæ libertatis & inconcuſſæ mentis, ita ut poſſit natura proprio vigore & ſpiritu ſupra morbum, & libertas ſupra metum: quapropter metus dum creſcere poteſt imperfectus eſt, & quidquid creſcere poteſt nondum perfectum eſt, perfectio enim eſt perfectibilium quies & finis: ſtat igitur adhuc in firma mente cum quolibet terribili ſpontanea mens impulſa a timore, nondum tamen victa nec ſubjugata timori, nondum meticuloſa eſt, quia nondum proſtrata eſt. Quod autem, tempore electionis Urbani Cardinales non eſſent metu proſtrati, & quod nondum excidiſſent a ſui animi robore thema oſtendit, quia poſtea plus timuerunt. Ergo ante minus timebant. Ergo æqualiter non plene timebant & tunc voluntas non erat adhuc ſub ſervitute, pugnabat terribiliter cum animo forti, & nondum mens metu ſerva erat: quapropter in radice libertatis fuit fundamentum liberæ voluntatis, non phantaſmata enim terribilia actuum, ſed victrix ſervitus animorum ligat animas, ita quod non poſſunt aſſentire bono delectabili, honeſto, vel utili. In hac autem ſervitute, quæ vincit animos, non erant adhuc domini Cardinales, quia non exciderant a propria firmita-*

LXVI. Non ſuſtulit libertatem metus.

Probatur ex facto.

*mitate; ſed erat eis aliquid reſidui & ſpontanei, quia nondum plene timebant cum poſtea crevit timor: quare qui parum timent, non vere timent, & qui parum videt, non eſt cœcus. Ergo libertas non ſtatim moritur, cum mens timere incipit, ſed cum propter metum libertas mentis protectionem, & uſum naturalium potentiarum exciſum reſtituit. Arguit etiam Joannes e Monteſono veram metus cauſam fuiſſe, quod Romanum non elegiſſent, atque ideo in arcem Sancti Angeli confugiſſe.* ( Subdunt ſchiſmatici. )

Potuere conteſtari ſe non vere eligere.

*Dixerunt aliqui domini Cardinales inter ſe quod volebant, & intentio eorum erat facere, ſicut fuit alias factum, ac per chronicas apparet, ſcilicet quamprimum quomodo poſſent, ſecederent ad locum tutum & ſecurum, & tunc ipſi reeligerent de novo.* ( At ſi mens Cardinalium non fuiſſet Itali eligendi, nil erat facilius, quam tabellione & teſtibus accerſitis conteſtari ſimulatione Italum creari Pontificem, remque vulgare; & ſtatim ut ſedatus eſſet popularis tumultus, ſeque in arcem S. Angeli recepiſſent, Gallum creare Pontificem: ) *Demum domini Cardinales ad populum tumultuantem, & jam diſpoſitum ad rumpendum conclave miſerunt, & quia non audebant eis exiſtentibus in illo furore publicare electionem per tres primos dominos Cardinales fecerunt eis dici & promitti, & promiſerunt, quod infra diem craſtinam, ante horam tertiarum conſolarentur eos de Papa Romano vel Italico.* ( Ex his conſtat non metu, ſed contra metum incutientium vota elegiſſe, ſi electionem vulgare pertimuerunt, norant enim Romanum flagitari, non Neapolitanum Gallicæ factionis cenſendum. ) *Et fecerunt rogari quod recederent quod diu facere renuerunt, non permittentes intrare cibaria dominorum eis portata pro prandio, cujus hora jam inſtabat. Demum receſſerunt de una domo ante conclave exiſtente, ſed nullatenus, nec palatium exire, nec arma deponere voluerunt. Et interim domini miſerunt pro multis prælatis; inter quos iſte tunc Barenſis, & jam per modum ſupradictum electus fuit: qui venit & vidit populum furentem, & audivit clamores prædictos ipſius populi furentis, & totam violentiam & impreſſionem factam per totum diem, & ab ingreſſu conclavis ſcivit & ſcire debuit tanquam notoria, & ut creditur aliquid de electione hujuſmodi præſentiens, & ei ſaltem tacite conſentiens, juvabat ad expellendum populum de illa domo, ut cibaria permitterentur intrare.* ( Hic obſervandum tumultuanti populo adverſatum Urbanum: ) *Et tunc populus, continue remanens in palatio & armatus ut prius, aliquantulum quievit a clamoribus, & violentiis inferendis, & domini comederunt, & poſtea, exceptis tribus Ultramontanis, redierunt ad capellam palatii: & eis congregatis unus ex dominis Italicis dixit, quod modo ceſſabat impreſſio, & reeligeretur: unus vero ex Ultramontanis dixit, quod non ceſſabat, immo domini erant in majori periculo quam ante: & finaliter aliqui ex præſentibus, aliis tribus abſentibus non requiſitis, immo penitus inſciis, dixerunt, licet nondum eſſent in libertate ſua tali, quod ſine periculo primo, aut majori potuiſſent reſilire, aut alium, prout ante impreſſionem deliberaverant, eligere.*

Non eligere ex metu ſi vulgare timuerunt electionem.

LXVII. Ex his ita Baldus (*a*) veram Urbani electionem perſpicue colligit: *Fuit conſenſus verus & electivus tam in prima electione quam in ſecunda & qui negat conſenſum in hoc caſu, negat ſenſum, & negantibus ſenſus veritas reſiſtit, quia quod oculus vidit, lingua non poteſt negare, ut inſtit. de gradibus §. cum magis; quare neceſſe eſt fateri veritatem: nam licet tempore primæ electionis aliqui prædixerint, quod non erat de voluntate eorum eligere Italicum, tamen poſtea contradixerunt, & finis corrigit principium, ut ff. de manumiſſ. teſtam. l. Sticus & not. ff. ſi cert. pet. l. ſi tibi. aperte enim proteſtati ſunt, quod elegerunt cum ea intentione, quod ſit Papa: & in hoc propoſito perſiſtentes iterato relegerunt eumdem, non repetita proteſtatione contraria; unde non eſt dubitandum de conſenſu, ut ff. loca, l. cum in plures §. locator hoc rei. & facit quod not. per Cyn. C. de pactis. l. pacta noviſſima, ad binam enim electionem populus non coegit.* Sed ad ſchiſmaticorum literas revertamur. *Antequam omnes finiviſſent loqui, cum jam veniſſent prælati, pro quibus miſſum erat, populus, etiam multis ex officialibus ad hoc inſtigantibus ipſum populum cum maximo furore, & clamando: Per la clavelata di Dio Romano lo volemo.* Convicti ſunt ex his non adactos metu ad eligendum Neapolitanum, ſi Romanum popoſcerant Romani, cum terrorem incuſſere, ubi advertenda quæ vir catholicus iis obiicit (*b*).

Ex dictis probatur vera Urbani electio.

(*a*) *Bald. de ſchiſm. ad VI. C. §. Sed quia.*

Decreta ſua mutare potuere.

(*b*) *To. I. de ſchiſm. p. 211.*

LXVIII. *Deputata die, qua conclave intrare vos oportebat, populus circa palatium congregatus cœpit vobis tranſeuntibus exclamare: Romanum Pontificem, Romanum civem omnino expoſcimus. Hic clamor cœpit ex tunc more vulgi increſcere & duravit uſque ad exitum veſtrum, nec umquam Italicum audiviſtis vos vel alias illis vocibus nominari; quin potius ſi aliqui illi acclamanti populo dicebant Italicum habebitis vel habetis: mox altius voces eorum invaleſcebant dicendo; Non petimus Italicum, ſed Romanum.* Pergunt ſchiſmatici: *Irruerunt in conclave, & ipſum per quatuor partes fregerunt, & intraverunt officiales & populus armatus fere quantum potuit recipere conclave; propter quod domini, ſe quaſi mortuos exiſtimantes, in capella ſecreta ſe pro majori parte reduxerunt, cujus porta ſtatim fuit cum magnis ſecuribus, etiam*

Electo non Romano ſprevere metum.

*in*



*in petias facta, & intravit populus armatus adhuc clamans, ut ſupra, omneſque dominos hinc inde circumdedit, & niſi quia unus dominus volens ſuum, & aliorum vitare periculum, dixit eis, quod dominus S. Petri erat electus, qui nolebat conſentire, & quod inducerent eum ad conſentiendum. Creditur, quod omnes, ſaltem Ultramontani, fuiſſent interfecti; ſed audito quod dominus S. Petri erat electus, in ipſum dominum S. Petri irruerunt, & præciſe invitum bis poſuerunt eum in una cathedra, & dum accederent ad faciendum ſibi reverentiam, quilibet ex dominis, prout melius potuit, exivit palatium, & ad domos proprias, ut plurimum ſine cappis & capellis peditando receſſerunt.* Ex his contra ſchiſmaticos elicit hoc argumentum vir religioſus (*a*) ordinis Prædicatorum patria Neapolitanus: *Ad mendacium veſtrum probandum, quod propter iſtum*, nempe Urbanum, *prius alium etiam paſtorem finxiſtis ſaltem pro una die, quid ſibi ergo voluerunt hæ fictiones? numquid una non ſufficiebat ad vos liberandum a metu? Nullus petebat duos Pontifices, pro uno tantum ſinguli clamabant, ut quid ergo duos finxiſtis? pravitatem ac falſitatem & duplicitatem videtur notare in vobis hæc fictio geminata.* Et infra: *Scio quid dicitis, metus interveniens actum, omnem actum liberum reddit nullum. Sed hic fuit, ſic igitur &c. Ad hoc vobis breviter reſpondetur, quod major propoſitio veſtra hic habet locum tantummodo, quando ſolus metus dat cauſam actui; nam ſi etiam interveniente metu actus propter metum non ſequitur, ſed alia cauſa promovet agentem, actus ſemper remanet liber & validus: quod autem alia cauſa moveat agentem, tum maxime patet, quando patiens metum non facit illud propter quod metus ſibi infertur, alias ſequeretur, quod ſi metus eligere debentibus inferretur, ut eligerent Titium electores, nec ullum nec alium poſſent eligere, & ſic culpa alterius perderent jus eligendi. In caſu autem noſtro manifeſtum eſt per narrata ſuperius, quod nullus metus dedit cauſam veſtræ electioni; nam ſi metu elegiſtis, cur poſt electionem amplius timuiſtis, cur alium vos elegiſſe ex terrore finxiſtis, &c.* Probat poſtea ex nonnullorum Cardinalium dictis, ipſos, antequam conclave ingrederentur, archiepiſcopum Barenſem ad pontificatum evehere deliberaſſe.

Electio Card. S. Petri ex metu facta.

(*a*) *To. I. de ſchiſm. p. 211.*

Fictio illa aſtutiam arguit.]

Non illata vis ut Urbanum eligerent.

LXIX. *Demum*, [inquiunt ſchiſmatici, ] *adveſperaſcente, aliqui etiam ſub diſſimulatis habitibus ſe reduxerunt ad caſtrum S. Angeli; aliqui exiverunt Roma vel de nocte, vel in diſſimulato habitu, aliqui in ſuis domibus latuerunt. Poſtea in craſtinum aliqualiter quietato populo, iſte tunc Barenſis, qui remanſerat in palatio, & in cameris papalibus, & nullo modo, etiam ter per aliquos de dominis, qui de urbe receſſerant requiſitus exire voluit, miſit, & etiam per officiales ad populum adhuc exiſtentem in motu ſuo furioſo mitti fecit ad dominos, qui erant in caſtro S. Angeli, & illos, qui in eorum domibus remanſerant reiteratis & fere continuatis vicibus, ipſos requirendo & requiri faciendo, ut pro majoris periculi evitatione, venirent ad ipſum, qui tunc venire noluerunt, ſed quaſi faſtiditi de ſuis requiſitionibus, miſerunt ad illos, qui remanſerant in domibus ſuis, qui ab eo & officialibus requiſiti jam venerant ad palatium, unam cedulam eorum manibus ſubſcriptam, per quam ſex cum eo tunc in palatio exiſtentibus committebant poteſtatem ipſum inthronizandi, qui de hoc non contentus, nec ea uti curans, quia non obediebant, fecit eos iterum & iterum requiri, ut pro majoris periculi & ſcandali vitatione, omnino caſtrum exirent, & venirent ad palatium: ipſi vero dubitantes de majori ſcandalo, maxime quia ſex ex dominis Cardinalibus, & tam ipſorum, quam aliorum dominorum familia, & bona ſua tota erant diſperſa per urbem, & quia caſtrum non erat de victualibus ſufficienter munitum.* [Mendacium hoc ex facto arguitur, cum longam obſidionem, annuam ſcilicet, adverſus Urbanum tolerarint. ]

Figmenta inania.



*Et quia etiam non habebant locum ad quem tute, poſtquam ſciebatur, quod intraverant caſtrum, poſſent recedere; & quia Romani prædicti circa caſtrum ipſum, de nocte ſtacatum, ſeu palentum facere tentaverunt; exiverunt caſtrum & venerunt ad palatium, & ipſum inthronizaverunt more ſolito. Quod cum ſciverunt illi, qui ab urbe receſſerant, licet cum magna cordis amaritudine, timentes, quod, ſi tunc non veniſſent Romam, ſuſpicantes, quod vellent impugnare electionem iſtius, alios dominos & eorum familiam trucidaſſent, ipſorumque diripuiſſent, redierunt ad urbem, & ipſum poſtea coronaverunt.* [Hæc dum perpendit Joannes e Monteſono (*b*) exclamavit: ] *Nota Papam legitimum per omnes actus ſuorum debitorum miniſtrorum legitimos factos utique circa eum, primo quod fuit electus, ſecundo quod electio fuit eidem per eoſdem præſentata, tertio quod illi electioni ipſe conſenſit, quarto quod fuit inthronizatus, quinto quod fuit coronatus per eoſdem: & poſito quod alii actus fuiſſent invalidi, & potuiſſent aliqua tergiverſatione cælari, quia in occulto facti, coronatio tamen, quæ facta fuit in publico coram multitudine infinita, in platea publica, ſuper gradus ante eccleſiam S. Petri, fuit cum maximo gaudio & pace mirabili, nec ſignum aliquod apparuit minarum, ſeu moleſtiæ, nec ſignum aliquod proteſtativum oppoſiti conſenſus fuit factum; immo facta eſt ſolemniter & ſine ſtrepitu populi & tumultu, ut ponit Cardinalis de S. Euſtachio* LXX.

(*b*) *Joan. e Monteſon. in corrept. contra epiſt. fundam.*



*in*

*in ſuo caſu*. (Subdunt Cardinalium perduellium literæ.)

LXXI. *Et ab illo tempore domini Cardinales in reverentiis, & aliis tractaverunt eum ut Papam, non tamen cum intentione & propoſito ex iis, aliquid ſibi novi juris tribuere, aut ipſum in primo confirmare; & ipſe in conſiſtoriis, & extra in promotionibus, & aliis uſus eſt ut Papa; tamen omnia iſta facta fuerunt in urbe, ut prædicitur, ubi domini Cardinales ſaltem Ultramontani nunquam ſe reputarunt ſecuros, immo veriſimiliter credunt & communiter creditur, quod ſi in urbe, ſuam promotionem revocaſſent in dubium, vel eam impugnaſſent, omnes interfecti fuiſſent, cum cauſa impreſſionis continue perduraret: propter quæ exiſtentes in Roma, nec etiam inter ſe de iſta materia nunquam ex propoſito ſaltem conferre fuerunt auſi: ipſeque licet pluries requiſitus uſque modo urbem cum dominis Cardinalibus exire noluit, nec dominos Cardinales ponere in loco ſecuro; quinimmo, poſtquam dicti domini Cardinales Ultramontani cautius quam potuerunt paulatim venerunt Anagniam; volentes ſuper præmiſſis deliberare, & pericula eis imminentia ex eorum mora inter Romanos poſſetenus evitare, ipſe quaſi ſolus, ſaltem ſine ſocietate alicujus domini Cardinalis venit Tyburim, qui locus etiam detinetur per Romanos, &c.* (His omnibus poſſunt illa opponi, quæ poſtea luctuoſo fatigati ſchiſmate doctores Pariſienſis academiæ ad Bononienſes ſcripſere *a*), *Non ſatis erat viris novarum rerum cupidis diſſidium illud Græcorum & Latinorum ſuis diebus, haud dubie miſerrimis, aſpexiſſe, niſi novum ſuperadderent*. Superiores vero literæ hac formula conſignatæ ſunt: *Anno a Nativitate Domini MCCCLXXVIII. die ſecunda Auguſti ſede vacante*.

(*a*) *To.21. de ſchiſm. p.121.*

LXXII. Cæterum eos poſtea maximus de admiſſo in Eccleſia diſcindenda flagitio uſſit dolor, utque priorem Gallicanæ eccleſiæ cum Romana conjunctionem redintegrarent, inter alia Avenionenſi antipapæ ut cederet loco, hæc propoſuere (*b*): *Secundum caſum a nobis traditum multæ difficultates ſubortæ ſunt, a viris in jure, in theologia, & philoſophia peritiſſimis diſcuſſæ, ita ut opiniones contrariæ inter eos generatæ fuerunt, & in ſcriptis hinc inde redactæ, quæ velut juridicæ & tamquam indubitatæ a ſequacibus obtinentur.* De narratione vero rei geſtæ a catholicis expoſita hæc habent: *Secundum traditionem partis adverſæ noſtra pars habet evidentem injuſtitiam, factum enim taliter compoſuerunt, ut nulli dubitationi ſit locus quin foveat injuſtitiam pars adverſa*. Addunt: Urbanum communi jure poſſeſſorio niti, ut qui quatuor menſium excurrentium ſpatio ut Pontifex cultus ſit: fundare Cardinales Gallos partis ſuæ argumenta in actu voluntatis inviſibili & momentaneo, quem liberum fuiſſe negent: at vero alios in actibus permanentibus, pluribus menſibus repetitis, expoſitiſque omnium oculis, qui demonſtrarent vel illum confirmatum ſi debilis extitiſſet, vel ſi contrarius, cum mentalis eſſet, toties totieſque publice retractatum. Hæc cenſebant perſpicaces Galli, quos terror a veri Pontificis veneratione arcebat.

(*b*) *To.14. p.118.*

Cum autem ſint faſſi ſchiſmatici, ex caſu ab Urbano propoſito liquere illius juſtitiam, advertendum ſchiſmaticos, utpote mendaces, cum mendacia priora patere intelligerent, illud ſuum thema (*c*) ſæpius mutaſſe & pugnantia inter ſe aſtruxiſſe; qua de re a Baldo, a Joanne e Lignano, & a Toletano archiepiſcopo (*d*) convicti ſunt ac falſitatis redarguti. At Urbanus caſum pure & nitide expoſuit, nec umquam, quod veritatis proprium eſt, priora dicta poſterioribus pervertit; ita porro ad ſchiſmaticorum infringendas artes ſervatos in electione ſua ritus univerſo populo Chriſtiano propoſuit; neque enim ad Hiſpanos tantum, ſed ad alios etiam ſubjectas literas (*e*) miſſas arbitramur, quas ex Avenionenſibus monumentis hoc titulo præfixo a ſchiſmaticis adducimus.

Mutatus ſæpius ab iis caſus.

(*c*) *To.7. p.160.*

(*d*) *To.7. p.223.*

Nunquam ab Urbano cumulatus.

(*e*) *Extant to. 1. de ſchiſm. p.164.*

*Factum miſſum per Bartholomæum ſub bulla Regi Caſtellæ.*

*Factum verum, & proceſſus promotionis Sanctiſſimi patris domini noſtri Urbani Papæ VI. tale eſt. Nam felicis recordationis Gregorius Papa XI. ipſius domini Urbani immediatus prædeceſſor de anno Domini MCCCLXXVIII. & de menſe Martii in urbe Romana cum ſua curia & dictis tum Cardinalibus* XVI. *in numero reſidebat, & reſedit uſque ad tempus & tempore obitus ſui in palatio Apoſtolico apud baſilicam S. Petri, quorum ſexdecim Cardinalium nomina ſunt hæc: Petrus Portuenſis & S. Ruffinæ vulgariter dictus Florentinus, Joannes Peneſtrinus vulgariter dictus Cardinalis Lemovicenſis Cardd. epiſcopi; Guillelmus tit. S. Stephani in Cælio monte vulgariter dictus de Agrifolio, Bernardus tit. S. Cæciliæ vulgariter dictus Glandacenſis, & eſt ordinis fratrum minorum, Robertus Baſilicæ XII. Apoſtolorum vulgariter dictus Gebennenſis, Hugo tit. SS. Quatuor coronatorum vulgariter dictus de Britannia, Guido tit. S. Crucis in Jeruſalem vulgariter dictus Pictavienſis, Petrus tit. S. Laurentii in Lucina vulgariter dictus Vivarienſis, Franciſcus tit. S. Sabinæ vulgariter dictus Cardinalis S. Petri, Simon tit. SS. Joannis & Pauli vulgariter dictus Mediolanenſis, Geraldus tit. S. Clementis vulgariter dictus Majoris monaſterii, presbyteri Cardinales. Jacobus S. Georgii ad velum aureum vulgariter dictus de Urſinis, Petrus S. Euſtachii, Guillelmus S. Angeli, Petrus S. Mariæ in via lata vulgariter dictus de Vernejo, Petrus S. Mariæ in Coſmedin vulgariter dictus de Luna, diaconi Cardinales. Cæteri vero tunc ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, videlicet, Albanenſis, Tuſculanus, Sabinenſis, S. Anaſtaſiæ, S. Vitalis, & S. Mariæ in porticu erant in Avinione ubi remanſerant tempore, quo inde receſſit Gregorius, & Joannes tit. S. Marcelli vulgariter dictus Ambianenſis dicto tempore & poſt ſimiliter erat abſens a dicta curia miſſus per dominum Gregorium ad partes Tuſciæ pro tractatu concordiæ, de qua tunc tractabatur inter Eccleſiam & Florentinos.*

LXXIII. Pura rei expoſitio.

Cardd. qui Romæ agebant nomina.



LXXIV. De Gregorii lethali morbo. *Quo quidem menſe martii, ante videlicet* XXVII. *diem, dum per medicos ipſius Gregorii vita penitus deſperaretur, & dies obitus proximus tunc eſſe crederetur, præfati Cardinales præter dominum presbyterum Cardinalem S. Petri, qui propter ſuam debilitatem non poterat illis congregationibus intereſſe, congregaverunt ſe die* XXVII. *dicti menſis diverſis vicibus, interdum omnes ſimul in communi loco, interdum in diverſis locis quidam ſeparatim ab aliis convenerunt, & diverſa colloquia ſuper electione futuri Romani Pontificis, & de perſona ad apoſtolatus apicem poſt mortem dicti Gregorii eligenda inter ſe habuerunt: tamen propter diverſas eorum voluntates de perſona aliqua ultramontanæ nationis in Papam eligenda concordare non potuerunt. Cum prædicti tunc Cardinales veriſimiliter ſuſpicantes de dicta morte Gregorii, deliberaverunt invicem aliqua pro cautela, cuſtodia, & tuitione rerum ac bonorum ſuorum, & inter cætera major pars ipſorum, maxime Gallici, ſeu ultramontani, deliberaverunt mittere, & miſerunt pecunias, vaſa argentea, libros, jocalia, ornamenta, & alia eorum bona mobilia, ipſaque portari & recondi fecerunt in caſtro S. Angeli fortiſſimo & tutiſſimo, quod caſtrum ſitum erat, & eſt juxta urbem prope dictum burgum S. Petri, & tenebatur nomine Romanæ eccleſiæ per caſtellanum ultramontanum; quædam vero ex illis bonis fuerunt poſita in aliis locis tam intra quam extra urbem.*

Habiti a Cardd. cœtus de Papa eligendo.

Conſentire in aliquem Gallicum nunquam potuere.

LXXV. *Officiales autem urbis, videlicet, dominus de Guido de Primis Senator urbis miles ultramontanus, conſervatores urbis, nec non banderenſes & alii, ad quos ſpectabat & ſpectare conſueverat gubernatio & regimen reipublicæ Romani populi, ac nonnulli alii presbyteri & honeſti viri cives Romani, percipientes tunc & cogitantes debilem ſtatum & graviſſimam infirmitatem Papæ præfati Gregorii, & quod deſperabatur de longæva vita illius, acceſſerunt ad Cardinales tum ſimul congregatos in eccleſia S. Spiritus de urbe, & nominibus ipſorum, & officialium, & aliorum civium, & populi Romani coram ipſis Cardinalibus, ac multis honeſtis presbyteris & magnis viris, tam prælatis quam aliis de gravi & periculoſo ſtatu præfati domini Gregorii condoluerunt & ſe condolere dicebant, ipſiſque Cardinalibus tunc dixerunt & contulerunt, ſe fore paratos in illis omnibus aſſiſtere, facere & obedire, ac eorum exequi beneplacita & mandata; ſupplicantes etiam, quod in caſu vacationis Sedis Apoſtolicæ ipſi Cardinales dignarentur perſonam talem in Romanum Pontificem eligere, quæ attento ſtatu illius temporis eidem eccleſiæ utilis eſſet, qui Cardinales de bona, ac libera, ac grata oblatione dictorum officialium, & civium, ac populi fuerunt & erant merito valde contenti, & ipſam oblationem cum gratiarum actionibus valde gratam & acceptam habuerunt, & habere ſe reſponderunt & dixerunt. De perſona vero in Romanum Pontificem eligenda reſponderunt, quod talem intendebant eligere remota omni affectione inordinata, quam putarent utilem Eccleſiæ, & quam eligendam eis Deus inſpiraret. Et inſuper ipſi Cardinales requiſierunt officiales prædictos, quod eſſent diligentes & ſoliciti circa bonam cuſtodiam urbis, ne in novitate, quæ tunc immineret, poſſet in eadem urbe aliquod malum, vel ſiniſtrum occurrere; dictique officiales hoc utique ſe facturos ipſis Cardinalibus dixerunt & reſponderunt: & ita effectualiter fecerunt cuſtodientes urbem ipſam, burgum & conclave, de quo infra dicetur, bene, fideliter, & diligenter; & de quacumque violentia & impreſſione, & injuria, & ſcandalo reſervantes.*

Romanorum preces Cardinalibus porrectæ.

Cardinalium reſponſum.

De Urbis cuſtodia actum.

LXXVI. *Deinde adveniente* XXVII. *die dicti menſis martii præfatus Gregorius Papa obiit: & ſic ſedes Apoſtolica vacavit, & dicti tunc Cardinales evocatis ad ſe dicto ſenatore, & aliis officialibus urbis illos requiſierunt, quod præſtarent in forma juris debita de obſervando decreto ubi periculum juramenta: dictique ſenator & officiales ad requiſitionem prædictam dicta juramenta ſuper ſancta Dei evangelia per eorum quemlibet facta corporaliter præſtiterunt, reiterantes oblationem per eos factam, de qua ſuperius. Subſequenter autem quadam alia die præfatis tunc Cardinalibus ſimul congregatis in eccleſia S. Mariæ novæ, in qua corpus dicti Gregorii fuerat ſepultum, ſenator & præfati officiales eorum nominibus & aliorum civium & populi Romani, ipſis Cardinalibus ſimul ibidem exiſtentibus humiliter & devote ſupplicarunt, quatenus dignarentur aliquem bonum, idoneum, ſufficientem, ac probum virum in Romanum Pontificem eligere, qui eſſet natione Italicus, dicentes eſſe expediens & utile Eccleſiæ univerſali & toti Chriſtianitati: & eadem verba ſeu ſimilia dixerunt, ſeu petierunt in effectu multis vicibus ſucceſſivis diebus* in

Magiſtratus urbis ſacramento Cardinalibus ſe obſtrinxere.

Preces repetitæ, ut Italus eligeretur.

*in loco prædicto S. Mariæ ſuadentes tales rationes in effectu, videlicet, quod ſedes Romana, quæ erat & eſt apoſtolica propter longiſſimam abſentiam Romanorum*

Cauſæ ob quas poſtulatus eſt.

*Pontificum temporibus retroactis, quibus ipſi Pontifices ab urbe Romana, & Italia fuerunt abſentes, & etiam ipſa urbs, in qua incommutabiliter dicta ſedes fuerat ſtabilita, fuerat & erat collapſa & depreſſa; & quod eccleſiæ, monaſteria, clauſtra, palatia, ædificia, redditus, & bona fere omnia eccleſiarum, monaſteriorum, & locorum, quibus S. R. E. Cardinales intitulati, in eadem urbe & terris adjacentibus fuerant, ſicut erant, in longiſſimo tempore diruta & collapſa, & neglecta, ac in ſpiritualibus & temporalibus enormiter & quaſi irreparabiliter deducta in pernicioſum exemplum & ſcandalum omnium eccleſiarum, eccleſiaſticorum, & Chriſtianorum, & quod non erat, nec eſt, via, modus, ſeu remedium reformationis, ſeu reparationis dictorum defectuum, niſi Romanus Pontifex & ipſi Cardinales faciant reſidentiam in urbe, quam reſidentiam Romani potius facerent, quam qui fuerant hactenus ſucceſſive a tempore Clementis V. incluſive, & Cardinales illis illo tempore aſſiſtentes qui hoc facere neglexerunt & contempſerunt ſalvis infraſcriptis & ſupraſcriptis: & quod dictorum contemptus & negligentiæ vitium maximum tum fuit & contigit ex eo, quod dictis temporibus Romani Pontifices fuerunt & erant non Italici, ſed Gallici, ſeu ultramontani & a natione Italica penitus extranei: & quod verum & toti mundo notorium erat & eſt, quod occaſione præmiſſorum defectuum civitates, oppida, caſtra, villæ, terræ, & provinciæ Romanæ eccleſiæ in Italia conſtitutæ, in quibus antiquum & peculiare patrimonium, & etiam dos ipſius eccleſiæ in temporalibus conſiſtebat & conſiſtit, fuerunt per dicta tempora guerris, diſſenſionibus, partialitatibus, & infinitis tribulationibus ſuppoſitæ, vexatæ, & laceſſitæ, & per tyrannos & malos officiales, maxime ultramontanos, miſerabiliter ſubjugatæ, & oppreſſæ in tantum, quod ſancta Romana eccleſia ex ipſis civitatibus, oppidis, terris valde modicam, immo nullam utilitatem fuerat dictis temporibus conſecuta; pecunias & theſauros omnes, quos aliunde eadem eccleſia etiam cum magnis oneribus & gravibus omnium eccleſiarum mundi, congregaverat, conſumpſerat & conſumpſit & quotidie conſumit ad ipſarum civitatis, terrarum, & caſtrorum defenſionem; adeo quod eadem eccleſia quoad temporalia & ejus ærarium fuerant & erant & ſunt, maxime in noviſſimis iſtis temporibus, quaſi ad nihilum redacta, notorie exhauſta, & in magno contemptu ubique poſita: & quia non videbatur honeſtum, quod ita ſedes Romana tanto tempore remaneret ſine præſentia ſui paſtoris: & quod occaſione præmiſſorum defectuum retroactis temporibus ſæpius contigerat, quod per quoſdam ſæculares principes, qui tunc habebant ſibi ſubditos & vaſſallos & ſub dominatione ſua conſanguineos, & affines Romanorum Pontificum, ſeu ultramontanorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium pontifici dictis temporibus aſſiſtentium proter inſtantias precum per dictos conſanguineos, affines, & amicos, ac Cardinales dictis pontificibus porrectarum obvenerunt ſæpiſſime multa inconvenientia, & eccleſiæ Dei nociva, tam circa reſervationes eccleſiarum, prælaturarum & beneficiorum, quam circa promotiones prælatorum & rectorum inſufficientium, excluſis etiam electis in damnum eccleſiarum & beneficiorum, quibus præficiebantur, qui etiam quandoque circa electiones, creationes, & promotiones Romanorum Pontificum & etiam Cardinalium, qui quandoque in favorem & contemplationem dictorum ſæcularium principum eligebantur dictis temporibus, creabantur, & promovebantur partiales & illis principibus favorabiles, & de natione illis ſubdita: ex qua re multa inconvenientia Eccleſiæ Dei & toti Chriſtianitati diſpendioſa & nociva ſequebantur & ſunt ſecuta, & præſertim indevotio, inobedientia, & rebellio ſubditorum & populorum partium diverſarum palam & notorie: & quod verum, clarumque & notum erat & eſt cuilibet intuenti, quod ex continua reſidentia Romanorum Pontificum & univerſali Eccleſiæ, ac toti Italiæ & Chriſtianitati, dante Deo profutura, obveniret recuperatio terrarum dictæ Romanæ eccleſiæ perditarum, quæ notorie propter rationes jam dictas contra ipſam eccleſiam rebellarunt; necnon pax & tranquillus & pacificus ſtatus totius Italiæ, quæ maxima & optima pars erat & eſt totius Chriſtianitatis: & quod prædictis rationibus motus & in conſcientia compunctus fœlicis recordationis Urbanus V. dictas urbem & Italiam viſitavit; qui licet poſt aliquos annos Avinionem de Italia rediviſſet, ubi quaſi incontinenti poſt ſuum reditum deceſſit, tamen ipſe intendebat & proponebat, ac communiter dicebat, & ſuperſunt quidam, qui de hac ejus intentione erant & ſunt informati, quod ſi ſupervixiſſet ad urbem & Italiam proculdubio rediviſſet; necnon Gregorius Papa XI. prædictus, qui contra voluntatem & magnas precum inſtantias patris, fratrum, nepotum, & conſanguineorum, affinium, & amicorum ſuorum omnium, etiam & multorum Regum, principum, & magnatum & omnium fere Cardinalium familiarum ſuarum, lares proprios dimittendo, de partibus ultramontanis venire voluit & venit cum magnis laboribus, expenſis, & perſonarum periculo ad ipſam urbem, ibidem, ut palam & publice ipſe id dicebat, & eventus rei poſtea oſtendit, moraturus & tandem moriturus.*

Expoſita mala quæ ex Pontificum abſentia evenerant.

Neceſſariam eſſe Pontificis in urbe præſentiam.

Exorta ob abſentiam bella.

Urbanum V. religione motum rediiſſe Romam. Reverſum Avenionem conſtituiſſe Romæ ſedem reſtituere. Gregorium XI. ſpretis ſuorum precibus conſcientiæ nutus ſecutum.

*Quas*



LXXVII. *Quas ſupplicationes & rationes prædicti Cardinales plene & patenter intellexerunt & audierunt, & habita inter ſe deliberatione concordi, reſponderunt dictis officialibus, ſupplicantibus conſtanter & intrepide, quod ipſi Cardinales non habendo reſpectum magis ad unam nationem quam ad aliam, poſtpoſita omni inordinata affectione, intendebant eligere & providere de Romano Pontifice Eccleſiæ Dei & toti mundo utili, prout Deus eis miniſtraret, & eorum conſcientiis videretur, & non aliter: requirentes ipſos ſenatores & officiales pro tuitione, & cuſtodia palatii, conclavis, & burgi S. Petri, in quo burgo ſitum eſt dictum palatium: necnon pontium, per quos tranſitur de urbe ad dictum burgum ordinarent cuſtodes & capitaneos. Qui officiales ſtatim prædicta executioni mandarunt, ordinando certos cuſtodes, videlicet, quoſdam officiales Romani populi banderenſes, & quatuor alios bonos cives Romanos; de quibus ipſi Cardinales confidebant, qui capitanei & alii ſic deputati ultra juramentum, de quo ſupra dictum eſt, de novo corporaliter tactis evangeliis juramentum præſtiterunt, quod perſonas ipſorum Cardinalium & familiarium eorum cuſtodirent & tenerent ſecuros.*

Reſponſum Cardinalium.

Profeſſi nationum rationem ſe abſciſſuros.

De excubiis diſponendis actum.

Repetitum a magiſtratibus ſacramentum.

LXXVIII. *Et nihilominus ipſi Cardinales ordinarunt, quod reſidua bona ipſorum mobilia, necnon dictæ Romanæ eccleſiæ mobilia in urbe conſiſtentia maxime jocalia & alia pretioſa fuerunt portata & recondita infra dictum caſtrum S. Angeli, & quod etiam camerarius Papæ cum dictis bonis infra idem caſtrum cum multis nobilibus militibus, & armigeris & viris ſtrenuis & bellicoſis ſe recepit, & victualibus & gentibus illud munivit; & fuit ibidem continue donec fuit electus novus ſummus Pontifex. Qui camerarius ex ordinatione & voluntate dictorum Cardinalium ſuum locumtenentem dominum Guillelmum epiſcopum Marſilienſem nunc epiſcopum Valentinum ad cuſtodiendum palatium & conclave, & ad faciendum omnia, quæ per camerarium tunc fieri incumbebant conſtituit: cui epiſcopo Marſilienſi dicti Cardinales adjunxerunt epiſcopos Tyburtinum & Tudertinum cives Romanos, de quibus ſe dicebant confidere & nonnullos ultramontanos: qui continue fuerunt ad cuſtodiam dictorum palatii & conclavis uſque ad perfectionem electionis domini noſtri, cuſtodientes illud conclave & palatium bene, tute, fideliter, & diligenter, & perſonas dictorum Cardinalium ab omni violentia, impreſſione, injuria toto tempore quo ipſi Cardinales in conclave fuerunt, & electio fuit celebrata.*

Ærarii præfect. arcem S. S. Angeli munit.

Cuſtos conclavis deſignatus.

Dum celebratur electio nullus ſubortus tumultus.

LXXIX. *Eſt tamen ſciendum, quod antequam dicti Cardinales intrarent conclave convenerunt inſimul in certo loco tractantes inter ſe de futura electione Romani Pontificis: ſed diſcordes remanſerunt propter varias eorum voluntates, ut ſupra dictum eſt. Notum & detectum fuit, quod ex ipſis tunc Cardinalibus quinque, videlicet, epiſcopus Peneſtrenſis dictus vulgariter Lemovicenſis, de Agrifolio, Pictavienſis, Majoris monaſterii, & de Vernio tunc Cardinales & natione Lemovicenſes aſpirabant ad aliquem eorum nationis, vel ſequacem, & principaliter quærebant in Papam Cardinalem Pictavienſem: & quia dictum fuit eis hoc non poſſe procedere, nominaverunt Cardinalem Vivarienſem, qui erat vicinus & de ſequela ipſorum. Quinque vero alii ex dictis tunc Cardinalibus, quorum quatuor reputabantur eſſe Gallici, ſcilicet Glandacenſis, de Britannia, Gebennenſis, & S. Euſtachii: nec non quintus ſcilicet de Luna Aragonius Cardinalis aſpirabant, & volebant habere & eligere alium, & ipſis etiam videbatur concurrere & adhærere velle Cardinalis de Urſinis. Alii vero Cardinales qui erant Italici tres numero, Florentinus, S. Petri, & Mediolanenſis videbantur aſpirare ad eligendum Papam Italicum ſi potuiſſent: Sed nihilominus dicti Lemovicenſes, & cum eis Vivarienſis Cardinales per varias inductiones conabantur trahere dictos, qui reputabantur Gallici, & etiam Italicos Cardinales ad eligendum unum ex ipſis Lemovicenſibus, ſcilicet dominum Pictavienſem Cardinalem: & finaliter fuit eis dictum & declaratum expreſſe pro parte dictorum Gallicorum & conſequentium eorumdem Gallicorum, quod pro certo deliberatum fuerat inter ipſos Gallicos & eorum ſequentes, quod ipſi Gallici & ſequentes iſta vice nullo modo conſentirent eligere in Papam aliquem de natione Lemovicenſi; & hoc dixit & aperuit unus ex eiſdem Cardinalibus, ſubjungendo quod totus mundus videbatur attædiatus de dominio Lemovicenſium, quod hactenus habuerunt in papam. Propter hoc aperta diſcordia fuit inter ipſos Lemovicenſes, & ſequaces ex una parte, & alios tunc Cardinales ex alia.*

Cardinalium factiones ante ingreſſum conclavis.

Gallici contra Lemovicenſes ſe conjunxere Italis.

LXXX. *Ideo Cardinales qui dicuntur Gallici cœperunt ex tunc conſilia ad pacem cum Cardinalibus Italicis, aperte dicentes eiſdem, quod potius volebant Papam Italicum, quam de natione Lemovicenſi. Prætertim vero tunc Cardinales Lemovicenſes hoc perpendentes & cognoſcentes habitis primo colloquiis diverſis & de diverſis perſonis eligendis, finaliter concluſerunt quod, ſi non poſſent habere ſufficientem numerum ad eligendum Papam de eorum natione, vel ſaltem dominum Vivarienſem eorum ſequacem, eligerent, vel nominarent archiepiſcopum Barenſem in Papam, ſperantes quod in eum concurrerent cæteri non ſolum Cardinales Italici, verum etiam alii ultramontani, conſiderantes ſcientiam & prudentiam ipſius domini noſtri tunc Barenſis, qui etiam in cauſis & negotiis curiæ erat inſtructus, & ipſis Cardinalibus ab*

Quæ cauſæ eos promoverint.

*an-*

antiquo familiariter notus, ac ſocius & cappellanus domeſticus Cardinalis Pampilonenſis vicecancellarii Romanæ eccleſiæ, qui erat, ſicut eſt, de natione Lemovicenſi, & in cujus Cardinalis Pampilonenſis abſentia, præfatus Gregorius Papa in partibus Italiæ exiſtens præfecit dictum tunc Barenſem archiepiſcopum ad gubernandum officium cancellariæ, eique tanquam Locumtenenti dicti Cardinalis plenarie commiſit, de ipſius ſufficientia confidens: quod officium fideliter, & laudabiliter geſſit, & ipſum gubernavit uſque ad mortem dicti Gregorii.

Pro Gallico habebatur.

Reputabant etiam ipſum dicti Cardinales tanquam ultramontanum & ipſorum moribus conformem, ex eo quod multo tempore fuerat moratus & converſatus cum eis in Avinione, in Romana curia, & quia erat oriundus de Neapoli de regno Siciliæ, ubi dominabatur Joanna tunc Regina devotiſſima tunc Romanæ eccleſiæ, valde grata & accepta: ipſorumque tunc Cardinalium fuit deliberatio & voluntas etiam antequam dicti tunc Cardinales intrarent conclave, videlicet, quod dictus tunc Barenſis deberet eligi in Romanum Pontificem, quæ res tunc in dicta urbe & Romana curia patefacta & nota communiter.

Ante ingreſſum conclavis hæc deliberata.

LXXXI. Quo die illud fuerint ingreſſi.

Poſt hæc omnes domini tunc Cardinales XVI. numero, parato & perfecto conclavi ſecundum morem, ipſum conclave intraverunt, die videlicet VII. aprilis anni ſupradicti ſolemniter & lætis animis. In quorum ingreſſu multi ex Romanis, qui erant ante & circa dictum palatium altis vocibus clamaverunt: Papa Romano volemo; quæ verba multis vicibus tam in ingreſſu, quam poſt ingreſſum palam, & publice repetierunt; ipſa tamen die poſt ingreſſum eorum fuit dictum conclave bene undique clauſum & firmatum.

Romanorum expetentium Romanum clamores.

Quo conclavi ſic firmato & clauſo, tunc Cardinales de Agrifolio & Pictavienſis dictæ nationis Lemovicenſis acceſſerunt ad Cardinalem S. Petri infra dictum conclave exiſtentem, cui eorum intentionem aperientes requiſierunt, quod in caſu, quo ipſi nominarent in Papam præfatum tunc archiepiſcopum Barenſem vellet concurrere cum eiſdem.

Conclave munitur.

Propoſitus Barenſis.

Quorum petitioni dictus Cardinalis S. Petri conſenſit, & prius etiam quam intraret conclave interrogatus conſenſerat. Adveniente die octava ejuſdem menſis in mane ſequenti dicti ſexdecim tunc Cardinales de mane fecerunt coram ſe duas miſſas celebrari unam de Sancto Spiritu, aliam de feria concurrenti: & dicto conclavi bene clauſo undique firmato, exiſtentes in capella palatii prædicta intra dictum conclave inceperunt de negotio electionis invicem colloqui & tractare, & tunc præfatus Cardinalis Pictavienſis dixit ad partem Cardinali Mediolanenſi: In effectu quid dicitis vos, domine Mediolanenſis. Videtur ne vobis bonus Papa archiepiſcopus Barenſis? Cui idem Mediolanenſis ſtatim reſpondit, & dixit quod ſic: & ſtatim ipſe Pictavienſis cum tunc Cardinale de Agrifolio computarunt inter ſe eos, qui deliberaverunt eligere dictum tunc Barenſem, & invenerunt quod habebant pro electione dicti tunc Barenſis duas partes præſentium Cardinalium prædictorum: & ultimo inquirentes etiam cum aliis Cardinalibus ſecrete, an poſſent ad ſe trahere, invenerunt ſe habere numerum ſufficientem.

Iterum die ſequenti propoſitus.

Duæ partes eum admittunt.

LXXXII. Card. Urſinus diſturbare electionem conatus.

Et ſubſequenter præfatus tunc Cardinalis de Agrifolio dixit aliis dominis omnibus: Domini ſedeamus omnes, ſtatimque pro certo credo, quod in continenti eligemus & habebimus Papam. Et tunc præfatus Cardinalis de Urſinis, cum perpenderet, ſeu præſentiret concordiam prædictorum in dictum tunc Barenſem archiepiſcopum, volens negotium dictæ electionis dividere vel differre, vel ut creditur, impedire, dixit hæc verba in effectu: O domini mei, differamus, ſi placet iſtam electionem, ut poſſimus deludere illos aliquos Romanos, qui vellent habere & petierunt Papam Romanum, & vocemus ad nos unum fratrem Minorem Romanum, imponamus ei cappam, & mitram fingentes eum elegiſſe in Papam & ſic recedemus de loco iſto, & poſtmodum alium eligemus.

Proponit de ficto Papa eligendo.

Quibus verbis auditis per alios dictus tunc epiſcopus Peneſtrinenſis, vulgariter dictus Lemovicenſis, cum ſuis ſequacibus reſponderunt dicentes: Certe domine de Urſinis non faciemus ſicut vos dicitis, quia nos nolumus facere idolatrare populum, nec decipere, nec damnare animas noſtras: immo de præſenti intendimus eligere & eligemus verum Papam & de petitionibus, & verbis iſtorum populorum non curamus.

Reſponſum Cardinalium.

LXXXIII. Card. Florentinus eligit Cardinalem S. Petri.

Et poſt hæc ſtatim conſidentibus omnibus in prædicto conclavi bene undique clauſo & firmato Cardinalis Florentinus volens ſimiliter divertere, quod dictus tunc Barenſis non eligeretur, ſuaſit dictus tunc Cardinalis quod eligerent in Papam dictum Cardinalem S. Petri, quem ad hoc expreſſe nominavit; ſed fuit ſibi reſponſum per dictum tunc epiſcopum Peneſtrinum, quod licet dictus Cardinalis S. Petri eſſet bonus & ſanctus homo, tamen duo obſtabant ei, primo quod erat Romanus & per aliquos de populo petebatur Romanus, ideo Romanum non haberent; ſecundo quod erat debilis & infirmus, nec poſſet ſufficere ad onera papatus ſupportanda; adiiciens dictus Peneſtrinus hæc verba in effectu: Vos domine Florentine vos eſtis de Florentia, quæ eſt terra inimica Romanæ Eccleſiæ; ideo non eligemus vos. Cardinalis Mediolanenſis eſt de terra Bernabonis tyranni, qui ſemper fuit contra Eccleſiam. Cardinalis de Urſinis ſimiliter eſt Romanus & partialis, & nimis juvenis pro papatu, ideo vos vel aliquem veſtrum non eligemus in Papam. Et in continenti dicto conclavi adhuc

Reſponſum eſt vulgus expetere Romanum, neque habiturum Romanum.

Cur Itali Cardd. excluſi.



huc clauſo & firmato undique, & omnibus, qui erant in dicto palatio, & circa ipſum palatium ſilentium tenentibus, præfatus tunc Cardinalis dictus vulgariter Lemovicenſis, audientibus omnibus aliis tunc Cardinalibus elegit præfatum dominum noſtrum in papam Romanum Pontificem, utendo his verbis: Ego pure & libere eligo, & aſſumo in Papam dominum Bartholomæum archiepiſcopum Barenſem & animo & voluntate quod ſit verus Papa; & illico ſine temporis intervallo præfati alii tunc Cardinales in numero ſufficienti, ac facientes majorem partem duarum partium ipſorum omnium tunc Cardinalium pure & libere eundem tunc Barenſem archiepiſcopum ſimiliter in Romanum Pontificem elegerunt tunc. Cardinalis vero Florentinus, videns quod duæ partes & plures dictum archiepiſcopum elegerunt, illis adhæſit, & eundem archiepiſcopum pure & libere ſimiliter elegit in continenti.

Electionis modus ante ortam ſeditionem.

Conſentiunt omnes in archiepiſc. Barenſem.

LXXXIV. Deliberant an promulgatam ſint electionem.

Qua electione ſic facta in continenti dicti tunc Cardinales invicem prælocuti inter ſe an expediret dictam electionem ſtatim populo publicare, concluſerunt quod non, ſed differre donec tranſiret tempus prandii, & donec ipſi pranſi fuiſſent, moti ad hoc multiplici ratione, primo quod dictus electus non erat in palatio præſens, & ſi antequam ad dictos Cardinales veniret, dicta electio nota eſſet, poſſet ſibi electio ad ſiniſtrum & tædioſum occurrere pro eo, quod ipſe Romanus non erat, & Romani libenter habuiſſent & haberent Romanum in Papam; tum quia volebant primo aliqua vaſa argentea & alia bona exiſtentia in conclavi facere reportari & illa ſervare, dubitantes ne illa Romani raperent. His ſic peractis cœpit dici apud aliquos de populo Romano, quod jam Papa erat electus, licet non ſciretur quis eſſet electus, vel unde, ſeu de qua natione, & propterea ipſi de populo petebant, & clamabant, quod hoc indicaretur eiſdem: & tunc miſſus fuit per epiſcopum Maſſilienſem locumtenentem dicti camerarii ad cuſtodiam conclavis, qui in lingua ſua vulgari dixit: Ales a ſainct Pierre, id eſt quod irent ad S. Petrum. Præfati vero de populo intelligentes, quod verba ſonarent, dominum S. Petri eſſe electum, iverunt ad hoſpitium domini Cardinalis S. Petri ſitum in urbe, & ipſum intraverunt, & ſupellectilia, & nonnulla bona mobilia ibidem exiſtentia ſecum aſportaverunt, dicentes hoc eſſe de more antiquo quando Romani Pontifices præſentes in urbe eligebantur: nonnulli vero de dicto populo remanſerunt circa palatium præ lætitia in conſpectu dicti palatii, qui deſiderabant habere Romanum, & clamabant alta voce ſimilia verba in effectu: Romanum volumus, Romanum habemus; & propter præmiſſa deliberaverunt pro majori ſecuritate perſonæ ipſius electi, & ne aliquis pro tunc crederet, vel præſumeret, quod ipſe Barenſis eſſet electus, mundaverunt pro nonnullis prælatis in Romana curia tunc moram trahentibus, videlicet archiepiſcopo tunc Barenſi jam ſic electo, Patriarcha Conſtantinopolitano, Epiſcopo Uliſbonenſi, epiſcopo Oſcenſi, Lucenſi electo, ac abbatibus Caſinenſi & S. Laurentii extra muros urbis, quod ipſi omnes ad dictum palatium accederent pro magnis negotiis Romanæ eccleſiæ. Interim prædicti prælati ſic vocati pro majori parte acceſſerunt ad dictum palatium, in quo pranſi ſunt ſeorſum extra conclave, & dicti Cardinales per ſe ſimiliter infra dictum conclave pranſi ſunt.

Increbeſcit falſus rumor Card. S. Petri creatum Pontificem.

Ejus ædes expilatæ.

Archiep. Barenſis cum aliis vocatus in palatium.

LXXXV. Iterum eum præſentem Cardd. deligunt.

Quo prandio ſumpto, & omnibus intus & extra ſilentium tenentibus, dictoque conclavi undique clauſo bene & firmato, dicti tunc Cardinales in capella ſupradicta iterum ſe retraxerunt, & iterato convenerunt, & ad majorem expreſſionem liberæ voluntatis & conſenſus eorum, ad cautelam majorem in præfatum tunc archiepiſcopum Barenſem iterato pure & libere, concorditer ac unanimiter conſenſerunt, & eum in Papam iterato elegerunt dicentes expreſſe, quod eum libere, & animo & voluntate, ut eſſet verus Papa, eligebant. Cumque adhuc ſuperſederent publicationi dictæ electionis, nonnulli de dicto populo ſuſpicantes fraudem, ſeu deluſionem aliquam ipſis fieri in præmiſſis, & præſumentes, quod dictum palatium ab alia parte erat apertum mandato dictorum Cardinalium, ſcilicet ex cauſa extrahendi & receptandi; ſicut extracta & recepta fuerunt vaſa argentea, quæ ibi habebant; attendentes vero officiales de populo, quod Cardinales non debebant exire conclave, niſi Papam elegiſſent & electionem publicaſſent, intraverunt aliqui per illam aperturam cauſa explorandi & ſciendi, an nullus, vel aliquis eßet in Papam electus. Cardinales vero ultramontani, videntes tunc infra dictum conclave prædictos, qui intraverunt, ſuſpicantes forte de indignatione eorum, quod non elegerant civem Romanum in Papam, ſimulaverunt ſe elegiſſe in Papam dominum Cardinalem S. Petri, de quo, ut præmittitur, rumor inſonuerat; & per rogamina & preces ipſorum tunc Cardinalium obtinuere ab eodem Cardinale S. Petri quod ad complacendum populo & ſalutem dicti electi, & ad evitandum omnem injuriam ipſorum Cardinalium, ipſe Cardinalis S. Petri indueretur: & indutus fuit cappa, & mitra papali, & in ſede fuit poſitus. Et interim Romanis, qui erant intus & extra, aperta fuit porta dicti conclavis, per quam intravit maxima multitudo hominum: qui credentes ipſum dominum S. Petri eſſe Papam, reverentiam ſibi exhibuerunt, hiſque ſic procedentibus præfati Cardinales tunc, excepto Cardinale S. Petri, de dicto palatio ſucceſſive re-

Dilata promulgatio.

Aperitur conclave ante promulgationem.

Suſpicantur Romani ſe deluſos.

Cardinales ſe elegiſſe ſimulant Cardinalem S. Petri.

Lætantur Roman. de theatrali Pontifice.

*receſſerunt & ad eorum hoſpitia tute reverſi fuerunt, & quilibet eorumdem recedebat, & per nonnullos cives Romanos uſque ad domos ipſorum honorifice aſſociati fuerunt, præfatuſque archiepiſcopus tunc Barenſis, ut præmittitur, electus in dicto palatio remanſit; dictuſque Cardinalis S. Petri in dicto conclavi exiſtens dixit omnibus ibidem exiſtentibus hæc verba in effectu: Ego non ſum Papa, nec volo eſſe antipapa; Sed melior me eſt electus in Papam, ſcilicet archiepiſcopus Barenſis.*

LXXXVI. *Cum Cardinalis tunc de Luna ſuper equo ad hoſpitium ſuum rediret, fuit tam honorifice & tam a multis civibus Romanis circumdatus & aſſociatus, quod cum tranſitum faceret juxta caſtrum S. Angeli, in quo erat tunc camerarius & dictus camerarius, & alii in dicto caſtro exiſtentes putaverunt ipſum de Luna duci captivum. Et tunc quidam, portam ferream ſuper pontem prope ipſum caſtrum, per quam tranſire debebat, claudi fecerunt ita ut ipſum tunc Cardinalem e manibus Romanorum eriperent, jacientes etiam lapides & jacula & ſagittas contra Romanos ante ipſum caſtrum tranſeuntes: & ex hoc rumore in urbe, & populo Romano, quod illi de caſtro prædicto faciebant novitates contra Romam, propterea tunc pulſatæ fuerunt campanæ S. Petri ad reddendum captos ipſos Romanos ab aliis de caſtro prædicto. Sed poſtmodum perpendentes quod prædictus tunc Cardinalis de Luna non duceretur captivus, ſed honeſte & honorifice aſſociabatur, dicta commotio & rixa ſedata fuit.*

Milites arcis S. Angeli Romanos adoriuntur.

Romani læti ſeditionem commovent.

LXXXVII. *Demum dicto tunc Barenſi ſic electo, & in palatio exiſtente, rumor pervenit ad ipſum, quod aliqui de populo quærebant & minabantur eum interficere pro eo quod electus in Papam non erat Romanus, ſicut primo petierunt, & propterea tunc archiepiſcopus electus ſe in loco ſecreto ejuſdem palatii abſcondit, ibique latitavit donec dicta electio per urbem, & palatium prædictum fuit publicata. Poſtquam vero aliqui Cardinales ultramontani in eorum hoſpitiis fuerunt, ſuſpicati aliquid diſplicibile ſibi poſſe fieri per Romanos propter fictionem & ſimulationem per eos factam in perſona Cardinalis S. Petri, reduxerant ſe in caſtro S. Angeli, videlicet Lemovicenſis, de Agrifolio, Pictavienſis, de Britannia, Vivarienſis, & de Vernio. Quidam vero alii acceſſerunt ad quædam loca fortiſſima longe extra urbem, videlicet Cardinalis tunc Gebennenſis ad caſtrum Zagaroli, Cardinalis de Agrifolio, & S. Euſtachii ad caſtrum de Vicovario, Cardinalis S. Angeli ad caſtrum Aidæ quod eſt monaſterii S. Pauli, cujus abbas erat & eſt ultramontanus. Alii vero in eorum hoſpitiis remanſerunt, videlicet Florentinus, & Majoris monaſterii, Mediolanenſis, Glandacenſis, & de Luna tute, pacifice, & ſine aliqua moleſtia.*

Renuntiatum Urbanum quæri ad necem, quod Romanus non eſſet.

Timentes Cardd. ob fictionem ſe in arcem recipiunt.

LXXXVIII. *Eodem ſero tarda hora antedicti tunc Cardinales acceſſerunt ad caſtrum S. Angeli: & aliqui alii, qui de urbe receſſerant, miſerunt nuncios, & ſcripſerunt, & nunciaverunt præfato archiepiſcopo Barenſi tunc electo exiſtenti in palatio, quod ipſe erat electus in verum Papam: & quoniam, pro eo quod ipſe electus non erat Romanus, poſſet ei aliquid ſiniſtrum, vel tædioſum contingere, conſulebant ei, & ſupplicabant, quod pro ſecuritate & ſalvatione honoris, & perſonæ ſuæ, & ſtatus univerſalis Eccleſiæ recederet de ipſo palatio, & ad aliquem alium locum tutum ſe reduceret. Quibus conſilio & requiſitione intellectis præfatus electus, conſuluit Cardinalem S. Petri adhuc in palatio exiſtentem, quid eidem videretur ſuper hoc faciendum per ipſum electum. Cui idem Cardinalis S. Petri reſpondens conſuluit & perſuaſit, quod nullo modo de dicto palatio recederet. Cujus conſilium idem electus in hac parte ſecutus eſt, permanens cum eodem Cardinale tota nocte in dicto palatio.*

Conſulunt Urbano ut palatio recedat, quo ſibi conſulat.

Dubitanti conſil. dat Cardinalis S. Petri ne recedat.

LXXXIX. *Die vero immediate ſequenti, quæ fuit nona ejuſdem menſis, de conſilio dicti Cardinalis S. Petri veritas dictæ electionis, videlicet, quod archiepiſcopus tum Barenſis erat electus in verum Papam, fuit intimata officialibus & rectoribus Romani populi: qui officiales, rectores, videlicet ſupradicti dominus Guido de Primis Ultramontanus, & alii de electione hujuſmodi gaudentes; ſtatim voluerunt accedere, & acceſſerunt ad dictum palatium cauſa exhibendi reverentiam dicto electo. Sed dictus electus hoc non fuit paſſus, nolens per aliquem reverentiam ſibi exhiberi, & dicendo inter cætera, quod pro tunc nolebat niſi archiepiſcopus Barenſis vocari: & eodem mane præfati quinque Cardinales qui, ut jam dictum eſt, in hoſpitiis eorum remanſerant, videlicet Florentinus, & Majoris monaſterii, Mediolanenſis, & de Luna Cardinales venerunt ad dictum palatium, & ad dictum electum iidem dicti Cardinales, & quilibet eorum congaudendo eidem de felici electione, & promotione & aſſumptione ipſius ad papatum, etiam dicendo verba alia multa grata & humilia; & inſuper dixerunt, ſuaſerunt, & inſtanter ſupplicaverunt quod electioni de eo factæ conſentiret tamquam concordi, & canonice factæ. Demum conſuluerunt & dixerunt eidem electo, quod ſtatim mitteret, & etiam miſſum fuit pro dictis Cardinalibus, qui, ut jam dictum eſt, erant in dicto palatio, ut dictam electionem eidem electo præſentarent ad finem, ut eidem electioni electus ſuum præberet aſſenſum, & ut demum idem electus inthronizaretur per eos, ut eſt mos.*

Die ſequenti ſignificata magiſtratibus Urbani electio.

Cardd. Urbani gratulantur.

Electionis decretum ei offerunt.

*Qui*



*Qui electus de antedictis verbis, & ſuaſionibus quinque Cardinalium proxime nominatorum volens eſſe clarus in ſua conſcientia, & firmus, & ſecurus de ſtatu ſuo, interrogavit illos, & eorum quemlibet a ſingulo, & ſingillatim volens ab eis ſcire, an ipſe re vera ac ſyncere, pure, & libere, & canonice per omnes Cardinales in conclavi fuiſſet electus in Papam: dixitque illis quod ſi electio non fuiſſet libera, & canonica, eidem electioni nullatenus conſentiret; quodque ipſi quinque Cardinales, & eorum quilibet firmiter & conſtanter reſponderunt, quod pro certo ipſe ita ſyncere & pure, & libere, ac canonice fuerat & fuit electus in Papam per dictos Cardinales, ſicut aliquis potuiſſet in Romanum Pontificem libere, & canonice eligi, ſuadentes etiam eidem, quod pro Deo ſuper hoc idem electus nullatenus recuſaret, ſeu omitteret, aut differret conſentire, quodque quidam ex eiſdem Cardinalibus ulterius eidem electo dixerunt, quod ipſe magnum peccatum faceret, ſi dictæ electioni non conſentiret, nam ex hoc poſſet veriſimiliter contingere, quod ſedes Apoſtolica diu vacaret, pro eo quod dicti Cardinales cum magna difficultate iterato, congregarentur ſimul, & convenirent ſuper alio in Romanum Pontificem eligendo.*

Profitetur coram Cardd. Urbanus ſe electioni niſi fuerit libera & canonica non aſſenſurum.

Fit certior de conſenſu unanimi.

XC. *Tandem vero, qui tunc erant in dicto caſtro S. Angeli, audita requiſitione facta eis, in continenti ſcribi fecerunt unam cedulam, quam propriis manibus ſubſcripſerunt, quam præſentari & aſſignari dictis quinque Cardinalibus in dicto palatio cum dicto electo exiſtentibus fecerunt, cujus quidem cedulæ forma noſcitur eſſe talis.*

*In Chriſti nomine. Amen. Anno 1388. indictione prima, die vero nona menſis aprilis, Romæ in caſtro S. Angeli, præſente reverendo patre Joanne Dei gratia epiſcopo Sarlatenſi, venerabili viro fratre Præfecto abbate monaſterii Sicienſis Nucerinæ Diœceſis, & nobili viro Roſtango de Sancto Criſpino teſtibus, ad infraſcripta ſpecialiter vocatis, reverendiſſimi in Chriſto patres & domini domini Joannes epiſcopus Peneſtrinenſis, Guillelmus tit. S. Stephani in Cœlio monte, Hugo tit. S. Laurentii in Lucina, & Petrus tit. S. Mariæ in via lata diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales omni modo, via, forma, quibus melius propria & libera voluntate tradiderunt omnes, & quilibet ipſorum inſolidum poteſtatem in inthronizatione & quolibet alio actu faciendo in perſona & de perſona reverendi in Chriſto patris domini Bartholomæi archiepiſcopi Barenſis ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis, reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis dominis Petro Portuenſi & S. Ruffinæ epiſcopo, Franciſco tit. S. Sabinæ, Simonis tit. SS. Joannis & Pauli, Geraldo tit. S. Clementis, & Petro S. Mariæ in Coſmedin S. R. E. Cardinalibus, & cuilibet ipſorum in ſolidum promittentes dicti domini committentes ratum & gratum habere omne & totum quidquid per præfatos dominos Cardinales fiet circa inthronizationem prædicti domini ſummi Pontificis electi. Ad quorum omnium majus robur præfati domini Cardinales committentes, & quilibet ipſorum huic cedulæ eorum propriis manibus ſubſcripſerunt in præſentia mei notarii infraſcripti & teſtium prædictorum.*

Syngrapha Card. in arce exiſtentium pro Urbano.



*Ego Joannes epiſcopus Præneſtinenſis S. R. E. Cardinalis dictis omnibus conſentio & manu propria me ſubſcribo.*

*Ego Guillelmus tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyter Cardinalis prædictus, dictis omnibus conſentio, & manu propria me ſubſcribo.*

*Ego Guido tit. S. Crucis in Jeruſalem presbyter Cardinalis præmiſſis omnibus conſentio.*

*Ego Petrus S. Laurentii in Lucina presbyter Cardinalis omnibus præmiſſis conſentio.*

*Ego Hugo tit. SS. Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis ſupradictis conſentio.*

*Ego Petrus S. Mariæ in via lata diaconus Cardinalis omnibus præcedentibus me ſubſcribo.*

XCI. *Senator autem, & alii officiales, audientes, quod dicti ſex Cardinales dubitabant plurimum ad dictum electum accedere, pro eo quod Romanum non elegerant, & ideo dictam cedulam miſerant, acceſſerunt ad ipſos Cardinales, & ipſos hortati ſunt, quod audacter & ſecure poterant exire, & ad electum præfatum accedere, nec oportebat eos, aut aliquem eorum dubitare, quod licet non elegiſſent civem Romanum, ſicut multi deſiderabant, tamen revera populus Romanus de dicta electione remanebat contentus. Et tunc præfati ſex Cardinales audientes verba dictorum Senatoris & officialium fuerunt valde conſolati, & ſtatim poſt prandium hora veſpertina de dicto caſtello acceſſerunt ad dictum palatium, & dictis aliis Cardinalibus, qui in dicto palatio erant in cappella, ſimul convenerunt, ibique in præſentem Barenſem tunc archiepiſcopum unanimiter & pure conſenſerunt, ut eſſet Papa, facientes ipſum vocari per Cardinalem de Agrifolio, ut ad dictam cappellam accederet. Ipſeque electus ad ipſam cappellam acceſſit ad ipſos Cardinales ſic tunc congregatos, per quos tamquam electus in Romanum Pontificem, & in eum tamquam electum conſentientes receptus fuit inter eos, ibidemque conſedit. Quibus omnibus ſic ſedentibus Cardinalis Florentinus primus tunc in ordine, de voluntate aliorum, præmiſſa quadam authoritate divinæ Scripturæ, quæ incipiebat ſic: Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, impollutus, &c. & ejuſdem authoritate facta aliquali reductione, & proſe-*

Moniti ii ut ſine metu in palatium ſe conferant.

Urbanus ſine ullo metu iterum electus.



*cu-*

Florentinus poſtulat ab eo ut pontificatum admittat.

*cutione, & ipſi electo dicta electione notificata, de voluntate, & vice aliorum ipſum electum, quod electioni prædictæ conſentiret, requiſivit. Et tunc idem electus aſſumpſit & introduxit quamdam aliam authoritatem divinæ Scripturæ, quæ ſic dicebat:* Timor & tremor venerunt ſuper me & contraxerunt me tenebræ; *& cum ipſam authoritatem vellet proſequi, & ſe a tanto honore excuſare, dixerunt tunc Cardinales, quod proſecutionem ipſius authoritatis pro tunc dimitteret, quia non erat de more, quod collationem, ſeu ſermonem alium eis faceret juxta morem conſuetum, requirendo iterum & inſtanter, quod conſentiret electioni prædictæ. Ipſe vero electus precibus & inſtantiis devictus cum tremore & timore præfatæ electioni conſenſit. Et illico prædicti omnes tunc Cardinales cum magna lætitia tunc cantantes,* Te Deum laudamus, *& induto per eos ipſo electo veſtibus papalibus, & dictis orationibus conſuetis, ſervatiſque in his ſingulis ſolemnitatibus & cæremoniis conſuetis, eumdem electum inthronizaverunt, & campana dicti palatii pulſata, fecerunt ſubſequenter interrogare, quo nomine vellet vocari, & reſpondens ait:* Urbanus; *& ſtatim prædicti Cardinales eidem fecerunt reverentiam conſuetam oſculando cum inclinatione magna purpureum ſuum pallium.*

Reſponſum Urbani ſe excuſantis.

Victus Cardd. precibus aſſentitur.

Ut pontificio ornatu indutus ſit.

XCII. *In continenti Cardinalis de Vernio ivit ad feneſtram, & dixit multis ibi congregatis;* Annuncio vobis gaudium magnum: Papam habemus vocatum Urbanum VI. *Et poſt prædicta eadem die tres ex dominis Cardinalibus, videlicet, Lemovicenſis, de Agrifolio & Pictavienſis traxerunt ſe ad partem in eodem palatio cum præfato domino noſtro in loco ſtudii, dicentes eidem, quod ipſi tres Cardinales fuerunt motivum in cauſa promotionis ipſius domini noſtri, & ſupplicaverunt ſibi, quod dignaretur habere recommendatos fratres, & alios de genere Gregorii prædeceſſoris ſui, & executionem ſui teſtamenti, & præſtaret certum ſubſidium pro redemptione domini Rogerii fratris dicti domini Gregorii in Anglia captivi, & quod dignaretur in prima creatione Cardinalium promovere ad cardinalatum filium domini Hugonis de Rupe nepotem dicti domini Gregorii conſanguineum ipſorum dominorum Cardinalium, quia ſic idem Gregorius facere intendebat. Supplicaverunt etiam ſibi, quod dominum Joannem de Baro eorum conſanguineum cubicularium dicti domini Gregorii, caperet in ſuum cubicularium. Quibus ſupplicationibus idem dominus noſter benignum dedit reſponſum, recipiens poſtmodum dictum dominum Joannem de Baro, in cubicularium ſuum.*

Card. de Verneio electionem promulgat.

Præcipui election. auctores commendant ipſi Gregorii conſanguineos.

XCIII. *Adveniente autem die Sabbati proxima, quæ fuit decima dicti menſis idem dominus noſter cum ſupranominatis* XII. *tunc Cardinalibus, qui ſuæ inthronizationi interfuerunt, & etiam cum Cardinale de Urſinis, qui jam ad urbem redierat, deſcendit de dicto ſuo palatio in baſilicam S. Petri, ibique ſedens in ſede Papali ſita in capite dictæ baſilicæ ante altare majus, præſentibus ipſis Cardinalibus, & univerſo populo, recepit a canonicis ejuſdem baſilicæ debitam reverentiam cantantibus tunc,* Te Deum laudamus. *Deinde miſſa in eodem altari ſubmiſſa voce celebrata, & in fine miſſæ data per eum benedictione, ſimul cum eiſdem Cardinalibus ad dictum palatium rediit, & de his juxta morem Romanorum Pontificum collationem, ſeu ſermonem fecit: ipſique tunc Cardinales ab eodem domino noſtro petierunt ea, quæ a Romanis Pontificibus noviter creatis per eoſdem ſimul congregatos peti conſueverunt: & inter cætera petierunt humiliter plenam abſolutionem omnium peccatorum, diſpenſationem ſuper quibuſdam irregularitatibus, quas forſan incurriſſent: quæ omnia idem dominus conceſſit: & ſubſequenter quilibet eorum elegit ſibi ſuper his confeſſorem, per quem in forma eccleſiæ ſe abſolvi fecerunt.*

Interfuere 13. Cardd. cum in ſede pontificia locatus eſt.

In baſilica Vatic. ritu ſolemni a canonicis cultus.

Petita a Cardd.

XCIV. *Adveniente die Dominica Ramiſpalmarum, quæ fuit undecima dicti menſis aprilis, præfati Cardinales hora matutina venerunt ad dictum palatium, & cum dicto domino noſtro iverunt ad baſilicam S. Petri prædictam, de mandato ipſius domini noſtri Papæ, palmis & ramis per ultimum presbyterum Cardinalem, videlicet per Cardinalem Majoris monaſterii, juxta morem, & cum celebratione miſſæ, benedictis. Et interim ſupervenientibus multis aliis prælatis, & nonnullis magnis, & honeſtis viris & numeroſo populo ad dictam baſilicam, ipſe dominus noſter Papa pontificalibus indutus, ut eſt moris, in dicta ſua papali cathedra in dicta baſilica ſedens, eiſdem omnibus Cardinalibus in veſtibus ſacris, & etiam prælatis magnis, & aliis honeſtis perſonis, ac ſucceſſive omnibus aliis, & plurimis de populo ad eum convenientibus ramos palmarum ſecundum morem antiquum tradidit, & publice per cancellos majoris altaris in vulgus, ſicut moris eſt, projecit. Demum cum ſuis Cardinalibus proceſſionaliter per dictos cancellos inceſſit, & in altari prædicto Cardinalis Florentinus coram ipſo domino noſtro Papa & Cardinalibus miſſam celebravit ſolemniter, ipſis Cardinalibus aſſiſtentibus dicto domino noſtro ſecundum morem, ipſo domino noſtro exercente omnia, quæ Romanus Pontifex in talibus exercere conſuevit. Qui dominus noſter diebus ſequentibus uſque ad Dominicam Reſurrectionis quotidie mane & ſero in aliis horis conſuetis pro dandis indulgentiis peregrinis, & populo univerſo exivit, ipſeque indulgentias dedit ſecundum morem, & conſuetudinem aliorum Romanorum Pontificum, aſſiſtentibus etiam ſibi publice dictis Cardinalibus, & altero eorum dictas indulgentias palam & alta voce nunciante, & divulgante in alto ambulatorio ſito ſuper gradus dictæ baſilicæ.*

Adſunt cum pontif. dum ſacrantur palmæ.



Anathema in hæretic. & perduelles ferentem circumſtetere.

*Item die Jovis feria poſt dictam diem in Ramis palmarum quinta tunc ſequenti, qui dies fuit* XV. *menſis aprilis, in quo die Romani Pontifices proceſſus excommunicationis, & anathematizationis facere publice conſueverunt, præfatus dominus Urbanus VI. in loco ſupradicto ſuper gradus dictæ baſilicæ S. Petri palam, & publice in veſtibus pontificalibus, univerſo populo ſe exhibens, accenſo cereo proceſſus generales in forma conſueta fecit, ac etiam ſpecialiter contra Florentinos tunc Romanæ eccleſiæ inimicos. Et præfati Cardinales, & quilibet eorum eidem domino noſtro in veſtibus ſacris & mitris, ac etiam cereis, quos in manibus ſuis tenebant, accenſis aſſiſtebant & aſtiterunt, ac obſequebantur: Et unus eorundem Cardinalium juxta morem dictos proceſſus capitulatim, & diſtincte coram dicto populo publicavit, & vulgarizavit. Demum ipſe dominus noſter Papa, & conſecutive omnes dicti Cardinales dictos cereos deorſum ante locum publicum dejecerunt, ſicut dicta die jam ab antiquo tempore per Romanos Pontifices, & Cardinales fieri conſuevit. Et præmiſſis expletis, ſtatim in continenti ipſe Dominus noſter Papa Urbanus cum dictis Cardinalibus rediit in dictum ſuum palatium ad magnam cappellam ejuſdem; & ibidem coram ipſo domino noſtro Papa, & Cardinalibus, & multo populo, tam prælatorum, quam laicorum, Cardinalis de Agrifolio pontificaliter indutus miſſam ſolemniter celebravit. Die Veneris ſancto immediate ſequenti Cardinalis Florentinus in eadem cappella magna coram domino noſtro, & Cardinalibus prædictis celebravit officium conſuetum illa die celebrari, & idem dominus noſter, poſtmodum Cardinales ſuo ordine iverunt ad adorandum crucem ſecundum morem ſolitum coram multitudine populi. Et ſimiliter die Sabbati ſancta immediate ſequenti fecit idem dominus noſter coram ſe, & dictis Cardinalibus celebrari. Miſſam ſolemnem decantavit Cardinalis Gebennenſis. Qua die, ſcilicet Sabbati ſancta, Cardinales, qui exiverant urbem ſimul cum aliis, qui remanſerant in urbe, ſicut fuerat deliberatum & determinatum, omnes ſimul de nocte, & ante diem Paſchæ in dicta baſilica traditis ipſi domino noſtro annulo, pallio, & ſervatis omnibus cæremoniis conſuetis, ipſe dominus noſter, ſervientibus & aſſiſtentibus ſibi omnibus Cardinalibus miſſam ſolemniter celebravit, in qua omnes diaconi Cardinales ſacramentum Euchariſtiæ palam, & publice receperunt.*

Divina alia officia a Cardd. cum Urbano conſidente in ſolio peracta.

Cardd. qui ex urbe aufugerant redeunt.

XCV. *Quibus omnibus perfectis, ipſa die Reſurrectionis mane ipſe dominus noſter ſacris indutus veſtibus una cum dictis Cardinalibus ſupra omnibus ſimiliter indutis, de dicta baſilica proſiliens, acceſſit ad gradus ante fores ejuſdem baſilicæ, ubi ſuper altum eminentem thalamum idem dominus noſter, aſſiſtentibus ſibi dictis Cardinalibus omnibus, ſervatis ſolemnitatibus, & cæremoniis conſuetis, idem dominus noſter per Cardinalem de Urſinis priorem diaconorum, cum nullus Cardinalis Oſtienſis tunc exiſteret,* ſpectare ad primum diaconum pontificium diadema conferre, ad Oſtienſem vèro epiſcopum novi Pontificis, ſi epiſcopalibus ſacris non ſit initiatus, conſecrandi munus alias oſtenſum eſt, *publice coram univerſo populo, & infinitis peregrinis, hoc cum devotione proſpicientibus, & dictis omnibus Cardinalibus ſic fieri volentibus, & conſentientibus, diadema ſeu thiaram, qua Romani Pontifices coronari conſueverunt, ſacro capiti ſuo impoſitam cum conſuetis ſolemnitatibus ſuſcepit; & benedictionem ſolemnem ſuper populum dedit: & ſubſequenter ſic coronatus, & exinde ſimul cum Cardinalibus ſuper equos etiam phaleratos, ornatos, & albis pannis coopertos aſcenderunt, & ſequente multitudine prælatorum ſimiliter ornatorum, & quamplurimorum magnatum & nobilium virorum, & adextrantibus equum dicti domini noſtri ſecundum morem ſenatore, & nonnullis magnatibus peditando de dicta baſilica S. Petri per urbem uſque ad eccleſiam Lateranenſem proceſſionaliter equitavit. Ad quam eccleſiam Lateranenſem perveniens una cum dictis Cardinalibus juramentum ſenatoris, ante fores ipſius baſilicæ exiſtentis, dominium jurium ſpiritualium & temporalium recepit, & etiam reverentiam a canonicis dictæ Lateranenſis eccleſiæ cum debitis orationibus, & genuflexionibus, & lætania ſolemniter decantata, & diſtributa certa ſumma pecuniæ inter Cardinales juxta morem: quæ pecunia vocatur presbyterium. Et ſervatis omnibus cæremoniis conſuetis præſentibus, conſentientibus, & volentibus dictis Cardinalibus, & exinde cum ſimili comitiva & cæremoniis de dicta eccleſia Lateranenſi ad ſupradictum palatium apoſtolicum apud S. Petrum publice equitando, redierunt.*

Pontifex aſtantibus omnibus Cardin. thiara redimitur.

Congregatos ex variis gentibus fideles ſacra prece luſtrat.

Lateran. eccleſiæ poſſeſſionem init.

Cardinales presbyt. auro donat.

XCVI. *Poſt prædicta autem ſic confirmata præfatus dominus noſter cum Romana curia, & præfati Cardinales, quaſi omnes fecerunt continuam moram, & reſidentiam in urbe per ſpatium trium menſium, vel circa. Quo tempore dictum dominum noſtrum Urbanum tanquam verum Papam habuerunt, & reputaverunt, & eidem tanquam Romanæ eccleſiæ vero ſponſo, & eorum domino annulos aureos variis gemmis ornatos, & alia bona & res donaverunt, eidemque aſtiterunt diebus & horis congruis, in omnibus & ſingulis actibus conſuetis aliis Romanis Pontificibus, tam publice, quam privatim, ipſum dominum noſtrum appellantes ſummum Pon-*

Trium dein menſium flexu a Cardinalib. Pontifex cultus.

Pontificem, dominum eorum publice, & ſecrete in eorum propriis domibus & miſſis ſolemnibus, & ſecretis per ſe, & eorum cappellanos coram ipſis celebratis, ſicut pro aliis Romanis Pontificibus dici conſuevit, videlicet: Deus omnium fidelium paſtor &c. Et: Hæc nos, quæſumus Domine, & hoc etiam ſimiliter fecerunt per aliqua tempora, poſtquam fuerunt in civitate Anagniæ in eorum hoſpitiis ſecretis & publicis, alta voce & ſubmiſſa: qui locus Anagniæ, ſaltem ſecundum eorum aſſertionem, erat eis tutus, & ſecurus.

XCVII. Inſuper adveniente XXIV. die menſis aprilis Ambianenſis tunc Cardinalis, habita notitia & informatione de electione, inthronizatione, & coronatione, & aliis ſupradictis, redivit ad Romanam curiam, perveniens dicta die ad monaſterium S. Pauli, ubi de nocte quievit: & die ſequenti, quæ fuit XXV. ejuſdem menſis, idem dominus noſter, aſſiſtentibus ſibi dictis Cardinalibus; & in conſiſtorio publico ipſum Ambianenſem tunc Cardinalem honorifice recepit ad oſculum pedis, manus, & oris: & etiam hic a dicta die XXV. uſque ad tempus, quo ad Anagniam de licentia ejuſdem domini noſtri acceſſit, continue moram traxit in urbe & Romana curia.

Et advertendum, quod inter alia officia per dominum noſtrum Urbanum cum dictis Cardinalibus ſolemniter celebrata, idem dominus noſter celebravit in die feſtivitatis Aſcenſionis dicti anni præſentibus, aſſiſtentibus, miniſtrantibus, & obſequentibus indutis ſecundum morem omnibus prædictis Cardinalibus: in qua celebratione dominus Petrus de Luna tunc Cardinalis ſibi miniſtravit & ſervivit in cæremoniis conſuetis, & lectione evangelii publice & alta voce: & ſimili modo Cardinalis de Urſinis in cantando: Confiteor Deo, &c. ac veniam & abſolutionem omnium peccatorum ab eodem domino noſtro generaliter poſtulavit. Quam abſolutionem cum omnibus orationibus conſuetis idem dominus noſter conceſſit; & præfatus de Luna Corpus Chriſti, ſeu Euchariſtiam, de ſuis manibus recepit.

Sacramentum Euchar. ex Urb. manu Card. de Luna accepit.

In die etiam Pentecoſtes, & in die Corporis Chriſti idem dominus noſter ſolemniter etiam cum aſſiſtentia, præſentia, & cæremoniis ſimilibus celebravit. Et tunc Cardinalis de Urſinis, & de Vernio in lectione evangeliorum, & aliis ad officium diaconorum pertinentibus ſervierunt, & miniſtraverunt, cantando: Confiteor Deo; & indulgentiam, & abſolutionem, & communionem Corporis Chriſti ſimili modo petendo & recipiendo: & præfati Cardinales omnes poſt coronationem præfati domini noſtri diebus conſiſtorialibus, videlicet lunæ & mercurii, & veneris, quibus præfatus dominus noſter tam conſiſtoria publica quam privata tenebat, ad conſiſtorium veniebant, ipſique præfato domino noſtro pontificiis ornamentis induto ſuper thronum, ſeu potius ſedem pro tribunali ſedendo, reverentiam prout aliis ſummis Pontificibus fieri conſuetum eſt, publice exhibebant, & in publicis conſiſtoriis ipſis tunc Cardinalibus ſedentibus, ut mos eſt, advocatos & alios proponentes electiones, querelas, ſeu cauſas, & negotia audiebat, ipſiſque tunc Cardinalibus præfatas electiones, & nonnulla alia negotia committebat: ipſique Cardinales dictarum commiſſionum vigore ſuper præfatas commiſſiones informationes recipiebant, & de his, de quibus referendum erat, præfato domino noſtro Urbano in conſiſtorio privatim, ut moris eſt, referebant: præfatuſque dominus noſter ad eorum relationem de conſilio præfatorum dominorum tunc Cardinalium in dictis negotiis providebat: in aliis vero, quæ referenda non erant, ſervatis aliis ſervandis dictarum commiſſionis vigore ſententias tam definitivas, quam interlocutorias proferebant. Inter alias autem proviſiones, quas præfatus dominus noſter de conſilio præfatorum tunc Cardinalium in præfatis conſiſtoriis, fuerunt hæc. Primo epiſcopum tunc Marſilienſem a vinculo, quo tenebatur eccleſiæ Marſilienſi abſolvit, & ad adhuc vacantem eccleſiam Valentinam, & Dienſem tranſtulit, ipſum præficiendo in epiſcopum, & paſtorem ipſius eccleſiæ Valentinæ. Item &c. Recenſentur plures epiſcoporum electiones in Cardinalium conſiſtorio confirmatæ, tum ſubditur: Præfatuſque dominus noſter ad inſtantiam & preces præfatorum dominorum tunc Cardinalium ſibi inſtantium quamplures gratias ſibi pro ſeipſis, pro eorum familiaribus, conſanguineis, & amicis tam beneficiorum, quam diſpenſationum, indulgentiarum, & aliorum negotiorum fecit. Extant (a) in pontificio regeſto plurium Cardinalium hujuſmodi porrecti Urbano libelli ſupplices.

Jus dicenti Urbano aſtitere Cardd.

Cardd. ſacerdotia petunt ab Urb.

(a) To. 2. de ſchiſ. p. 29. ad 30.

XCVIII. Idemque dominus noſter ad inſtantiam præfatorum tunc dominorum Cardinalium, & procuratorum Regis ſereniſſimi principis domini Vvenceſlai Bohemiæ Regis, habita prius deliberatione matura, & concordi conſilio omnium prædictorum tunc Cardinalium electionem de ipſo in Regem Romanorum confirmavit, & approbavit, dicto electionis negotio cum præfatis tunc Cardinalibus per prius plene examinato, & de idoneitate ipſius electi plena informatione recepta ad cautelam: & quia per præfatum Gregorium recepta & habita fuerat, ſicque ipſis conſulentibus decretum, approbationem, & confirmationem, ut præmittitur, fecit: idemque dominus noſter Papa de conſilio præfatorum tunc Cardinalium ibi exiſtentium, Bertrandum tunc Cardinalem vocatum Glandacenſem, ad eccleſiam Hoſtienſem, & Velletrenſem tunc vacantem, ad quam de conſuetudine antiquus Cardinalis promoveri conſuevit, habitis prius conſiliis ſecretis, ac etiam auricularibus, & ſervatis ſervandis, authoritate apoſtolica promovit, & in epiſcopum & paſtorem dictæ eccleſiæ ipſum præfecit, & de illis ſibi providit, idemque tunc Cardinalis Glandacenſis gubernationi, & adminiſtrationi ipſius eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ipſius promotionis vigore ſe immiſcuit, gubernavit, & adminiſtravit: ac etiam ejuſdem promotionis vigore generalem ordinationem ſacram in dicta Romana curia more epiſcoporum Cardinalium tenuit, & fecit, epiſcopos conſecrando, abbates benedicendo, clericos ordinando, & ad ſacros ordines promovendo.

Ex eorum conſenſu Reg. Romanorum confirmata electio.

Cardinal. Glandacenſis factus epiſcop. Hoſtienſis ab Urb.



XCIX. Præfatique tunc Cardinales, præmiſſorum veritatem notam eſſe volentes, tam ſimul collegialiter, quam etiam particulariter quaſi omnes, ad gaudium, & conſolationem totius Chriſtianitatis claræ memoriæ domino Carolo Romanorum Imperatori, & nonnullis Regibus, & principibus Chriſtianitatis, ac etiam Cardinalibus in Avinione commorantibus, & etiam multis aliis magnis, & honeſtis perſonis per ſuas veras & indubitatas literas ſcripſerunt, & notificaverunt præfatam electionem, inthronizationem, & coronationem per eos factas de præfato domino noſtro Papa Urbano VI. eiſdem notificantes, quod ipſum canonice elegerant, & quod ipſe erat verus Papa, & quod ut talem ipſum tenerent indubie: ipſique tunc Cardinales quampluribus perſonis magnis, & honeſtis ore proprio præfata ſuperius, deſcripta dixerunt, & quod pure, libere, & canonice ipſum elegerant.

Literæ a Cardd. de ejus electione ad principes miſſæ.

C. Eſt etiam ſciendum, quod præfati tunc Cardinales, antequam conclave intrarent poſt mortem præfati Gregorii, & poſtquam conclave exiverunt ſemper potuerunt tam ipſi, quam eorum familiares per civitatem Romanam, & extra, ac etiam extra territorium urbis, quo voluerunt ire, familiam adducere, bona aſportari facere libere, & tute ſine aliquo periculo ſenatoris officialiumque urbis, ſeu quorumcumque aliorum civium Romanorum, vel etiam extraneorum: dictique tunc Cardinales, & ipſorum familiares ubicumque reperiebantur tam per ſenatorem, & alios officiales urbis, quam per alios cives Romanos honorabantur, bene tractabantur, eis reverentia exhibebatur abſque aliqua injuria ſeu moleſtia; at cum præfatus dominus noſter extirpare vellet vitium ſimoniæ, quod aliquanto tempore in Eccleſia Dei pullulaverat, dixit dominis Cardinalibus pluribus vicibus, quod nullum exaudiret de ſimonia ſuſpectum, vel alio illicito lucro, & quod ſuæ intentionis non erat, quod aliqui ex dominis Cardinalibus de cætero haberent penſiones, ſeu proviſiones, vel alia lucra illicita a principibus, communitatibus, vel a quacumque alia perſona, quia propter illa lucra negotia Eccleſiæ male procedebant, & proceſſerant; immo quandoque propter tales penſiones contingerat, quod non potuerat Eccleſia Dei, habere pacem cum ſuis inimicis, quam dominus noſter ſemper deſideraverat, & deſiderat. Videnſque præfatus dominus, quod dominus Petrus tunc Arelatenſis olim camerarius nonnulla bona, videlicet ornamenta, & iocalia, & multas pretioſas res ad cameram apoſtolicam ſpectantia tempore infirmitatis domini Gregorii occultaverat, & poſt coronationem domini noſtri ipſa bona ad civitatem Anagniæ ſecrete, & ſine licentia præfati domini noſtri aſportaverat; mandavit dominis tunc Cardinalibus de Agrifolio, Pictavienſi, & Vivarienſi, tunc Anagniæ exiſtentibus, ut præfatum archiepiſcopum olim camerarium cum prædictis bonis arreſtarent: & propter prædicta per præfatum archiepiſcopum tunc perpetrata, idem dominus noſter habuit etiam rationem cum Cardinale Lemovicenſi fratre germano olim ipſius archiepiſcopi, quod talia pati non poterat, & quod de ipſo archiepiſcopo juſtitiam faceret. In præfato etiam caſtro S. Angeli erat quidam ultramontanus nomine Petrus Roſtagni, ut ſuperius dictum eſt, caſtellanus ad inſtantiam olim Cardinalis Majoris monaſterii per præfatum dominum Gregorium Papam conſtitutus, præfatuſque dominus noſter petiit dictum caſtrum a dicto Petro Roſtagni: qui tanquam infidelis frivolas occaſiones quærendo, reddere denegavit, & rebellem ipſi domino noſtro ſe conſtituit: cujus quidem rebellionis particeps, & ſocius & tractator erat præfatus olim Cardinalis Majoris monaſterii: propter quod præfatus dominus noſter dictum olim Cardinalem reprehendit, & comminatus fuit, quod contra ipſum procederet, & juſtitiam faceret.

Cauſæ ob quas Cardinal. rebellarunt.

Simoniacum ſcelus excindere parabat.

Vetabat Cardinalibus ſtipendia a principibus accipere.

Præfectum arcis S. Angeli mutare voluit.

Cardinali majoris monaſt. minas intentavit.

CI. Eſt etiam verum quod civitatem Viterbienſem, quæ pleno jure ad eccleſiam Romanam ſpectat, Franciſcus de Vico, qui ſe intitulat præfectum urbis, tyrannice detinebat prout detinet occupatam: & quod præfatum olim Cardinalem Ambianenſem reprehendit, comminando quod non intendebat talia ſuſtinere. Præfatum etiam olim Cardinalem S. Euſtachii certas fraudulentas conventiones cum ſocietate Britonum in præjudicium eccleſiæ, & ſuæ cameræ fecerat, ac etiam certas pecunias receperat ad effectum, quod caſtrum S. Angeli præfato domino noſtro reſtitui faceret, quod minime fecit: & videns præfatus dominus noſter prædictum ipſum redarguit dicens, quod talia ſuſtinere non intendebat. Poſt quem alii Cardinales ultramontani, qui remanſerant in curia ſucceſſive unus poſt alium, etiam de licentia domini noſtri, acceſſerunt Anagniam, ubi fecerant proviſiones ex ordinatione domini Gregorii: ad quem locum idem dominus noſter etiam decreverat accedere poſt adventum gentium armorum, quas tunc expectabat: & propterea ibidem pro eodem domino noſtro factæ erant proviſiones.

Objurgat Card. Ambianenſem.

Et Cardinalem S. Euſtachii quod proderet Eccleſiam.

De-

*Deinde elapſis aliquibus ſeptimanis, & diebus inimico homine ſeminante zizania conſiderantes, tunc Cardinales, quod dominus noſter volebat curiam Romanam in bona honeſtate tenere, & in ea juſtitiam conſervare, in Italia reſidentiam facere, & quod tunc pro parte Romanorum ſupplicaretur domino prædicto de nova creatione Italicorum, idem dominus noſter habuit reſpondere, quod intentio ſua erat creare Cardinales de Italia, & aliis nationibus in pari numero ultramontanorum Cardinalium tunc exiſtentium; & quod nonnullas ſupplicationes, licet juſtas, eiſdem tunc Cardinalibus negaverat, cœperunt quorundam mentes occæcatæ in reprobum ſenſum dari, & contra præfatum dominum noſtrum indignari, atque elationis ſpiritu de cætero contra ipſum machinari, & eorum cornua erexerunt, & conſpirationes contra ipſum dominum noſtrum fecerunt; quamvis ipſi tunc Cardinales in Anagnia exiſtentes per prius plures, & plures literas ſcripſerunt ſibi, ut vero ſummo Pontifici per literas, & nuntios eidem domino noſtro ſupplicas miſerunt, tam ſuper beneficiis, quam ſuper nonnullis aliis negotiis pro ſeipſis, & pro familiaribus eorum, pro quibus gratiis obtinendis penes ipſum dominum noſtrum inſtiterunt: præfatuſque olim Cardinalis Lemovicenſis exiſtens Summus pœnitentiarius in Anagnia cum aliis concardinalibus nonnullas literas ad officium pœnitentiariæ ſpectantes ſuo ſigillo authentico ſigillatas ad diverſas mundi partes directas ſcripſit, ponendo ſub data Anagniæ pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris domini noſtri domini Urbani divina providentia Papæ VI. anno I. Aliqui etiam ex aliis tunc Cardinalibus in eorum procurationibus, & vicariatibus ſcripſerunt ſimiliter: Dat. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Urbani &c. Et in miſſis, quas celebrabant, & coram ſe celebrari faciebant, orationes pro Romanis Pontificibus dici conſuetas dixerunt & dici fecerunt, ut ſupra narratum eſt.*

Pia Urbani conſilia.

Ex omni gente creare Cardd. decreverat.

Inde efferati Card. Galli.

Literæ pœnitentiariæ Urbani pontificatu conſignatæ.

CII. *Ex quibus omnibus patet, quod præfatus dominus noſter Papa Urbanus in poſſeſſione papatus continue fuit, & eſt Papa canonicus. Præfatiſque omnibus non obſtantibus dicti olim Cardinales in arcum perverſum deducti, ad eorum confuſionem majorem, mala pejora addentes, perditionis filium Robertum de Gebenna olim Cardinalem Gebennenſem prædictum in antipapam in civitate Fundorum elegerunt, & prædictorum immemores ſibi obedierunt, diviſionem, & ſchiſma, quantum in eis eſt, in unitate ſanctæ matris eccleſiæ ponentes, prout publice eſt notum. Quæ omnia, & ſingula ſupraſcripta, in quantum opportuna ſunt, ad probationem narratorum, ſeu juſtitiæ ejuſdem domini noſtri, fuerunt, & ſunt vera, publica, & notoria in Urbe, &c. Romana curia, & per totam Italiam, per omneſque partes Chriſtianitatis, fuitque de ipſis, & ſingulis publica vox & fama, communis opinio, communis aſſertio, communis reputatio & commune dictum, ac firma, vera, & indubitata credulitas in partibus ſupradictis.*

Creatus antipapa Card. Gebennen.

Adjungimus alia geſta hoc anno a duobus Pontificibus, altero vero, altero autem ſimulato ſibi invicem adverſantibus. In primis epiſcopus Tudertinus earum rerum teſtis oculatus de reditu Urbani in urbem, confirmato jam ſchiſmate, & omnibus in bellum verſis, hæc tradit (a): *Dominus noſter venit ad Romam, & deſcendit in S. Mariam majorem, quia caſtrum S. Angeli tenebatur per adverſarios, & deinde ivit ad S. Mariam in Tranſtiberim, & ibi ſtetit, donec caſtrum pervenit ad manus Romanorum.* Addit paucis interjectis de creato Cardinalium collegio *Dominus noſter in S. Maria de Tranſtiberim creavit & fecit XXVIII. Cardinales, inter quos fuit dominus Agapitus de Columna*, rem paulo fuſius narrat Theodoricus e Niem (b) his verbis: *Videns dictus Urbanus ſe tunc ſine Cardinalibus exiſtere, dictoſque curiales partim de die in diem taliter aufugere, & alios taliter de eorum ſtatu titubare cœpit dolere, & quandoque me vidente flevit amare: & tunc primum cognovit, quia minus caute egiſſet in principio ſui regiminis, & quod mala hæc propterea fierent. Et tunc quoad remanentes curiales in ejus curia, ſe humiliando, plures eorumdem ad diverſa officia prædictæ ſuæ curiæ, tunc vacantia promovit, & ſe valde gratum, adverſitate docente, tunc reddidit erga ipſos, nec non ſimul, & ſemel viginti ſex Cardinales una die creavit, exiſtimans forte, quod de tanto numero eorum aliqui hujuſmodi Cardinalatus faſtigium utique acceptarent, prout, nec ipſum fefellit opinio, factum fuit. Et inter eoſdem Cardinales de novo creatos, aliqui fuerunt Romani de omni ſtatu, & multi ex aliis creatis de novo cardinalatus hujuſmodi faſtigium acceptantes, de diverſis locis ad ipſum Urbanum ſubito acceſſerunt.* Recenſet plurium nomina Felix Contelorius.

(a) To. 3. de ſchiſm. p. 48.

Arx Adriana a ſchiſmaticis infeſſa.

(b) Theod. l. 1. c. 12.

Urbanus imprudentes actus deflet.

Cardinales creat.

I. *Thomaſinus*, inquit, *de Frignano ſeu Firignano ex generali ordinis Minorum, patriarcha Gradenſis, tit. SS. Nerei & Achillei presbyter.*

Eorum nomina, & officia.

II. *Pileus de Prata archiepiſcopus Ravennas, presbyter tit. S. Praxedis.*

III. *Franciſcus archiepiſcopus Piſanus, epiſcopus Præneſtinus, S. R. E. Vicecancellarius.*

IV. *Lucas de Gentilibus epiſc. Camerinenſis, poſtea Nucerinus, in urbe vicarius Gregorii XI. presbyteri tit. S. Sixti.*

V. *Andreas epiſcopus Peruſinus, presbyter tit. SS. Marcellini & Petri.*

VI. *Frater Bonaventura de Padua, generalis ordinis Eremitarum S. Auguſtini, presbyter tit. S. Cæciliæ.*





VII. *Frater Nicolaus Miſquinus, ſeu Caracciolus, inquiſitor hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ generalis ex ordine fratrum Prædicatorum, presbyter tit. S. Cyriaci in thermis.*

VIII. *Philippus Carafa archidiaconus Bononienſis, presbyter tit. S. Martini in montibus.*

IX. *Joannes archiepiſcopus Corſienſis, presbyter tit. S. Sabinæ.*

X. *Philippus epiſcopus Tiburtinus, tit. S. Suſannæ presbyter.*

XI. *Poncellus Urſinus epiſcopus Averſanus, presbyter tit. S. Clementis.*

XII. *Bartholomæus Mazzavaccha Bononienſis epiſcopus Reatinus, presbyter tit. S. Marcelli.*

XIII. *Rainulphus epiſcopus Siſtarienſis, presbyter tit. S. Potentianæ S. R. E. Vicecancellarius.*

XIV. *Philippus de Alenconio de ſtirpe Regum Francorum genitus, patriarcha Hieroſolymitanus, poſtea epiſcopus Sabinus, & demum Oſtienſis & Velletrenſis.*

XV. *Joannes archiepiſcopus Pragenſis, presbyter tit. XII. Apoſtolorum.*

XVI. *Guillelmus tit. S. Euſebii presbyter.*

XVII. *Elizarius de Sabrano, Arianenſis epiſcopus Theatinus, presbyter tit. S. Balbinæ.*

XVIII. *Demetrius epiſcopus Strigonienſis, presbyter tit. SS. quatuor Coronatorum.*

XIX. *Galeottus Tarlatus de Petramala diaconus S. Agathæ.*

XX. *Gentilis de Sangro diaconus S. Adriani.*

XXI. *Agapitus de Columna epiſcopus Ulixbonen.*

XXII. *Ludovicus diaconus S. Mariæ novæ.*

XXIII. *Stephanus Columna præpoſitus eccleſiæ S. Audomari Morinenſis diœceſis.*

XXIV. *Guillelmus Courteneius ab Herefordia epiſcopus Londinenſis.*

Addit Contelorius præter hos, quinque alios; nempe Joannem epiſcopum Vercellenſem, ſed de quo incertum ſit, an cardinalatum admiſerit, Stephanum Sanſeverinatem, ſed repulſo honore nupſiſſe, Leonardum e Giffono, Guterium Gomeſium epiſcopum Palentinum, ac Petrum e Barreria epiſcopum Æduenſem, ſed ab antipapa inſignia pſeudocardinalitia accipere maluiſſe. [1]

Qui ab antipapa accipere Cardinalatum maluerint.

CIII. Creatis Cardinalibus Pontifex antipapam, ac patrati flagitii præcipuos ſigniferos, nimirum Joannem Ambianenſem, Geraldum Majoris monaſterii, ac Petrum S. Euſtachii in judicium vocatos, VIII. idibus novembris, de gradu cardinalitiæ dignitatis dimovit, pluribuſque aliis affecit pœnis, quas III. Kal. decembris confirmavit; pariterque in patriarcham Conſtantinopolitanum, qui blaſphemas conjuratorum Cardinalium in Pontificem literas in malignantium cœtu vulgarat, nonnulloſque epiſcopos; tum in Fundorum & Caſertæ comites, ac Nicolaum Spinellum Joannæ Reginæ Neapol. oratorem, maximum ſceleris artificem, Franciſcum e

Schiſmatis auctores in judicium vocati.



NOTÆ [1] CReati hoc anno ab Urbano cardinales, ſed qua die, & quot numero non ſatis convenit inter ſcriptores. Nam Felix Contelorus renunciatos cardinales affirmat die XXVIII. ſeptembris; reliqui vero omnes, quibus veteres eorum temporum ſcriptores adſtipulantur, inter quos Nerius in Chronico Senenſi & Thomas de Acerno Epiſcopus Lucerinus in Opuſculo de creatione Urbani VI. vulgato a Muratorio Rer. Italic. tom. III. part. II. col. 715. diem quatuor temporum ſeptembris, pro conſueto more, adeoque XIV. Kal. octobris ſignant. Sententiam hanc certam eſſe conſtat ex authoritate ejuſdem Epiſcopi Lucerini, qui Romæ tunc agens juſſu Joannæ Reginæ Neapolis omnia explorabat, & adnotabat ſedulus. Utriuſque etiam ſcriptoris, Nerii ſcilicet & Lucerini conſenſu Cardinalium numerus, quem ad XXIX. definiunt, exploratus eſt. Eum numerum nec Epiſcopus Tudertinus, nec Theodoricus Niemius in Annalibus laudati ſatis accurate expreſſerunt. Catalogos vero eorumdem Cardinalium, qui apud Ciaconium exhibentur, mendoſos eſſe, & forte confuſos, ut Cardinales diverſo tempore renunciatos in unum miſceant ex eo arguimus, quod Chronici Senenſis ſcriptor Nerius, his annis florens, Cardinales hoſce ita deſignat: *Due Colonneſi, e MSS.* [*Meſſer*] *Agabito di M.. e due Orſini el Veſcovo di Perugia, l' Arciveſcovo di Napoli*, (quis iſte? an ille quem Ciaconius Ludovicum Campanum appellat, cum per hos annos Urbanus amoto ab ea cathedra Thomæ ſchiſmatis fautore Ludovicum Bozutum ſubſtituerit, Ughellio teſte?) *e uno de Malateſti, e un figlio di Meſſer Maggio di Pietramala.... venti tutti Taliani grandi e potenti, e nove altri.* Duos hoſce Urſinos, & geminos Columnas præter Agapitum fruſtra quæras apud Ciaconium, apud quem Columnenſis unus præter Agapitum & Urſinus itidem unus occurrit; quamquam Urſinus alter in tertia creatione anni 1381. legitur. Alia inſuper ſeſe offerunt in eodem catalogo Ciaconii ex authoribus vetuſtis emendanda. Guillelmus presbyter Cardinalis S. Euſebii alter eſt a Guillelmo Patriarcha Hieroſolymitano, ſi Victorellum in additionibus ad Ciaconium audias. Verum Patriarcham Hieroſolymitanum inter Cardinales hoc anno adlectos recenſet vetus Author Chronici Eſtenſis ad annum uſque 1393. deducti Rer. Italic. to. XV. Et Anonymus Annaliſta Mediolanenſis, qui anno 1402. opus ſuum abſolvit. Joannes Urgellienſis idem eſt cum Joanne Fliſco Genuenſi Vercellenſi Epiſcopo cui inter Cardinales jam cooptato, ac mortalitatem non diu poſt exuto, ab eodem Urbano ſucceſſor datus eſt in eadem cardinalis dignitate Ludovicus de Fliſco itidem Vercellarum Epiſcopus Joannis ex fratre nepos, Georgio Stella Genuenſi eorum temporum annalium patriæ ſuæ ſcriptore teſtante, ex quo ſubmotæ Ciaconii ambiguitates, dubitantis num Ludovicus de Fliſco ac Joannes de Fliſco unus idemque vir fuerit. F. Bonaventura Baudarius ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſupremus Magiſter; e quarta creatione, cui a Ciaconio adſcriptus fuit, ad primam referendus eſt, ut ipſe pariter Victorellus ſubodoratur, & authoritas Chroniſtarum Eſtenſis, & Mediolanenſis conſtituit. MANSI

Vico Viterbii invaſorem, necnon in Britonum, & Vaſconum tribunos militares participes ſceleris ſubjecta ſententia, animadvertit.

*Urbanus ad futuram rei memoriam.*

Urbani in eos edictum.

*Nuper cum vinea Domini Sabaoth ſancta, videlicet Romana eccleſia ventrem ſuum doleret, & amaricatis viſceribus gravia emittere ſuſpiria cogeretur, ex eo, quia filios uteri ſui, quos enutriverat, & de infimis erigens ad culmina dignitatum extulerat, videlicet, iniquitatis, & perditionis alumnos Robertum olim baſilicæ XII. Apoſtolorum vulgariter dictum Gebennenſem, Ambianenſem, Geraldum olim tit. S. Clementis, Joannem olim tit. S. Marcelli vulgariter dictum Majoris monaſterii presbyteros, Petrum S. Euſtachii olim diaconum Cardinales conſpiciebat matris ubera ſpuere, & a rectitudinis tramite deviare, & non ſolum leges, & monita materna deſpicere, ſed ejuſdem matris uterum, quantum in eis erat, viperinis conatibus laniare, & quod ipſi inconſutilem Domini tunicam ſcindere ſatagentes ſcandalorum, & ſchiſmatum ſeminaria præparabant, & famæ ſuæ prodigi & honoris proprii perſecutores effecti, non tantum ſeipſos nexibus peccatorum involvere, ſed in reprobum ſenſum dati, etiam alios ſecum ad præcipitium trahere conabantur; nos, qui divina favente clementia, prædictæ vineæ ſollicitudinem & curam gerimus, adverſus hujuſmodi prætergredientes veritatis rectæ fidei ſemitam, & prævaricationes addentes, ne eandem vineam demoliri valeret, in virtute Altiſſimi de fratrum noſtrorum conſilio duximus exurgendum, & contra ipſos, & nonnullos alios eis adhærentes, ac fautores inferius nominatos per infraſcriptum modum mediante juſtitia duximus procedendum.*

CIV.

*Siquidem cum prædicti viri nequam, viri neſcientes in ſemitas juſtitiæ dirigere greſſus ſuos, & timorem Dei præ oculis non habentes, contra nos conſpirationes, colligationes, & machinationes diverſas facere, & in Dei eccleſia ſchiſma, & diviſionem ponere, & civitatem noſtram Anagninam, & caſtrum S. Angeli de urbe, & nonnulla alia caſtra, & terras, & loca nobis, & dictæ Eccleſiæ ſubjecta occupare, & occupari facere, ſeu illa occupantibus auxilium, conſilium, & favorem præbere præſumpſiſſent, ac præſumerent, & inſuper, ut dictam civitatem, & alias terras provinciæ noſtræ Campaniæ facilius occupare, & occupata detinere, ac alios ad conſentiendum eorum iniquis moliminibus, & operibus violenter attrahere poſſent, magnam multitudinem gentium armigerarum, quæ Britones, & Vaſcones nuncupantur, ad dictam civitatem, & provinciam venire feciſſent, & exinde quamplurima homicidia, ſacrilegia, rapinæ, depopulationes, & alia mala, & damna, & ſcelera fuiſſent ſecuta; nos, qui ſalutem zelabamur illorum, ſperantes ipſos ad cor reverſuros, & viam juſtitiæ repetituros, eos per venerabilem fratrem noſtrum Petrum epiſcopum Portuenſem, & dilectos filios noſtros Simonem tit. SS. Joannis & Pauli presbyterum, & Jacobum S. Georgii ad velum aureum diaconum Cardinales pluries, & per diverſos alios probos prælatos, & alios magnæ authoritatis viros, ac etiam per literas noſtras iteratis vicibus, ut ad viam veritatis, & juſtitiæ redire, & ab hujuſmodi erroribus reſipiſcere vellent, duximus exhortandos, ac etiam requirendos. Sed præfati nequam viri in ſua pertinacia, & ſuperbia obſtinati, poſt monitiones, & exhortationes hujuſmodi contra nos antea in urbe per ipſos, ac alios, ad quos ſpectabat, in Papam electos, ac debitis & conſuetis ſolemnitatibus obſervatis inthronizatos, ac publice coronatos, quos tamquam Papam, & ſummum Pontificem in miſſarum ſolemniis, & conſiſtoriis publicis ac privatis conſulendo, ordinando de ſtatu Romanæ eccleſiæ, ac reipublicæ per plures menſes tractaverant, recipiendo a nobis eccleſiaſtica ſacramenta, ac dignitates, & beneficia eccleſiaſtica pro ſe, & aliis a nobis impetrando, diverſos libellos diffamatorios fecerunt, & illos ad diverſos prælatos, & mundi principes tranſmiſerunt, per quos aſſerebant, nos non verum Papam fore, ac multa alia mala, & enormia de nobis dicere præſumpſerunt; & tandem in profundum deſcendentes malorum, & cupientes ſanctæ matris Eccleſiæ ſcindere unitatem, in civitate Fundana cum quibuſdam aliis, quos cum eorum machinationibus, & diabolicis ſuggeſtionibus ad eorum impium propoſitum attraxerunt congregati in domo iniquitatis filii Honorati Gaytani olim comitis Fundorum cum ipſius Honorati auxilio & favore præfatum Robertum temere eligendo antipapam fecerunt, ipſumque auſu ſacrilego Papam nominare præſumebant & præſumunt, ipſeque Robertus ſe Papam nominare auſu temerario non paveſcebat, nec paveſcit.*

Arx S. Angeli, & alia loca occupata a ſchiſmat.

Exciti ab iis Britones & Vaſcones.

Solicitati Cardd. Galli, ut redirent ad officium.

Obfirmati in pertinacia.

Sparſere libellos in Urbanum.

Pellecti in ſceleris ſocietatem alii.

Robertus in Fundorum comitis domo fact. antipapa.

CV.

*Præterea cum etiam iniquitatis alumnus Petrus olim archiepiſcopus Arelatenſis camerarius noſter diabolico ſpiritu inſtigatus dudum de urbe prædicta, ubi nobiſcum erat, abſque licentia noſtra, & quaſi furtive receſſit, & de camera noſtra quamplurima jocalia, & alias res, & bona magni valoris, & pretioſa, ad nos, & Romanam eccleſiam pertinentia, ſecum aſportaſſet, & ad dictam civitatem Anagninam ſe conferens cum præfatis ſceleratis viris Roberto, Joanne, Geraldo, & Petro olim Cardinalibus, diverſas colligationes, & conſpirationes contra nos ordinare, & facere, & ad conducendum dictas gentes armigeras ad dictam civitatem Anagninam con-*



*conſilium, auxilium, & favorem præbere; & tam ipſi, quam perditionis filii Jacobus olim patriarcha Conſtantinopolitanus, Nicolaus olim archiepiſcopus Cuſentinus, Petrus olim Urbevetanus, Guillelmus olim Urbinas, Petrus olim Montisflaſconis, Joannes olim Gebennenſis, & Franciſcus olim Cayacenſis epiſcopi, ac Bertrandus olim Ruffini olim clericus cameræ apoſtolicæ, & etiam iniquitatis filii Honoratus Gaytani olim comes Fundorum, Antonius olim comes Caſertanus, Franciſcus de Vico olim præfectus urbis, Joannes de Malaſtret, Nicolaus Spinellus de Juvenacio, alias dictus de Neapoli, Silveſter Bindo, Bernardus de la Sala, Petrus de la Saga olim milites, & Guilbonetus de la Sala domicellus in reprobum ſenſum dati præfato Roberto antipapæ adhærere, & favere, & eorum linguis tranſeuntibus ſuper terram, os in cœlum ponere præſumentes, non fuiſſent veriti, nec verentur publice aſſerere, & per alios aſſeri, & prædicari facere nos non eſſe Papam, nec Romanum Pontificem, & eorum falſis, & confictis mendaciis quamplura enormia mala de nobis dicere, & ſe ab unitate Romanæ eccleſiæ ſeparare, & ſchiſma, ac diviſionem quantum in eis erat, in Dei Eccleſia ponere, & Franciſcus de Vico civitatem noſtram Viterbienſem, & Joannes de Malaſtret, Silveſter, Bernardus, Petrus de la Saga, & Guilbonetus prædicti cum nonnullis eorum complicibus dictam civitatem noſtram Anagninam, & etiam nonnullas alias terras noſtras, & Romanæ eccleſiæ occupare, & tam ipſi, quam alii nominati nonnullas alias terras noſtras & Romanæ eccleſiæ occupantibus, & invadentibus auxilium, conſilium, & favorem præbere præſumpſiſſent, & præſumerent crimen hæreſis, ſchiſmatis, læſæ majeſtatis, & apoſtaſiæ damnabiliter incurrendo.*

Proceres ſchiſmatis fautores.

Ut ſchiſmatici armis Urbanum opprimere ſint adniſi.

CVI.

Urbani piis ad officium revocandis ſtudia.

*Et quamvis hujuſmodi exceſſus, & ſcelera eſſent tunc, prout ſunt, adeo notoria, quod nulla poterant tergiverſatione cælari, ita quod abſque alia informatione juſte potuiſſemus animadvertere in eoſdem ſceleratos viros; nos tamen ad cautelam, & majorem certitudinem præmiſſorum, dilecto filio noſtro Joanni tit. S. Sabinæ, & bonæ memoriæ Guillelmo tit. S. Euſebii presbyteris Cardinalibus diviſim, & ſucceſſive commiſimus, ut ſe de prædictis informarent, & quæ per informationem hujuſmodi reperirent, nobis referre curarent: & tandem hujuſmodi informatione per eos recepta cum ipſi nobis in conſiſtorio retuliſſent, ſe reperiſſe omnia & ſingula fuiſſe & eſſe vera; nos nequeuntes abſque gravi offenſa Chriſti, & remorſu conſcientiæ tot & tantos exceſſus, & ſcelera amplius tolerare, adverſus præfatos ſceleratos viros in virtute Altiſſimi de fratrum noſtrorum conſilio, ut præmittitur, duximus exſurgendum, & contra ipſos ſuper præmiſſis procedendum, & eis ad hoc legitime citatis, & aliis debitis juris ſolemnitatibus obſervatis per noſtram definitivam ſententiam decrevimus, & declaravimus præfatos Robertum, Joannem, Geraldum, & Petrum, olim Cardinales, Jacobum olim patriarcham Conſtantinopolitanum, Nicolaum olim archiepiſcopum Cuſentinum, Petrum olim Urbevetanum, Guillelmum olim Urbinatem, Petrum olim Montisflaſconis, Joannem olim Gebennenſem, & Franciſcum olim Cayacenſem epiſcopos, ac Maſellum, ac etiam iniquitatis filios Honoratum Gaytanum olim Fundorum, Antonium olim Caſertanum comites, Franciſcum de Vico olim præfectum, Joannem de Malaſtret, Nicolaum Spinellum de Juvenacio, alias dictum de Neapoli, Silveſtrum Bindo, Bernardum de la Sala, Petrum de la Saga olim milites, & Guilbonetum prædictos fuiſſe, & eſſe ſchiſmaticos, & apoſtatas, & contra nos conſpiratores, & blaſphemos, & tanquam hæreticos puniendos, & reos criminis læſæ majeſtatis, ipſoſque propter præmiſſa fore excommunicatos, & anathematizatos, ac excommunicavimus, & anathematizavimus, ac incidiſſe in pœnas, & ſententias tam a jure quam ab homine in talia perpetrantes inflictas, & promulgatas, ac etiam in pœnas, & ſententias contentas in proceſſibus felicis recordationis Joannis XXII. & Clementis VI. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum contra occupatores, invaſores, & turbatores terrarum Romanæ eccleſiæ factis: ac etiam declaravimus dictos Robertum, Joannem, Geraldum, & Petrum olim Cardinales fuiſſe & eſſe depoſitos, & ipſos depoſuimus a Cardinalatibus dictæ Romanæ eccleſiæ, & ab omni cardinalatus commodo, & honore, ipſoſque omnibus honoribus, dignitatibus, prælaturis, perſonatibus, & officiis, ac beneficiis eccleſiaſticis quibuſcumque fuiſſe & eſſe privatos, & fore ad illa inhabiles, ac inhabilitavimus etiam ad habenda; ac etiam declaravimus prædictos olim patriarcham, archiepiſcopos, & epiſcopos fore depoſitos, & ipſos depoſuimus ab omnibus dignitatibus etiam pontificalibus, & tam ipſos quam etiam Bertrandum, & Maſellum præfatos ab omnibus officiis, & beneficiis eccleſiaſticis, & prælaturis quibuſcumque; necnon prædictos Honoratum, & Antonium olim comites, Franciſcum de Vico, Joannem de Malaſtret, Nicolaum Spinellum, Silveſtrum, Bernardum, Petrum de la Saga, & Guilbonetum a quibuſcumque dignitatibus, honoribus, & gradu militiæ, & cingulo privatos, & depoſitos fuiſſe & eſſe, ipſoſque privavimus, & depoſuimus, & etiam declaravimus tam prædictorum olim Cardinalium, quam etiam omnium aliorum ſuperius nominatorum damnatorum bona mobilia, & immobilia, ac jura, & juriſdictiones fuiſſe & eſſe confiſcata, confiſcavimus, & perſonas eorum deteſtabiles, & in-*

Judiciarius ordo in eos inſtitutus.

Lata in eoſdem ſententia.

Quatuor Cardd. ſchiſmatis principes exauctorati.

Et epiſc. ſceleris adminiſtri.

Proceres equeſtri honore dejecti.

Proſcriptæ eorum opes.

*infames fuiſſe, & eſſe exponendas, & expoſuimus a Chriſti fidelibus capiendas, ut ſic captæ, ſi abſque earum fuga, & evaſionis periculo fieri poſſet, nobis indilate tunc mitterentur, alioquin in arctis carceribus detruderentur, & ſub fida cuſtodia detinerentur, donec aliud ſuper hoc mandaremus: credentes præterea, receptatores, defenſores, & fautores eorum excommunicationis ſententia innodavimus abſolutione ipſorum, præterquam in mortis articulo,* Romano *Pontifici reſervata.*

CVII. Aliæ pœnæ inflictæ.

*Inſuper decrevimus, quod quicumque, aliquem prædictorum ſcienter præſumeret tradere eccleſiaſticæ ſepulturæ, excommunicationis ſententia ſubjacerent, a qua abſolvi non poſſent, niſi prius propriis manibus extumularent, & procul ejicerent ab eccleſiaſtica ſepultura corpora eorumdem; & ſubſequenter diſtrictius inhibuimus. Omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ exiſterent, etiamſi regia, reginali, imperiali, vel pontificali, ſeu quavis alia dignitate præfulgerent, etiam ſi eſſent ſanctæ* Romanæ *eccleſiæ Cardinales, ne in civitatibus, caſtris, terris, villis, vel locis ſuis aliquem prædictorum damnatorum ſcienter recipere, vel eis ad illa aditum præbere, vel ad illa, in quibus prædicti damnati, vel aliquis eorum habitarent, vel moram traherent, blada, vinum, carnes, pannos, ligna, victualia, pecunias, merces, res, vel quæcumque alia bona ad eorum uſum utilia, portare, mittere, vel deferre, ſeu portari aut mitti, vel deferri facere præſumerent, nec per alios quoquomodo, ſi hoc prohibere poſſent, mitti, deferri, ſeu portari permitterent.*

CVIII.

*Prohibuimus inſuper, ne quis aliquod impedimentum præſtare auderet, per ſe vel alium, ſeu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quominus prædicti Robertus, Joannes, Geraldus, & Petrus, ac alii damnati ſuperius nominati caperentur, detinerentur, & ad nos tranſmitterentur, quinimmo omnibus Chriſti fidelibus diſtricte præcipimus, quod ipſi & eorum quilibet præſtarent eis, qui eoſdem capere, ſeu captos detinere, & ad nos tranſmittere vellent, opportunum auxilium, conſilium, & favorem;*

Fideles ad capiendos ſchiſmaticos ſolicitati.

*qui vero contra præmiſſa, vel aliquod præmiſſorum facerent, ſeu qui præfatum Robertum, qui ſe Clementem Papam nominat, ſcienter papam nominat, vel ipſum pro Papa tenerent, crederent, vel prædicarent, ſi perſonæ ſingulares, excommunicationis, ſi vero communitas, vel univerſitas eſſent, interdicti ſententias incurrerent eo ipſo, & civitates, & terræ ipſorum communitatum, & univerſitatum aliarum carerent commercio civitatum, terrarum, atque locorum, ac civitates ipſæ, dignitate pontificali ſe noſcerent privandas: & voluimus, quod ab hujuſmodi excommunicationis ſententia nullus ab alio, quam a* Romano *Pontifice, præterquam in mortis articulo, poſſet abſolvi, nec interdictum hujuſmodi per alium, quam per eumdem* Romanum *Pontificem relaxari valeret;*

Sententia in ſchiſmatis ſectatores.

*ac omnes inſuper, qui a præfato* Roberto, *tamquam a* Romano *Pontifice quaſcumque gratias, indulgentias, donationes, privilegia, diſpenſationes, ſeu prælaturas, dignitates, perſonatus, ſeu quævis alia beneficia, vel officia eccleſiaſtica, vel mundana, per ſe, aut per interpoſitam perſonam peterent, ſeu etiam proprio motu oblata, donata, ſeu conceſſa acceptarent, ſeu reciperent, decrevimus fore inhabiles, & inhabilitavimus ad præmiſſa, vel alia quævis beneficia eccleſiaſtica obtinenda, & privavimus jam obtentis, & nihilominus ſi perſona foret ſingularis excommunicationis, ſi vero civitas, vel quævis univerſitas, interdicti incurrerent ſententias eo ipſo, a qua quidem excommunicationis ſententia aliquis abſolvi, & interdictum hujuſmodi ab alio, quam a* Romano *Pontifice relaxari non poſſent. Decrevimus quoque fore abſolutos a debito fidelitatis, homagii, ſeu ligii, & alterius cujuſcumque obſequii omnes & ſingulos, qui eiſdem damnatis ſuperius nominatis juramento, obligatione, promiſſione, ſubmiſſione, vel pacto quacumque firmitate vallato antea fuiſſent aſtricti. Alias etiam pœnas eiſdem damnatis inflximus, & a jure inflictas decrevimus in ſuo robore duraturas.*

Propoſitæ indulgentiæ ſumentibus arma in ſchiſmaticos.

*Volumus inſuper, quod omnes, & ſinguli Chriſti fideles, qui crucis aſſumpto charactere ad præfatorum ſchiſmaticorum, & damnatorum exterminium ſe accingerent, & eos pro poſſe perſequerentur, illa gauderent indulgentia, illoque privilegio eſſent muniti, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur.*

CIX.

*Et nihilominus præfatos Robertum, Joannem, Geraldum, & Petrum olim Cardinales, ac Jacobum olim patriarcham, Petrum, & Nicolaum olim archiepiſcopos, necnon Petrum olim Urbevetanum, Guillelmum olim Urbinatem, Petrum olim Montisflaſconen. Joannem olim Gebennenſem, & Franciſcum olim Cayacenſem epiſcopos, ac etiam Bertrandum Maſellum, Honoratum, Antonium, Franciſcum, Joannem de Malaſtret, Nicolaum Spinellum, Silveſtrum Bernardum, Petrum de la Saga, Guilbonetum, præſente fidelium multitudine copioſa, cujuſmodi citandi modum ex certis cauſis duximus eligendum,*

Indicta iterum ſigniferis ſchiſmatis dies.

*citavimus, ut penultima die præſentis menſis novembris, ubicumque tunc eſſemus, ſi ea die conſiſtorium eſſet, alioquin prima die tunc ſequenti, qua per nos tunc teneretur conſiſtorium, comparerent perſonaliter coram nobis, viſuri, & audituri per nos fieri aggravationem prædictarum & aliarum pœnarum, de quibus nobis expedire videretur, & juſtitia mediante;*

Menſe novembr. citatio.



*aperte prædicentes eiſdem, quod ſive venerint, ſive non, nos tamen in eodem termino ad aggravationem, & inflictionem hujuſcemodi procederemus, prout nobis videretur, & juſtitia ſuaderet, prout in diverſis noſtris inde confectis literis plenius continetur. Adveniente igitur prædicta die, videlicet hodierna, & exiſtentibus nobis in conſiſtorio publice cum fratribus noſtris prædictis, comparuit coram nobis dilectus filius magiſter Thomas de Ficecchio procurator noſter fiſcalis, & prædictorum citatorum non comparentium contumaciam accuſavit, & petiit ipſos per nos contumaces reputari, & contra ipſos procedi juxta prædicti termini aſſignationem.*

Servatus in citandis iis ordo judiciarius.

CX.

*Nos igitur dilectis filiis Galeotto S. Agathæ, & Ludovico S. Mariæ novæ diaconis Cardinalibus vivæ vocis oraculo mandavimus, ut ad portas palatii noſtri apoſtolici, in quo habitavimus, accederent, & ibi per ſe, & alios publice clamarent, vel clamari facerent, ut ſi prædicti citati, vel alii pro ipſis ibidem exiſterent, prædictum palatium intrarent, & ad noſtram præſentiam venirent. Deinde Galeottus, & Ludovicus Cardinales prædicti nobis retulerunt ſe ad prædictas portas acceſſiſſe, & ibidem per ſe & alios clamaſſe, & clamari feciſſe, quod ſi præfati citati, vel aliquis pro eis ibidem exiſterent, dictum palatium intrarent, & ad noſtram præſentiam accederent, & retulerunt ſe dictos citatos, vel aliquem pro eis ibidem minime reperiſſe: propter quod præfatus Thomas procurator iterum dictorum citatorum contumaciam accuſavit, & petiit prout alias petierat, ut ſuperius eſt expreſſum.*

Damnantur contumaciæ.

*Nos igitur omnes citatos prædictos reputavimus prout ſunt, contumaces; & in eorum contumaciam prædictos proceſſus aggravando: volumus, & decernimus, quod omnes & ſinguli, qui contra prædictos proceſſus blada, vinum, carnes, pannos, ligna, victualia, pecunias, merces, res, vel quæcumque alia bona ad dictorum damnatorum uſum utilia ad civitates, caſtra, vel loca, in quibus iidem damnati reſiderent, vel reſidebunt in poſterum, ſeu quæ per ipſos vel ipſorum damnatorum nomine detinentur vel detinebantur tunc vel detinere in antea occupata deferrent, ſeu portabunt impune, una cum bonis, pecuniis, & aliis prædictis capi poſſint, & bona, ac pecunias, & alia ſupradicta fieri capientium: & nihilominus tenore præſentium requirimus & monemus omnes & ſingulos, quamcumque juriſdictionem eccleſiaſticam, vel mundanam habentes, eiſque diſtricte præcipiendo mandamus ipſis in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus, ſicut cupiunt haberi, & reputari fideles, omnes & ſingulos quos reperire poterunt aliquas literas ad ſimilitudinem literarum apoſtolicarum bulla plumbea bullatas ſub nomine dicti Roberti antipapæ, qui ſe Clementem Papam VII. nominare præſumit, portantes, ſuper quo diligentem ſolicitudinem adhiberi volumus & mandamus, capere, ſeu capi facere, & literas ipſas ab eis arripere, & quam cito commode poterunt ad nos deſtinare procurent, & idem facere ſtudeant de quibuſcumque, qui alias literas præfatorum olim Cardinalium, & aliorum per nos, ut præmittitur, damnatorum, ſeu eorum ſequacium, & adhærentium, & fautorum, ſive literæ ipſæ ab aliis mittantur eiſdem, ſive per eos aliis deſtinentur.*

Sententia contra accipientes literas antipapæ.

CXI.

*Et ſimiliter capi volumus, & mandamus omnes & ſingulos, qui aliquas ambaſciatas prædictis damnatis, vel eorum ſequacibus, & fautoribus deferre præſumpſerint, ipſoſque omnes juris remediis ad detegendum, & revelandum hujuſmodi ambaſciatas decrevimus compellendos, invocato ad præmiſſa, ſi opus erit, auxilio brachii ſæcularis. Volumus autem, quod hujuſmodi literarum, & ambaſciatarum portatores ſic, ut præmittitur, capiantur & ſi id commode fieri poſſit ad nos ſub fida cuſtodia tranſmittantur; alioquin eorum captio nobis intimetur, & ipſum captum detineant, donec ſuper hoc aliud dederimus in mandatis. Illis autem, qui circa executionem hujuſmodi mandati noſtri debitam diligentiam adhibuerint & quoties aliquos de hujuſmodi portitoribus ceperint, & captos, ſi id commode fieri poſſit, ad nos tranſmiſerint, vel detinuerint, ut præfertur, pro ſingulis vicibus, quibus hoc fecerint, & veri pœnitentes & confeſſi fuerint, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli authoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Cæterum quia diſplicenter accepimus, & evidentia facti demonſtrat, ſunt nonnulli principes, & magnates, & alii nobiles, & potentes prædicto antipapæ adhærentes, ſibique & aliis per nos damnatis prædictis, etiam poſt & contra dictos proceſſus noſtros dantes auxilium, conſilium, vel favorem,*

Poſt prima edicta plures antipapæ adhærent.

*nos attendentes, quod nimis periculoſum eſt converſari, ſeu participare cum hujuſmodi hæreticorum fautoribus, receptoribus, & defenſoribus, ac dantibus auxilium, conſilium, & favorem, eoſdem omnes, & ſingulos, qui præfatis principibus, magnatibus, ac aliis quibuſlibet etiam ſi regali, reginali, vel imperiali, aut pontificali, ſeu quavis alia eccleſiaſtica, vel mundana fulgeant dignitate, dicto antipapæ adhærentibus, ſeu eiſdem aliis damnatis prædictis dantibus auxilium, conſilium, vel favorem ſubjecti etiam de facto exiſtunt, vel eis ſeu eorum alicui juramento fidelitatis, ſeu homagii, aut alterius cujuſcumque obſequii debito, vel ſubmiſſione, obligatione, aut pacto quomodolibet fuerint aſtricti, vel obligati, monemus*

*ipſis*

*ipſis diſtricte præcipiendo mandantes, ne ipſis principibus, magnatibus, vel aliis quibuſcumque etiamſi, ut prædicitur, regali, aut reginali, vel imperiali, aut pontificali dignitate fulgeant aliquatenus pareant, ſeu obediant, vel intendant; nos enim omnes, & ſingulos authoritate apoſtolica ab hujuſmodi juramento, obligatione, & fidelitate, & aliis ſupradictis per præſentes abſolvimus, & decernimus abſolutos. Volumus inſuper, & authoritate prædicta decernimus, quod omnes, & ſinguli, qui eiſdem principibus, ſeu magnatibus deinceps contra hujuſmodi mandatum noſtrum parebunt, ſeu obedient, ſi perſonæ ſingulares excommunicationis, ſi vero civitates, & univerſitates, aut collegia fuerint, interdicti ſententias eo ipſo incurrant, & eorum civitates, terræ, caſtra, & loca eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto: quarum ſententiarum abſolutionem præterquam in mortis articulo, & interdictorum relaxationem, ſucceſſoribus noſtris tantummodo reſervamus. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Mariam in Tranſtyberim* III. *kal. decemb. pontificatus noſtri anno* I.

Præſtita iis a ſubditis fidei ſacramenta reſciſſa.

Oſtenſa aliis Cardd. veniæ ſpes.

Diſtulit ſeveritatem in alios Cardinales ſchiſmaticos diſtringere, ut ipſos ad officium veniæ ſpe revocaret, ac pariter acceptam a Jacobo Urſino, & Petro Florentino, ac Simone Mediolanenſi Cardinalibus, qui antipapatus adipiſcendi fallaci ſpe ducti Fundanæ ſynagogæ interfuerant, injuriam clementia diſſimulavit, ne in deſperationem metu animadverſionis adigeret, eorumque acceſſione ſchiſma convaleſceret.

CXII. Antipapæ æſtus ad confirmandum ſchiſma.

At contra Robertus antipapa ad ſchiſma corroborandum omiſit dolos nullos, variosque impoſtores ad animas ſuis illaqueandas erroribus miſit, ac ſuorum pſeudocardinalium numerum auxit, ut vitæ ejus ſcriptor (*a*) narrat. *Die*, inquit, XVII. *menſis Decembris an. prædicti MCCCLXXVIII. quæ fuit feria* VI. *quatuor temporum, ſex novos creavit Cardinales, videlicet dominum Jacobum de Itro Campanum, tunc patriarcham Conſtantinopolitanum, dominum Petrum Amelii Arvernigenam monachum ordinis S. Benedicti, tunc archiepiſcopum Ebredunenſem, dominum Nicolaum de Brancaciis Neapolitanum, tunc archiepiſcopum Cuſentinum, dominum Petrum de Barreria diœceſis Ruthenenſis tunc eppiſcopum Renenſem, dominum fratrem Nicolaum de S. Saturnino Arvernigenam ordinis fratrum Prædicatorum tunc lectorem palatii in ſacra pagina magiſtrum.* His addit (*b*) Leonardum e Giffono Felix Contelorius in ſuo elencho, confirmatque Angelus Minorita, qui inter ſchiſmaticos in ordinis præfectura ſucceſſit Leonardo. Cæterum proximo anno quinta aprilis ab antipapa cardinalitiæ dignitatis inſigne ad eum tranſmiſſum, refert Hector (*c*) Pignattellus comes, ac Reginam Joannam ea de cauſa publicam lætitiæ pompam inſtruxiſſe, quæ poſtea in luctum abiit, ipſumque Giffonum acceptam ſcelere purpuram coactum exuere, inferius viſuri ſumus.

(*a*) *Antip. vitæ ſcript. apud Boſq.*

Pſeudocardinales creati.

(*b*) *To.3. de ſchiſm. p.1.*

(*c*) *Hect. Nat. Pignat. MS. diariis Neap.*

CXIII. Eccleſia a ſchiſmaticis, & hæreticis oppugnata.

Nec ſchiſmate modo, verum hæreſi Wicleffiana vexata eſt Eccleſia Dei, quamquam enim hoc anno Angli præſules circa extrema Gregorii, vel initia Urbani pontificatus ſynodum adverſus Wicleffum hæreſiarcham Lambathi coegerunt, is tamen Richardi Cliffordi patrocinio tectus, cum hæreticas propoſitiones ad molliorem interpretationem flexiſſet, judiciariam ſeveritatem declinavit, ut narrat Nicolaus Harpsfeldius (*d*) in Wicleffiana hiſtoria. Gerebat adhuc catholici hominis larvam Wicleffus, quippe qui datis ad Urbanum Pontificem literis profeſſus eſt omnia ſua dicta ex illius, quem evangelicæ legis verum interpretem agnoſcebat, decretoria ſententia demiſſe correcturum, ut ex ipſorum hæreticorum commentariis narrat Sanderus (*e*): quam talis poſtea horrendas in Pontificem, & Eccleſiam voces effuderit: *Joannes Foxus Vvicleffiſta ex parte, ſed ex toto Calviniſta, in rerum geſtarum commentariis libro* I. *fatetur Vvicleffum ad Urbanum Papam VI. in hæc verba ſcripſiſſe: Gaudeo plane detegere cuicumque fidem meam, & ſpecialiter Romano Pontifici quia ſuppono, quod ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam humiliter confirmabit: & ſi ſit erronea, emendabit, &c. Suppono iterum quod Romanus Pontifex, cum ſummus Chriſti vicarius in terris ſit, ad illam legem evangelii inter viantes maxime obligatur & ſi in iſtis erravero, volo humiliter etiam per mortem, ſi oporteat, emendari; & ſi in perſona propria ad votum potero laborare, vellem præſentiam Romani Pontificis humiliter viſitare,*

(*d*) *Nicol. Harpſfel. in hiſtor. Vicleffiana cap.5.*

Wicleffus judices fallit.

Proponit ex pontificis nutu errores ſe emendaturum.

(*e*) *Sander de viſib. monarch. l.7.*

CXIV.

*Vvicleffi verba plane docent illum in principio ſuæ hæreſeos a primatu Romani Pontificis non abhorruiſſe cum Urbanum VI. & ſuum Papam vocet, & ſummum Chriſti vicarium in terris eſſe dicat, ab eoque fidem ſuam, vel confirmari, ſi orthodoxa eſt, vel emendari ſi erronea eſt ſupponat, contentuſque ſit etiam per mortem, ſi oporteat, emendari. Deinde agnoſcit juſtos inſtinctus evangelicos in Urbano, eoſque petit præſervari: quæ omnia declarant Vvicleffum fuiſſe hoc animo, ut ſi Romanus Pontifex hæreſim ipſius tolerare voluiſſet, eum ſemper habiturus eſſet pro ſummo Chriſti vicario in terris*: & infra: *unde apparet Romani Pontificis primatum non alia de re ab hæreticis tam olim quam nuper oppugnatum, quam quod ipſorum, aut hæreſes, aut impia facinora noluerit confirmare.* Subdit Sanderus ex Tertulliano, Montaniſtas a Romana eccleſia initio literas pacis eblandiri conatos, ſed cum adverſantem ſuis hæreſibus ſenſiſſent, ab ejus obſequio deſciviſſe. Euſebianos etiam

initio



initio apud Romanum Pontificem ut apud ſupremum ſacrorum antiſtitem, & judicem accuſaſſe Athanaſium, ſed ubi fidei & Athanaſii defenſorem experti eſſent, in eum rebellaſſe. Pelagium, & Eutychem pontificium patrocinium initio ambiiſſe. Waldenſes etiam, teſte abbate Uſpergenſi, petiiſſe initio a pontifice eorum religionem confirmari; deinde in eum favere impietati detrectantem veluti in Antichriſtum conſurrexiſſe, idemque plane a Wicleffo, poſtea a Luthero uſurpatum. *Hæc ergo eſt ſumma rei*, inquit Sanderus, *primatus Romani Pontificis tam illuſtris ſemper, & perſpicuus fuit, ut nemo fere hæreticorum potuerit negare quin penes eum fuerit, ac in æternum debeat eſſe ſummum eccleſiæ tribunal, & judicium: ſed quia propter mentis ſuæ cæcitatem certiſſime ſibi perſuadent hæretici omnia ſua placita eſſe verum Dei evangelium, concludunt demum potius optandum, atque eligendum ipſis eſſe, ut ſummo judici Eccleſiæ recuſent parere, quam ut mendacium, quod inſtar veritatis amplexi ſunt, quodque jam diu palam defendere cœperunt, cum famæ ſuæ detrimento deſerant poſtea, & condemnent.*

Hæretici cur deſciſcant a Pontificibus.

Occæcati ſuperbia avertunt ſe a veritate.

CXV.

Quæ ſtudia Urbanus in excindenda Wicleffiana hæreſi collocarit, cum plura ejus regeſta perierint, nitide explicare non poſſumus: ipſum tamen officio non defuiſſe ex eo conſtat, quod Wicleffus in eum, ad quem ut compeſceret adverſarios, perfugerat, arroganter inſolenterque cervices, aliorum hæreſiarcharum more erexerit, atque conflato ſchiſmate, maledicendi eccleſiæ, & evomendarum hæreſeon occaſionem arripuerit, ut memorat Thomas (*a*) Waldenſis: *Cur toties inſultando renovaret rumores illos luctuoſos omnibus Chriſtianis de ſciſſura longæva ſummi pontificatus Romani inter Romanum Urbanum VI. & Avinionenſem Clementem in trialogo, in ſupplemento ejus, in dialogo, in de Antichriſto, in ſermonibus, in locis infinitis maxime jactans vindictam fuiſſe toti eccleſiæ a Deo inflictam*, & infra: *Et inter concluſiones damnatas concluſione* XXVI. *Vvicleff, ex diſſenſione Pontificum de papatu magnum bonum provenit, quia jam viſa debilitate antichriſti confortantur fideles publicare multas ſententias evangelicas, &c.* Sed quæ fuerunt eæ ſententiæ evangelicæ? Hæ nimirum: *Quælibet creatura eſt Deus: ſtramen eſt Deus. Deus non poteſt perfectiorem, vel majorem mundum creare. Verbum non aſſumpſit carnem. Chriſti humanitas a Verbo disjuncta adoranda eſt adoratione latriæ.* Hæ & aliæ blaſphemæ voces ſunt evangelicæ ſententiæ Wicleffi adeo impiæ, ut cum Mahumetis Alcorano Wicleffi evangelium ſit conferendum. Denique publicus totius orbis hoſtis Wiclef indixit blaſphemo ore bellum ſacerdotali, & monaſtico ordini, epiſcopis, Regibus, principibus, populis, magiſtratibus, magnatibus: præterea, univerſæ Eccleſiæ, ſanctis, Deiparæ, Deoque ipſi, favens ſoli dæmoni, quem coactum ad peccandum, atque ideo injuſte damnatum eſſe, ac Numini imperare voluit.

(*a*) *Thom. Vvald. l.2. art. 3.c. 45.*

Triumphat Wiclef. de ſchiſmate.

Inde colligit animos, ad ſpargendas hæreſes.

Ejus Blaſphemiæ.

(*b*) *Id. ib. tom.1. l.1. doctrin. 10.*

Plangit (*c*) illius auſus ſacrilegos, & graſſationes Thomas Waldenſis, de quo paulo ante memoravi, compellans his verbis eccleſiam: *Nabuzardam* (*d*) *Vvicleff princeps coquorum infernalium captivam te duxit*; & infra: *Quis enim de filiis tuis ſecundum doctrinam ejus de proprio jure pulſus non ſenſit exilium? Quis frater, quis monachus, quis canonicus, quis profeſſus miles, quæ monialis, quis clauſtralis non eſt juſſus ſpernere ordinem, contemnere ſanctum votum, violare propoſitum? Quis Papa non cenſetur inutilis, aut perfidus antichriſtus? Quis Cardinalis, quis patriarcha, quis epiſcopus non dicitur Cæſareus clericus, & maledictiones pro benedictionibus permutare? Quis officialis canonum, quis profeſſor ſcholaſticus, quis doctor theologus non ſentit ſe ſecundum doctrinam ejus nomen & ritum imitari gentilium, & ab omni eccleſiaſtico officio vacuum? dico de paſtoribus ſecundi ordinis, quis eorum non ſenſit ſe læſum cum decimas, & oblationes omnes ad ſubjectæ ſuæ plebis pendere videt arbitrium? Quis jam, ut ad aliud latus me vertam, parentes Regum, aut principum non ſe videt de propinquo abiiciendum de ſolio quando audit, ſe per minimum peccatum mortale totum perdidiſſe dominium Quis non ſuſpicabitur ſe intruſorem eſſe ad minus, quando audit præcellentiorem ſe in virtute cum voto populi concurrentis optimum habere titulum ad regnandum civiliter? Si tranſcendamus homines quis non torquetur capite, audiens Deum noſtrum eſſe quidlibet nominandum, hunc aſinum, illum diabolum? quodque omnipotens Dominus nihil amplius facere poteſt, quam facit: non potuit heri occidiſſe culicem, qui hodie ſupervivit, & cætera multa blaſphema, quæ recitabuntur in locis, & vocabulis ſuis ad plenum. De ſacramentorum quoque, quis non dolebit injuriis, & ſacramentalium, de orationibus fidelium, de conſecrationibus rerum ſanctarum, de adoratione imaginum, de violationibus ſepulchrorum, de oblationibus dotis, & donariorum eccleſiæ devotorum, breviter de diſperſione totius gregis dominici, & omnis ab initio primæ eccleſiæ devotionis, & ſanctitatis relegatione perenni. Credite quod non fuit Iſraeliticus populus ſic in Babylone captivus, ſicut Anglicus populus in Vvitcleffiſtico errore detentus ad tam remotum & longinquum ductus exilium.* At ſi ſacerdos apoſtata tantum faſtum, & furorem in eccleſiam e ſchiſmate concepit, quas non ſchiſmatici Græci, quas non Turcæ, quas non Ægyptii, quas non

(*c*) *Ibid. doct.10. c.2.*

(*d*) *4.Reg.*

Omnipotentiam divinam negat.

Sacramenta tollit.

Afri-

Afri blaſphemas voces adverſus Eccleſiam effuderunt? atque hos inſolentia efferatos ex Eccleſiæ inteſtina diſſenſione maximis animis ad eam excindendam conjuraſſe, deflebimus.

CXVI. Bellum inter Venetos, & Genuenſes.

(a) *Diarium MS. Venet. & append. ad hiſt. Andr. Dand.*

(b) *Bizarr. de bello Veneto l.2. hiſt. Genuen. l.2. Foliet. l.8. & alii.*

Interea conjunxit ſe ſchiſmati & hæreſi dira ſeditio, ſeſeque magnis cladibus attrivere (*a*) hoc anno Veneti, ac Genuenſes diſceptantes de imperio inſulæ Tenedo & rerum Græcarum controverſiis; tum in oriente & occidente fœderatos præpotentes, in mutuam perniciem traxere, Genuenſes quidem Ludovicum Regem Hungariæ, Aquilejenſem patriarcham, & Carrariam Patavii (*b*) regulum concitarunt in Venetos: Veneti vero adverſus Genuenſes Bernabonem Vicecomitem Mediolanenſem, Petrum Regem Cypri, & Marchionem Carreti ad belli ſocietatem allexere, ex quo reſpublica Chriſtiana admodum quaſſata eſt, cum victores paulo poſt eaſdem, quas intulerant clades, experirentur. Venetos quidem hoc anno tripartita claſſe, novis poſtea ſupplementis aucta, gravia mala invexiſſe æmulis, referunt; cum Hector Piſanus in Antiate ſinu Genuenſium claſſem, cui Ludovicus Fliſcus præerat, profligarit, ac deinde obnoxiam Regi Hungariæ oram Sclavoniæ, tum Catharum, ac Sibinicum urbes vaſtarit, Arbam pellexerit ad deditionem, Jaderam obſederit; Carolus Zeno Liguſticum Littus populationibus & incendiis fœdarit; ac denique ſex aliæ triremes Venetæ, quæ una cum tot aliis Catalanis Bernabonis filiam Petro ſive Perino Regi Cypri in uxorem collocandam adducebant, Famaguſtæ, quam Genuenſes præſidio valido tenebant, portum oppugnarint. Tum Petrus Rex illius urbis ex Genuenſium manibus recuperandæ avidus e continenti in muros aſſiliit quamquam ejuſdem Regis conatus fracti, propulſatique fuere. Ut vero Genuenſes ulti ſint accepta damna, ac rempublicam Venetam in proximum exitium conjecerint, ſequenti anno dicetur: nunc Caroli Imperatoris obitu triſtem annum abſolvemus.

Januenſium claſſis oppreſſa.

Sclavoniæ ora evaſtata.

Famaguſta oppugnata.

CXVII. Commendatur.

(c) *Albert. Argent. in chron. Trithem. 59.*

Caroli Imper. mors.

Ereptus eſt e vivis extremo hoc anno magno Eccleſiæ detrimento, ut refert Albertus Argentinenſis (*c*) in chronico, cui his verbis finem imponit: *Anno Domini MCCCLXXVIII. obiit Carolus* IV. *Romanorum Imperator & Rex Bohemiæ in vigilia S. Andreæ*. Albertum ſequitur Trithemius, quibus potius aſſentiendum arbitror, quam nonnullis aliis, qui ſequenti anno die vigeſimo ſeptimo martii illum obiiſſe tradidere, cum Urbanus ſequenti anno ſext. Kal. februarii Regi Aragonum ſignificarit, Carolum nuper vita functum. exornat illum ampliſſimo elogio Æneas Sylvius; ea tamen nota percellit, malis artibus ſocordi filio imperium peperiſſe: *Nomini ſuo*, inquit, *non parvam inuſſit maculam, quod Wenceſlaum ex filiis ſuis natu majorem in imperio ſibi ſucceſſorem adhuc vivens ordinare conatus eſt, idque pecunia: nam cum principes electores haud facile ad eam rem trahi poſſent, quod virtute obtinere non potuit, precio comparavit, promiſſis cuique electori centum millibus aureis, quos cum repræſentare non poſſet, publica illis Romanæ reipublicæ vectigalia obligavit: perpetuum imperii malum. Hinc Romana poteſtas ad nihilum redacta, nec poſthac extollere caput imperium potuit, cum principes electores omnia ſibi retinerent, Imperatoremque jurejurando adigerent, ne pignora revocaret. Sigiſmundus alter Caroli filius a Rege Hungariæ Ludovico in ſpem regni adoptatus eſt*. His conſentanea Dubravius (*d*), & Joannes (*e*) Coclæus tradunt, quorum poſtremus addit.

Corrupit laudes coemptis ſeptemvirum ſuffragiis.

Cæſareas vires eliſit.

(d) *Dubrav. hiſt. Bohem. lib.22.*

(e) *Coclæus hiſt. Huſſit. l. 1.*

CXVIII. Præclara ejus monita.

*Reliquit poſt ſe rerum a ſe geſtarum hiſtoriam, quam ſua manu conſcripſiſſe fertur, cujus hoc initium eſt: Quicumque regnabitis poſt me decorati diademate Regum mementote, quod & ego rexi ante vos, & in pulverem redactus ſum, & in lutum vermium ſimiliter vos cadetis, tranſeuntes, ut umbra, & velut flos agri. Quid valet nobilitas generis, aut rerum affluentia niſi adſit pura conſcientia cum fide recta, & ſpe ſancta reſurrectionis? Non æſtimetis vitam veſtram ſicut impii non recte cogitantes, cum exiguum ſit quod eſtis, quia a Deo creati, & ex nihilo nati ſitis, & poſthæc ad nihilum redigemini tanquam non fuiſſetis. Scitote vos habere Patrem æternum, & filium ejus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui primogenitus eſt in multis fratribus, qui vos vult fieri participes regni ſui. Si mandata ejus ſervaveritis, & non inquinaveritis mentes, conſcientias, & voluntates peccatis carnis veſtræ, efficiemini filii Dei, prout Joannes in evangelio dicit: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Si igitur vultis effici filii Dei, mandata patris veſtri ſervate, quæ annuntiavit vobis per filium ſuum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Regem cœleſtem, cujus typum, & vices geritis in terris: mandatum vero majus eſt, diligere Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima, & proximum ſicut ſeipſum ſi ea dilectione Deum diligetis, pro ipſo ponere animas veſtras non formidabitis, & non timebitis eos, qui corpus quidem poſſunt interficere, animam vero perdere non valent. Sed timebitis patrem veſtrum, qui potens eſt ſalvare, & mittere in gehennam ſempiternam.*

Imperata Dei dilectio.

*Si vero in timore Domini ambulaveritis ſapientia erit veſtrum initium, & judicabitis fratres veſtros in juſtitia, & æquitate prout ipſi ſperatis judicari a Domino, nec ſic deviabitis in devium, quia via Domini recta eſt, eritque miſericordia veſtra ſuper egenos, & pauperes, prout optatis miſericordiam conſequi de egeſtate, & fragilitate veſtra a Domino, & ſapientia veſtra fortificabitur in robore Domini, & ponet, ut arcum æneum brachium veſtrum, & conteretis bella fortia, & cadent impii coram vobis, juſti autem gaudebunt. Cogitationes quoque inimicorum veſtrorum Deus diſſipabit, & docebit vos facere juſtitiam & judicium, revelabit vobis ſecreta, ſcrutinium juſtum oſtendet vobis, & non palliabit vir aſtutus malitiam ſuam ante faciem veſtram, quia ſpiritus ſapientiæ, & intelligentiæ Domini erit in vobis, & velabuntur oculi injuſtorum coram vobis, tolletque Deus de cordibus eorum verbum, & amentes erunt propoſitiones eorum; juſtus autem ſalvabit vitam ſuam: ſicque erit bonor regius, quia honor Regis judicium diligit, & ſceptra veſtra florebunt coram Domino, quia porrexiſtis ea lapſo, & inopem extraxiſtis de laqueo venantium: diademata veſtra ſplendebunt &c.*



Arcanum verum artis politicæ.

(a) *To. 1. de ſchiſ. p.134. Joann. Coclæus lib. 1. & Dubrav. hiſt. Boh. l.22. 23.*

Hactenus Carolus imperator in præfatione vitæ ſuæ, quam narrare exorſus inſigni Chriſtianæ demiſſionis exemplo vanam, & ſtultam vocat. Hæc vero monita Wenceſlaus major natu filius in Bohemico regno, & imperio ſucceſſor (*a*) ſprevit: quamquam initio obſequentem alteri paterno imperio, religioſiſſime ipſi in extremo vitæ actu a Carolo dato, in ſuſcipiendis Urbani adverſus antipapam partibus ſe præbuit. Sigiſmundum vero alterum filium ad magnas virtutes, & gloriam effloruiſſe viſuri ſumus.

I.

Præcipuæ res hoc anno geſtæ.

ANno redempti humani generis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione ſecunda certatum eſt magno ardore animorum in pluribus regnis, ac provinciis, tum a Chriſti vicario ſummoque in terris animarum paſtore, ut errantes oviculas revocaret ad gregem; tum a ſchiſmaticis Cardinalibus, quos ſuperiore anno in Urbanum livor, ultionis cupiditas, faſtus, nimiuſque ſui Gallicique nominis amor in ſcelus præcipites egerant: quique ſuis incautos irretire mendaciis, invitoſque ſæva tyrannide opprimere contenderunt. Igitur in Germania pro vero Chriſtianorum antiſtite ſuæ aſſerendo dignitati celebrati conventus, lataque juſta edicta: in Anglia indictum æmulis ſchiſmaticis ſacrum bellum: in Hiſpaniis ancipites fluctuarunt Reges, cui ſe potiſſimum addicerent: in Italia verum inter, & adulterinum Pontificem non ſcriptis modo, ſed armis pugnatum, quo bello Britonum & Vaſconum copiæ, quæ ſchiſmati conflando faverant, conciſæ a catholicis commiſſi ſceleris juſtas pœnas luere, coactuſque eſt pſeudopontifex ex Italia fugam turpiter arripere, de quibus ſingillatim eſt hiſtoria texenda.

II.

Triplex eccleſiæ diſciſſio.

Diſciſſum ſe trifariam, ingemuit Chriſtianus orbis: pars quidem maxima Urbano Pontifici conjuncta hæſit: pars ad Robertum antipapam defecit; pars neutri ſtudere profeſſa eſt, veteres enim Cardinales Itali, quos ambitione antipapatus circumventos a ſchiſmaticis vidimus, quamvis Urbanum etiam poſt Fundanam ſynagogam Pontificem profiterentur, ad eum tamen redire detrectarunt, rati præteritum ſcelus tegi poſſe, atque eccleſiarum priſtinam redintegrandam conjunctionem, ſi œcumenicum concilium veluti neutri parti affixi cogi ſtuderent, in quo orta de pontificatu controverſia dirimeretur: Urbano itaque paterna indulgentia ipſos ad ſe revocare annitenti hæc reſpondere.

*Sanctiſſimo domino noſtro.*

*Beatiſſime pater. Veſtras ſuſcepimus literas ante adventum magnifici Raynaldi de Urſinis, quas dictus Raynaldus ultimo nobis exhibuit, & prudenter per eum, & reverendum patrem epiſcopum Brixienſem expoſita audivimus: quibus ſuper concilio faciendo ad expiationem ſchiſmatis, & pacificationem Eccleſiæ ſanctæ Dei, & Chriſtianitatis mentem noſtram aperuimus, ipſiſque & dilectis ſociis, & auditoribus noſtris dominis Joanni de Spoleto, Thomæ de Peruſio, & Bartholomæo de Placentia ſuper hoc fidem credulam placeat adhibere, & per eos ſalvificum nobis exhibere reſponſum. Scriptum Talliacotii die* XVII. *januarii. Devoti veſtri Petrus Portuenſis, & Simon Mediolanenſis, & Jacobus de Urſinis Cardinales.* Oppreſſus eſt morbo hoc ipſo anno in eodem Talliacotiano oppido Jacobus Urſinus, qui, antequam e vivis diſcederet, publici notarii opera conſcriptis (a) monumentis teſtatum reliquit, ſe una cum Petro, & Simone Cardinalibus ſentire ad ſchiſma abolendum ſynodum œcumenicam celebrandam, ſeque eum Pontificem agnoſcere, qui in concilio Pontifex pronuntiaretur [1].

(a) Ext. to. 2. de ſchiſm. p. 22.

III.

*In Nomine Domini amen. Anno a nativitate ejus milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono, indictione ſexta, menſe auguſti die tertiadecima ejuſdem. Ut omnibus innoteſcat mea intentio de præſenti ſchiſmate, quod* [*proh dolor!*] *in Eccleſia ſancta Dei, & Chriſtianitate ortum eſt, cum timore Dei, me in hunc modum declaro. Primo quod videns prædictum grande ſchiſma ortum, ſimul cum reverendiſſimis patribus, & dominis meis Portuenſi, & Mediolanenſi S. R. E. Cardinalibus ad extinctionem dicti ſchiſmatis fui proſecutus viam concilii, ſine qua videbatur non poſſe terminari, & finiri dictum ſchiſma. Quod concilium affectabam, & ſperabam, quod ſedationem tanti ſchiſmatis meis oculis viderem. Nunc autem in hunc modum dico, quod in hoc veritati me ſemper ſubiicio, & judicio S. matris Eccleſiæ, & concilii me ſubmitto, exhortans Reges, & principes, ut attenta Dei reverentia velint compati Eccleſiæ matri laceratæ, & procurare, operamque præſtare, quod tantum bonum pro unitate ſanctæ matris Eccleſiæ veniat ad effectum. Ego vero me illum pro Papa tenere, fateor & teneo, qui per ſanctam matrem Eccleſiam, & concilium fuerit approbatus. Et ſi verbo, ſcripto, vel opere aliquid umquam fecerim, vel dixerim contra illum, qui ſic declaratus fuerit, fateor me erraſſe, & correptioni, & determinationi ſanctæ matris Eccleſiæ, & concilii me ſubmitto, & ex nunc humiliter veniam peto.* Hæc quamvis poſteris reliquerit Jacobus Cardinalis, ipſum recte tamen de Urbani pontificatu ſenſiſſe, teſtatur epiſcopus Viterbienſis, qui facti rationem e morituri ore ſe excepiſſe (a) publicis tabulis vulgavit. *In Taliacotio*, inquit, *ubi mortuus eſt dictus dominus Jacobus, de Urſinis ſcilicet, me præſente habui ante mortem ſuam per duos dies videlicet die XII. auguſti cum ipſo domino Jacobo iſta verba: Reverendiſſime pater, bene credo fideliter tanto tempore ſerviviſſe vobis, quod non negabitis mihi unam gratiam; & ipſe reſpondit: Certe nihil negabo tibi, quod concernat perſonam tuam. Tunc dixi ſibi: Ego peto quod dicatis mihi, ſi erro in adorando dominum Urbanum pro Papa: quod ſi errarem ego vellem deponere errorem meum, quia magis diligo animam meam, quam ipſum. Tunc ipſe reſpondit: Certe immo errares ſi non adorares, quia ipſe eſt veriſſime Papa. Tunc ego dixi ſibi: Quare ergo non rediſtis ad ipſum: Ipſe reſpondit: Quia via concilii videtur mihi utilis pro eo, pro me, & pro tota Chriſtianitate.*

(a) Ext. to. 4. de ſchiſ. p. 76.

Fatetur Urb. eſſe verum pap.

Concilium eccleſiæ neceſſarium prædicit.

Aſſentitur Urb. ut congregetur Concilium.

Optabat Urbanus cogi ſynodum œcumenicam, quam ſuperiore anno ante & poſt antipapæ creationem conjuratis Cardinalibus obtuliſſe, diſcuſſamque a concordiæ hoſtibus reſtituendæ Eccleſiæ pacis rationem vidimus: qui quidem hoc etiam anno, captatis ad colorandam perfidiam diffugiis, oblatam a Petro Florentino, Simone Mediolanenſi, & Jacobo Urſino de celebranda ſynodo pactionem repudiarunt; quorum reſponſa a ſchiſmatico tumido faſtu, & veritatis aperto hoſte his verbis concepta (b) fuere: *Circa ea, quæ petunt domini Cardinales Italici, dico ex abrupto non multum deliberatus propter ſubitationem ea, quæ ſequantur. Primo propter id punctum, quod continetur in petitionibus ipſorum, ſi domini Reges nominati per eos, videlicet Franciæ & Romanorum, erunt contenti de concilio generali, &c. dico quod laici de rebus eccleſiaſticis, nihil diſponere poſſunt, &c.* Interjectis ſecundo, tertio, quarto reſponſis omnino abſonis ſubdit, breviſſimam fore viam, ſi Cardinales Itali ſequerentur alios, tunc enim Reges eos pariter ſecuturos: ſed vana erat & improba ejuſmodi ſpes, cum non ita levibus radicibus defixa eſſet catholicorum conſtantia, ut iis etiam everſis aliquando nutaret: *Quinto dico, quod domini Cardinales non poſſunt vocare concilium generale, nec celebrare; ſed ſolus dominus noſter Papa, & ipſe ſolus habet ipſum authenticare, & auctoritatem dare, ut* XVII. *di. per tot. & p. q.* VI. Non ad Robertum Gebennenſem antipapam, ſed ad Urbanum ſpectabat concilium cogere, ut demonſtrat Baldus (c), cum Urbanus ex adepta pontificatus poſſeſſione, nec jure, nec vi deturbatus eſſet, quam nunquam Robertus nactus eſt. Pergit doctor ſchiſmaticus: *Sexto dico quod in tanto ſchiſmate non poteſt vocari concilium generale, quia vel vocaret ipſum verus Papa dominus Clemens, vel antipapa: Si verus Papa, tum non venirent adhærentes antipapæ: Si vero antipapa vocaret; non poteſt dare auctoritatem, non poteſt diffinire, nec determinare, & adhærentes domino Clementi non venirent.* Paratum Urbanum ad ſubiiciendam cauſam ſuam concilio œcumenico vidimus, quod antipapa injuſtitiæ ſuæ conſcius nunquam admiſit. Inſulſa pariter eſt proxima ſchiſmaticorum ratio: *Septimo dico quod tale concilium generale non eſt celebrandum, & ratio eſt, quia ſi celebraretur tale concilium, oporteret quod in eo declararentur & definirentur tres concluſiones, quæ ſunt principales in toto iſto facto. Prima eſt an electio Bartholomæi, ſeu nominatio fuerit legitima, & canonica, vel non: & iſta concluſio eſt jam determinata, & definita per ſacrum collegium. Ergo &c.* Non definitam jure conſtat, cum Cardinales auctoritate carerent, partiſque & judicis munus invaderent, uti diximus.

(b) Ext. to. 10. de ſchiſm. p. 87.

Schiſmaticorum detrectantium concilium reſponſum.

Negant ſchiſmat. Reges debere operam dare cogendo concilio.

(c) Bald. quæſt. de ſchiſm. ad 6. Cod.

Dilemma falſum.

IV.

Judiciaria auctoritas non ad Cardd. ſed ad eccleſiam pertinebat.

*Secunda concluſio eſt, an declarare & determinare quod electio ſummi Pontificis ſit legitima, vel illegitima, pertineat ad ſacrum collegium dominorum Cardinalium, vel non: & credo quod iſta quæſtio non eſt dubia apud ſacrum collegium.* Jactarunt quamvis falſo, id perduelles Cardinales, at Chriſtianus orbis ipſis non aſſenſit, auguſtiore enim tribunali ad rem decidendam opus erat. Paucis interjectis ſubditur: *Nec video rationem quare totus mundus ſeu tota Chriſtianitas non teneatur credere ſacro collegio dominorum Cardinalium quando dicunt, & aſſerunt, quod electio ſit illegitima, & caſſa, & nulla, ſicut tota Chriſtianitas credit eis quando dicunt, quod electio ſit legitima, & canonica.* Mirum eſt ſchiſmaticos adeo in flagitio obfirmatos, ut fingant, ſe non perſpicere cur Cardinalibus adhibita ſit fides, cum electum jure Urbanum, poſtquam ipſimet ut legibus creatum Pontificem renuntiarunt, infulis apoſtolicis cinxere, & quatuor menſibus excurrentibus honores pontificibus ſacros illi detulerunt, cum tunc nulla alia ratio, quam veritatis vis ad id urgeret; nunc vero ſe perjuros, mendaces, impoſtoreſque eſſe palam profeſſis fidem non adhiberi, cum ad priora dicta, factaque damnanda, cœca eos rabies impulerit. *Tertia quæſtio, quam oporteret tractare in concilio generali, ſi celebraretur,*

Inſanum ſophiſma.

Patet ratio cur prius non poſterius fides adhiberi debuerit.

Falſa hæc argutia cum ſynodus ſit judex controverſi pontificatus.

NOTÆ [1] PUblicam Cardinalis Urſini proteſtationem, quam Annaliſta ex Vaticano Codice hic recitat, ex adverſo pugnare cum iis quæ ab eodem Cardinali biduo ante ejus obitum audiviſſe ſe Faventinus Epiſcopus teſtatur, Baluzius in adnotat. ad vitas Paparum Aven. to. I. col. 1237. arbitratur. Sed nihil inter hæc diſcriminis reipſa intercedit. Nam in publicas tabulas relatam voluit Urſinius ſententiam ſuam de ſchiſmate in concilio œcumenico dirimendo. Quamquam enim Urbanum Pontificem ipſe privata ſcientia agnoſcebat; norat tamen ſententiam ſuam numquam ab Eccleſia probandam fore, niſi Concilii judicium acceſſiſſet. Quia vero in ea re definienda Concilium numquam erraturum, cauſamque Urbani, utpote veram, approbaturum, notat; ideo licet certum Urbani jus noſcebat, definitioni tamen Concilii ſe ſubmittere profeſſus eſt. MANSI

*tur, eſt iſta, videlicet, ſi dominus Papa Clemens eſt verus Papa, & ſi ſit canonice electus, quæ quæſtio ſupponit duas primas quæſtiones: & propter iſtam quæſtionem, ſicut nec propter alias duas præcedentes non oportet convocare concilium generale*. Excuſat deinde ſi in electione antipapæ Cardinales Itali fuere contempti, nec vocati Avinionenſes, tum ſubdit; *Propter id punctum, quod tangitur in petitionibus dominorum Cardinalium Italicorum, ubi dicitur, quod prædictum concilium generale ſit declarativum a quo iſtud ſchiſma oritur; dico, quod iſtud ſchiſma habet ortum a duplici fonte, & a duplici radice, una eſt proxima ſeu immediata, alia vero eſt remota diſtans & mediata: radix, ſeu cauſa, fons, & fandamentum immediatum iſtius ſchiſmatis fuit ambitio, voluntas, & appetitus immoderatus Bartholomæi quondam Barenſis archiepiſcopi, & cupiditas Romanorum cupientium habere curiam Romanam propter utilitatem, quam inde habere ſperant: radix vero & cauſa remota eſt partialitas notabilis, & ambitio cujuſdam nationis, cupientis hereditarie poſſidere ſanctuarium Dei, & etiam exceſſus, & peccata virorum eccleſiaſticorum, & maxime quorumdam majorum, qui videbantur eſſe columnæ in domo Domini. Modo certum eſt, quod iſtæ radices prætactæ jam tranſierunt in rem judicatam, & quod præteritum eſt non poteſt non fuiſſe*. Hæc falſo, & inepte jactabat doctor ſchiſmaticus, veræ autem ſchiſmatis cauſæ ſuperius a nobis allatæ ſunt.

Falſæ ſchiſmatis cauſæ confictæ a ſchiſmaticis.

V. Obduruere pertinaciſſime ſchiſmatici in reſpuenda œcumenica ad ſedandum ſchiſma ſynodo: qua de re Hiſpanorum nomine querentem Toletanum archiepiſcopum audituri ſumus in commentario egregio, (*a*) quem adverſus pſeudocardinalem S. Euſtachii, qui pluribus verborum fucis, ac perperam adductis juris canonici legibus contenderat, concilium œcumenicum non cogendum, edidit: in quo etiam fatetur, ſe in celeberrimis ab Henrico Rege ordinum Caſtellæ conventibus habitis in urbe, cui Ylieſcas nomen eſt, eam ſententiam cum maxima Caſtellanorum parte amplexum (*b*), ut licet ob metum a Romanis iniectum Urbani electio celebrata vitio extitiſſet, ob unanimem tamen in eo papali corona ſolemni ritu cingendo, ac ſacros pontificibus honores illi toties totieſque impenſos prius vitium purgatum fuiſſe. Advocatum vero iterum ab Henrico Rege epiſcoporum, procerumque concilium, Toleti, refert Joannes Mariana (*c*): cumque Urbani, & antipapæ legati illum in ſuam partem trahere niterentur, ipſum in neutram inclinare decreviſſe, profeſſumque Caſtellanos in re controverſa œcumenici concilii judicium ſecuturos, & quæ in Caſtella

(*a*) *Ext. to.17. de ſchiſm. p.* 123.

Archiep. Toletani ſententia in hac controverſia.

(*b*) *To.* 5. *de ſchiſ. p.*130.

In primo Caſtellæ conventu quid ſancitum eſt.

(*c*) *Marian. de reb. Hiſpan. l.* 18. *c.*2.

Decretum in alio conventu, accipiendam concilii ſententiam.

ad Romanum Pontificem pertinerent integra ei fore, qui æmulum viciſſet.

VI. Menſe etiam majo alia præſulum & procerum comitia Burgis Henricum (*d*) indixiſſe, ut in ſchiſmatis controverſia veritatem exploraret, e Petri regiæ Aragoniæ ſtirpis principis, qui S. Franciſci inſtituta amplexus, hoc tempore ſanctitatis opinione florebat, ac pluribus cæleſtibus viſis colluſtrabatur, monumentis conſtat: atque etiam ab eodem Petro, qui propheta habebatur, miſſis præſulibus oraſſe, ut divina ſibi arcana, quibus cœlitus edoctus erat, in vero Pontifice dignoſcendo aperiret: pſeudocardinalis enim Oſtienſis, cum cætera ejus vaticinia laudaret, illud, in quo de Urbano agebatur, oppugnabat. Quibus auditis Petrus, qui jam ante Henricum Regem literis hortatus erat, ut in Urbani veneratione conſtans perſtaret, de futuro in Dei Eccleſia ſchiſmate olim ſibi divinitus oſtenſo, prænuntiatoque; tum de Urbani creatione legibus celebrata, ac de ſchiſmaticis in (*c*) Nicolaitis apud D. Joannem adumbratis, quod duplicem ſponſum eccleſiæ tradidiſſent, reſponſum dedit.

(*d*) *To.* 4. *p.*141.

Conſultus Petrus Aragon. ſtirp. princeps a Rege Caſtellæ.

(*c*) *To.*4. *de ſchiſm. p.*143.

*Fratris Petri de Aragonia epiſtola*.

*Ad informationem oratorum dominorum patrum meorum, qui deputati eſtis ab illuſtriſſimo & magnifico principe domino Rege Caſtellæ, dicit humilis filius veſter frater Petrus de Aragonia de ordine Minorum, quod in revelationibus ſibi indigno a Domino revelatis, de quibus facta eſt diſputatio inter ipſum, & dominos Cardinales, qui ſunt in Avinione, & de quibus factus eſt proceſſus per notarium publicum Regis Aragoniæ in civitate Barchinonenſi, qui dicto Regi Caſtellæ per ipſum fratrem Petrum præſentatus eſt, ſuum per ordinem reſpicienda & examinanda, licet ipſe reputet ea vera, immo veriſſima, & ſæpe ſæpius examinata & approbata per magnos & ſcientes viros ſacræ paginæ profeſſores: Cardinales ipſi, per ſecundam electionem factam in civitate Fundenſi de domino Gebennenſe: dicuntur a Spiritu Sancto, & a Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ab Apoſtolis ſuis Petro & Paulo & Joanne evangeliſta, & angelo Dei, Nicolaitæ, per conſequens ſchiſmatici, inimici Dei, & mendaces: & licet vocentur Cardinales, non ſunt, ibi ubi dicit Dominus apocalypſis ij. hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi, & inveniſti eos mendaces, qui dicunt ſe eſſe apoſtolos, & non ſunt: Et dico ſub correctione veſtra, & cujuſcumque melius ſentietis, quod ita intelliguntur hæc verba de ipſis Cardinalibus, qui ſecundam fecerunt electionem, quod de aliis intelligi non poteſt. Certum eſt, quod hæreſis Nicolaitarum a Nicolao dicta, qui unus fuit de* VII. *diaconibus, fuit, quod uxo-*

Inſigne ejus reſponſum.

Cardd. ſchiſmatici per Nicolaitas ſignificati.



*uxores erant communes. De hoc elicitur talis regula, ſive conſequentia licet falſa, quod una mulier poteſt ſe tradere duobus viris, marito & adultero, quod eſt contra legem Dei, ubi dicit Dominus, non mœchaberis, non concupiſces uxorem proximi tui: Talis fuit in ſecunda electione, loquendo ſpiritualiter error Cardinalium, qui Eccleſiæ Dei ſponſæ Chriſti, quæ una eſt, duos dedere ſponſos, Urbanum primo electum, & Gebennenſem ſecundo. Et ſi dicatur, ut ipſi dicunt, quod electio prima eſt nulla, ex cauſis & rationibus per ipſos Cardinales allegatis, ſecunda electio fuit vera, & per conſequens ſponſa Chriſti ſortita eſt unum ſponſum, videlicet, Gebennenſem: ſi opinio iſta vera eſt, quomodo Chriſtus ſumma veritas vocat eos Nicolaitas? Ideo habet dici neceſſario, quod per ſecundam electionem, per quam dederunt ſponſæ Chriſti duos ſponſos, dicuntur a Domino prævidente & pronunciante futurum ſchiſma, Nicolaitæ ſchiſmatici, & ideo non Cardinales, quia ſchiſmaticus non poteſt, nec meretur eſſe Cardinalis: & ideo ad literam ſunt aliqui ipſorum, & juxta verbum propheticum, per Urbanum privati a capepllo, qui licet dicantur Cardinales, non ſunt. De prædictis ſequitur juxta revelationem ultimam ubi agitur de moderno ſchiſmate, quod electus per ipſos in electione ſecunda eſt Herodes, ubi ſic dicit Spiritus Sanctus: erit Herodes in Chriſti perſecutione, poſt cujus mortem, videlicet, Urbani* V. *millia, & millia innocentium ſub gladio diriſſimi ſpiculatoris peribunt, &c.* De eodem vaticinio ex teſtimonio Alfonſi, qui S. Birgittæ a confeſſionibus fuerat, mentio recurret inferius, divinæque fuit providentiæ, ut qui antea ſchiſma futurum prædixerat, etiam qui nam forent ſchiſmatici demonſtraret.

Dicuntur Card. ſed non ſunt.

Antipap. Herodes dictus in divino reſponſo.

Vaticinium de Urb. V. ſedem transferre Romam.

VII. Saluberrima Petri principis Minoritæ reſponſa, ut Urbani juſti Pontificis cauſam defendendam ſuſciperet, neglexit Henricus, quem divina percuſſum ira e vivis ereptum idem Petrus, qui amicitia illi conjunctiſſimus regios olim honores, ac triumphos prædixerat, interpretatus eſt, ut ipſe in apologia adverſus ſchiſmaticos, qui oſtenſa ipſi divina viſa oppugnabant, diſſerit; dum Numinis ultionem principibus antipapam ſequentibus impendentem prænuntiat (*a*).

(*a*) *Ib. p.* 141.

Henrico Regi Caſtell. prædictum exitium niſi pro Urb. ſtaret.

*Fratris Petri de Aragonia epiſtola*.

*Quid dicam de morte Henrici Regis Caſtellæ, quam dolens & triſtis in immenſum refero? Erat mihi filius ſpiritualis chariſſimus & ſuper omnes homines mundi prædilectus: per me indignum multa ei Deus revelavit, & prædixit futura tam in acquiſitione regni Caſtellæ, quam de morte Regis Petri fratris ſui. Ad ipſum ex ordinatione divina miſi confeſſorem meum fratrem Raymundum de Sarriano cum litera manu propria ſcripta ad inducendum Regem ipſum quod ſtaret pro Urbano, & obediret ſibi cum comminationibus, & indignationibus duris: quas niſi faceret incurſurus eſſet: & poſt miſſionem dicti confeſſoris ad ſex dies, vel circa habui literam a prædicto Rege valde humilem, & gratioſam, in qua rogabat me, quod cum ipſe in civitate Burgenſi, cum prælatis, & proceribus regni ſui in menſe maji etiam proxime inſtantis vellet ſcire veritatem de ſchiſmate, quod erat in Eccleſia Dei, & quod ipſe ſuper hoc tanquam catholicus erat facturus, quod ego per aliquem virum providum, prudentem, & bonum, mihique ſecretum & familiarem, ſignificarem ſibi, quid ego de iſto negotio ſciebam. Super hoc miſi ſibi literam fortiorem, quam primam, & in qualibet litera ſignificavi ſibi revelationem mihi factam a domino noſtro Jeſu, prout ſignificaveram domino meo Regi, ut ſuperius continetur. Significavi etiam ſibi qualiter, antequam accepiſſem literam ſuam, ex inſpiratione divina mittebam ad eum ipſum, prout ipſe poſtulaverat, confeſſorem meum prædictum. Recepit literas, audivit confeſſorem meum in villa S. Dominici de Calcada, ſed tanquam incredulus nihil fecit; qua de cauſa incurrit indignationem Dei in literis comminatam, & arripiente eum infirmitate validiſſima mortuus eſt: tamen deceſſit pœnitens, & catholice. Anima ejus requieſcat in pace. Amen.* Exceſſiſſe illum e vita hoc anno menſe majo, ſcribit Joannes Mariana (*b*): Urbanum vero Chriſti vices in terris gerentem coluiſſe, ac Petrum e Luna ut antipapæ legatum admittere detrectaſſe, ut regnicolam tamen foviſſe tradit vitæ ejuſdem antipapæ ſcriptor (*c*): Cæterum quanto eccleſiaſticæ damno in Aragonia vir peſtifer Petrus e Luna permiſſus ſit ſchiſmaticæ impietatis venena diffundere, ex dicendis inferius conſtabit.

Divina in Henricum ira ob Petrum e Luna non ejectum.

(*b*) *Jo. Mar. de reb. Hiſp. l.*18. *c.*2.

Fovit Petrum e Luna ut regnicolam.

(*c*) *Vit. Clemen. antipap. ſcript. apud Boſquet.*

VIII. Ad muniendos contra ſchiſmaticorum fraudes Hiſpanos Alfonſus Hiſpanus vir religioſiſſimus, eximium commentarium edidit (*d*), in quo narrat a Petro principe Minorita lapſis retro pluribus annis ſchiſma hoc prænuntiatum, illiuſque declinandi deſcriptos modos, ſi nimirum probitate inſignes viri in Cardinalium numerum referrentur, tum etiam cauſas attingit; ac demum argumentis perſpicuis concludit, Urbanum ut verum Chriſti vicarium colendum; claruit vero Alfonſus pietate & doctrina, qui Giennenſi epiſcopatu ſe abdicarat, vitamque eremiticam amplexus divinis rebus ſe totum addixerat, olim S Birgittæ peregrinationum ſocius, & cæleſtium arcanorum particeps, ac juſſu ſanctiſſimæ viduæ deſudarat, ut ſedis Apoſtolicæ faſtigium Romæ reſtitueretur a Gregorio: cuique ab ipſo Petro e Luna, antequam a conjuratis Cardinalibus Gallis ſubornaretur, Urbano ut ve-

Alfonſus eremita pro Urb. ad Hiſp. ſcribit.

(*d*) *Ext. to.*2. *de ſchiſ. p.*22.

ro

ro pontifici adhærendum, niſi contrarium ſynodus œcumenica decerneret, dictum fuerat.

*Informationes domini Alfonſi eremitæ olim epiſcopi Giennenſis ſuper creatione Urbani.*

*Schiſma ante annos XXX. prædictum.*

*Modi, per quos ſcio, & firme credo dominum noſtrum Urbanum VI. eſſe verum Papam, ſunt infraſcripti, videlicet, Per viam Sancti Spiritus, & notitiæ voluntatis Dei. Alius modus eſt per viam facti mihi noti, de facto electionis ejus. Tertius eſt per viam juris canonici, & per veras rationes ſummorum doctorum.*

*Mandata Chriſti a S. Birgit. Clem. VI. expoſita.*

*Et primo per viam notitiæ voluntatis Dei; quod ante XXX. annos, ſcilicet ante annum jubilæi clare revelatum fuit a Chriſto beatæ Brigittæ principiſſæ de regno Sueciæ exiſtenti in eodem regno in ſua oratione, de cujus dominæ canonizatione nunc, & a tempore Gregorii XI. hic in curia agitur, cui Chriſtus loquens præcipiendo dixit, quod ipſa ſcriberet ex parte ipſius Dei Papæ Clementi, qui tunc vivebat, & in Avinione degebat, quod ipſe faceret pacem inter Reges Franciæ, & Angliæ, & quod veniret ad Romam, & teneret hic curiam, & reformaret totam univerſalem Eccleſiam, in priſtinum ſtatum, & ſanctorum patrum primævorum, & quod tunc prædicaret, & annunciaret, gentibus annum Jubilæi, alioquin quod ipſe Dominus procederet contra eum cum terribili judicio, & divina juſtitia. Quæ quidem Chriſti revelatio habetur in VI. libro cæleſti beatæ Brigittæ divinitus revelato LXIII. cap. Copiam autem dictorum librorum beatæ Brigittæ habet dominus meus archiepiſcopus Hiſpalenſis, & habetur in monaſterio de Anayago, & fratris & domini mei fratris Petri de ordine S. Hieronymi. Quam revelationem dicta ſancta domina miſit eidem Papæ Clementi dicto tempore, cum domino Henrico epiſcopo Habnenſi, & cum quodam ſancto viro fratre Petro priore Alvaſtri ordinis Ciſtercienſis, qui nunc eſt hic cum filia dictæ dominæ Brigittæ in curia: qui prior fuit confeſſor beatæ Brigittæ XXX. annis. Qui quidem Papa Clemens propter illam revelationem noluit venire Romam: & ſic voluntati Dei inobediens factus eſt.*

*Divina ira eidem poſtea intentata.*

*Et poſt modicum tempus habuit dicta domina aliam divinam revelationem a Chriſto contra eundem Papam, quæ habetur in VI. libro cæleſti XCVI. cap.*

IX. *Urb. V. a Petro Reg. Aragon. patruo monitus, ut Romam veniat.*

*Poſt hæc autem, mortuo dicto Clemente, ſucceſſit Innocentius Papa, pro quo etiam dicta domina habuit a Chriſto orando aliam revelationem. Quo Papa Innocentio mortuo, ſucceſſit Urbanus V. pro quo quidem Urbano habuit dominus infans Petrus frater Minor avunculus Regis Aragoniæ homo ſanctæ vitæ plures revelationes a Deo, per quas Chriſtus præcepit eidem fratri, quod veniret Avinionem ad Papam Urbanum, & diceret ei, quod ſtatim veniret, & duceret curiam ad Romam, & ibi reformaret ſtatum univerſalis Eccleſiæ, &c. ut in ipſis revelationibus latius continetur: & quod idem Papa remaneret in Roma, vel Italia uſque ad mortem, alioquin quod ſi hoc non faceret, & rediret Avinionem, quod ſtatim moreretur, & daret locum doloroſo ſchiſmati in proximo venturo, in quo millia & millia innocentium debebant deperire ſub gladio diriſſimi ſpiculatoris, &c. ut ibi latius continetur, quas quidem revelationes ego habeo in ſcriptis, quas ipſe frater Petrus fecit mihi dare Avinione ſui gratia & charitate. Et vos bene poteritis illas, ut credo, habere ab eo, quia prope vos eſt in regno Aragonum. Ipſe vero frater Petrus auditis iſtis revelationibus ſibi divinitus factis cum magno digeſto conſilio habito cum quibuſdam ſanctis perſonis ſpiritualibus venit tunc Avinionem ad dictum Urbanum V. anno primo creationis ſuæ, & intimavit ei iſtas revelationes prædictas ex parte Dei, & quod omnino ſtatim recederet de Avinione, & veniret Romam. Quod ſtatim ipſe Papa Urbanus V. adimplevit, & ad Romam venit.*

Mala in ſchiſmate eventura ſignificata.

Ut Urb. Rom. ſe contulerit.

*Tranſactis autem aliquibus annis ſtatim ille hoſtis antiquus, qui ſuggeſſit protoplaſtis, quod de ligno vitæ ejus divinitus vetito ederent, & contra divinam obedientiam facerent, ſuggeſſit etiam callide ſuis rationibus coloratis eidem Urbano, quod de Italia & Roma recederet, & ad Avinionem omnimode ſe transferret, ut ſic prædicto præcepto Dei inobediens fieret. Quibus coloratis ſuggeſtionibus, ut Adam & Eva, ipſe Papa credens, ſtatim præparavit ſe ad receſſum de Italia. Sed tunc Dominus volens, quod ſupra, quod ſcilicet ipſe Papa non recederet, ſed in Roma, vel Italia uſque ad mortem omnimode permaneret, & ibi ſtatum Eccleſiæ reformaret, tunc ſtatim dignatus eſt per beatam Virginem revelare hoc expreſſe ſupradictæ beatæ Brigittæ tunc viventi & in Roma degenti. Quam quidem revelationem ipſa portavit ad Montemflaſconem, ubi dominus Papa tunc erat, & ibi eamdem coram me detexit domino Cardinali Bellifortis, qui poſtea fuit Papa Gregorius, ut ipſe illam in ſcriptis ſecretiſſime traderet dicto domino Urbano. Sed idem tunc Cardinalis Bellifortis dominus meus familiariſſimus non fuit auſus hoc facere. Propter quod ipſa domina ex divino præcepto eidem Papæ Urbano præſentavit ſua propria manu dictam revelationem de manu mea ſcriptam. In qua continebatur, quod voluntas Dei erat, quod ipſe de Italia non recederet, ſed in Roma, vel Italia uſque ad mortem permaneret: alioquin quod ſi ad Avinionem rediret, ſtatim moreretur, & redderet rationem coram Deo, &c. Sed ipſe Urbanus*

Avenionem reverſus ſit.

Data ei a Chriſto mandata.

Redituro Avenionem mors intentata.

tunc



*tunc voluntati Dei non acquievit, nec dictæ revelationi obedivit; ſed ſtatim de Monteflaſcone ad Avinionem receſſit: ubi poſt paucos dies ſtatim juxta divinam revelationem mortaliter ægrotavit. Et tunc recordatus præcepti Dei in dicta revelatione ſibi facti, & dolens de inobedientia ſua, compunctus eſt: & tunc fecit votum redire in Italiam, & Romam, ſi ab illa infirmitate evaderet: & in eodem propoſito mortuus eſt. Hæc autem, omnia publica, & notoria ſunt in curia, & bene hoc ſcit dominus meus archiepiſcopus Hiſpalenſis, quod ita eſt.*

Pœnituit Urbanum reditus ſui.

X. *Mortuo autem Urbano V. ſtatim mirabili providentia divina Cardinalis Bellifortis prædictus, qui ſolus in collegio prædictum ſecretum revelationis ſciebat, & in ſcriptis habebat, in Papam aſſumptus eſt: & tunc ſtatim præfata domina ſancta orante in Roma, habuit aliam revelationem divinam per Matrem Dei ſibi loquentem, pro eodem Gregorio: in qua continebatur, quod voluntas Dei erat, quod ſtatim ipſe veniret Romam cum humilitate, & paſtorali charitate, & hic reformaret univerſalem Eccleſiam, & perſeveraret uſque ad mortem, &c. Quam revelationem ſtatim ipſa domina miſit ſuo more roboratam eidem Papæ Gregorio ſcriptam de manu mea. Sed ipſe Papa poſtquam illam recepit, non faciliter ei credidit; ſed præfatam dominam per ſuum nuncium ſuper hoc requiſivit. Cui oranti iterum Virgo Maria loquens apparuit, & pro eodem Papa divinum reſponſum dedit, & ad veniendum Romam dictum terminum illi præfixit, adiiciens quod ſi hoc non faceret, damna intolerabilia tam in ſe, quam in terris temporaliter ſibi ſubjectis rigoroſe ſentiret. Quam revelationem ſtatim ipſa miſit eidem Papæ Gregorio ſcriptam de manu mea, & ſua propria manu, & nomine roboratam; ſed ipſe Dominus, poſtquam eam recepit, adhuc iterum in Avinione cum carne & ſanguine, ideſt cum ſuis parentibus, & carnalibus Cardinalibus pigritando permanſit, quia carnalis, & animalis homo ſecundum Apoſtolum non percipit quæ Dei ſunt. Et iterum miſit dominum comitem de Nola ad Neapolim ad præfatam dominam beatam Brigittam, ad requirendam eam ſuper eadem materia, & miſit per me idem Papa Gregorius, ut ſtatim ad Avinionem ad eum accederem, ut ſuper ipſa materia cum eo latius conferrem.*

Juſſus a Deo Gregorius XI. ſe Romam transferre.

Charitatem, & animi demiſſionem colere.

*Orante igitur ſuper hoc dicta domina in Neapoli, quando redibamus de Jeruſalem, Chriſtus apparuit, & loquebatur, eidem verba terribilia pro eodem Papa Gregorio, dicens in effectu, quod ipſe ſtatim ad Romam cum intentione ibi permanendi veniret cum charitate, & humilitate, conſiliarios malos a ſe abjiceret, & viros ſpirituales ſibi conſiliarios aſſumeret; terras Eccleſiæ temporaliter ſibi ſubjectas pie, non extorquendo pecunias, regeret, & de Romana curia certa vitia radicitus extirparet, eamque & omnes ſtatus univerſalis Eccleſiæ ſpiritualiter reformaret, &c. Quæ ſi non faceret comminabatur Chriſtus ei terribili judicio, & juſtitia furoris ſui. Quam revelationem ego portavi ad Avinionem roboratam nomine proprio prædictæ dominæ ſanctæ Brigittæ, incluſam in ſua litera clauſa, & præſentavi eam ex parte Chriſti, & ipſius dominæ Brigittæ eidem Papæ Gregorio in Ponte de Sorga in magno ſecreto, quia ſi fuiſſet notum, quod talia portabam, tunc mihi imminebat mortis periculum, eo quod parentes ipſius Papæ, & Cardinales Gallici abhorrebant adventum Papæ ad Romam, qui magis volebant ſtare in Ægypto ſuper ollas carnium in deliciis, & comedere panes in ſaturitate, & ſucceſſive, & jure hæreditario poſſidere ſanctiſſimam apoſtolicam cathedram Piſcatoris, quam venire per deſertum tribulationum ad reformandam Eccleſiam in terra promiſſionis, ubi univerſalis Eccleſia, & Petri cathedra, non per delicias carnis, ſed ſanctorum ſanguine fuit fundata, & antiquitus bene recta.*

Vitia exſcindere, & pietatem inſtaurare.

XI. S. Brigit. a Gregorio interrogata de eadem re.

*Poſt hæc autem, dum ibi Avinione tunc eſſem cum domino Papa Gregorio, tunc adhuc ipſe per literas iterum miſit, ad Romam ad requirendam dictam dominam S. Brigittam ſuper eadem materia ſecretiſſime. Ipſa vero iterum etiam aliud reſponſum divinum obtinuit a Chriſto, quod reſponſum eidem Papæ, & mihi ad Avenionem velociter deſtinavit navi, & ſtatim ipſe Gregorius Papa me ad Italiam miſit, & de adventu ſuo ad Romam pigro modo & indebito, non ſpiritualiter, ſed carnaliter ordinavit. Nam ſicut Chriſtus miſit ante ſe præcurſorem Joannem Baptiſtam ad prædicandum baptiſmum pœnitentiæ gentibus, ſic dictus Papa miſit ad Italiam præcurſorem ſuum Robertum modernum antipapam quondam Gebennenſem, cum multitudine Britonum ad effundendum ſanguinem Chriſtianorum, ad faciendum vindictam in nationibus contra facientes rebellionem contra dominium Eccleſiæ. Quæ quidem rebellio culpa malorum rectorum terrarum Eccleſiæ, quos ipſe Papa poſuit, evenerat, & tarditate ſui adventus ad Romam, ut ſibi per revelationes prædictas clare innotuerat. Adveniente autem tempore, quo idem Papa Gregorius ad Romam applicuit, qui curiam Romanam, & univerſalem Eccleſiam, ut ſibi divinitus præceptum fuerat, ibidem reformare debuit non hoc fecit, ſed guerras, & tribulationes maximas cum zelo juſtitiæ Italicis propinavit. Qui videns ſe mala cum malis, ſicut nec ignem cum paleis non poſſe in Italia extinguere, tunc per ſuggeſtiones Gallicorum Cardinalium carnalium incœpit ordinare de Roma & Italia recedere, & ad ollas carnium in Ægyptum, ideſt in Avinionem contra Dei prædictam*

De Roberto Gebennenſi præcurſ. Gregorii ſanguinario.

ex-

Perduelliones excitatæ ob tardiorem adventum Gregor.

*expreſſam voluntatem redire. Quæ tunc ſciens unus ejus familiaris dixit mihi hæc verba: In effectu, o domine Alfonſe, ſciatis, quod dominus noſter Papa diſponit de Italia recedere, & ad magnam inſtantiam Gallicorum Cardinalium, & aliorum ſuorum domeſticorum Avinionem redire: Cui ego ſciens Dei voluntatem, reſpondi: Certe credo, quod numquam poterit hoc facere, quia ſcio, quod voluntas Dei eſt ipſum Dominum Papam, & curiam in urbe manere, eamque & alios, etiamſi noluerint, hic retinere. Poſtque ſtatim ad paucos dies idem Papa Gregorius Dei judicio ægrotavit, & in illa infirmitate, ut bene puto, ad Chriſtum migravit.*

Gregor. dum Avenion. repetere meditaretur extinctus.

*Et videns nunc Deus, quod per* XXX. *annos, & ultra ſuam voluntatem, per quam ſedem, & apoſtolicam curiam ad Romam reducere, & ibi firmiter permanere volebat, taliter, ut præfertur, temni a ſummis Pontificibus Gallicis quam terribiliter & expreſſe præceperat; & quod ipſi ad carnem, & ſanguinem accedentes, multiſque terrenis & opulentis deliciis impinguati, incraſſati, dilatati, quaſi inſenſibiles, facti ſemper inobedientes contra eum recalcitrando reſtiterant, diſpoſuit ſua providentia ineffabili in prædicta vacatione ſedis Apoſtolicæ ad privandum Gallicos ſucceſſione cathedræ Petri, & ad ſtabiliendum ipſam in Roma juſto & canonico modo pro nunc Italicum ſummum Pontificem dare, & Cardinales ipſos Gallicos, ut puniantur in quo deliquerant cum juſtitiæ rigore ab ejus collegio radicitus exſtirpare. Et ideo permiſit inter eos ante electionem paſtoris Eccleſiæ ſerere ſemen diſcordiæ & creſcere, ut ſic oporteret, ſuo occulto divino judicio in eligendo Italicum virum omnimodo concordare.*

XII. Cardd. Gallor. adverſus Urb. conſpirationes.

*Sane quidem per multos dies poſt electionem, coronationem, & progreſſionem ejuſdem D. N. Urbani VI. ſummi Pontificis vidi, quod præfati Cardinales Gallici conjuncti in Anagnia ſpiritu ſuperbiæ, invidiæ, & vindictæ, timentes cœperunt contra ſummum Sacerdotem, & dominum nequiter conſpirare, & de conflando novum vitulum in Oreb, & adorando ſculptile, fraudulenter tractare. Tunc ego ad majorem abundantiam ſatisfactionis meæ conſcientiæ ſecrete incœpi aliquos amiciſſimos, & familiariſſimos Dei requirere, ut mihi indicarent quid in oratione ſentiebant de iſta materia. Qui quaſi uno ore reſpondentes dixerunt, quod indubitanter Urbanus VI. apud divinum conſiſtorium, & divinam voluntatem verus eſt Papa: ſed quod Deus hoc ſchiſma permittit propter cleri, & Eccleſiæ univerſalis carnalis punienda peccata, & ſuperbiam, ut percuſſi virga terribili etiam coacte humiliemur, & convertamur ad dominum. Audivi etiam aliquas divinas revelationes, quas dicti amici Dei ſuper hoc in oratione exiſtentes habuerant a Deo, inter quos etiam audivi, quod frater Petrus de Aragonia, frater Minor, avunculus Regis Aragoniæ habuerat ſuper hoc ſpeciales, & expreſſas revelationes a Chriſto pro Regibus Caſtellæ & Franciæ, & aliis univerſis gentibus. Propter quod firmiter per viam Spiritus certificatus fui, Urbanum VI. eſſe veriſſimum Papam, quia major & firmior certitudo eſt illa, quam habent ſanctæ perſonæ a Deo, intuentes, & cognoſcentes clare; & ejus voluntatem & veritatem in illo divinitatis vivo clariſſimo ſpeculo, quam illa certitudo, quæ habetur per advocatos, & judices in libris cartarum, & litera mortua, quia litera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

Viſa Petro principi Minoritæ oſtenſa de vero Pontifice.

Addimus his jam ante imminens ſchiſma aliis ſanctiſſimis hominibus divina luce colluſtratis prænuntiatum, ne ſcilicet pii tot tumultibus conterriti de divina providentia diffiderent; & quidem inter Avinionenſia monumenta (*a*) præter Petri Aragoniæ principis oracula, inſigne extat hujuſmodi viri religioſi Joannis e Rupeſciſſa vaticinium. *Intellexi ſed magis explicite Toloſæ in carcere, eſſe futurum unum ſcandalum in ventre generalis eccleſiæ Romanæ tam incredibile tam immenſum, & horrendum, & damnoſum, ac etiam ruinoſum, ut non poſſit ſufficienter cogitari ejus flagitium, nec plene verbo exprimi infundendum venenum: futurum enim eſt, ut ante apertam repræſentationem proximi maximi antichriſti mortuo uno ſummo Pontifice & in diebus illis cum erunt concluſi domini Cardinales, tantus erit conflictus populorum in Italis, & tanta effuſio ſanguinis Chriſtiani, ut videatur perditio ſæculi adveniſſe: juſſu tamen divino ita fiet, quod Cardinales concluſi non poſſint in aliquem conſentire, niſi in quemdam virum ſanctiſſimum, & adeo inimicum quem non aſſument de numero Cardinalium; ſed ſicut olim aſſumpſerunt ſanctiſſimum Cæleſtinum, hic enim rite & canonice eligetur. Fiet autem juſto Dei judicio permittente, ut ad ſuggeſtionem unius bilinguis falſarii;* is fuit Joannes Ambianenſis Cardinalis, de quo Urbanus in edictis graviter queritur, *alius quidam filius ambitionis, & ſuperbiæ,* nimirum Robertus Gebennenſis, *in contumeliam Chriſti, & veri Pontificis cum cautelis, & verſutiis fultus præſidio multorum Cardinalium a vero Pontifice recedentium ad pſeudopontificium aſſumatur: conabuntur enim electionem canonicam veri Pontificis annullare rationibus phantaſticis & ſophiſmatibus fictis.* Sanctam quoque Catharinam Senenſem divino Spiritu triennio ante movendam a Cardinalibus in Pontificem perduellionem prædixiſſe ex Raymundo Capuano oſtenſum (*b*) eſt. Nunc ad Alfonſi ſolitarii commentarium redeamus, quo probat in alia ejus parte ex ritu in Urbani electione ſervato illum vere Chriſti in terris vices gerere.

(*a*) Ext. to. 4. *de ſchiſm. p.* 126.

Schiſma divinitus oſtenſum.

Crudelia Genuenſ. & Venet. prædicta bella.

Prædict. ſchiſm. a S. Cather. Sen.

(*b*) *A. C.* 1378. *n.* 22.



XIII. Electionis Urb. modus.

*Sequitur modus ſervandus per viam facti mihi noti de facto & modo electionis dicti domini noſtri Urbani Papæ VI. per quem credo eum eſſe verum Papam. Cum ſedes vacaret in Roma per mortem Gregorii XI. Romani Pontificis, tunc vidi, quod* XVI. *Cardinales, qui præſentes erant per undecim dies expectaverant antequam intrarent conclave ad eligendum Paſtorem. Et iſto tempore inter ſe tractabant de futuro Pontifice eligendo, non cum deſiderio ſancto eligendi meliorem hominem mundi juxta canonicas ſanctiones ad regendum chriſtianas oves univerſalis Eccleſiæ ſecundum ſpiritum, ſed affectu carnali, & partiali, ad eligendum ſibi amicum, propinquum, aut parentem, proh dolor! ſecundum carnem, & ſanguinem. Propter quod orta eſt contentio, & diſcordia maxima inter diſcipulos, quis eorum eſſet major: & ſic venerunt ad tam obſtinatam diſcordiam, quod domini Cardinales Lemovicenſes faciebant unam partem, & domini Cardinales Gallici faciebant partem aliam, & quælibet pars iſtorum non erat ſufficiens in numero ad habendum duas partes Cardinalium, qui numerus de jure neceſſario requiritur ad faciendam canonicam electionem Romani Pontificis. Quod ſi aliqua dictarum partium Cardinalium quovis modo potuerat habere pro ſe dictum numerum ſufficientem ad electionem faciendam, & aliquis ipſorum Cardinalium ultramontanorum fuerat electus ab eis, tunc non dixiſſent ſe timuiſſe Romanos, nec in poſterum allegaſſent impreſſionem. Et ideo propter defectum ſufficientis numeri vocum quælibet dictarum partium totis viribus conabatur ſupplantare aliam, & accumulare ſibi, & ſubtrahere voces alterius partis, & etiam Italicorum Cardinalium: ſed cum toto hoc non potuerunt facere, quod aliquis Cardinalis ultramontanus haberet ſufficientem numerum duarum partium collegii, ut eligeretur ad cathedram Piſcatoris, quia Deus hoc ſic ordinabat, ut ſupra dixi, ſua juſta juſtitia, & divina providentia.*

De factionib. Cardd. Gallic.

Sæpius annisi creare Gallum inter ſe diſſenſerunt.

XIV. Conquiſitus extra collegium Pont. ob mutuum livorem.

*Confracti igitur in mente de hoc ultramontani Cardinales devenerunt ad tractandum de eligendo Papam de extra collegium. Et quia dominus Bartholomæus archiepiſcopus tunc Barenſis vicecancellarius multum bonam famam habebat in curia de ſua liberalitate in expediendo negotia in officio ſuo cancellariæ, ac de ſcientia, & practica in ſtylo curiæ, & de magna honeſtate, & munditia manuum in regimine, & obſervantia juſtitiæ: necnon quia dominus Cardinalis de Agrifolio ex parte Lemovicenſium reputabat dictum archiepiſcopum quaſi ſuum familiarem, commenſalem, & eum multum idem amabat, procuravit cum omnibus Cardinalibus ſuæ partis, quod ipſi dicto archiepiſcopo darent voces ſuas in hac electione. Cæterum quia etiam Cardinalis tunc Gebennenſis, qui erat quaſi caput alterius partis, ſcilicet Cardinalium Gallicorum, videbat, quod nec ipſe nec alius de ultramontanis Cardinalibus complicibus ſuis poterat habere ſufficientes voces in numero, ut Papa eligeretur; & quod dictus archiepiſcopus tunc Barenſis fuerat quam familiaris avunculi ſui, ſcilicet domini quondam Cardinalis Bolonienſis, & ex hoc veriſimiliter præſumens, & ſperans, quod ſi ejus miniſterio, & ſuorum ſequacium eligeretur in Papam, quod eſſet ſibi, & ſuis multum propitius, ideo diſpoſuit eum juvare, ut eligeretur in Papam, & per eum, & complices ſuos.*

Cur Card. Gebenn. conſenſerit in Urban.

*In iſto autem tempore dominus Cardinalis de Luna, tunc dominus meus familiariſſimus, habebat frequenter conſilia ſuper hac materia cum camerario ſuo Petro Garceis, & mecum, licet indigno, qui quidem camerarius ei conſuluit in abſentia mea, & poſtmodum in præſentia mea omnes tres aliquando concluſimus, quod ipſe dicto archiepiſcopo daret vocem ſuam, ex quo de Cardinalibus ultramontanis propter dictam diſcordiam erat impoſſibile eligere. Et quia ego per quatuor, vel quinque dies, antequam intrarent conclave, veriſimiliter vidi, quod dictus archiepiſcopus tunc Barenſis debebat eligi de communi conſenſu ambarum partium, ideo tunc ivi ad dominam Catharinam filiam beatæ Brigittæ, cujus negocium promoveo in curia, & perſuaſi ſibi, quod iret ad dominum archiepiſcopum, & ei maximam reverentiam faceret, & negotium canonizationis ſuæ matris valde efficaciter recommendaret, ex eo quod ego videbam, ut ipſe eligeretur in Papam. Ipſa vero hoc audiens ſtatim illuc perrexit, & in eccleſia S. Petri ipſum invenit, & tunc ei maximam reverentiam ultra ſolitum exhibuit, & negotia ſua illi humiliter recommendavit. De quo ipſe tunc magnam admirationem concepit, eo quod dicta domina Catharina non conſueverat ei facere tam profundam reverentiam.*

Ut Card. de Luna deliberavit de conferendo in Urb. ſuffragio.

Ut Urb. ante ingreſſum conclavis fuerit deſignatus.

S. Catharina Sueca commendat ſe Urbano antequam eligeretur.

XV.

*Poſt hæc autem uſque ad quatuor vel quinque dies domini Cardinales intraverunt conclave cum tubis, & diverſis generibus muſicorum cum magno honore eis exhibito a populo Romano, & ſine aliqua violentia, & coactione. Et ſcio a fide dignis perſonis, quod Cardinalis Glandacenſis ante introitum nunciavit dicto archiepiſcopo, quod omnes concordaverunt eligere eum in Papam, & quod haberet eum recommendatum: Et etiam credo indubitanter, quod dominus Cardinalis de Luna tunc vere intravit cum intentione dandi vocem ſuam dicto domino archiepiſcopo tunc Barenſi, & eligendi eum in verum Papam, & ad hoc inducendi alios dominos Cardinales, utpote per ea, quæ ſupra dixi,*

xi, & per ea, quæ die, qua exivit de conclavi poſt ſolis occaſum audivi ab ore ejus coram domino decano Taraconenſi. Nam cum illa die, qua exiverunt de conclavi, ipſe Cardinalis perveniſſet ad domum ſuam, contiguam eccleſiæ S. Apollinaris, tunc ego ivi ad viſitandum eum, & ſciendum quæ geſta erant in conclavi, & inveni eum cum multis gentibus, quæ aſſociaverant eum poſt exitum ejus ad domum ſuam, qui erant amici, & ſervitores ſui Romani, & alii. Et tunc ipſe erat totus lætus & hilaris, & oſtendebat eis in geſtu & verbis ſuis, quod dominum Cardinalem S. Petri elegerant, ipſe & alii domini Cardinales in Papam; ſed ſtatim recedentibus omnibus de camera dicti domini Cardinalis de Luna, ego, & dominus Taraconenſis remanſimus ſoli cum eo: & tunc ego interrogavi eum quid, vel quomodo fecerant in conclavi factum ſuum. Qui gratioſe ſubridens dixit mihi in effectu verborum, quod valde bene juxta deſiderium ſuum, quia dominum archiepiſcopum Barenſem in verum Papam canonice elegerant, licet Cardinalem S. Petri, ut evaderent periculum Romanorum, in Papali cathedra ſedentem dimiſerant; & idem Barenſis verus electus abſconſus remanſerat, propter timorem populi Romani. ( Eadem de archiepiſcopo Barenſi vere electo, & de Cardinale S. Petri per ſimulationem in ſolio papali collocato, Petrus Hiſpanus ordinis prædicatorum religioſus vir ab eodem Petro e Luna ſe accepiſſe teſtatur, & plures alii confirmarunt (a). Et narravit mihi tunc præfatus dominus de Luna, qualiter in conclavi ipſe induxerat dominum Cardinalem Lemovicenſem ad eligendum eundem dominum archiepiſcopum Barenſem in Papam, & quod tunc dominus Lemovicenſis vocaverat dominum de Agriſolio, & idem ei ſuggeſſerat: & ſtatim etiam vocavit ad ſe dominum Cardinalem Pictavienſem, & quod omnes tres in hoc concordes, & unanimes vocaverunt alios Cardinales, & tunc omnes ſederunt, & voces ſuas libere & ſponte dicto archiepiſcopo dederunt, exceptis tribus Cardinalibus, qui tunc aliquantulum in prima electione contra eum recalcitraverant: ſed poſt prandium in ſecunda reelectione iſtis omnibus Cardinalibus eligentibus adhæſerunt.

Card. de Luna Romanos deludit quaſi Card. S. Petri creatus foret Papa.

Significat intimis Barenſem creatum verum Papam.

Et ordinem electionis recenſet.

(a) To. 2. de ſchiſm. p. 64.

XVI. Die autem ſequenti poſt electionem in ipſa aurora diei vocavi ego fratrem Alfonſum tertii Ordinis B. Franciſci, tunc ſocium meum commenſalem, qui nunc eſt in regno noſtro in Gallecia prope civitatem S. Jacobi de Compoſtella in quodam loco, qui vulgariter appellatur Mellum, qui erat ſatis notus Pontifici, & dixit ei, quod ſtatim iret ad domum prædicti domini archiepiſcopi, & ſciret a famulis ubi & in quo loco ipſe ſtabat abſconſus, quia notus dominus mihi & amicus erat, & liberare eum volebam ab ira, & furore Romanorum, qui omnino Papam Romanum habere volebant: & tunc dixi eidem fratri Alfonſo, quod diceret eidem domino archiepiſcopo Barenſi ex parte mea, quod ſignificaret mihi locum ubi ſtabat abſconſus, & quod ego ſecrete captata opportunitate extraherem eum de loco illo, & ponerem eum intus in urbe ſub habitu diſſimulato in tali loco ubi ſecurus ſtaret, & quod darem ei omnia neceſſaria ad ejus vitam ſecreto modo per aliqua tempora, donec Dominus aliunde ordinaret. Orto autem jam ſole eadem die ſtatim dominus prædictus Cardinalis de Luna miſit pro me, & præcepit mihi in effectu dicens: Vadatis ad dominum noſtrum Papam, qui jam miſit pro me, & pro aliis Cardinalibus, ut inthronizemus eum more ſolito, qui eſt in Papali palatio, & faciatis reverentiam ex parte mea ſibi, ſed non tamquam Papæ donec inthronizemus eum, & induamus eum veſtibus Papalibus; & dicatis ei quod parcat mihi, quod non vado ſtatim ad eum, volo enim loqui cum iſtis officialibus Romanis, & cum diſcretione ordinabimus, quod iſti domini mei Cardinales, qui ſtant in caſtro S. Angeli inde exeant: & tunc ibimus omnes ad eum, & mittam etiam ſtatim ad ipſos Cardinales quod omnino exeant, & ibimus, & inthronizabimus eum.

Agit de Urbano liberando a Romanor. furore.

De eo in papali ſede collocando.

Tunc autem ego ivi, & feci quod mihi dominus de Luna præceperat; Et ſtatim dictus dominus de Luna cum aliis Cardinalibus in cathedra Papali inthronizaverunt eum, & exuentes veſtibus archiepiſcopalibus induerunt eum veſtibus Papalibus in cappella papali more ſolito: & hoc fecerunt ſatis læto animo, & jucundo ſine aliqua requiſitione populi Romani. Erant etiam eadem die, & aliquibus diebus ſequentibus cives Romani ſatis triſtes, & quaſi conſternati in ſuis geſtibus: dicebant enim in effectu hæc verba: Satis malitioſe deluſerunt nos iſti Cardinales ultramontani: nam nos volebamus Papam Romanum, & ipſi dederunt nobis alienigenam Neapolitanum. Et ſimilia verba proferebant cum vultu turbido. Vidi quoque Cardinales, qui extra urbem propter iſtam electionem, quam fecerant Barenſis archiepiſcopi, quaſi fugiendo propter timorem Romanorum, receſſerant, quod poſtea in urbe, in conſiſtoriis & conſiliis, & diverſis officiis, & aliis ceremoniis conſuetis reverebantur, & aſſiſtebant domino noſtro Urbano VI. tamquam vero Papæ, & Chriſti vicario, impetrantes ab eo pro ſuis familiaribus, & pro ſe & parentibus, & aliis diverſa officia, & beneficia, & plures alias gratias ſpirituales, & temporales. Audivi etiam a domino Cardinale de Luna ſæpe quando redibat ad domum ſuam de palatio, qualiter tali vel tali cum talibus Cardinalibus, & verba aſpera contentionis dixit &c. Et ſemel audivi ab eo, quod dominus Papa habuerat

Romanorum querelæ ob creationem Urbani.

Ut in poſſeſſionem pontificatus fuerit miſſus.

Contracta ab eo jurgia cum Cardinalibus.

mul-



multa verba aſperrima, & iroſa cum furore contra Cardinalem Ambianenſem, & quod tunc acceſſit ad Papam Cardinalis Gebennenſis, & dixit hæc verba ei: In effectu [ Pater beatiſſime ] vos non tractaſtis dominos Cardinales cum illo honore, quo debetis, ſicut anteceſſores veſtri faciebant, & diminuitis honorem noſtrum. Dico vobis in veritate, quod Cardinales conabuntur etiam diminuere honorem veſtrum.

Intentatæ ei a Cardinali Gebennenſi minæ.

XVII. Poſtquam autem Cardinales incœperunt tacite ſuſurrando murmurare, & contra dominum Papam ſecrete conſpirare, ſæpe audivi a domino de Luna, quod dominus noſter Papa tenebat tales modos in verbis ſuis, propter aliquos Cardinales qui recedebant ab eo ad Anagniam, & videbat quod aliquod malum ibi ordinaretur contra eum. Et aliquando ego coram aliis, & etiam ſecrete conſului ſibi, quod ipſe Cardin. de Luna non iret Anagniam. Et ipſe reſpondebat mihi tamquam bonus Dominus, quod ipſe reputabat eum verum Papam in conſcientia ſua; ſed quod ſi iret Anagniam, hoc faceret ad obviandum malitiis, & ſeditionibus Cardinalium Gallicorum, qui omnino contra dominum Papam malam, & vindicativam intentionem habebant; & quod ibi credebat magis ſervire domino noſtro Papæ in hoc, quam ſi cum eo remaneret in Roma.

Conjurationes ſecutæ.

Card. de Luna.

Alia vice etiam recordor, quod dum eſſemus in horto ipſius Cardinalis de Luna, ipſe & ego, tunc vidi eum aliqualiter motum & conquerentem de domino noſtro Papa propter aliquas ſupplicationes, quas ipſe ei præſentaverat; & ipſe dominus Papa gratias ibi contentas ſibi negaverat: & dicebat tunc ipſe Cardinalis: Certe, inquit, alii Cardinales ultramontani jam omnes receſſerunt ad Anagniam, & quare ego ſtabo hic cum domino noſtro, quia ipſe quaſi nihil facit de iis, quæ peto? Certe, inquit, non ſervirem Deo, ſi non faceret mihi bonum. Et poſt paucos dies receſſit ad Anagniam. Et credo certe, quod cum bona intentione, credens obviare malitioſis tractatibus ſociorum: voluit enim ipſe in Anagnia alios piſcare, ſed ipſe, proh dolor! piſcatus eſt, quod non ſine dolore cordis dolendo profero.

Blaſphema in Deum vox.

Dum Anagniæ alios Card. a cœpto ſcelere revocare molitur perverſus eſt.

XVIII. Sequitur tertius modus qualiter per viam juris canonici, & per veras rationes ſummorum doctorum firmiter credo dominum Urbanum VI. eſſe verum Papam. Quamvis Dei gratia ex juſta & pia ratione libros juris a diutino tempore a me abdicavi, volens ſine ſcriptura jurium juſtius vivere, & potius in libro vitæ non ſcripto, ſed immortali ſtudere, quam in libris mortuis pellium animalium mortuorum; tamen adhuc in memoria mea labiliſſima aliquæ reliquiæ ſcientiæ juris canonici, quam in juventute didiceram remanſerunt, & ideo non cum vano faſtu allegationum capitulorum, ſed breviter concludam quæ materia aliquas exiguas rationes pauperculas, in me arctant juſte ad tenendum firmiter & catholice, quod Urbanus VI. eſt verus Papa. Et primo dico, quod cavetur in jure, quod ſi aliquis homo dilexit aliquam puellam pulchram, divitem, morigeram, & deſideravit contrahere matrimonialiter cum ea, & ſic in corde ſuo firmiter propoſuerat, poſtea evenit caſus, quod potentes, amici, & parentes iſtius mulieris cum magno terrore coarctant iſtum hominem, ut contrahat cum ea, & tunc iſte ad ſe reverſus videt ſe arctari ad illud, quod deſiderabat in mente, & tunc contrabit cum illa per verba legitima; dicunt jura quod tale matrimonium eſt firmum, nec iſte poteſt poſtea nullitatem matrimonii allegare, dicens quod metus cauſa cum illa contraxerat. A ſimili dico in negotio noſtro: nam duæ partes Cardinalium, immo omnes Cardinales, exceptis duobus, vel tribus ante introitum conclavis deliberaverant inter ſe eligere dominum archiepiſcopum Barenſem in Papam, quia erat pulcher in fama, dives virtutibus, & in moribus lucens non ex aliqua impreſſione populi, ſed potius propter diſcordiam, quæ erat in vertice collegii, quia in aliquo eligendo de collegio non concordabant, quia ſi concordaſſent in Gallico bene elegiſſent non obſtantibus quibuſdam vanis vocibus aliquorum Romanorum dicentium ſe velle Papam Romanum: & ideo intus in conclavi elegerunt dictum Barenſem cum bona concordia, læta, & jucunda, ut patet ſupra tam per geſta ante introitum conclavis, quam per geſta poſt ejus exitum. Ergo iſta electio eſt valida, & firma.

Probationes ex jure canon. pro Urbano.

Egregium exemplum a ſimili.

A Cardd. etiam ſine clamore populari fuiſſet electus.

Secunda ratio eſt, quia etiamſi illa deliberatio de eligendo eum, quam fecerunt ad introitum conclavis, non fuiſſet facta, & cum elegerunt eum duæ partes Cardinalium, & plus, & iterum reelegerunt, antequam rumperetur conclave, electio eſt omnino valida, quia non fuit impreſſio talis nec tanta; quia nec tali tempore facta, quod annullaret dictam electionem, quia multa mendacia aſſerunt adverſari, quæ ſunt nobis manifeſta, qui tunc eramus præſentes in Roma, & ſciebamus ſecreta Cardinalium, & vidimus alias circumſtantias dicti negotii.

Antequam diffringeretur conclave prima, & ſecunda electio erant celebratæ.

XIX. Tertia ratio eſt iſta. Aliquis Rex poſſidet unum regnum & vaſſalli, & ſubditi dicti regni obediunt ei: deinde venit aliquis alius repetit regnum, & ejus poſſeſſionem coram judice competenti, certum eſt, quod ille judex debet illum Regem poſſidentem defendere in poſſeſſione ſua, donec auditis partibus, & allegationibus, & eorum probationibus per ſententiam terminetur contra illum poſſeſſorem: nec vaſſalli debent ſe ſubtrahere ab ejus obedientia, & ſubjectione; nec recalcitrando dicere: Nulli iſtorum dominorum obediamus, donec feratur

Poſſeſſor in jure poſſeſſorio retineri debet, donec de mala poſſeſſione conſtet.

*ratur pro aliquo iſtorum ſententia per judicem: ſic & in propoſito, dico quod ex quo Urbanus VI. fuit electus per illos, qui poteſtatem habebant eligendi, & inthronizatus in ſede Apoſtolica, & ſedet reſidendo in Roma civitate ſua propria, ubi Chriſtus poſuit Petri cathedram, & fuit ab eis coronatus: & ipſe conſiſtoria, & officia, & cætera alia fecit & facit, quæ ſummi Pontifices anteceſſores ſui fecerunt, & alii Reges, Imperator, & mundi principes ei ſicut Papæ obediunt, multo plus ego debeo obedire donec terminetur contrarium juridice. Sed iſtudmet conſilium ego habui a domino de Luna, qui eſt doctor magnus in ſcientia, & utinam eſſet tantus in profunda, humili, & non ambitioſa conſcientia, & hoc fuit in viridario ſuo in præſentia ſui camerarii ſupra nominati, dixit enim mihi in effectu, quod firmiter tenerem cum Urbano Papa VI. donec per concilium generale terminaretur contrarium: idem dixit mihi idem camerarius ejus & alii multi literati, & doctores eximii. Et in hac fide vivo, & mori intendo; & contrarium dictum hæreticum reputo.*

Urbanus adeptus plenam poſſeſſionem.

*Et vidi etiam tractatum domini Joannis de Lignano excellentiſſimi doctoris, præſertim juris canonici ſuper omnes viventes, & tractatum domini Jacobi de Serra doctoris antiqui, & alia multa ſcripta ſuper hac materia, quæ me confirmant, & affirmant, & refirmant in fide mea, quam teneo ſuper hoc. Qui ergo voluerit tenere contrarium teneat, quia lata, & ſpatioſa eſt via, & ampla porta, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam: a qua vos retrahat, liberet, & ad veritatis viam vos dirigat, & perducat ille bonus paſtor Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

Extant ii tractatus Jacobi e Serra inter Avenionenſia monumenta (a), ex quibus duo Baldi & Joannis e Lignano inſignes & prolixi in fine hujus tomi adducentur. Nunc addimus Alfonſum olim epiſcopum Giennenſem, de quo paulo ante memoravimus, ſcriptis notarii manu aliis publicis literis (b) hoc anno MCCCLXXIX. indictione II. die quarta martii conſignatis teſtatum, non concitatam popularem ſeditionem, neque conclave perruptum, niſi poſtquam Urbani electio celebrata fuit, nec jactatis a Romanis verborum minis ullam additam verberum contumeliam, aut vulnus inflictum cuiquam fuiſſe: Gallos vero Cardinales propterea defeciſſe, cum intempeſtive dolerent ſupremum ſe imperium in Eccleſiam univerſam, quo tandiu erant potiti, amiſiſſe; metuerentque Urbani ſeveritatem, atque in ſuſcepto conſiſtendi Romæ conſilio conſtantiſſimum animadverterent.

Alfonſi olim epiſcop. Giennen. depoſitio.

(a) *Ibid.* p. 126

(b) *Ext. to. 4. de ſchiſm. p.* 43.

XX. Hujus teſtimonio addimus eadem die S. Catharinam virginem filiam S. Birgittæ ſervato judiciorum ordine interrogatam de ſpectantibus ad Urbani electionem, quæ oculis & auribus hauſerat, confirmaſſe pariter exortum popularem motum, poſt lata in Urbanum a Cardinalibus ſuffragia: ac ne is furentium Romanorum, qui ſpe adipiſcendi civis ſui Pontificis deluſi erant, temeritate necaretur, Cardinalem S. Petri dolo ac ſimulatione in papali ſede collocaſſe, cujus dicta inſignia, quæ tot ſunt ad illuſtrandam veritatem lumina, in hanc formam redacta ſunt (c): *Anno Domini MCCCLXXIX. indictione ſecunda pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Urbani divina providentia Papæ VI. anno I. die vero decima menſis martii. Magnifica & potens domina Catharina filia memoriæ recolendæ, atque ſanctæ Brigittæ quæ quondam de principibus potentibus, atque altis Sueciæ trahens originem, in Roma exiſtens, & ibidem trahens moram cauſa peregrinationis, temporibus, quibus fuit electio celebrata ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Urbani divina providentia Papæ VI. Interrogata dixit ſe tantum ſcire ſuper electione, inthronizatione, & etiam coronatione antedicti ſummi Pontificis: videlicet quod antequam ponerent ſe Cardinales in conclave, loquebantur, & jam ordinabant de electione iſtius fienda, & celebranda. Interrogata quomodo ſciret, &c. Reſpondit quod a diverſis fide dignis prælatis: Interrogata ſi pro tunc aliquis rumor Romanorum erat, dixit quod non. Plus dixit ſe ſcire in dicto negotio, videlicet, quod in conclavi exiſtentibus Cardinalibus adverſarii concordes unanimiter fuerunt de dicto domino Urbano eligendo, tunc archiepiſcopo Barenſi. Interrogata quomodo ſciret, reſpondit quod hoc audivit a domino Cardinali Pictavienſi, & a multis aliis Cardinalibus, quod dictum ſummum pontificem elegerant concorditer, & cum bona voluntate, atque perfecta hortantes dictam dominam teſtem prænominatam, quod firmiter crederet, & firmiter teneret iſtum fore verum, & legitimum Papam, & electum canonice, & nutu Spiritus Sancti. Interrogata ſi in electione fuit impreſſio, ſeu timor Romanorum; reſpondit quod non, ſed bene poſt electionem fuit aliqualis rumor, & inſultus Romanorum optantium habere Romanum Pontificem. Interrogata dicta nobilis, & magnifica domina, ſi poſt ejus electionem vidit eum coronari, præſentibus omnibus Cardinalibus; dixit quod ſic. Interrogata ubi; dixit quod in ſcalis eccleſiæ S. Petri, & vidit eum indui novis veſtibus, & Cardinales venientes ad eum, oſculantes eum, pedem, manum, & os, & omnia facientes, quæ ſolita ſunt fieri omnibus pontificibus Romanis. Interrogata ſi aliquis timor fuerit tunc ibi*

S. Catharinæ filiæ S. Birgittæ teſtimonium.

(c) *Ext. to. 4. de ſchiſm. p.* 45.

Profitetur ſe a Gallis Cardd. accepiſſe Urbanum communi conſenſu fuiſſe electum.

Alacres fuiſſe Cardd. teſtatur cum in Eccleſia S. Petri Urbano honores pontificales detulere.



*ibi, dixit quod non: immo contenti receſſerunt Cardinales præfati gaudentes ſe feciſſe, & elegiſſe talem in ſummum pontificem, quem aſſerebant fore eccleſiæ ſanctæ Romanæ ſalubrem; plus dixit quod antedicti Cardinales, cum dicto ſummo pontifice cum equis phaleratis calota [ideſt calantica] alba, & mitris, more Cardinalium ſociaverunt præfatum dominum noſtrum Urbanum Papam VI. uſque ad eccleſiam incluſive S. Joannis Lateranenſis; & quod ibidem præfati Cardinales exhibuerunt reverentiam eidem domino noſtro, &, prout dicebatur per multos, ibidem confirmaverunt ante dictum dominum noſtrum, & ibidem inſtrumenta facta fuerunt de electione ratificanda. Interrogata ſi fuit aliquis timor, vel rumor, dixit quod non. Interrogata ergo quomodo dicitur, quod Cardinales abſconderunt eum poſt electionem a Romanis, ergo rumor & timor fuit: Reſpondit quod tempore electionis nullus rumor ſeu timor fuit, ſed Cardinales dubitantes, cum fuiſſent requiſiti a Romanis, quod Papam Romanum haberent, & non annuiſſent eorum petitionibus, timuerunt, cum alium elegiſſent præter Romanum, quod dictum electum non interficerent, aut interfici facerent: propter quod finxerunt dicti Cardinales dominum S. Petri fore Papam. Interrogata quæ fuit ergo cauſa iſtius ſchiſmatis: reſpondit & dixit, quod credit quod rigor juſtitiæ domini noſtri, qui eis non erat blandus in eorum petitionibus, & corrigere eos optabat. Et vere teſtificatur præfata nobilis domina teſtis, quod domini Cardinales de virtute, ſagacitate, prudentia & honeſtate multum eidem teſti loquentes, perſonam ſanctiſſimi patris domini Urbani VI. commendabant, & approbabant. Interrogata, ſi dixit, quæ ſupra per ipſam teſtem teſtificata, & depoſita ſunt, odio, amore, timore, prece, pretio, amicitia, vel inimicitia, vel malevolentia, ſeu alia humana gratia, dixit quod non. Interrogata ſi ad ſic teſtificandum fuit eidem teſti loquenti aliquid datum, promiſſum, ſeu alias docta, monita, aut ſubornata ad hujuſmodi teſtimonium ferendum; dixit quod non ad ſingula ſe referendo: Ego me ſubſcribo manu mea cum ſigillo meo.*

Sociaſſe eum tum ad baſilicam Lateranenſem.

Cauſam metus Cardd. fuiſſe quod Romanum non elegiſſent.

Cenſere Urbanum nimia acerbitate Cardd. egiſſe in rabiem.

XXI. Pari religionis ſenſu, quo S. Catharina Sueca Urbanum verum Chriſti vicarium eſt profeſſa, alia ejuſdem nominis Itala, nimirum Catharina Senenſis, quæ veluti lucidum ſanctitatis ſidus in Eccleſia Dei radiabat, eumdem Pontificem venerata, ſparſis hoc anno literis, præſules & principes (a), ut obſequentes ſe illi præberent adhortata eſt; quam etiam vocatam a pontifice ipſo ad ſedem Apoſtolicam refert Raymundus Capuanus (b), ſubditque: *Summus Pontifex ea viſa gaviſus eſt, voluitque coram Cardinalibus, qui tunc aderant, quod verbum faceret exhortationis potiſſime propter ſchiſma, quod tunc incipiebat: quod & perfecte fecit, animando unumquemque eorum ad fortem conſtantiam verbis & ſententiis plurimis, ac oſtendendo, divinam providentiam ſemper adeſſe cuilibet; ſed potiſſime cum ſancta Eccleſia patitur, & concludendo quod propter inchoatum ſchiſma in nullo trepidare deberent, ſed agere, quæ Dei ſunt & nullum timere. Cumque ſua verba compleſſet, Pontifex exhilaratus verba ejus reaſſumpſit vertens ſe ad Cardinales dicens: Ecce fratres, ecce fratres dum timidi ſumus, quantum in conſpectu Domini reprehenſibiles reddimur. Hæc muliercula nos confundit: mulierculam autem voco non in contemptum ejus, ſed in expreſſionem ſexus feminei naturaliter fragilis, & ad noſtram inſtructionem: iſta ſiquidem naturaliter timere deberet etiam quando nos eſſemus bene ſecuri; & tamen ubi nos formidamus, ipſa ſtat abſque timore, ſuiſque perſuaſionibus nos confortat: magna hinc nobis debet oriri confuſio, & ſubjunxit: Quid debet timere vicarius Jeſu Chriſti, etiamſi totus mundus ſe contra eum opponeret? potentior eſt mundo Chriſtus omnipotens, nec eſt poſſibile quod derelinquat Eccleſiam ſuam ſanctam. His & aliis ſermonibus ſummus Pontifex ſe ac fratres ſuos confortans, virginem ſanctam commendavit in Domino, ac gratias quamplurimas ſpirituales ei pro ſe, ac ſuis conceſſit.*

S. Catharina Senenſis Urbanum reverita.

(a) *Lib. epiſt. ep.* 30. 31. *&c.*

(b) *Raymundus vit. S. Cathar. par.* 3. *c.* 1.

Præſente Urbano Cardd. ad conſtantiam animat.

Urbani ad Cardd. cohortatio.

XXII. Addit Raymundus Urbanum meditatum mittere S. Catharinam Senenſem & S. Catharinam Suecam ad Reginam Joannam, ut eam a ſchiſmate ad ſalutis viam traducerent; ſed ab ipſo Urbanum ab ea mente revocatum, ne ſchiſmatici inſignem aliquam injuriam ſanctis illis virginibus inferrent, atque ad Reginam omnem aditum abrumperent; tum ſubjicit: *Hæc omnia cum, audiente ſacra virgine, decumbente in lectulo, recitaſſem mox ipſa ſe vertens ad me, alta voce reſpondit: Si hæc cogitaſſent Agnes & Margareta, aliæque virgines ſanctæ, nunquam coronam acquiſiiſſent martyrii. Nunquid non habemus ſponſum, qui nos poſſit eripere de manibus impiorum, & inter fœdam hominum turbam noſtram pudicitiam conſervare? Vanæ ſunt iſtæ cogitationes, ex defectu modicæ fidei procedentes potius, quam a vera prudentia. Tunc ego licet in memetipſo erubeſcerem de imperfectione mea, tamen gaviſus ſum de magna perfectione ejus notans, & conferens in corde meo firmitatem & ſtabilitatem fidei ejus. Verum quia Pontifex decreverat iter illud virgineum fieri non debere, non fui auſus amplius de materia illa loqui, ſed hoc ſcripſi ut lector quilibet valeat cernere in quanto perfectionis apice pedem fixerat virgo ſacra.*

Cogitat eam mittere cum Cath. Sueca ad Joannam Reginam.

Revocatus ab ea mente a Raym. Capuan.

Inita quidem fuere ab Urbano in hujus ſchiſmatis exordio præclariſſima conſilia; nam & ſynodum œcumenicam celebrare, & duas

& duas divas virgines, ut dixi, ad peccatricem Joannam Reginam a flagitio revocandam legare, & Raymundum Capuanum ad Francorum Regem emolliendum mittere decreverat: ſed ea omnia ad irritum ceciderunt, ſuamque legationem a ſchiſmaticis, qui paraverant inſidias, diſturbatam Raymundus ipſe narrat; ad quam tamen obeundam a S. Catharina Senenſi animatus fuerat: *Omnino*, inquit, *tamen ſuaſit, ut mandatis & votis Pontificis obedirem; & inter alia dixit mihi: Habeatis pro certo, pater, hunc eſſe veriſſimum vicarium Chriſti, quidquid dicant calumniatores ſchiſmatici, & ita volo, quod exponatis vos pro hac veritate prædicanda & defendenda, ſicut exponere vos debetis pro veritate catholicæ fidei, quod verbum, licet prius hanc eandem veritatem noviſſem, ita me firmavit in propoſito laborandi contra ſchiſmaticos impugnantes hanc veritatem, quod hucuſque non ceſſo labores aſſumere pro veri Pontificis defenſione juxta modulum meum, & ſemper in anguſtiis, & labyrinthis memoria hujus verbi me conſolatur.*

XXIII. S. Catharinæ Sen. lit. ad Joan. Reginam Neapol. datæ.

(a) Ext. in lib. epiſtol. S. Cathar. n. 309.

Pia monita.

Quod ad S. Catharinam Senenſem attinet; cum ejus legatio ad Joannam Reginam prudentiæ humanæ conſiliis fuiſſet diſcuſſa, eadem virgo, quam imminentes regno Neapolitano calamitates prædixiſſe vidimus, literis (a) ſuis Joannam Reginam commonuit, ut ſchiſmaticos execraretur, verumque animæ ſuæ paſtorem agnoſceret. Graviſſimis etiam ſententiis illam arguit e domina, & principe in vile mancipium evaſiſſe, Spiritus Sancti inſtinctu repudiato, dæmonum humana ſpecie indutorum conſilia ſecutam, ſe a vera vite & vita cultro amoris proprii divulſiſſe, atque e gremio Eccleſiæ, in quo educata fuerat, proripuiſſe: tum hortatur ad ingeminandos planctus, fundendaſque pias lachrymas eam adhortatur: ſpoliata jam vita gratiæ ejus anima, corpuſque ni ab errore emerſerit, infeliciter periturum prædicit: Urbanum, ut verum Pontificem colendum, & antipapam habendum horrori, ut antichriſtum, membrumque diaboli, ſpernendoſque ejus ſectatores, qui quocumque ſe vertant omni ſupplicio digniſſimos ſe non negent: ſi enim Chriſtiano orbi Urbanum falſo ut Pontificem metu obtruſiſſe, coluiſſeque dicant, vita dignos eſſe non poſſe: at putidum id mendacium ſat vulgatum, cum perſpicue conſtiterit Cardinalem S. Petri ficte ob metum cultu pontificio adornatum, qui tamen ut vir bonus & juſtus faſſus ſit non ſibi, ſed Urbano pontificatum delatum fuiſſe. Admonet etiam ut eorum afflatus, qui ipſam in ſchiſma traxere, diſcutiat: licet enim ſcientia, haud tamen virtutibus præditos videri poſſe, ac non ſanctioris vitæ virum, ſed iniquum dæmonem, uti dæmones erant, & impoſtores impoſtorum ſibi præfeciſſe: nec ipſam amari poſſe a ſubditis, quos jam ad mortem rapiat, quos a Chriſto & ejus vicario ſegreget, ac dæmoni & antichriſto alliget: impendere miſeræ ob ſcelus certiſſimum exitium: ni committat ſe curæ paſtoris, ab infernali fera ut errantem oviculam laniatum iri: aſciſcendos probos conſiliarios, & artes dæmonum repudiandas, qui, objecto amittendi terreni principatus levis auræ inſtar fugacis metu, in miſerrimum ipſam ſtatum conjeciſſent.

Antipap. & anticardinales uti dæmones execratur.

Populos fidos ipſi non futuros comminatur. Divinas ei iras intentat.

XXIV. Jo. Reg. a ſuſurratorib. decepta.

(b) Ext. n. 221.

Sprevit ſanctiſſimæ virginis ſaluberrima conſilia Joanna Regina, impiorumque hominum ſuſurros ſecuta eſt. Cum vero ſchiſmatici Joannæ ſtudiis freti multiplicem terrorem longe, lateque incuterent (b) catholicis, & Urbanus ad vim vi repellendam copias contraheret, hortata eſt S. Catharina per literas, quas alienato a ſenſibus animo ſexto maii die hoc anno dictavit, Albericum comitem ſocietatis S. Georgii præfectum, [1] agminumque ductores, ut in Urbani fide conſtanter perſtarent, Eccleſiamque fortiſſime tuerentur: tum propoſuit ob oculos, ipſos in campum ſe conferre incitatos amore Chriſti, qui ſumma & æterna bonitas eſt: ab illo merita præmia expectanda qui, ut exemplo præiret, ad mortem noſtri amore provolarit. Prodeundum itaque in aciem, & vitam amore vitæ exponendam, ſanguinem amore ſanguinis Chriſti crucifixi fundendum: novorum martyrum jam

NOTÆ [1] Literas a S. Catharina Senenſi ad Albericum Comitem Legionis S. Georgii Præfectum Annaliſta hic recitat, eaſque datas perhibet die VI. Maii hujus anni. In iis vero ſancta illa mulier nobilem hunc Pontificiarum copiarum Imperatorem ſolicitat, ut pro Urbano pugnet egregie. Mox vero idem Annaliſta ſubdit: *Auditæ cælo S. Catharinæ Virginis preces fuere; pulchra victoria reportata de ſchiſmaticis*, quam relatam diem XXIX. Aprilis monet. Quis hic anachroniſmum non ſentiat? Sancta hæc Virgo orare ſe in Epiſtola data die VI. Maii ſignificat, earumque precum fructus ſtatuitur victoria ante dies octo relata. Hanc occaſionem captat Maimburgus Hiſt. du Grand. ſchiſm. d' Occid. lib. I. ut plurimas S. Catharinæ vulgatas epiſtolas dolo malo vitiatas arguat. Verum quis docuit Maimburgum epiſtolam hanc ante commiſſam pugnam ſcriptam fuiſſe? Si quis illam diligenter excurrat nihil offendet ex quo ſive commiſſum ſive nondum commiſſum prælium arguat. Ita ergo res componenda eſt. Mulier illa ſancta aſſidua prece cælum fatigavit, ut Pontificiis armis aſſiſteret. Pugnatum eſt ergo feliciter diem XXIX. Aprilis. Secundum hæc Catharina aſſumpto calamo Albericum copiarum Pontificiarum Ducem adhortata eſt, ut ſtrenue ſe gereret, & cæpta felicia feliciori ſucceſſu compleret. MANSI



jam tempus appetiiſſe; ſe vero in illius conflictus ardore Moyſis exemplo ad fundendas Deo preces incubituram.

Joanna exauctorata ab Urb.

Exauctorata eſt Joanna ab Urbano Siciliæ regni juribus, omnibuſque bonis, quæ vel eccleſiæ Romanæ, vel imperii Romani beneficentia acceperat, nimirum Provinciæ, Pedemontii, & Folkarquerii comitatibus privata; quæ decretoria ſententia in archivio Neapolitano recondita eſt: de qua in aliis Urbani literis mentio inferius recurret.

Vaſcon. & Britones cæſi.

Auditæ coelo S. Catherinæ virginis preces fuere, ac pulchra victoria reportata eſt de ſchiſmaticis Vaſconibus & Britonibus, qui Roberti antipapæ, ſub quo ſtipendia fecerant, & immaniſſima flagitia patrarant, ſigna ſequebantur promiſſorum magnitudine deliniti (licet Vaſconia & Britannia in Urbani obſequio conſtantes perſtarent) Romamque contendebant, ut obſeſſis in mole Hadriana præſidiariis Gallis, qui primi omnium perduellionis ſigna extulerant, animarantque ad flagitium Cardinales, auxilium ferrent, tum Urbanum pellerent urbe.

(a) Collen. hiſt. Neap. l. 5.

Albericí triumphus.

Rem geſtam accuratiſſime narrat Pandulfus Collenutius (a), nimirum antipapam ſuccinctum valido exercitu nepotem Monzoiam, una cum Bernardo Sala, & aliis Britonum & Vaſconum ducibus immiſiſſe adverſus Urbanum: atque ab his Marinum duodecimo ab urbe milliari diſtans obſeſſum fuiſſe: at Albericum Barbiani comitem die XXVIII. aprilis hujus anni cum Romanis copiis ad ſolvendam obſidionem urbe erupiſſe, commiſſaque pugna mane in ſequenti, & victis hoſtibus eadem die Romam rediiſſe: *Monzoja*, inquit, *capto, paucis horis victoriam obtinuit, eodemque die Romam iterum triumphantis modo cum toto exercitu, ipſiſque etiam captivis hoſtium ducibus ingreſſus magna lætitia totius populi Romani exceptus eſt, ac maxime Urbani ipſius, qui ad eam cauſam illum, atque Galeatium Pepolum antequam adveſperaſceret equeſtri dignitate donavit.*

(b) S. Ant. 3. part. tit. 24. §. 15.

(c) Platin. in Urb. 6.

(d) Valſin. in Ricc. II.

Cæſorum numerus.

Collegere citius, quam par erat, triumphales applauſus; nam ſi Albericus victoriam urſiſſet, atque ad Anagniam ad antipapam & anticardinales comprehendendos ſigna promoviſſet, excindi poterant ſchiſmatis peſtiferi germina, (b) & oppreſſi armis fuiſſent, qui armis Eccleſiam Chriſti tyrannorum, & perſecutorum præteritorum more opprimere nitebantur: Britones enim, ac Vaſcones, in quorum dextris ſpes locarant ſchiſmatici, extrema adeo internecione cæſi fuere, ut vix nuntius tantæ cladis ſuperfuerit (c). Ejus victoriæ fama complevit Chriſtianum orbem, relatæque ſunt Deo gratiæ, quod vicarium ſuum ab impiorum vi & furore vindicaſſet, unde Walſinghamus Anglus (d) hujus triumphi memoriam ſuis monumentis conſignavit: *Occiſi ſunt ex antipapalibus quinque millia ſive plures ex communibus exercitus, & campi milites ſexaginta cum eorum campi ductore Bernardo del Sale.* Tulit meritum una cum ſuis perfidiæ præmium Bernardus e Sala, qui conjuratos Cardinales ad conflandum ſchiſma audacia armarat, ac pro terrenis poſſeſſionibus, quibus potiri nunquam potuit, animam vendiderat, antequam enim patrarent ſcelus decimo auguſti die ſuperioris anni Anagniæ Romanæ eccleſiæ caſtrum de Mornacio, & de Caderoſa Arauſicani agri illi tradiderant; quæ poſtea antipapa (e) Fundis VI. kal. januarii confirmarat, ut eo præmio ob catholicorum ſtrages rapinaſque pauperum, ac navatam ſchiſmati operam afficeret.

(e) Clem. antipap. to. I. p. 87.

XXV.

(f) Ext. annal. Leodien.

Arx S. Ang. recuperata ab Urb.

(g) Theod. e Niem. c. 20. & Valſing. in Ricch. II.

Scribit Urbanus in literis (f) ad Leodienſes datis inferius afferendis, quæ encyclicæ videntur fuiſſe, cumulatam eam victoriam deditione arcis Hadrianæ eodem die facta, non ſine divino miraculo: cum enim Gallus præfectus, qui a Cardinale Majoris monaſterii ſubornatus, eam Urbano reſtituere ſuperiori anno reſpuerat, & unius anni flexu Romanorum impetus ſtrenue eluſerat, repente ſocios Gallos captos, vinctoſque vidiſſet, a quibus Romanos ſubjiciendos, ſibique ferendas ſuppetias putaverat, militares pactiones cum Urbano egit (g). E quibus ducitur graviſſimum argumentum, Cardinales, qui in eam arcem ſe receperant ſuperiore anno ad populi ob non electum patria Romanum Pontificem tumultuantis furorem eludendum, ac deinde ex ea ad Urbanum in ſacro ſolio collocandum, cingendumque pontificia corona egreſſi fuerant, ſponte, non terrore victos id pe regiſſe. Cæterum Romanos ardentes iracundia ob accepta ex Hadriana mole obſidionis tempore graviora mala illam magna ex parte demolitos, ac nudaſſe marmoribus, quam tamen poſtea refeciſſe Bonifacium, addit Theodericus e Niem (h).

Peracta ab Urb. nudis pedib. ſupplicatio pro grat. act.

(h) Theod. e Niem. l. I. c. 20. Valſing. hiſt. Angl. in Ricc. II.

(i) S. Cathar. ep. 295. S. Anton. 3. par. tit. 23. c. 14. §. 18.

(k) Raym. in vit. S. Catharin. par. 3. c. 2.

Urbanus vero gratias Deo ob levatos ſuperiores labores acturus ſolemnem ſupplicationem inſtruxit, in qua compoſito agmine religioſo nudis pedibus incedebat. De quo pietatis, ac demiſſionis Chriſtianæ inſigni actu, ac revocato vetere more diuturnis temporibus intermiſſo, Sancta Catharina Senenſis (i) illum commendavit, meminitque de pio illo Urbani facinore Raymundus Capuanus (k) his verbis: *Conſolatus eſt eam aliqualiter Dominus, quia per annum antequam ipſa migraret, eodem die, quo ipſa revoluto anno poſtmodum obiit, dedit duplicem victoriam Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, ac ſummo Pontifici, tum de caſtro S. Angeli, quod in urbe ſchiſmatici uſque in illam diem tenuerant cum magno urbis diſturbio; quam de gentibus quibuſdam armi-*

*migeris, quæ pro ſchiſmaticis patriam totam vexabant: & tunc fuerunt debellatæ totaliter captis principalibus, & multis occiſis: quo facto Pontifex, qui non poterat habitare apud eccleſiam Principis Apoſtolorum, ut ſolebat propter caſtrum prædictum, de conſilio ſacræ virginis ad eandem acceſſit eccleſiam pedes, & abſque calceamentis: quem univerſus populus eſt ſecutus, cum non parva devotione gratias agentes Altiſſimo de his, & aliis beneficiis ejus: & ſic ſancta Eccleſia cum ſuo Pontifice cœpit aliqualiter reſpirare, virgoque ſacra ex his eſt pauliſper conſolata.* His etiam conſentanea tradit S. Antoninus (*a*).

(*a*) *S. Ant. ubi ſup.*

XXVI. Hæ porro victoriæ cœlitus Urbano datæ antipapam & anticardinales, qui vicarium Chriſti humana vi obrui facile poſſe putaverant, ad fugam impulerunt: ac niſi Joanna Regina trepidantes excepiſſet, ſchiſma in ipſo fomite præfocandum erat ſummo reipublicæ Chriſtianæ bono, quod miſera tanquam flammam, qua arderet, in ſinu fovit, ut memorat Walſinghamus (*b*), qui deſcripto ſchiſmaticorum certamine adverſo, ſubdit: *Quod audiens non Clemens, ſed pene demens factus antipapa concito fugit ad quoddam caſtrum Reginæ Neapolis, quod vocatur Spelunca, ibidem latitans, & in terra comitis Fundorum.* Confirmant has pſeudopontificis per regnum Neapolitanum excurſiones trepidas conſignatæ iis locis ejus literæ (*c*), quarum plures apud Speluncam Gajetanæ diœceſis exaratæ leguntur. Nec fruſtra ſuſcepti erant a ſchiſmaticis metus, cum terrore conſcientiæ, & juſtis Pontificis armis urgerentur, ut narrat Pandulphus Collenutius, (*d*) ſic inquiens: *Clemens, metuebat ne Urbani exercitu Anagniæ obſideretur: itaque miſſis ad Reginam nuntiis, petiit ut tantas ſibi copias mitteret, quibus Neapolim toto deduci poſſet, ſed, cum ea re impetrata eo perveniſſet, Neapolitani ſumptis adverſus illum armis tumultum concitarunt, ajebantque non velle ſe binos habere Pontifices, neque propter illum belli pericula ſubire.*

(*b*) *Walſin. in hiſtor. Angl.*

Latebras quærit antip.

(*c*) *Antip. reg.* 1. *p.* 83. *& ſeqq.*

(*d*) *Collen. l.* 5.

Neapol. contendit.

Hos Neapolitanorum, necnon Gajetanorum, antipapam ut publicum Eccleſiæ offendiculum, & calamitatum imminentium illi regno fontem, adverſantium motus confirmat epiſcopus Tudertinus (*e*) rerum hoc tempore geſtarum teſtis oculatus, qui ſic ait: *Dominus Gebennenſis, ſeu antipapa cum Cardinalibus ſuis, prout audivi, receſſit de Fundis, & ivit verſus Neapolim cum Cardinalibus ſuis. Quando appropinquavit Cajetam, Cajetani nolebant eum recipere, dicentes: quia credebant in dominum Urbanum, qui erat verus Papa. Poſtea ivit Neapolim, ubi a populis fuit peſſime receptus, ita quod oportuit eum cum ſuis Cardinalibus caſtrum Ovi, ubi erat Regina, intrare, eo quod Regina mandabat populo, ut obediret, & illi modo obedire noluerunt: & videns dictus Gebennenſis, quod ibi non erat bene receptus, intravit mare.*

Neapolitani, & Cajetani eum averſantur.

(*e*) *To.* 2. *de ſchiſ. p.* 48.

Commota in Reginam, & antipap. ſeditio.

XXVII. Confirmant hæc MS. diaria (*f*) Hectoris Pignatelli, ſcilicet Clementem antipapam ſuo purpurato ſenatu ſuccinctum triremibus ad caſtrum Ovi applicuiſſe, ac ſub arcu arcis regio ornatu inſtructam illi ſedem fuiſſe, ac triumphali ſolio conſidenti Reginam, Othonem, & Robertum Atrebatem, ac duciſſam uxorem, & alias fœminas regio ſanguine ſatas ſupplices accidiſſe, ut illius pedes oſcularentur: interea dum hæc lætitia celebrabatur, Neapolitanos, qui Urbano ſtudebant, infremuiſſe: cumque liberiora verba in Reginam ex piorum pectoribus erumperent, Andream Ravignanum cuidam artifici catholico ſcelus libera voce execranti oculum digito confodiſſe; tuncque Brigantem ejus nepotem ea injuria laceſſitum adeo commoviſſe popularium animos, ut correptis armis inſurrexerint Urbano vitam, & antipapæ necem altis clamoribus imprecati, eoque primo impetu populus imperio urbis militumque ſtationibus potitus archiepiſcopum Bozzutum in poſſeſſionem Neapolitanæ eccleſiæ induxerit; ac tum Reginam ingentem ex ea re dolorem contraxiſſe, concitatum fuiſſe in juſtas iras populum Neapolitanum adverſus antipapam, & ingratam perduellem ſedis Apoſtolicæ (uti a S. Catharina ipſi prænuntiatum vidimus, ut de utroque meritas pœnas ſumere pararet) conſentiunt alii Neapolitanarum rerum ſcriptores (*g*): *Neceſſum illi*, nimirum Roberto antipapæ, ait Collenutius, *atque Reginæ fuit in arcem cedere, & illic ſeſe munire: paucos autem poſt dies, ne ibi quidem ſe tutos eſſe putarunt.*

(*f*) *Pignat. in diar. Neapol.*

Urb. cauſa defenſa a populo.

Recepit ſe in arcem antip.

(*g*) *Collen. hiſt. Neap. l.* 5. *& Summont. l.* 2.

Coactum Robertum Neapolitanorum pontificiæ majeſtatis vindicum metu, ne Reginam eodem ſecum exitio involveret, ex arce aſcendere, & cum ſuis triremes conſcendere, narrant diaria MS. Neapolitana (*h*), traditque antipapæ vitæ ſcriptor (*i*) his verbis: *Rumor concitatus eſt contra eos fortis, & magnus, quod ne utrique majus immineret periculum ipſum Clementem ſubito, unde venerat oportuit remeare: ubi cum perveniſſet ſatis a certo comperit, quod dictus intruſus*, ita Urbanum vocat author ſchiſmaticus, *continue inſidiabatur moliebaturque eum comprehendere, aut alias in perſona damnificare ſi poſſet; in quo quaſi totam Italiam tam in terra, quam in mari ſibi adhærentem, & colligatam habebat.* Rediiſſe Neapoli Fundos pſeudopontificem, oſtendunt quoque ejuſdem literæ (*k*) xv. kal. junii ſcriptæ, ubi non diu ipſi hærere licuit, nam eodem die Urbanus Romæ in baſilica Sanctæ Mariæ tranſtyberinæ latam ſuperiori anno adverſus illum & Geraldum ac Petrum

(*h*) *Pignat. ubi ſup.*

Ex ea diſcedere cogitur.

(*i*) *Clem. antip. vit. ſcript.*

Cinctum ſe periculis expaveſcit.

Revertitur Fundos.

(*k*) *Clem. antip. to.* 1. *p.* 83. *&c.*

Renovata in eum & alias ab Urb. edicta.



trum pſeudocardinales, Honoratum Gaetanum Fundorum comitem, alioſque præcipuos ſchiſmatis authores (*a*) ſententiam repetivit, & ad meritas de iis ſumendas pœnas bellum ſacrum, propoſitis indulgentiarum præmiis, cruciſque ſymbolo religioſam militiam profeſſuris dato, induxit: tum Rogerium Treverenſem archiepiſcopum creavit in Neapolitano regno Apoſtolicæ ſedis nuntium, ut vires in eo regno contraheret, ſchiſmaticorumque conatus diſſolveret: de quibus ampliſſimum diploma exaratum; in quo poſt repetitum, iiſdem ferme verbis illud edictum jam ante ſuo loco allatum, clientes Regum & principum ſchiſmaticorum ſacramento fidei ipſius præſtito ſolutos pronuntiat, atque arma in impios expediri jubet.

(*a*) *Ext. apud Gregor. XII. l.* 2. *p.* 251.

*Rogerio archiepiſcopo Treverenſi A. S. N.*

XXVIII. *Dudum cum vinea Domini, &c. Quia, ſicut diſplicenter acceperamus, & evidentia facti demonſtrabat, erant nonnulli principes magnates, & alii nobiles potentes, antipapæ adhærentes, ſibique & aliis per nos damnatis, etiam poſt & contra proceſſus noſtros dantes auxilium, conſilium, & favorem; Nos attendentes, quod nimis periculoſum eſſet converſari, ſeu participare cum hujuſmodi hæreticorum fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus, ac dantibus auxilium, conſilium, & favorem eiſdem omnes & ſingulos, qui præfatis principibus & magnatibus, aliis quibuſlibet, etiamſi regali, aut reginali, vel imperiali, aut pontificali, ſeu quavis alia eccleſiaſtica, vel mundana præfulgerent dignitate, dicto antipapæ adhærentibus, ſeu eidem vel aliis damnatis prædictis dantibus auxilium, conſilium vel favorem ſubjecti de facto exiſterent, ſeu eis vel illorum alicui juramento fidelitatis ſeu hominii, aut alterius cujuſcumque obſequii debito, vel ſummiſſione, obligatione, aut pacto quilibet forent aſtricti, vel obligati, ipſiſque diſtricte præcipiendo mandavimus, ne eiſdem principibus & magnatibus, vel aliis quibuſlibet etiamſi, ut prædicitur, regali, aut reginali, vel imperiali, aut pontificali dignitate præfulgerent, aliquatenus parerent, ſeu obedirent, vel intenderent: nos enim eos omnes & ſingulos authoritate apoſtolica ab hujuſmodi juramentis, obligationibus, ac fidelitate & aliis ſupradictis authoritate apoſtolica abſolvimus, & decrevimus abſolutos. Volumus inſuper, & authoritate prædicta decrevimus, quod omnes & ſinguli, qui eiſdem principibus, ſeu magnatibus, deinceps contra hujuſmodi mandatum noſtrum parerent, ſeu obedirent, ſi perſonæ ſingulares excommunicationis, ſi vero communitates, vel univerſitates, aut collegia forent, interdicti ſententias eo ipſo incurrerent, & eorum civitates, terræ, caſtra, & loca eccleſiaſtico ſubjacerent interdicto; quarum ſententiarum abſolutionem, præterquam in mortis articulo, & interdictorum relaxationem, nobis, vel ſucceſſoribus noſtris tantummodo reſervavimus, prout in diverſis noſtris inde confectis literis plenius continetur.*

Edicta in Reges & principes faventes ſchiſmati inſtaurata.

Eorum clientes fidei ſacramento ſoluti.

XXIX. *Ne igitur tot & tantorum facinorum, ac ſcelerum in divinæ majeſtatis offenſam, & dictæ Romanæ eccleſiæ matris cunctorum Chriſtifidelium, & magiſtræ contumeliam & contemptum, fideique catholicæ, ac utilitatis reipublicæ detrimentum nequiter patratarum, in ſuccedentium temporum ſæcula, ſine correctione debita in multorum perniciem memoria deferatur, & ne præfati nequiſſimi viri per nos, ut præfertur, damnati & a Deo reprobati, qui in ſuis hæreſibus perſiſtere, & exceſſus exceſſibus cumulare, ac Eccleſiæ prædictæ pacem turbare, & inter Chriſtifideles ſchiſma, diſſenſiones, ac ſcandala ponere, cultumque Chriſtianæ fidei, ſine qua quiſpiam Deo placere nequit, quantum in eis eſt, depravare conantur, ſuos pravos & damnandos conceptus in partum producere poſſint; ſed potius, dextera Domini faciente virtutem, viriliter obſiſtatur eiſdem, & ipſorum damnandi propoſiti exequutio elidatur, opportunis providere remediis cupientes, quia in his Dei, & prædictæ Romanæ eccleſiæ cauſam agi conſpicimus, illam devote proſequentibus, decrevimus etiam ſpiritualibus auxiliis & præſidiis aſſiſtendum, ut cauſam ipſam eo ferventius proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita ſe ſperaverint adepturos. Ideoque nos, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ejus authoritate confiſi, omnibus pœnitentibus & confeſſis, qui præfatos Robertum antipapam, & alios damnatos, ipſorumque complices, fautores, receptatores, atque credentes, quamdiu in hujuſmodi ſchiſmate, & extra Romanæ eccleſiæ gratiam perſtiterint, in perſonis & ſumptibus propriis; necnon & iis, qui in perſonis propriis, alienis tamen expenſis expugnabunt, & ſuper hoc per annum incipiendum a die, quo duxeris ordinandum, continue, vel interpolatim infra biennium ex tunc complendum in expugnatione hujuſmodi laborabunt, Eccleſiæ ſequendum vexillum, tam clericis, quam laicis, & eis inſuper, qui ſuis dumtaxat expenſis, juxta quantitates & facultates ſuas deſtinabunt, vel ſibi, ſeu alteri per te deputando miniſtrabunt ſufficientia ſtipendia, ut deſtinare valeas idoneos bellatores ad dictum tempus duraturos, & bellaturos ibidem, illam concedimus veniam peccatorum, quæ concedi per eandem ſedem proficiſcentibus in terræ Sanctæ ſubſidium conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum: eos autem, qui non per annum integrum, ſed per ipſius anni partem in hujuſmodi Dei ſervitio laborabunt, juxta quantitatem laboris & devotionis affectum par-*

Propoſita noxarum venia ſacram militiam profeſſuris.

*participes eſſe volumus indulgentiæ ſupradictæ.*

Catholici ad expugnandum antip. ſolicit.

*Quod ſi forſan ipſorum aliquis, poſt iter arreptum in proſecutione dicti negotii ex hac luce migrari contigerit, vel interim negotium ipſum congrua terminatione compleri, eos integre participes eſſe volumus, & concedimus indulgentiæ memoratæ. Hujuſmodi etiam remiſſionis volumus eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum omnes, qui ad expugnationem prædictorum Roberti & aliorum damnatorum, ac ſequacium, aut fautorum ipſorum, tibi quem ad regnum Siciliæ propterea deſtinamus, vel deputando, vel deputandis a te, de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Quocirca fraternitati tuæ, per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te vel alium, ſeu alios hujuſmodi conceſſionem noſtram in eccleſiis & locis prædicti regni, quando & quoties expedire videris, ſolemniter publicans, & exponens, & per alios ad hoc idoneos publicari, & exponi faciens, ut melius, & clarius intelligatur, ab omnibus, in vulgari, fideles Chriſti inſtantius, & efficacius per verbum prædicationis, & alias prout expediens extiterit, indicere non poſtponas, ut ſuſcipientes cum reverentia ſignum crucis, ipſumque ſuis humeris, & cordibus affigentes, ad proſequendum hujuſmodi cauſam Dei, & Romanæ eccleſiæ ipſorum matris, viriliter ſe accingant, nobis quidquid ſuper prædictis feceris, per tuas literas, vel inſtrumenta publica, principium & finem præſentium continentia, fideliter reſcripturus. Dat. Romæ apud S. Mariam tranſtyberim xv. kal. junii pontificatus noſtri anno II.*

XXX. Antipap. maritimam fugam capit.

(*a*) *Pignat. ubi ſup.*

Data ſunt Faventino & Aquenſi epiſcopis internuntiis Apoſtolicæ ſedis in Hiſpania & Gallia eadem mandata de urgenda ſacra expeditione, quæ tardius, quam rei magnitudo exigebat, a fidelibus inſtructa eſt metu, mox evadente (*a*) cum ſuis antipapa: paucis enim poſt diebus a promulgato ſuperiori edicto ipſum mare conſcendiſſe menſe majo, refert illius vitæ ſcriptor, ac junii decima die Maſſiliam applicuiſſe, atque a Cardinalibus quinque, qui Avinione ſuperfuerant exceptum. Concurrere (*b*) undique ad eum adorandum Galli, qui pontificatum Gallicæ genti reſtitutum, aſſertamque priſtinam gloriam ſibi lenocinabantur. At ſenſit poſtea Gallia quanto ſuo malo hoc monſtrum aluerit, colueritque: ſub eo enim nefando capite eccleſiaſtici ordinis libertatem abrogatam, morumque ſanctitatem obſoleviſſe, deplorat Nicolaus (*c*) Clemangis, his verbis: *Poſtquam importabili ſarcina peccatorum exigente furiale malum ſchiſmatis irrepſit in Eccleſiam, ut taceam de aliis, de papatu contendentibus quid Clemente noſtro quoad vixit miſerabilius, qui ita ſe ſervum Gallicis principibus adjecerat, ut eas ferret injurias & contumelias, quæ ipſi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici. Cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati, fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba: Omnibus, quos aut arte aſſentatoria, aut ludicra quos in curiis amicos ſibi fecerat, ſummopere placere ſtudebat, eoſque beneficiis promereri, quo talium patrocinio dominorum gratiam, & favorem aſſequeretur. His itaque, atque juvenibus nitidis, & elegantibus, quorum maxime conſortio gaudebat, ſingulos fere vacantes epiſcopatus, cæteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique ut principum benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, fotam conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultro donaria, atque xenia illis dabat, quaſcumque ſuper clero exactiones petere voluiſſent, annuebat ultro, ſæpius etiam ingerebat; ſicque omnem clerum ſæcularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubiiciebat, ut magis quilibet eorum, quam ipſe putaretur dominus.*

(*b*) *Pandul. Collen. l. 5.*

(*c*) *Nicol. Clemang. lib. de corrupt. ſtat. eccl.*

Quanto ſuo malo antipapam Gallia exceperit.

Eccleſiaſtica obſoleſcit dignitas.

Politicus ſtatus labefactatus.

Nec modo hæ calamitates invectæ in Gallicanam eccleſiam, verum politicum ſtatum ſchiſmatis cauſa convulſum, inque extremum diſcrimen adductum viſuri ſumus, & tum Carolum Regem miſere porrecto a ſuis lento veneno intabuiſſe, cujus præcipue authoritate antipapa peſtilentiæ cathedram retenturum, Petro Aragoniæ regiæ principi Minoritæ, a quo jam ante ſchiſma prædictum vidimus, cæleſti viſo oſtenſum eſt (*d*) in urbe Candiæ die XIII. octobris.

(*d*) *To. 4. de ſchiſm. p. 141.*

XXXI. Joan. Regina cum Urb. de pace agit.

Antipapa Italia pulſo in Gallias, Joanna Regina Siciliæ periculi, in quod a ſchiſmaticis conjecta fuerat terrore permota, promiſſis mitigare catholicum Neapolitanum populum ſtuduit, deque recuperanda priſtina Eccleſiæ gratia, cum ſe regno exauthorandam ab Urbano pertimeſceret, agere cœpit: nec non Jordanus Urſinus, qui pſeudopontificis partes tuendas ſuſceperat, & gravibus malis preſſerat Urbanum, in ejus obſequium procubuit. Quos felices ſucceſſus in literis ad catholicos datis (*e*) Urbanus recenſet.

(*e*) *Ext. apud decan. Tungren. annal. to. 3.* Urb. ad Catholic. lit. de ſecundis ſucceſſib.

*Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, &c.*

*Cum ineffabili mentis jubilo Altiſſimo referimus gratias, quas noſtra procul infirmitas ex eo, quod ſicut a fide dignis accepimus, largitor omnium bonorum Deus mentium veſtrarum oculos illuſtravit, ut declinatis laqueis, quos per mundum, prob dolor! antichriſtus quaſi undique jecit, per veritatis tramitem ambuletis; pro quo prudentiam veſtram dignis in Domino laudibus attollentes devotionem veſtram rogamus per*



Schiſmaticorum impietas & mendacia.

*per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, quatenus ſpiritum fortitudinis aſſumentes, literas, monita, vel mandata illius hæreſiarchæ, Roberti videlicet olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyteri Cardinalis, qui Clementem Papam VII. auſu temerario ſe fecit, excelſis & intrepidis animis reſpuantis, ejuſque virulentis, & peſtilentiſſimis ſuggeſtionibus, quibus, ſicut intelleximus, impreſſionem, tumultumque popularem fuiſſe in canonica noſtra electione prætendit, nullatenus intendatis; quinimmo tanquam orthodoxæ fidei zelatores præfatum hæreſiarcham, ejuſque ſequaces, qui zizaniam in agro dominico, & cuncto populo Chriſtiano ſerere non paveſcunt, eorumque legatos & nuntios, quacumque dignitate præfulgeant, cupere ſeu capi facere, & alias perſequi toto mentis deſiderio juxta veſtrarum virium ſuppetentiam ſtudeatis; proinde præter noſtram, & Apoſtolicæ ſedis gratiam, & humanæ laudis præconia æternæ vitæ præmia merituri. Deo etenim gratias, quia adverſariorum noſtrorum, qui adverſus nos velut teſtes iniqui inſurrexerunt, & in quibus mentita eſt iniquitas ſibi, malitia maniſeſtiſſime detecta eſt, ac noſtra innocentia, noſtraque juſtitia adeo notoria cunctis patet, quod nulla poteſt tergiverſatione fuſcari. Teſtis enim nobis eſt ille, qui nihil ignorat, quod ſi ſenſiſſemus nos per oſtium non intraſſe, per horæ ſpatium non fuiſſemus auſi in Petri cathedra reſidere. Sed quia, ſicut eſt toti mundo notorium, & niſi malitia hoſtium noſtrorum mentis oculos obcœcaſſet, ipſimet hoc etiam faterentur, prout alias ore, & literis confeſſi ſunt, & per evidentia facta, manifeſtaque ſigna notiſſimum fecerunt, quod per viam Sancti Spiritus ad ſuſtinendum Eccleſiæ univerſalis onera noſtram imbecillitatem Deus elegerat, ideo depoſita formidine thoracem fortitudinis induentes, decrevimus pro defenſione veritatis, & fidei catholicæ, ſponſæque noſtræ, quibuſcumque periculis, & perſecutionum fluctibus obiicere corpus noſtrum, in illo, qui in ſe ſperantes non deſerit, confidentes, quod Eccleſiam ſuam nunquam derelinquet, ſicut nec aliquando reliquit, licet eam, quandoque permittat perſecutionum fluctibus agitari. Jam enim procellulæ, quæ ſuper cacumina montium ſe videbantur extollere, incipiunt quietari: nam poſt nobis nuper miſſam de cœlo victoriam, qua Britones & Vaſcones, aliique ſtipendiarii, & præfati hæreſiarchæ ſequaces conflicti fuerunt poſt deditionem caſtri S. Angeli de urbe eodem die non ſine miraculo ſecutam, dilecti filii Neapolitani zelo devotionis accenſi prædictum hæreſiarcham antipapam, & catholicæ fidei ſubverſorem de civitate Neapolitana, in qua ſperabat in peſtilentiæ cathedra reſidere, cum magno opprobrio fugaverunt. Joanna quoque olim Regina Siciliæ, quæ ab illis peſtilentiſſimis viris ſeducta per errorum tramitem ambulabat, abjurato errore hujuſmodi, nos credit & tenet verum Jeſu Chriſti vicarium, & cæleſtis clavigeri ſucceſſorem, de die autem in diem ejuſdem Joannæ ſolemnes nuncios expectamus. Die quoque tertia præſentis menſis Jordanus de Urſinis de monte Jordano, qui nos & dilectum filium populum Romanum cum auxilio ſequacium antichriſti multipliciter moleſtabat, illo faciente, in cujus ditione cuncta ſunt poſita, in ſpiritu humilitatis rediit ad obedientiam noſtram & eccleſiæ prælibatæ. Super his autem vobis latius explicandis dilectis filiis Joanni de Dunghen & Joanni Lovuys magiſtris in artibus, & in utroque jure peritis harum latoribus velitis fidem indubiam adhibere. Datum Romæ apud S. Petrum pridie idus junii pontificatus noſtri anno II.*

Prior electio legitima promolgata ab ipſis Cardd. ore & literis.

Ut Deus pericula diſcuſſerit.

Ut Britones & Vaſcones cæſi.

Arx S. Angeli recepta.

Neapoli fugatus antip.

Ut Joanna eccleſiæ gratiam exoptet.

XXXII. Decreti a Joanna oratores ad Urbanum.

Pollicita igitur Neapolitano populo Joanna Regina ſe, deſertis antipapæ partibus, Urbano obſequentem futuram, poſtquam ſchiſmatis authoribus, quos tueri non poterat in regno, fugæ aditus aperuit, oratores ad Urbanum ampliſſimos decrevit, qui cum ipſo fœdus paciſcerentur; verum inſigni inconſtantia deſcivit a cœptis, ſeque in exitium, redintegrato bello, præcipitem dedit, ut Tudertinus epiſcopus teſtis oculatus in publicis tabulis enarrat (*a*); *Prout*, inquit, *audivi Regina locuta eſt populo Neapolitano, & dixit, quod volebat ſequi conſilium eorum, & ordinavit ambaxiatores ad iſtum dominum noſtrum pro concordia fienda, & Papa recepit eos ſatis gratioſe. Nomina ambaxiatorum ſunt iſta: Comes Arianus, comes Nolanus, comes de ſancto Severino, & Admiratus: & tantum ſteterunt in urbe ad tractandum concordiam, donec Regina habuit nova de viro ſuo, prout audivi, & tunc mandavit quod ſine concluſione aliqua deberent ad eam redire. Veniente marito Neapolim, ibi fecit novitatem, & contra aliquas alias terras, quæ poſſidebantur per amicos hujus domini Urbani, & deinde guerra durat, & Deus per ſuam miſericordiam provideat de remedio opportuno, Amen.* Joannam Reginam infenſam in Bozzutum archiepiſcopum Neapolitanum, referunt (*b*) diaria MS. Hectoris Pignattelli comitis, & quarta die junii populum cum Germanis, quibus Otho imperabat, pugnam ancipitem conſeruiſſe, ac demum ſub regia vi ſuccubuiſſe Urbani partium ſectatores adeo, ut octava junii archiepiſcopi pontificiæ dignitatis adverſus ſchiſmaticos defenſoris ædes dirutæ fuerint. Ita ob ſchiſma creatum a Joanna mox regnum Neapolitanum civili bello ardere cœpit; cumque Carolus Dyrrachinus Tarviſinam obſidionem urgeret; ex ea in ſpem Neapolitani regni, utpote veteri principum Andegavenſium proſapia ſa-

(*a*) *Ext. to. 2. de ſchiſm. p. 48.*

Quinam legatione functi.

Urbani amici bonis exuti.

(*b*) *Pignat. in diar. Neap.*

tum, evocatum ab Urbano, Gobelinus (*a*) & Summontius (*b*) obſervant, adduntque Joannam Reginam decretoria ſententia regio jure ab Urbano privatam; quod confirmant pontificiæ *literæ*, unde Joanna metu affecta Gallicam opem implorare, ac non ſine Othonis dedecore in Andegavenſem comitem regni hereditatem transfundere coacta fuit, ut dicetur inferius.

(*a*) *Gobelin. in coſmodrom. æt. 6. c. 74.*
(*b*) *Summont. hiſt. Neap. lib. 3. & Surit. Ind. l. 5. & annal. lib. 10. c. 24.*

XXXIII. Antipapæ in Urbanum acta tyrannica.

Ut vero Urbanus (*c*) agebat legibus in ſchiſmaticos, ita antipapa impudentiſſime adverſus Chriſti vicarium, alioſque catholicos e peſtilentiæ cathedra, quam Avenione collocarat, ementita exercere judicia non perhorruit; e quo incredibilem rerum perturbationem exortam, & innumera crudelitatis exempla manaſſe, narrat Theodoricus e Niem (*d*); *E converſo*, inquit, *prædictus Clemens in Avinione, tunc cum ſua curia reſidens, ut præfertur, contra dictum Urbanum, ejuſque Cardinales, & ipſis adhærentibus pœnales proceſſus fecit, & illorum proceſſuum occaſione magnæ adverſitates, ac prævaricationes in diverſis regnis, & provinciis oriebantur, multi etiam infelices prælati, & presbyteri, ac clerici, qui dicto Urbano obediebant per pleroſque de alia obedientia per mare, ſeu terras tranſeuntes capiebantur, & male tractabantur, quorum multi in aquis ſubmerſi, aliqui ignibus cremati, nonnulli etiam alia ſæva morte perierunt.* Ita cœptum eſt impleri vaticinium a Petro Minorita principe ſignificatum, Urbano V. nimirum eventurum ſchiſma (ni ſedem Romæ conſtabiliret) in quo millia & millia innocentium ſub diriſſimo ſpiculatore perirent.

(*c*) *Urb. tomo papyrac. p. 7.*
(*d*) *Theodor. e Niem. lib. cap. 19.*

Excitata perſequutio in catholicos.

Alfonſ. erem. epiſc. Gienn. Urb. defenſ.

Pergit Niemus antipapæ acta crudelia recenſere: *Multum enim atrociter contra obedientes dicto Urbano præfatus Clemens & ſui Cardinales, ac eorum complices in principio dicti ſchiſmatis ſe habuerunt, & tanta in populo Chriſtiano facta fuit ex præmiſſis ſubito diviſio ubique locorum, quod de hoc multi in ſtuporem converſi valde mirabantur; multa etiam oppida, villæ, civitates, & caſtra in eodem regno Siciliæ, & in provincia patrimonii B. Petri in Tuſcia, nec non marchia Anconitana & Campania, Romana, & alibi per guerras violenter capta, & deſtructa, & etiam multa monaſteria & eccleſiæ pene totaliter deſolatæ, & multæ ſtrages hominum, deprædationes rerum, nec non alienationes bonorum, & jurium proprietatum eccleſiarum, & monaſteriorum in urbe, & aliis diverſis locis conſiſtentium fiebant, ac alia innumerabilia mala ſequebantur exinde.*

Inteſtinæ diſſenſiones exortæ.

XXXIV. Acceptas ab antipapa clades auxit inteſtina diſſenſio, adeo ut Romani hoſtium metu liberi in Urbanum procacia verba funderent, odiaque conciperent, quos tamen coarguit S. Catharina Senenſis (*e*), linguam concinendis divinis laudibus, peragendæque criminum exomologeſi ſacram in blaſphemas voces laxaſſe, improbamque Deo gratiam, recuperata ejus ope S. Angeli arce, repoſuiſſe. Quo tempore, cum Roma a rebellione in Urbanum conflanda haud longe abeſſet, diſcrimen imminens S. Catharinæ precibus propulſatum Raymundus Capuanus (*f*) & ex eo S. Antoninus (*g*) enarrant: *Renovati fuerunt mox*, inquit Raymundus, *ejus dolores, quia ſerpens antiquus quod non poterat per unam viam attentare, attentavit per aliam magis periculoſam & duram: quod enim facere non poterat per extraneos, & ſchiſmaticos, attentavit facere per intrinſecos, & domeſticos fidei; nam cœpit ſeminare diſcordias inter populum urbis & Pontificem, quæ creverunt tantum, quod aperte comminabatur populus intentare mortem Pontifici: quod ſentiens virgo ſancta nimis afflicta ad conſuetum recurrit orationis refugium, & totis conatibus aſſidue ſponſum ſuum exorans, ut nullo modo permitteret fieri tantum nefas. Quod dum ageret, ut ipſa mihi ſcripſit per quandam ſuam epiſtolam, vidit in ſpiritu totum urbem plenam dæmonibus, qui undique populum incitabant ad parricidii ſcelus & contra orantem virginem horribiles dabant clamores dicentes: Maledicta, tu niteris nos impedire, ſed nos te horrenda morte infallibiliter occidemus, quibus illa nihil reſpondens prolixius, ac ferventius orationi inſtabat, petens a Domino, ut pro nominis ſui honore, ac pro remedio Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, quæ tunc tantis turbinibus quatiebatur vellet dæmonum deſideria ex toto fruſtrari, & vicarium ſuum illæſum ſervare, nec permitteret, quod populus ille tantum peccatum & tam immane nefas committeret, reſponſumque ſemel recepit a Domino: ſine hunc populum qui quotidie nomen meum blaſphemat, cadere in hoc malum, ut propter hoc grande crimen vindicem, & deleam eum, quia juſtitia mea exigit, ut amplius non ſuſtineam iniquitates ipſorum.*

(*e*) *S. Cathar. ep. ſup.*

Romani Urbanus conviciis inceſſum.

(*f*) *Raym. Capuan. in vita S. Cathar. Senen. par. 3. c. 2.*
(*g*) *S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 14. §. 18.*

Viſi a S. Catharina Senen. incitari a dæmonibus.

Fuſæ ea præces ad Deum.

*At illa tunc magis orabat ferventer, his verbis in ſententia, vel in ſenſu: Clementiſſime Domine noſti qualiter ſponſa, quam proprio ſanguine redemiſti, quaſi per totum orbem, proh dolor! laniatur, noſti, etiam quam paucos habeat adjutores & defenſores: nec latere poteſt qualiter uſurpatores, & hoſtes ejus deſiderent vicarii tui mortem, & ſcandalum, ſi hoc malum eveniet non tantum huic populo, ſed toti populo Chriſtiano & eccleſiæ tuæ ſanctæ nocebit graviſſime. Tempera igitur iram animi tui, Domine, & noli deſpicere populum tuum, quem tam grandi pretio redemiſti. In hac diſputatione, ſi non male recolo, plures occupavit dies, ac noctes cum magna corpuſculi ſui afflictione pariter, & labore, illa ſeper orante, Dominoque ſuam*



*am juſtitiam allegante, ac dæmonibus contra eam clamantibus, ut eſt ſcriptum. Tantus fervor erat orantis, quod ſicut ipſa tunc mihi ſcripſit, niſi Dominus [ut modo ejus loquar] circulaſſet fortitudine corpus ejus, ſicut veges ſolet circulis roborari & ſtringi, abſque dubio corpuſculum totaliter defeciſſet & concrepuiſſet: ſed finaliter in tam arduo bello cum ejuſdem corpuſculi tormento mortali vicit & obtinuit virgo. Nam domino, ut dictum eſt, ſuam juſtitiam allegante reſpondit Domine, ex quo aliter fieri non poteſt, quin fiat juſtitia iſta, ſupplico non ſpernas preces ancillæ tuæ, ſed quidquid pœnalitatis debetur ſuper hunc populum, fiat ſupra corpus meum; libentiſſime namque pro tui nominis honore, ac pro eccleſia tua ſancta bibam hunc calicem paſſionis & mortis, ſicut ſemper teſte tua veritate optavi, ex quo tuum amorem, te donante, concepi toto corde, ac tota mente. Ad hanc vocem plus mentis, quam corporis hujus virginis ſacræ, conticuit vox divina, quæ loquebatur in ejus mente. Datur per hoc intelligi, quod ita fieret ut petebat, factumque eſt, quod ex illa hora ceſſavit primo paulatim, & tandem totaliter murmur in populo illo: ſed totam paſſionem virgo virtutibus plena portavit.* Interemptam inflicto a dæmonibus crudeliſſimo martyrii genere, proximo anno ex eodem pio authore viſuri ſumus.

Debitas populo pœnas in ſe ſuſcipit.

Concitatam quidem in Urbanum popularem ſeditionem, repreſſamque divinitus memorat Gobelinus (*a*) his verbis: *Quadam die populus Romanus contra eum commotus tumultu concitato armata manu palatium expetivit: cumque tumultuantis multitudinis occurſus ſibi nunciatur, ipſe jubens portas palatii protinus aperiri, in ſede ſua ſe collocat, & Chriſti factum imitatus miraculum, quo Chriſtus Judæos terruit ſe quærentes, mirabiliter innovat: tumultuantis enim turbæ primores in acie conſtitutos aſpectu ſerio & his verbis: Quid vultis, in ſui præſentia ita ſtare compellit, quod eis promptitudinem reſpondendi & furori ſubſequentium acceſſum adimit propiorem: & ſic eorum pertinacia, prout res exigit, increpata eos placatos facit abſcedere.* Antequam hoc periculo perfunctus eſſet, tentatum veneno, ſed non ſine miraculo diu extremis viribus cum ſumma veneni vi colluctatum convaluiſſe, narrat idem (*b*) author.

Placatus populus.
(*a*) *Gobelin. in Coſmodrom. ætat. 6. cap. 76.*

(*b*) *Eod. cap.*

XXXV. Excuſſere eodem tempore pontificium jugum Bononienſes fallaci libertatis ſpecie deluſi. Quo tumultu audito antipapa eos blanditiis ſibi conciliare adniſus eſt; ſed prudens illi reſponſum datum fuit, uti refert Carolus Sigonius ( ): *Poſtremo*, inquit, anno nimirum MCCCLXXIX. *rurſus eſt mutata reſpublica: nam Bononienſes a Florentinis impulſi VI. nonas octobris prætento ſchiſmate, quod in Eccleſia verſabatur, iterum ſeſe fœderatis applicuerunt, ac liberos ſe, non hoſtes Eccleſiæ præferentes, ſtatum libertatis redintegrarunt. Itaque ſequenti nummum aureum percuſſerunt, in quo ab uno latere leonem vexillum libertatis tenentem cum literis: Bononia docet, ab altero imaginem cum nomine S. Petronii finxerunt. Quod ut Urbanus audivit ægre admodum tulit: Clemens autem adverſarius ejus, ut eos ab Urbano prorſus averteret, oratorem illico miſit, oſtendens ſe urbis vicariatum eis libere permiſſurum, ſi ſe Pontificem recepiſſent: cui ipſi reſponderunt ſe in authoritate Urbani, quem primum coluiſſent, perſiſtere velle, donec de vero Pontifice judicatum fuiſſet. Quod reſponſum adeo gratum Urbanus habuit, ut eis comitatum Imolæ per Philippum epiſcopum aſſignarit.*

(*c*) *Sigon. lib. 3. de epiſc. Bonon. in Phil. Caraſa.*

Bononienſium rebellio.

Repudiato tamen antip. Pontificem colunt.

XXXVI. In Germania Wenceſlaus Romanorum Rex Caroli Imperatoris poſtremis juſſis pariturus, necnon principes electores initis imperii comitiis ad aſſerendam Urbani VI. dignitatem, ac Germanos a ſchiſmaticorum fraudibus (*d*) vindicandos plura ſanxere: atque in primis, ut futuri ſucceſſores imperii ad colendum Romanum Pontificem, atque antipapam ejuſque adminiſtros inſectandos, antequam regios honores ſolemni ritu adipiſcerentur, fidem obſtringerent, ac deſignati præſules pariter ſponderent, Urbanum veneraturos: prohibuere, ne quis a Roberto pſeudopontifice ſacerdotia, vel alia quævis ſacra beneficia flagitaret; ac de celebrata legibus Urbani electione populos certiores fecerunt.

(*d*) *Tom. 20. de ſchiſm. pag. 135.*

*Incipit copia literæ Imperatoris.*

*Nos Vvenceſlaus Dei gratia Rex Romanorum ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex recognoſcimus & notum facimus per præſentes univerſis & ſingulis inſpecturis & audituris, quod cum notorium, & manifeſtum ſit, quod de Cardinalibus, qui tempore tunc Romæ erant quando fœlicis recordationis Gregorius Papa XI. ibidem debitum naturæ perſolvit, & ex eo & pro eo ſedes Apoſtolica Romana vacaverat, & ipſi Cardinales unum futurum Papam potuerunt, ut de jure debebant, eligere, quod ſanctiſſimus in Chriſto pater, & dominus, dominus Urbanus Papa VI. olim archiepiſcopus Barenſis in verum Papam, ſicut eſt juris & conſuetudinis eligere Romanos Pontifices, concorditer ex inſpiratione & invocatione Sancti Spiritus electus, inthronizatus, & coronatus eſt; qui etiam in pacifica & quieta poſſeſſione dictæ ſedis Apoſtolicæ longo tempore, præſentibus dictis Cardinalibus & ſibi aſſiſtentibus, fuit & eſt, quem etiam præfati Cardinales omnes & ſinguli pro eorum vero, electo, inthronizato, & coronato Papa tenebant, & habebant, ipſumque in feſtivitatibus magnis manifeſte celebrantem audierunt, Corpus Chriſti de manibus ſuis ſum-*

Pura præteriti caſus narratio.

ſumpſerunt, & etiam beneficia eccleſiaſtica, & etiam in conſiſtoriis publicis & ſecretis, & in omnibus illis cauſis, quæ ad unum, & verum deificum Papam ſpectant, ſibique prout uni vero, & Chriſtianiſſimo irrevocabiliter, concorditer, ac voluntarie, abſque coactione adhæſerunt, commorati ſunt, prout manifeſtum, & notorium eſt Romæ & Romano imperio, & in tota Chriſtianitate, & etiam quamplurimum patet in literis & nunciis dictorum Cardinalium, quas pluries poſtea ſereniſſimo principi & domino domino fœlicis recordationis Carolo Imperatori noſtro dilecto domino & Patri nunciaverunt & ſcripſerunt, & qui etiam dominus & pater noſter Imperator Romanorum, cujus animæ propitietur Deus, velut advocatus, & protector ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, & Chriſtianus princeps manutenens fidem Chriſtianam, & etiam domini eccleſiaſtici & temporales, ac omnes alii principes & civitates ſacri imperii in Alamanniæ & Galliæ & Italiæ partibus, præfatum ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum Urbanum Papam VI. unum, verum, electum, & coronatum Papam, dictæ ſedis Apoſtolicæ poſſeſſorem recognoverant, habebant, & tenebant, ut etiam præfatus dominus noſter,

Ut Carolus IV. Imp. Urbanum coluerit.

& pater Romanorum Imperator in hujuſmodi Chriſtiana fide ab hac luce deceſſit, & nos poſt ejus obitum tanquam Rex Romanorum ſequentes veſtigia ejuſdem domini, & patris noſtri Romanorum Imperatoris, una cum principibus, electoribus, & aliis principibus, ac civitatibus dicti Romani imperii clare & bene informati de præſcriptis cauſis præfatum noſtrum ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum Urbanum Papam VI. verum vicarium in hoc mundo Domini noſtri Jeſu Chriſti recognovimus firmiter, recognoſcimus, & tota Chriſtianitas recognoſcit propter confirmationem Chriſtianæ fidei merito remanere, & ſtare debemus apud eundem. Verum quia percepimus, quod ex amaritudine cordis referimus, quod nonnulli olim Cardinales quendam alium

Perfidiæ ſchiſmaticorum deſcriptio.

nomine Robertum de Geneva olim Cardinalem, nunc vero antipapam, nuncupantem ſe Clementem, erexerunt & aſſumpſerunt, ita quod ex hoc errore ſchiſma in eccleſia ſancta Dei, & tota Chriſtianitate eſt ſubortum, & quia noviter ex diſpoſitione omnipotentis Dei, qui ſua gratia me, licet indignum, ſacroſancto Romano imperio præfecit; quippe nos, & nullus alter, tanquam Rex Romanorum mediante Dei adjutorio futurus Imperator, verus, & legitimus advocatus &

Decrevit Vvenceslaus perſtandum in Urbani obſequio.

protector ſanctæ Romanæ eccleſiæ; domino Papæ & fidei Chriſtianæ, merito & de jure providere habeamus, ita ut noſtris temporibus, quibus præeſſe debemus imperio Romano nullum ſchiſma & error exſurgant, quæ fidem Chriſtianam, & ſtatum totius mundi Romano imperio ſubjecti ſubvertant: idcirco nos ad laudem, & gloriam & honorem Dei Omnipotentis, ac pro conſervatione ſæpe dictæ Chriſtianæ fidei, cum matura deliberatione & conſilio principum electorum, eccleſiaſticorum & ſæcularium & ſpecialiter reverendorum in Chriſto patrum Friderici archiepiſcopi Colonienſis ſacri Romani imperii per Italiam archicancellarii, Simonis archiepiſcopi Treverenſis dicti ſacri imperii per Galliam, & regnum Arelatenſe archicancellarii, Ludovici archiepiſcopi Maguntini ſacri imperii per Germaniam archicancellarii, & illuſtris Roberti ſenioris comitis Palatini apud Rhenum ſacri imperii archidapiferi, & ducis Bavariæ pro ſe, & illuſtrium Roberti juvenis & Roberti minoris Comitum Palatinorum apud Rhenum & ducum Bavariæ & aliorum principum, ac fidelium ſacri Romani imperii concordavimus, & unanimes ſumus una cum dictis principibus electoribus, & aliis principibus & fidelibus ſacri Romani imperii, & ipſi nobiſcum, quod talibus ſchiſmaticis erroribus volumus & debemus obviare, & eoſdem prohibere, & extirpare.

Principum imperii unanimis conſenſio.

XXXVII Hinc eſt quos nos præfatus Vvenceſlaus, tanquam Rex Romanorum, advocatus, defenſor, & protector ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & præfati domini ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini, domini Urbani Papæ VI. ex quo eſt verus Papa in ſede & in poſſeſſione ipſius papatus, antedicti principes electores eccleſiaſtici & ſæculares, & ſpecialiter Fridericus Colonienſis, Simon Treverenſis, Ludovicus Maguntinus archiepiſcopi, & illuſtris Robertus ſenior pro ſe, & dicti Roberti juvenis & Roberti junioris, & alii principes ſacri imperii matura deliberatione & ex certa ſcientia bona fide loco juramenti compromittimus invicem, videlicet nos ipſis omnibus in ſolidum & diviſim, & ipſi nobis verſa vice, quod nos, & etiam ipſi fidem Chriſtianam conſervare & corroborare volumus & præfatum ſanctiſſimum in Chriſto patrem dominum Urbanum pro vero Papa tenebimus & ſibi aſtabimus, & talibus ſchiſmaticis erroribus ante dictis ipſius antipapæ Roberti de Geneva, ſuiſque coadjutoribus, qui ſe nominant Cardinales, & omnium aliorum adhærentium obviabimus: & dictos ſchiſmaticos errores evellere, & deſtruere volumus & debemus, quantum pro poſſe noſtro poterimus: nos omnes & quilibet noſtrum nolumus, nec debemus recipere legatos & nuncios, literas ſive mandata dicti antipapæ de Geneva, nec ipſum recognoſcere, beneficia, vel diſpenſationes ab eodem recipere, vel a ſuis adhærentibus quoquomodo, ſed volumus prædictos legatos & nuncios, ac mandata ſerioſe, & cum fidelitate exſtirpare, eoſdemque nuncios in corpore & rebus invadere & impedire, & contra in omnibus agere & facere, prout in proceſſibus dicti domini noſtri ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini Urbani continentur. Et nos & qui-

De antipapa & anticardinalibus coercendis.



quilibet noſtrum volumus, & debemus omnes illos, qui præfato domino noſtro Urbano adhærent & obediunt, vel infuturum adhærebunt, tueri & defendere in honore, corporibus, & rebus abſque fraude & dolo, & neqaaquam permittere, aut ſuſtinere, quod præfati adhærentes, & obedientes in præmiſſis impediantur, aut quoquomodo in aliquo vexentur a præfato antipapa, ſuiſque coadjutoribus & ſequacibus, etiam cujuſcumque gradus, ordinis, conditionis prædicti exiſtant; nos omnes & quilibet noſtrum, quos tangit defendere fidem Chriſtianam, dictamque Romanam eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, & præfatum dominum noſtrum Urbanum Papam VI. ſacrum Romanum imperium, animas, ſtatum, honorem omnium, & cujuſlibet noſtrum, & omnium fidelium Chriſtianorum, volumus & debemus in cauſa & negotio prædictis firmiter invicem remanere, & unus alteri aſtare, & nullus noſtrum ab alio ſe quoquomodo ſeparare; ſed nos tanquam Romanorum Rex, mediante Dei adjutorio futurus Imperator, volumus & debemus præfatos principes electores & alios principes dicti imperii eccleſiaſticos, & ſæculares, conjunctim & diviſim, omnes & quemlibet eorum, & ipſi nos prout principes & fideles dicti ſacri imperii Romani, vice verſa in præfatis cauſis, & negotiis & aliis, ubicumque fuerit neceſſe, verbo & factis, corporibus & rebus fideliter juvare, & conſulere, & præfato domino noſtro ſanctiſſimo in Chriſto patri & domino domino Urbano aſſiſtere, & ut boni Chriſtiani cum eodem remanere, prout de jure tenemur, & ſumus aſtricti.

Præſtandam Urbano opem decernitur.

XXXVIII. Inſuper in caſu, quod nos Vvenceſlaum præfatum Regem Romanorum decedere contigerit ab hac vita, quod Deus avertat, tunc præfati principes electores imperii eccleſiaſtici, & ſæculares debent ordinare, & efficere quod ille, quem in Regem Romanorum elegerint, antequam fiant ſolemnitates novæ electionis, & ponatur in altari, etiam promittat omnia prædicta & articulos prædictos proſequi & ſervare, & Chriſtianam fidem confortare, prout in præmiſſis eſt contentum: & tunc etiam quilibet archiepiſcopus, & prælatus cum ſuo capitulo debeant ordinare quam citius poterunt, quod quilibet electus, ut primum a capitulo electus fuerit præſcripta puncta, ſeu articulos firmiter teneat, & fideliter conſervet. In quorum robur, & ejuſdem teſtimonium, &c. Dat. Funicuithur ſuper Murghano anno ſeptuageſimo nono dominicæ incarnationis regnorum noſtroram Bohemiæ anno ſextodecimo Romanorum, anno tertio. De mandato domini Regis Nicolaus Cameracenſis .... itus ſcripſit. Data fuere pariter mandata a Wenceſlao Jodoco marchioni Moraviæ imperiali in Italia vicario, ut Urbani cauſam adverſus ſchiſmaticos tueretur. De celebratis in Germania inſignibus principum conventibus adverſus ſchiſmaticos meminit Petrus regiæ Aragoniæ princeps Minorita (a), ac Francorum Regis, nec non antipapæ oratores repulſos confirmat his verbis: Die jovis III. novembris recepi literam a venerabili religioſo domino pres. de malis teſtibus Abbate Citrenſi nuncio apoſtolico, in qua ſignificabat mihi aliqua bona nova de Urbano, inter alia hæc, quæ ſequuntur: Dominus Imperator tenuit conſilium, in quo interfuerunt omnes prælati, & barones Alemaniæ, procuratores Regis Angliæ, comitis Flandriæ, ducis Brabantiæ, & multi clerici valentiſſimi, quos illuc miſerat Rex Franciæ pro antipapa, quibus non obſtantibus determinatum eſt pro domino noſtro; citatus antipapa & damnatus, facti proceſſus imperiales generaliter, quatenus quoſcumque adhærentes ſibi, etiam ſi regali præfulgeant dignitate. O bone Jeſu, quam dulcia faucibus meis eloquia ſuper mel ori meo &c.

(a) To. 4. de ſchiſ. p. 142.

Oratores Regis Franc. & antip. repulſi.

XXXIX. Extant de eodem edicto cæſareo contra antipapam, & ſectatores literæ Friderici archiepiſcopi Colonienſis ad magiſtratus Leodienſes (b), quos admonet, ne ullas diſſenſionis faces ſpargi a ſchiſmaticis, vel ullas antipapæ literas excipi patiantur.

(b) Ext. to. 3. ann. apud Decan. Tungr.

Prudentibus & diſcretis viris magiſtris civium & conſulibus civitatis Leodienſis amicis noſtris chariſſimis Fridericus archiepiſcopus Colonienſis, Vveſtphaliæ, & Anſgariæ dux, &c.

Amici dilecti. Noveritis quod nuper ſereniſſimus dominus noſter Vvenceſlaus Romanorum Rex ſemper auguſtus cum multis ſacri imperii electoribus aliiſque principibus tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, comitibus, ac baronibus, nobis etiam præſentibus, in oppido Francofordienſi convenit, ibique coram ipſo domino noſtro Rege Romanorum aſſiſtentibus ſibi, tam electoribus, quam aliis principibus, comitibuſque antedictis, cæterorumque nobilium hominum multitudine copioſa præſente, demonſtratum extitit manifeſte, ac ſolis ſplendore clarius eſt deductum, ſcilicet dominum noſtrum Urbanum Papam VI. in ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ ſummum Pontificem per Cardinalium pro tunc Romæ præſentium canonicam & communem electionem aſſumptum, & per eoſdem ſolemnibus & conſuetis ritibus coronatum, & quod eumdem dominum noſtrum Papam ipſi Cardinales, poſtmodum per non modica temporum curricula continue ſubſequentium tam conſiſtorialiter, quam alius omnis honoris ſtudio, venerationiſque cultu, quibus ſummum Pontificem venerari convenit, excoluerunt, atque idem dominus noſter Apoſtolicus ex his, & aliis, quæ ſingula ſcribere gratia brevitatis omittimus, ante omnem diſcordiam ſchiſmatis, quod nunc inimicus homo ſpe deductus inani in que-

Colonienſis archiep. literæ ad Leodienſes.

Quæ cauſa Germanos moverit.

*quædam mundi climata, nequiter diſſeminare contendit, in papatus pacifica poſſeſſione quievit, ſicut per totum imperium, at etiam diverſas alias provincias, atque regna ipſam poſſeſſionem obtinuit incunctanter. Ex his ipſe dominus noſter Romanus Rex orthodoxæ fidei zelo ſuccenſus tamquam princeps catholicus Romanæ eccleſiæ advocatus & defenſor eximius, præhabita deliberatione matura cum antedictis principibus omnibus & ſingulis in hoc ſecum uniformiter concordantibus convenit, ſe inſimul præfatum dominum noſtrum Urbanum pro ſummo Pontifice firmiter habituros, & quod dominus noſter Rex Romanorum ſæpe dictum dominum noſtrum Urbanum in præfata ſua papatus poſſeſſione defenderet, ac eidem contra reſiſtentes aſſiſteret conſiliis & auxiliis opportunis &c. Dat. Suiſſæ die xxv. menſis julii.*

Tutati erant egregie Urbani æquiſſimam cauſam nonnulli præſules Bohemi & Hungari, quorum præcipuos Urbanus hoc anno, ut refert Alfonſus (*a*) Ciacconius ex monumentis bibliothecæ Trivultianæ in Cardinalium numerum adſcripſit. Fuere illi Joannes Oczkio epiſcopus Olomucenſis ſchiſmaticorum hoſtis acerrimus, Demetrius Hungarus archiepiſcopus Strigonienſis, Valentinus epiſcopus Quinquecclesienſis. Et quidem Oczkioni baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum, Demetrio SS. Quatuor coronatorum, Valentino S. Sabinæ presbyterales tituli collati fuere. De hac vero & alia priori Cardinalium creatione queſtum antipapam in ſuis literis adverſus Urbanum, XIII. julii proximi anni promulgatis, obſervat Felix (*b*) Contelorius. Ut vero etiam ſpectantiſſimis Germaniæ præſulibus cardinalitios honores detulerit, quo magis Germanos ſibi aſtrictos haberet, dicetur inferius: nunc cœptum ſermonem proſequamur.

(*a*) *Ciacon. in Urb.6.*

Bohemi & Hungari Cardin. creati.

(*b*) *Contelor. in elench. Cardd.*

XL. Schiſmaticorum mendacia.

Quamvis Wenceſlaus, aliique Germani principes adeo aperte, ut par erat, Urbani veri Pontificis tuendas partes contra ſchiſmaticos ſuſcepiſſent, emiſſarii tamen antipapæ, qui per varias provincias diſcurrebant ad ſubornandos ſimplices, alliciendoſque in errorem jactabant, Romanorum & Hungariæ Reges ab Urbano ad Avinionenſem pſeudopontificem defeciſſe. Ad quorum refellendos dolos Wenceſlaus Richardum Regem Angliæ præmonuit (*c*), ne ſchiſmaticorum mendaciis aures daret, utque perduelles Cardinales Urbanum ſervatis omnibus vetuſtis ritibus, ac majorum inſtitutis unanimes Pontificem renuntiaſſent, locaſſent in ſolio ſacro, cultu ſolemni eſſent proſecuti, idque patri Carolo IV. olim Imperatori, ac ſibi datis literis eſſent profeſſi, atque inter eas ipſius antipapæ ad convincendam mendacis hominis impudentiam, æternumque dedecus in cæſareis ſcriniis a ſe aſſervari (*d*).

(*c*) *Ext. ejus lit. to.18. de ſchiſm. p. 352.*

(*d*) *Ext. to.18. de ſchiſ. p. 352.*

*Sereniſſimo principi domino Regi Angliæ fratri noſtro chariſſimo.*

*Sereniſſime princeps frater chariſſime. Noverit veſtra ſublimitas, deteſtandos errores modernis ſatos temporibus in agro Domini ſabaoth per colonos illos, quibus præcipua debuit eſſe cura; ut ſementis iſta nequiſſima inter grana, quæ debent centuplum reddere fructum, poſſet per alios immiſceri. Ah miſeros æternæ ſalutis immemores, fallaces Deo & hominibus mentientes & ſibi, Chriſtiani, ſi valeant, nominis [quod abſit a ſæculo] deſtructores. Quæ cuncta, ſi veritate nitantur, vera eſſe totus orbis eſt teſtis; nam verum, legitimum, & canonicum Papam ultramontani & Italici Cardinales, Urbanum VI. concorditer elegerunt, inthronizaverunt, coronaverunt, & eidem ut vero & canonico ſummo Pontifici, pontificales honores, & reverentias adhibuerunt, prout divæ memoriæ genitori noſtro tunc Romanorum Imperatori, & nobis per plurimas ipſorum tunc Cardinalium literas, & potiſſime tunc Cardinalis, & nunc antipapæ Gebennenſis declaratum eſt; quas penes noſtræ majeſtatis archæum, pro ipſorum & aliorum reproborum confuſione, ad æternam memoriam reſervamus. Inſuper & quidam etiam ſanctiſſimam Communionem, de ipſius domini noſtri Papæ manibus receperunt, omnes eorum, qui tunc in urbe erant, in dominica in ramis palmarum, & per hebdomadam ſanctam eidem in dictis officiis, orationibus, & anathematizationibus, & aliis publicis, quæ in ipſa hebdomada fieri conſueverunt per ſummum Pontificem, coram populo in pontificalibus parati, ut eſt de more, continue aſtiterunt; præterea remiſſionem omnium peccatorum omnes ab ipſo unanimiter impetrarunt, illam pro libito obtinentes: Cardinalis inſuper Minorum dictus tunc Glandacenſis ab ipſo creatus eſt epiſcopus Oſtienſis. Plures inſuper ipſi tunc Cardinales gratias ab eodem domino noſtro ſummo Pontifice, pro familiaribus, conſanguineis, & amicis ſuis impetraverunt, & obtinuerunt, eumdem per plura tempora pro vero & canonico Papa, & eorum domino cognoverunt, prout præmiſſa omnia & alia plurima, quæ gratia vitandæ prolixitatis omittimus, tam per publicam famam ubique vulgatam, quam per literas & ſcripturas authenticas apud dictum genitorem noſtrum, nos, prælatos, principes, & populos Alemannos majeſtati noſtræ ſubjectos fuerunt, prout nunc ſunt, pluſquam notoria & etiam manifeſta, ita quod nulla poſſunt tergiverſatione cælari. Et denum diabolico ſpiritu inſtigati convenerunt in unum adverſus dominum noſtrum Jeſu Chriſti vicarium prælibatum, & Gebennenſem præfatum de ſuo genere & parentela confidentem poſſe reſolvi orthodoxæ fidei unitatem, eorum ſuffragiis mediantibus temere, in antipapam elegerunt, in gehennam cum ſuis ſequacibus, niſi ſuos errores revocandos duxerint, ruiturum.*

Confutata a Wenceſlao.

Impium facinus ſchiſmaticorum.



XLI. *Quocirca majeſtatis veſtræ auribus ſit ingeſtum, quod quidam ad inſtantiam dicti antipapæ, & complicum, & fautorum ſuorum diſcurrunt per orbem terrarum apud Reges & principes pejora quotidie pejoribus cumulando, & eorum verbis & orationibus inſerendo, quod nos, ſereniſſimus princeps, ac frater noſter Hungariæ Rex, & maxima pars Regum & principum Chriſtianorum nobiſcum dictum antipapam Gebennenſem pro vero & canonico ſummo Pontifice veneramur, & eidem contra dominum noſtrum Urbanum ſummum Pontificem canonicum atque veriſſimum Chriſti vicarium prænotatum aſſiſtimus & aſſiſtere intendimus omnibus auxiliis & favoribus opportunis, hæc & pejora proterve, & contra omnem veritatem fingentes filii Belial, ut dictos Reges, prælatos, & principes ad æternum ſi poſſent [quod abſit] interitum ſecum ducant. Nos, quibus imperium univerſæ reipublicæ temporalis a ſolo Deo ideo fore conceſſum dignoſcitur, ut ſicut cortex arboris lignum naturæ miniſterio tegit corpus contra omnem intemperiem hyemis & æſtus, ut ſimul uniti, vitale quodammodo faciant unum corpus, ſic & nos in ſuperficie Eccleſiæ poſiti ſumus cum gladio temporali, ut ipſam proprio ſanguine, quando ſiat expediens, contra omnes ingruentes tempeſtates, & turbines defendamus; ſicque unita utraque ſpiritualis videlicet, & temporalis reſpublica faciant unum corpus: fraternitati veſtræ intentionem noſtram duximus præſentium ſerie declarandam, quod ſicut divæ memoriæ genitor noſter, dum in humanis agebat, verum & canonicum ſummum Pontificem, & dominum noſtrum dominum Urbanum Papam VI. prædictum pro vero, canonico, & legitimo Papa habuit, tenuit, reputavit, & honoravit, & Robertum quondam Cardinalem Gebennenſem pro antichriſto, antipapa, & ſchiſmatico tenuit, & reputavit, & ad protectionem dicti domini noſtri Urbani, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, & hæreticorum prædictorum exterminium, & confuſionem diſponere intendit, & nititur vices ſuas, quanto nobis juvenilis ætas eſt aptior ad omnes labores corporeos celebrandos, pro defenſione fidei, & unione populi Chriſtiani; ſcientes præfatum ſereniſſimum principem Regem Hungariæ, necnon cunctos prælatos Alemanniæ, nobis in hoc voluntatis noſtræ conſtantiori propoſito conformari. Quare celſitudinem veſtram totis affectibus exhortamur, quatenus lumbos veſtros accingentes viriliter, ſic velitis nobiſcum circa præmiſſa eſſe conformes pro defenſione juſtitiæ & fidei orthodoxæ, quod perverſi & malignantes metu tantæ, tamque unitæ potentiæ eorum dimiſſis & abjuratis erroribus, & corde compuncti redeant ad dicti Domini noſtri, & Eccleſiæ unitatem: vel ſi tantum pravitatibus ſuis inniti voluerint cum erroribus ſuis, ſine gravi cunctorum ſcandalo ſub virga juſtitiæ caſtigentur, nobis de intentione veſtra circa præmiſſa per literas fraternitatis veſtræ nobis deferendas per nuncium noſtrum latorem præſentium reſpondentes. Dat. Pragæ die xx. Maii regnorum noſtrorum Bohemiæ XVI. Romani vero III. Vvenceſlaus, Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex.*

Maxima pars Regum ſecuta Urb.

Pia ad Anglum adhortatio.

De unanimi Germanorum, & Hungaror. conſenſu.



Animatus ſua ſponte erat Richardus Angliæ Rex ad ſubſtentandam adverſus ſchiſmaticos Eccleſiam catholicam, ac Petro Regi Aragonum, qui in controverſo Romani pontificatus jure in neutram partem propendere decreverat, donec cum cæteris Regibus Chriſtianis commune ſumpſiſſet conſilium, ſignificavit (*a*) Urbanum perſpicuo jure fretum, riteque renuntiatum Pontificem a Cardinalibus Gallis, qui in ipſum cum improbos eorum mores corrigere niteretur, rebellionem fecerant: cæterum Romanorum & Hungariæ Reges Urbano pie & conſtanter adhæſiſſe.

XLII. Angliæ Rex Urbanum tuetur.

(*a*) *To.18. de ſchiſ. p.152.*

*Magnifico principi Regi Aragonum conſanguineo noſtro prædilecto.*

*Conſanguinee prædilecte ſuper eo, quod per literas nobis ſcribere placuit, vos credere nos non latet, qualiter duo de papatu contendunt, videlicet unus primus electus, qui eſt apud Romam Urbanus nominatus; alius vero electus ſecundo vocatus Clemens exiſtens Avinione, & quod, licet vos pro parte utriuſque eorum fueritis requiſiti, ut ad alteram partium eorumdem determinare velletis, vos tamen, quamvis noveritis adverſarium noſtrum Franciæ ſe determinaſſe pro dicto Clemente, hoc noluiſtis, nec vultis facere donec certitudinem habueritis quis iſtorum fuerit verus Romanus Pontifex, immo intenditis nobiſcum, & aliis majoribus mundi principibus concordare; ea propter nos rogantes, quatenus velimus vobis quid ſuper hujuſmodi negocio deliberaverimus, aut cujus intentionis in deliberando ſumus, & quas inde informationes habuimus, noſtris literis ſerioſius reſerare. Scire velitis, quod per plures perſonas notabiles, fidedignas & indifferentes, qui tempore electionis de præfato domino Urbano factæ Romæ interfuerunt, veraciter didicimus, quod ante quemcumque tumultum popularem per Cardinales rebelles in electione hujuſmodi jam prætenſum, idem dominus Urbanus per collegium Cardinalium tunc Romæ exiſtentium in verum & canonicum Papam legitime & concorditer fuit electus; Ideoque Cardinales ipſum poſtmodum inthronizaverunt, coronaverunt, & ut vero & canonico ſummo Pontifici obedierunt, & pontificales honores & reverentias exhibuerunt, & ſanctiſſimam com-*

Ejus lit. ad Arag. Regem.

Ut antip. tuendum ſuſcepeperit Francorum Rex.

Urb. jus Aragon. expoſitum.

*communionem de ipſius manibus receperunt, & ab eo beneficium abſolutionis, aliaſque gratias diverſas pro ipſis, ac eorum conſanguineis, & amicis gratuite impetrarunt, & obtinuerunt; eundem per plura tempora pro vero Papa & canonico recognoſcentes, quouſque propter aliqua in dictorum Cardinalium diſplicentiam ſonantia, quæ ex bono zelo & boneſto diſpoſuerat ſe facturum, Cardinales ipſi retro abeuntes ſpiritu maligno in errorem ducti, immo potius ſeducti contra ipſum ex malitia rebellarunt. Et idcirco conſideratis præmiſſis, maturaque & diligenti ſuper his cum clero regni noſtri, tam archiepiſcopis & epiſcopis, quam cæteris prælatis & juriſperitis ejuſdem regni nuper in parlamento noſtro convocatis, deliberatione præbabita, ex eorum aviſamento, necnon magnatum, procerum, nobilium, & totius populi regni noſtri prædicti in eodem parlamento, zelo juſtitiæ præfato domino Urbano tanquam vero & canonico ſummo duximus adhærendum, prout vos, cæteroſque principes catholicos velle ſperamus eidem pia conſideratione juſtitiæ, conſimiliter adhærere. Et ut cognoſcere valeatis, qualiter Romanorum, & Bohemiæ, necnon Hungariæ Reges illuſtres ſe habent in hoc caſu, copiam literarum dicti Romanorum & Bohemiæ Regis, nobis ſuper hoc directarum, veſtræ ſerenitati tranſmitrimus præſentibus intercluſam.*

Ut Angli in ſolemnibus comitiis illi adhærendum cenſuerunt.

Videntur eæ fuiſſe, quæ a nobis ſuperius allatæ fuerunt. *Magnifice princeps conſanguinee noſter prædilecte in proſperitate votiva magnificentiam veſtram conſervare dignetur Altiſſimus in longævum. Datum ſub privato noſtro ſigillo apud palatium noſtrum Vveſtmonaſterii* XIV. *die ſeptembris.*

*Richardus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ.*

XLIII. Commonitus officii ab Urb. Aragon.

Miſerat jam ineunte anno ad Petrum Regem Aragonum Urbanus alias Caroli Imperatoris, & Wenceſlai filii Regis literas, ut eum eccleſiam Romanam adverſus antipapam, & ſchiſmaticos tutandam ſuſcipientium exemplo ad conſtantiam in veri Pontificis cultu alliceret, queſtuſque (*a*) eſt, Petrum e Luna pſeudocardinalem, Petri Bernardi Catalani piratæ opera Menendum e Cordula Cordubenſem epiſcopum, qui literas apoſtolicas ferebat in Hiſpanias, cepiſſe, atque antipapæ tradidiſſe, cujus calamitate permotus mittendæ ad ipſum conſpicuæ legationi ſuperſederat; tum preces addidit, ut Petrum e Luna hominem peſtiferum aditu in regnum prohiberet.

(*a*) *To.* I. *de ſchiſ. p.*134.

*Clariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Aragonum illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Cordub. epiſc. miſſus in Hiſp. a Pontif.

*Nefandum ſcelus, & execrabile facinus in perſonam venerabilis fratris noſtri Menendi Cordubenſis epiſcopi per viros deteſtabiles, alumnos iniquitatis, filios ſceleratos noviter perpetratum in opprobrium & contemptum Apoſtolicæ ſedis tanto lamentabilius ſerenitati tuæ, zelo domus Domini nos urgente, cogimur inſinuare, quanto cupimus citius per providentiam regiam apponi remedium, & occurri. Nuper ſiquidem recedens cum benedictione noſtra dictus epiſcopus a Romana curia literas apoſtolicas, ſuper imminente neceſſitate perſonæ noſtræ, & Eccleſiæ remedium implorantes, ſecum detulit: & conſcenſa quadam barca, a portu Romano veluti ab Jeruſalem exiens; dictum de Luna olim Cardinalem, ejuſque ſocios ab antipapa miſſos reperiens, more piratico in mari tranſeuntibus inſidiantes, incidit in latrones, qui eundem epiſcopum captum, literis prædictis vi raptis & deſtructis, ſine (proh dolor!) regiæ perſonæ, cui dirigebantur ſcriptæ, reverentia laceratis, & in minutias diſcerptis, ligatum & vinculatum in galeis Petri Bernardi de Catalonia piratæ immaniſſimi impoſitum ad civitatem Fundorum, ubi antichriſtus reſidet, miſerunt; ibique tenetur diro carceri mancipatus.*

Intercepꝰtus a Petro de Luna.

*Dolet mater Eccleſia: doleat quæſumus, Rex inclytus devotus filius, orthodoxæ fidei defenſator, remedium liberationis ejuſdem epiſcopi ordinans opportunum, nedum id in perſonæ regiæ, ſed totius regni vituperium reputet factum eſſe.*

Urban. Regem Aragon. hortatur, ut illum liberandum curet.

*Ut autem tuæ ſerenitatis devotio, de qua nulla nobis imminet hæſitatio, firmiter ſtabiliatur, & de jure noſtro ſecura conſiſtat, ecce recolendæ memoriæ Caroli Romanorum olim Imperatoris nuper vita functi, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvenceſlai nunc Romanorum & Bohemiæ Regis illuſtris literarum copias, & tractatum dilecti filii Joannis de Lignano doctoris Bononienſis eximii per dilectum filium nobilem virum Petrum Martini noſtrum ſervientem armorum tuæ mittimus majeſtati, ut veritatem invictam de noſtra electione indubitabiliter rata, & prætenſis metu & impreſſione falſo quæſito colore inventis non obſtantibus, irrefragabiliter per nunc adverſarios, ore, ſignis, rerum indiciis approbatam faciat, & mandet tua ſerena magnifica prudentia per eccleſias regni tui palam divulgari, ut fortes in fide nullis blandis ſermonibus, nullis terroribus, nulliſque fallaciis ab ejus integritate vellantur.*

Tractatus Jo. de Lignano ad eum miſſus.

*Et quia dictus de Luna olim Cardinalis miſſus per antichriſtum præfatum, in regno tuo noſtræ diffamationis titulos prædicaturus, accedit in Dei offenſam, orthodoxæ fidei, & Eccleſiæ unicæ ſponſæ Chriſti ſcandalum, & injuriam, hortamur, & rogamus per viſcera miſericordiæ Dei viventis obnixius deprecantes, ut ne idem olim Cardinalis mollitis, & virulentis verbis inficiat gregem dominicum populum regni tui, ſtatim viſis præſentibus paſſus, & ingreſſum ejuſdem regni præcludi tua præcipiat celſitudo, cuſtodibus paſſuum eorundem mandando, ut eundem virum peſtiferum nullatenus permittant ingredi januam regni dicti, & ſi illum ingredi forſan contingat capi, & captum ſub fida cuſtodia detineri, donec vel aliud receperis in mandatis pro noſtra, & ſedis Apoſtolicæ reverentia modis omnibus facias, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam in tranſtyberim* VI. *kal. Februarii pontificatus noſtri anno* I.

Præmonitus Rex ne mendaciis Petri e Luna ſe circumveniri ſinat.

Ne regnum ingredi permittat.

XLIV. Evaſit e ſchiſmaticorum vinculis adulto novembri hujus anni Urbani legatus ad Aragonum, Caſtellæ, & Luſitaniæ Reges miſſus Cordubenſis epiſcopus, cum magna animi æquitate plures calamitates pro Chriſti & Eccleſiæ cauſa pertuliſſet, atque ad Aragonum Regem has literas (*a*) dedit, quibus legationis ſuæ cauſas & rerum quæ in orbe Chriſtiano gererentur, ordinem expoſuit.

(*a*) *Ext. to.*20. *de ſchiſ. p.* 118.

*Ad Regem Aragonum.*

*Cum ad naturalem dominum meum claræ memoriæ dominum Henricum inclytum Regem Caſtellæ, & ad Regem Portugalliæ ad informandum de veritate hac, & præveniendum zizaniorum & ſchiſmatum ſemina, pariter & præmuniendum adverſus ſuſurrones, & detractores accederem nuncius apoſtolicus, ſceleſtiſſimus ille, & pirata crudelis Petrus Bernardi cum certis piratis, & cum ſociis ſuis Zayme Enivarradas, & Zayme Rigolfi de Valentia captivaverunt, & expoliaverunt me uſque ad intima, & [quod pejus fuit] una cum bullis & ſpeciali ambaxiata domini noſtri ad veſtram ſerenitatem, & inclytum natum veſtrum ducem Gerundæ, & aliis bullis ad ſupradictos dominos Reges, domino Gebennenſi; & cæteris dominis, in parte iſta tamen inimicis & adverſariis meis, me tradiderunt, & vendiderunt; in quorum carcere & vinculis quaſi per undecim menſes in fame, ſiti, & nuditate abſque ulla miſericordia ac pietate afflictus, & detentus fui ob confeſſionem veræ fidei domini noſtri Papæ, de quo martyrii mei caſu pariter & proceſſu gratias inexhauſtas Deo meo ſemper refero, qui me indigniſſimum & viliſſimum peccatorem in paſſionibus ſanctorum propter juſtitiam fidei ex ſola ſua clementia dignatus eſt facere conſortem, ac patientiam & conſcientiam fortem, necnon & quando ſibi complacuit ex omnibus illis calamitatibus tam mea indignitate, quam providentia ſua exortem: nam hoc anno de menſe præterito in nocte S. Catharinæ cum valde formidando periculo evaſi præfatum magnum periculum: nam, cum ſtarem detentus, & valde arctatus in cujuſdam turris ſummitate, non jam a fratribus per murum, ſed ab ipſo muro per ſignum crucis impreſſum, de quibuſdam petiis, & tobaliis contortam chordam, abſque ſporta in primo noctis conticinio me ſubmiſi, & ſic evaſi eorum manus in nomine Domini, ſicque:* Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus; adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. (Nonnulliſque interjectis.)

Urbani legatus in Hiſp. miſſus captus a piratis.

Undecim menſibus tentus in vinculis.

Ut evaſerit divina ope adiutus.

XLV. *Ex parte domini noſtri, a quo receſſi die* XI. *aprilis, vobis tamquam ſuo filio prædilecto ex parte ſua certa munuſcula perfero, videlicet tenerrimas ſalutationes, apoſtolicas benedictiones, ac in rebus gratis & licitis munificas ſui oblationes. Secundo veſtræ ſerenitati aliqua relata communiter, de eadem refero, quæ ſunt hæc: quod pro certo intus in corde & fide veſtra tenetis & ſentitis pro eo; ſed quia hoc extra non oſtenditis, immo multipliciter diſſimulatis, nunc videlicet tam alteri, quam ſibi ſcribendo, & applaudendo, & etiam, ut dicitur, ab eo impetrando, nunc etiam parti adverſæ in multis magis, & ſatis apparenter favendo, nunc ad indifferentiam, & neutralitatem declinando, cæteroſque Hiſpaniæ Reges ad eamdem inducendo, & invitando, &c. in quibus modis licet bonam & ſanam intentionem habeatis, ut ipſe vult credere, cum de ſinceritate veſtra magnam & bonam habeat opinionem, tamen inadvertenter quantum putat, & præter intentionem ejus ad Romanam eccleſiam, immo pacem omnem ejuſdem eccleſiæ quam, ut ipſe certus eſt, ut Chriſtianiſſimus princeps cupitis, necnon & honorem veſtrum multum offenditis, & læditis: nam cum omnes Reges, & principes Chriſtianitatis apertiſſime, & abſque ſcrupulo cum eo teneant, Rege Franciæ excepto, ſi ſerenitas veſtra alios Reges & principes ſequeretur, vel eorum majorem partem ſequi dignaretur, ſicut abſque injuſtitia, pudore, & conſcientia facere poteſtis, cito ſibi rebelles deficerent, & contabeſcerent, & ipſe eos, mediante juſtitia admixta miſericordia ſuperaret, vel prout ipſe magis affectat & cupit, ad ſanctam humilitatem & ſpiritum contritionis induceret, & per conſequens opportunam toti Eccleſiæ, extincto ſchiſmate, pacem daret; ac, ſi ſic faceretis, vos & naturalis dominus meus Rex Caſtellæ illuſtris, cum cæteri Reges, ut dictum eſt, ſint pro eo, vere credendum eſt, quod dominus Rex Franciæ, nec vellet, nec etiam poſſet contra omnes alios eos in ſua obſtinata rebellione nutrire. Sed omnes modi veſtri ſupradicti ſive per veram, vel fictam adhærentiam, quæ videtur una cum eis partem facere, ſive per neutralitatem, & indifferentiam, qua videmini de ſua juſtitia & veritate in papatu dubitare, & per conſequens unam aliam tertiam partem contra ipſum, licet per alium modum, in ſchiſmate facere, ſunt [ut manifeſte patet] in ſuum detrimentum, & illorum in fomentum, & nutrimentum.*

Aragonum Rex Papæ, & antip. adblanditur.

Monetur facile ſchiſma ſedatum iri, ſi juri ſteterit.

Gallum Regem æquitati in eo caſu ſe accommodaturum.

Neutralitas ſchiſmatis genus.

*Quocirca tertio veſtram ſerenitatem, prout dulcius & ſtrictius valet, hortatur in Domino quatenus, conſiderando quod eſtis in tota Chriſtianitate tam excellens, & antiquus*

*quus &c. ſemper Chriſtianiſſimus & catholicus Rex, & quod ratione veſtræ excellentiæ & potentiæ non debetis niſi Deum timere, & ratione antiquitatis cæteris Hiſpaniæ junioribus Regibus probitatis & virtutis debetis bonum exemplum præbere, ac ratione Chriſtianitatis debetis ad Romanam eccleſiam, & verum & Romanum Pontificem puriſſimæ, & ſinceriſſimæ fidei abſque ruga, & plica, zelo fervere, & quod maxime temporibus iſtis in tam indebita & manifeſta ſibi facta rebellione, etiam alias inaudita vos ipſi judicetis, an præfatos nuncios per vos uſque nunc teneri veſtram deceat fidem, & conſcientiam, ac excellentiam regiam, & antiquitatem; eo quod maxime conſtat quod primo accepiſtis fidem ſuam, quam certe ſine magna & evidente cauſa non debetis dimittere. Conſtat etiam, quod nunc per præfatos nuncios, quos tenetis exiſtentia, ſeu apparentia, vel ſaltem aliqualiter, ejus fidem primo receptam reliquiſtis*

Metus fictus a Cardd. ſchiſmat.

*& dimiſiſtis. Conſtat etiam, quod hujuſmodi dimiſſionis iſta non eſt ſufficiens cauſa, quod dicatur vobis: Metuimus mortem, &c. nam cum metus & timor ſit inviſibilis paſſio animæ, de ſe non eſt alicui evidens neque nota: ſed nec probabilis, nec evidens per aliud, niſi per ſigna ſibi ſubordinata exteriora: quæ quidem ſigna adverſarii & rebelles ſibi non habent; quinimmo omnia eorum facta & dicta tanquam ſigna exteriora mere & pure libertati ſubordinata arguunt, & inferunt oppoſitum, videlicet, quod in nullo metuerunt; ſed mere electionem, & libere fecerunt, ſicut ſeries facti ſupradicta, quæ manifeſtiſſima & notoria eſt, lucidiſſime nedum doctis, ſed pariter indoctis demonſtrat. Conſtat etiam, quod ipſi adverſarii ad probandum iſtam animæ inviſibilem nobis, & inſenſibilem paſſionem non ſunt teſtes ſeu actores idonei: nam primo ſunt inimici: ſecundario, ut ipſi confitentur, & de neceſſitate confiteri habent, ſunt omnino mendaces: tum quia alias, tam per proprias buccas, quam per ſuas literas ſolemniter aſſeruerunt oppoſitum*

Mendaces deprehenſi, ergo non audiendi.

*illius, quod aſſerunt modo: tum quia alias dominum S. Petri aſſerunt Papam, & fuit mendacium, poſtea dominum noſtrum per totum aſſeruerunt verum Papam, primum mendacium de domino S. Petri retractando; & nunc iſtud etiam dicunt eſſe mendacium: & qui ſemel eſt malus ſemper præſumitur malus. Quomodo igitur tales non ſunt præſumendi mendaces, ac ſicut mendaces, vel ſaltem de mendacio periculoſiſſimo ſuſpecti? Quomodo igitur talibus eſt credendum?*

XLVI.

*Quantum ad tertium ſtatus domini noſtri Papæ; quaſi miraculoſe magis ac magis de die in diem proſperatur: nam tota Italia unanimiter & concorditer in ejus fidelitate perſiſtit, tribus dominis, duntaxat exceptis, quorum etiam vaſſalli tenent cum eo, ſcilicet Joanna olim Jeruſalem & Siciliæ Regina, comite Fundorum, & præfecto Urbis, qui præfectus tamen non propter ſchiſma eſt rebellis, ſed propter id, propter quod rebellis fuit domino Gregorio ſanctæ memoriæ, & credo quod noveritis etiam, quod tota*

Quinam in Italia adverſati Urbano.

*Alemannia, & tota Hungaria, Polonia, Flandria, & Anglia, & quod eſt bene mirabile, cum non fuerit a multis annis citra, etiam Græcia cum eo firmiter ſtant, ſibique obediunt; & inde de redditibus Eccleſiæ, & proventibus cameræ apoſtolicæ continue pecunias recipit: nam modicum antequam recederet de urbe me vidente, & ſentiente a collectoribus, Hungariæ & Angliæ literas pariter, & pecunias recepit.*

Agnoſcunt Urbanum Græci.

Polon. Hungar. German. & Angl.

*De Alemannia vero recepit literas a domino Cardinale de Ravenna, qui eſt ibi ex parte ſua cum Imperatore A. S. L. hæc continentes breviter, quod dictus Imperator eſt ſanctitati ſuæ devotiſſimus & fideliſſimus, & quod in Franchenfort quadam civitate Alemanniæ, cum omnibus Alemanniæ principibus, & cum legato prædicto XIV. martii debebat ſe videri, & ibidem una cum eis de duobus determinare, videlicet de adventu ejus ad urbem pro coronatione, &*

Germanica comitia.

*de fide domini noſtri Papæ non ſolum tenenda, & a ſe ingerentibus contra ipſam defendenda; verum etiam ad invadendum quoſcumque rebelles contra ipſam, B. Petri clavibus ad hoc poſtulatis: & quod tota Alemannia cum ipſo tenebat, exceptis tribus, videlicet, Maguntinenſi intruſo, qui etiam rebellis fuit domini Gregorii ſanctæ memoriæ, & duce Brabantiæ ejus conſangineo, & quadam civitate Metenſi ex eadem radice: de quibus tamen, ut ſcribebat bonam ſpem reductionis habebat, ubi dominus noſter vellet præfatum Maguntinum ad gratiam recipere, ad quod faciendum dominus noſter eſt valde durus, & difficilis: propter quæ nunc quando receſſi de tractatis, & determinatis, & de adventu Imperatoris, dominus noſter nova de die in diem expectabat, & ſic poſtquam Januæ fui, quod ad eum venerit dux Bavariæ firmiter percepi: ubi etiam percepi per literas duci Januen. directas de Padua ſecum contra Venetos colligata, quod*

Hungari in Joannam concitati.

*Rex Hungariæ venit perſonaliter cum magna potentia in Italiam verſus urbem ad dominum noſtrum Papam, & vult intereſſe coronationi Caroli de Duratio in Regem Jeruſalem, & Siciliæ, quem ducit ſecum per dictum dominum noſtrum coronandum, qui deberet eſſe in urbe circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ, ut ſcribitur: & mihi conſtat, quia hoc dominus noſter maxime habet cordi, fui etiam præſens, modicum antequam recederem, quando recepit literas de quibuſdam Alemanniæ comitatibus Regi Franciæ vicinis ſibi valde devotis, quas ipſemet coram Cardinalibus legit, dicens iſtud verbum: Non inveni tantam fidem in Iſrael; in quibus inter alia petebant, & conſulebant ſanctitati ſuæ, quod faceret pro-*



Germani, Belgæ, & Angli in Gallum.

*ceſſum contra Regem Franciæ juridice, & quod ſi non obediret, quod daret crucem contra eum, & quod pro certo tota Alemannia, Flandria, & Anglia iret contra eum: ſuper quo dominus noſter ambaxiatoribus reſpondit, quod iſtud erat maturius & digeſtius videndum, maxime, quia ſperabat, quod Rex Franciæ finaliter veritatem videbit, & bene finaliter aget.*

Urb. eos impetus retardat.

*Urbs vero numquam tanta unitate viguit ſub aliquo Romano Pontifice, quanta ſimul & obedientia & devota ſubjectione viget ſub domino noſtro, non obſtantibus ibidem conſanguinitatibus, amicitiis, & partialitatibus præfecti, & comitis Fundorum,*

Fundorum comes fuſus.

*qui ut ſupra dictum eſt, ſunt rebelles: & modo Romani tenebant exercitum ſuper Anagniam ubi comitem Fundorum conflixerunt, & civitatem præfatam ceperunt, ſecundum quod in Janua per certa nova comperi: & dominus noſter tenebat exercitum*

Recuperata Anagnia.

*ex altera parte ſuper Viterbium, quod ibi actum ſit neſcio. In mari habebat duas galeas, & unam galeottam armatas de Sicilia; quæ combuſſerunt omnia ligna corſariorum Provincialium & Catalanorum veſtrorum, quod veſtræ ſerenitati dolenter refero propter zelum, quem habeo ad ejuſdem ſerenitatis honorem, ſicut quaſi ad dominum meum naturalem, quia numquam dominus noſter, & Romani tantum ſuſtinuerunt ab aliquo, vel aliquibus læſionis offenſam, ſicut uſque nunc ſuſtinuerunt a*

Catalanorum excurſiones.

*veſtris Catalanis cum ſuis galeis & galeottis & [ quod pejus eſt ] dicunt & aſſerunt in omnibus partibus illis, quod vos mittitis eos contra dominum noſtrum, &c. & de hoc non poſſemus tot mala referre, quin pejora fuerint dicta & facta eorum. Et certe bene mirantur dominus noſter & Cardinales, quod in regno veſtro hujuſmodi galeæ poſſint armari abſque conſcientia & ſcitu veſtro, nec videtur eis veriſimile: & iſta refero ex me, quia ſuper hoc nihil mihi dictum fuit. Domini Cardinales omnes peroptime valent illi qui ſunt in urbe cum domino noſtro, alii vero ſunt vicarii, & legati domini noſtri in diverſis partibus, videlicet dominus de Ravenna*

Creati Cardd. legati.

*in Alemannia, dominus Agapitus de Columna in partibus Lombardiæ, & tractat pacem inter Januenſes & Venetos, & ſperatur, quod cito fiat, dominus Bononienſis in Bononia & partibus Romandiolæ, dominus Peruſinus in Marchia Anconitana, dominus Nucerinus in ducatu Spoletano, dominus Vercellenſis Januenſis ſcilicet de Fliſco in patrimonio S. Petri, dominus Piſanus in Campania, & dominus de Lauconio erat receſſurus, & vadit legatus in Flandriam, & Angliam, dominus Gradenſis etiam erat receſſurus & iturus vicarius ejuſdem in Peruſio; & multa alia bona ſunt de ſtatu domini noſtri, quæ brevitatis gratia omitto, & hæc ſerenitati veſtræ cum omnimoda & devota ſubjectione pariter, & fidelitate refero, quam ſerenitatem conſervet Altiſſimus per tempora feliciſſima.*

XLVII. Petrus Aragon. Rex Urb. monita rejicit.

Repulit juſtas Chriſti vicarii preces Petrus Rex Aragonum, ac Petrum e Luna ſchiſmatis amplificatorem contra ſaluberrima Petri Minoritæ patrui ſui prophetæ habiti monita admiſit in regnum, coluitque, de quo idem vir religioſus, qui imminentem divinam iram, ſi antipapæ nuntium exciperet, prædixerat, graviſſime queſtus (*d*) eſt his verbis.

(*a*) *To.4. de ſchiſm. p.141.*

*Fratris Petri de Aragonia epiſtola.*

*In prima litera, quam ipſi domino Regi miſi, cum ſcirem Cardinalem de Aragonia,* (Eo nomine Petrus e Luna vulgo appellabatur,) *ad ipſum Regem venturum in*

Et patrui ſui.

*proximo, ſignificavit dicto Regi, quod caveret, quod ipſum Cardinalem non reciperet, nec gratioſe, nec honorifice, immo repudiaret eum, & dicta ſua tanquam inimicum Dei & veritatis: ipſe autem Rex fecit totum contrarium recipiens ipſum Cardinalem honorifice & gratanter, & [quod pejus fuit] receperunt ab eo ipſe Rex & Regina conſors ſua jocalia pretioſa miſſa eis ab antipapa, vel eis data a ſchiſmatico*

Divina in eum ultio.

*Cardinali, videlicet quod pro peccato iſto in introitu ipſius Cardinalis mortuus eſt puer anniculus ipſorum Regis & Reginæ vocatus Petrus, juxta verbum figurative ſumptum Abiæ Silonitis dicentis Reginæ Iſraelis uxori Jeroboam: In ipſo introitu pedum tuorum in urbe morietur puer. II. Regum IX.* ( Multis interjectis addit vir pius (*a*) alias domeſticas calamitates Petro Regi Aragonum ob ſchiſmatici Cardinalis ſocietatem divinitus inflictas. ) *Quia dominus noſter non obedivit præcepto ſibi a domino facto, de quo ſuperius ſit mentio, immo tanquam incredulus & inobediens vilipendit, vituperatus eſt, & graviter diffamatus in diffamatione Reginæ conjugis ſuæ: & licet diffamatio ipſa ſit falſa, quod non dubito, tamen infamia eſt, & in opprobrium vertitur viri ſui Regis: & merito patitur ipſe Rex; quia qui Chriſtum ſpernit & præcepta ſua, dignus eſt, ut ſpernatur a Chriſto, ipſe enim dicit in Evangelio: Qui vos audit, me audit, &c. Sed quid dicemus de duce Gerundenſi ipſius Regis primogenito?* Monuerat illum graviſſimis literis vir pius. *Jam incipiunt myſteria contra*

(*b*) *Ib. p. 142.*

Aſperſa eadem infamia.

*eum, dicitur enim, quod propter diffamationem Reginæ, magna commotio ſive diſſenſio oritur jam inter patrem & filium juxta revelationem Domini mihi factam in civitate Toletana: Filius inſurget in patrem, & pater in filium, & ambo peribunt. In omnibus laudentur, & glorificentur judicia divina, quia judicia ejus abyſſus multa, & ideo jucunda:* Et infra: *Die ſabbathi ſequenti, quæ fuit decimanona dies octobris, audivi a fide digno, qui venerat de civitate Valentiæ, quod dominus Rex noſter deter-*

Exorti tumultus inteſtini.

Oſtenſi divinitus Petro Minoritæ.

*determinaverat non obedire Urbano, nec Clementi, donec determinatum ſit, quis eorum eſt verus Papa* (Confirmat id (a) Surita,) *quæ determinatio, ſalvo honore determinantis, eſt mala, iniqua, & ſuperba, & facta ſive prolata contra præceptum divinum ſibi factum, prout ſuperius continetur. Ipſe ſentiet, quæ evenient ſuper eum, & ſuper domum ſuam regiam* [*quod dolens dico*] *quæ comminata ſunt ſibi a Domino, niſi obedierit Urbano, ſcriptum eſt enim primo Reg.* III. *c.* II. *ſunt verba Samuelis ad Saul: Numquid vult Deus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia, quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.*

(a) *Surit. indic. lib.* 3. *& ann. l.*10. *c.*23. 24.

XLVIII. Quæ prædixerit Regi Francor.

Graviſſimis etiam literis idem Petrus divino lumine colluſtratus Carolum Francorum Regem nepotem ſuum a ſchiſmate, in quod, prudentiam carnis, quæ longe abeſt a divina, ſecutus ſe conjecerat præcipitem, a flagitio ad Chriſti gregem verumque paſtorem reducere eſt adniſus, cui divina ſibi cæleſtibus viſis oſtenſa myſteria, formidandaque ſchiſmaticis oracula aperuit (b).

(b) *Tom.* 1. *de ſchiſ. p.*144.

*Illuſtriſſimo, ac magnifico principi Regi Francorum per fratrem Petrum de Aragonia de ordine fratrum Minorum avunculum ſuum.*

Arguit quod Antipapam ſequatur.

*Illuſtriſſime ac magnificentiſſime princeps nepoſque chariſſime. Semper dilexi perſonam veſtram, & domum regiam Franciæ, tamquam meam, in qua natus ſum, propter beneficia & honores multiplices, quos de ipſa domo veſtra regia multipliciter ſum adeptus; ideo diſplicet mihi multum, quod dominatio veſtra faciat aliquid contra Deum: tum quia dictum eſt mihi, & communis fama habetur, quod repuliſtis Urbanum, & una ſimul cum regno veſtro recepiſtis Clementem. Volo dominationi veſtræ reſerare quod mihi indigno eſt de hac materia a Domino revelatum: die enim mercurii trigeſima martii hora tarda poſt completorium: dum oraſſem, audivi dominum meum Jeſum loquentem cum peccatore indigno in hunc modum: Reges & principes mundi mirantur, magni clerici & doctores diſputant, & faciunt quæſtiones de commotione & impetu Romanorum. Ego feci & fieri permiſi. Ego enim induravi cor Pharaonis, ut diceret:* Dominum neſcio, Iſrael non dimittam. *Ego excæcavi Judæos, ut coram Pilato clamarent:* Crucifige eum. *Ego commovi populum Romanum, ut clamarent:* Romano o Italiano lo volemo. *Fuit bona induratio Pharaonis? non, ſed de ipſa induratione emanavit glorioſus exitus filiorum Iſrael de Ægypto. Fuit bona excæcatio Judæorum? non, ſed de ipſa excæcatione emanavit ſalvatio humani generis per mortem meam. Fuit bona commotio Romanorum? non, ſed de ipſa commotione emanavit tranſlatio Eccleſiæ de poteſtate & regimine avarorum, & cupidorum Lemovicenſium ad poteſtatem & regimen Italicorum in urbem, ubi fundata fuit primitus, & per patres antiquos bene recta. Ego tunc clamavi cum lacbrymis, & dixi: O bone Jeſu quid eſt hoc, tu revelas iſta parvulis, & miſeris pauperibus, & idiotis, & magnos in ſua cæcitate dimittis? reſpondens Dominus dixit: Reſpice verba, quæ locutus ſum Patri in Evangelio Matthæi* (c); Confiteor tibi Pater domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis, quoniam ſic placitum fuit ante te. *Fuit revelatio, o domine mi. Iſta eſt concluſio literæ: Voluntas eſt domini noſtri Jeſu Chriſti, quod vos cum regno veſtro tamquam Rex catholicus, qui de ſancta & catholica domo ſuper univerſas domos regias mundi exorti eſtis, recipiatis Urbanum tamquam verum ſummum Pontificem & vicarium Jeſu Chriſti, & ejus obedientiæ vos ſubmittatis, quia Francia fabricata eſt idolum, & monſtro ſe ſubjecit. Caveatis de indignatione divina, quia ſuper Reges, populos, nationes, & regna ira Dei deſæviet, niſi ſubiiciantur Urbano: Scriptum manu propria in Candia die veneris prima aprilis, Humilis avunculus orator frater Petrus de Aragonia inter Minores minimus humilis ſervus Chriſti.* Dum vixit conſanguineos Reges monere non deſtitit, ut damnato ſchiſmate Urbanum colerent: ſed ſanctiſſimis tanti principis divina ſapientia ornatiſſimi monitis Gallorum Rex politicorum væſana deliria prætulit; unde ſuperiori oraculo conſentientes exitus ſucceſſiſſe in Galliis & in Hiſpania viſuri ſumus. Clauſit vero pie vitam Petrus princeps Minorita, relicta magna ſanctitatis ſuæ opinione, unde etiam in templo Valentinorum Minoritarum ejus oſſa in capſa lignea religioſe aſſervari tradunt (d).

Chriſti providentia in permittendo ſchiſmate

Ea occaſione ſedes tranſlata.

(c) *Matth.* 11.

Prædicta mala Galliis impendentia.

(d) *Gonzag. in provinc. Valent. & ex eo Vvading. Ann.* 1380. *n.* 29.

XLIX. Monita S. Cathar. Senenſis ad Gallum Regem.

(e) *Cathar. ep.* 96.

Ut Cardinalium conſenſio ſpernenda.

Accenſa ſimiliter divino ſtudio ejuſdem Caroli Regis a ſchiſmaticorum erroribus divellendi, traducendique ad verum in terris Chriſti vicarii obſequium S. Catharina Senenſis, dum abalienatis ſenſibus divina extaſi defixa piis literis (e) illum adhortata eſt, ut offuſas menti tenebras, quæ veritatem intueri non ſinebant, diſcuteret, nec ſe in exitium duci pateretur a cæcis ductoribus, quorum vitia paterent omnium oculis, qui Urbanum rite & canonice renuntiarant Pontificem, neque alium, quam Cardinalem S. Petri metu in ſacro locarant ſolio: neque illos abeſſe a dæmonum natura, quorum improbitatem æmularentur, ac univerſum orbem in funeſta



neſta diſſidia diſtrahere niterentur: nec propterea pluris faciendos, quod ſibi invicem cohærerent, ita enim dæmones improba viciſſim voluntatum conſenſione in flagitium conſpirare: non ſe propriis affectibus duci ſineret, qui nulli majus, quam ipſi exitium allaturi eſſent: miſereretur tot animarum, quas rapacibus dæmonum manibus expoſiturus foret: intemperantem ſui patriæque amorem calcaret pedibus, nec perſonarum rationem haberet, omniumque perſonarum reſpectum abſcinderet, cum omnes e divina manu ad Numinis ipſius effigiem ſimilitudinemque efformati prodierint. Quæ literæ die VI. maii hujus anni exaratæ fuerunt.

L. Raymundus prohibitus ingreſſu.

Prohibitum porro Raymundum acceſſu in Gallias videbimus, nimirum ob antipapæ & ſatellitum crudelitatem, qui in Urbani nuntios ſæviebant, ne eorum ore veritas in lucem emergeret: ut enim Meneldum (a) Cordubenſem epiſcopum, qui in Hiſpanias Urbani juſſu proficiſcebatur vinculis addixere, ita Jacobum e Serra alias e Sena eximium juris peritum quem luculentos commentarios contra antipapam ſcripſiſſe diximus, dum ad Francorum Regem pergebat, ut illum de veritate contra impoſtorum fucos arteſque certiorem faceret, in vincula conjectum a ſchiſmaticis queritur Franciſcus epiſcopus Faventinus (b): nec Gallos unquam de Urbani juſta electione doceri potuiſſe Joannes e Lignano teſtatur: idque perſpicue Galli hiſtorici demonſtrant, dum a veritate, atque etiam ab ipſis pſuodocardinalium ſcriptis aliena prorſus tradunt hiſtoriæ: Froſſardus (c) enim de Cardinale S. Petri veluti, non ficte, ſed vere renuntiato Pontifice, illique Urbano ſubrogato, quem Romanum fuiſſe ait, anilia refert: Gaguinus (d) Urbanum non a Cardinalibus, ſed a plebe Romana creatum imperite effutiit; aliique ut ſchiſmaticorum varia ſubinde, atque invicem contraria mendacia fingentium improbitate decepti falſa ſcripſere.

(a) *To.* 2. *de ſchiſm. p.*134.

Jacobus e Serra conjectus in vincula.

(b) *Tom.* 20. *de ſchiſm. p.* 126.

Galli mendaciis circumventi.

(c) *Froſſard. hiſt. l.*2.

(d) *Gaguin. hiſt. Frat. in Car. V.*

LI. Pilei Card. Ravenn. ad Carolum Reg. lit.

Ad tot dolos confutandos Regemque Carolum inſtruendum Pileus Cardinalis Ravennas, qui ab illo in regio ſacello ad divina adminiſtranda fuerat adhibitus, devinctuſque officiis ſingularibus hæſerat, has literas (e) dedit, quibus electionis Urbani ſeriem deſcripſit, conqueſtus jactare pſeudocardinales ſchiſma ex regio mandato conflatum fuiſſe.

(e) *Ext. to.*18. *de ſchiſm. p.* 341.

*Ad Regem Francorum.*

Cardinalium diſſenſionis cauſæ.

*Clareat ſerenitati veſtræ, quod nuper ſede Apoſtolica vacante domini Cardinales ultramontani ſæpius antequam conclave intrarent, ut de jure tenentur, inter eos de novo Pontifice eligendo tractarunt, patriæ & ſanguini potius quam Chriſticolis providere volentes, & inter eos diviſio orta fuit, Lemovicenſibus quærentibus illum pro uno ipſorum habere, aliis ultramontanis reſiſtentibus eis, & volentibus pro aliquo eorum cum maximis induſtriis obtinere. Sed Chriſti immenſa bonitas, quæ volebat virtuti, non ſanguini de ejus vicariatu diſponere, eos in tali, & tanta diviſione paſſus eſt perdurare, ita ut meretricis illius more quilibet eorum dixerit: Non mihi, nec tibi erit, ſed de illo, qui non ſit in conclavi ſortietur: & jam pars quælibet illorum, præcipue Lemovicenſis, ad Italicum ſe diſpoſuit eligendum, ita ut ſanctiſſimo & catholico domino noſtro Urbano* VI. *quem poſtea elegerunt per ſecretos nuntios, notum fecerint antequam conclave intraſſent, quod eum in paſtorem eligerent. Iſta eſt puriſſima veritas, metuendiſſime princeps, ſicut Chriſtus veritas eſt.*

Cur non mox promulgata electio.

*Deinde exiſtentes in conclavi, licet Romani Romanum velle Pontificem acclamarent, nihilominus ipſi dictum ſanctiſſimum noſtrum concorditer & canonice elegerunt, nemine excepto, niſi Florentino, qui elegit dominum S. Petri, & demum domino noſtro per acceſſionem acceſſit, hanc electionem tenentes ſecretam, ut poſſent interim cum Romano populo concordare, & ut domini noſtri perſonam in tuto ponerent, ne a populo læderetur: & tamen divinitus, quod factum fuerat cælari non potuit. Et licet primo vox in populo fuit de domino S. Petri, tamen ſecundario, quod Barenſis erat Pontifex electus, vox in populo inſurrexit, ad quam furere Romani cœperunt, & conclave frangere. Quod videntes domini Cardinales periculum perſonale timentes indui fecerunt papaliter dominum S. Petri, fractoque conclavi eum videntes, ut Papam quieverunt a furia, & domini Cardinales conclave exiverunt, quorum Gebennenſis ad caſtrum Zagarolæ, quod eſt domini Agapiti de Columna diſtans a Roma per* XX. *milliaria, dominus S. Angeli ad rocham Ardie tutiſſimam monaſterii S. Pauli juxta mare, domini de Urſinio, & de S. Euſtachio ad caſtrum Vicobarii tutiſſimum dicti domini de Urſinis pariter confugerunt, quod* XXII. *milliaribus diſtat ab urbe: ſex ex aliis dominis caſtrum S. Angeli tutiſſimum, & inexpugnabile intraverunt: quatuor remanſerunt in urbe, videlicet Florentinus, Mediolanenſis, de Aragonia, & Majoris monaſterii quibus nulla prorſus moleſtia facta fuit. Mane ſuccedente, & populo totaliter quietato, officiales urbis ſalientes ſe ad papale palatium, ut domino S. Petri, ut ſummo Pontifici reverentiam facerent, contulerunt; quos cum dictus recolendæ memoriæ dominus eos vidit ferociſſime increpavit, dicens ſe nullum in papatu habere juris titulum quoquomodo, ſed quod veriſſimus Chriſti vicarius in una camera palatii ſtabat eorum timore abſconſus, quare perſuadebat eiſdem, ut dimiſſis eorum opinionibus pravis, irent ad eidem domino Barenſi vero Papæ reverentiam*

Urbani odio commota ſeditio.

Cur fugerint Cardd. & quo.

Teſtimonium Cardinalis S. Petri.

Quomodo admiſſa ab Urbano electio.

*tiam exhibendam, quibus auditis ſtatim nulla intermedia mora ad dictum dominum Barenſem acceſſerunt, eidem ut ſummo Pontifici volentes reverentiam exhibere: qui dominus omnino inhibuit eis dicens, quod ipſe de ſua electione non erat certus, volebatque ſcire a dominis Cardinalibus, ſi erat canonica, ſi libera, & ſolemnis. Præterea quod antequam clarus eſſet, ab eis non permitteret ſibi reverentiam exhiberi.*

*Statim ergo pro illis Cardinalibus quatuor qui remanſerant miſſum fuit, quod ſine mora venirent; & videntes quod dominus S. Petri dicebat, ſe in papatu jus aliquod non habere, ſtatim miſerunt ad illos dominos, qui in caſtro S. Angeli confugerant, quod libere vellent venire, quia dominus S. Petri de papatu nullatenus contendebat; qui reſponderunt, ſe non audere venire, quia licet dominus S. Petri taliter eſſet bene diſpoſitus, tamen dubitabant, ne conſanguinei ſui, & quod populus totum, quod de eo factum fuerat ad injuriam recepiſſent; ſed ex tunc committebant eis, quod dictum dominum noſtrum inveſtirent libere de papatu, & eum inthronizarent omnium vice cum omnibus ceremoniis conſuetis, quia ipſi dicebant, & confitebantur ipſum veriſſimum, & liberum Chriſti vicarium, & Romanum Pontificem, & ad fidem præmiſſorum ſinguli ſex in prædicta commiſſione manibus propriis ſcribebant. Hoc non obſtante dominus noſter & Cardinales cum eo præſentes iterum ad eos remiſerunt, quod nec de populo, nec de aliquo poterant dubitare, quia jam dominus S. Petri eidem, ut vero Pontifici reverentiam exhibebat, & populus erat totaliter quietatus, nec de iſta materia volebat ſe amplius impedire. Qui domini his auditis ſtatim de caſtro tutiſſimo deſcenderunt, & ad papale palatium venerunt, & ſtatim una cum aliis quoque Cardinalibus in cappella conclavis concorditer intraverunt una cum domino noſtro. Quibus dominus noſter dixit, quomodo erat ſibi relatum, quod eum in Papam elegerant, & propterea de meritis electionis informari volebat: ſed ante omnia ſupplicabat, quod de digniori providere deberent, quia ipſe erat indignus ad tantum eccleſiæ onus ſupportandum. Qui domini Cardinales facientes ultra duas partes collegii, reſponderunt, quod ipſe erat canonice electus, & libere, & cum omni ſolemnitate, & erat verus paſtor Eccleſiæ, & vicarius Jeſu Chriſti, & quod pro Deo vellet electioni libere conſentire; ipſo iterum replicante, quod pro Deo de digniori providerent, reſponderunt concorditer, quod eum pro digniſſimo elegerant, & quod pro Deo aſſentiret ſi non volebat & fidem & Chriſtianum populum in periculo ponere. Tunc dominus noſter cum omni humilitate & lacbrimis acceptavit, & voluntati divinæ acquievit, ac domini Cardinales cantantes* Te deum laudamus; *pulſata campana eum papali habitu induerunt, & eum inthronizaverunt, cum omnibus ceremoniis conſuetis, ipſumque adoraverunt, ut Chriſti vicarium, & ſuper altare poſitum populo exhibuerunt, ut eidem reverentiam tamquam Chriſti vicario exhiberent: & tunc Romanus populus ad ejus pedes corruit, & tamquam veriſſimum Pontificem adoravit.*

Quid metuerint Cardd.

Illata pene vis Urbano a Cardd.

Ut ab iis cultus fuerit.

*His omnibus ſcitis per alios dominos Cardinales, qui extra urbem ad ſupradicta caſtra confugerant, ſcientes quod ceſſerat dominus S. Petri, non vocati, non requiſiti per literas nulla mora facta redierunt ad urbem: & antequam ipſorum domus intrarent, ad dictum dominum noſtrum cum omni gaudio acceſſerunt ad ſuæ ſanctitati reverentiam exhibendam, congratulantes ſecum quod dominus S. Petri ſancte, & juſte recognoverat veritatem: & ſic ex tunc omnes in plena concordia inceperunt de ſua coronatione tractare, & concorditer terminaverunt ipſam in die reſurrectionis Domini fieri debere. Interim autem in hebdomada ſancta cum eo in proceſſionibus ordinariis, quæ fiunt in quinta feria majoris hebdomadæ prædictæ, induti pontificaliter aſtiterunt eidem domino noſtro, ſicut eſt de more, nobiliſſima annulorum dona, & jocalia donaverunt, ſpecialiter domini de Agrifolio & Gebennenſis. Iſti etiam medio tempore ab ejus ſanctitate plurima beneficia petierunt, & obtinuerunt. Sed quod potentius eſt, in quo nulla poteſt cadere excuſatio metus, ab eodem domino noſtro abſolutionem a culpa, & pœna concorditer petiverunt, ſicut fuit ſemper de more; & ſic dominus noſter Pontifex gratioſe conceſſit eiſdem. Demum in die ordinato ſanctiſſimæ reſurrectionis ipſum cum cantu & ſolemnitate, ac ceremoniis conſuetis ante fores baſilicæ S. Petri, aſſiſtentibus ſibi quaſi omnium Chriſtianorum nationibus, qui ad ſacram urbem pro devotione acceſſerant, publice coronarunt; prius tamen idem Romanus Pontifex ſupra altare B. Petri miſſam ſolemniter in pontificalibus celebravit, in qua omnia ſecundum formam rubricæ obſervata fuerunt: & ultimo omnes diaconi Cardinales ſua manu pretioſo Corpore, & Sanguine Chriſti communicarunt, ſicut de more ſummorum Pontificum ſemper fuit. Sic eum coronatum pontificalibus indutum ipſi domini Cardinales pontificaliter induti cum equis albo panno coopertis, & tota proceſſione epiſcoporum, religioſorum, clericorum, & laicorum per ſacram urbem ad Lateranenſem eccleſiam conduxerunt, ibique eum in ſedibus ordinatis cum omnibus ceremoniis ſecundum formam rubricæ inthronizaverunt, & cuncta ibi ſervaverunt, quæ debebant de conſuetudine obſervari; in eademque eccleſia certum numerum monetarum, quæ in coronatione Pontificis conſuevit Cardinalibus dari, recepe-*

Ritus omnes in tyara imponenda ſervati.

Et pompa equeſtri ducenda.

runt



*runt & dictum Pontificem in eadem ſolemnitate ad papale palatium reduxerunt, omnibus ſecum prandentibus: ut eſt moris.*

*Poſt hæc dicti Cardinales in ſingulis conſiliis, & conſiſtoriis fuerunt, ubi facta Imperatoris, Regum, principum ſunt tractata, promotiones archiepiſcoporum, & epiſcoporum, ac aliorum prælatorum factæ ab eodem domino noſtro pro eorum conſanguineis, cappellanis & familiaribus; epiſcopatus, dignitates, & beneficia petiverunt, & obtinuerunt, & inter cæteros Gebennenſis, qui Petri ſedem tamquam alius lucifer nititur occupare, epiſcopatus plures pro ſuis habuit, &c.* Subdit Glandacenſem Cardinalem epiſcopatum Oſtienſem ab Urbano obtinuiſſe, Cardinalem Ambianenſem ad aulam redeuntem Urbanum ut verum Pontificem ſalutaſſe, neque ullam excitatam diſcordiam donec intendentibus ſe æſtatis caloribus Anagniam, obtenta ab Urbano facultate, conceſſerunt; ex qua urbe plures literas ei ut vero Pontifici miſerunt; demum impulſos a dœmone diſceptare de pontificatu Urbani cœpiſſe, ac paulatim creſcente diſcordia ad ſchiſma prorupiſſe. *Iſta eſt facti veritas, sereniſſime princeps, quæ omnium veritate vallatur, quam ſi velitis inquirere ſine unius apicis, vel jotæ diminutione quacumque reperietis; & hanc eorum perverſitatem, & ſchiſma dicunt ſe cum veſtro favore velle defendere: hoc dicunt de veſtro mandato, & conſilio proceſſiſſe, quod nec credo, nec credam, niſi videro, in æternum. Nunc ergo, princeps excellentiſſime, notum eſt vobis qualiter Petri navicula fluctibus expoſita eſt in mari per nautas illos qui eam ſtabilem in portu quietis tenere debebant, in Chriſti Redemptoris injuriam & Petri offenſam, ac totius Chriſtiani populi contumeliam, & jacturam. Non ergo caro, non ſanguis, non propria, non aliqua particularis affectio veſtram celſitudinem moveat contra puram, & veram veritatem, præcipue unde glorioſæ domui, & regali celſitudini veſtræ poſſet perpetua & durabilis infamia remanere; ſed potius ardentiſſima fides, & devotio veſtra ſurgere debet ad ſanctam eccleſiam erigendam, & noſtrum veriſſimum Pontificem defendendum, ac tanti ſceleris viros domandos, & comprimendos, qui ideo ad hanc infamiam devenerunt, quod ſanctiſſimus dominus noſter contra eos bono, & ſancto zelo incœpit pro quorumdam vitiorum correctione alloqui eos, ut ſancte, & honeſte viverent, ut exemplum virtuoſum aliis præberent; quam cum nulla patientia eorum animus potuit tolerare, & ſic ſanctiſſimus dominus noſter pro verbo veritatis ab eis perſecutionem patitur, quod tamen authore Deo ſupra ipſorum capita revertetur, &c. Scriptum Venetiis die XIV. menſis decembris. Veſtræ ſerenitatis humillimus cappellanus & ſervitor Pileus Cardinalis Ravennas.*

Poſtulata ab Urb. per Card. ſacerdotia.

Jactarunt ſchiſma Caroli Regis juſſu conflaſſe.

Pia ad Regem adhortatio.

Cur rebellarint Cardd.

LII.

Sprevit hæc omnia monita Carolus Francorum Rex, nec ſuos primum exoriente ſchiſmate pro Urbano in ampliſſimo concilio decernentes (a), nec miſſos ab Urbano Pontifice nuntios, nec ſanctorum, qui hoc tempore florebant, oracula audire voluit; neque ad ſynodum œcumenicam de re controverſa referri, quo ſolo remedio diſciſſa Eccleſia conglutinari poterat: ſed obfirmatus in pertinacia, quod Gallici regni decere majeſtatem Gallum ſedere Pontificem putaret, tuendum ſuſcepit ſchiſma, auxitque; ac ſævitiam in catholicos, ut Walſinghamus (b) ſcribit, exercuit. *Circa idem tempus*, inquit, *Rex Franciæ fecit proclamari per univerſum regnum ſuum, quod nullus pareret, vel obediret Urbano Papæ: quod ſi aliquis attentaret, decollandum ſe noſceret, & omnia bona ſua regiis uſibus confiſcanda.* Navatam quidem ab eo maximam pro antipapa operam prædicat author ſchiſmaticus vitæ illius ſcriptor (c): extant inter Avinionenſia monumenta cum ejus literæ ad Cardinales, qui Gregorio XI. in Italiam profecto ſubſtiterant Avinione, ut Clementi (d) contra Urbanum adhæreſcerent, tum etiam Pariſienſium pro eodem antipapa decretum (e) XI. auguſti die hujus anni conſignatum.

Caroli Reg. edictum contra Urb.

LIII.

Subornati ab eo.

Peperit (f) ea Caroli pertinacia multa mala bellumque Gallos inter & Anglos redintegratum fuit: cum enim Joannes Montisfortis comes, quem ab antipapa ipſo, tum Cardinale, literas de canonica Urbani electione accepiſſe vidimus, fultus adverſariorum teſtimonio Urbanum coleret, atque adeo cum Anglis catholicis ſentiret, & Carolus Rex Francorum, ut perduellem evertere pararet, Anglus contra conſtabilire eum niteretur, triſtes utrinque exitus fuere hoc anno ſecuti; nam cum Angli non religionis aſſerendæ vero ſtudio ducerentur, ſed ſpecioſa ſimulatione ſatiare libidines, & pauperum opes diripere ambirent, atque etiam in ipſa Anglia in ſanctimonialium aliquot monaſteria & eccleſias, antequam mari ſe committerent, primos cupiditatum impetus effudiſſent, ſæviſſima excepti tempeſtate meritas pœnas luerant (g), imminentibus etiam illi navi, qua Joannes Arundel ſacrilegus vehebatur, dæmonum ſpectris. Inclementer quoque a procellis habiti Galli, eorumque fœderati Caſtellani & Luſitani, qui ad Britanniæ minoris oram concurrerant magnam cladem acceperunt.

Angli pium bellum impio ſtudio ſuſcipiunt.

Patrant plura ſacrilegia.

Vexati dæmonum ſpectris.

LIV.

Cruenta inter Venetos, & Genuenſ. bella.

Cruentis pluribus præliis eodem anno inter Genuenſes & Venetos dimicatum (h) eſt, ac primum attriti Veneti fuere maritima clade quinta die maii, amiſſo magno triremium cum claſſiariis numero: quam-

(a) *Paul. Æmil. in Carol. V.*

(b) *Valſin. in hiſtor. Angl. in Rich. II. ad hunc ann.*

(c) *Clem. VII. antip. vit. ſcript. apud Boſq.*

(d) *To. 18. de ſchiſm. p. 17.*

(e) *Ext. to. I. de ſchiſm. p. 102.*

(f) *Valſin. in Ricch. II.*

(g) *Valſin. ubi ſup.*

(h) *Diar. MS. Ven. append. ad hiſt. Andr. Dand. Bonifac. hiſt. Tarv. l. 10. Bizar. de bello Ven. lib. 2. Foliet. hiſt. Genuen. l. 8. Bonfin. decad. 2. lib. 10. Laon. Calcondy. l. 4. & alii.*

quamvis in eo certamine Lucianus Auria Genuenſium dux cæſus ſit. Illatus deinde, expugnata a Petro Auria Clodia, Venetiis extremus terror: cumque terreſtri certamine Ludovicus Hungariæ Rex, cujus copias Carolus Dyrrachinus ducebat, Marquardus patriarcha Aquilejenſis, & Franciſcus Carrarienſis Patavinus princeps exitium intentarent, Veneti pacem ſupplices flagitarunt, & turpem repulſam a Petro Auria Genuenſi claſſis præfecto tulere. Itaque Andreas Contarenus Venetorum dux periclitantem rempublicam Dei præſidio commiſit (*a*), ſummoſque conatus conſcenſa claſſe, animatiſque civibus exercuit. *Inſpexit*, inquit, *juſtitiam noſtram Dominus virtutum, in quo firmam ſpem gerimus ſuperbiam hoſtium conculcandi*; nec divinæ opis expectatio illum fefellit, ac Genuenſes, qui olim ſociam rempublicam, cum qua conjunctis viribus adverſus infideles pugnare ſoliti erant, meditabantur exſcindere, in pace refellendam obfirmatos adverſis caſibus cœpit confundere, & omnium primum Petrus Auria claſſis ipſorum præfectus ſuperbiæ & crudelitatis pœnas dedit, æneo namque globo in tumultuaria pugna laniatus (*b*) occubuit, parſque ſuorum maxima, cæſa ferro vel fame, aut vinculis attrita, ut ſequenti anno dicetur.

(*a*) *Diar. MS. Ven.*

Genuenſ. pacem dare abnuit.

Divina ultione percuſſus.

(*b*) *Bizar. l.2. de bello Ven.*

Inter hæc a Carolo Zeno nonnullarum triremium Venetarum præfecto, Calojoannem Conſtantinopolitano reſtitutum imperio, pulſumque Andronicum, appendicis ad Andream Dandalum author refert (*c*). Traditque, plura ab eodem illata mala Genuenſibus: quos etiam a Mediolanenſium principe Venetorum fœderato terra infeſtatos, ſed illius exercitum cui præerat Aſtorgius Manfredus Faventinus, magna parta victoria conciſum, tradunt Genuenſes annales (*d*). At de funeſtis hiſce diffidentium Chriſtianorum præliis hactenus; nunc triſtem tot infelicibus ſtragibus ſermonem ad felicem pii confeſſoris obitum traducamus.

(*c*) *Append. in And. Dand. in And. Cont.*

(*d*) *Bizar. & Foliet. ubi ſup.*

LV. Pius obitus B. Joannis Brylington.

Tranſmiſit cœlo hoc anno Anglia egregium ſanctitatis lumen Joannem Brylingtonienſem canonicum regularem, qui magna, dum vixit, virtutum gloria effloruit, quia ut (*e*) refert Harpsfeldius ex Joanne Capgravo illius ſocio, tanto ardore ad divinas fundendas preces ſolitus fuit incumbere, ut magno prodigio ex orantis capite vapor efferri cerneretur: *Cum*, inquit, *lætitia affluebat: ſtatimque abruptis aliis omnibus propere in templum quaſi a vinculis quibuſdam moleſtis expeditus contendebat; neque ulla ratione committere voluit ut a ſtatis illis orationibus diurnis nocturniſve abeſſet: quibus, & ſacroſancto præſertim Miſſæ ſacrificio ita animum totum devovebat atque affigebat, ut ſæpe in miſſæ myſteriis a ſe obeundis a copioſa lachrymarum profuſione ſuſpiriis & ſingultu ſe cohibere pro pietatis fervore & magnitudine non poſſet: cumque tenui admodum veſtitu ſumma hyeme, & in aſperrimo gelu in miſſæ miſteriis celebrandis uti ſoleret, vapor tamen quidam, & exhalatio e ſummo capitis vertice, quaſi ab aqua tepefacta & ebullienti emittebatur, qui a cæleſti illo fervore, quo pectus hominis velut aqua ferventi perfundebatur, ut credibile eſt, excitabatur, qui non poterat contineri quin in corpus ipſum irrumperet, & ab eo foras etiam erumperet; cæleſtibus certe meditationibus ita ſæpe erat affixus, ut hominem plane exuiſſe videretur*, &c.

(*e*) *Nicol. Harpsfel. in hiſt. Eccleſ. Angl. in 14. ſæc. c. 31. ex vit. ejus apud Jo. Capgr. ſcripta illis tempor.*

Quanto ardore divinis precibus vacaverit.

Conſpicuis miraculis effulſit poſt mortem, in qua poſtrema pietatis edita exempla ex geſtis illius ab Ugone deſcriptis, quæ in bibliotheca noſtra extant (*f*), decerpimus: *Sacramentis Euchariſtiæ, & extremæ unctionis devote receptis uſque ad horam mortis ſuæ, quam præſcivit, & prædixit, plenam habuit intelligentiam, fidem certam, ſpem firmam, charitatem perfectam & integram, memoriam ſicut unquam in ſua ſanitate habebat, talique benignitate & honeſtate per ipſum tempus in omnibus, & erga omnes tanquam ſpiritus Dei bonus ſe gerebat, ac ſi nullam infirmitatem haberet. Portabatur etiam quotidie in uno lectulo de camera ſua, ad quandam capellam, ubi miſſam audiebat, qua devotiſſime audita, antequam reportaretur ad cameram, elevans oculos ſuos ſanctam crucem & imaginem Salvatoris Domini noſtri crucifixi cum tam magna reverentia aſpiciebat recolendo paſſionem Jeſu Chriſti, & tam dulcia verba protulit, quod non erat aliquis circumſtantium, qui non ad maximam devotionem & compunctionem moveretur*. Et infra.

(*f*) *Cod. MS. bibl. Vallicell. ſign. lit. B. n. 95. ſub fin. Sur. to. 5. die 10. Octob.*

Sacramentis rite munitus.

*Denique ſciens ipſe vir ſanctus & devotus horam ſuæ mortis appropinquare, quam antea prædixit, congregatis univerſis canonicis fratribus ſuis, & coram eo aſtantibus & orantibus, elevatis oculis ſuis verſus cœlum cum pollice dextræ manus ſuæ ſibimet ſignum crucis in fronte, ſuper os, & ſuper pectus ſuum fecit, ſicque manus tenens extenſas in cœlum, atque hæc ultima verba proferens: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum; quaſi dormiens, & nihil mali ſentiens ſuaviſſime ſpiritum Domino reddidit* VI. *idus octobris anno Domini* MCCCLXXIX. Et infra: *Poſt mortem vero ejus omnipotens Deus, volens ſervum ſuum mirificare, ipſius meritis glorioſis, & precibus mortuis vitam reddidit, mutis loquelam, ſurdis auditum, cæcis viſum reſtituit, ac aliis contractis paralyticis, & infirmis quamplurimis membra ſolida, & ſanitatem reſtauravit, & ſubmerſi quidam per quatuor horas, quidam per totum noctem defuncti erant, quos ſervi ſui meritis & interceſſionibus Chriſtus ad vitam reduxit*. Subdunt geſta, plures malo ſpiritu, quo ve-

Prædicit ſuam mortem.

Edit miracula.



vexati erant, ejus precibus liberatos, pluresque variis morbis curatos; atque inter alia mira accidiſſe, ut cum faber ſignarius caſu ab altiori loco in terram delapſus alliſuſque animam efflaſſet, ac ſocii in ſuſpicionem illatæ ei necis adducerentur, quidam ad inſontes iniqua ſuſpicione liberandos cadaver frigidum Dei omnipotentis, & ſervi ſui Joannis Brylingtonienſis nomine adjurarit, ut authorem mortis proderet: ac tum beatum virum redivivum erecto capite confirmaſſe, neminem illius necis reum habendum, mox beatam ejus animam cœlum repetiiſſe. Afferuntur ejuſdem B. Joannis geſta a Surio (*a*), qui ea ex codice MS. preſſiori ſtylo extraxit, refertque inter alia angelos ipſum decumbentem adiiſſe.

Servati divinitus innocentes.

(*a*) *Sur. to. 5. die 10. Octob.*

LVI.

Illuſtravit inſigni prodigio Deus hoc anno in Belgio veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia, quæ tranſverberata cultro a Judæis cruoris ſtillas fudit. Rem narrat Molanus (*b*) ſubjectis verbis. *Tertia dominica die poſt decimam tertiam julii Bruxellæ feſtivitas Sacramenti Corporis Chriſti multis miraculis claruit: Judæi enim, eo loci habitantes anno* MCCCLXXIX. *ſexdecim circiter ſacras hoſtias, quarum una erat majoris formæ in die ſancta Paraſceves crudeliter transfixerunt; unde inſigni miraculo tanquam guttæ ſanguinis apparuerunt, prout etiam noſtris temporibus cunctis ad S. Gudilam cernere licet, ubi tres ex eis aſſervantur: & Judæorum quidem ſacrilegium Vvenceſlaus dux ignis ſupplicio punivit; ipſum vero Sacramentum tam indigne tractatum, poſtmodum plurimis miraculis claruit, quorum quædam ex notariorum publicis inſtrumentis excuſa extant* (*c*). *Merito autem Bruxellenſis eccleſia hoc Sacramentum multis miraculis glorificatum in feſto Corporis Chriſti circumferre ſolet, quod ante centum & ſeptuaginta annos ex conſuetudine obſervatum fuiſſe, teſtatur informatio epiſcopi juſſu ante tot annos confecta. Sed poſtea peculiariter inſtituta eſt ſolemnis & magnifica ſupplicatio annue facienda die dominica poſt decimam tertiam julii, qua Bruxellæ celebratur S. Margarita; hanc enim ſolemnitatem ad honorem Corporis Chriſti inſtituit domina Margarita Auſtriaca filia Maximiliani, quæ anno trigeſimo ſupra ſeſquimilleſimum Mecliniæ obiit Belgarum moderatrix laudatiſſima*.

(*b*) *Molan. ex lib. mirac. Corp. Chriſt.*

Euchariſtia manat cruore.

Divina prodigia ſecuta.

(*c*) *Latine interpret. Alardo Amſtelradam.*

I. Joannæ in Urb. perduellio.

FLuxere e ſchiſmate nova bella, iterumque a Chriſti vicario adverſus antipapæ ſatellites, & flagitii adminiſtros victricia crucis ſigna anno ſalutis humanæ octogeſimo ſupra milleſimum treceteſimum indictione III. attollenda fuerunt. In quos omnes legum ſeveritatem primum exercuiſſe Urbanum, refert Theodoricus e Niem (a) his verbis: *Incœpit facere atroces proceſſus contra dominam Joannam Reginam, necnon Angelum præfectum, & Honoratum comitem Fundorum, ac Joannem & Raynaldum de Urſinis prædictos pro eo quod Clementi & ejus Cardinalibus adhærebant, nec non etiam eoſdem Clementem & Cardinales, ac ipſorum auxiliatores, complices, & fautores, illoſque in diverſis mundi partibus fecerat publicari, privando in illis Reginam regno Siciliæ ac feudis, terris, & dominiis; necnon præfectum, & Honoratum comitem, ac Raynaldum & Joannem de Urſinis præfatos terris & bonis, quæ qualitercumque tenebant, excommunicando & inhabilitando eos ad honores, feuda, & bona in poſterum obtinenda.*

(a) *Theod. e Niem. l. 1. c. 9.*

Lata in eam ab Urbano edicta.

II. Raynald. Urſin. Urb. capere tentat.

Immiſſum a Joanna Raynaldum fuiſſe cum exercitu, ut vel Urbanum caperet vel urbe pelleret, aut occideret, commemorat Raymundus Capuanus (b); ſed Romanos Urbani partes fortiter defendiſſe, atque inſignia miracula, quæ tum contigere, enarrat, nimirum plures captos ab hoſtibus in agro Romano, & barbarica immanitate alligatos arboribus, ut necati fame, aut a feris laniati crudeliſſimæ morti occumberent, implorata B. Catharinæ virginis ope divinitus ſolutos; alios, qui in hoſtilibus caſtris vinculis conſtricti erant, ut ad vitam auro plurimo redimendam cogerentur, meritis ejuſdem virginis cujus clientelæ ſe addixerant, in libertatem vindicatos. De Joannæ in Urbanum conjuratione queritur ipſe Urbanus in literis, quibus populos Neapolitani regni ad excutiendum Reginæ jugum eſt adhortatus, ac præcipua latæ in eam ſententiæ capita percenſuit, quo argumento ad Soranos extant datæ literæ (c).

(b) *Raym. Capuan. in vit. S. Cath. Sen. p. 3. c. 5.*

(c) *Lib. 3. ep. cur. p. 7.*

*Dilectis filiis populo, & univerſis civibus Soranæ civitatis, ſalutem, &c.*

Joanna pronuntiata ſchiſmatica.

*Dudum nos contra iniquitatis alumnam Joannam olim Reginam Siciliæ propter ejus iniquitates, ſcelera, & exceſſus enormes contra nos, & Romanam eccleſiam commiſſa, & perpetrata legitime procedentes, ſententialiter declaravimus eam fuiſſe & eſſe ſchiſmaticam, hæreticam, & blaſphemam, & conſpiratricem etiam contra nos, & ream criminis læſæ majeſtatis, & tamquam hæreticam puniendam, ipſamque fore privatam, ac privavimus, & depoſuimus a quibuſcumque dignitatibus & honoribus ac regnis & terris, & omnibus feudis, quæ a dicta Romana, & a quibuſcumque aliis eccleſiis & a Romano imperio, & quibuſvis aliis obtinebat, ac ipſius Joannæ bona omnia fuiſſe & eſſe confiſcata & confiſcavimus, omneſque & ſingulos, qui eidem Joannæ juramento fidelitatis, ſeu homagii aut alterius cujuſcumque obſequii debito, ſubmiſſione, obligatione, vel pacto, quacumque firmitate vallato prius tenebantur aſtricti, abſolvimus, & decrevimus abſolutos, ita quod nullus ei obedire, intendere, vel parere, nulluſque ei debita reddere teneretur: quinimmo diſtrictius inhibuimus omnibus & ſingulis ducibus, principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, & aliis perſonis ſingularibus; necnon quibuſcumque communitatibus & univerſitatibus, ne ipſi Joannæ, aut ejus officialibus aliquatenus obedirent, ne datia, gabellas, vel collectas perſolverent: alioquin omnes, qui ſecus agerent, ſi ſingulares perſonæ, excommunicationis, ſi vero communitates vel univerſitates eſſent, interdicti ſententias incurrerent eo ipſo, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Dat. Romæ apud S. Petrum xv. kal. maii, Pontificatus noſtri anno* III.

Exauctorata regno.

Neapolitani fidei ſacramento ſoluti.

III. Extracta ultio, ut Joanna reſipiſceret.

Pronuntiatæ in Joannam ſententiæ acerbitatem exercere diu diſtuliſſe Pontificem, ne illi ponendi errroris tempus eriperet, ac Ludovici Regis Hungariæ in avitam proſapiam ſtudiis obſecundaret, obſervat S. Catharina in literis (d) ad eundem Regem, quem Veneto implicitum bello graviſſimis ſententiis ad clementiam in hoſtes, audiendaque Chriſti crucifixi, & ejus in terris vicarii imperia eſt adhortata; ac magno ardore in antipapam, quem membrum diaboli vocat, & in Cardinales, quos perfidiæ arguit, utpote qui ſua ſcelera ab Urbano corripi non ferentes, ejus electionem, quam non terrore ullo, ſed vi veritatis impulſi toto orbe promulgarant, ſuſceptis partibus dæmonum, quorum exemplo perdebant animas, oppugnarint, pluribus invecta eſt: gratulatur ipſum maximo Dei beneficio vera luce colluſtratum, atque ab eo exigit, ut cum hactenus athleta, & defenſor fidei adverſus infideles extiterit, ita nunc Eccleſiæ propugnatorem, religioniſque adverſus ſchiſmaticos & adulterinos Chriſtianos vindicem ſe præbeat: rumpendas itaque omnes moras, ac Numini ad id opus ipſum vocanti reſpondendum: velle amantiſſimum Jeſum, ut pro hoſtibus infenſiſſimis habeat hoſtes Eccleſiæ: cum cæteris vero hoſtibus (quibus verbis deſignat Venetos) pacem conciliet, tum ne divina charitate excidat, tum ne Eccleſiam ejus opem implorantem deſerat: ferre illum ſine dedecore non poſſe, ut

(d) *S. Cathar. ep. 198.*

S. Cathar. ad Lud. Reg. Hungar. adhortationes.

Ut arma vertat in ſchiſmaticos.



antichriſtus idemque membrum diaboli, ac muliercula fidem catholicam male perdant, obruantque tenebris. Si ipſe, cæterique principes, qui tanto malo poſſint occurrere, illud diſſimulent, graves Deo pœnas daturos: miſereretur Urbani, qui maximo animi dolore animas ad lupum infernalem abripi intuebatur, confirmare quidem eum ſpes ſuas in Numine, ac bene ſperare de illius providentia, ut Ludovicum ipſum ad arduum onus pro divina gloria, & ſacroſanctæ Eccleſiæ decore ſuſcipiendum permoveat. Tum obſecrat S. Catharina Hungarum per ſanctiſſimum Chriſti crucifixi amorem, ut Dei voluntatem, ejuſque vicarii vota in opus pro virili perducat: conjiciat oculos in martyres, qui exquiſitiſſimis ſuppliciis ob amorem fidei vitam expoſuere: perpendat animo atrox in orbe Chriſtiano excitatum ſchiſma, pandi latiſſimam ad infernum viam, neminemque obſiſtere, cum omnes ſua tantummodo ament, ac terrenas opes, animas vero Chriſti crucifixi Sanguine redemptas non curent. Pro divina itaque gloria, ac pro fidei cauſa abjectis cæteris in Neapolitanum regnum expeditionem ornaret, quæ fœliciſſimos ſucceſſus habitura eſſet ac forte ſine armorum fragore miſeram illam Reginam a ſua pervicacia qua metu qua amore revocatum iri: perpenderet quanto tempore Chriſti in terris vicarius diſtulerit ea tantum de cauſa vi & armis illam e regno, cujus jure excidit extrudere, ut errorem ab ipſa emendandum expectaret. Si nunc Urbanus rem aggreditur, apud ipſum excuſatum fore, idque ab illo æquo animo eſſe ferendum: non labefactari Hungaricum decus, immo regio honori verſum iri, ſi juſtitiam ab aliis in eam exercendam approbet, vel ipſe exerceat, tantoque in ſcelere pœnas a quovis vel ab ipſo ſuo filio expetendas. Accurreret igitur ut Eccleſiæ gubernacula navimque ſacram ad pacis & quietis portum dirigeret.

Propoſita facti gloria.

IV. Aſſenſit Ludovicus Hungariæ Rex piis Catharinæ votis, atque ſuſceptum una cum Genuenſibus, Franciſco Carraria Patavino, & patriarcha Aquilejenſi fœderatis in Venetos atrox bellum componere conſtituit (a): & quamvis expeditionem in Joannam Reginam exauthoratam ducere detrectaſſet, Carolum tamen Dyrrachii ducem, quem Veneto bello præfecerat, mox atque illud ſedatum foret, mittere in Neapolitanum regnum cum exercitu pollicitus eſt. Qua ſpe erectus Urbanus Neapolitani regni proceres ſolicitavit, ut a Joanna ad Caroli Dyrrachini principis & ejus uxoris Margaritæ partes transfugerent, quo argumento extant literæ (b) ad Loyſium Capuanum patritium, in quibus Pontifex, ubi plura repetiit de Joanna cenſuris ob ſchiſmatis labem perculſa, omnibuſque terris fiduciario jure, vel ab eccleſia, vel imperio acceptis exuta, hæc ait.

(a) *Theod. e Niem. lib. 2.*

Caroli Dyrrach. expeditio.

(b) *Lib. 3. pag. 54.*

*Urbanus, &c.*

*Cum igitur chariſſime fili, tu & cæteri, qui olim eidem Joannæ juramento fidelitatis eratis aſtricti, ab omni ejus ſubjectione & obedientia ſitis prorſus liberi & immunes; quinimmo ſi ei in aliquo obediretis magnas pœnas ſecundum præmiſſa incurreretis, nobilitatem tuam, quam ſincere diligimus, rogamus & hortamur attente, ut fideliter, & diligenter cum perſona, & vaſſallis, ac bonis tuis in ſervitiis & beneplacitis dilecti filii Caroli de Dyrrachio, & dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Margaritæ ejus uxoris, etiam contra dictam Joannam, Othonem ejus virum, & quoſcumque alios adhærentes & faventes eiſdem, necnon contra quoſlibet noſtros & eccleſiæ Romanæ inimicos, ac rebelles te ſtudeas exercere, & viriliter laborare non pigeat, &c. Datum Romæ* II. *idus junii, Pontificatus noſtri anno* III.

Inflictæ iis qui Joannæ parerent pœnæ.

V. De Carolo Dyrrachii principe, ad quem proxime jura Neapolitani regni ſpectabant, ad vindicandum e Joannæ ſchiſmaticæ manibus ſceptrum ſollicitato ab Urbano plura refert Theodoricus e Niem (c), ejuſque uxorem Margaritam viri conſilium ſubodoratam una cum filiis, Joannæ Reginæ militarem cuſtodiam deluſiſſe, ſeque in tutiſſimam & munitiſſimam arcem recepiſſe addit. Aufugiſſe XXVI. junii ſuperioris anni docent diaria MS. Hectoris Pignatelli, adduntque Othonem hoc anno a Regina Tarentino principatu donatum contractis copiis in Apuliam ad ineundam poſſeſſionem IV. ſeptembris ſe die contuliſſe.

(c) *Theodor. e Niem. lib. 1. c. 21.*

Accendebat S. Catharina literis etiam Carolum Dyrrachinum ad Neapolitanam expeditionem pro divini Numinis & Eccleſiæ gloria ſuſcipiendam, quem pariter monuit (d), ut prius hoſtes internos vinceret, quam in externos ſigna moveret, domitis enim vitiis ad ſumma quæque pro Deo gerenda idoneum futurum: ſacra itaque exomologeſi conſcientiæ ſinus expiaret, & Sanguinem a Chriſto in cruce fuſum recoleret, ut voluntatem Dei, qui ipſum veluti columnam in Eccleſia excitaturus erat, compleret, exhiberetque ſe adminiſtrum excindendæ hæreſi, confundendo mendacio, illuſtrandæque veritati, pontificatu Urbani VI. qui a Spiritu Sancto erat, fremerent licet homines improbi & ſui amantes, qui cum dictis, factiſque, ſuis pugnarent, mendaceſque, & idololatras ſe fingerent, & jactarent inſani homines, ſe honores pontificios Urbano propter metum detuliſſe. At quo pacto illi tantum dedecus ſuſcepiſſent, ut ad pedes illius acciderent? Non ferendum, religionem tanto errore contami-

S. Cathar. Carolum excitat ad bellum.

(d) *S. Cath. ep. 195.*

Illius contra ſchiſmaticos grave argumentum.

taminari, vexari agnum a lupis, tradi animas dæmonibus, atque a Chriſti ſponſa divelli. Quod tandem adeo durum pectus reperiri poſſit, quod in tanta calamitate pietate non molleſcat? quis oculus, qui non lachrymarum amnes fundat? quis princeps continere ſe poſſit, quin omnes vires ad fidem tuendam conferat? Tantummodo ſui amatores ad hæc inſtar Pharaonis non moveri: at vero divinam bonitatem non paſſam, ut ipſius Caroli pectus obdureſceret, atque adeo ipſum ad ferendam ſponſæ ſuæ opem evocare. Indueret itaque fortes animos, provolaretque in ejus auxilium: refrixiſſe cæterorum corda principum, qui verba tantum officioſa dederint, tantum abeſſet, ut opes pro Eccleſia, vitamve profundere vellent; quorum ipſe ſperneret exempla, ac ſi res exigeret, læto & imperterrito animo vitam pro Chriſto profunderet.

Pia ad illum adhortatio.

VI. Convertit ſequenti anno idem Carolus, ſoluta Tarviſina obſidione, in Reginam Joannam exauctoratam molem armorum, quæ exercuerat in Venetos. Ut vero Joanna Caroli adventu, ſuorumque defectione (comes enim Nolanus aliique plures ad pontificias partes ſe tranſtulerant (a)) perterrita, opem poſtularit ab antipapa Avinionenſi, cujus inſano ſtudio præceps ruebat in exitium; ac Ludovicum Andegaviæ ducem, ut Gallorum armis ſe tueretur, filium adoptarit, dicetur inferius. Interea cum Joannæ perduellione freti hoſtes Eccleſiæ ingruiſſent, atque in patrimonio B. Petri Raynaldus Urſinus, de quo ſupra memoravi, ſævum belli incendium excitaſſet, moniti ſunt ab Urbano (b) populi, ne proditoris audirent imperia: ac Jacobus epiſcopus Narnienſis ad Chriſti fideles præmiorum ſacrorum ſpe facilius ad religioſam militiam alliciendos auctoritate inſtructus (c), ut conſtitutum exercendæ militiæ tempus contraheret, prout occaſio poſceret.

(a) *MS. Diar. Neap.*

(b) *Urb. l.3. p.1.*

Sacra militia in Raynald. Urſin. promulgata.

(c) *Ib. p. 14.*

VII. Laudavit hoc adverſus ſchiſmaticos ſacrum bellum S. Catharina (d), ac Peruſinos literis increpuit, quod Urbani & Chriſti partes ignave tuerentur, nec cauſam fluctuantis fidei, quam crudeles & impii homines tenebris obruere niterentur, ſtrenue ſuſciperent: hortata eſt Senenſes, ut (e) fœdera potius cum patre & matre, Urbano ſcilicet & Eccleſia, quam cum tyrannis coirent, neque cuiquam poſſe ipſos unquam ſecurius inniti, quam columnæ illi firmiſſimæ, quæ licet graviſſimis perſecutionibus agitetur, nunquam corruet: non implorari ipſorum arma ad Eccleſiæ terrenam ditionem recuperandam, ſed ad confirmandam fidem, confundendum ſcelus, veritatem colluſtrandam (f), animas e manibus dæmonum eruendas, religionem noſtram ab impiorum contaminatione vindicandam. Quo etiam argumento Florentinos (g) ſolicitavit, ut vero Pontifici & Chriſti in terris vicario Urbano opem ferrent, meritamque illi, a quo cenſuris eccleſiaſticis ſoluti, ac ſacris reſtituti fuerant, gratiam reponerent.

(d) *S. Cathar. ep. 210.*

Etruſci ad Urb. tuendum excitati a S. Cath.

(e) *Ep. 207. 208. & 209.*

(f) *Super. ep. 207.*

(g) *Ib. p. 206.*

In tolerandis hujus belli ſumptibus paſſus eſt (h) Urbanus graves ærarii difficultates, ac ſacerdotiorum vacantium annua vectigalia ſibi reſervavit: tum in variis provinciis ac regnis, quæ ſacrum illius apicem colebant, quæſtores inſtituit (i), atque a clero Romano tria aureorum millia exegit (k), cum Romani in ſchiſmaticos aciem pararent educere, cauſamque, ne id acerbius ferrent, ſubjecit hiſce verbis.

(h) *Urb. l.3. pag. 18.*

Quæſtores inſtituti ab Urb.

(i) *Ib. p. 16. 21. 35. 43.*

(k) *Lib. 1. p. 6.*

*Urbanus, &c. Amaricato animo recenſemus, ſed ipſa nos cogit neceſſitas reminiſci, quam aſtutis verſutiis, quam horrendis conatibus, quamque violentis & periculoſis effectibus, filii Belial, Dei bonique publici inimici, qui fidem catholicam unitatemque ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſcindere auſu ſacrilego moliti ſunt, ſtatum dilectorum filiorum populi Romani, qui adverſus hoſtes hujuſmodi promptis animis jugiter dimicarunt, ſubvertere tentaverunt; & vos filii prædilecti vidiſtis, & cognoviſtis, quod hoſtibus ipſis Deus ipſe mirabilis in altis Dominus mirabiliter in oculis reſtitit, ac conatus abominabiles diſſipavit: ſed nec ignoratis, quod ad extirpandas, & eradicandas reliquias conatuum eorundem, ne ſcilicet velut ignis parum caute obſervatus, damnoſa & periculoſa ſuſcitent incendia, ſed potius concidant, & ſicut ſtipula ante venti faciem evaneſcant, Romani cives armis & modis debitis & viribus ſe accingunt; & ad hoc, tam publici ærarii, quam privatorum abſque cunctatione facultates exponuntur, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *kal. maii Pontificatus noſtri anno* III.

Expoſita ærarii inopia.

VIII. Eo demum adegit neceſſitas Urbanum, ut ad conficiendum aurum pro ſchiſmaticorum conatibus propulſandis, Philippo tit. S. Suſannæ & Poncello tit. S. Clementis presbyteris Cardinalibus hæc mandata dederit (l).

(l) *Urb. ib. p. 3*[illegible]

Diſtract. Eccleſ. bona.

*Urbanus, &c. Per vos, vel alium, ſeu alios vendendi, diſtrahendi, impignorandi, & alienandi authoritate apoſtolica in perpetuum vel ad tempus, etiam ſine voluntate, & conſenſu prælatorum; & capitulorum, ſeu conventuum; vel perſonarum eccleſiaſticarum, ac monaſteriorum, vel locorum infraſcriptorum, & etiam irrequiſitis & invitis de poſſeſſionibus & bonis, tam mobilibus quam immobilibus, & ſe moventibus, eccleſiarum, & monaſteriorum, ac aliorum piorum locorum quorumlibet; ubicumque etiam extra urbem, & ejus diſtrictum conſiſtentibus caſtris dumtaxat exceptis, uſque ad ſummam de qua circumſpectioni præfatæ videbitur*, & infra, *plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Dat. Romæ apud S. Petrum* III. *kal. junii Pontificatus noſtri anno* III. Redactos poſtea in eas anguſtias Pontifices, cum bello, non ſynodi œcumenicæ ſententia pontificatum tuerentur, ut arces etiam, urbeſque & provincias ingraveſcente ſchiſmate abalienarint, viſuri ſumus. At graviora ſibimet ſchiſmatici mala, quam aliis inflixerint, pepererunt.



IX. Senſit quidem hoc anno Carolus Francorum Rex ultrices Dei iras, ac regnum ſuum a catholicis evaſtatum (a) luxit: Thomas enim dux Leceſtriæ Richardi Regis patruus educto ex Anglia militari flore trajecit Caletum, ſigniſque victricibus nemine obvio plures provincias, quas Guaguinus (b) enumerat, peragravit expilavitque: *Arthesium*, nempe, *Viromanduos, Sueſſiones, Catalaunos, Trecenſes, Senones, Vaſtinum, Bleſiam, perque Bonamvallem incurſantes Angli, abductis aliquot claris equitibus ad Britones contenderunt, quos Joannes Montisfortenſis alacriter excepit*. Erat is comes Britanniæ vir catholicus, qui ab ipſo antipapa, dum Cardinalatum gerebat, de juſta Urbani creatione edoctus fuerat, neque a Gallo Rege (c) frangi ejus conſtantia potuit, ut ſchiſmati aſſentiretur, gravique propterea bello ab eo premebatur. Agunt de ea Galliarum populatione, quæ conflati ſchiſmatis triſtis fructus extitit, Belgæ Anglique hiſtorici, e quibus Walſinghamus (d): *Tantus*, inquit, *terror ipſos Francos invaſit, ut in ampliſſimo regno, in quo mille ſemper viri ſingulis ex Anglicano exercitu opponi potuerant, citius eligerent more fœminarum latebras ſe occultando quærere, quam glomeratim Anglicanis manipulis obviare. Tua ſunt opera hæc Chriſte, tua miracula Jeſu bone, cui poteſtas eſt dijudicare, ſeu vincere in paucis æque ut in multis*. Marcuiſſe Gallorum militaris virtus ob ſchiſmatis flagitium videbatur: Anglos enim, qui hanc vaſtitatem intulere, ad octo tantum millia aſcendiſſe, Francorum (e) annales tradunt, & Carolum Regem Andium duci prohibuiſſe, ne univerſi certaminis ſubiret aleam, ſed extrema agmina carpere niteretur: non leve quippe adibat diſcrimen, ne Galli, quorum maxima pars ob ſchiſma exoſum eum habebant, in rebus aſperis adverſus ipſummet conſurgerent. Neque ita multo poſt Carolus cæleſti ira ob diſciſſam Eccleſiam percuſſus exaruit. Ipſum a Petro Minorita avunculo ſuo de divina ira ſibi impendente præmonitum vidimus. Ferunt etiam Franciſcani annales (f), Rodericum Ruizium prophetico ſpiritu clarum retuliſſe, infeliciter ob id facinus periiſſe: cujus tamen illum graviter pœnituiſſe, plerique (g) tradunt. Et quidem de regia fama ſolicitus, ne illius memoria ob impenſa antipapæ ſtudia apud poſteros execrationi foret, publicis tabulis editis (h) eſt profeſſus, ſe Pontifici alteri velle adhærere, illumque colere, quem ſacroſancta ſynodus œcumenica colendum decerneret.

(a) *Paul. Æmil. in Car. V.*

Anglorum in Gallos expeditio.

(b) *Guagu. in Car. V.*

Provinciæ evaſtatæ.

Brito catholicus ſentit cum Anglis.

(c) *Meyer. l.13. in Lud. Mal.*

(d) *Valſin. in hiſt. Angl. in Rich. II.*

Triſtes ſchiſmatis fructus collecti a Gallis.

(e) *Paul. Æmil. & Guaguin. ubi ſup.*

Divina in Gallum Regem ira.

(f) *Luc. Vvad. an. 1381. n.1. ex Marc. 2. par. lib. 9. cap. 35.*

(g) *Vvalſin. & alii.*

Pœnituit moriturum flagitii.

(h) *Ext. to. 35. de de ſchiſm. p. 152.*

*In nomine Domini Amen.*

X. *Per hoc præſens inſtrumentum publicum, univerſis & ſingulis notum ſit & evidenter appareat, quod anno ejuſdem Domini MCCCLXXX. indictione* III. *menſis ſeptembris die* XVI. *circa ipſius diei ſolis ortum, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Clementis divina providentia Papæ VII. anno ſecundo* (confectæ ſunt a ſchiſmatico hæ tabulæ; unde de antipapa, præterito Urbano, fit mentio) *in mei notarii publici, teſtiumque ſubſcriptorum præſentia conſtitutus, & perſonaliter exiſtens ſereniſſimus ac excellentiſſimus princeps & dominus noſter dominus Carolus Dei gratia Rex Francorum, ſanus & providus quidem mente, licet corpore ægrotans, dicens & recitans proprio motu ſuo, quod cum occaſione ſchiſmatis, quod nunc eſt in Eccleſia ſancta Dei, ipſe per ſcripta reverendiſſimorum in Chriſto patrum & dominorum dominorum Cardinalium ſacri collegii Romanæ eccleſiæ, ad quos, ipſa vacante, ſummi Pontificis electio ſpectat, & quidquid in ea ſit poteſt & debet veracius per eos, quam quoſcumque alios apparere in eorum conſcientiis, atteſtantium dictum dominum noſtrum per ipſos fuiſſe & eſſe rite & canonice electum in Papam, habitaque poſtmodum per eum plurium prælatorum, ac clericorum ſui regni, & ejus conſilii provida & matura deliberatione, pro parte jam dicti domini noſtri ſe determinaverit, & dictorum dominorum Cardinalium adhæſerit opinioni: Inde quia ex dictis aliquorum poſſet in futurum fama forſitan divulgari, eoſdem dominos Cardinales, inimico humani generis permovente, aut alias ex invidia, odio, vel favore, ſuper hoc minus debite proceſſiſſe, & ſic paululum cadere in errorem, memoratus dominus noſter Rex aſſeruit, & confeſſus eſt, quod ipſe non ex cognatione carnali, ſeu alia inordinata affectione quacumque motus, ſed ſolum determinatione & declaratione dictorum dominorum Cardinalium, prælatorumque, & aliorum clericorum prædictorum, & conſilii ſui deliberatione intervenientibus, credens bene, & licite facere, partem præfati domini noſtri Papæ tenuit & tenet.*

Extrema ejus ſententia.

Cardd. conſenſus Carolum ad ſchiſma traxit.

Fuerunt hæ criminis excuſationes inanes: vidimus namque ex Paulo (i) Æmilio ampliſſimam ſynodum archiepiſcoporum & epiſcoporum una cum cœnobiarchis & theologis Carolo Regi primum denuntiaſſe, Urbanum habendum Pontificem, donec œcumenica ſynodus contrarium decerneret, neque conjuratos Cardinales judicum partes juſte invaſiſſe: proinde

(i) *Paul. Æmil. in Carol. V.*

inde

inde temere, neglecto de danda opera ut ſynodus cogeretur conſilio, pro antipapa ſententia lata fuit, oppreſſaque academia Sorbonica, quæ verum agnoſcebat Pontificem; cujus infamiæ declinandæ cauſa ſubditur. *In caſu autem, quod ſic ſe habendo dicerent, eum aliqualiter erraſſe, quod propter prædicta non credidit, nec credebat, ſuæ tamen erat intentionis, & ita fuit proteſtatus expreſſe, ipſum velle ſemper tenere & ſequi opinionem & declarationem ſanctæ matris ac univerſalis Eccleſiæ, & quod fieret & determinaretur ſuper hoc per generale concilium, vel aliud conveniens, ne de contrario ſi quid inſcienter egiſſet a Deo poſſet redargui, vel culpari, cupiens in proteſtatione & confeſſione hujuſmodi, ut verus Eccleſiæ filius, & fidelis catholicus ſtare perpetuo, firmiter & manere, petens ſuper hoc per me præfatum notarium fieri publicum inſtrumentum, &c.*

Accommodat ſe eccleſiæ ſententiæ.

Profitetur ſe eccl. filium addictiſſimum.

Publico etiam decreto ſe ſubduxiſſe ab antipapæ obſequio, ex oratione Guillelmi Fillacii decani Rhemenſis colligitur: (a) is enim in celeberrimis conventibus anno MCCCCVI. habitis, cum Petri e Luna antipapæ cauſam ageret, & Gallis levitatem obiiceret, qui ſæpius ſubtraherent reſtituerentque obſequium Avinionenſibus pontificibus, quod laude dignum fuerat vertit crimini, nimirum Carolum Regem Caroli VI. patrem antequam ex humanis diſcederet, (b) a Clemente ſe ſubduxiſſe. Agnovit ſcilicet, quamvis ſero, temere ſe ab Urbano ad antipapam defeciſſe. Habent vero hæc vetera MS. theſauri Gallici: *Rex Franciæ Carolus V. diem ſuum clauſit extremum* [1] *ſupra Materna XVI. die ſeptembris anno MCCCLXXX.* ferunt epoti veneni vi conſumptum. Ipſum multa ſapientiæ floruiſſe laude refert Juvenalis (c) Urſinus; atque ob regnum ſapienter adminiſtratum dum Rex pater in Anglico carcere agebat, Sapientis nomen tulit, quam commendationem ſuſcepto ſchiſmaticorum, a quibus ſubornatus erat, patrocinio labefactavit. Regi conſueverat ut diximus, conſiliis Ambianenſis Cardinalis infeſtiſſimi Urbani hoſtis, quem extincto Carolo Rege metuentem iras novi Caroli Regis, qui vindictæ parandæ ſigna dederat, rapto ingenti theſauro in fugam ſe convertiſſe, narrat idem author.

(a) *Acta convent. Pariſien. in append. apud Juv. Urſin.*

(b) *Froſſar. hiſt. l. 2.*

(c) *Juven. in hiſt. ſui temp.*

Sub

NOTÆ [1] OBiit hoc anno Carolus V. Galliarum Rex die XVI. Septembris; eadem ſcilicet ipſa die qua patentibus illis literis, in Annalibus recitatis, palam profeſſus fuerat ſe, quamvis ex unanimi Cardinalium conſenſu perſuaſum Clementem VII. verum ac genuinum Pontificem agnoſcebat; in ea tamen fide & perſuaſione ex hac vita migrare ut illum crederet Pontificem, quem Eccleſia per generale Concilium vel alia quacumque ratione declaraſſet. Qua publica proteſtatione Regem ab obedientia Clementis, & ab ea, in quam ante conceſſerat, ſententia receſſiſſe ſentit Annaliſta. Sed, ut vera fatear, non probat. Neque enim a Clementis obedientia ille ſe ſubduxiſſe cenſendus eſt, qui literas ſuas annis ejuſdem Clementis tamquam ſinceri Pontificis conſignat, profiteturque ſe in obſequium illius non temere, ſed diſcuſſa probe cauſa in ſolemni graviſſimorum virorum conventu adductum. Ex his pariter literis plane convincitur erroris Paulus Æmilius Hiſt. Franc. in Carolo V. qui in ſolemni Pariſienſi conventu obedientiam Urbano decretam affirmat. Verum, ne quid diſſimulem, conventus in Gallia ea de cauſa celebrati ſunt duo. Prior quidem habitus eſt, ſeptembri menſe anni 1378. & in eo decretum, ne quid in graviſſima ea re temere ſtatueretur, electionemque Urbani improbantibus Cardinalibus, ne fides ſtatim addiceretur, ſed maturiori diſcuſſioni daretur tempus. Tandem, ut ſcribit Henricus de Haſſia apud Baluzium in notis ad vitas Paparum to. I. col. 1273. in pleniori Gallicanorum conſeſſu pro Clemente reſolutum fuit. Sed quorſum hæc? num ut Carolus a ſchiſmate per me excuſetur? Hanc quidem provinciam Gallicis ſcriptoribus, Baluzio ibidem, Pagio in vita Urbani VI. integram relinquo, apud quos pariter adverſus calumnias, ut appellant, Raynaldi Annaliſtæ prolixior apologia pro Carolo ſtruitur. Forte tamen in utramque partem peccatum eſt; a Gallis quidem, apud quos non deceptus tantummodo errore facti in re obſcuriſſima Gallus excuſatur, ſed & defenditur, ac ſi in re ambigua ſententiam maxime probabilem amplexus ſit. Annaliſtæ vero illud crimini verterem, quod contendat Regem volentem prudentemque ſchiſmati ſe ſe implicuiſſe. Neque enim veritati plane cohæret, quod Annaliſta Carolo obiicit; rejectos nempe ab illo fuiſſe omnes cauſæ Urbani patronos: nam teſte continuatore Gallico Nangii apud Baluzium, Urbani VI. oratores ad Regem venerunt, cauſamque Domini ſui egregie apud illum defenderunt; adeo ut Regem pro Urbano reſcriptum daturum crederent; quamvis re ipſa vacui redierunt. Vide ejus continuatoris verba apud Baluzium ibidem. Fateor equidem poſt latam pro Clemente in Galliis ſententiam, viam omnem legatis Urbani præcluſam fuiſſe; ſed non inde ſequitur Carolum volentem, prudentemque in ſchiſma conceſſiſſe cognitione cauſæ de induſtria ſuppreſſa. Fateor inſuper pro Urbano probationes numquam in Gallia judiciali more exceptas; ſed neque pro Clemente id præſtitum ſcimus. Et ſi forte Clementi datum fuit ut patronos ſuos mitteret in Gallias: Urbano vero negatum; id equidem non potentia ſeu voluntate Caroli Regis, ſed adverſariorum fraude præſtitum, colligo ex verbis Faventini Epiſcopi in probationibus pro Urbano VI. deductis in conventu Medinenſi anni 1380. de quibus in nota ad A. 1379. *Numquam, ait ille, in Francia pro Domino Urbano informationes receptæ. Immo cum ad illum finem illuc feſtinaretur, quidam valentiſſimus Doctor . . . . Sa. de Ceva, natione Provincialis, fuit per partem adverſam captus, detentus, nec dum ſuæ libertati plene reſtitutus; quamquam directo mitteretur ad perſonam Regis Franciæ.* Pars igitur adverſa, non vero Caroli Regis potentia impedivit, ne miſſi ab Urbano cauſæ ſuæ patroni in Galliam venirent. Mansi



XI. Cur antipap. ſecutus Lud. Andeg.

Sub novis Caroli VI. Regis auſpiciis facile Galli per vim ab Urbani obſequio divulſi, atque antipapæ jugo liberati, innata pietate ad verum Pontificem erant redituri, niſi Ludovicus Andium comes Regis patruus, Regeque impubere Gallicæ regiæ procurator, antipapæ conjunctiſſimus, cujus beneficio ad Neapolitanum regnum aſpirabat, Gallos ad politicam rem religioni anteponendam adegiſſet. Irretierat enim adeo ſchiſmatis laqueis principem regnandi cupiditate furentem antipapa, ut ex iis, niſi ſceptris religionem præferret, explicare ſe non poſſet; dato enim diplomate (a) kal. februarii pſeudopontificatus anno ſecundo Avinione conſignato, Joannæ Reginæ Siciliæ poteſtatem fecerat, ut Ludovicum Andegavenſem in filium cooptaret, regnique Neapolitani jura poſt ipſius Reginæ obitum ad illum devolveret. Itaque Joanna ea fallaci poteſtate fulta (cum debuiſſet potius Urbano conciliari, quam regia jura in remotiores conſanguineos, concitatis in ſe propinquioribus, transferendo, in anceps exitium ſe coniicere, ut Ludovicum Andegavenſem, & Gallos ad exturbandum ſolio Pontificem, a quo regni Neapolitani jura ad Carolum Dyrrachinum ob illius perduellionem transferebantur) odio æſtuans extremo junio publicas (b) tabulas edidit juris formulis, fucisque inſignitas, quibus Ludovicum Andegavenſem in filium aſcivit; atque ex antipapæ, qui tum Joannam, tum Ludovicum extremo exitio obiiciebat, ut ſe in peſtilentiæ cathedra conſtabiliret, ficta & ementita authoritate, Jeroſolymitani & Neapolitani regnorum hæredem ac ſucceſſorem renuntiavit: deditque univerſis ordinibus regni Neapolitani imperia ut Ludovico Andium comiti ſceptrorum heredi, utpote in Reginæ filium cooptato fidem obſtringerent. Conſignatæ ſunt Reginæ literæ hac temporis nota: *Datum & actum in caſtro noſtro Ovi prope Neapolim, anno a nativitate Domini MCCCLXXX. indictione III. die penultima menſis junii, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Papæ prædicti*, ita Robertum Gebennenſem appellat, *anno II. &c.* Hoc fuit juris Andegavenſium principum in regnum Neapolitanum fundamentum, quod tanto cruore Gallico Italiam reſperſurum, inque plures annos funeſtiſſimum ſchiſma propagaturum erat, dum antipapæ iniqua cauſa præpotentium Regum politica commoda implicuit [1].

(a) *Ext. in theſaur. Gall.*

Inſignis Jo. Reginæ error.

(b) *Ext. in append. hiſt. Juv. Urſin. p. 54.*

Quæ fuerint Andegavenſis jura.

XII. At cum Joanna in Ludovicum Andegavenſem Provinciæ Forkalquerii, & Pedemontii comitatus ſine Cæſaris, ad quem ſupremum eorum jus ſpectabat, facultate transfundere non poſſet, finxit antipapa vacuum eſſe cæſareum ſolium, quod Wenceſlaus principeſque imperii adhæreſcerent Urbano, atque eoſdem ampliſſimos principatus apoſtolica auctoritate ad Ludovicum Andegavenſem devolvendos ſanxit. Cujus diploma (c) ita conſignatum eſt: *Datum Avinione II. Kal. auguſti anno II.* Hiſque fallacibus beneficiis ſubornatus Andegavenſis, ita ſchiſmaticas partes am-

(c) *Ext. in appen. hiſt. Juven. ex his in theſaur. Lud. ducis Andeg. & in theſaur. Gall.*



NOTÆ [1] HOc ipſo anno MCCCLXXX. celebratam ſuſpicor ſynodum Cameracenſem a ſectariis Clementis VII. cujus ſynodi mentio occurrit in ſecunda parte Actorum conventus Medinæ Caſtrenſis, quæ acta Baluzius in notis ad vitas Papar. col. 1292. ex Colbertino codice repræſentavit. In iis enim offendiſſe ſe ſcribit Baluzius *ſermonem factum ſuper & pro ſedatione moderni ſchiſmatis per Guidonem Cardinalem Pictavienſem in ſynodo Cameracenſi anno Domini MCCCLXXXIII. die primo Octobris, Pontificatus Clementis VII. anno II.* Notæ iſtæ numerales inter ſe plane non cohærent; annus enim ſecundus Clementis die prima Octobris annum refert Chriſti MCCCLXXX. cui proinde alligandam ſynodum cenſui quoaduſque major veritati lux affundatur. Nec ſane inter acta conventus Medinenſis referri potuiſſet res geſta in ſynodo anni 1383. cum Medinenſis conventus deſierit anno 1381. Synodi hujus nulla eſt mentio apud Labbeum alioſque ſynodorum collectores. Animadvertere hic juvat mendum in noviſſimam conciliorum collectionem Veneto-Labbeanam irrepſiſſe; cum in Tom. XV. col. 951. &c. duo veluti inter ſe diſtincta exhibentur, conventus Epiſcoporum apud Medinam Campeſtrem habitus anno MCCCLXXX. & Synodus Salmanticenſis ſub Domino Petro de Luna Cardinali anno 1381. die XIII. Kal. Junias. Ex codice enim Actorum conventus Medinenſis apud eundem Baluzium diſcimus conventum hunc habitum Medinæ Campeſtri in diœceſi Salmanticenſi extractum fuiſſe uſque ad diem 19. Maji anni ſequentis 1381. qua demum ipſa die Joannes Caſtellæ & Legionis Rex ſententiam pro Clemente VII. tulit. Hinc ergo natus error, ut cum conventus ille Medinæ habitus fuerit, qui locus eſt in diœceſi Salmanticenſi, modo conventus Medinenſis, modo Salmanticenſis appellaretur, ex nominis diſcrimine res ipſa, licet una eademque, diſtincta. Porro concilio huic Petrus de Luna, non quidem ut præſens, ſed ut Legatus alterutrius Pontificis adfuit. Operæ pretium vero feciſſet Venetus curator editionis hujus Labbeanæ ſi acta concilii hujus vel conventus Medinæ Campeſtris ita exhibuiſſet quemadmodum apud eumdem Baluzium ibidem leguntur. Addenda inſuper fuerat oratio Epiſcopi Faventini Legati Urbani, quam vulgarunt PP. Martene & Durand Anecdot. to. II. col. 1083. Quamquam enim anno 1378. Martene aſſignandam illam cenſet; cum tamen conſtet Faventinum Urbani partes in Medinenſi conventu anno 1380. defendiſſe, eademque occaſione argumenta XVII. pro Urbano expendiſſe, quæ in acta Medinenſis Conventus relata fuerunt teſte Baluzio, ac totidem argumenta expromat lucubratio a P. Martene vulgata; nulla ratio ſuppetit cur alia occaſione hæc ipſa oratio dicta cenſeatur. Vide meam Conciliorum collectionem to. III. pag. 612. Mansi

Ob cauſas politicas tuetur ſchiſma.

(a) *Juven. Gagu. in Carol. V.*

Sorbonicos doctores opprimit.

(b) *Paul. Æmil. in Carol. VI.*

plexus (a) eſt, ut doctores Sorbonicos, qui perſpicacibus oculis Urbani cauſæ æquitatem intuebantur, ac liberius propugnare cœperant, opprimeret: Hiſpaniarum & Hungariæ Regum flagitantium, ut Galli una cum aliis populis uni juſto paſtori ſubeſſent, oratores repulit; quamvis antipapa & tot pſeudocardinales, quorum cupiditati non ſufficiebat Gallia, Gallis magno oneri eſſent, de quibus hæc digna obſervatione, tradit Paulus Æmilius (b).

Joannis theologi libera oratio in antipapam.

Conjectus in vincula ab Andegavenſi.

*Dux rector*, nempe Ludovicus Andegavenſis, *res Italicas cogitatione, conſiliis, ſpe, complectebatur: Clemens incitabat, nihil ei denegabat, ſacras decimas ei in ſumptum belli exigendas dederat, magna ſacerdotum indignatione.* Et infra: *Joannes Geſſoriacus theologus cauſam ſcholaſtici ſacerdotii libera oratione apud Regem egit, in exactas decimas, in mores, in tempora invectus, re verba, ſententiaſque ſuppeditante, magno propoſito argumento, lato dicendi campo: qua re offenſus rector, quod ea Italici belli conſiliis adverſa erat, noctu hominem ex muſæo raptum in cuſtodiam conjecit. Orta luce ſchola univerſa affuit.*

Rector ſtudii Urbani cauſam tutatus.

*Redditus Geſſoriacus ad Urbanum in urbem ſe contulit, a quo benigne exceptus & liberaliter cultus. Rectorem quoque ſcholaſticorum rector dux comprehendi juſſerat, quod ab Urbano literas breves accepiſſet, ac in univerſæ ſcholæ cœtu recitaſſet. Fuga periculum vitavit: quare aliquot millia liberalium diſciplinarum ſtudioſi Lutetia, alii alio dilapſi ſunt: ſed cauſa Clementis expugnari non poterat hac ſtudiorum contentione. Majus pondus erat in Regum ab Urbano ſtantium majeſtate. Oratores Regum ſub unum idemque tempus, ut annales Francici tradunt, ex diverſiſſimis regionibus affuere Caſtulonenſium, Hungarorumque. Commemorabant, Reges ſuos procerum, populariumque, ac ſacerdotum, & univerſæ gentis conventu habito, cauſam Urbani ſanctam judicaſſe: petebant uti Francia cum reliquis regnis ſentiret; ſchiſma tolleretur; nefas eſſe ipſos Reges cum ſchiſmatis ſtudioſis, aut fœdus jungere, aut junctum ſervare. Reſpondit dux Clementis cupidiſſimus, ipſum quoque Francum Regem Sapientem Carolum V. conventum ſuorum habuiſſe, de eorum ſententia ſtatuiſſe.*

Regum catholicorum ad Gallum legatio.

XIII. Andegavenſis ſchiſma confirmat.

Iniquum admodum id reſponſum fuit, cum Carolum etiam Regem imminente morte ſanctionis ſuæ, ut dictum eſt, pœnituiſſet ac longe prudentius cenſuiſſet, ortam in Eccleſia de vero Pontifice controverſiam œcumenicæ ſynodo, ut dirimeretur, committendam, piique omnes, & inter cæteros Urbanus ad ſchiſma extinguendum ſolemnes e toto orbe epiſcoporum conventus peroptarent; ſed antipapa & pſeudocardinales, ne convincerentur ſceleris ad mentionem concilii exhorreſcebant: atque ex his pſeudocardinalis Ebredunenſis commentarium a ſe editum ad Carolum Francorum Regem miſerat (c), qui inter Avinionenſium ſchiſmaticorum monumenta extat, quo diabolicis argutiis non cogendam ſynodum contendebat, pluresque difficultates ingerebat, a quo tandem concilium indici deberet, in quo celebrandum loco, quiſve illi præſes aſſeſſurus; ex quibus colligebat convocandum non eſſe: cujus argumenta in perniciem animarum, & ſchiſmatis propagationem vergebant. Petrus (d) etiam pſeudocardinalis S. Euſtachii contra lugubres piorum ſynodum œcumenicam, ne a vero Pontifice aberrarent, expoſcentium voces ſcriptis editis obganniebat, concilium in ea cauſa peragi non poſſe: adverſus quem Toletanus archiepiſcopus, qui alterutri parti ſe nondum addixerat, erudite ſcripſit (e) hoc anno, ac multa graviſſima ex ejus commentariis argumenta, quæ Urbani pontificatum illuſtrant, deprompſit in ſuo commentario, cujus præcipua capita decerpſimus.

Urbanus piique omnes concilium poſcunt.

(c) *Extat tom. 18. de ſchiſm. p. 345.*

Schiſmatici negant cogendum. Eorum ſophiſmata.

(d) *Tom. 17. de ſchiſm. pag. 223.*

(e) *Ibid. pag. 149. & tom. 17. pag. 223.*

Refelluntur a Toletano archiep.

*Reverendiſſimo in Chriſto patri & domino meo præcipue domino Petro S. Euſtachii diacono Cardinali veſtræ paternitatis orator Toletanus archiepiſcopus.*

XIV.

*Nunc, reverendiſſime pater & domine mi, venio ad aliud fundamentum, quod ponitis, quod eſt fortius, & ſuper omnia alia fundamenta. Ibi dicitis, quod quandiu reverendiſſimi patres, & domini Cardinales fuerunt Romæ, nunquam fuerunt in ſua libertate; ſed quod ſemper duravit metus, & omnes iſti actus ſupervenerunt metu durante, & per conſequens remanente impedimento, & vitio non purgato, &c. Contra quod fundamentum, nec ego, nec aliquis vivens, poſſet aliquando dicere de jure, ſed primus electus hoc expreſſe negat.* (Eniteſcit rei veritas pura in creationis Urbani hiſtoria ante allata. Subjicit Toletanus archiepiſcopus:) *Cum igitur per ſupradictam negationem efficiatur fundamentum veſtrum dubium, locus eſt juridicæ determinationi, quia etiamſi eſſet diabolus inferni, poſtquam ſe offert talia, & tam veriſimilia probaturum, non debet ſibi audientia denegari: ſatis enim videretur abſurdum, ſi vobis, & aliis dominis meis Cardinalibus accuſantibus ac dicentibus, ipſum apoſtaticum, intruſum, & antichriſtum, qui receptus, habitus, & reputatus fuit per totum mundum, ut verus Papa, qui per quatuor menſes fuit in poſſeſſione pacifica, abſque aliqua audientia expellatur, & eidem defenſionis copia denegetur contra c. cum inter, & c. ſignificaverunt de excep. cum ſimilibus infinitis: lex enim eccleſiaſtica Pontificem ab aliis accuſatum priuſquam ſub luce objecta conſtiterint, exigit non relinqui* VIII. *q. 4. c. nonne.*

Schiſmaticorum mendacia.

Judicio lis dirimenda fuit.

Ante illud deſeri Pont. non debuit.

*Modo, reverendiſſime pater & domine mi, ſubnectitur in veſtro themate* VIII. *quæſt. 4. in qua quæritis, an iſta juridica determinatio pertineat ad dominos Cardinales; & poſt alias rationes tenetis, quod ſic, & principaliter vos fundatis in c. ubi majus in §. idem quoque comprobatum per concilium Viennenſe e. tit. c. ne Romani, in clem. qui, §. mirabiliter, ſi detur probare, quod dicitis, & ad corroborationem ipſius allegatis opi. ho. quam recitat gloſ. in ca. de ſchiſm. li.* VI. *Sane, reverendiſſime pater & domine mi, ut ſæpius dixi rudis ſum, & de apicibus juris non tantum didici, ut aperire poſſim os coram tanto patre, qui eſt arca juris canonici; tamen, cum pace loquar cum domino meo, ut me cæcum & vacillantem in iſto paſſu velitis & dignemini illuminare, quia revera imbecillitas mea credit totum contrarium, videlicet, quod juridica determinatio, & finalis, ſeu ſententialis definitio cum cauſæ cognitione in hoc caſu, non pertineat ad dominos Cardinales: pro cujus evidentia præſuppono, quod de jure communi eſt, quod in eccleſiis collegiatis, ſi electores primo elegerunt, ſi electio tenet, ſed ex certis cauſis venit caſſanda, in iſto caſu electores non poſſunt aliam facere prima non caſſata: ſi vero prima electio non tenuit, ſed fuit nulla ipſo jure, dico quod in hoc caſu electores, qui non peccaverunt, poſſunt aliam electionem facere, etiam ex intervallo; ſed in hoc caſu ſuperior videbit an prima tenuerit, vel fuerit nulla, & an electores potuerunt facere ſecundum vel non, ita quod licet jura voluerint, quod electores poſſent eligere, ubi electio ipſo jure nulla eſt, & ſe informare quantum ad ſe, non tamen voluerunt, quod ipſis electoribus, ſed ſuperioribus ſuper hoc eſſet relicta juriſdictio, & finalis determinatio. Jura ſunt ſatis nota in c. conſideravimus, & c. auditis ubi de hoc, &c. bene, & c. congregato de elect. Præſuppono etiam, quod ſede Apoſtolica vacante Cardinales nihil poteſtatis, aut juriſdictionis habent, nec exercere poſſunt, ut in c. ne Romani, & tit. in clem.*



Quis juſtus ſit judex in ea cauſa.

Cardd. judicium ſibi male in ea cauſa arrogarunt.

Contrariam tuetur ſententiam Toletan. archiep.

XV. Vacante ſede Cardin. judicandi poteſtate non pollent.

*His præſuppoſitis venio ad rationem veſtram qua dicitis, licitum eſt Cardinalibus aliam electionem facere. Igitur poſſunt cognoſcere & certificari utrum prima electio teneat, vel ſit nulla ipſo jure, & utrum Eccleſia ſit viduata vel non. Certificari autem non poteſt niſi per determinationem, quod electio fuerit nulla. Ergo hoc determinare poteſt collegium, &c. Cum reverentia declino conſequentiam per jura prædicta & illa, quæ præſuppoſui. Ad probationem reſpondeo, & dico, quod domini Cardinales poſſunt ad ſui informationem certificari, & quærere ſi prima electio teneat, vel ſit nulla abſque poteſtate alicujus juriſdictionis ar. c. cum contingat de reper. in fin. & ita intelligo nota per* 10. *de fi. & hu. & Archidiac. & alios doctores, quos allegatis, & omnia alia jura per vos præſuppoſita, & ad hoc inducta. Sed quod Cardinales poſſint juridice definire, & quod ſtetur eorum determinationi & definitioni in præjudicium electi, jam per ipſos Cardinales inthronizati, & per quatuor menſes poſſidentis pacifice & quiete, ipſis Cardinalibus præſentibus, videntibus, & conſentientibus, vel ſaltem non contradicentibus, ipſo non vocato, non convicto, hoc omnino nego: quia decretum ne Romani, ipſos Cardinales privat omni poteſtate & jure & juriſdictione, ſede vacante.*

Damnari non potuit non convictus.

XVI. Schiſmaticorum argutia.

*Venio ad aliam rationem, qua dicitis, Metropolitanus, qui ad eccleſiam ſibi ſuffraganeam habet providere ipſum electum, & habet examinare, poteſt cognoſcere de merito illius electionis, utrum teneat, vel ſit nulla, & ipſius articuli determinatio ad ipſum noſcitur pertinere, Ergo hoc poteſt collegium Cardinalium, cum aliquis ad Romanam eccleſiam noſcitur eſſe electus, cum in iſta vacatione Cardinales fungerentur vice metropolitani* XXXIII. *d. c. in nomine Domini ibi: Quia ſedes Apoſtolica, &c. Cum reverentia loquendo, etiam iſtam aliam declino conſequentiam. Ad probationem reſpondeo, & dico, quod c. in nomine Domini in illo paſſu loquitur de ordinatione Romani Pontificis, & iſta de cauſa in illa diſtinctione collocatur, ut ibi dicit Gratianus, & Hug. in c.* I. LXXIX. *di. ita quod electo & creato Romano Pontifice Cardinales epiſcopi funguntur vice metropolitani ad conſecrandum electum antiſtitem, & non ad aliud ut ibi innuit text. & gloſ. Et ſi iſta ſolutio vobis non placet, reſpondeo prout reſpondet gloſſa ordinaria in gloſ. ne Romani, gloſ. quod ergo dicebat ho. in particulari. Sed nunc reſtat reſpondere ad aliud, quod magis urget, videlicet c. ubi majus, §. idem quoque, & dico, quod §. ille loquitur, quando aliquid tam grande, & tam evidens periculum imminet, &c. evidens autem dicitur manifeſtum, cujus probatio eſt in evidenti, ut in c. conſtitutionem de verb. ſignif. lib. 5. iſte autem non apparet manifeſte intruſus, immo talia ſunt, & narrantur in facto, propter quod multi valentes doctores, & de melioribus totius mundi dicunt, credunt, & firmiſſime aſſerunt, ipſum verum Papam cum quo etiam ſtat major pars totius Chriſtianitatis, quæ ita credit pro eo, quia, ſicut dixi per dominos Cardinales fuit electus, receptus, inthronizatus, habitus, & reputatus, & ut verus Papa poſſedit pacifice & quiete per quatuor menſes papatum, dominis Cardinalibus videntibus, ſcientibus, patientibus, & conſentientibus, vel ſaltem non contradicentibus; in quo caſu ita dubio non credo etiam habere locum c. ſi quis pecuniam. Sed in caſu manifeſto & notorio, & in jure & in facto.*

Fundant ſchiſma in mendacio impudenti.

*Et ſi dicatur: Impreſſio fuit manifeſta & no-*

*& notoria, reſpondeo; & dico, quod poſtquam ceſſavit impreſſio, & ille popularis tumultus etiam poſt aliquorum dierum intervalla inthronizatio, coronatio, & obedientia dominorum Cardinalium fuit manifeſta, publica, & notoria poſt quatuor menſes. Et ſi dicatur: Domini Cardinales dicunt, quod duravit metus; reſpondeo, & dico quod ipſe electus hoc negat, & vult probare contrarium, ut ſuperius dixi.*

Tumultu ſedato fuit nota Cardinalium conſenſio.

*Per iſtam igitur negationem conſideratis omnibus & ſingulis actibus, quos poſtea publice, palam, & notorie fecerunt domini Carnales, dicamus caſum dubium, & non habere locum in ipſo, c. ſi quis pecuniam, quod c. etiam poteſt intelligi, quando aliquis ſine concordi & canonica electione Cardinalium per militarem vel popularem tumultum fuit inthronizatus, ideo quia tunc inthronizatio eſt notorie mala, & inexcuſabilis: videtur ergo, quod in tali caſu licitum ſit Cardinalibus, & etiam laicis talem notorium & inexcuſabilem invaſorem depellere, & anathematizare. Secus autem in noſtro caſu, ubi licet dicatur electio non canonica, non tamen fuit inthronizatus militari vel populari tumultu, ut patet ex themate; ſed fuit inthronizatus per ipſos Cardinales, ad quos non ſolum electio, immo & inthronizatio pertinet de jure communi ut* XXIII. *d. in nomine Domini;* Et infra.

Collocatus in ſede a Cardin. Urb.

De Cardin. Ital. citatis a Gall.

*Adhuc redeo ad §. idem quoque, qui vere multum urget eo modo, quo per vos ſubtiliſſime eſt deductus; Et dico, quod aliter poteſt reſponderi. Pro cujus ſolutione præſuppono pro vero illud, quod vos dicitis in themate, videlicet, quod per patentes literas feciſtis citari Cardinales Italicos, ut infra quinque dies ad tardius convenirent vobiſcum in Anagnia ad deliberandum & providendum ſuper impreſſione vobis facta, & electione quam metu mortis feceratis, de remedio opportuno, necnon ad tractandum, & peragendum omnia, & ſingula, quæ propter præmiſſa erant neceſſaria ad ſalutem, & utilem proviſionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, &c. prout in literis citatoriis, ad quas me refero plenius, ac latius continetur, facta & intimata eis citatione præmiſſa, tres Cardinales, quia alius erat infirmus, comparuerunt infra dictum terminum, & poſt multa, quæ ibi fuerunt proloquuta, expreſſe dixerunt, quod eis videbatur, quod convocaretur concilium, & in iſta concluſione remanſerunt ſicut & adhuc ſunt conſtantes, quæ via vobis aliis dominis Cardinalibus Gallicis non fuit viſa utilis, ſed præjudicialis & non bona, & ipſam tamquam damnoſam & præjudicialem communi conſilio repuliſtis, ita quod in hoc caſu Gallici, & Italici domini Cardinales diſcordes remanſiſtis; & ſtatim præfatum electum cum ſolemni miſſa & ſermone anathematizatum & intruſum publicari feciſtis, prout in literis ſuper hoc confectis, ad quas me refero plenius, ac latius continetur. Cum igitur idem quoque dicat, niſi aliquid tam grande, tam evidens periculum immineret, quod omnibus & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum &c. Sed hic non fuerunt omnes & ſinguli Cardinales concordes, ut præſupponit thema: igitur ſupradictum non habet locum, nec concludit illud, ad quod inducitur.*

Cardd. Itali judicium concilio permittendum cenſuerunt.

Negant Galli.

*Venio igitur ad primum articulum ſub iſta 8. quæſt. comprehenſum, & per vos ſubtiliſſime & copioſe diſcuſſum, & quæro ſi ad Cardinales non ſpectat iſta determinatio, ad quem igitur ſpectabit? cum ſupportatione & determinatione videtur, quod ad concilium, quia iſta cauſa totam univerſalem Eccleſiam tangit. Igitur per regulam juris: Quod expreſſe gloſ. in c. ſi duo forte 79 diſt. cum quo tenet Archid. pro ipſa gloſſa allegando 6. q. 4. c. 1. Cum igitur iſti duo doctores antiqui hoc teneant reddentes generalem rationem, juridicam ſcilicet ſuſpicionem Cardinalium, quod eſſent judices in facto proprio, ſtemus eorum conſilio & opinioni, poſtquam non habemus aliquod jus in contrarium. Sed ſi ad concilium ſpectat iſta determinatio, quis convocabit concilium, & præſtabit authoritatem judiciariam, cum non poſſit concilium convocari, niſi per Papam, vel ejus legatum, & ipſum concilium recipit ſuam authoritatem ab ipſo Papa, qui modo non eſt cum ſedes dicatur vacare? Reſpondeo cum ſopportatione veſtra & omnimoda determinatione, & dico, quod convocabitur per cœtum reverendiſſimorum dominorum Cardinalium, qui hoc caſu ſuccedunt in juriſdictione populi. Sed quomodo, quo jure? Reſpondeo & dico, quod §. idem quoque c. ubi majus qui §. eo modo, qui per reverendiſſimam paternitatem veſtram inductus eſt, licet ad alium finem, videre meo, ad iſtud propoſitum mirabiliter facit, & hoc tenet expreſſe ff. 79. in c. ſi dicto forte, & per hoc cum reverentia loquendo, ſit evaſum, ſit ſolutum ad illas tres rationes, quas ſuper hoc facitis, & ſi hoc non placet eidem reverendiſſimæ paternitati, dico, quod ad majorem cautelam convocetur concilium per utrumque electum etiam per cœtum reverendiſſimorum patrum dominorum Cardinalium, & in hoc caſu ceſſabit omnis dubitatio.* XVII.

Eorum argutiæ.

Convocandi concilii modus.

( Interjectiſque nonnullis conqueſtus geſtæ rei veritatem a Cardinalibus variis involucris tegi atque obrui, ac fidelium mentes in fluctus ancipites abripi, ut in quam ſe partem conjiciant ignorent, concilio œcumenico tardiores moras injici expoſtulat.)

Mala ex mora concilii prænunciantur.

*Ex varietate*, inquit, *& diſcrepantia relatorum, tanta in perplexitate humana ratio confunditur, tanto ſtupore fidelium mentes ſubverſæ rapiantur, quod ſecum ipſi diſcedentes a ſenſibus propriis exulant & fluctuant ſpiritu, quo clare gradiantur ignorant*

Chriſtianorum in hoc ſchiſmate perplexitas.



*rant quamdiu, quamdiu? cras & cras; quare non modo, Judex æterne? Incipiunt dæmonum commenta nudari, detegi artes, ceſſare viſiones, & ſomnia & nefandæ peſtis materia conculcari, utinam mihi potius datum eſſet in ſudore vultus mei, & labore manuum fiſcellas junco contexere, & levia palmarum folia complicare, quam in tanto eccleſiæ Dei præcipitio, & ruina ad curam, & regimen potius aliorum peccata mihi alligare duplicia, & quotidianis mortibus & anxietatibus interire! En dicunt gentes: fideles ſponſæ & bene crediti paranymphi, qui, dum de ejus hereditate contenditur, ipſam profanandam infidelium latratibus derelinquunt, qui prætereuntes, & moventes capita ſua blaſphemant, dicentes: Quomodo dicit, quod nos ſalvos faciet, quæ in ſeipſa lacerata proſternitur? Juvet prius ſe ipſam, & ei credemus; & ſic, dum paſtores mutua ſe altercatione collidunt, lupi rapaces ab omni parte dominicum gregem invadunt. Miſſos fuiſſe legimus ſacerdotes & levitas ad Domini præcurſorem, quibus inſtantibus, ut de ſe ipſo teſtimonium perhiberet, propheta gratia Dei plenus, & humilitatis baltheo circumcinctus:* Non ſum, inquit, ipſe propheta; *& ſupprimere humiliter ſatagebat, quod de eo divinæ vocis oraculum præferebat. At inter noſtros apoſtolicos coelectos, non eſt, proh dolor! qui interrogatus reſpondeat de ſeipſo:* Non *ſum ego ſucceſſor Petri; non ſum vicarius Jeſu Chriſti, puto enim, quod collatis illi clavibus regni cœleſtis, diceretur a Domino: Amice, aſcende ſuperius: paſce oves meas, & gregis mei curam, probata humilitate, complectere; ſed ſuperba mens noſtra non vult ſponte deſerere, quod invita veretur mittere; cæca enim humanæ præſumptionis ambitio, turbato ordine, ad humana prius curſitat argumenta, quam cæleſtia velit ſperare præſidia. Talibus interdum dicitur per prophetam:* Si exaltatus fueris ut aquila, & inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraheris, dicit Dominus.

Inſultant piis infideles.

Ex ſchiſmate aucti virib.

*Succurrite ergo & ſubvenite patres conſcripti, luminaria ſuper candelabrum radiantia, & cæcos, vagos, fluctuantes, & trepidos, ac inſipientes in populo, veſtris illuſtrate ſplendoribus, veſtris injunctis viribus confortate, ut poſſimus pſallere cum propheta, dicente;* O quam ſpecioſi ſunt pedes annunciantium pacem, evangelizantium bonum! *Quod ſi hæc videritis non poſſe ſufficere, veſtras ſaltem debet pias conſcientias excitare zelus domus Dei, animarum pericula, infamia, confuſiones, & ſcandala, quibus veſtri ſanctiſſimi cœtus integritas, & totus Eccleſiæ Dei clerus, ex hujus horrendi ſchiſmatis tempeſtate univerſaliter involvuntur. Exiſtimat enim loquacis vulgi inconſulta protervitas, quod odii fomite non zelo juſtitiæ adverſus primum electum unanimiter concitati, eum exagitatis, quod abſit, molitionibus impugnatis, & de eorum, quæ aſſeritis, & ſecundi electi veritate, & juſtitia diffidentes, generalis concilii conſiſtorium declinetis; præſertim cum in hoc omnium fere Chriſtianorum principum, & trium Cardinalium Italicorum vota conveniant: & totius Chriſtiani populi deſideria proclamata concurrant: ex quo pars maxima occidentalis cleri, & populi, in fide primi electi ſunt adeo radicati, quod non niſi per viam dicti concilii, aut divino miraculo poſſit ejus ab ipſis devotio quomodolibet aboleri. Quare, benigniſſime pater, & domine, veſtram & aliorum dominorum meorum Cardinalium, quorum me facturam eſſe cognoſco, clementiam & pietatem, ſupplici humilitate depoſcens, oro & obſecro per illam inexhauſtam miſericordiam Jeſu Chriſti, & unitatem catholicæ fidei, quatenus a veſtræ ſplendidæ puritatis lucibus tantæ obſcuritatis maculam abradentes, & in hoc inſtantibus malis, & periculis occurrentes ad propoſitum dicti generalis concilii remedium concurratis &c.*

Adhortatio ad Cardd. ut ſchiſma tollant.

Diffidentes cauſæ defugiſſe concilium.

Concilio ſolo curari vulnera Eccleſiæ poſſe.

Reſpondit (*a*) Toletano archiepiſcopo ſchiſmaticus Cardinalis S. Euſtachii viam concilii œcumenici pernicioſam & difficilem a Gallis pronuntiatam, & concilii mentionem dolo ab Urbano fieri. Quamvis vero, ut ex ſuperioribus liquet, perſpectam & exploratam haberet Urbani cauſæ æquitatem, Petrus Toletanus archiepiſcopus, quia tamen trepide & remiſſe Dei negotium gerebat, poſtea humano terrore in ſchiſma impulſus eſt a Joanne Rege, qui turpiter ab agnita veritate anno ſequenti defecit. Miſerat porro in Caſtellam Pontifex Franciſcum epiſcopum Faventinum, ut Regem de re univerſa adverſus ſchiſmaticorum dolos inſtrueret: extatque ejuſdem epiſcopi luculentus tractatus Regi Caſtellæ inſcriptus, in quo ſeptemdecim veritates de Urbani Pontificatu in luce nitide collocatæ ſunt: cum vero Caſtellani teſtium dicta ut ea inter ſe conferrent, excipere vellent, hanc Pontifex ipſi epiſcopo Faventino provinciam dedit (*b*). XVIII.

(*a*) *To. 6. de ſchiſm. in reſp. ad archiep. Tolet. p.* 125.

Tolet. archiep. cauſam Dei trepide agens lapſus.

Teſtium dicta expetita a Caſtellanis.

(*b*) *Lib.* 3. *ep. cur. p.* 13.

*Venerabili fratri Franciſco epiſcopo Faventino Romæ commoranti & dilecto filio magiſtro Roberto de Straton, notario noſtro, &c.*

*Quia, ſicut notoria evidentia facti demonſtrat, nonnulli perditionis alumni, qui præſumptione damnabili ſanctuarium Dei jure hereditario ſibi vendicare perpetuo nitebantur, negotium electionis, & aſſumptionis noſtræ ad ſummi apoſtolatus apicem malitioſe calumniari, & ſchiſma in Dei Eccleſia ponere præſumpſerunt hactenus & præſumunt, & ne rei geſtæ veritas per lapſum temporis poſſit in oblivionem deduci, decens & expediens reputamus, ut ſuper hujuſmodi negotio fidedigni teſtes, qui in Romana curia tempore electionis, & aſ-* XIX.

Judiciarius ordo ſervatus.

*& aſſumptionis hujuſmodi præſentes extiterunt, diligenter examinentur, & eorum dicta ad perpetuam rei memoriam redigantur in ſcriptis, & in publicam notionem. De veſtra igitur prudentia, & circumſpectione ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus omnes illos viros providos & diſcretos; de quibus vobis videbitur, & illos præſertim qui tempore, quo piæ memoriæ Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter in ægritudinis lecto decubans, & in extremis agens ab hac luce migravit, ac etiam tempore electionis, & aſſumptionis prædictarum, & quando fuerunt coronationis noſtræ ſolemnia celebrata, etiam poſt coronationem hujuſmodi ſaltem per duos, vel tres menſes in Romana curia præſentes fuerunt, & quoſvis alios hujuſmodi rei conſcios, de iis, quæ dicta, geſta, ſeu facta fuerunt circa electionem, aſſumptionem, & coronationem prædictas per illos, qui tunc erant ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, & de ipſorum actibus, geſtis & modis etiam ante, & poſt coronationem prædictam, & de annexis eis, & dependentibus ab eiſdem diligenter examinare curetis, & ipſorum depoſitiones per manum publicam fideliter in ſcriptis ad perpetuam rei memoriam redigi faciatis, contradictores authoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. maii Pont. noſtri ann. III.*

Deſcripta ſunt in Avenionenſibus monumentis ſingula (a) capita, quæ Regis Caſtellæ ſanctius concilium a teſtibus explorari cupiebat, ex quibus nonnulla præcipua ſubiicimus.

(a) *Ext. to. 2. de ſchiſm. p. 94.*

*Quod dictum caſtrum*, nimirum S. Angeli, *in rebellione ſtetit contra dominum noſtrum Papam, & populum Romanum, & eorum vires per annum, vel circa de mandato dictorum dominorum Cardinalium. Item poſt inchoatam dictam rebellionem vix fuit, & potuit dictum caſtrum circumdari & claudi per potentiam domini noſtri, & populi Romani in pluribus menſibus, quin exiſtentes intus poſſent libere exire. Item quod ſupradicta civitas Viterbienſis ſupradictæ urbi vicina a decem, vel duodecim leucis regebatur, ac ſicut hodie regitur de facto per Franciſcum de Vico vocatum præfectum urbis inimicum dicti primi electi:* Et infra. *Item quod dictus dominus noſter modicum poſt creationem ſuam caſſavit, & revocavit comitem Fundorum, ab officio rectoratus Campaniæ ſibi commiſſi per ſanctæ memoriæ dominum Gregorium, & ibidem in rectorem inſtituit dominum Thomam de S. Severino. Item quod propter hoc dictus comes effectus inimicus dicti primi electi præſertim, quod reputabat dictum dominum Thomam æmulum ſuum. Item, quod recuſavit dare, & relaxare poſſeſſionem dicti rectoratus eidem domino Thomæ, & ſic ſe conſtituit notorium rebellem præfato primo electo. Item, quod domina Joanna olim Regina Apuliæ inimicatur eidem domino primo electo, & ipſius inimica fuit affecta pro eo tantum, quia ſibi ſuggeſtum fuit contra veritatem, quod dictus primus electus intendebat eam privare de dicto regno, quod ab eccleſia Romana in feudum tenebat. Item quod dominus primus electus dixit, quod intendebat, ut quaſi parem familiam tenerent domini Cardinales, & quod unico ferculo uterentur, & in eorum titulis facerent reſidentiam, & ipſos diruptos repararent, & quod intendebat tot creare Cardinales de omnibus nationibus mundi, quot erant ipſi, & ultra, ut ſic totum regimen, & gubernatio Romanæ univerſalis Eccleſiæ non eſſet in manibus unius, vel duarum nationum, ſed omnium, & multa alia.*

Cur Fundorum comes abalienatus ab Urb.

Cur exacerbati in Urbanum Cardinales.

XX. Hoc anno Petrus Portuenſis & S. Ruffinæ epiſcopus, ac Simon tit. SS. Joannis, & Pauli presbyter Cardinales alter Florentinus, alter Mediolanenſis vulgo nuncupati, cum Urbani acerbitatem iraſque formidarent, quod promiſſi antipapatus illecebra deliniti, Anagniam perrexiſſent, fœduſque iniiſſent cum ſchiſmaticis: omiſſa concilii œcumenici, quod magna laude flagitarant convocatione, qua titubantes ſaltem confirmare poterant ut concilii judicio ſtarent, in ſchiſma prolapſi ad antipapam ſe contulere in Gallias, atque electionis Urbani caſum (b) non paucis inquinatum mendaciis Niciæ evulgarunt.

Duorum Cardd. Ital. lapſus.

(b) *Ext. to. 1. de ſchiſm. p. 160.*

XXI. Hoc anno circiter, ut obſervat Nicolaus Harpsfeldius (c) in Wicleffiana hiſtoria, Willelmus Barton academiæ Oxonienſis princeps Pontificis Urbani, & Courtenæi primatis Angliæ, atque epiſcoporum obſecutus imperiis pro ſua in ſcholaſticum ordinem authoritate vocato theologorum (d) cœtu Wicleffi hæreſes damnavit; ac literariæ rei profeſſores, qui iis ſe contaminarant, judiciaria ſeveritate perculit ſubjectis literis.

(b) *Nicol. Harpſf. in Vvicleſ. hiſt. c. 5.*

Damnatæ Vicleffi hæreſes.

(d) *Ext. apud Henr. de Knygton. de event. Angl. l. 9.*

*Vvillelmus de Barton cancellarius univerſitatis Oxoniæ omnibus dictæ univerſitatis filiis, ad quos præſens noſtrum mandatum pervenerit ſalutem, & mandatis noſtris firmiter obedire.*

*Nonnulli maligni ſpiritus repleti conſilio in inſaniam mentis perducti, molienteſque tunicam Domini, videlicet ſanctæ matris Eccleſiæ ſcindere unitatem, quaſdam hæreſes ſufficienter ab antiquis patribus reprobatas, & per eccleſiam ſolemniter condemnatas, his diebus, proh dolor! innovant, & tam in iſta univerſitate, quam extra publice dogmatizant, duo inter alia ſua documenta peſtifera aſſerentes. Primo, in ſacramento altaris ſubſtantiam panis materialis, & vini poſt conſecrationem realiter remanere. Secundo, quod execrabilius eſt*

an-



*auditu, in illo venerabili Sacramento non eſſe Corpus Chriſti & Sanguinem æqualiter, nec ſubſtantialiter, nec etiam corporaliter, ſic quod Chriſtus ſit ibi in ſua propria præſentia corporali, ex quibus documentis fides catholica periclitatur, devotio populi minoratur, & hæc univerſitas mater noſtra non mediocriter diffamatur. Nos igitur advertentes, quod aſſertiones hujus partis ſe deteriores haberent, ſi diutius in hac univerſitate ſic tolerarentur, convocavimus omnes ſacræ theologiæ doctores, & juris canonici profeſſores, quos ad hoc aptiores credidimus, & in univerſitate præſentes reperimus, & præmiſſis aſſertionibus in eorum præſentia patenter expoſitis, ac diligenter diſcuſſis, tandem finaliter eſt compertum, atque judicio omnium declaratum ipſas eſſe erroneas, fidei orthodoxæ contrarias, & determinationibus Eccleſiæ repugnantes, contradictoriaſque earumdem eſſe veritates catholicas determinationibus eccleſiæ, & dictis ſanctorum conſonas, firmiterque credendas, videlicet.*

*Quod per verba ſacramentalia a ſacerdote rite prolata panis & vinum in altari in verum Corpus Chriſti & Sanguinem tranſubſtantiantur, ſeu ſubſtantialiter convertuntur, ſic quod poſt conſecrationem non remanent in illo venerabili Sacramento panis materialis, & vinum ſecundum ſuas ſubſtantias, & naturas, ſed ſecundum ſpecies earumdem, ſub quibus ſpeciebus verum Corpus Chriſti, & Sanguis continentur non ſolum virtualiter ſeu figuraliter, ſed eſſentialiter, ſubſtantialiter, & corporaliter, ſic quod in illo venerabili Sacramento eſt Chriſtus licet indiviſiſſime in ſua præſentia corporali. Hoc credendum, hoc docendum, hoc contra omnes homines viriliter defendendum.*

*Auctoritate igitur noſtra monemus primo, ſecundo, & tertio, ac diſtrictius inhibemus pro prima monitione aſſignando unum diem, pro ſecunda alium diem, pro tertia monitione canonica, & peremptoria unum alium diem, ne quis cujuſcumque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat præmiſſas aſſertiones erroneas, vel earum alteram publice foventem, docentem, ſeu defendentem quovis modo, audiat, vel auſcultet; ſed ſtatim cum perceperit tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem, fugiat, & abſcedat ſub pœnis in jure expreſſis, & ſub pœnis incarcerationis, & ſuſpenſionis ab omni actu ſcholaſtico, etiam ſub pœna excommunicationis majoris &c.*

XXII. Alios errores non modo ad Chriſtianam pietatem, verum ad inſitam naturæ ſupremi Numinis omnium rerum notitiam convellendam diffuderat Wicleffus, ut obſervat Thomas Waldenſis (a), nam qui attente Wicleffi doctrinam perpenderit eum atheum extitiſſe animadvertet, ac veterum deliramentis, non alia, quam quæ ſenſibus ſunt obvia, eſſe putantium inhæſiſſe, ac nitidis verbis impietatem expreſſiſſe, quamvis illius invidiam apud ſuos ſophiſmatum fucis, & inſulſo ad divinas rerum omnium ideas perfugio eluſerit, Quippe qui æternitatem cum ethnicis ſpeciei rerum fluxarum attribuit (b): divinam omnipotentiam creatarum rerum numero, & circumſcriptione definivit (c) cum Petro Abailardo: invidiæ crimine Deum optimum maximum aſpergere cum Manichæis non exhorruit, ſi mundum tam perfectum, quam potuit, non procrearit (d): negavit aliquam creaturam in nihilum redigi poſſe, tum addidit omnia, quæ creari poſſunt ſimul procreata, eo quod genus entis creatum eſſet cum aliquod individuum creatum eſt: divinam libertatem oppugnavit (e), affirmavitque omnia, quæ Deus agat, neceſſitate abſoluta fieri, hanc vero neceſſitatem abſolutam, ex divina rerum futurarum præſcientia male aſtruxit (f).

(a) *Thom. Vvald. to. 1. lib. 1.*

Vicleffus fuit atheus.

(b) *Vvicleff in 2. trialog. c. 2. & in tractat. de tempore.*
(c) *Thom. Vvald. lib. 1. ar. 1. c. 10.*
(d) *Id. c. 16.*
(d) *Apud Vvalden. c. 18.*
(e) *Ib. c. 24.*
(f) *Ib. c. 23.*

XXIII. Adjecit (g) tot blaſphemis in divinitatem vocibus alios circa humanitatem Chriſti putidos errores, & ſecum pugnantes. Finxit primum duas animas in Chriſto eſſe, nam in ſecundo trialogi, ita concludit: *Videtur mihi, quod omnis homo habet in ſe duas manieras* [*ideſt ſpecies*] *animarum, unam ſpiritum immortalem, & aliam corruptibilem ſimilem beſtiarum animæ.* Et in libello (h) de compoſitione hominis cap. 6. *Sicut verbum eſt tres naturæ ſeparabiles, ſic homo eſt tres naturæ, ſcilicet ſpiritus, corpus, & animatio corporalis.* Cum Manichæis ſentit, verbum divinum non aſſumpſiſſe humanam carnem, quod dicat ſpiritum rationalem eſſe totum & completum hominem: *Quod eſt completum*, inquit, *alterius acceſſu non eget, ut ſit plenum. Si ergo Chriſtus aſſumpſiſſet ſpiritum hominis immortalem abjecta carne corruptioni obnoxia, adhuc per ſe fuiſſet, & completiſſime homo in humana natura Chriſtus. Cum Deus ſit, nihil operatus fruſtra. Carnem ergo hominis non aſſumpſit cum ad veritatem humanæ naturæ hoc non oportuit.* Hæc Wicleffus jam Manichæus. Qui etiam ad creaturam honorem Deo debitum tranſtulit, nam in Trialogi cap. 10. ſtatuit cultum latriæ humanitati Chriſti, ſi dimitteretur a Verbo divino, deferendum.

(g) *Eod. lib. 1. art. 2. c. 31.*

Errores ejus circa myſterium incarnation.

Duas animas finxit in homine.

(h) *Ibid. c. 35. & in ſecundo trialogo c. 7.*

Carnem a Verbo aſſumptam negavit.

Senſit etiam male Wicleff (i) de gratia, in qua non confidendum, ſed in juſtitia propriæ vitæ, docuit cum Pelagio. Reliquæ Wicleffi hæreſes adverſus Eccleſiam & ſacramenta afferentur ſuis locis. Obſervat vero Nicolaus Harpsfeldius impii hominis doctrinam tum divinis miraculis confutatam, tum a recentiorum (k) ſectariorum principibus reprobatam. Cæterum inertior fuit in perſequendo nefandiſſimo hæreſiarcha Simon e Suberia archie-

(i) *Vvicleff in lib. 1. de prat. c. 1. Tho. Vval. to. 3. tit. 1. de orat. c. 8.*

Senſit cum Pelagio male de gratia.

Immerito recentiores novatores Wicleffum colunt.

(k) *Harpſf. in hiſtor. Vvicleffiana c. 18.*

chie-

chiepiſcopus Cantuarienſis : quam poſtea culpam ſuo cruore, cum Wicleffiſtæ plebem ad ſeditionem concitaſſent, ipſum eluiſſe viſuri ſumus.

XXIV. Archiep. Cantuar. in Wicl. comprimendo ſegnior. (a) *Valſing. in Rich.* 2. Segnitiem cruore luit. Pius S. Cathar. obitus. Prophetiæ dono illuſtris : (b) *Raym. par.* 2. *c.* 6.

Inter medios Wicleffiſtarum & ſchiſmaticorum tumultus hoc anno S. Catharina Senenſis ad cœleſtem felicitatem migravit. Conſcripſit res ab ea præclare geſtas, ut antea dictum eſt, tribus libris Raymundus (*a*) Capuanus ordinis Prædicatorum ſummus magiſter, arcanorum omnium ejuſdem particeps, ut qui ſacramenta illi adminiſtrare conſueverat, ac plura pia admiratione digniſſima de ſacris extaſibus, ſingulari Chriſti in eam amore, familiari cum ea uſu, patratis prodigiis, prophetiæ dono, virtutum exemplis præclariſſimis, lucrandarumque Chriſto animarum ardore narrat, quæ pium lectorem cœleſti perfundunt dulcedine, e quibus nonnulla, quæ parta ex impiis ſchiſmaticorum hæreticorumque facinoribus tædia levent, perſtringemus : *Vidi*, (*b*) inquit, *eam ſemel raptam a ſenſibus modo quo ſupra dictum eſt, audivique muſſitantem vocem ſubmiſſam ; cumque appropinquaſſem diſcrevi verbum ejus formaliter & in latino, videlicet : Vidi arcana Dei ; & iterum atque iterum : Vidi arcana Dei ; nec aliud quidquam ſubinferebat, ſed illud tantummodo repetebat. Cumque reddita fuiſſet poſt magnum ſpatium corporeis ſenſibus, non tamen ab iſto verbo ceſſabat, continue repetens idem verbum : Vidi arcana Dei. Tum ego volens cauſam hujus tantæ repetitionis ejuſdem verbi ab ipſa requirere, inquam ; Cur, obſecro mater mea, tam aſſidue verbum hoc repetis, nec nobis [ut aſſoles] exponis quod dicis, nec aliud quidquam adjungis ? At illa nequaquam eſt, inquit, poſſibile, me aliter, aut aliud dicere. Cui ego : & quæ tantæ novitatis eſt cauſa ? Tu mihi etiam non quærenti multa conſuevisti de his, quæ tibi oſtendit Dominus, declarare. Cur ergo nunc non ſimili modo ad quæſita reſpondes ? Tunc illa : Tantam, inquit, conſcientiam haberem vobis illud, quod vidi, defectivis iſtis vocabulis explanare, quantam quodammodo ipſum Dominum blaſphemare, vel verbis meis inhonorare, quia tanta eſt diſtantia inter id, quod intellectus a Deo raptus, illuſtratus, & confortatus intelligit, & id quod verbis exprimi poteſt, quod quaſi contraria videntur : qua ex cauſa nullo pacto poſſem inclinari ad vobis aliquid diſſerendum pro nunc de his, quæ vidi, quia ineffabilia ſunt.*

Alti mentis ejus exceſſus.

Divina humanis verbis explicari poſſe negat.

(c) *Id. ib.* Chriſti ſtigmatibus exornata.

Inter alia munera, quibus ipſa a Chriſto ſponſo ſuo affecta eſt, etiam Chriſti ſtigmatibus (*c*), quæ inviſibili modo illi impreſſa primo acerbiſſimos dolores intulſerunt, deinde etiam in ipſius fatiſcentis & moribundi corporis robur & vitam converſa ſunt, inſignita fuit, de quibus Vincentius Juſtinianus egregium commentarium edidit. Quis vero Chriſti in ſanctiſſimam hanc virgunculam teneros amores digne unquam explicet, cum etiam ipſam tradito cœleſti annulo, ut quondam S. Catharinæ martyri, ſibi ſacro connubio jungere dignatus ſit ? ut narrat ejus vitæ author (*d*).

Chriſtus tradito annulo ſibi eam deſponderat. (*d*) *Id. par.* 1. *c.* 12.

XXV. Animas intuita eſt.

Singulare etiam & rarum fuit illud munus, quo a Chriſto exornata eſt, ut quæ a rerum corporearum amore omnino ſe divulſerat, licet corporeis conſtricta vinculis, tamen quaſi jam eſſet a corpore ſegregata, animas intueretur : utque earum, quæ divina gratia erant præditæ pulchritudine mirifice delectabatur, ita earum, quæ criminibus erant fœdatæ, horrorem fœtoremque tolerare non poterat, cujus rei admirandæ certiſſima exempla affert Raymundus (*e*) : *cum ſemel ei referrem ſecrete, quod quidam murmurabant pro eo, quod videbant quamplures utriuſque ſexus coram ipſa genu flectentes, qui non prohibebantur ab ea, reſpondit : Novit Dominus, quod ego de geſtibus corporis illorum, ſeu illarum, qui circa me ſunt parum, vel nihil percipio ; tantum enim occupor in conſideratione animarum ipſorum, quod de corporibus quodammodo nihil adverto. Tunc ego : Nunquid ipſorum animas intueris ? At illa : Pater ſub confeſſione vobis revelo, quod poſtquam Salvator meus tantam mihi conceſſit gratiam, quod quandam animam jam propriis demeritis æternis incendiis deputatam*, niſi ſcilicet divina gratia pertinaciam illius ad pœnitentiam fregiſſet antequam e vivis excederet, *ad mearum precum inſtantiam de barathro æternæ damnationis eripuit*, nimirum ſacramentorum uſu præſervando, ut fuſe in Palmerinæ ſociæ, quæ ob concepta in B. Catharinam, exercitaque odia damnanda fuerat, hiſtoria narratur, *& ejus pulchritudinem mihi oſtendit, nunquam, vel valde raro coram me apparuit quiſpiam, cujus animæ conditiones non viderem ; & ſubjungebat : O pater mi, ſi vidiſſetis pulchritudinem animæ rationalis, non dubito quin, ſi eſſet poſſibile, centies ſubiretis mortem corpoream pro animæ unius ſalute ; nihil eſt enim in hoc ſenſibili mundo, quod poſſet illi pulchritudini comparari.* Et infra.

(*e*) *Id. par* 2. *c.* 3. Peccatorum fœtorem ſenſit.

*Cæterum ad ampliorem confirmationem eorum, quæ diximus, recolo me aliquoties fuiſſe interpretem, inter fœlicis memoriæ dominum Gregorium XI. ſummum Pontificem, & hanc ſacram virginem, de qua ſermo ; ipſa enim non intelligebat latinum ſermonem, ſummus Pontifex non noverat italicum idioma ; dumque me interpretante, loquerentur ad invicem, ſacra virgo conqueſta eſt, quod in Romana curia, ubi deberet paradiſus eſſe cælicarum virtutum, inveniebat fœtorem infernalium vitiorum. Quæ dum Pontifex percepiſſet, quæſivit a me quantum tempus eſſet, quod ad curiam perveniſſet, & cum in-*



Monuerat Greg. XI. ſenſiſſe ſe in curia Romana graviſſimum fœtorem criminum.

*intellexiſſet, quod eſſent admodum pauci dies, reſpondit : Quomodo infra paucos dies potuiſti curiæ Romanæ mores inveſtigare ? Tunc illa inclinationem corporis, & abjectionem commutans in quandam ſubito quodammodo majeſtatem, ut etiam corporeis oculis tunc percepi, & erigens ſe in altum in hæc verba prorupit ; Ad honorem omnipotentis Dei audeo dicere, quod plus percepi fœtorem peccatorum, quæ in Romana curia committuntur exiſtens in civitate mea, unde ſum nata, quam percipiant ipſi, qui ea commiſerunt & committunt quotidie. Ad hæc Pontifex ſubticuit : ſed ego ſtupefactus conferebam in corde meo & ſignanter notabam quanta cum authoritate proferebantur verba hæc coram tanto Pontifice.*

*Item frequenter accidit tam mihi quam aliis, qui eam comitabantur, itinerando per diverſas mundi partes, ubi nuſquam prius fueramus ipſa vel nos, quod veniebant perſonæ penitus ignotæ tam nobis, quam ei decenter indutæ, quæ apparebant bonorum morum ; ſed in rei veritate in peccatis erant pertinaciter fundatæ : quarum crimina ipſa mox percipiens, nec loqui eis, nec faciem vertere quodammodo poterat ad loquentes : quod ſi omnino inſtabant parumper, clamoſe dicebat eis : Nos deberemus prius crimina noſtra corrigere, & de laqueo diaboli egredi, ac poſtmodum de Deo loqui. Hæc & ſimilia talibus inquiens, quam citiſſime poterat, liberabat ſe ab eis, noſque poſtmodum inveniebamus illas fœditatis crimine irretitas, in quibus impœnitenti corde perſeverabant. Invenimus ſemel quamdam mulierem quæ, proh dolor ! cujuſdam magni prælati eccleſiæ erat continua concubina. Hæc dum cum ea, præſente me, loqueretur, & apparentiam oſtenderet tam in actibus, quam in veſtibus honeſtatis ; numquam tamen faciem virginis ex oppoſito proſpicere potuit, quia ſemper avertebat vultum ab ea : quod ego admirans, & diligenter inquirens de conditionibus ejus, reperi quod dictum eſt ſupra, quod cum poſtmodum ei retuliſſem, ſecrete reſpondit mihi : Si vos ſenſiſſetis fœtorem, quem ego ſentiebam, dum loqueretur mihi, evomuiſſetis. Hæc tibi lector idcirco propoſui, ut noſcas, quantæ fuerint excellentiæ dona ſacræ huic virgini conceſſa ex alto.* Ornavit ſuperiori ætate B. Philippum Nerium noſtræ congregationis Oratorii conditorem eodem munere Deus, ut ſæpe plures ad conſcientiæ fœdam ſentinam exhauriendam admonuerit, cujus exempla aliquot a Petro Jacobo Bacio vitæ authore, & ejuſdem congregationis presbytero recenſentur. Sed alia, quæ in S. Catharina fulſere percurramus.

Avertere ſæpius ora propter fœtorem cogebatur.

Id perſpicue patuit in quadam concubina præl. quæ ipſam alloquebatur.

XXVI. Diu ſola Euchar. contenta vixit.

Plane admirandum etiam fuit, & certiſſimis teſtibus oculatis comprobatum, ita ſacra Euchariſtia refectam, ut omnes alios cibos reſpueret, quantumvis maximos labores toleraret, ac divina virtute calor nativus humidum primigenium non depaſceret, neque corporis illius ſubſtantiam mortali more paulatim reſoluta difflaretur. *Quando hoc accidit, prima vice*, inquit (*a*) Raymundus, *ſtetit hæc virgo ſpiritu Dei plena a quadrageſimali tempore uſque ad feſtum Aſcenſionis Dominicæ abſque quocumque cibo, & potu corporeo ; ſemper tamen alacris & jucunda : nec mirum, quia fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, ſecundum B. Apoſtolum ; & juxta primæ Veritatis ſententiam : Non in ſolo pane vivit homo rationalis, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei ; & rurſus ſcriptum eſt : Juſtus ex fide vivit. In die autem aſcenſionis ſicut Dominus ei prædixerat, & ipſa notum fecerat confeſſori ſuo, comedere potuit, & de facto comedit materialem panem hunc, & pulmentum olerum, vel herbas crudas, aut quadrageſimalem cibum : quia fas non erat delicatum cibum illud corpus ingredi via miraculoſa, vel naturali.*

(*a*) *Id. par.* 1. *c.* 6. *& par.* 2. *c.* 5.

Quantis vero divinis muneribus ipſa illuſtraretur quoties divinam Euchariſtiam perciperet, ac ſæpius Chriſtum dominum in ea intueretur, perſtringit idem (*b*) author, ſic inquiens : *Frequenter videbat latentem in manibus ſacerdotis infantem, quandoque grandiuſculum puerum, aliquando fornacem ignis ardentis, quam, dum Sacramentum ſumebat, ſacerdos ingredi videbatur, ſæpius ſentiebat tantum odorem, & tam ſuavem ſumendo ſupervenerabile Sacramentum, quod fere deficiebat in corpore. Semper autem videndo, ſive ſumendo Sacramentum altaris novum, & indicibile gaudium generabatur in mente ipſius, ita ut ſæpius cor ejus præ gaudio ſaltaret in corpore*, & infra : *Nec aliquid mirum erat ſi cor ſupernaturaliter datum ſupernaturaliter movebatur, quia etiam propheta cantabat : Cor meum & caro mea exultaverunt [ id eſt extra ſaltaverunt ] in Deum vivum ; ubi Deum ſingulariter nominat vivum ipſe propheta, quia ſaltus ille cordis a vita cauſatus non ſicut vult naturalis regula mortuum reddit hominem hoc patientem, ſed vivum.* Cupienti ſacram Euchariſtiam accipere, interdum Chriſtus eam ſua manu ipſi porrexit, interdum latus ejus ori applicuit, ut ſanctiſſimum Sanguinem ſugeret, interdum hoſtiæ particula e ſacerdotis manibus deſiliens, in illius os provolavit, interdum etiam ſuſcepturæ Euchariſtiam vultum cæleſti ſplendore radiantem Raymundus Capuanus inſpexit. Ferebat illa divinæ gloriæ cupidiſſima vitam acerbe ob ingentia mala, quæ in Dei Eccleſia ingraveſcebant, & extremum exitium Neapolitano regno ob Joannæ Reginæ ſecundam defectionem priore graviorem impendere prævidebat, ut ipſa in literis (*c*) ad Raymundum ip-

(*b*) *Ibid. c.* 6.

Admiranda ſæpe vidit in Euchar.

Cordis palpitatio mirabilis.

Chriſti in S. Catharinam amor ſingularis.

(*c*) *S. Cath. ep.* 109.



 ſum

ſum ſcripſit, divinamque exoravit miſericordiam, ut ipſam ad cæleſtem patriam evocaret.

XXVII. Quantæ vero egregiæ conſtantiæ & cæleſtium virtutum exempla, ipſa inter acerbiſſimos dolores morti proxima præbuerit, atque de dæmonibus glorioſiſſimum triumphum retulerit, deſcribit (a) idem author ex oculatorum teſtium fide digniſſima relatione.

(a) *Raym. par. 3. c. 4.*

Ejus in morte lætitia.

*Præ triſtitia*, inquit, *gementibus ipſa ſubintulit; Non debetis, dilecti filii chariſſimi, de meo tranſitu contriſtari, immo potius congaudete mecum. Sed congratulamini mihi, quia dimitto locum pœnarum, & vado ad requieſcendum in mari pacifico Deo æterno. Vobis autem affirmative promitto, quod magis vobis utilis ero poſt tranſitum, quam umquam fuerim, vel eſſe potuerim, dum fui vobiſcum in hac vita tenebroſa plena miſeriis. Verum hoc non obſtante vitam, & mortem, & omnia pono in manibus ſponſi mei æterni, ut ſi videns me futuram utilem alicui creaturæ, velit me adhuc in laboribus manere, & tormentis, parata ſum pro honore nominis ejus, & pro ſalute proximi centies in die, ſi poſſibile ſit, mortem & tormenta ſubire. Si vero placuerit ei quod modo tranſeam, tenete pro firmo, filii chariſſimi, quod ego vitam dedi pro ſancta Eccleſia quod ad ſingulariſſimam gratiam reputo a Domino mihi fore conceſſum:* Et infra.

Vitam ſe dare pro Eccleſia teſtatur.

*Petivit ab omnibus veniam dicens: Licet, dilectiſſimi, ſemper ſitierim, & deſideraverim veſtram ſalutem, quod negare non audeo: nihilominus tamen ſcio quod erga vos in multis defeci, tum quia non fui vobis exemplum ſpiritualis lucis, & virtutis, ac bonorum operum, ſicut eſſe debuiſſem, & potuiſſem, ſi fuiſſem vera ancilla, ac ſponſa Jeſu Chriſti, tum etiam quia erga veſtras neceſſitates corporeas non fui diligens & ſollicita prout debui: quamobrem ab omnibus, & ſingulis vobis veniam peto, & indulgentiam, humiliter, & inſtanter, unumquemque veſtrum hortans & orans, ut ſequamini uſque ad finem virtutum viam, & ſemitam, quia ſic faciendo eritis gaudium meum, & corona mea: Et his dictis finem fecit ſermoni ſuo. Deinde licet omni die, ut mihi conſtat, advocato confeſſore generaliter fuit confeſſa, & ſacramentum ſuperdulciſſimum ſacræ Euchariſtiæ humiliter petens, ac cætera ſacramenta horis & modis debitis ad votum cuncta obtinuit ut optabat: quo facto petivit indulgentiam plenariam ſibi dari, ſicut a duobus ſummis pontificibus Gregorio ſcilicet XI. & Urbano VI. jam pridem obtinuerat gratioſe, quo facto cœpit agonizare, ac cum hoſte antiquo bellum ingredi ſpeciale, quod aſtantes perceperunt ad actus, atque verba ejus: nam quandoque tacebat, quandoque reſpondebat, quandoque ridebat quaſi deridens, quæ audiebat; quandoque accendebatur; unum tamen notaverunt, quod mihi retulerunt, & puto quod Dei voluntas fuit; nam dum parumper conticuiſſet quaſi audiens aliqua contra ſe, læto vultu reſpondit: Vanam gloriam numquam, ſed veram gloriam, ac laudem Domini, utique. Nec ſine cauſa providentia divina hæc voluit ſciri: multi enim ſpirituales viri, & etiam mulieres propter affabilitatem charitatis, ac exceſſus gratiarum ei divinitus conceſſarum putabant eam laudes hominum quærere, vel ſaltem in eis aliqualiter delectari; propter hoc taliter inter homines converſari. Unde plures quandoque de ipſa loquentes, etiam mihi dixerunt: Ut quid iſta gyrovagando diſcurrit? mulier eſt. Quare non manet in cella, ſi vult Deo ſervire? Quibus, ſi quis diligenter advertat, ſufficienter reſponſum eſt: Vanam gloriam,* inquit, *nunquam; ſed laudem & veram gloriam Dei utique; ac ſi aperte diceret: Non propter vanam gloriam diſcurrebam, aut alia quæcunque opera faciebam: ſed propter laudem, & gloriam nominis Salvatoris omnia operabar;* Et infra.

Certat cum dæmonibus deque iis triumphat.

Digna gloria non propter gloriam ſe geſſiſſe teſtatur.

*Cumque horam exitus appropinquare videret, inquit: Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum; & hoc dicto, ſancta illa anima [ſicut diu deſideraverat] carne ſoluta eſt, & ſuo ſponſo, quem tam ineffabiliter dilexerat, indiviſibili, & perpetua unione eſt conjuncta anno Domini MCCCLXXX. die XXIX. menſis aprilis, quæ fuit dominica dies circa horam tertiarum: qua hora mihi exiſtenti pro tunc in civitate Januenſi, ſpiritus ejus quaſi locutus eſt omnia verba, quæ ſupra ſcripta ſunt & ipſa mandaverat mihi debere referri, teſte illa veritate, quæ nec falli, nec fallitur. Sed excæcatum cor meum tunc non intellexit, unde illa venirent verba, licet tam verba, quam ſenſum perfecte perciperem.* Quod ne inane ludibrium putaretur, etiam miraculo confirmatum eſt, tum gloria qua in cælo B. Catharina potita eſt, piæ viduæ nomine Semiæ, oſtenſa tum innumera beneficia divinitus collata fuere iis, qui ſe ejuſdem virginis precibus commendarunt, ex quibus nonnulla recenſet Raymundus (b). De tranſlatis ſacris ipſius reliquiis hæc habet S Antoninus (c); *Poſt honorificam ejus ſepulturam in conventu S. Mariæ ſuper Minervam, me tunc in dicto conventu exiſtente priore, tranſlatum eſt corpus dictæ Virginis circa annum Domini MCCCCLXXX. in eadem eccleſia ad locum eminentiorem in cappella juxta minorem cappellam exiſtente, & collocatum in ſepulchro marmoreo, quod incineratum erat oſſibus remanentibus.* Ut vero ſolemni ritu ſanctarum virginum honores illi a Pio II. decreti fuerint, ſuo loco dicetur.

Tempus ejus mortis.

Tunc Raymundo interne loquitur.

Claret miraculis.

(b) *Raym. Capuan. par. 3. in vita S. Cathar.*

(c) *S. Anton. par. 3. tit. 23. c. 24. §. 19.*

Ubi ſepulta. A Pio II. in SS. virginum catalogo repoſita.

Quod ad Raymundum Capuanum ſpectat; is ab Urbano ad Carolum V. Francorum Regem fuerat miſſus, ut ipſum a ſchiſmate revocaret: qui ſuſcepto (a) itineri vix ex ſchiſmaticorum cruentis manibus, aſtricto vinculis ab hoſtibus ejus ſocio, evaſit; Genuæque ſubſtiterat, ad quem extant S. Catharinæ paulo ante obitum, datæ literæ (b), ut fortem animum gereret, quo martyrum Jeſu gloriam adipiſceretur: perſtrinxit (c) autem non ſecutum conſilia a ſe ſuggeſta, eo quo par erat pietatis ardore, ac propterea itinere prohibitum, ſatiusque fuiſſe, ut ſi religioſo cultu penetrare in Gallias non potuiſſet, ſaltem peregrini inopis cultu ſimulato ſtipem emendicans in eas irrepſiſſet, propoſitamque aliam itineris rationem iniviſſet, quam Deus arcano afflatu docuerat.



(a) *S. Cath. ep. 107.*

(b) *Ibid.*

(c) *Ep. 109.*

Raymun. perſtrictus a S. Catharina.

Liberata divina ope Veneta reſpub.

XXVIII. Vindicata eſt hoc anno (d) divina ope Veneta reſpublica ab extremo pene exitio, in quod ab Auria Genuenſium duce, & fœderatis hoſtibus poſt expugnatam Clodiam conjecta fuerat: Veneti enim miſſis, qui pacem orarent, divinum Numen ſibi conciliarunt, atque a Carolo Zeno ex oriente cum claſſe reverſo confirmati, Genuenſes nimirum ſibi veluti de certiſſima victoria præfidentes fuderunt, ac poſtea obſeſſos, ſalutemque unicam ſine ſpe libertatis pactos ad Clodiam dedendam compulerunt XXII. junii die, uti obſervat appendicis ad hiſtoriam Andreæ Dandali author. Commutati ii poſtea cum aliis Venetis, qui a Genuenſibus tenebantur. Interea variis in locis ſummo ardore, varioque eventu certatum, Juſtinopolis a Genuenſibus vi expugnata, iterumque a Victore Piſano claſſis Venetæ præfecto recuperata: Tergeſtum a Marquardo patriarcha Aquilejenſi, Caſtrum francum a Franciſco Carraria intercepta.

(d) *Diar. MS. Venet. Append. ad hiſt. Andr. Dand. Petrus Marcell. in Andr.*

*Contaren. Bizar. de bell. Venet. l. 2. Foliet. hiſt. Gen. l. 8. Blond. dec. 2. l. 10. Bonif. hiſt. Tarv. l. 10. Laonic. Calchon. lib. 4. & alii.*

Fuſi Genuen. Clodia Venetis dedita.

Nec occidentem modo id bellum miſcebat, verum orientem in arma concivit: Emmanuel enim Conſtantinopolitanus Imperator Galatam Genuenſium coloniam oppugnavit (e) magno, ſed irrito conatu, nec levi rerum ſuarum clade. Sedatum demum ſequenti anno fuiſſe atrox hoc bellum viſuri ſumus.

Vario eventu alibi pugnatum.

(e) *Bizar. de bell. Venet. l. 2.*

I. Divina in Jo. Reginam ſchiſmatis altricem ultio.

STatuere viſus eſt Deus in Joanna I. Regina Neapolitana, anno a ſalute reſtituta octogeſimo primo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione quarta triſte exemplum, ut diſcant mortales, quam impares ſint regiæ opes, armorumque inania præſidia; ac diuturnam eſſe non poſſe felicitatem perduellionis reorum, qui hoſtili animo adverſus Chriſti vicarium animati ſunt: ingrata enim mulier, præcipua ſchiſmatis artifex, funeſtos Siciliæ Regum, qui Eccleſiam inſectati erant, oblita caſus, cum flecti ad officium poſt repetitum lapſum non potuiſſet, demum exuta eſt regno, quod Carolo principi Dyrrachino apoſtolica liberalitate collatum fuit, ut narrat cum aliis pluribus Gobelinus (a), additque ut Ludovicus Hungariæ Rex a pontificiis oratoribus ſolicitatus Carolum ad expeditionem Neapolitanam conficiendam, & ſchiſma in eo regno abolendum incitarit, conceptaque olim in Joannam ob Andream fratrem ejus conſenſu præfocatum odia vindicarit: *Rex*, inquit, *Hungariæ, jamdudum contra prædictam Reginam ægrum geſtans animum, ex eo quod quondam Rex Andreas frater ejuſdem Regis, primus ipſius Reginæ Joannæ maritus, in Averſana civitate noctu in palatio ſtrangulatus, & de feneſtra projectus, & de mane repertus in horto fuerat, cujus ſceleris ipſam Reginam communis fama conſciam prædicabat, licet eundem fratrem ſuum magnifice vindicaſſet, ad ipſius Reginæ exterminium ferventius anhelabat. Unde Carolus collecto exercitu de Hungaria per partes profectus Italiæ Romam pervenit ad urbem: ubi a Papa Urbano, præſtitis ſibi, jure homagii fidelitatis ſacramentis, regni Siciliæ diadema recepit.*

(a) *Gobelin. in coſmodr. ætat. 6. c. 76. Theod. Niem. l. 1. c. 21. S. Anton. t. 22. c. 2. §. 7. Collenut. hiſt. Neap. l. 3. c. 1. Paul. Æmil. in Car. VI. Vvalſing. in Rich. II. Urb. Vit. MS. Vallic. bibliotb. ſign. ad lit. C. n. 25. & alii.*

Lud. Rex ulciſci fraternam necem parat.

Conſentit Gobelino Theodoricus e Niem (b) obſervatque Ludovicum Regem Hungariæ obſtrinxiſſe Carolum ſacramento, antequam aſcenderet Hungaria, non Hungariæ & Poloniæ regna eum affectaturum: cum vero Romam perveniſſet, ab eo Urbanum exegiſſe, ut amplam regni partem Franciſco Prignano nepoti pontificio conferret, (c) vel potius ab Urbano, quod nimirum ad ſedem Apoſtolicam ob Joannæ rebellionem devoluta regni Neapolitani jura ſanxiſſet, jam collatos confirmaret. An vero jure collati eſſent tot principatus ab Urbano, poſtea diſceptatum eſt, dum in ea re nimium inſito erga ſuos amori indulgebat Urbanus; quod neque iis profuiſſe, ac ſibi & Eccleſiæ graves conſciviſſe calamitates, viſuri ſumus, cum parto regno Carolus ampliſſimos principatus ac magnam aliam regni partem e corona avita divelli pati non poſſet, illumque Urbanus perfidiæ nota aſpergeret.

(b) *Theodor. e Niem. lib. 1. c. 21.*

Exactum a Carolo Dyrrhachino ſacramentum.

(c) *Vid. inf. hoc ann. n. 20.*

Quod ad alias vero pactiones attinet, quas a Carolo Dyrrachino Pontifex in transfundendo in eum regni Neapolitani jure beneficiario, exegit, conſentiunt eæ veteribus pactionibus, quas Clemens IV. cum Carolo I. iniverat de quibus pontificium diploma (d) his verbis conceptum eſt, extatque tum in pontificio, tum in Neapolitano tabulario.

(d) *Urb. VI. to. 1. p. 168. & in Neapolit. archiv.*

*Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtris.*

II. Urbani diploma de tranſlatione regni.

*Divina diſponente clementia, per quam Reges regnant & principes imperant, in eminenti ſpecula, & ſuper gentes & regna, licet immeriti, conſtituti neceſſe habemus interdum de regnis & terris, præſertim de illis, quæ Romanæ eccleſiæ juris & proprietatis ſpecialiter exiſtunt, cum fratribus noſtris ad pacem & juſtitiam populorum perpetua ſtabilitate diſponere, ac in eorum ſoliis ad gubernationem & regimen gentium ſubjectarum, quas dignos novimus ſublimare, ut gladii poteſtate eis ad vindictam malorum, laudemque bonorum cœlitus attributa, ipſi, aſſumpto dominandi officio, judicent in æquitate populos & dirigant in terris ſubjectis ſibi gentium nationes, voluntaſque eorum ſit in executione juſtitiæ & meditatio in lege rectitudinis & obſervantia ſanctæ pacis. Sane porrecta nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod cum regnum Siciliæ cum tota terra citra Farum uſque ad confinia terrarum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quæ de præfato regno Siciliæ eſſe dignoſcitur, ad diſpoſitionem & ordinationem noſtram, & Apoſtolicæ ſedis, ad quam ſpecialiter pertinet, plene ac libere ſit devolutum, noſque ac ſedes ipſa intuitu ſpecialis devotionis, qua perſona tua erga nos & Romanam præfulget eccleſiam, & propter fidei puritatem, qua olim Chriſtianiſſimum genus tuum dignoſcitur claruiſſe, propenſo conſilio diſpoſuerimus de regno & terra prædictis perſonam & domum tuam ſpecialiter honorare; pro parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi regnum & terram tibi & tuis heredibus in feudum concedere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur attendentes eximiam devotionem quam tu & progenitores tui ad eandem ſemper geſſiſtis eccleſiam, ac volentes de eiſdem regno & terra utiliter diſponere & ſalubriter ordinare, habitis ſuper hoc cum fratribus noſtris tractatibus plurimis, & tandem deliberatione ſolemni, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ad perſonam tuam, quæ delectabilis pacis cognomine inſignitur, & erga nos & dictam eccleſiam ſingulari devotione præfulget, & præcipua ſemper claruit puritate, noſtrum animum dirigentes, de dictorum fratrum conſilio eandem perſonam tuam, tu-*

Ut fuerit ad ſedem Apoſtol. devolutum.

Cauſæ ob quas in Carolum Dyrrachinum transfuſum.





*umque præclarum genus de ipſo regno decrevimus honorare, ipſumque regnum & prædictam terram, tibi, tuiſque heredibus ex te legitime, ut infra deſcribitur, deſcendentibus in feudum perpetuo concedentes ſub conditionibus infraſcriptis.*

*Ad laudem igitur omnipotentis Dei Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti, & glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac honorem & pacem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſponſæ noſtræ, ac tranquillitatem & profectum fidelium regni ejuſdem, totum prædictum regnum Siciliæ, & totam terram prædictam, quæ eſt citra pharum uſque ad confinia terrarum dictæ Romanæ eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis per Romanum Pontificem diſtinctis, vel in poſterum diſtinguendis, quas Romana eccleſia ſibi hactenus reſervavit, ac nunc, prout plenius infra exprimitur, retinet & reſervat, in feudum perpetuo tibi, ac tuis heredibus jam natis & in poſterum naſcituris ex tuo corpore legitime, ut infra deſcribitur, deſcendentibus ſub infraſcriptis conditionibus tibi plenarie expreſſis ac expoſitis, auctoritate apoſtolica tenore præſentium de dictorum fratrum conſilio duximus concedendum, teque de ipſis regno & terra per vexillum dictæ Romanæ eccleſiæ præſentialiter inveſtimus, recepto tamen a te in forma, quæ ſequitur, fidelitatis debitæ juramento, ac pleno homagio & vaſſallagio pro hujuſmodi feudo debitis & conſuetis. Conditiones vero prædictæ ſunt hæ, videlicet. Promittetis enim & jurabitis tam tu, quam etiam tui in dicto regno heredes, quod nullas unquam conſpirationes, colligationes, vel converſationes cum quibuſcumque Regibus, principibus, ſeu magnatibus, communitatibus, univerſitatibus, aut perſonis aliis fidelibus, aut infidelibus contra nos, vel ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices canonice intrantes, aut Romanam eccleſiam, ſeu in eorum damnum facietis, &c.* Adducit alias leges longa & diffuſa oratione Carolo dictas, quarum nonnullæ cum aliis olim Carolo primo impoſitis conſentiunt, quæ prætermittendæ viſæ ſunt, cum eæ contentæ ſint in literis Caroli e Dyrrachio a nobis afferendis, quas Urbanus, adjectis in diplomatis apoſtolici calce his verbis, exegit.

Jure fiduciario ipſi poſteriſque traditum.

Imperatæ leges.

Beneventum juri eccleſiæ reſervatum.

*Tu etiam & dicti tui in eodem regno heredes dabitis privilegium veſtrum nobis & dictæ Romanæ eccleſiæ aurea bulla bullatum, in quo proprio juramento fatebimini & recognoſcetis expreſſe regnum Siciliæ, & totam terram, quæ eſt citra pharum uſque ad confinia terrarum Romanæ eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus, quæ eccleſiæ remanebit eidem, ex ſola gratia & mera liberalitate ſedis Apoſtolicæ tibi, tuiſque heredibus de novo fore conceſſa, voſque recepiſſe & tenere regnum & terram prædicta a nobis & dicta Romana eccleſia ſub pœnis & conditionibus ſupradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, inveſtituræ, intentionis, reſervationis, exceptionis, voluntatis, & promulgationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Cunctis vero præmiſſa ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.*

Subſcriptiones Cardd.

*Ego Urbanus catholicæ Eccleſiæ epiſcopus.*

*Ego Joannes tit. S. Sabinæ presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Philippus tit. S. Suſannæ presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Fr. Bonaventura tit. S. Cæciliæ presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Fr. Nicolaus tit. S. Cyriaci presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Poncellus tit. S. Clementis presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Bartholomæus tit. S. Marcelli presb. Card. ſubſcripſi.*

*Ego Galeottus S. Agathæ diaconus Card. ſubſcripſi.*

*Datum in baſilica S. Petri de urbe per manum meam Raynulphi tit. S. Potentianæ presbyteri Card. S. R. E. Vicecancellarii kal. junii, indictione quarta, incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, pontificatus vero domini Urbani Papæ VI. anno quarto.*

III. Dyrrachini pactiones.

Admiſit Carolus propoſitas ſibi ab Urbano leges, atque ad eas religioſe ſervandas ſolemni ritu ſe aſtrinxit, faſſus regnum Neapolitanum juris ſacroſanctæ poteſtatis eſſe, omniaque fiduciarii principis officia eſt ſubjecta formula pollicitus (a).

(a) *Ext. apud Urb. to. 1. p. 181.*

*Sanctiſſimo ac beatiſſimo in Chriſto patri & domino meo domino Urbano divina providentia Papæ VI. Carolus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Siciliæ Rex, ſanctitatis veſtræ devotus & reverens filius devotionem, reverentiam, & obedientiam filialem & pedum oſcula beatorum. Ad perpetuam rei memoriam, & ejuſdem ſanctitatis veſtræ, ſanctæque Romanæ eccleſiæ certitudinem & cautelam.*

Regiis confirmatæ literis.

*Cum hodie de ſpeciali gratia & mera liberalitate veſtra mihi & heredibus meis, ut infra deſcribitur, conceſſa fuerint in feudum regnum Siciliæ & terra citra pharum excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quæ prædictæ eccleſiæ remanebit juxta modum, conditiones, conventiones, & pacta infraſcripta: ego-*

*que promiſerim, & juraverim, me daturum ſanctitati veſtræ, & prædictæ Romanæ eccleſiæ privilegium meum cum bulla aurea, in quo homagium, ligium, ac plenum, & ligium vaſſallagium in manibus veſtris per me factum, & fidelitatis juramentum per me præſtitum, contineatur expreſſe, ac fatear & recognoſcam expreſſe, me, & heredes meos ob regnum & terram prædicta, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & pertinentiis, quam ſanctitas veſtra ſibi, & dictæ eccleſiæ reſervavit, & quæ dictæ eccleſiæ remanebit, ex ſola gratia & mera liberalitate veſtra, & ſedis Apoſtolicæ in feudum fore conceſſa, ideoque volens ſervare hujuſmodi meum promiſſum & juramentum, ac bonam fidem agnoſcere, homagium, ligium, & vaſſallagium, ac recognitionem hujuſmodi facio, & juramentum fidelitatis præſto in forma, quæ ſequitur.*

Fiduciariæ ſponſionis a Carolo præſtitæ formulæ.

*Ego Carolus Dei gratia Rex Siciliæ ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, & beatæ & glorioſæ Virginis Mariæ, beatorum quoque Apoſtolorum Petri & Pauli, ac eccleſiæ Romanæ conſtitutus coram vobis ſanctiſſimo in Chriſto patre & domino meo domino Urbano divina providentia Papa VI. vobis domino meo recipienti nomine veſtro & ſanctæ Romanæ eeclеſiæ, ac ſucceſſorum veſtrorum canonice intrantium, homagium, ligium, & vaſſallagium facio pro regno Siciliæ, & tota terra citra pharum uſque ad confinia terrarum ejuſdem eccleſiæ, quæ utique regnum & terra, excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis ſecundum antiquos fines territorii, pertinentiarum & diſtrictuum civitatis ejuſdem per Romanum Pontificem diſtinctos, vel in poſterum diſtinguendos quæ ſanctitas veſtra & Romana eccleſia prædicta mihi & heredibus meis ſub pactis & condictionibus infraſcriptis in feudum conceſſit, & recognoſco & fateor, quod inter nos & dictam eccleſiam Romanam ex parte una, ac me pro me & hæredibus meis prædictis ex altera conditiones, conventiones, modus, & forma, ac pacta infraſcripta intervenerunt, & fuerunt appoſita in hujuſmodi conceſſione regni Siciliæ mihi, meiſque heredibus per vos, & dictam Romanam eccleſiam facta in prædicta conceſſione, pertinentia, ſeu ſpectantia ad perſonas eorum, qui in eiſdem ſucceſſuri ſunt mihi, meiſque heredibus in regno & terra prædictis; quæ omnia & ſingula tam me quam meos in dictis regno & terra heredes ſervaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia ſunt.*

Obſtricti ad conventa ſervanda hæredes.

IV. *Promitto ac juro ego Carolus Rex, quod ego vel mei in dicto regno heredes nullas unquam conſpirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuſcumque Regibus, principibus ſeu magnatibus, communitatibus, univerſitatibus, aut perſonis aliis, fidelibus ſeu infidelibus contra vos dominum Urbanum Papam, vel ſucceſſores veſtros Romanos Pontifices canonice intrantes, aut Romanam eccleſiam, ſeu in veſtrum vel eorum damnum faciemus, nec fieri conſentiemus ſeu permittemus, quantum in nobis erit, & factas irritas habebimus; & quod nunquam a veſtra, & prædictæ eccleſiæ obedientia recedemus, nec aliquod ſchiſma contra vos vel ſucceſſores veſtros, aut contra Romanam eccleſiam facientes, aut cujuſcumque ſchiſmatis ſeu hæreſis imitatores ſeu fautores erimus, nec hujuſmodi conſpirationes, colligationes, aut conjurationes, ſeu ſchiſma contra vos vel ſucceſſores veſtros, aut eccleſiam prædictos faciemus, aut ſchiſmaticos, ſeu hæreticos receptabimus, ſeu quoquomodo eos fovebimus, aut eis aliquod auxilium, conſilium, vel favorem præſtabimus, nec aliquos vobis aut dictæ eccleſiæ rebelles, aut veſtros ſeu ipſius eccleſiæ hoſtes vel inimicos, ſeu rerum aut bonorum ipſius eccleſiæ invaſores, aut occupatores in regno vel terra prædictis, aut aliqua ipſorum parte, aut alio quovis loco, in quo temporalem poteſtatem habebimus, receptabimus, aut per alios receptari quoquomodo patiemur, ſeu permittemus ſcienter; ſed illos efficaciter perſequemur. Quod autem ſupra dicitur de injuriis & rebellibus extra regnum & terram prædicta non receptandis, intelligitur de notoriis, vel declaratis, ſeu declarandis, vel alias nominandis per Romanum Pontificem. In regno autem & terra prædictis intelligatur, prout ſuperius eſt expreſſum, & inſuper omnes & ſingulos proceſſus, ſententias, conſtitutiones, mandata, & ordinationes per vos, vel ſucceſſores veſtros, ſeu authoritate apoſtolica jam factos, ac faciendos & latas ac ferendas, necnon factas & faciendas contra Robertum olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum Cardinalem nunc antipapam, qui ſe Clementem VII. nominat, ac Joannam olim Reginam Siciliæ, ac electores ipſius Roberti olim Cardinales, ipſorumque ſequaces, fautores, receptatores, & adhærentes eiſdem & alios in dictis proceſſibus veſtris comprehenſos, ac omnia & ſingula in eis contenta publicari, obſervari, & executioni demandari in dictis regno & terra & alibi ubicumque poterimus tam ego, quam prædicti mei in dicto regno heredes faciemus & fieri permittemus diligenter, ac bona fide.*

Indictum antipapæ, anticardinalibus, & Joannæ bellum.

V. Regnum ad Eccleſiam, ſi violentur fœdera, devolvendum.

*Et ſi, quod abſit, ego vel prædicti mei in dicto regno & terra heredes promiſſa non ſervaverimus, ſeu contra ea, aut aliqua eorum faciemus, ſeu veniemus ſcienter, præter alias pœnas a jure ſtatutas regnum ipſum, ac terra prædicta ad dictam Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem eo ipſo libere revertantur. Si vero ignoranter & monitus ſeu moniti ſuper præmiſſis non emendavero ſeu emendaverimus, aut mandatis*

Ec-



*Eccleſiæ ſuper his non paruero ſeu paruerimus regnum & terram prædicta ad dictam Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem eo ipſo libere revertantur: & nihilominus in præmiſſis caſibus omnes & ſinguli principes, duces, comites, barones, nobiles, ac milites, & alii de dictis regno & terra, necnon communitates & univerſitates & ſingulares perſonæ earundem communitatum & univerſitatum eo ipſo ſint abſoluti a juramento fidelitatis & hominii, aut alterius cujuſcumque obſequii debito, ſubmiſſione, obligatione, vel pacto quacumque firmitate vallato, quibus mihi vel ipſis heredibus meis eſſent aſtricti; ac vos & dictam eccleſiam, cujus homines ac vaſalli principaliter exiſtunt etiam contra me & dictos heredes jurare & defendere teneantur.*

Aut ſi legitimus hæres deſit.

*Si vero in meo, vel meorum dicti regni heredum obitu legitimum, prout ſubſequitur, heredem me, aut ipſos heredes meos, quod abſit, non habere contigerit, regnum ipſum ad prædictam Romanam eccleſiam, & ejus diſpoſitionem libere revertatur; deſcendentes autem ex me, vel ipſis meis heredibus Siciliæ Regibus mares, & fœminæ in eodem regno ſuccedent, ſic tamen quod extantibus maribus, uſque ad quartum gradum, ut infra deſcribitur, fœminæ non ſuccedent, ſed mares hujuſmodi damtaxat, & de liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus primogenitus præferatur. Et ſi aliquem de heredibus, vel ſucceſſoribus meis Regibus Siciliæ ſine legitima, & maſculina prole ſui corporis mori contigerit, ſuccedant eidem, ſervatis gradibus, ſi ſuperſtites fuerint, eæ perſonæ, videlicet Regis ſine filio maſculeo legitimo ex ſuo corpore deſcendente frater, aut collaterales ſuperiores mares tantum, ſi ſuperſint, ut puta patrui, & avunculi, & ſurſum uſque ad quartum gradum duntaxat, illis collateralibus, quos ego habeo ad præſens, & habebo dum vixero, & qui poſt meum obitum ex eiſdem forſitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores ſuccedent: ſimiliter mares tantum ſi ſuperſint, utpote nepos ex fratre, & inferius uſque ad eundem tantummodo quartum gradum. Deficientibus vero hujuſmodi maribus, ſuccedent fœminæ ex meo corpore legitime deſcendentes, ſi ſuperſtites fuerint uſque ad quartum gradum, ut ſuperius eſt expreſſum, videlicet ſi aliquem de ſucceſſoribus meis Regem, vel Reginam Siciliæ ſine prole legitima ſui corporis mori contigerit in futurum, ſuccedent eidem ſervatis gradibus, ſi ſuperſtites fuerint, eæ perſonæ, videlicet Regis, vel Reginæ ſine prole legitima ex ſuo corpore deſcendentes ſorores, aut collaterales ſuperiores fœminæ, ut puta amitæ, & materteræ ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat. Illis collateralibus, quos ego habeo ad præſens, & habebo dum vixero, & qui poſt meum obitum ex eiſdem forſitan orirentur, exceptis, collaterales etiam inferiores ſuccedant ſimiliter fœminæ, ut puta neptis ex fratre, vel ſorore, & inferius uſque ad ejuſdem tantummodo quartum gradum.*

Gradus in regni ſucceſſione diſtincti.

VI. Fœminæ certis legibus ad ſucceſſionem admiſſæ.

*Quod autem de fœminis quartæ lineæ, & collateralium ſuperius eſt expreſſum, intelligendum eſt tam de nuptis, quam de innuptis, dummodo nuptæ ſint fidelibus, & eccleſiæ Romanæ devotis, & ſicut inter has perſonas gradus ſervari volumus, ut ſcilicet prior gradus poſteriori præferatur, ſic etiam in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu poſteriori in hujuſmodi ſucceſſione volumus anteferri: perſonarum autem hujuſmodi nulla ſuperſtite, regnum ipſum ad dictam Romanam eccleſiam, & ejus diſpoſitionem libere revertantur. Quod ſi forſan deficientibus maſculis, ut præfertur, contigerit fœminam innuptam in regno ſuccedere, illa maritabitur perſonæ quæ ad ipſius regni regimen, & defenſionem exiſtat idonea, & de conſenſu Romani Pontificis; nec nubet niſi viro catholico, & eccleſiæ Romanæ devoto, & ſi contra hæc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipſam ad privationem dictorum regnorum, & terræ ſine figura judicii, & abſque omni juris ſolemnitate, in quacumque ætate filia ipſa conſiſtit procedere, ſi hoc ei videbitur expedire.*

*Deficientibus vero maſculis, ut præmittitur, fœminæ ſuccedant hoc modo, videlicet quod ſi una tantum reperiatur, & nupta, dummodo nupta fuerit viro catholico, & fideli, ac eccleſiæ Romanæ devoto, tunc ſi nupta fuerit de conſilio, & aſſenſu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo paterno domus Franciæ ſuccedat, & ſi forſan ille, cui nupta fuerit eſſet talis, qui non videretur Romano Pontifici aptus, & idoneus ad regimen, gubernationem, & defenſionem dicti regni, tam Regina ipſa cujuſcumque ætatis fuerit, quam regnum ipſius in cuſtodia, regimine, & adminiſtratione Romani Pontificis, ac eccleſiæ remaneant, donec vir ipſe talis factus fuerit, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus, & idoneus ad regimen, gubernationem, & defenſionem dicti regni, vel donec ſoluto hujuſmodi matrimonio, quo caſu, ſi Regina ipſi exiſtens vidua habeat filios, & ſit major decem & octo annis, adminiſtret: Si vero non haberet filios ad cuſtodiam, regimen, gubernationem, & defenſionem prædicti, deputentur duo, unus videlicet per Romanum Pontificem, vel Romanam eccleſiam, & alius per eandem Reginam donec Regina ipſa de conſenſu ejuſdem Romani Pontificis nupta fuerit viro catholico, & fideli, ac eccleſiæ, Romanæ devoto, & alias tali, qui videatur eidem Romano Pontifici aptus, & idoneus ad regimen, & gubernationem, ac defenſionem ejuſdem regni fruetur fructibus, & obventionibus regni,*

Quo caſu adminiſtratio ad eccleſiam ſpectat.

ex

*ex quibus ſumptus neceſſarii faciendi pro ejuſdem regni adminiſtratione, gubernatione, & cuſtodia deducantur Reginæ conſervandis eidem, & lucro alterius ratione ipſius cuſtodiæ non ceſſuris: &, ſi extra prædictum genus nupta eſſet de conſenſu Romani Pontificis, ita ſuccedat ſi tali nupta reperiatur, qui videatur Romano Pontifici aptus, & idoneus ad regimen, & gubernationem, & defenſionem prædicti regni.*

*Ubi autem præter conſenſum Romani Pontificis maritata reperiretur viro non catholico, aut non fideli, vel non devoto Romanæ eccleſiæ, aut Imperatori, vel Regi Romanorum, aut Regi Teutoniæ, ſeu in Regem, vel Imperatorem Romanorum, aut in Regem Teutoniæ electo, ſeu domino Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſeu majoris partis eorum, aut electo ad earum dominium, vel majoris partis ipſarum non ſuccedat, ſed regnum, & terra prædicta ad eandem Romanam eccleſiam, & ejus diſpoſitionem libere revertantur. Et in caſu quo Romano Pontifici videretur, fœminam ipſam tali fore maritatam, qui non eſſet de perſonis prohibitis, vel ſuperius expreſſis, ſed alias ad regimen, & gubernationem, ac defenſionem regni, ut præmittitur, non videretur Romano Pontifici idoneus, tunc Regina ipſa cujuſcumque ætatis fuerit, & regnum ipſius in cuſtodia, regimine, & adminiſtratione Romani Pontificis, ſeu eccleſiæ Romanæ remaneant, prout eſt ſuperius expreſſum.*

VII. *Si autem plures fœminæ reperirentur ſiquidem omnes nuptæ, illa cæteris præferatur & ſuccedat, quæ de conſenſu Romani Pontificis nupta reperiretur, quamvis gradu poſterior, & natu minor ſit. Et ſi quidem duæ, vel plures, vel omnes maritatæ taliter reperirentur, ſcilicet de conſenſu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo prædicto, tunc prior in gradu, & major natu aliis præferatur. Ubi autem quædam nuptæ, & quædam innuptæ, tunc ſiquidem prima in gradu, & major natu, quæ nupta eſſet, ut præmittitur, de conſenſu Romani Pontificis, vel alicui de genere meo prædicto illa ſuccedat. Si autem nulla taliter nupta eſſet, tunc innupta maritanda de conſenſu Romani Pontificis, ut præmittitur, ſuccedat: & ſi forte contingeret, innuptam eſſe priorem gradu, & majorem natu illa maritanda, ut præmittitur, de conſenſu Romani Pontificis ſuccedat, quamvis alia nupta eſſet de conſenſu Romani Pontificis, vel alicui de prædicto meo genere, ut præfertur. Quod ſi forſan una reperiretur nupta extra prædictum genus meum, etiam de conſenſu Romani Pontificis, & alia nupta etiam ſine licentia, vel conſenſu Romani Pontificis, alicui de dicto genere meo, hujuſmodi nupta alicui de genere meo dummodo viro catholico & fideli, ac eccleſiæ prædictæ devoto, & alias tali, qui videatur Romano Pontifici idoneus ad regimen, gubernationem, & defenſionem dicti regni nupta fuerit, alteri præferatur. Et, ſi non videretur Romano Pontifici ad hujuſmodi regimen, gubernationem, & defenſionem dicti regni idonea, gubernetur regnum ſicut ſuperius eſt ordinatum in caſu ſoluti matrimonii, & filii ex eodem genere nati ſimiliter aliis præferantur. In regnum vero, & terram prædicta nullus ſuccedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.*

Nupta cum Rom. Pontificis conſenſu alteri præferenda.

*Ad hoc promitto, quod tam ego, quam mei in dicto regno heredes regnum, & terram prædicta nullatenus dividemus, ſed ſemper illa unus tantum ſub hujuſmodi conditionibus immediate, & in capite nomine eccleſiæ Romanæ tenebit, & tam ego, quam prædicti mei in dicto regno heredes ſub propriis nominibus vobis, & ſucceſſoribus veſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ac Romanæ eccleſiæ, expreſſis veſtro, & ipſorum nominibus, ligium, homagium faciemus & dictum juramentum fidelitatis, faciendo expreſſam mentionem de literis apoſtolicis ſuper hujuſmodi conceſſione regni, & terræ prædictorum nobis facta præſentibus, ut præfertur.*

De regno non diſcindendo.

VIII. Sacramenti fidei preſtandi tempus præfixum.

*Hujuſmodi autem ligium, homagium ego & dicti heredes mei facere, & juramentum fidelitatis præſtare, juxta ſubſcriptam formam, ſi Romanus Pontifex in Italia fuerit infra ſex menſes; ſi vero extra Italiam eſſet, infra annum poſtquam regni dominium adepti fuerimus, tenebimur & ſingulis ſucceſſoribus, ac eidem Romanæ eccleſiæ renovabimus tam ipſum ligium, quam etiam hujuſmodi juramentum. In optione autem, & beneplacito erit Romani Pontificis, ſeu prædictæ eccleſiæ me, & heredes meos prædictos vocare ad præſtandum perſonaliter juramentum fidelitatis, & ligium homagium hujuſmodi Romano Pontifici, & eidem eccleſiæ, dummodo ad hoc mihi, vel illis tutum locum ſtatuant, & aſſignent, vel aliquem Cardinalem ipſius eccleſiæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eandem formam, & homagium hujuſmodi recipiat, deſtinare. Ego quoque in veſtris manibus juro ad præſens me ad hoc ſpecialiter obligatum, & tam ego, quam prædicti mei in dicto regno heredes vobis, & ſingulis ſucceſſoribus prædictis ac eidem eccleſiæ, quando præſtabo, & præſtabunt hujuſmodi juramentum fidelitatis jurabimus, nos ad hoc ſpecialiter obligantes quod nunquam ego, vel ipſi per nos, vel alium, ſeu alios quocunque modo procurabimus, ut eligamur, vel nominemur in Regem, vel Imperatorem Romanorum, vel Regem Teutoniæ, ſeu dominium Lombardiæ, vel Tuſciæ, aut majoris partis earundem Lombardiæ, vel Tuſciæ.*

De non conjungendo imperio cum regno Neapolitano.

*Et ſi electionem, vel nominationem ad imperium, vel ad regnum Romanorum, ſeu ad regnum Teutoniæ, aut dominium Lombardiæ, vel Tuſciæ, ſeu majoris partis earum*





*rum de vobis celebrari contigerit, nullum hujuſmodi electioni, vel nominationi aſſenſum præſtabimus, nec intromittemus nos ullo modo de regimine ipſius imperii, vel regni Romanorum, ſeu regni Teutoniæ, aut dominii Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, vel majoris partis earum ad quodcunque eorum nominati fuerimus, vel electi. Quod ſi ego, vel aliqui meorum in dicto regno heredum [ſtudentibus, & procurantibus me, aut eis] ad imperium ipſum, ſive ad dictum regnum Romanorum, Teutoniæ, aut dominium Lombardiæ, ſeu Tuſciæ vel majoris partis earum electi ſeu nominati fuerimus, & hoc verum, & manifeſtum fuerit, aut ſi poſt talem electionem, ſeu nominationem de imperii, vel regni Romanorum, vel regni Teutoniæ, aut dominii Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, aut majoris ipſarum partis regimine, ego, vel ipſi manifeſte me intromiſero, vel ipſi ſe intromiſerint, eo ipſo a jure prædictorum regni, & terræ cadam, & cadant ex toto, ipſaque prorſus amittam, & amittant, & eadem regnum, & terra ad Romanam eccleſiam libere devolvantur.*

Neque cum Etruriæ vel Inſubriæ dominatu.

IX. Datæ leges, ſi Regem vel poſteros eligi in Cæſares contigerit.

*Si autem ego, vel aliqui ex dictis meis hæredibus electioni, vel nominationi factæ, non procurantibus me, vel ipſis, aut procurantibus conſenſero, vel conſenſerint, & huic electioni, vel nominationi, ſeu juri omnino renunciem, vel renuntient, & quod de imperio, ſeu aliquo alio præmiſſorum ad quod electus, ſeu electi, aut nominatus, ſeu nominati, fuero, vel fuerint, nullatenus me intromittam, vel ipſi ſe intromittant, moniti infra quatuor menſium ſpatium præmonitionem hujuſmodi tali electioni, ſeu nominationi, vel juri non renunciavero, vel renunciaverint, vel de ipſo imperio, ſeu aliquo præmiſſorum, ad quod electus, ſeu nominatus, aut electi, vel nominati, fuero, vel fuerint me intromiſero, vel ipſi ſe intromiſerint quoquo modo, ex hoc ſim & ſint eiſdem regno Siciliæ & terra, ac omni prorſus eorum jure privatus, atque privati, &, ut dictum eſt, eadem regnum, & terra ad Romanam eccleſiam libere devolvantur. Si vero ad me vel ad meos in eodem regno heredes non poterit commode talis monitio pervenire: ſuper quo utique impedimento videlicet, quod moneri commode nequeam, vel nequeant; credetur, & ſtabitur aſſertioni Romani Pontificis ſine dicto, ſufficietque per ea ſuper hoc ipſius Romani Pontificis monitio publica, & ſolemnis, ita quod, ſi infra ſex menſes poſt illam non renuntiavero, vel heredes ipſi non renuntiaverint, aut de imperio, ſeu aliquo alio prædictorum, ad quod ego electus, vel nominatus, vel heredes mei prædicti electi, ſeu nominati fuero, vel fuerint, quomodolibet me intromiſero, vel ipſi ſe intromiſerint, ex hoc cadam, & ipſi cadant ab omni jure ipſorum regni & terræ, ac regnum & terra ipſa ad Romanam eccleſiam libere devolvantur.*

X. *Cæterum ſi contigerit aliquem de ipſis heredibus, qui deberent in prædicto regno Siciliæ & terra ſuccedere in Regem, vel Imperatorem Romanorum, ſeu regni Teutoniæ vel dominium Lombardiæ, aut Tuſciæ, vel majoris partis earum nominari, ſeu eligi, vel aſſumi, nullatenus poſſeſſionem eorumdem regni Siciliæ, ac terræ nanciſcantur, vel habeant, nec ſe de illorum cura, ſeu dominio, aut regimine per ſe, vel alios aliquatenus intromittant, niſi prius imperio vel regno Romanorum, ſeu regno Teutoniæ, aut dominio Lombardiæ vel Tuſciæ, ſeu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus, aut nominatus fuerit, vel aſſumptus, & omni juri competenti ſibi in illis omnino renunciet, & illorum regimen, nec de jure, nec de facto illud gerens, vel retinens, omnino dimittat ipſum nullo umquam tempore reaſſumpturus: alioquin cadant ab omni ſucceſſione & jure, quæ in regno Siciliæ & terra prædictis competerent ipſo facto, ita quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam eccleſiam ejuſque diſpoſitionem plene ac libere devolvantur. Quod ſi non extantibus maſculis fœmina in eiſdem regnis & terra ſucceſſerit, illa Regi vel Imperatori Romanorum, ſeu in Regem vel Imperatorem Romanorum electo, aut Regi, vel electo in Regem Teutoniæ, ſeu dominio Lombardiæ, ſeu Tuſciæ, aut majoris partis earum, ſeu electo ad earum vel majoris partis earum dominium, numquam matrimonialiter copuletur: & ſi contrarium fecerit, eo ipſo cadat a Siciliæ regno & terra prædictis, maneatque prorſus ipſorum jure privata, ipſis regno & terræ ad eamdem eccleſiam devolutis. Si autem ego vel aliquis meorum in regno prædicto heredum contra hoc venero vel venerit, eo ipſo excommunicatus & excommunicati, & inſuper labe & reatu perjurii reſperſus ac reſperſi, & notatus ac notati, exiſtam & exiſtant. In hujuſmodi quoque juramento ego nunc expreſſe addo & tam per me, quam per meos in dicto regno heredes addetur expreſſe, quod nullo umquam tempore regnum ſeu imperium Romanorum, aut regnum Teutoniæ, vel dominium Lombardiæ ſeu Tuſciæ, aut majoris earum partis, ſeu eaſdem Lombardiam vel Tuſciam, ſeu majorem partem ipſarum per me vel alium, ſeu alios occupabo, capiam, vel acquiram, aut mihi alias quomodolibet occupabo, capiam, vel acquiram, aut mihi alias quomodolibet vendicabo, vel dicti heredes per ſe, vel alium, ſeu alios occupabunt, capient, ſeu acquirent, aut alias ſibi quomodolibet vendicabunt: & ſi ſecus fecero, aut fecerint, ſecundum præſcriptam formam pœnas ſimiles incurram & incurrant. Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ, ſive Tuſciæ,*

Si fœmina nupſerit Cæſari vel Inſubriæ, vel Etruriæ principi regno excidat.

Sacramentum dictum de Etruria, vel Inſubria non occupandis.

intelligitur ſcienter : ſi vero ignoranter, eam ad mandatum Eccleſiæ dimittere tenear & teneantur : & ſi eam mediante Eccleſia dimittam vel dimittant, non incidam, nec ipſi incidant in pœnam in iſto articulo & in ſimilibus conſtitutam. Si vero monitus, aut moniti non dimittam & non dimittant, incurram & incurrant pœnam, prout eſt in hoc articulo, & in aliis conſtituta. Quod ſi forte in poſterum me Regem Siciliæ, vel aliquis meorum in dicto regno hæredum contingat in Imperatorem eligi poſtquam regni fuero vel fuerit poſſeſſionem adeptus, non tranſibo nec idem heres meus tranſibit ad imperium: alioquin in pœnas incidam & incidant in articulo & in aliis conſimilibus comprehenſis.

Si occurrat Regem ad imperium evehi præſcriptæ leges.

XI. Item promitto, quod ſi regni poſſeſſione prædicti nondum habita vel obtenta aliquis heredum meorum in Imperatorem electus tranſire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit deſtinandum, filium ſuum ſucceſſurum in regno cujuſcumque fuerit ætatis emancipabit, & regno renunciabit, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec etiam cujuſlibet poteſtatis, nec ipſum filium ad ſubſidium vel ſervitium aliquod faciendum juramento vel voto, ſtipulatione vel pacto, ſibi vel ſucceſſoribus ſuis aſtringat : ſicque factus filius ſui juris ab eodem Romano Pontifice, vel alio deſtinato ab ipſo protinus inveſtiatur de regno, ad cujus regni ſucceſſionem, ſi forte ipſe filius decederet ſine liberis, nullo unquam tempore pater veniat Imperator exiſtens, ſed ſi imperio & omnibus quæ ad imperium pertinent, idem pater renunciare voluerit, & regno tantum eſſe contentus poſt renunciationem hujuſmodi ad illius ſucceſſionem libere admittatur, & tunc ab ipſo Romano Pontifice, vel alio deſtinatò ab eo inveſtituram recipiat regni ejuſdem.

Filius deſignatus Cæſar e patria poteſtate emittendus.

XII. Quod ſi dictus filius ſic ad regnum aſſumptus major annis decem & octo fuerit, libere adminiſtret : ſed quandiu minor extiterit tam ipſe quam regnum ipſius in cuſtodia Romanæ eccleſiæ remaneant, donec Rex ipſe impleverit ætatem ſupradictam fructibus & obventionibus regni ex quibus ſumptus neceſſarii faciendi pro ejuſdem regni cuſtodia deducentur Regi conſervandis eidem, & lucro alterius ratione ipſius cuſtodiæ non ceſſuris. Quæ vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum poſſit ſub obſervatione præmiſſa a patre ad imperium tranſeunte dimitti, de filia etiam eſt conceſſum, ſalvis aliis conditionibus ſupradictis. Et ſi Rex non habens filios in Imperatorem electus ad imperium tranſire voluerit, & de perſonis, de quibus ſupra dicitur, liberis non extantibus, in regno poſſe ſuccedere, aliqui ſuperſtites fuerint, quæ de filio & filia præordinata ſunt, obſerventur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in ſolis illis procedere poterit, qui capaces emancipationis exiſtent ratione patriæ poteſtatis. Quod ſi mihi Regi Siciliæ, aut alicui meorum heredum in dicto regno ſine filio decedenti ſuperſtes ſit filia, vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujuſmodi ſucceſſionem admitti, quæ Imperatori, dum ego Rex vivam, vel dum meus heres Rex Siciliæ vivet, fuerit deſponſata vel nupta, non ſuccedat in regno : & ſi regno ſibi delato Imperatori nupſerit, cadat protinus ab eodem, niſi vir ejus imperio renuncians regno ſolummodo ſit contentus. In primo autem caſu repulſis filia & aliis prædictis ad perſonas illas ſervatis gradibus regnum Siciliæ perveniat, quæ prænotatæ ſunt in eodem regno poſſe ſuccedere, ſi Regi præmortuo liberi non ſuperſint : in ſecundo autem caſu regnum ipſum ad Romanam eccleſiam libere devolvatur.

Definita ætas ad liberas regni habenas capeſſendas.

XIII. Item promitto pro me & meis in ipſo regno heredibus ad hoc tam me, quam ipſos obligans, quod regnum Siciliæ & terra prædicta imperio nullo modo ſubdentur, ſeu ſibi nullo unquam tempore in eadem perſona quomodolibet unientur : & ſuper hoc articulo tam per pœnas ſpirituales, quam per cautiones cavebimus tam ego quam mei in dicto regno heredes juxta Eccleſiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex hoc duxerit requirendum, cum prorſus intentionis ſit Romanæ eccleſiæ, ut regnum & terra prædicta nullo unquam tempore uniantur, ut ſcilicet unus Romanorum Imperator, & Siciliæ Rex exiſtat. Quod autem circa unionem ipſorum regni & terræ cum imperio dicitur, hoc ipſum circa unionem ipſorum regni & terræ cum regno Romanorum & regno Teutoniæ, ſeu cum Lombardia vel Tuſcia, ſive cum majori parte ipſarum Lombardiæ vel Tuſciæ intelligitur eſſe dictum.

Lata de Sicilia nunquam imperio ſubjicienda lex.

Neque cum Etruria, vel Inſubria.

Item promitto, quod pro toto generali cenſu ipſorum regni & terræ octo millia unciarum auri ad pondus ipſius regni in feſto B. Petri Apoſtoli de menſe junii ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipſi Romano Pontifici & Romanæ eccleſiæ annis ſingulis perſolvam, & ad illum ſimiliter perſolvendum, obligo omnes & ſingulos in dictis regno & terra meos heredes. Si vero ego vel dicti mei in dicto regno heredes quocumque termino non ſolverimus integre cenſum ipſum, & expectati per duos menſes terminum ipſum immediate ſequentes de illo ad plenum non ſatisfecerimus, eo ipſo erimus excommunicationis vinculo innodati, quod ſi in ſecundo termino infra ſubſequentes duos menſes eundem cenſum ſine diminutione qualibet non perſolverim, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta eccleſiaſtico erunt ſuppoſita interdicto. Si vero in tertio termino, nec infra duos menſes proximos per plenam ſatisfactionem illius ejuſdem cenſus vobis duxerimus conſulendum, ita quod tranſactis

Annuum vectigal octo millium unciar. auri impoſitum.

Non ſolventibus intentatum anathema.

Perſtantibus in pertinacia regni privatio propoſita.



ctis eodem tertio termino duobus proxime ſubſequentibus menſibus non ſit de octo millibus unciarum hujuſmodi primi termini ipſi eccleſiæ integre ſatisfactum, ab eiſdem regno & terra, ipſorumque jure cademus ex toto & regnum ipſum & terra ad Romanam eccleſiam integre & libere revertantur. Si autem de cenſu octo millium unciarum hujuſmodi primi termini infra dictos tertium terminum & duos ſubſequentes menſes plenarie ſatisfecerimus, nihilominus ſemper pro ſingulis octo millibus unciarum ſingulorum terminorum ſimili modo, ſi in eorum ſolutione ceſſaverimus, vel illa non ſolverimus, ſimiles pœnas incurremus ſalvis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc caſu.

XIV. Item promitto, quod in quolibet termino dabimus ego & mei in dicto regno heredes vobis & ſucceſſoribus veſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, unum palafredum album pulchrum, & bonum, in recognitionem veri dominii eorundem regni & terræ.

De equo generoſo albi coloris offerendo ſingulis trienniis.

Promitto inſuper quod ego, poſtquam præfatam regnum vel tantum de ipſo acquiſivero & habuero, quod etiam ſi aliquæ civitates vel munitiones, vel aliquæ loca ipſius regni adhuc rebellio mihi eſſent, reputer & poſſim ipſius regni Rex & dominus reputari, ſolvam vobis & dictæ Romanæ eccleſiæ quinquaginta millia marcarum ſterlingorum per infraſcriptos terminos, videlicet quod infra ſex menſes poſtquam dictum regnum acquiſivero, prout dictum eſt ſolvam vobis & eidem eccleſiæ decem millia marcharum ſterlingorum, & infra ſingulos ſex menſes ſucceſſive ſolvam ſingula decem millia, donec tota prædicta quinquaginta millium marcharum ſterlingorum ſumma fuerit integre perſoluta. Quod ſi in hujuſmodi terminis illa non ſolvam, liberum erit vobis & eidem Romano Pontifici contra me pro ſingulis terminis ad pœnas ſpirituales & temporales procedere, prout vobis, vel ipſis videbitur expedire.

XV. Promitto etiam ad hoc tam me quam heredes meos in dicto regno obligans, quod quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, aſſeruerit, vel dixerit Romanam eccleſiam indigere, ita quod ſuper indigentia hujuſmodi ipſius Romani Pontificis ſimplici verbo ſtetur, ego vel mei in dicto regno heredes requiſiti ab eo in urbem, in Campaniam, vel in Patrimonium B. Petri, in Tuſciam, in ducatum Spoletanum, in marchiam Anconitanam, & in præmiſſam civitatem Beneventanam & ejus territorium & pertinentias, quæ, ut præfertur, eidem remanebunt Eccleſiæ, ac in civitates Peruſinam, Civitatem caſtelli, Bononienſem, Ferrarienſem, & Avenionenſem, & in comitatum Venayſſinum, & in omnes alias terras ipſius eccleſiæ ubicumque conſiſtentes, trecentos milites equis & armis decenter munitos, & paratos, ita quod unuſquiſque ipſorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, in eccleſiæ prælibatæ obſequium & ſubſidium tranſmittemus per tres menſes integros meis, & dictorum meorum in prædicto regno heredum ſumptibus & ſtipendiis ſemel tantum in anno, in ſervitio ejuſdem eccleſiæ moraturos, menſibus ipſis a die qua iidem milites terram mei dominii, vel fines mei diſtrictus egreſſi fuerint per vulgares dietas & ſolitas computandas. Et ſi maluerit eccleſia eadem ingruente neceſſitate, ſuper qua ſtetur verbo Romani Pontificis, ut dictum eſt navali exercitu juvari, prædicti milites debita taxatione & recompenſatione præhabita in navale ſtolium computabuntur. Et prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana eccleſia ſibi retinuit, & in ſuum demanium & dominium cum omnibus juribus ſuis & pertinentiis reſervavit, & totum tenimentum civitatis ejuſdem cum finibus ejus antiquis quos Romanus Pontifex quandocumque ſemel tamen, ſibi placuerit, bona fide ſibi diſtinguet, eidem eccleſiæ, & in ejus proprietate libere remanebit nullo jure in eis mihi, vel cuicumque alii de regno prædicto retento, ſeu quomodolibet reſervato, & quod nullum jus ego & mei in dicto regno heredes acquiremus, vel habebimus in eiſdem, diſtinctioni quoque per Romanum Pontificem ſemel faciendæ, ut dictum eſt, ſtabimus ego & prædicti mei in dicto regno heredes abſque contradictione, ſeu refragatione quacumque, prout ipſa diſtinctio per literas apoſtolicas apparebit.

Vectigal militare promiſſum.

De inſtruenda claſſe ad pontificis imperium.

De Benevento, & circumſcribendis limitibus agri illius.

Pro prædicta quoque civitate Beneventana reparanda, reficienda, & refortificanda, per Romanam eccleſiam exponam per ſeptennium pro lignaminibus omnia nemora ipſius regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportuna, ut puta lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cœmentum, & ſimilia ſine præjudicio juris perſonarum ſingularium ad unam dietam prope Beneventum : & promitto, quod præſtabimus ego & dicti mei in præfato regno heredes ipſis Beneventanis ſecuritatem per totum regnum & terram prædicta : quodque privilegia dictæ civitatis a Regibus & principibus conceſſa illibata ſervabimus, & omnia ſtatuta per quondam Fredericum Romanorum Imperatorem, ſeu quoſcumque alios Reges, aut per Joannam olim Reginam Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejuſdem revocabimus, & in omnibus & per omnia, quæ libertates fuerint, cæteris regnicolis parificabimus illa, nec aliqua ſtatuta, ſeu aliquas leges concedemus, in poſterum per quæ dictæ civitati directe vel indirecte poſſit præjudicium generari, & pro Apoſtolicæ ſedis & beati Bartholomæi patroni civitatis ejuſdem reverentia, fidentias ab omnibus remitti faciemus & remittemus eiſdem. Fidentiarum au-

autem remiſſio eſt conceſſio libertatis, ut cives Beneventani poſſint libere vineas & terras excolere, ipſarum fruges & fructus recolligere, & eaſdem vineas & terras vendere, & de ipſis pro ſua voluntate diſponere, ſine aliqua vexatione vel munere vel etiam datione.

XVI. Nullum jus in ditione pontificia quavis pactione comparandum.

Promitto etiam me & meos in eodem regno Siciliæ heredes obligans, quod in dicta civitate, & ejus territorio, ac pertinentiis ſuis, quæ Romanæ remanebunt eccleſiæ, vel in urbe, ſeu in campania vel maritima, ſeu in ducatu Spoletano, aut marchia Anconitana, vel in Patrimonio B. Petri in Tuſcia, aut in civitatibus Peruſina, Civitatis caſtelli, Bononienſi, Ferrarienſi, Avenionenſi, & comitatu Venayſienſi, ſeu in aliis quibuſcumque terris, aut demaniis, ſive feudis ipſius eccleſiæ ubilibet conſtitutis ex ſucceſſione vel legato, aut venditione, ſive donatione, aut alio quocumque jure vel titulo, ſeu contractu nihil unquam tam ego, quam heredes mei in dicto regno acquiremus vel vendicabimus, ſeu poterimus acquirere, vel quomodolibet vendicare, & nihil unquam recipiemus, vel habebimus, vel retinebimus, ſeu poterimus recipere, habere, vel etiam retinere, ac nullam poteſtariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullam dignitatem, ſeu poteſtatem ſenatoriam, vel quamcumque aliam adminiſtrationem, vel commendam; nec quodcumque aliud officium recipiemus, ſeu recipere poterimus, habebimus, ſeu retinebimus, vel habere, ſeu retinere poterimus in eiſdem: hæc autem intelligo de illis heredibus meis, qui mihi in eodem regno Siciliæ ſuccedent. Nolo enim quod delictum aliorum heredum, qui ſuccedent mihi in comitatibus & aliis terris meis in pœnam heredis, qui eſt mihi ſucceſſurus in regno, aliquatenus extendatur. Ne vero hujuſmodi alii heredes mei contra ea, quæ in iſto continentur articulo aliquo forſitan tempore venire præſumant, acquirendo, vel vendicando, aut recipiendo, vel habendo, ſeu retinendo ſibi aliquod in terris in articulo iſto expreſſis, ſeu comprehenſis, vel recipiendo, habendo, ſeu retinendo in terris eiſdem poteſtariam, ſeu capitaniam, vel rectoriam, vel aliquod aliud de his, quæ in articulo continentur eodem; promitto tam me, quam ipſos heredes meos obligans, quod nullus etiam hujuſmodi aliorum heredum meorum ullo unquam tempore ſibi quicquam in eiſdem terris acquiret, ſeu vendicabit, recipiet, & habebit, vel etiam retinebit, aut poteſtariam, ſeu capitaniam, vel rectoriam, vel aliquod aliud ex iis quæ, prout dictum eſt, in eodem articulo plenius exprimuntur, nec alicui eorum recipere, habere, vel retinere licebit. Quicumque autem ipſorum ſecus præſumpſerit eo ipſo excommunicatus exiſtat, nec ipſe, nec ejus poſteri in perpetuum poſſint in eodem regno ſuccedere, ſi eis in caſu aliquo hujuſmodi ſucceſſio deferretur: ſed ab illo repellatur omnino, & nihilominus ille, qui tunc ejuſdem regni gubernaculis præſidebit Romano Pontifici contra eum patenter aſſiſtere teneatur.

Nulla adminiſtratio ab eo vel hæredibus ſuſcipienda.

Occupans urbem vel terras Eccleſiæ regni jure deturbatus.

Si vero ego vel aliqui mei in regno ipſo heredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium, vel pertinentias ejus, quæ remanebunt, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam, vel maritimam, ſeu urbem, vel ducatum Spoletanum, aut marchiam Anconitanam, ſeu Patrimonium B. Petri in Tuſcia, aut Peruſinam, Civitatem caſtelli, Bononienſem, Ferrarienſem, & Avenionenſem civitates, & comitatum Venayſinum, ſeu alias quaſcumque terras Romanæ eccleſiæ ubilibet conſtitutas, vel aliquam ipſarum partem occupaverimus, vel occupari fecerimus, aut ſuper iis offenderimus, vel moleſtaverimus etiam, ſeu fecerimus moleſtari, & poſtquam ſuper hoc a Romano Pontifice moniti & requiſiti fuerimus, vel ſi commode moneri, aut requiri nequiverimus juxta ipſius Romani Pontificis aſſertionem, vel dictum, poſtquam de hoc ipſe publice & ſolemniter me vel heredes ipſos monuerit infra tres menſes non reſtituerimus integre omnia occupata, eo ipſo ab eorundem regno Siciliæ & terra jure cadamus totaliter, ipſaque regnum & terram prorſus amittamus, & ad Romanam eccleſiam libere devolvantur. Quod ſi etiam reſtituerimus occupata, nihilominus ad plenum de univerſis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejuſdem Romani Pontificis ſatisfacere teneamur.

Eccleſiæ ditionem vexantes ſucceſſionis jure privati.

Promitto inſuper tam me, quam heredes meos alios in dicto regno obligans, quod ipſi heredes mei, videlicet, qui mihi ſuccedent in regno, occupare vel occupari facere eaſdem terras Romanæ eccleſiæ, ſeu moleſtare aut moleſtari facere ſuper illis eandem eccleſiam non attentabunt. Illi vero, qui ſecus attentaverint, præmiſſas pœnas incurrant, ut videlicet eo ipſo ſint excommunicati, & tam ipſi quam eorum poſteritas in perpetuum ad ſucceſſionem regni prædicti, ſi in aliquo forte caſu eadem ſucceſſio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur: & Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur aſſiſtere Romano Pontifici contra ipſos, prout ſuperius eſt expreſſum.

XVII. Eccleſiaſticis omnia bona & jura reſtituenda.

Promitto quoque, me & heredes meos obligans, quod omnibus eccleſiis tam cathedralibus, quam aliis etiam regularibus, & ſecularibus, necnon omnibus prælatis, & clericis, ac univerſis perſonis eccleſiaſticis etiam ſecularibus & religioſis, & quibuſlibet religioſis locis plenarie dimittam & reſtituam, & dimitti & reſtitui faciam, & procurabo integre omnia bona eorum immobilia a quibuſcumque ablata, vel occupata ſint & per quoſcumque detineantur. Mobilia vero, quæ extant & poterunt inveniri, ſimili modo reſtituam & reſtitui facere procu-

rabo



rabo eiſdem, & quod hanc reſtitutionem faciam, ſeu fieri procurabo abſque contradictione, ſeu difficultate qualibet hoc modo, ſcilicet, quod ſtatim in illa parte ipſorum regni & terræ, quæ mihi obediet, reſtitutio ipſa fiet, ipſaque poſtmodum ſucceſſive conſummabitur, ſicut eadem regnum habebuntur, & terra, ad mandatum & arbitrium aliquorum virorum diſcretorum deputatorum a Romano Pontifice, ad quorum mandatum bonorum & rerum immobilium & mobilium, quæ extant reſtitutionem plenam faciam, & fieri procurabo, ita quod ea, de quorum dominio, vel proprietate, ſeu poſſeſſione notorium fuerit, ad eorum arbitrium & mandatum reddam & reddi faciam. In dubiis vero per ipſos de plano, & abſque judicii ſtrepitu veritas diligentius inquiretur, ita quod ſufficiat vocari camerarium, vel procuratorem, ſeu baliquum, in cujus juriſdictione, vel balivia, ſeu territorio bona, de quibus agetur, conſiſtent ad videndum jurare teſtes, qui in hujuſmodi depoſitione deponent.

XVIII. In præſulibus eligen. libertas ſancita.

Omnes inſuper eccleſiæ tam cathedrales, quam etiam regulares, & ſæculares, necnon omnes prælati & clerici, ac univerſæ perſonæ eccleſiaſticæ ſæculares, & religioſæ, & quæcumque religionis loca, cum omnibus bonis ſuis in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem, ſive in electione, vel poſt Regis aſſenſus, vel conſilium aliquatenus requiretur: quam ubique libertatem promitto, quod ego & mei in ipſo regno heredes ſemper manutenebimus, & conſervabimus, & manuteneri & conſervari faciemus ab omnibus ſubditis noſtris, & quod dictæ eccleſiæ, & perſonæ utentur libere bonis omnibus & juribus ſuis, ſalvo mihi, meiſque in dicto regno heredibus jure patronatus in eccleſiis in tantum quantum in hac parte patronis eccleſiarum canonica inſtituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujuſmodi jus patronatus in ipſis eccleſiis habuerunt. Omnes etiam cauſæ ad forum eccleſiaſticum pertinentes libere & abſque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram ordinariis & aliis eccleſiaſticis judicibus, & terminabuntur per eos; & ſi ad ſedem Apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes, quam appellati ad eamdem venire ſedem pro appellationum proſecutionibus libere & abſque inhibitione aliqua permittentur. Et promitto tam me, quam meos heredes facturos, curaturos, & promiſſuros, quod ſic agitari, tractari, & ventilari, ac terminari poſſint; & quod ſic appellari poſſit, & libere veniri. Sacramenta vero fidelitatis præſtabuntur ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, prout canonica inſtituta permittunt ab illis eccleſiarum prælatis, quorum prædeceſſores antiqui illa Siciliæ Regibus præſtiterunt.

Jus patronatus antiquum Regibus reſervatum.

Sacramenta fidei ex vetuſta tantum formula a præſulibus exigenda.

Ab illis autem prælatis & eccleſiis, qui regalia, ſive temporalia bona tenent. Si qui tamen ſunt, qui hujuſmodi bona teneant a domino regni, & aliis bonis temporalibus, & qui ratione hujuſmodi honorum ab antiquo conſueverunt Regibus, & ipſis dominis temporalibus ſervitia exhibere, hujuſmodi honeſta & antiqua ſervitia ſecundum rationabilem, & antiquam conſuetudinem, & ſicut inſtituta patiuntur canonica impendantur, ſalva tamen circa eccleſiaſticas & alias regulares & ſæculares perſonas, & loca eccleſiaſtica tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuſcumque aliis, Romani Pontificis, & eccleſiæ Romanæ juriſdictione & auctoritate, plenaria, & libera poteſtate. Revocabo etiam omnes conſtitutiones, ſeu leges per dictum Fredericum, vel Reges Siciliæ, ſive per Conradum ipſius Frederici filium, aut Manfredum quondam principem Tarentinum, aut per dictam Joannam, quæ regnum ipſum de facto detinet occupatum, editas contra eccleſiaſticam libertatem, nec ſtatuta, nec conſtitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ juri & eccleſiaſticæ libertati derogetur.

Electionum confirmand. ſumma auctoritas reſervata Pontifici.

Leges a tyrannis latæ reſcindendæ.

XIX.

Promitto etiam, quod tam ego, quam mei in dicto regno heredes non patiemur, quod aliquis clericus, vel perſona eccleſiaſtica eorundem regni & terræ, in civili, vel in criminali cauſa, vel ad faciendum fidem de titulo, vel poſſeſſione clericatus conveniatur coram judice ſæculari, niſi ſuper feudis judicio petitorio conveniatur civiliter. Sed omnes eccleſiæ, monaſteria, hoſpitalia, ac alia pia & religioſa loca ac perſonæ eccleſiaſticæ omnimode erunt liberæ, ac libera, & in nullo Regi, vel principi ſubjacebunt: & quod nullas tallias, vel collectas imponemus eccleſiis, monaſteriis, & locis prædictis, aut clericis, & viris eccleſiaſticis, vel rebus eorum; & quod in eccleſiis vacantibus ego vel prædicti mei in regno heredes nulla habebimus regalia, nulloſque fructus, redditus, & proventus: nullas etiam obventiones, ac nulla prorſus alia recipiemus ex eiſdem; cuſtodia earundem eccleſiarum interim libera remanente penes perſonas eccleſiaſticas, juxta canonicas ſanctiones. Comites vero, barones, nobiles, & univerſi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipſiſque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi II. Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Piis locis reſtituenda libertas.

Guillelmi II. leges inſtaurandæ pro libertate publica.

XX.

Et promitto, quod ego & prædicti mei heredes, ipſos prædictis libertate, immunitatibus, & privilegiis, permittemus gaudere, & in dicta vivere libertate, & quod

omnes

omnes exules regni Siciliæ & terræ prædictæ cujuſcumque conditionis exiſtant, ad mandatum Eccleſiæ reducemus in regnum & terram prædicta, ipſiſque de bonis & juribus eis debitis reſtitutionem plenariam faciemus & fieri procurabimus, & quod in hujuſmodi reſtitutione ſecundum præſcriptam formam in capitulo de bonis eccleſiarum reſtituendis contentam, tam in notoriis, quam in dubiis procedemus & permittemus procedi; & quod omnes captivos & obſides, qui tenentur in regno & terra prædictis, Romanos, regnicolas, & alios de terra eccleſiæ, Tuſcos, Lombardos, & illos de marchia Tarviſina bona fide reſtituam libertati pro poſſe: & quod omnes conceſſiones, ac donationes, & infeudationes factas per vos dominum Urbanum Papam VI. nobili viro Franciſco Prignano principi Capuano, & ſuis heredibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus de principatu Capuæ, ducatu Amalphitano, comitatibus Caſertano, Fundano, Menerbini, & Altemare, & civitatibus Averſana, Cajetana, Inſulana, Capritana, Caſtrimaris, de Scabia, Surrentina, & terris Nuceriæ ac Summæ, necnon aliis civitatibus, caſtris, terris, villis, fortalitiis, & locis, ac bonis mobilibus & immobilibus, feudalibus, & Burgenſaticis, cum mero & mixto imperio, & quibuſlibet aliis rebus cum eorum hominibus & vaſſallis, ac honoribus, prærogativis, juribus, & juriſdictionibus,

Principatus ab Urbano pro nepote expetiti.

redditibus, proventibus, & obventionibus, ac pertinentiis univerſis contentas, & expreſſas in diverſis literis noſtris ſuper his confectis penitus, ſalvabimus & ſalvari procurabimus, nec per hujuſmodi regni & terræ prædictorum conceſſionem mihi per vos factam præfato Franciſco, vel heredibus ſuis prædictis, quoad hujuſmodi per vos conceſſa, donata, ſeu infeudata, & eorum proprietatem, ſeu poſſeſſionem præjudicium aliquod generetur. Sed ego & mei heredes prædicti conceſſiones, donationes, & infeudationes hujuſmodi, necnon conceſſionem officii magni camerarii dicti regni, eidem Franciſco ad vitam ipſius per nos factam, ratas, & gratas habebimus, illaſque ſervabimus, & manutenebimus, ac ſervari, & manuteneri faciemus bona fide, nec ullo umquam tempore contra illas directe vel indirecte, publice vel occulte per nos, vel alium, ſeu alios veniemus, aut quomodolibet faciemus. Deficientibus vero hujuſmodi heredibus dicti Franciſci ex ſuo corpore legitime deſcendentibus, præmiſſa omnia in feudum ei conceſſa ad prædictum regnum libere revertantur. Jus etiam, quod aliis eccleſiæ Romanæ fidelibus in aliis civitatibus, caſtris, villis, terris, ſeu locis a Romanis Pontificibus, vel Regibus ſeu Principibus ſibi conceſſum obtinent, necnon jus, quod privati a jure, vel proceſſu veſtro occaſione damnati ſchiſmatis olim habebant, ſi eos abjurato prius ſchiſmate per vos reſtitui contingat, etiam penitus ſalvabimus, & ſalvari curabimus, nec per hujuſmodi regni & terræ conceſſionem comitatuum, ſeu conceſſorum cuiquam, quoad proprietatem, ſeu poſſeſſionem, præjudicium generetur, Regis in iis omnibus jure ſalvo

XXI. Exauctorati ob ſchiſma qua forma reſtituendi.

Promitto etiam quod nullam confœderationem, ſeu pactionem, vel ſocietatem cum aliquo Imperatore, Rege, ſeu principe, vel barone, Sarraceno, Chriſtiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia, ſeu civitate, aut communitate, vel loco aliquo ſcienter contra Romanam eccleſiam, vel in damnum Eccleſiæ faciam: & ſi eam fecero ignoranter, teneor & promitto ad mandatum eccleſiæ Romanæ revocare. Promitto etiam, quod habebo mille ad minus bonorum militum comitivam, quorum quilibet equitaturas quatuor ſecum habebit. Habebo etiam trecentos baliſtrarios, & tot alios bellatores, quot ad proſecutionem negotii ſufficere videbuntur, & uſque ad duodecim dies a præſente die computandos, ſic munitus cum tota hujuſmodi comitiva mea eſſe tenear infra regnum Siciliæ, vel terram prædictam, niſi forte hoſtium obſtaculo impediar, vel occurſu; quorum impugnationi, & debellationi, quam diu taliter munitus perſeveranter inſtitero, intelligar negotium perſequi, nec tempus dictorum duodecim dierum mihi currat. Quod ſi ergo ſic munitus uſque ad terminum hujuſmodi tali non præpeditus obſtaculo non fuero infra eadem regnum vel terram cum comitiva hujuſmodi conſtitutus, vel in quocumque caſu me proſecutioni negotii non impendente operam opportunam, & in eiſdem regno & terra infra ipſos duodecim dies non fuero ſic munitus, liberum erit vobis, aut Romano Pontifici ſucceſſori veſtro, & in poteſtate veſtra, ſeu ipſius ſucceſſoris remanebit dicere, pronuntiare, vel proferre in ſcriptis, vel ſine ſcriptis de conſilio, vel ſine conſilio fratrum veſtrorum, me vel alio etiam quocumque, cujus forſan intereſt, non vocatis, & abſque omni juris ſolemnitate, conceſſionem, & inveſtituram mihi, & meis heredibus de regno, & terra prædictis factas, vacuas omnino eſſe, nullumque robur, & valorem habere, & eas revocare, caſſare, & irritare, & ipſas caſſas, & irritas nunciare.

De bellico apparatu ad regni expugnationem comparando.

Expeditionis tempus deſignatum.

Liberum quoque erit vobis, vel ſucceſſori veſtro Romano Pontifici hoc idem facere, ſi quod abſit, tam gravi & longa præpeditus valetudine, vel morte præventus dictum negotium juxta eamdem formam non aſſumpſero, vel aſumptum non fuero proſecutus, niſi forte talis perſona, & tam idonea juxta formam eamdem vices meas, vel meorum heredum in hac parte ſuppleverit, quæ merito ad hoc ſufficiens poſſit, & debeat a Romana eccleſia reputari. Quod ſi



ſi forſan ego alio impedimento fuero irretitus, & hoc ſignificavero vobis, aut eidem ſucceſſori veſtro Romano Pontifici, tunc liberum erit vobis, vel eidem ſucceſſori, & in poteſtate remanebit veſtra, vel ipſius, vel dicere, pronunciare, aut proferre juxta formam in capitulo ipſo contentam conceſſionem, & inveſtituram hujuſmodi mihi, & meis heredibus factas de regno, & terra prædictis vacuas omnino eſſe, nullumque robur, vel valorem habere, ac eas revocare, caſſare, & irritare; & ipſas caſſas & irritas nunciare, vel talem perſonam, & tam idoneam aſſumere, vel admittere ad dictum regnum, quæ merito ad hoc a vobis, vel ipſo ſucceſſore veſtro ſufficiens reputetur. Denique omnes præmiſſas conditiones, quæ in perſona mea apponuntur circa meos etiam in dicto regno heredes, & ſucceſſores, intelligo & volo eſſe dictas, ſalvis omnibus, quæ circa alios heredes meos ordinata conſiſtunt, prout ſuperius eſt expreſſum.

XXII. Forma ſacramenti deferendi a Regibus.

Forma autem juramenti per me præſtiti & per meos in dicto regno heredes præſtandi talis eſt: Ego Carolus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium, & ligium vaſſallagium faciens vobis domino meo domino Urbano Papæ VI. & eccleſiæ Romanæ pro regno Siciliæ, & tota terra, quæ eſt citra pharum, uſque ad confinia terrarum ipſius eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus diſtrictibus, & pertinentiis ſuis ſecundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & diſtrictus civitatis ejuſdem, per Romanum Pontificem diſtinctos, vel in poſterum diſtinguendos, ab hora in antea fidelis, obediens ero beato Petro, & vobis domino meo domino Urbano divina providentia Papæ VI. veſtriſque ſucceſſoribus canonice intrantibus ſanctæque apoſtolicæ Romanæ eccleſiæ. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdatis, ſeu perdant, aut membrum; vel capiamini, aut capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi credituri eſtis per vos, aut per nuncios veſtros, vel per literas ad veſtrum, vel eorum damnum ſcienter nemini pandam, & ſi ſcivero fieri, vel procurari, ſeu tractari aliquid, quod ſit in veſtrum, vel eorum damnum, illud pro poſſe impediam, & ſi hoc impedire non poſſem, illud vobis, vel eis ſignificare curabo. Papatum Romanum & regalia ſancti Petri, tam in regno Siciliæ, & terra prædictis, quam alibi exiſtentia, adjutor eis ero ad retinendum, defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Univerſas, & ſingulas conditiones ſupraſcriptas, & contentas in veſtris literis apoſtolicis ſuper ipſorum regni, & terræ conceſſione confectis, ac omnia, & ſingula, quæ continentur in eiſdem literis plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, & nullo umquam tempore veniam contra illa.

XXIII. De antipapa & anticardinalibus perſequendis.

Item Roberto olim baſilicæ XII. apoſtolorum Cardinali vulgariter dicto Gebennenſi nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. nominat, Anglico olim Albanenſi, Joanni olim Peneſtrino vulgariter dicto Lemovicenſi, Bertrando olim Oſtienſi vulgariter dicto Glandacenſi, epiſcopis; Guillelmo olim tit. Sancti Stephani in Cœlio monte vulgariter dicto de Agrifolio, Guillelmo olim tit. S. Vitalis vulgariter dicto Mimatenſi, Hugoni olim tit. SS. Quatuor coronatorum vulgariter dicto de Britannia, Guidoni olim tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem vulgariter dicto Pictavienſi, Petro olim tit. S. Laurentii in Lucina vulgariter dicto Vivarienſi, Joanni olim tit. S. Marcelli vulgariter dicto Ambianenſi, & Geraldo olim tit. S. Clementis vulgariter dicto Majoris monaſterii presbyteris: Hugoni olim S. Mariæ in porticu vulgariter dicto S. Martialis, Guillelmo olim S. Angeli, Petro olim S. Mariæ in via lata vulgariter dicto de Verneio, & Petro olim S. Mariæ in Coſmedin vulgariter dicto de Luna diaconis Cardinalibus perditionis filiis, juſto Dei judicio authoritate Apoſtolica condemnatis, & eorum ſequacibus, ac dantibus eis, vel eorum alicui auxilium, conſilium, vel favorem, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, aut ſtatus etiamſi pontificali, regali, aut reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, etiam ſi fuerint Romanæ eccleſiæ Cardinales, ſeu aliis quibuſcumque per eccleſiam denotatis, vel in poſterum denotandis, quamdiu extra gratiam, & communionem ſedis apoſtolicæ permanebunt non dabo quoviſmodo per me vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, auxilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit, & impedire potero, dari permittam, ſed eos ſecundum poſſe meum, donec convertantur, juxta proceſſus apoſtolicos, prout juſtum fuerit, perſequar, & invadam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia.

Acceptum Urbani beneficentiæ regnum Carolus refert.

Ego autem ad hoc privilegium, ſeu literas præſentes vobis, domine Papa, & dictæ Romanæ eccleſiæ aurea bulla bullatum, ſeu bullatas, in quo vel in quibus proprio juramento fateor, & recognoſco expreſſe regnum Siciliæ, & totam terram, quæ eſt citra Pharum, uſque ad confinia terrarum Romanæ eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio, & pertinentiis ejus, quæ eccleſiæ remanebit eidem, ex ſola gratia, & liberalitate ſedis Apoſtolicæ mihi, meiſque heredibus in feudum de novo conceſſa fore, noſque recepiſſe, ac tenere regnum, & terram hujuſmodi a vobis & dicta eccleſia Romana ſub pactis, & conditionibus, forma, & modo ſupradictis, & ſub aliis, quæ in noſtris literis prædictis plenius continentur. Cœterum, ut præmiſſa

omnia

*omnia, & ſingula, ac inſuper, ut conditiones, conventiones, & pacta, quæ inter vos dominum meum dominum Urbanum Papam VI. & Romanam eccleſiam ex parte una, & me pro me, meiſque heredibus ex altera interveneruut, ſeu fuerunt appoſita, prout in dictis veſtris apoſtolicis literis plenius continentur, illibata perpetuo maneant, & inconcuſſam ſemper obtineant firmitatem, ipſa omnia, & ſingula juro, & per ſolemnem ſtipulationem promitto, quod ea plenarie adimplebo, & inviolabiliter obſervabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet. In prædictorum autem teſtimonium, & perpetuam memoriam præſens ſcriptum inde confici, & aurea bulla regiæ majeſtatis impreſſa typario communiri feci.*

Cardd. & teſtium nomina.

*Acta fuerunt præmiſſa in baſilica principis Apoſtolorum de Urbe, præſentibus reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis Philippo tit. S. Suſannæ, Poncello tit. S. Clementis, Rainulpho tit. S. Potentianæ, Bartholomæo tit. S. Marcelli, Bonaventura tit. S. Cæciliæ, Nicolao tit. S. Cyriaci presbyteris, Gentile S. Adriani, & Galeotto S. Agathæ diaconis dictæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, ac reverendis patribus dominis Nicolao Panormitano, Petro Jadrenſi archiepiſcopis &c.* ſequuntur teſtium nomina. *Dat. Romæ in dicta baſilica per manum diſcreti viri Angeli de Mari de Neapoli ſecretarii & theſaurarii mei fidelis dilecti in abſentia logothetæ, & protonotarii dicti regni anno domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, die prima menſis junii pontificatus prædicti ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Urbani divina providentia Papæ VI. anno quarto, & regni noſtri, & aſſumptionis ad præfatum regnum anno primo.*

XXIV.

(a) *Gobel. in Coſmod. ætat. 6. p. 76. c. 76.*
(b) *Vualſing. hiſt. Angl. in Rich. II.*
(c) *Urb. vit. ſcript. & Collenut. l. 5.*

Subſidiario in militum ſtipendia auro inſtructus.

(d) *Theod. e Niem. l. 2. c. 22.*
(e) *Lib. 1. p. 282.*
(f) *Diar. MS. Hectoris Pignat. in diar.*

Redimitum regio diademate pontificia manu Carolum, obſervant Gobelinus (a) & Walſinghamus (b), traduntque nonnulli urbis Senatorem creatum, ut Romanorum copiis ad eripiendum, abſtrahendumque ex ſchiſmaticæ Reginæ manibus regnum fultus eſſet. Ingentem etiam auri vim ipſi fuiſſe ab Apoſtolica ſede ſuppeditatam pro ſumptibus in rem militarem faciendis, eaque de cauſa Urbanum (c) bona eccleſiarum & monaſteriorum ad octoginta aureorum millia diſtraxiſſe, conflaſſe argentea ſanctorum ſigna, cruceſque & calices & alia pretioſa ornamenta, refert Theodoricus e Niem (d). Certe ærarium pontificium ob id exhauſtum, & eccleſiarum bona oppignerata teſtatur Urbanus (e). At Joanna, ut referunt vetuſta diaria Hectoris Pignattelli (f), dolore furens XXII. martii die Neapolitanæ urbis proceres excivit, inque lachrymas effuſa belli ſubſidia popoſcit, atque ejus vir Otho Caroli adventum præſentiens XIV. maii ſigna ad regni limitem promovit: quaſi in Romanum agrum irrumpere pararet: ſed XXVIII. junii a S. Germani oppido propulſatus eſt a Carolo, qui inde Nolam ſe recepit, atque undecima julii die cum Neapolitanis ad ſe excitis pactiones iniit: quem Cardinalis e Sangro Apoſtolicæ ſedis legatus Franciſcus nepos pontificius, necnon dux Andriæ, & alii proceres ſtipabant.

Stupendi Caroli ſucceſſus.

(g) *S. Cathar. ep. 309.*
(h) *Ep. 306.*

Prædicti a S. Catharina Senen.

(i) *Pſ. 26.*
(k) *Vualſin. in Rich. 2. ſub ann. 1382.*

Brevi ad ſpem ſubinde eventus reſpondere Carolo, populis in ejus fidem ac poteſtatem venientibus, atque ideo Othone Brunſvicenſi pugnam inire non auſo, exercitum Neapolim XVI. julii duxit, moxque a populo patefactæ illi urbis portæ. Prædixerat Joannæ Reginæ, ſibi viriumque magnitudini præſidenti S. Catharina Senenſis (g), ſcilicet populos infidos illi futuros, quos ipſamet a vita ad mortem, a veritate ad errorem traduceret, divelleretque a Chriſti in terris vicario, ut antichriſto erroris magiſtro conjungeret; ac rurſus Neapolitanorum deditionem prænuntiarat (h), repetita prophetica ſententia: (i) *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* De rebus a Carolo tum præclare geſtis hæc ſcribit Walſinghamus (k): *Intravit in manu forti; poſſeſſurus terram illam, & nemine reſiſtente pervenit in pace Neapolim civitatem metropolitanam regni, ubi cum honore decenti a civibus eſt ſuſceptus: & ut ſucceſſus correſponderent, & juxta domini Papæ vaticinium, dicentis in quodam ſermone habito ad populum ejuſdem Caroli Pacis: Eſt tibi, fili chariſſime, non abs re cognomen inditum, quoniam proficiſceris in pace, & pax erit tibi in ingreſſu tuo, pax in progreſſu, & pacis ſucceſſione gaudebis;* nimirum ſi in Dei, Eccleſiæque obſequio perſtitiſſet.

Othonis fuga.

Joannæ deditio.

Otho captus in prælio.

(l) *Summ. hiſt. Neap. lib. 4. & Diar. MS. Neap.*

Exceptus triumphatoris more Neapoli Carolus, Reginam in arce munitiſſima, cui Ovi nomen inditum, obſidione cinxit, cum Otho præcipiti fuga per pontem dilapſus Averſam ſe recepiſſet: tum vero perterrita Joanna, miſſo vigeſima augusti die Ugone Sanſeverinate interprete in deditionem Caroli ſe venturam eſt pollicita, ni labente quatriduo eam Otho Brunſvicenſis liberaret. Is itaque inſtructa triplici acie Reginæ opem ferre XXIV. auguſti conatus eſt: ſed in prima certaminis impreſſione, amiſſis pluribus e ſuis cæſoque comite Montisferrati, ab hoſtibus circumfuſus ruente equo in terram evolutus captuſque, & in carcerem conjectus eſt: quo adverſo caſu conſternata Regina, ſive blandis verbis a victore Carolo delinita, ſuiſque obcæcata ſceleribus, ſe ſuaque una cum arce Carolo permiſit: ad quam periculo liberandam ſerius, nimirum decima ſeptembris, decem provincialium triremes ad portum appulerunt (l). De ejus carcere ac nece proximo anno dicetur.



XXV.

(a) *Hect. Pign. Diar. MS. Neap.*

Neapolit. regnum in Caroli poteſtatem redactum.

(b) *S. Anton. tit. 22. c. 2. §. 7. & Leonard. Aret. hiſt. Flor. l. 9.*
(c) *Gobelin. in Coſmodrom. æt. 6. c. 76.*
(d) *Paul. Æmil. in Car. VI.*

Urb. cauſæ favet Deus.

Univerſæ interim regni provinciæ, proceresque omnes, exceptis Caſertano, Ariani, & Fundi comitibus, quos ob navatam Joannæ juſſu conflando ſchiſmati operam graviſſimis cenſuris ab Urbano defixos, atque omni ditionum ſuarum jure everſos vidimus, ſub imperium Caroli conceſſerunt ſeptem menſium curſu, ut Hector Pignattellus (a) refert in diariis ſuis; quam victoriam Dei potentiæ S. Antoninus (b) aſcribit: *Totum*, inquit, *regnum ſub dominio hujus Caroli III. fuit, operante Deo magis quam virtute humana.* Quod idem confirmat Gobelinus, qui ubi Othonem ceſſiſſe via Carolo venienti, ut a tergo adoriretur, dum Neapolitani a fronte reſiſterent, ſuaque deluſum ſpe deſcripſit (c), ſubiicit: *Ex his perpendi poteſt liquide domini Urbani Papæ benedictio quantæ fuerit efficaciæ, cum Rex Carolus abſque belli conflictu ſibi tanta ſubegit, ipſiuſque maledictionis ſententia in quanta diſpendia adverſantes ſibi deduxit, cum domina Joanna Siciliæ Regina, Provinciæ & Pedemontii comitiſſa, marituſque ejus dux Otho tot divitiis, tantaque potentia fulti, ſunt tam ſubito ad infœlicitatis invia dejecti: quis enim hæc audiens, ipſa ultionis modo divino contigiſſe negaret?* Paulus vero Æmilius (d) inde corroboratam rem catholicam addit gravi hac ſententia; *Dedita Joanna, & captus Otho multum dignitatis addidit cauſæ Urbani, ut divinum Numen ipſum ſtare ab eo, oppugnare damnareque conſilia Clementis videretur.*

XXVI.

Schiſmatici præſules exauctorati.

(e) *Theod. e Niem. l. 1.*
(f) *Hect. Pignat. in Diar. MS.*

Pſeudo cardinal. Giffonii exuſta inſignia.

Nonnulli creati Cardd.

Excindendis porro ſchiſmatis fibris deſudatum eſt a prædicto Cardinale e Sangro Apoſtolicæ ſedis legato, qui Carolo in ſuperiori expeditione adjunctus fuerat, præſuleſque ſchiſmatici dignitatibus & opibus exuti (e) ſceleris pœnas luerunt. Inter hos Giſonius pſeudocardinalis, ut ait Hector Pignattellus (f), in templo S. Claræ ſacro ſolemni ritu pileum cardinalitium purpuramque abjecit, profeſſus Clementem non eſſe verum Papam, ſed vitio creatum: moxque in medio templo purpura ejus & pileus ſubjectis facibus XVIII. ſeptembris ſunt incenſa, ipſeque una cum abbate Pedeguſſæ & tribus aliis in carcerem conjectus eſt. Redacto ita in poteſtatem Caroli Neapolitano regno, Regina Margarita die feſto S. Catharinæ virginis & martyris a legato apoſtolico corona regia redimita eſt. Tum ab Urbano VI. die menſis decembris aliqui præſules, ut refert Alfonſus Ciacconius ex annalibus Neapolitanis & Trivultianis, adſciti ſunt in Cardinalium ſenatum, ſcilicet Marinus e Judice Amalphitanus ex archiepiſcopo Tarentino presbyter S. Pudentianæ tit. Paſtoris creatus, Landulphus Neapolitanus ex deſignato archiepiſcopo Barenſi, creatus diaconus S. Nicolai in carcere Tulliano. Petrus ſive Perinus Thomacellus Neapolitanus ex protonotario apoſtolico, diaconus S. Georgii in velabro, poſtea titulo presbyterali S. Anaſtaſiæ ornatus, qui in pontificatu Urbano ſuccedens, Bonifacius IX. eſt appellatus, & Thomas Urſinus de Manupello Romanus ex protonotario apoſtolico diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica renuntiatus. Confirmare hac ratione Neapolitanos in ſua fide arbitrabatur Urbanus, cum nova bella ſunt exorta: nam ſecundos rei catholicæ ſucceſſus confundere primum cœpit amplificandæ pontificii nepotis dignitatis cupiditas: Franciſcus enim Prignanus, cui Urbanus Capuæ principatum, ut vidimus, & alios ampliſſimos comitatus ex pactis cum Carolo Rege initis contulerat, poſſeſſionem Capuæ XXIV. ſeptembris a Rege Carolo exegit (g). At is regiæ dignitatis aſſerendæ cupidus, cum ex Capuæ aliorumque principatuum laceratione regnum labefactaretur, & pravum ab Urbano daretur exemplum, ut inter Pontificum nepotes regnum poſthac divideretur, & exinde innumera bella oriunda forent, ſacramenti Urbano præſtiti fidem contempſit tanquam injuria illud extortum fuiſſet, atque in publicum regni damnum cederet.

(g) *Hect. Pignat. in Diar. Neap.*

Odiorum inter Urbanum & Carolum cauſæ.

(h) *Id. ib. Collenut. hiſt. Neap. l. 5. & Summont. l. 3. c. 4.*
(i) *Ext. ea diplom. lib. 7. Clem. antip. p. 175. & in archiv. Neap.*

Andegavenſis dux a Joanna in ſpem regni cooptatus.

Provincia a regno Neap. divulſa.

(k) *Lib. 8. p. 121.*

Crevit etiam alia bellorum ſeges, quæ antipapæ ſtudiis adolevit: nam Joanna exauthorata, ut diaria Hectoris Pignattelli referunt (h), cum ſe in diſcrimen adductam expaveſceret, comitem Caſertanum, atque Angelucium Sarnenſem miſerat cum ampliſſimis mandatis, ut Ludovicum Andegaviæ comitem Regis Francorum fratrem in filium ac regni heredem cooptarent, ut antea diximus, inſtituerentque regni & Reginæ liberatorem, in quem Avenionenſis pſeudopontifex (i), poſtea ea defuncta, quaſi regnum Neapolitanum illius juris ac poteſtatis eſſet, illud iiſdem legibus transfudit, quibus Carolus Clementis IV. beneficentia liberalitateque acceperat: qua de re ejuſdem antipapæ vitæ ſcriptor meminit. Exinde divulſi ſunt relicti a Joanna principatus: Provinciæ enim, Folkarquerii, & Pedemontis comitatus Ludovici dominatum admiſere, haud ita tamen, quin Maſſilia & Arelatum, multaque oppida ad Carolum Dyrrachinum ſpectarent, ut ſcriptor vitæ antipapæ tradit; unde magni tumultus, præcipue apud Aquenſes, concitati ſunt, ut conſtat ex literis antipapæ (k) quibus pſeudoarchiepiſcopum

ſanguine Aquenſium in civili eo bello cruentatum ficte expiat. [1]

XXVII. Cum vero luctuoſiſſimo illo tempore alii a vero Chriſti vicario deficerent ad antipapam, alii diſcuſſo errore ad eccleſiæ Romanæ ſinum tranſvolarent, viſum eſt Urbano in deficientes ſeveritatem adhibere, qua de re Jacobo Dardano A. S. N. data imperia; alios vero ſinu eccleſiæ amantiſſime excipiendos, quibus præſcripta (a) eſt damnandi ſchiſmatis formula (b) ſuis concepta verbis, quæ ad Rolinum epiſcopum Virdunenſem miſſa eſt.

(a) *Urb. to. 1. p. 74.*
(b) *Lib. 4. p. 198.*
Revocandis ad eccleſ. ſchiſmaticis data opera.

*Rolino electo Virdunenſi.*

*Dominus noſter verus, & bonus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & qui venit animas hominum ſalvare, & non perdere, imitatores vult eſſe nos ſuæ pietatis, ut peccantes quidem juſtitia exerceat, converſos autem a ſua miſericordia non repellat. Cum itaque ad noſtrum, non ſine magno mentis jubilo fide dignis relatibus ſit deductum auditum, quod quamplures perſonæ utriuſque ſexus tam eccleſiaſticæ, quam ſæculares tuæ, ac Metenſis & Tullenſis civitatum & diœceſum, quæ falſis & diabolicis ſuggeſtionibus deceptæ damnabili viro, & perpetuæ maledictionis alumno Roberto olim baſilicæ XII Apoſtolorum presbytero Cardinali nunc antipapæ, qui ſe Clementem Papam VII. auſu temerario nominare præſumit, etiam poſt & contra proceſſus per nos contra ipſum Robertum, & quoſcumque ejus fautores & ſequaces, ac adhærentes eidem factos, & ſolemniter publicatos, & ipſum Robertum tanquam ſchiſmaticum & hæreticum puniendum ſententialiter condemnavimus, adhærere, & favere damnabiliter præſumpſerunt, ad cor reverſæ ſuoſque cognoſcentes errores, ad unitatem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui licet inſufficientibus meritis authore domino præſidemus, redire deſiderant, ſi a ſententiis & pœnis, quas propter adhæſionem & fautoriam incurrerunt, ſalubriter abſolvantur; nos cupientes ſaluti perſonarum hujuſmodi providere, ac de diſcretione tua in Domino gerentes fiduciam ſpecialem, tibi abſolvendi authoritate apoſtolica in forma eccleſiæ conſueta perſonas ipſas ab hujuſmodi pœnis & ſententiis, abjurato tamen per eas prius ſchiſmate, & publice retractatis erroribus, in quibus fuerunt involutæ, & præſtito per ſingulas ipſarum, perſonarum juramento fidelitatis, juxta formam inferius annotatam de ſtando noſtris, & eccleſiæ Romanæ mandatis, ac injunctis eis per te pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda, plenam & liberam concedimus tenore præſentium facultatem.*

XXVIII. Damnandi ſchiſmatis propoſita formula.

*Forma autem juramenti prædicti talis eſt. Ego N. comperto diviſionis, & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar, credendo, fovendo, & adhærendo perditionis alumno Roberto olim Cardinali Gebennenſi, qui auſu ſacrilego ſe Clementem VII. nominare præſumit, & aliis credentibus, faventibus, receptatoribus, adhærentibus, defenſoribus, complicibus, ſequacibus eorum, præſtando auxilium, conſilium, vel favorem, & propterea diutina mecum deliberatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad unitatem ſedis Apoſtolicæ divina gratia reverſus, fateor publice me erraſſe, & de præſenti tenere fidem catholicam, & credere & tenere quidquid credit, tenet, & docet ſancta mater Eccleſia, cui præeſt dominus noſter dominus Urbanus divina providentia Papa VI. & quod idem dominus Urbanus fuit & eſt verus Romanus Pontifex & verus vicarius Jeſu Chriſti, Petrique ſucceſſor canonice electus, inthronizatus, & coronatus in Romanum Pontificem per Cardinales, ad quos vacante ſede per obitum ſanctæ memoriæ domini Gregorii XI. electio, inthronizatio, & coronatio pertinebat: quodque præfatus alumnus perditionis Robertus olim Cardinalis Gebennenſis non eſt Papa, ſed antipapa, apoſtaticus, & ſchiſmaticus manifeſtus; & quod ipſe tanquam antichriſtus, & invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis, & a liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus, a Chriſtifidelibus perſequendus eſt, donec ad cor reverſus ſuos recognoſcat errores, & ad gremium revertatur Eccleſiæ antedictæ; & quod tam ipſe Robertus, quam omnes eidem in hac parte adhærentes, credentes, receptatores, defenſores, complices, fautores, & ſequaces ejuſdem fuerunt & ſunt veri ſchiſmatici, apoſtatici, excommunicati, anathematizati, & diviſi, ac ſeparati a communione fidelium*

NOTÆ [1] CArolus de Pace, Dyrrachii Princeps, Regis Hungariæ frater, hoc ipſo anno coronam regni Neapolitani, & Apuliæ, ex ipſis Urbani VI. manibus traditam, accepit. Annum notat Annaliſta, diem & menſem ſilet, cujus tamen defectum ſupplent æquales eorum temporum ſcriptores Itali, Nerius ſcilicet, Donati filius, qui ad hunc uſque annum Senenſium rerum chronicon anno 1352. cœptum continuavit rer. Italic. to. XV. & Anonymus Mediolanenſis rer. Italic. to. XVI. qui ambo diem II. Junii, quæ tunc feſto Pentecoſtes ſolemnis erat, aſſignant. Ex quo intelligimus obſolevifſe tunc morem illum, quo principes ante coronam adeptam non quidem Reges, ſed Reges electi nuncupabantur. In iis enim Caroli literis, ante Pentecoſtem datis, quas Annaliſta hic recitat, Regis titulum ſine addito ſibi rex electus Carolus uſurpat. Porro Urbanus non tantum Apuliæ, & Neapolis Regem Carolum, ſed & Urbis ſenatorem renunciavit, quod cum Annaliſta ex recentiorum tantummodo ſcriptorum teſtimonio notet, certum aſſertumque lectoribus noſtris faciendum duxi authoritate Sozomeni Authoris ſynchroni, qui in hiſtoria Piſtorienſi idem affirmat. MANSI



*lium, & ab unitate ſanctæ Dei Eccleſiæ, & tanquam hæretici puniendi, & ut tales fuiſſe & eſſe juſte & ſancte de ſchiſmate, credentia fautoria, adhæſione, ſequela, & erroribus prædictis condemnatos, incidiſſe in pœnas & ſententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, & in dictis proceſſibus contentas & declaratas. Et ne ſimulate reverſus exiſtimer, ſub honoris mei caſu, & anathematis obligatione, & ſub pœna, quæ relapſis a jure, vel ab homine imponi deberet, anathematizo & abjuro omnem hæreſim & ſchiſma, & nominatim damnatum ſchiſma, credentiam & adhæſionem præfati Roberti, & me ad idem ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri gratia ereptus ſum, nunquam reverſurum; ſed ſemper me in unitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, cui præeſt præfatus dominus Urbanus, manſurum: ac ſponte promitto, & non ficte, ſed voluntarie, & ſyncere juro ad ſancta Dei evangelia corporaliter per me tacta, quod ſtabo & parebo mandatis Eccleſiæ, & dicti domini noſtri Papæ ſuper rebellionibus, fautoriis, & cæteris pœnis & ſententiis, quas ob præmiſſa, & ea tangentia incurri; & quod dicto domino noſtro Papæ, & ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus obediens, & fidelis de cætero ero, & eis reverentiam debitam exhibebo. Non ero in conſilio vel tractatu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi tradituri ſunt per nuncium, aut literas ad ipſorum damnum, vel præjudicium nemini pandam, vel communicabo; & ſi ſcivero fieri, vel tractari aliquid, quod in ipſorum damnum vel præjudicium vergat, illud pro poſſe impediam, ne fiat; & ſi id impedire non potero per me, hoc eis aut alii, ſeu aliis per quem, vel per quos id credam ad eorum notitiam pervenire perſonaliter, vel per literas, aut per nuntios ſignificare curabo. Papatum Romanum, & regalia S. Petri, ac jura & juriſdictiones præfatæ Romanæ eccleſiæ, & dicti domini noſtri Papæ majeſtatem, honorem, ſtatum illæſos manutenebo totis viribus, & defendam, ac adjutor ero ad conſervandum & recuperandum, & recuperata manu tenendum contra omnes homines, & ſpecialiter contra præfatum Robertum antipapam, & quoſcumque ſibi credentes, adhærentes, fautores, receptatores, & defenſores, complices, & ſequaces ejuſdem cujuſcumque præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, etiamſi pontificali, regali, ſeu reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi fuerint dictæ Romanæ eccleſiæ Cardinales; & contra quoſcumque per dictam eccleſiam denotatos, vel in poſterum denotandos, quamdiu extra gratiam & communionem prædictæ eccleſiæ permanebunt, nec cum præfatis ſchiſmaticis, apoſtaticis & rebellibus, vel eorum complicibus, fautoribus, & ſequacibus quamdiu ſtabunt in rebellione Eccleſiæ, ſeu aliis hæreticis & & ſchiſmaticis, & rebellibus, ac illorum fautoribus, ſequacibus per dictam eccleſiam denotatis, deinceps ero, nec eis, ſeu quibuſcumque aliis contra dictam eccleſiam, & dominum noſtrum Papam dabo auxilium, conſilium, vel favorem per me, vel per alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, nec ab aliis quantum in me fuerit, ſi id impedire potero, præſtari, ſeu dari permittam, nec cum dictis ſchiſmaticis, apoſtaticis & rebellibus, aut quibuſcumque aliis in rebellione præfatæ eccleſiæ exiſtentibus contra ipſam eccleſiam colligationem, vel conſpirationem faciam, ſive ligam; ſed eos & eorum quemlibet juxta tenorem proceſſuum prædictorum pro poſſe meo perſequar, & invadam, & invadi faciam donec convertantur, & reducantur ad gremium dictæ eccleſiæ, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. kal. novemb. pontificatus noſtri anno IV.*

Exacta ſponſio a reverſis in gratiam.

De non præſtando ſtudio ſchiſmaticis.

XXIX. Inter hæc, cum œcumenicum concilium ob ſchiſmaticorum improbitatem celebrari non poſſet, varia conventicula a principibus ſunt coacta, in quibus quis colendus Pontifex, quive ſpernendus decernendi auctoritatem ſibi arrogarunt; inter quos Joannes Caſtellæ Rex a Gallis, quibus erat conjunctiſſimus ob partum a parente ſuo eorum armis regnum ſubornatus, Petro e Luna antipapæ emiſſario ſuadente, Salamanticæ injuſtam contra Chriſti vicarium ſententiam tulit (a), & quidem admodum improvide, quippe qui certo ſciret Carolum V. Francorum Regem morti proximum latæ ſimilis ſententiæ pœnituiſſe, atque ad concilium œcumenicum de ea controverſia referendum cenſuiſſe: prætermiſſo autem dandæ operæ, ut illud cogeretur ſtudio, pſeudocardinalium mendaciis deluſus, præſertim Petri Florentini & Simonis Mediolanenſis, qui ſuperiori anno ad antipapam defecerant, cum Urbani ſeveritatem veriti, ut diximus, ad eum redire non eſſent auſi, pſeudopontificem colendum ſuis ita edixit (b).

Prætermiſſo concil. œcumen. varia conciliabula fiunt.

(a) *To. 4. de ſchiſm. p. 29. Marian. l. 18. c. 4. & vit. antip. ſcript. apud Boſq.*
Joan. Caſtell. Rex ad antip. deficit.
(b) *To. 4. de ſchiſm. p. 29.*

*Joannes Caſtellæ Rex, &c.*

XXX. *Dudum vacante ultimo ſacroſancta ſede Apoſtolica per obitum felicis recordationis Gregorii Papæ XI. & ad claræ divæque memoriæ illuſtriſſimum principem dominum Henricum Regem Caſtellæ & Legionis genitorem noſtrum dilectiſſimum tunc in humanis agentem, tandem deducto, quod reverendiſſimi in Chriſto patres domini S. R. E. Cardinales, ad quos tunc Romani Pontificis electio pertinebat, in urbe conſtituti, in qua idem dominus Gregorius diem ejus perſolverat ultimum, elegerant de menſe aprilis anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo in Papam dominum*

*num Bartholomæum tunc archiepiſcopum Barenſem, eumque inthronizaverant & coronaverant, prout ex more hactenus ſolitum extiterat, qui & Urbanus Papa VI. vocari voluerat; idem illuſtriſſimus quondam genitor, credens electionem, & omnia inde ſecuta ſecundum ſanctorum patrum ſancita canonica præceſſiſſe, licet ut unus ex chriſtianiſſimis Regibus orbis eidem electo, ut Romano Pontifici aliquandiu adhæſiſſet, tamen ex poſt clare ſibi conſtito per literas authenticas collegii dominorum Cardinalium prædictorum de electione, ſeu publicatione facta in civitate Anagniæ per Cardinales antedictos contra prætenſam electionem, utpote per violentam impreſſionem Romanorum, ut dicebant, extortam, & etiam contra perſonam dicti electi tanquam invaſoris, & occupatoris ſanctæ ſedis memoratæ, eidemque noſtno genitori ſæpe dicta patefacta electione ſecunda, quam domini Cardinales prædicti collegialiter in unum convenientes in civitate Fundorum de menſe ſeptembris anni ejuſdem de perſona reverendiſſimi in Chriſto patris domini Roberti tunc Cardinalis Gebennenſis, eum eligendo in Papam, qui Clementis Papæ VII. ſibi nomen aſſumpſerat; & quod iidem domini Cardinales ad electionem dicti domini Gebennenſis in Papam proceſſerunt ſecundum canonicas ſanctiones, ut dicebant, & eidem, ut Papæ, continue ex tunc adhæſerant, & adhærebant, prout adhærent hodie, conſilio & deliberatione maturis præhabitis, ac prælatis & aliis proceribus, viriſque famoſis & doctoribus utriuſque juris, ac in theologia magiſtris regnorum prædictorum advocatis, ordinavit omnino viribus totis vacare velle ad veritatem indagandam hujus graviſſimi negotii, maximique ponderis pro ſua & noſtra, ac omnium regnicolarum ipſius, totiuſque regni ſui ſtatu & ſalute tranquillis ſecundum Deum & rectam juſtitiam, ad dexteram non declinans, nec ad ſiniſtram, & interim indifferentem ſe realiter conſtituit, ut melius dono ſancti Spiritus cernere poſſet quis illorum apoſtolicus eſſet: qui denique in indifferentia manens antedicta, quamquam ad aliquos actus ſingulares pro carpenda hujuſmodi veritate proceſſiſſet, ulterius progredi nequivit, ſublatus de medio, Deo ſpiritum devote reddens, qui creavit illum.*

Henrieus ejus pater aliquando Urbano adhæſerat.

Perjuris Cardd. leviter credidit.

In ipſa ſchiſmatis excuſſione extinctus.

XXXI. Neutri ſtudere erat profeſſus. Joannes Rex invitus in neutram partem propendet. Sapientum reſponſa ex utraque parte excipit.

*Nos autem, qui Altiſſimi gratia illuſtriſſimo genitori noſtro memorato in regnis antedictis immediate ſucceſſimus, cupientes ad effectum deducere, quæ ſalubri fuerant per eundem incboata principio, eandem indifferentiam pura & ſincera mente continuantes, toto poſſe operam dedimus pro uberiori, ac veriſſima informatione cauſæ hujuſmodi reportanda: deſtinavimus enim certos noſtros fideles & juratos magnæ ſcientiæ, conſcientiæ, & experientiæ viros ad ambos electos, ut ab eis reciperent, & ab aliis ſecrete quas poterant informationes, prout eis expedire videretur, in negotio antedicto, & in ſcriptis redacto nobis deferrent: qui tam a primo electo in Roma & a ſecundo electo in Avenione receperunt quæcumque eis dicere voluerunt pro oſtenſione juris eorum, quam etiam depoſitiones nonnullorum teſtium juratorum nominatorum per dictos electos, & aliorum ſecrete receptorum, eis inſciis, in facto hujuſmodi redegerunt in ſcriptis, necnon & a reverendiſſimis in Chriſto patribus dominis Florentino & Mediolanenſi Cardinalibus Italicis, qui ſimiliter ut dicebatur, in indifferentia manebant, & qui in ambabus dictis electionibus præſentes fuerant, aliquas informationes habuerunt. Quæ omnia noſtri nuncii memorati ad nos fideliter reportarunt, & cum eis venerunt venerabilis pater dominus Franciſcus epiſcopus Faventinus, & dilectus noſter Franciſquinus de Papia legum doctor nuntii ad nos ſpecialiter deſtinati pro cauſa hujuſmodi per dictum primum, qui ſecum portarunt ſub bulla dicti primi electi ad nos directa caſum ſecundum ſeriem totam, & veritatem ſuæ electionis, & aliorum per dominos Cardinales ante eorum declarationem, ſeu publicationem memoratam Romæ & in Anagnia geſtorum continentem: noſque iis non contenti, reverendum patrem dominum Alvarum epiſcopum Zamorenſem decretorum doctorem noſtrum fidelem & conſiliarium dilectum, virum magnæ ſcientiæ & doctrinæ & negotiorum maximam peritiam habentem, deſtinavimus ſpecialiter ad dominos Florentinum & Mediolanenſem Cardinales antedictos ob hanc cauſam, cum quibus in civitate Nicienſi pluries fuit, & ad noſtram præſentiam, informatus per eos plene de iis, quæ noverant in negotio prædicto cum eorum propriis ſcripturis rediit. Et interim nos reſidentes in loco noſtro de Meuria diœceſis Salamanticæ, poſtpoſitis omnibus aliis noſtris & regnorum noſtrorum negotiis, per prælatos & alios doctores conſilii noſtri, & alios diligenter recipi fecimus, &c.* (Subdit diſcuſſis Urbani & Clementis ad pontificatum juribus, & utriuſque rationibus in examen adductis, ab illo præſulum & doctorum conventu in gratiam Clementis ſedentis Avenione contra Urbanum latam ſententiam, cum quo tanquam cum Chriſti vicario Hiſpanos ſibi obnoxios ſentire jubet.) *Dat. Salamanticæ ſub noſtro aureo ſigillo regio an. Domini MCCCLXXXI. die dominica XIX. menſis maii, in eccleſia cathedrali ſtatim poſt miſſarum ſolemnia, hora fere ſexta, in præſentia reverendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum Petri de Luna diaconi Cardinalis & ſedis Apoſtolicæ legati, & Gutterii noviſſime in Romanæ eccleſiæ presbyterum Cardinalem aſſumpti per præfatum dominum noſtrum Papam Clementem VII. & aliorum quamplu-*

Veritatis indagandæ ſtudium præſefert.

Ad ſchiſmaticam partem inclinat.



*rium prælatorum, doctorum, & cleri, ac populi multitudine copioſa.*

Fuiſſe hunc Gutterium (a) epiſcopum Palentinum, [1] atque ab Urbano cardinalitia dignitate exornatum, conjuncta legati apoſtolici authoritate, refert Clementis antipapæ geſtorum ſcriptor; additque ipſum, tunc inſignia pſeudocardinalitia a Petro e Luna accepiſſe.

(a) *Vitæ Clem. antip. ſcript. apud Boſquet.*

Gutterii Card. ad ſchiſmaticos defectio.

XXXII. Promulganda erat hæc ſententia impia in ampliſſimo Minoritarum templo Salmanticenſium; ſed ne tanto ſcelere pollueretur ea eccleſia, Franciſcanos catholicæ conjunctionis tuendæ percupidos, divinitus conſecutos, refert ex vetere & conſtanti fama Lucas Wadinghus (b), his verbis: *Mira ſane res tunc accidit Salamanticæ poſt decretum in principum, ac prælatorum conſeſſu Clementis obſequium & ſequelam, ſtatuit Rex magno procerum comitatu, ſolemni pompa jurare in partes Clementis ſe ſuaque regna fidem & obedientiam illi præſtitura, atque iſthoc facere in templo capaciſſimo Franciſcanorum. Indoluerunt illi valde id apud ſe fieri, quod impedire non poterant, & omnium juramento promitti, quod nulli licebat; noviſque precibus Deum rogarunt, ut malum hoc averteret, & maculam iſtam a ſuo templo procul faceret.*

(b) *Vvad. A. C. 1381. n. 3.*

Promulgatio ſententiæ exoſa cælo.

*Exaudivit Deus preces ſervorum ſuorum: ea etenim hora, qua paratis omnibus, expectante præ foribus univerſorum ordinum comitatu, Rex palatium egredi voluit, cœlum autem ſerenum, & clarum quaſi ſpectaculum hoc horreret videre, denſas repente interpoſuit nubes, cœperuntque mugire tonitrua, coruſcare fulgura, copioſi imbres, ita omnia miſcere, ut concitato curſu, confuſoque ordine omnes ad proxima fugerint latibula, & Regem domi ſe oportuerit continere. Sparſum itaque in vulgus id fratrum precibus tribuendum, eorumque inſtitutorem voluiſſe iniquitatem hanc a ſua domo repellere: qua de cauſa Rex loco pepercit: neque hoc ſcelere tentavit amplius contaminare. Refert hoc admirandum factum Bartholomæus Piſanus illius temporis ſcriptor, & conſtanti traditione memoriam hanc quotidie renovari, ipſe in illa æde per aliquot annos commoratus probavi.* Quibus porro pactionibus Joannes Rex antipapæ ſe addixerit, ex ſchiſmaticorum monumentis (c) perſtringere viſum eſt.

Excitata divinitus tempeſtas.

(b) *To. 4. de ſchiſm. p. 84.*

XXXIII. Poſtulata per Caſtellæ Regem ab antipapa.

*Primo, nullos archiepiſcopatus, epiſcopatus, dignitates, vel ſacerdotia, niſi e regnis Regis Caſtellæ oriundis conferat, cum ob contrarium plura regno damna invecta ſint, peſſundatæ eccleſiæ, divinuſque cultus obſoleverit. Secundo, ſanciat privilegio pontificio, nunquam ſibi, aut fiſco apoſtolico, archiepiſcopatuum, epiſcopatuum eorundem, aliorumque ſacerdotiorum vectigalia, vel præſulum morientium bona reſervaturum. Tertio, collatio ſacerdotiorum antea ab Urbano facta valeat. Quarto, reſcindat ſacerdotiorum gratias expectativas, ac cenſuras ab electionis tempore, ad declarationis editæ diem diſſolvat. Quinto, epiſcopatuum collationem factam ab Urbano ratam habeat. Sexto, dignitates, ac ſacerdotia in poſterum non reſerventur. Septimo ſacerdotia, quibus gaudent Cardinales exteri, iis decedentibus in Caſtella, aliiſque regnis obnoxiis tantum conferantur. Octavo, nullæ ſubſidiariæ pecuniæ, decimæ, vel ſtipendia exigantur. Nono de ſtipendiis legato dandis pactiones initæ. Decimo, epiſcopatus, & ſacerdotia archiepiſcopis, aut aliis præſulibus extra regni limitem non ſint obnoxia. Undecimo, collectores apoſtolici nil gravius, quam in Galliis & Germania fert uſus, pertentent ad vacantium in curia ſacerdotiorum annatas tantummodo recipiendas.*

Ex ea Joannis Regis Caſtellæ defectione perverſoque judicio magna clades rei catholicæ illata eſt: ſchiſmatici enim jactare cœperunt, illos Caſtellæ conventus cum œcumenico concilio, quodammodo æquari poſſe, cum in iis utraque pars audita, & excepta contraria invicem argumenta expenſaque fuiſſent; proinde, cum regia ſententia tot ſapientum judicio, contra Urbanum lata eſſet, jure inferri, illius cauſam æquitate non fultam. Quod ſchiſmaticorum argumentum Joannes e Monteſono (d) ordinis Prædicatorum, in commentario adverſus ſchiſmaticos ſibimet objecit, diſſolvitque gemina ratione, primo Caſtellæ Regem ſibi contra jura judicis munus uſurpaſſe, nec quemquam ad-

Schiſma e prophano conventiculo auctum.

(d) *To. 6. de ſchiſm. p. 135.*

[1] Gutterus Epiſcopus Palentinus legationem ab Urbano VI. objerat ad Regem Caſtellæ; ac primo quidem ſtrenue cauſam Pontificis ſui defendit; ſed muneribus forte vel artibus Petri de Luna, qui legatione pro Clemente fungebatur, ſeductus, qua die Caſtellæ Rex partibus Clementis addictum ſe publice profeſſus eſt, eadem pariter & Gutterus iſte purpuram Cardinalitiam Urbani abjecit, & Clementinam induit. Innuit id Annaliſta ex ſcriptore Actorum Clementis edoctus, ſed multo certius eſt teſtimonio literarum ex Hiſpania ad Clementem tranſmiſſarum, in quibus certior fit Pontifex de tranſlato in partes ejus Caſtellæ Rege, tum & de ſpontanea ejuſdem Palentini abdicatione: *Hodie autem declaratione facta Anticardinalis Palatinus* (legendum Palentinus) *coram Rege & omnibus Prælatis & Baronibus Regni juridice in manibus legati* (Petri de Luna) *renunciavit diabolo & pompis ejus, abiiciendo capellum, & inſignia legationis, quæ receperat ab intruſo.* Literæ illæ leguntur in ſerie Hiſtor. de ſchiſmate Avenionenſi, quam habes apud Martene Anecdot. to. II. col. 1098. MANSI

adverſus Urbanum niſi concilium, cui is cauſam ſubmiſiſſet, ſententiam ferre potuiſſe: ſecundo turpiſſime illum in ferendæ ſententiæ cauſa lapſum; impulſum enim propterea in id fuiſſe, quod per vim & metum renuntiatum Pontificem Urbanum putaret, nec liberam eſſe electionem, quæ metui conjuncta extitiſſet: quæ quantum a rei veritate abhorreant, abunde ſuperius oſtenſum eſt, atque ex eodem Joanne e Monteſono inferius demonſtrabitur.

Circumventus eſt mendaciis Caſtellæ Rex.

Adde quod licet illata Cardinalibus in Urbani electione vis fuiſſet, id ſupererat, ejus electionem ex coronatione voluntaria, ac tot menſium excurſu exhibitis obſequiis, conſenſuque Eccleſiæ convaluiſſe. Indicat etiam laudatus author, Joannem Regem Caſtellæ ob politicas nonnullas argutias ab æquitate in eo judicio deflexiſſe, cujus ſceleris graves pœnas ipſum dediſſe Numini, cum equo, quem exercebat in aperta planitie, lapſus cervices fregit, viſuri ſumus. Nec vero propterea Caſtellani illius iniquæ ſententiæ animis aſſenſere; ſed Urbanum ut verum Chriſti vicarium coluere, ut afferenda ſuis locis ſchiſmaticorum dicta patefacient, ſecutam paucis poſt diebus Joannæ Reginæ matris mortem, ait Mariana (a), atque Hiſpani populi animis hæſiſſe, iniquam adverſus Urbanum ſententiam latam fuiſſe; traduntque Franciſcanorum annales, eam a Roderico ſive Ruizio Minorita (b), qui in Luſitania prophetiæ dono inclareſcebat prædictam, ac nonnulla alia admiratione digna adjecta quæ prætermittenda non ſunt viſa: *Florebat*, inquiunt, *eo tempore in Luſitania magna ſanctitatis opinione ſpiritu prophetiæ clarus frater Rodericus Robicius Minorita, ad quem Regina Caſtellæ Joanna*, & infra, *miſit ſciſcitatum, utrum ex duobus de pontificatu contendentibus ſequi deberent Joannes filius, & hereditaria regna, Dei enim, cujus hæc potiſſima cauſa potius, quam hominum judicio, id ſibi conſtare cupiebat: Ille, antequam quidquam nuntii proloquerentur, divino excitus ſpiritu: Novi, inquit, a qua & ad quid miſſi eſtis. Sciatis optimam, quæ vos legavit, principem poſt veſtrum diſceſſum obiiſſe, Joannem Regem iniquo aliorum conſilio Clementis partes ſecuturum, non longe tamen abeſſe tanti piaculi vindictam. Carolus Gallorum Rex hujus ſchiſmatis fautor & incenſor Joannis conſiliarius & perſuaſor, nuper defunctus, ſeverum ſubiit judicium, luitque graviſſimi reatus dignum ſupplicium. Regreſſi nuncii compererunt veriſſima eſſe, quæ de Reginæ obitu, & de Regis in Clementem propenſione prædixerat. Deceſſit autem Joanna* VI. *kal. junii, die* VII. *poſt decretam in conventu Salamantino Clementis ſequelam, quod male ominatam fore ſententiam apud pleroſque confirmavit.* Verſa ita ad pſeudo pontificis ſervitutem Caſtella, Urbanus Joannem regno evertere eſt meditatus, ducemque Leceſtriæ ad antiqua jura repetenda incendit, qua de re ſequenti anno agemus.

Deflexit ab æquitate ob privata commoda.

Male periit.

(a) *Marian. l.* 18. *c.* 4.

(b) *Marc. Olyſipp.* 2. *par. l.* 9. *c.* 35. *atq. ex eo Vvadin. ann. hoc anno to.* 4. *n.* 2.

Robicius Min. prophetiæ dono clarus. Mirum illius reſponſum ad oratores Reginæ Caſtellæ.

Comprobatum exitu.

XXXIV. Petrus e Luna Luſitanum corrumpere nititur.

Irrepſit e Caſtella in Luſitaniam Petrus e Luna, atque apud ſanctam Irenem convocato præſulum & doctorum cœtu a Ferdinando convocato, orationem ad antipapæ laudem habuit, propoſito themate, quod a conjuratis Cardinalibus vulgatum vidimus. At Luſitani præſules pluribus argumentis (c) ejus dolos confutarunt, e quibus nos præcipua capita decerpſimus.

(c) *Ext. tom.* 6. *de ſchiſ. pag.* 93. *&c.*

*Teſtis debet deponere de eo, quod aliquo ſenſu corporeo percipi poteſt*, & infra: *Sed dicti Cardinales dant fidem de conſcientiis aliorum Cardinalium, & de intentionibus Romanorum. Ergo de eo, quod ſenſu corporeo non percipitur &c. Item dicti Cardinales in iſto ſuo proceſſu ſunt ſibi contrarii. Ergo minime credendi. Conſequentia eſt juribus notoria C. de furtis lib.* 1. *de probat. c. per tuas, & de app. c. ſolicitudinem. Antecedens probatur, quia ipſi fatentur in proceſſu ſuo elegiſſe Urbanum animo & intentione, quod eſſet verus Papa, timore tamen mortis in eorum animo continuo perdurante: & iſta ſunt oppoſita habere animum, & intentionem aliquid operandi, & metu operaſſe. Item ſic. Ipſi ponunt fundamentum, quod ideo eſt eis credendum, quia ipſi melius ſciunt veritatem, nunc arguuntur ſic. Alii melius ſcire poſſunt veritatem, quam ipſi. Ergo aliis melius eſt credendum. Antecedens probatur, quia metus non poterat eſſe niſi ab actu agentis & principalis cauſa metus ſtat in agente, quia ſi agens juſtum timorem non inferat, ſi metum quis patiatur, non dicitur juſtus metus, nec relevans. Item Cardinales prius ante hoc teſtimonium, quod perhibere volunt omnibus principibus mundi per ſuas literas intimaverunt & etiam ſignificaverunt, quod elegerunt in ſummum Pontificem dominum Bartholomæum olim archiepiſcopum Barenſem, valentem perſonam, juſtam, rectam, & ſanctam, alias ipſum in eiſdem literis multipliciter commendando: quare quod primo ſua vota dilucide formaverunt, non poſſunt teſtimonio proprio contrario infirmare. Item ſic. Iſti ſunt inimici capitales dicti domini Urbani a tempore quo ab eo receſſerunt. Ergo contra eum teſtificari non poſſunt. Item ſic. Commodum, vel damnum iſtius cauſæ, & futurus ejus eventus reſpicit perſonas, & ſtatus dictorum Cardinalium. Ergo in ea teſtificari non poſſunt. Antecedens eſt notorium, quia ſi Urbanus eſt Papa, ipſi ſubſcribentes non ſunt Cardinales. Item ſi crederetur Cardinalibus, & eorum aſſertioni contra dictum dominum Urbanum, ſequeretur quod quando vellent, poſſent Papam a papatu removere. Hoc eſt falſum. Ergo. Item Cardinales non majorem habent poteſtatem, quam a canone ſit ſibi conceſſa, & ultra ſe intromittendo nihil agunt. Ergo, &c.*

Petri e Luna argutiæ confutatæ.

Prius Cardd. teſtimonium poſteriore infringi non debet.



Si credendum eſt Cardd. poſſent exauctorare Papam quando luberet.

XXXV. *Ita verum eſt, notorium, publicum, & certum continue dictum communis aſſertio, communis opinio, & fama, quod Urbanus a Cardinalibus, vel a duabus partibus Cardinalium creatus eſt in Papam animo & intentione, quod eſſet verus Papa, pure, libere, ſponte, & voluntarie abſque ulla impreſſione, injuria, vel tumultu; & quod pro tali fuit & eſt habitus, coronatus, & inthronizatus. Item, quod verum, publicum, notorium, continue dictum, aſſertio, & fama, quod hæc eadem electio ipſi Urbano, & populo, & toti mundo per dictos dominos Cardinales, & per alios ex eis de communi, & collegiali eorum conſenſu eſt, & fuit publicata, & vice eorum publice manifeſta, habita ſuper hoc tractatu communi, & collegiali deliberatione eorum pure & libere abſque ulla impreſſione & metu violenta, vel tumultu populari. Ergo huic facto, ſive caſui per vos tradito non eſt ſtandum, nec ulla fides adhibenda. Patet hoc primo, quia antecedenti exiſtente vero, apparet eos ſibi contradicere. Ergo repellendi, &c.* Multa in eam ſententiam a Rege Luſitaniæ præfecti controverſiæ ventilandæ dixere: e quibus decanus Coimbricenſis his interrogationibus ſchiſmaticos laceſſivit (a).

Repellendi teſtes qui ſibi contradicunt.

(a) *Ib. p.* 105.

*Quia dicitis, quod propter metum non potuiſtis deliberare de perſona idonea eligenda, ad quid volebatis deliberare de perſona, ſi eam intendebatis repellere, & pro Papa non habere? Item quid feciſtis in illis ſex diebus, qui effluxerunt a tempore mortis domini Gregorii uſque ad electionem. Item ſi electum non credebatis fore Papam, quare dicitis, quod eligebatis eum tanquam vobis magis notum, & in factis curiæ magis expertum? Item ſi eligebatis eum ad evitandum mortis periculum, quare non publicaſtis Romanis factam electionem de eo, cum tempore rumoris ipſe eſſet in palatio? Item cum qua conſcientia recipiebatis ab eo juramenta & ſacramenta eccleſiaſtica, ſi ſciebatis eum apoſtaticum, & anathematizatum? Item quare recipiebatis beneficia & alia cum eo faciebatis, quæ magis fiebant ex voluntate, quam aliqua neceſſitate? Item quare mittebatis in literis veſtris ſecretis ad dicendum per mundum, quod eſſet verus Papa, quia ad hoc non cogebamini, & poteratis non mittere, ex quo non cogebamini?*

Inſolubilia adverſus ſchiſmaticos argumenta.

XXXVI. Teſtium depoſitio prima valet non poſterior.

Confirmavit ſuperiora Vicenſis doctor hoc argumento: *Debet eis credi de publicatione per eos facta in Urbano, & per conſequens eorum dictis, ſed facto per eos oblato non credendum: ſic eſt de jure, quia ſi teſtis ſuper eodem facto ſecundo ſit inductus, & in ſecunda depoſitione dicat contrarium, quod in prima ſtatur primæ depoſitioni, & non ſecundæ.* Et infra: *Venio ad reſponſiones reverendiſſimi Cardinalis. Primo cum dicitur, quod debet eis credi propter authoritatem gradus & ſtatus.* Et infra: *Cum hic ſit ſchiſma, quod emanavit ex electionibus eorum, & ſic neſcitur quis verus ſit, & ſi a vero mittuntur, immo a nullo, ſed ipſi per ſe; ergo non eſt mirum, ſi eis non credatur.* Et infra: *Non obſtat ſecunda ratio, ubi dicitur, quod debemus eis credere iſtum verum Papam, ut Apoſtolis teſtificantibus Jeſum eſſe filium Dei, quod concedo ſi ipſi feciſſent, ut Apoſtoli, qui unum tantum nobis prædicaverunt: ipſi vero contrarium nobis, quia duos vicarios. Cum igitur in hoc non ſervaverint normam Apoſtolorum, quorum vices ipſi teſtificantur tenere, non eſt mirum ſi eis non detur authoritas, ut eis credatur, ut Apoſtolis, quia forte, immo ſine forte Apoſtolis etiam tum viventibus, non eſſet credendum ſi ipſi feciſſent, quod vos feciſtis, ſcilicet alium Chriſtum prædicando. Non obſtat tertia ratio, ubi dicitur quod debet eis credi propter authoritatem, officii eo quod officium eorum eſt univerſali Eccleſiæ ſponſæ Chriſti providere de ejus ſponſo, quod verum eſt cum formam tenuerunt dando unum tantum; Sed cum duos ſimul viventes, hoc repugnat juris diſpoſitioni. Ergo eis non credendum: & ſi eſt modo credendum dictis eorum, eſt credendum de publicatione primi ſponſi, & non de publicatione ſecundi, durante primo propter juris repugnantiam.*

Creatis duobus Pontificibus jus dignitatis amiſere.

Rogatus Petrus e Luna, ut ad hæc reſponderet, diſſimulata argumentorum vi, inania tantum aliqua ad rem non ſpectantia ſubjecit (b), ita cum Luſitanos ſuis dolis circumvenire non potuiſſet, Luſitania in Urbani obſequio confirmata, ipſe turpiter abire coactus eſt: quem quidem pſeudolegatum multa in eo regno graviora paſſum ipſe teſtatur in ſuperbis literis (c) ad concilii Conſtantienſis patres datis, jactatque facile Luſitaniam in ſchiſma trahendam fuiſſe: *Ni mors*, ut ait, *excellentis memoria Regis Ferdinandi, regnique turbines, obſtacula præbuiſſent*. Et quidem in eo in Luſitaniam admittendo Ferdinandum gravi ſcelere ſe devinxiſſe conſtat; nec divinam ab eo ultionem proterea abfuiſſe putandum eſt, quam cæteri Reges ſchiſmatici ſenſere.

Convictus Petrus e Luna.

(b) *Ib. p.* 11.

Luſitania in Urb. obſequio confirmata.

(c) *Ext. to.* 10. *de ſchiſm. p.* 194.

Ferd. Regis Luſit. mors.

Sancitum fœdus inter Venetos, & Genuen.

XXXVII

Hoc anno Taurini Venetos inter & Genuenſes hiſque fœdere junctos Ludovicum Hungariæ Regem, patriarcham Aquilejenſem, & Franciſcum Carrariam Patavii principem interprete Amedeo comite Sabaudiæ pax confecta eſt, de qua appendicis ad hiſtoriam Andreæ Dandali adjectæ author hæc tradit (d): *Omnes ambaſciatores, ſyndici, & procuratores omnium partium*

(d) *Diar. MS. de reb. Venet. append. ad hiſt. And. Dandal. auctor. in Andr. Contareno*

*Petrus Marcell. in eod. Bonif. hiſt. Tarviſ. l. 10. Blond. Flav. dec. 2. l. 10. Bizar. de bello Venet. lib. 2. Foliet. hiſt. Genuen. l. 8. & alii.*

Præcipua ejus capita.

*tium cum magna ſapientia poſt ſolemnes ac maturos tractatus, mediantibus continuis amicabilibus, ſapientiſſimis, & efficaciſſimis exhortationibus, & benevolis ſuaſionibus excelſi principis domini comitis Sabaudiæ, æterno Rege regum pacifico annuente, bonam, veram, & cuilibet partium honorabilem pacem, conſervante ipſo, qui contulit perpetuo duraturam, feliciter firmaverunt anno nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCLXXXI. indict.* IV. *die jovis* VIII. *auguſti ante, & circa horam veſperarum in civitate Taurini provinciæ Pedemontium ad laudem & gloriam divinæ majeſtatis, ad honorem eximium prædicti excelſi domini comitis Sabaudiæ, cui omnipotens benigne conceſſit ducere ad effectum, quod cum tanta charitate, & deſiderio procuravit, necnon ad ſtatum proſperum, & tranquillum omnium partium prædictarum; unde merito univerſus orbis cantare devotiſſime poteſt; Gloria in excelſis Deo &c.* Quod ad pactiones hujus fœderis ſpectat; præcipue eæ fuere, cum Hungaro quidem, ut Dalmatia pareret Ludovico; ſed is oram omnem Dalmatiæ Venetis, negotiorum cauſa migrantibus, tutam præſtaret: cum Aquilejenſi patriarcha vetera jura repetita: cum Genuenſibus, ut prædis manubiiſque retentis capti bello reſtituerentur libertati, ac Tenedos arcem Veneti ſolo æquarent, cum Franciſco Carraria finium controverſiam legibus dirimendam Alberto Ateſtino arbitro. Cum vero jam ante quinta aprilis hujus anni Veneti Tarviſium, quod a Carraria premebatur obſidione liberare non poſſent, illius principatum ac Cenetam Leopoldo duci Auſtriæ dono contuliſſent, ut ipſius fœdere freti Franciſci Carrariæ impetus debilitarent, iſque contracto exercitu Tarviſium obſidione ſolviſſet. Inter hos principes bellum aliquot annis exarſit (*a*) donec Leopoldus viribus impar anno hujus ſæculi octuageſimo quarto ineunte Tarviſium Carrariæ ex initi fœderis legibus permiſit (*b*).

(*a*) *Append. ad hiſt. And. Dand. in And. Contareno, & Bonif. hiſt. Tarviſ. l. 10.*
(*b*) *Id. ib.* XXXVIII.
(*c*) *Thom. Valſing. in Rich. II. Nicol. Harpſf. in Vviclef. Hiſt. c. 12.*

Adiit extremum diſcrimen hoc anno Anglia (*c*), cum ruſticana plebs partim vectigalium acerbitate, quæ pro expugnanda Caſtella in gratiam ducis Lancaſtriæ indicta fuerant, partim ſeditioſis Wicleffiſtarum libertatem proclamantium concionibus efferata ad centum millia & eo amplius hominum ad evertendum ſacratum & politicum ordinem in arma conſurrexiſſet: licet enim initio principibus aſſentari viſus ſit Wicleffus, dum ordinem eccleſiaſticum perdere moliebatur, tamen conceptum impio animo adverſus Deum, homineſque furorem ſimulare non potuit, dum ad concitandas in principes ſeditiones, omnemque ordinem ſacrum & profanum evertendum populo novarum rerum cupido adulabatur: nam, ut ait Thomas Waldenſis (*d*): *Ponit, & ſuſtinet nullum poſſe cenſeri dominum ſæcularem vere ſine gratia gratum faciente in libro ſuo de dominio civili cap. 2. & deinceps: unde eſt concluſio ter damnata c. XCIV. Vvicleff: Omnis homo in peccato mortali caret quocumque dominio, & uſu licito operis etiam boni de genere. Et de civili dominio c.* XIX. *Civilis dominus, excedendo limites ſuos, forefacit perdendo dominium, & obligando ſe perpetuo carceri; eoque ipſo eſt excommunicatus, & exulans omni dominio prius habito privatus. Et concluſione ter damnata c. XCIV. Sicut Rex, princeps, vel dominus tempore, quo eſt in mortali peccato, non ſortitur nomen ſui officii, niſi nomine tenus, & ſatis æquivoce, ſic nec Papa, epiſcopus, vel ſacerdos, dum lapſus fuerit in mortale. Et concluſione CLXXV. Ad verum ſæculare dominium requiritur vera juſtitia dominantis, ſic quod nullus exiſtens in peccato mortali eſt dominus alicujus rei. Hæc Vvicleff.*

(*d*) *Thom. Vvaldenſ. to. 2. art. 3. c. 81.*

Vviclef ſacri profanique ordinis everſor.

Idem ſtultus legislator finxit civile dominium includere neceſſario peccatum, ac ſimplici populo aſſentans, eumque concitans ad ſeditionem in divites & magnates, proprietatem poſſeſſionis peccatum eſſe promulgavit in opere epiſtolari ſermone LIX. *Cum*, inquit, *civile dominium dicat, ut ſic proprietatem poſſeſſionis ultra ſtatum innocentiæ, & includat neceſſario peccatum veniale, patet quod non potuit Chriſto competere. Et concluſione CXCVIII. Deus non approbat quemquam dominari civiliter, vel civiliter judicare.* His verbis abſtulit judicia, cum probe noſſet ſe ordine judiciario flammarum incendia commeritum. At idem veſanus hæreſiarcha ſuperiora omnia dicta reſcindit in libro de dominio civili cap. XIX. Lucidum enim & purum ab amentia intervallum nactus ita loquitur: *Nec credat aliquis, quod lex civilis, quæ occaſione peccati eſt humanitus inſtituta, non ſit a Deo principaliter ordinata, &c.* Hæc contradictoria inſanientis Wicleffi dicta miratus, Thomas Waldenſis exclamat: *Has contrarietates magiſtri ſui, aliquis peritus ſcholæ ejus diſcipulus tollat, & ſolvat.* Ita Wicleffus mutabat dogmata, cum modo politicum, modo populare patrocinium ad populum & politicos magiſtratus in mutuam ſtragem concitandos exambiret. Nactus vero eſt ſcelerum, & hæreſeos propagatorem Joannem Baleum presbyterum ad fallendum ſimplicem populum, tumultuſque conflandos religionis adumbratæ ſpecie peritiſſimum, qui cum jam ante ob ſcelera in carcerem truſus fuiſſet, liberatuſque populari ſeditione, uti a cacodæmone edoctus fuerat novas faces ad augendum incendium, ac regni ordines omnes delendos ſubjecit, ut Thomas Walſingamus (*e*), & Nicolaus Harpsfeldius (*f*)

Omnia debere eſſe communia dicebat.

Principes, & magiſtratus damnavit.

Mutavit pro commodo ſua dogmata.

(*e*) *Thomas Vvalſing. in Richar. II.*
(*f*) *Nicol. Harpsfeld. in hiſt. Vvicleff. c. 12.*





(*a*) *Valſing. ubi ſupra.*

XXXIX.

Joannes Baleus amplificator hæreſeos.

referunt, quorum prior hæc habet (*a*) de Joanne Baleo.

*Hic per viginti annos & amplius, ſemper prædicans in diverſis locis ea, quæ ſcivit vulgo placentia, detrahens tam perſonis eccleſiaſticis, quam dominis ſæcularibus, benevolentiam magis communis populi, quam meritum penes Deum captabat; nempe docuit plebem, decimas non eſſe dandas curato: niſi is, qui daturus eſſet foret ditior, quam vicarius, qui acciperet, ſive rector: docuit etiam, decimas, & oblationes ſubtrahendas curatis; ſi conſtaret ſubjectum, aut parochianum melioris vitæ fore, quam curatum ſuum; docuit neminem aptum regno Dei, qui non in matrimonio natus fuiſſet; docuit & perverſa dogmata perfidi Joannis Vvicleff, & opiniones, quas tenuit, & inſanias falſas, & plura quæ longum foret recitare.* Et infra: *Ad le Blachet [ ubi ducenta millia hominum communium fuere ſimul congregata ] hujuſcemodi ſermonem eſt exorſus; Cum Adam terram foderet, & Eva fuſum teneret ecquis, precor, id temporis nobilium fuit? [ erat illud in Anglia vetus adagium ] continuanſque ſermonem inceptum, nitebatur per verba proverbii, quod pro themate ſumpſerat, introducere, & probare ab initio omnes pares creatos a natura, ſervitutem per injuſtam oppreſſionem nequam hominum introductam contra Dei voluntatem, quia ſi Deo placuiſſet ſervos creaſſe ubique, in principio mundi conſtituiſſet, quis ſervus, quiſve dominus futurus fuiſſet? Conſiderarent igitur jam tempus a Deo datum eis, in quo [ depoſito ſervitutis jugo ] diutius poſſent, ſi vellent, libertate diu concupita gaudere: quapropter monuit, ut eſſent viri cordati, & more boni patris familias excolentis agrum ſuum, & extirpantis, ac reſecantis noxia gramina, quæ fruges ſolent opprimere, & ipſi in præſenti feſtinarent, primo majores regni dominos occidendo, deinde juridicos, juſtitiarios, & curatores patriæ perimendo, poſtremo quoſcumque ſcirent in poſterum communitati nocivos tollerent de terra ſua, ſic demum & pacem ſibimet parerent, & ſecuritatem in futurum, ſi ſublatis majoribus eſſet inter eos æqua libertas, eadem nobilitas, par dignitas, ſimiliſque poteſtas.*

Hujus artes pro ſubornando populo.

Et magiſtratus.

Titillavit adeo vulgi aures ejuſmodi illecebra Baleus Wicleffiſta, ut plebs illum archiepiſcopatus Cantuarienſis dignitate, regiique ſigilli præfectura, ſublato Simone archiepiſcopo, exornandum exclamaret: qua ſpe incitatus plebem ad flagitium urgere, furoreque ardentibus flammas ſubiicere non deſtitit: impoſtor enim nefarius, dum æqualitatem commendabat, principatum inter ſuos exambiebat. Conati ſunt perduelles in colloquium pellicere Richardum Regem, quo in ſuam poteſtatem redacto, principum & magiſtratuum decutere capita, ac demum Regem, epiſcopos, monachos, canonicos, & parochos contrucidare decreverant, ut ex publica reorum confeſſione patebit. Sed Simon e Suberia archiepiſcopus Cantuarienſis Richardo Regi, ne perditorum hominum perfidiæ ſe committeret, ſuaſit: cumque poſt peracta divina myſteria eos ad officium pia oratione reducere niteretur, ab iis crudeliſſime capite plexus eſt: *Poſt plura piæ exhortationis documenta*, inquit Thomas Walſinghamus (*b*), *poſt prædicta verba ſalutaria, ut erat vir eloquentiſſimus, & incomparabiliter ultra omnes regni ſapientes ſapiens noviſſime poſt remiſſam ſpiculatori, qui eum decollaturus erat [ quantum in ipſo fuit ] offenſam necis ſuæ, ut plane videretur Salvatorem moriendo ſequi, patrem pro perſequutoribus exoravit; flexis genibus collum ferienti ſuppoſuit, percuſſus vero in collo ſecuri, ſed non lethaliter, appoſita manu vulneri, ita dixit: Ah ah manus Domini eſt; nondum manum de loco doloris amoverat, & ſecundo percuſſus, ſummitatibus digitorum amputatis, & arteriarum parte, cecidit: ſed nondum occubuit, donec octavo ictu miſerabiliter mutilatus in collo, & in capite, dignum, ut credimus, martyrium compleviſſet, &c.* ac Biduo jacuit inhumatum corpus ob populi furorem: verum Deus cæſum Wicleffiſtarum flagitio archipræſulem miraculis illuſtravit, ac percuſſorem cœleſti vindicta obruit: *Percuſſor ejus*, inquit Walſingamus, *divinam ſenſit ultionem in furiam actus, & cæcitate percuſſus.*

Archiepiſcopatum Cantuar. affectat.

Vvicleffiſt. conjuratio.

(*b*) *Valſing. in Rich. II.*

Segnitiem in Vvicleffo tolerando morte expiat.

Divina vindicta in percuſſorem.

XL.

De eodem addit hæc Nicolaus Harpsfeldius, (*c*) ut miſerum parricidam dæmon illuſerit: *Auctor meus, a quo hæc narratio petita eſt, narrat quædam miracula poſtea patrata, ſanitatumque beneficia ad ſepulchrum Simonis præſtita, dictumque carnificem Joannem Starlinum hominem Eſſexianum mox a dæmone afflictatum, cumque domum rediiſſet, nudo gladio ante pectus pendente, & pugione a tergo ita per vicos, & plateas obambulaſſe paſſim vociferantem, ſe illis telis Simonem obtrumcaſſe, ſeque Londini mercedem facti ſui acceptarum: & ille quidem verus fuit vates, licet a dæmone ludificatus aliorſum accepiſſet, quam res erat: nam cum poſt aliquot dies Londinum rediiſſet, conpreſſa mox ſeditione meritas ſceleris luit pœnas, capitalique ſupplicio affectus eſt.* Quod ad miracula attinet ad ſepulchrum Simonis archiepiſcopi edita; hæc narrat Thomas Walſinghamus (*d*): *Quidam inſuper a multis annis cæcus, quem idem pontifex diu ex eleemoſyna ſua ſubſtentaverat, audita morte ejus, & cauſa, fiducialiter petiit a Deo, per ejus merita ſibi viſum reſtitui, & viſum recepit. In ſepultura ſua quidam de Doveria, qui jam duos annos in cæcitate tranſierat, per viſum admonitus ad corpus*

(*c*) *Harpsfel. hiſt. eccleſ. Anglic. in 14. ſæc. c. 11.*
(*d*) *Valſin. ubi ſupra.*

*venit, & ea nocte lumen, ſibi redditum fore gaudebat*. Et infra. *Multaque miraculorum ſigna alia poſt ejus mortem divinitus ſunt oſtenſa, & divinæ ultionis judicia manifeſta in eos, qui mortis ejus auctores fuere, vel in ejus necem voluntarie conſenſere*.

Balæi ſæditioſorum ſigniferi ſpes mutata ſupplicio.

Inter alios Joannes Baleus Wicleffiſticæ hæreſeos præco patibulum pro ſolio archiepiſcopali exambito ſortitus eſt, & quadrifariam ſectus, & Walterus Tyler concitatæ multitudinis doctor, dum in colloquio cum Richardo Rege omnes juriſperitos contrucidandos ſibi dedi poſtulat, atque Angliæ leges pro libidine ſua dare meditatur, ob inſolentiam gladiis conciſus eſt. Tum Joannes Stravus ejus ſocius, & arcanorum omnium Wicleffiſtarum particeps, capitali afficiendus ſupplicio aperuit, quam acerbi & amari fructus ex Wicleffi doctrina germinaſſent: urgente enim rea conſcientia patefecit, ſuſcepta fuiſſe de trucidando Rege, evertendis regni ordinibus, epiſcopis, abbatibus, monachis, canonicis, parochis (ſervatis ſolis mendicantibus ſacerdotibus, ex Wicleffi ſcilicet placitis) enecandis conſilia, quæ ejuſdem ſceleris ſocii poſtea confirmarunt, ut narrat Walſinghamus (a): qui poſt recenſitas ſtrages a perduellibus editas, ac patrata facinora in luce collocat, ut Wicleffiſtæ Chriſtianam religionem & politicum ſtatum ſimul exſcindere in Anglia ſint conati.

Duces impii conciſi.

(a) *Thomas Vualſin. in Richard. II.*

Peſtiferi fructus Vvicleffi doctrinæ.

XLI.

Non Joannem Stravum modo funeſta illa Wicleffiſtarum conſilia faſſum, verum & plures alios poſtea capitali affectos ſupplicio aperuiſſe tradit Walſinghamus (b), qui ducum nomina recenſet, additque nonnullos eorum tanto faſtu intumuiſſe, ut regiam coronam ſibi imponerent, ac ſectatoribus poſſeſſiones traderent. Eo enim impoſtores dolos direxerant, ut dum libertatis, vel æqualis bonorum partitionis ſpe inopes & ruſticanos ad caſtra trahebant, ipſi principatus & regna affectarent, pars vero plebeculæ inſcia agi a ductoribus non de excutienda, ſed mutanda ſervitute, ad immunitatem tantum onerum aſpirabat, atque abbatem opulentiſſimi monaſterii S. Albani adegit, ut publicis literis cenſus annuos iis remitteret, liberoſque ab omni onere & imperio pronuntiarent; qua in re id mirum tunc accidiſſe memorat idem auctor (c): *Mirabile*, inquit, *illud contigit cum charta de libertate villæ, vel villanorum ſigillari debuiſſet, quod cum omni cautela, & diligentia cera appoſita a ſcientibus ſigillo communi fuiſſet, in quo vetuſtiſſimo opere imago glorioſi protomartyris Britannorum Albani figuratur tenens in manu palmam, nulla potuit arte per tres vices avelli, vel removeri de ſigillo, prognoſticas proculdubio martyrem nolle eos fore dominos; ſed velle dominari, ut hactenus ſuper eos*. Tutata eſt divina clementia eccleſiaſticum ordinem contra rapidas & cruentas Wicleffiſtarum manus, cæſiſque ſeditioſorum ducibus, confirmataque regia potentia, plebs attonita ad aratra dilapſa eſt, deque ſontibus ſumpta ſunt ſupplicia. Tot vero malorum cauſas cum exquirerent ſapientes, ea ex peſtifera Wicleffi doctrina, & publica morum corruptione emanaſſe, narrat Walſingh. (d): *Acciderunt hæc mala omnia diverſis provinciis uno eodemque tempore iiſdem fere diebus, quamquam itinere longiſſimo loca diſtarent, infra octavas videlicet feſti Corporis Chriſti, multis opinantibus propter remiſſam curam archiepiſcopi, cæterorumque comprovincialium epiſcoporum hujus rei præcipue, quam curaſſe debuerant, qua fides, & ſtabilimentum Chriſtianæ religionis conſiſtit*. Et infra.

(b) *Valſin. in. Rich. II.*

(c) *Id. ib.*

Seditioſorum conſilia divinitus reprobata.

(d) *Valſing. in Rich. II.*

Negligentia præſulum pene attulit exitium Angliæ.

*Alii peccatis dominorum aſcribebant cauſam malorum, qui in Deum erant fictæ fidei; nam quidam illorum credebant [ut aſſeritur] nullum Deum eſſe, nihil eſſe ſacramentum altaris, nullam poſt mortem reſurrectionem, ſed ut jumentum moritur, ita & hominem finire. Erant præterea in ſubditos tyranni, & in pares diverſi invicem ſuſpecti vivendo, inceſti, violatores conjugii, eccleſiæ deſtructores. Alii imputandum eſſe communis vulgi facinoribus dicebant eſſe, quod accidit, quia in pace degentis, bono pacis abutebantur dominorum facta rodentes, noctes inſomnes in potationibus, ebrietatibus, & perjuriis tranſigentes, vivebant in terra pacis ſine pace, rixando, litigando cum proximis, contendendo, fraudes & falſitates jugiter meditando, libidini dediti, fornicationibus aſſueti, adulteriis maculati, unuſquiſque poſt uxorem proximi ſui hinniebat, & ſuper hæc omnia in fide, & fidei articulis plurimi claudicabant, quare non immerito optatum eſt iram Dei deſcendiſſe in filios diffidentiæ*. At ſi primi Wicleffi ſectatores ſacri & politici ſtatus excindendi votis exciderunt, poſtremi in Anglia demum iis potiti ſunt, ut poſt monachos, ſacerdotes, ac præſules proſcriptos, etiam Regem ſuum carnificis manu trucidarint.

Atheiſmus, & alia vitia nobiles infecerant.

Plebis ſcelera.

Conſilia de Rege, & religione perdendis demum completa.

XLII.

Dum porro ſuperioribus motibus Anglia fluctuabat, Joannes Wicleffus diffudit latius ſuæ hæreſeos, quæ tam peſtiferos fructus pariebat, venena, ac plures blaſphemas voces adverſus ſacram Euchariſtiam effundere perrexit, ut refert Walſinghamus: *Eodem*, inquit, *tempore ipſe vetus hypocrita, Angelus Sathanæ, antichriſti præambulus, non nominandus, Joannes Vvicklif, vel potius Vvickebeleve hæreticus ſua deliramenta continuans, viſus eſt abſorbere Jordanem, & omnes Chriſtianos mergere in abyſſum reaſſumens, quidem damnatas opiniones Berengarii & Oklefe*



*aſtruere laboravit, poſt conſecrationem in miſſa a ſacerdote factam remanere ibidem verum panem, & vinum, ut fuere per prius, Chriſtum ibidem, ut ubique aſſiſtere, ſed ſpecialius, & non plus valere panem illum, quam alium, niſi ſolum propter benedictionem a ſacerdote datam*, & infra *Hæc idcirco ſcripſi plenius, ut omnibus eluceſcat, quanta mala beſtia, quæ aſcendit de abyſſo collega ſathanæ Joannes Vvicklif ſive Vvickebeleve ſeminavit in terra*.

Vvicleffi hæreſes adverſus Euchariſtiam.

XLIII.

Illum etiam deſignatum in Apocalypſi cenſet Thomas Waldenſis (a) per eam beſtiam, quæ aſcendit de mari, eo quod in Anglia inter maris inſulas ampliſſima prodierit, cujus plaga mortis curata ſit, cum eo ſublato, ipſius doctrinam jam extinctam alii hæretici exſuſcitarint: ſed is nondum a Luthero, Zuinglio, Calvino, & aliis hæreſiarchis per ampliſſima regna diffuſam viderat, qui ſi plura hydræ capita coronis redimita aſpexiſſet, multo magis in ſententia confirmatus fuiſſet: quamvis vero Wicleffus in pluribus dogmatibus diſſenſerit a recentioribus hæreticis, is tamen omnes eorum errores circa Euchariſtiam docuit, quamvis nunc hos, nunc alios ſecum ipſe diſſentiens tenuerit: nam in primis eum errorum, qui Chriſtum cum pane in Euchariſtia ſtatuit, diſſeminavit in libro de apoſtaſia, ut memorat Thomas Waldenſis (b), qui de impanationem aſſerentium hæreſi, hæc habet: *Germinata eſt hæc impanantium dictio, primo enim poſt Berengarium puto inter ſcriptores eam placuiſſe Valeranno Medburgenſi epiſcopo, quem tam feſtive Vvitcleff invocat in authorem, vocans eum quandoque Ambroſium, quandoque Iſidorum, aut certe [ut dicit] magni Ambroſii diſcipulum authorem libri de divinis officiis, quem, ut ſæpe dixi, venerabilis Anſelmus increpat hominem ſui temporis, & in aliis peritum ſcriptorem, & utilem, hic, inquam, in hunc errorem incidit per Berengarianas reliquias dicens in cap. de materia ſacrificii altaris, & recitat eum Vvicleff lib. de apoſtaſ. cap. 7. Materia vel ſubſtantia ſacrificii, quod erat tunc, & nunc eſt in manibus pontificis noſtri non ſimpla eſt, ſicut nec pontifex ſolius divinæ, vel humanæ ſolius ſubſtantiæ eſt: eſt enim tam in pontifice, quam in ſacrificio divina ſubſtantia eſt, & terrena in utroque eſt, illud quod corporaliter, vel localiter videri poteſt divina in utroque verbum inviſibile, quod in principio erat Deus apud Deum: nam cum diceret idem magnus pontifex panem & vinum tenens: Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis; vox erat Verbi incarnati, vox æterni principii Verbum antiqui conſilii Verbum quod humanam acceperat naturam idem in carne manens panis & vini accipiebat ſubſtantiam vita media panem cum ſua carne vinum, cum ſuo jungebat ſanguine. Hæc ille. Alius poſt iſtum Pariſienſis ſurrexit ponens etiam impanationem Corporis Chriſti, ut ſibi videtur modo diſtincto per aſſumptionem panis a verbo mediante corpore parte ſicut albedo ab Æthiope mediante dente, & ſeparat ſe ab opinione Valeranni viis pluribus, &c.*

(a) *Valden. to. 3. tit. 5. de bapt. c. 53.*

Modo Chriſtum impanatum, modo in ſigno tantum ineſſe effutiit.

(b) *Ib. to. 2. de ſacr. Euchar. c. 5.*

Valeran. auctor hæreſeos.

Secunda impanationem aſſerentium hæreſis.

Arguebat Wicleffus, remanere panem poſt conſecrationem, quod panem per vocem, *Hoc*, demonſtrari contenderet, & etiam conſecratam hoſtiam panem appellari, cujus argutias ita refellit Thomas Waldenſis (c): *Arguere*, inquit, *ergo panis remanet, eſt fallacia conſequentis. Sic ita in exemplis Scripturæ patet. Architriclinius (d) guſtavit aquam, vinum factam. Ergo guſtavit aquam, quæ remanſit. Item: Virga (e) Aaron devoravit virgas magorum, virga ergo Aaron remanſit virga poſtquam verſa eſt in colubrum: utrumque conſequens falſum erit. Et quid moramur, & non oſtendimus fallaciam Vvicleffi ex Chriſti verbis (f)? Cæci, inquit, vident; Ergo cæci ſunt, ergo manent cæci? claudi ambulant; Ergo claudi ſunt, ergo manent claudi? Leproſi mundantur; Ergo leproſi ſunt, ergo manent leproſi? Et mortui reſurgunt, ergo mortui manent tales? Certe peſſime: immo magis ſequuntur eorum oppoſita: Ergo cæci non manſerunt cæci, nec claudi claudi, ſed erecti; nec leproſi leproſi, ſed mundi; nec manſerunt mortui mortui, ſed jam vivi: ita manet panis non jam panis, ſed jam caro Chriſti. Sic enim quidam inexperti theologi audientes alteram meretricem Salomonis eſſe eccleſiam titubabant ne eſſet ſine macula & ſine ruga, quaſi manſiſſet meretrix, quia ſic eſt dicta: ſed beatus Hieronymus quæſtionem iſtam abſolvens in epiſtolam ad Ruffinum de judicio Salomonis (g) in ſectione parvuli: Prudens [inquit] auditor, quærit, quomodo meretrix ſit Eccleſia, quæ non habet maculam, neque rugam. Non dicimus Eccleſiam permanſiſſe meretricem, ſed fuiſſe, &c.* Cæterum non demonſtrari panem, ſed individuum ſubſtantiæ, & propoſitionem eſſe practicam, quæ efficiat quod dicit, cum ſacerdos conſecrat non aliter quam, ſi Chriſtus de aqua dixiſſet: Hoc eſt vinum; non manſiſſet aqua, ſed in vinum converſa fuiſſet.

Wicleffi arguria ex voce *hoc* petita.

(c) *Wald. to. 2. de Sacr. Euchar. c. 48.*

(d) *Jo. 2.*

(e) *Exod. 7.*

Solvitur a Waldenſi.

(f) *Matth. 11.*

(g) *Reg. 3. Hieron. to. 3.*

XLIV.

Alio telo Eccleſiam oppugnare conabatur hæreſiarcha, provocabatque ad ſenſum, quem ſæpe fallacem eſſe ratio ipſa demonſtrat; ex eo enim quod Euchariſtia vita ſubſtentari poſſit, panem materialem eſſe arguebat. Verum Thomas Waldenſis ex eo ipſo, quod plures ſancti & virgines ſanctiſſimæ modica Euchariſtiæ particula ſine alio cibo vitam divinitus ſuſtentarint, probat non panem materialem eſſe, ſed cœleſtem & vivum, qualem ſe Chriſtus appellavit, ac nonnulla

Aliud Vvicleffi argum. contra Euchar.

Refellitur.

affert miracula, quæ tum Deus ad confirmandam fidem catholicam edebat in Anglia & Hollandia: *Recitemus*, inquit, *geſta, quæ noſtris adhuc temporibus, & experientiis contigerint: in parte namque aquilonari Angliæ dicta Norfolchia re vera opulentiſſima rerum, & ſpiritualium, & temporalium jam tarde ſuperſtes erat devota quædam in Chriſto puella dicta vulgariter Joanna Metles, ideſt ſine cibo, quia nunquam cibum guſtaſſe, vel potum per tempus annorum quindecim experta eſt; ſed ſolo ſacramento Dominici corporis diebus dominicis cum devotiſſimæ mentis gaudio veſcebatur. At quod alti ſtuporis res eſt [ne decipi poſſet de veritate Sacramenti] inter mille panes ſimillimos hoſtiam conſecratam a qualibet non ſacrata diſtinxit; & (quod plures credebant majoris eſſe miraculi) hoc fecit non inſpiratione tantum divinitus, ſed quadam ſagacitate ſenſus, quia omnem cibum corporeum faſtidiens nullum ſuſtinuit apud corporalem odoratum ſuum vel guſtum quin fugeret jam remotum.*

Joanna Metles in Anglia Euchariſtia vixit.

Conſecratam hoſtiam olfactu diſtinxit.

*Adhuc item ſupermiſit Deus incredulis aliam virginem nobis ſuperſtitem, dictam vulgo ſuo Diliam, incolam villæ cujuſdam comitatus Hollandiæ, dictæ Schidam, ad littus maris Britannici, quæ quatuordecim annis jam nuper elapſis, ſed continuis, nec cibum quemquam ſubſtinuit, vel in quantitate ſemipiſi ſumere corporalem, & [quod mirum eſt] cum licentiatis aſpicere quod horror erat: crate ventris abrupta exenteratam penitus ſe multis oſtendit ancilla Chriſti, ſolum pulmonem, & jecur oſtendens, & hæc minatis obeſa vermiculis. Hæc nimirum multo tempore omni pane abſtinens ſolius lactis alimonia vaſcebatur: poſtmodum vero nec lac ſuſcipere pertulit ultimis octo annis, ſed tantum in dominicis, ut præcedens virgo, Chriſti ferculo ſaginata per totam hebdomadam potuit ſtare contenta.*

Dilia in Hollandia octo annis ſola Euchariſtia victitans.

XLV.

Pius S. Cath. Suecæ obitus.

Migravit hoc anno in cœlum S. Catharina Sueca filia S. Birgittæ, haud multo poſt, quam Roma digreſſa patriam repetierat, cum Urbanus, de cujus pontificatu ipſam præclare ſenſiſſe, tabuliſque publicis rite creatum profeſſam vidimus, ob ſchiſmatis ingraveſcentis difficultates ſacræ actioni ad conſecranda ejuſdem S. Birgittæ memoriam, quam ipſa promovebat, vacare facile non poſſet. Illam vero honorifice cultam cum reditum oraret a Pontifice, ac enixe quacumque pergeret commendatam, refert vitæ ejus ſcriptor (a). *Urbanus VI. cum cæteris dominis Cardinalibus cum ſingulari quadam benevolentia eam proſequens, literas apoſtolicas ei contulit ad loca omnia, ad quæ eſſet acceſſura, adjuncto etiam ei magnæ auctoritatis viro, qui per Italiam ad Alpes uſque tuto eam deduceret. Eæ literæ effecerunt, ut ab Italiæ & etiam Germaniæ principibus, & civitatum magiſtratibus admodum honorifice exciperetur. Ubi in Pruſſiam tandem perventum eſt, labore & morbo valde exhauſta curru vehebatur. Quidam vero ex ejus familia ſomno correptus e curru decidit inter equorum pedes: porro ſuccedentes mox rotæ adeo ejus coſtas attriverunt, ut vix anhelitum ducere videretur: in currum autem ſublevatus animum Catharinæ multo dolore affecit. Itaque ſuo more dicebat Angelicam ſalutationem, & leviter hominis quaſſatum latus contrectabat: mox adeo ille reſtitutus eſt, ut qui præ doloris acerbitate ſpirare vix poterat, eodem die lætus diſcurreret Chriſtum laudans, & S. Catharinam, cujus meritis eſſet ſalutem tam celeriter adeptus. Porro ab eo tempore, quo ab urbe diſceſſit corpore cœpit debilitari: & licet morbus quotidiana caperet incrementa, ac nihil, nec medicorum voluit uti opera, quippe quæ toto pectore cuperet diſſolvi & eſſe cum Chriſto, deinde in monaſterium Vvaſtenenſe reverſa ab octavis Apoſtolorum Petri & Pauli uſque ad Dominicæ annunciationis ſolemnitatem variis continenter exercebatur corporis moleſtiis, ſed quanto erat corpore infirmior, tanto magis animi virtus & robur augeſcebat. Accidit tum, ut quidam ex familia monaſterii ab alto ædificio præceps in ligna & lapides decideret, fractiſque dextri lateris oſſibus vix ſpiritum trahere videretur. Id ubi illa reſcivit, ad monaſterii oſtium deſcendit, oratione præmiſſa, læſa membra tetigit, doloremque omnem ita repente depulit, ut æger membris conſolidatis ſtatim ad laborem reverſus ſit, magnificans Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus.* (b)

(a) *Sur. ex veteri MS. to. 2. die 22. martii c. 17.*

Honorifice ab Urbano culta fuerat.

Colliſum hominem divinitus ſanat.

(b) *Ib. c. 18.*

XLVI.

*In dies autem morbo invaleſcente B. Catharina crebro ſe ſacramentorum uſu munivit. Ab eo autem tempore, quo cum matre peregrinationes ſuſceperat, quotidie ſolita fuit peccata ſua corde contrito confiteri, interdum bis terve id faciebat, ſciebat enim confeſſionem eſſe ſalutem animarum, vitiorum expultricem, virtutum inſtauratricem, oppugnatricem dæmonum, & quæ tum os tartari obſtruat, tum paradiſi portas reſeret: Euchariſtiam vero in hac extrema ægritudine ob ſtomachi paſſiones ſumere non audebat, ſed quibus poterat devotionis ſignis ſacroſanctum Chriſti corpus venerans levatis in cælum oculis, & quia lingua non poterat, ſpiritu Dominum deprecans, adſtantibus ſororibus, feliciter obdormivit. Viderunt tum homines quidam religioſi ſupra domum, in qua corpus ejus exanime jacebat, per dies & noctes ſtellam conſiſtere, donec eſſet tradita ſepulturæ: corpore autem ad monumentum allato, ſtella pariter ſuo viſa eſt loco moveri tanquam obſequium funeri præſtitura. Inter miſſarum autem ſolemnia corpore in templo repoſito, ſtella manſit pendula ſupra feretrum: denique*

Stella divinitus exequias illuſtrare viſa.



*nique corpore humato, ſtella evanuit. Nec deerant qui ſancte jurarent vidiſſe ſe luminaria mire radiantia in aere, quæ ipſum feretrum antecederent, dum ad eccleſiam deportaretur.*

*Ad ejus obitum in Vvatſtena plurimi convenere prælati, archiepiſcopi, epiſcopi, & abbates ex regnis Sueciæ, Daniæ, Norvegiæ, & Gottiæ. Aderat etiam Henricus filius Regis Sueciæ cum multis principibus, magnatibus, & baronibus, ut omittamus inferiorum ordinum clericos & laicos, quorum fuit ingens copia. Sacrum ſanctæ virginis corpus exportabat Henricus jam dictus cum regni principibus, & proceribus: ſed turbis ad contingendum illud certatim irruentibus ægre potuit ad ſepulchrum deferri. Sepulturæ officium non ſine lachrymis explevit ſanctæ memoriæ Nicolaus Lincopenſis antiſtes adſtantibus illi archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & multa cleri frequentia. Inter hos erat Tordo epiſcopus Strengenenſis magna, tum eruditione tum authoritate præditus. Is pro ſingulari erga illam etiamnum in corpore degentem familiaritate, & devotione manum ejus comprehendit, ejus precibus ſe commendans: & ecce ſenſit ille manum ſuam fortiter comprimi manu ſanctæ Catharinæ, ut ſolet fieri inter illos, qui mutuo ſibi fidem dant. Et quidem non parum apud Romanum Pontificem, ejuſque Cardinales, & eos quos curiæ officiales vocant, jam olim laboraverat Catharina pro obtinenda illi ſuæ electionis confirmatione, cum ea cauſa is Romam veniſſet: obiit multa veneratione digniſſima Catharina in monaſterio Vvatſtenenſi an. Chriſti MCCCLXXXI. XI. Kal. aprilis pridie annunciationis Dominicæ. Ad ejus tumulum, & ſanctam memoriam multa pie petentibus præſtantur beneficia largiente illo, qui in ſanctis ſuis, & laudabilis & mirabilis eſt, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Regis Sueciæ filius ſuppoſuit collum ejus feretro.

Epiſcopo Strengen. ſacr. amicitiæ ſignum a defuncta accipit.

XLVII.

Periit diſpari exitu infeliciter eodem anno Petrus Flandrini, olim S. Euſtachii diaconus Cardinalis ſchiſmatis defenſor, obfirmatuſque in pertinacia morti proximus non perhorruit publicas tabulas (a) edere, quibus falſo vulgavit, Urbanum factione Romanorum, legibus vero Clementem Pontificem renuntiatum: quo facinore animati cæteri pſeudocardinales conflati ſchiſmatis conſortes paucis poſt diebus menſe februarii ad antipapæ iniquam cauſam ſuſtinendam publicis monumentis (b) ſe obſtrinxere. Ex quibus pſeudocardinalis Britanniæ Flandrini pravo exemplo poſtea moriturus publicas (c) tabulas anno hujus ſæculi octuageſimo quarto vigeſima quinta februarii conſignatas pertinaciæ ſuæ teſtes confici juſſit, ut morem gereret antipapæ, quem colebat, colendumque cæteris propoſuit. Quanta vero mala hoc ſchiſma, cui potius extinguendo, quam propagando opera danda erat, in Chriſtianum orbem inveheret, ex authore ſchiſmatico antipapæ vitæ ſcriptore (d) accipiamus: *Innumerabiles*, inquit, *fuerunt in utroque ſtatu, eccleſiaſtico videlicet, & mundano, qui potius aliena quam ſua, & non Jeſu Chriſti expetierunt. Et ut in paucis multa comprehendam hoc tempore maligno, dictique peſtiferi ſchiſmatis occaſione innumerabilia mala & pericula, tam animarum, quam corporum provenerunt, videlicet corruptiones morum, ſtrages plurimorum, depreſſiones bonorum, & humilium, exaltationes reproborum & vilium, juvenum & indignorum promotiones eccleſiarumque & cæterorum ſpiritualium & eccleſiaſticorum aperta venditio, hæreſum & errorum publicatio, virtutum & bonorum operum ceſſatio, criminum & peccatorum multiplicatio, guerrarum & præliorum commotio, omneque bonum obedientiæ in contumaciam, & contemptum converſum eſt, & religio in apoſtaſiam eſt redacta. Et quia iſta partim audivi, partim vidi practicari, ideo licet flens, & ejulans recenſeo, partem utramque tunc temporis ex ipſis fuiſſe læſam, ut adverſæ culpam recitando, meam excuſare non videar, hoc ſatis vulgus noverit.* Quanta autem in oriente graviora mala ex eodem ſchiſmate orta ſunt, inferius audiemus.

(a) *Ext. tom. 1. de ſchiſm. p. 108.*

Anticardinal. ad propagandam perfidiam publica edunt acta.

(b) *Ext. eod. tom. p. 104.*

(c) *Ext. to. 3. de ſchiſm. p. 154.*

(d) *Clem. antip. vit. auct. apud Boſq.*

Animarum & corporum ſtrages ex ſchiſ. ſecutæ.

XLVIII.

Acta antipap. pro Urb. V. ſanctis annumerando.

Quod ad geſta Roberti Gebennenſis antipapæ ſpectat; cum is in omnibus veri Pontificis larvam indueret, veteres Pontificum ritus in conſecranda ſanctorum memoria imitari conſtituit: cumque Urbanus V. Romanus Pontifex olim ſanctitate inſignis miraculorum gloria floreret ob Toloſani, Ebredunenſis, & Aquenſis archiepiſcoporum, necnon Caroli V. & VI. Francorum Regum, Joannæ Reginæ Siciliæ, ac Ludovici Andegavenſis ducis ſæpius repetitas preces, ut Urbano ſanctorum cultum decerneret, Segnino patriarchæ Antiocheno eccleſiæ Nemauſenſis adminiſtratori, & Raymundo epiſcopo Vaſionenſi xv. Kal. maii hujus anni provinciam dedit (e), ut de Urbani ſanctitate, editiſque ad imploratam ejus opem miraculis ſacram actionem inſtruerent: quæ licet vana fuerint, prætermittenda non ſunt viſa, cum ex his geſtis ſchiſmaticorum Urbani V. illuſtretur ſanctitas & gloria effloreſcat, de ſanctitate enim ejus, deque miraculis hæc relata narrat idem Robertus.

(e) *Clem. antip. l. 3. p. 2.*

*Pridem in conſiſtorio extitit propoſitum coram nobis, quod felicis recordationis Urbanus Papa V. prædeceſſor noſter de Mimatenſi diœceſi oriundus, generis nobilitate clarus, a primævis ſuæ juventutis auſpiciis per viam veritatis incedens cæſis falce virtutum fallacis mundi blanditiis, quibus frequenter fragilitatis humanæ conditio fallitur*

*litur, ſic proprium ſubjecit obſervantiæ regulari ſuæ profeſſionis arbitrium, ſicque mundi relictis illecebris, & mundanis omnino relegatis affectibus, ſe Deo gratam & acceptabilem hoſtiam immolavit, quodque adeo in exemplari vita & caſtitate perfecta in hujus peregrinatione ſæculi abjectis voluptatibus ejus per caſtos mores, virtutumque placitos actus Altiſſimo gratum famulatum impendere, ejuſdem vitæ merito ſibi ipſi, aliiſque proficere ſtuduit & curavit, quod omnipotens ipſe Dominus per ipſius Urbani grandia præcelſaque merita, in monaſterio S. Victoris Maſſilienſis, ubi corpus requieſcit ejuſdem, & alibi multa & evidentia miracula operatur, mortuos ſuſcitando, cæcos illuminando, mundando leproſos, reſtituendo ſurdis auditum, mutis loquelam, & ſanitatem paralyticis & contractis claudis greſſum reddendo, & languidis ac debilibus variis, & diverſis valetudinibus oppreſſis ultra naturæ vires, & potentiam multipliciter ſuccurrendo.* Intermiſſa eſt poſtea illa de Urbano V. ſanctis annumerando actio, nec amplior honos ejus memoriæ decretus eſt.

Fertur inclaruiſſe miraculis.

XLIX. Ex regeſto etiam pſeudopontificis conſtat, diſciſſo ob ſchiſma occidente, funeſtam orientalium Chriſtianorum conditionem extitiſſe, ac Saracenos libere furorem in Armeniam minorem effudiſſe. In literis (*a*) enim ad archiepiſcopum Tarraconenſem IV. non. julii anno pſeudopontificatus tertio datis, ſubjectis verbis narrat Robertus antipapa triſtes & acerbos caſus a principe Curchi ſibi expoſitos, qui Armenios exceperant: *Nuper*, inquit, *ad noſtrum, dilecto filio nobili viro Soberio de Sarto comite Curchi nobis inſinuante, non ſine cordis amaritudine pervenit auditum, quod dudum impiiſſimus ſoldanus Babyloniæ cum maxima Saracenorum multitudine regnum Armeniæ ſæva crudelitate intravit, ac civitates, caſtra, & villas dicti regni, non ſine magna Chriſtianorum ſtrage capiens, comburens, & deſtruens, & quampluribus Chriſtianis fidem catholicam abnegare nolentibus diverſa tormentorum genera inferens, agricultores vivos excoriari, religioſis & aliis presbyteris, & perſonis eccleſiaſticis oculos cum ferris ignitis erui, & eiſdem presbyteris linguas, ne verbum Dei populo prædicarent, & quatuor digitos, cum quibus corpus dominicum pertractabant, abſcindi fecit, ac chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Leonetum Regem, ac chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Mariam Reginam Armeniæ illuſtres, præfatumque comitem, ac dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem Fynnam comitiſſam Curchi dicti comitis uxorem in quadam civitate ipſius regni cum multis Chriſtianis aliis exiſtentibus per novem menſes, vel circiter adeo arcte obſeſſos tenuit, quod fame afflicti mures, & equorum coria comedere cogebantur, & tandem propter defectum victualium, ſe, & civitatem prædictam de conſenſu populi civitatis ipſius Saracenis eiſdem ſe neceſſario reddiderunt captivos, dictique Saraceni eos ſic captivos, ac bonis ſuis ſpoliatos ad civitatem Jeruſalem primo, & deinde ad locum Cadri, in quo dictus morabatur Soldanus duxerunt: & ibidem comes præfatus cum eiſdem Rege, Regina, & comitiſſa, & aliis Chriſtianis per quinque annos, vel circiter manſit carceribus mancipatus, dictique Rex & Regina ac comitiſſa, & alii Chriſtiani adhuc ibidem detinentur captivi, & ad negandum Dei filium Jeſum Chriſtum per eoſdem Saracenos incitantur, quodque non eſt veriſimile eos poſſe a captivitate hujuſmodi liberari, niſi de fidelium ſubventionibus ſuccurratur eiſdem, &c.* Addit imperia archiepiſcopo Tarraconenſi; quamquam Aragonia in noſtram partem inclinabat, ut quæ in Tarraconenſi provincia malis artibus partæ ſint opes ad liberandos Saraceno carcere Regem Reginamque Armeniæ derivandas curaret.

(*a*) *Clem. antip. l.* 3. *p.* 135.

Armenia a Saracenis evaſtata.

Horrenda in pios carnificina exercita.

Rex & Regina in ſervitutem abducti.

L. Hoc anno Moſcorum princeps tercentum millibus bellatorum ſuccinctus in Livoniam maximo terrore irrupit. Sed catholicis divinum patrocinium non defuit: præfectus enim arcis obſeſſæ, cum totam noctem precibus ad Deum fundendis conſumpſiſſet, mane emiſſo ex arce jaculo Imperatorem confixit: cujus cædis caſu percuſſi Moſchi in fugam ſe conjecere. Quod prodigium Tilmannus Bredenbachius (*b*) narrat his verbis: *Oppugnavit caſtrum*, ſcilicet Nienhuys octodecim milliaribus Torpatho diſtans: *magnus Moſchoviæ dux anno MCCCLXXXI. cui oppugnationi ipſe intererat, una cum trecentenis militum millibus, ac tandem poſt diutinam, & pertinacem obſidionem, & crebras irruptiones mœnia, & propugnacula labefacere incœptabant, obſeſſi cum hoſtium aſſultum diu ſuſtinuiſſent, tandem ſolis humanis viribus diffiſi, divini Numinis clementiam & auxilium quotidianis ardentibuſque votis expoſcunt: Præfectus ut in bellicis rebus reliquis præſtabat, ita hoc quoque in negotio cæteris ferventior erat. Igitur quadam nocte veneris diem proxime antecedente in ſomnis pervigilat, ante aram quandam proſternitur, orat ut in tam deplorando rerum ſtatu Deus apparere dignetur, felicemque tam gravis obſidionis liberationem elargiri. Exorto ſole, cum Rutheni certam jam arcis expugnationem ſibi promitterent, exurgit e precibus ſuis præfectus, acceptoque arcu telum ferrea, acuminataque cuſpide in Dei nomine in medium Ruthenorum exercitum e feneſtra emittit: favent conatibus ſuperi, volat miſſile ferrum, & ipſius Moſchovii principis cor transfigit: & paulo infra Rutheni magno cum ululatu principis & imperatoris ſui tam funeſtum, & luctuoſum caſum de-*

Ducis Moſcor. expeditio in Livon.

(*b*) *Tilm. Brendeb. in* 3. *de ſcript. belli Livon.*

Tercentum millia hominum ſecum traxit.

Divinitus emiſſo in incertum telo confoſſus.



*deplorant, arreptumque funus in Moſchoviam perferunt Livones hoc mirabili, memorabilique modo liberati arcum perpetui trophæi loco in baſilica, quæ ibidem in caſtro extructa erat, ad altare ſuſpendunt. Solebat in eo templo cultus divinus, quondam magna pietate ac devotione peragi, nunc vero Lutheranis dogmatibus receptis nullum priſtinæ pietatis veſtigium conſpiciebatur: arcum ibidem ſuſpenſum vidit venerandus vir D. Philippus Olmen quondam metropolitanæ eccleſiæ Torpatenſis ſtipendiarius canonicus, nunc eccleſiaſtes Reſſenſis.*

Diſſipatus hoſtilis exercitus.

Miraculi monumentum diu ſervatum.

Anno

I. Præcipue res geſtæ hoc anno.

ANno Chriſtianæ ſalutis milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo indictione quinta immiſſi ab antipapa Ludovici Andegavenſis in Italiam irruptio gravem Eccleſiæ intulit terrorem, qui poſtea illo pereunte, diſſipatoque exercitu evanuit; ſperataque Gallorum præſidia Joannæ reginæ regio honore dejectæ exitium pepererunt: Carolus enim III. Siciliæ Rex firmando ſolio intentus, ut Joannæ ſtudioſorum ſpes elideret, ac novandarum rerum occaſionem removeret, cum jam Aquila & Montorii, Licienſis, & Cupertanus comites rebellaſſent, ut refert Hector Pignattellus (a), infelicem mulierem interfici juſſit. Necis genus aliqui fuiſſe ſcribunt, laqueo fractas ei fuiſſe cervices, dum in ſacello flexis genibus preces fundebat, quod Theodoricus e Niem (b) affirmat; alii vero impreſſo ori pulvino atque intercluſo ſpiritu ſub ſtragulis præfocatam, alii (c) necatam fame aut jugulatam tradunt; qua de re hæc Clementis pſeudopontificis rerum geſtarum anonymus author (d) monumentis conſignavit: *Joanna Regina immaniter fertur interempta fuiſſe, per miniſtros dicti Caroli, & ſic fieri ordinantis: modus autem interemptionis ſuæ varie extitit narratus, nam aliqui dixerunt ipſam ſtrangulatam, aliqui ſub una culcitra ſuppoſita ligatiſque manibus & pedibus ſuffocatam.* Cum hæc temporis illius ſcriptores mandarint hiſtoriæ, rejiciendi ſunt, qui ſuſpendio necatam eodem in loco ajunt, quo Andreas primus maritus fuerat interemptus. Extitit is triſtis Joannæ Reginæ exitus, quem illi S. Catharina virgo Senenſis, (e) ni damnato ſchiſmate in veri Pontificis fidem rediret, pluribus literis prædixerat. Extinctam menſe majo ſcribit (f) Hector Pignatellus, ejuſque corpus in templo S. Claræ ſeptem dierum flexu ſpectandum populo propoſitum, ne quis ſcilicet illius ſpe & deſiderio arma moveret. Affert Summontius (g) ejuſdem epitaphium, cui adjecta hæc epigraphe in qua tempus mortis Joannæ his numeris conſignatum eſt: MCCCLXXXII. XXII. maii v. indictione, atque ipſam ab impudicitiæ labe ei aſperſa a nonnullis, ac necis primo viro illatæ ſcelere vindicare nititur; ob inductum vero magno Chriſtiani orbis offendiculo ſchiſma, & ſecutas antipapæ partes juſto ſupplicio Deo vindice affectam conſtanter affirmat, cui prophetica illa ſententia, quam Sauli Regi verbis minacibus Samuel intentavit, apte convenire videatur: *Quia projeciſti Deum, projecit te Deus ne ſis Rex.*

(a) Hector Pignat. Diar. Neap. MS.
(b) Theod. e Niem. li. 1. c. 15.
(c) Gobel. in coſmod. ætat. 6. c. 76.
(d) Clem. antip. vit. ſcript. apud Boſq.

De ſupplicii genere variæ ſententiæ.

Prædicta illi a S. Cath. ea calamitas.

(e) S. Cath. ep. 207.
(f) Hector Pignat. in diar. MS.
(g) Summon. hiſt. lib. 4.

II. Parabat eodem tempore (h) Joannæ filius adoptivus Ludovicus Andegavorum dux opem, ultionemve, quem una cum Amedeo Sabaudiæ comite menſe majo Avenionenſem antipapam conveniſſe, atque ab eo expeditioni Italicæ præfectum, ut nedum Neapolitanum regnum occuparet, ſed Urbanum etiam pontificatu everteret, obſervat ejuſdem pſeudopontificis geſtorum author ſchiſmaticus (i) qua de re in antipapæ regeſto, tum in Neapolitano tabulario trigeſima maii conſignata diplomata extant.) *Anno*, inquit, * MCCCLXXXII. *menſe maii Avenione convenerant Ludovicus dux Andegavenſis, & Amadeus comes Sabaudiæ cum exercitu magno, ac manu notabili armatorum progredi cupientes verſus partes Italiæ tam pro impugnatione B. intruſi*, ita Urbanum verum Chriſti vicarium appellat, *& ſibi faventium, quam liberatione Joannæ Reginæ Siciliæ memoratæ, per præfatum Carolum de Dirrachio jam detentæ, ac recuperatione regni ſui pro majore parte occupati per eundem: fuitque conſtitutus & ordinatus generalis capitaneus dicti exercitus memoratus dux Andegavenſis per dictum Clementem Papam*, hoc nomine illum falſo exornat, *ſibique datum in mandatis, ut nedum nomine proprio, ſed etiam Eccleſiæ & ſuo ad negotia procederet ſupradicta.* Nonnulliſque interjectis, quibus addit ad Ludovici, & Amedei preces, Thomam e Caſſato ordinis Prædicatorum pſeudocardinalium numero aſcriptum trigeſima maii, ſuſceptam Joanna jam ſublata expeditionem ita deſcribit: *Arripuit ergo iter ſuum cum dicto exercitu, ipſum per plana Lombardiæ & terras eccleſiæ proſequendo, quod utrique licet non ſine magnis laboribus & expenſis, alias tamen ſatis feliciter & pacifice conſummavit, declinavitque primo in civitate Aquilanenſi ſub favore & obedientia dictæ Reginæ perſiſtente, quæ quaſi ſub introitu dicti regni ſituata exiſtit, quem navigia multa victualibus & aliis ſibi neceſſariis onerata ſunt illico ſubſecuta.* Excurriſſe XXVII. junii in litus Neapolitanum viginti duas triremes Maſſilienſes, at cum nihil omnino proficerent rediiſſe refert Hector Pignatellus (k): additque Ludovicum Andegavenſem XVII. julii in Aprutium ſtudiis factioſorum, quorum prin-

(h) Gobel. in coſmodr. ætat. 6. c. 77. & Hector. Pignat. in Diar. MS.

Ludovic. Andeg. antip. ſatellites.

* MCCCLXXXII.
(i) Clem. antip. vit. ſcript.

Ejus expeditio in Italiam.

Aquila a Ludov. occupata.

(k) Hector. Pignat. in diar. MS. Neap.





ceps erat Caldora irrupiſſe. [1] Queritur vitæ antipapæ ſcriptor, de quo paulo ante memoravi, Ludovicum ipſum ſigna Romam verſus ad evertendum Urbanum non direxiſſe, cum non abeſſet conjectura, Romanos Gallorum florentiſſimo exercitui impares ad periculum imminens declinandum Pontificem & Cardinales hoſti prodituros. Verum ille, qui naviculam ſuam jactari fluctibus, non mergi ſivit, Ludovicum ad tantum ſcelus proruere non ſivit, quamquam nec ita contracta manus Domini putanda eſt, ut vicarium ſuum adverſus ſchiſmaticorum glomerata agmina tueri, Romanoſque corroborare in ejus obſequio non poſſet: nec vero valida ad tutandam urbem deerant præſidia Pontifici, qui hoſtis veritus temeritatem indulgentiarum præmia catholicis propoſuit, qui menſibus quatuor ſacra arma ad Romana mœnia tutanda geſtarent.

Averſus Gallicus exercitus ab urbe.

*Ad futuram rei memoriam.*

III. *Cum perditionis alumnus Ludovicus olim dux Andegavenſis imitator damnati ſchiſmatis, effectus, ac ſtipatus magna multitudine armatorum, & in favorem iniquitatis filii Roberti antipapæ, qui ſe Clementem papam auſu temerario nominare præſumit contra Deum, & catholicam fidem verſus almam urbem, & alias terras patrimonii B. Petri dirigat greſſus ſuos, & ad invadendum terras noſtras, & Romanæ eccleſiæ ſe accinxerit, & jam partes Italiæ cum magna multitudine gentium armigerarum intraverit, nos attendentes quod ad reſiſtendum eidem Ludovico, & perverſis ejus conatibus, & providendum noſtro, & prædictæ Romanæ, ac etiam gentium earundem partium Italiæ ſtatui, & honori, oportet nos Chriſtifidelium ſuffragia, & auxilia implorare; & cupientes, ut hujuſmodi tanta ejuſdem Ludovici temeritas, & protervia elidatur, & ut Chriſtifideles eo libentius ad defendendum noſtrum, & eccleſiæ prædictæ honorem, ac ſtatum, & ad perſequendum ipſum Ludovicum, & ejus ſequaces, ac fautores, & adhærentes eidem, viriliter ſe accingant, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in noſtrum, & prædictæ Romanæ eccleſiæ, ac almæ urbis auxilium ſe accinxerint, & ad urbem ipſam in noſtris, eccleſiæ, & urbis prædictorum auxiliis per quatuor menſes, ſi tamdiu id expediens fuerit, moraturi acceſſerint, illam indulgentiam concedimus, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium per ſedem Apoſtolicam concedi conſuevit, &c. Datum Romæ apud S. Petrum x. Kal. ſeptembris, pontificatus noſtri anno quinto.*

Indicta in Ludovicum religioſa militia.

Propoſitæ piaculares veniæ.

IV. Magnum ſane incuſſit terrorem hoſtis potentia; Ludovicum enim ſexaginta militum millibus & eo amplius ſuccinctum irrupiſſe in Italiam ſcribunt. Nec modo excitandos catholicos ad tutandam Romam cenſuit Urbanus, verum ad debilitandos in Neapolitano regno Ludovici impetus judiciariam in illum actionem inſtituit, & una cum Amedeo Sabaudiæ & Petro Gebennæ comitibus, Fulcheto e Saltu Provinciæ præfecto ſchiſmatis, apoſtaſiæ, ſacrilegii, blaſphemiæ, ſtudii in hæreticos, læſæque majeſtatis crimine damnavit, omnique honorum & bonorum jure privavit; notavit infamia, ſubjecit corpus ſervituti, ac denique fideles omnes indulgentiarum præmiis ad contundenda illius arma cum ſigna inferre Italiæ inciperet, concitavit: quam ſententiam, cum hoſtis penetraſſet in Neapolitanum regnum, renovavit repetita altius veterum edictorum in antipapam & ſectatores memoria, Jordanoque archiepiſcopo Rheginenſi, ut hujuſmodi ſanctionem in Rheginenſi, Cuſentina, Roſſanenſi, & S. Severini epiſcopatibus vulgaret, provinciam impoſuit (a).

Edicta adverſus ejus ſectatore.

(a) Lib. 1. p. 27.

*Venerabili fratri Jordano archiepiſcopo Rheginenſi.*

V. *Contra perditionis alumnos Ludovicum olim ducem Andegavenſem, Amedeum olim comitem Sabaudiæ, Petrum olim comitem Gebennenſem, & Fulchetum de Saltu, olim ſeneſchallum Provinciæ, qui in reprobum ſenſum dati, & hujuſmodi damnati ſchiſmatis notorii imitatores & fautores effecti præfato Roberto antipapæ & ejus ſequacibus notorie adhæſerant, & adhærebant, eique præſtiterant, & præſtabant auxilia, & favores etiam in præjudicium noſtrum, & eccleſiæ ſupradictæ, & demum ſtipati*



NOTÆ [1] QUæ hic narrat Annaliſta de expeditione Ludovici Andegavenſis in Regnum Apuliæ in nonnullis corrigenda eſt, ut ex iis quæ ſtatim ſubdemus conſtabit. Ludovicus igitur exercitu pro eorum temporum conditione validiſſimo comparato per Sabaudiam in Italiam ingreſſus eſt. Militum numerum alii alium definiunt, quidam XL. millia; alii XLV. millia; alii denique cum Sagacio de Gazata in Chronico Regienſi ad LXV. millia equorum ducta affirmant. In Apuliam intraſſe die XVII. Annaliſta ex ephemeridibus Hectoris Pignattelli notat. Sed Ephemerides iſtas, ut in rebus afferendis non peccent, in temporis vero adſcriptionibus ſæpiſſime fallunt. Hiſtorici enim omnes, quotquot accuratam temporum ſyntaxim ſervant, Auguſto menſe nondum e Langobardia exceſſiſſe Ludovicum affirmant. Legendus Gazata in Chronico Regienſi, Anonymus Mediolanenſis in Annalibus, Anonymus Placentinus in Chronico. Ex eodem pariter Anonymo Mediolanenſi diſcimus hoc ipſo anno, octobri menſe, inter utroſque æmulos acre certamen commiſſum fuiſſe, quo pari utrinque diſpendio pugnatum. MANSI

magna gentium armigerarum multitudine ad partes Italiæ ſe contulerant, ut ſtatum, & pacem dictæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ perturbarent, ac regnum Siciliæ, & alias terras, & jura dictæ Romanæ eccleſiæ

Andegavenſis, Sabaudus & Gebennenſis pronuntiati ſchiſmatici, & apoſtatæ.

invaderent, & occuparent in magnum præjudicium noſtrum, & Romanæ eccleſiæ, ac regni prædictorum, nos de fratrum noſtrorum conſilio, & debitis juris ſolemnitatibus obſervatis, prout facti qualitas exigebat. Et paulo infra: Certos proceſſus fecimus, per quos finaliter pronunciavimus, decrevimus, & declaravimus eoſdem Ludovicum, Amedeum, Petrum, & Fulchetum fuiſſe, & eſſe ſchiſmaticos, apoſtatas, ac ſacrilegos, & blaſphemos, & imitatores hujuſmodi damnati ſchiſmatis, & hæreticorum fautores, & reos criminis læſæ majeſtatis, & conſpiratores etiam contra nos, & velut hæreticos puniendos, ipſoſque propter præmiſſa fore excommunicatos, anathematizatos, ac incurriſſe in pœnas, & ſententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas, & promulgatas, ipſoſque fore privatos, & depoſitos, ac privavimus, & depoſuimus a quibuſlibet ducatibus, comitatibus, dignitatibus, & honoribus, nec non feudis, & bonis, quæ a dicta Romana, vel quibuſvis aliis eccleſiis, ac perſonis eccleſiaſticis, vel Romano imperio, ſeu quibuſcumque aliis obtinebant, & quæ quomodolibet etiam de facto tenebant, ipſorumque bona omnia fuiſſe, & eſſe confiſcata, & ea confiſcavimus, & ipſorum Ludovici, Amedei, Petri, & Fulcheti

Notati infamia.

perſonas deteſtabiles & infames fore exponendas, & expoſuimus Chriſti fidelibus capiendas. Et volumus, quod omnes & ſinguli Chriſtifideles, qui crucis aſſumpto charactere ad præfatorum Roberti antipapæ, Ludovici, Amedei, Petri, & Fulcheti ſchiſmaticorum, & ut præmittitur, damnatorum exterminium ſe accingerent, & eos pro poſſe perſequerentur, illa gauderent indulgentia, illoque privilegio eſſent muniti, quod accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur, prout illa omnia, & ſingula in diverſis noſtris inde confectis literis plenius continetur.

VI.

Nos igitur, ne tot & tantorum facinorum & ſcelerum in divinæ majeſtatis offenſam, & dictæ Romanæ eccleſiæ matris cunctorum Chriſti fidelium, & magiſtræ contumeliam, & contemptum, fideique catholicæ, ac utilitatis reipublicæ detrimentum nequiter patratorum in ſuccedentium temporum ſæcula ſine correctione debita in mul-

Expoſita eorum flagitia.

torum perniciem deferantur, & ne præfati per nos, ut præfertur damnati a Deo reprobati, qui in ſuis hæreſibus perſiſtere, & exceſſus exceſſibus cumulare, & eccleſiæ prædictæ pacem turbare, & inter Chriſti fideles ſchiſmata, diſſenſiones, & ſcandala ponere, cultumque Chriſtianæ fidei, ſine qua quiſque Deo placere nequit, quantum in eis eſt, depravare conantur, ſuos pravos, & damnatos conceptus in partum producere poſſint, ſed potius, dextera Domini faciente virtutem, viriliter obſiſtatur eiſdem, & ipſorum damnandi propoſiti executio elidatur, opportunis providere remediis cupientes, quia in his Dei, & prædictæ Romanæ eccleſiæ cauſam agi conſpicimus; illa devote proſequentibus duximus etiam ſpiritualibus auxiliis & præſidiis aſſiſtendum, ut cauſam ipſam eo ferventius proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita, ſe ſperaverint adepturos.

Ideoque nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui præfatos Robertum antipapam, Ludovicum, Amedeum, Petrum, & Fulchetum, ipſorumque complices, fautores, receptatores, atque credentes, quamdiu in hujuſmodi ſchiſmate, ac extra Romanæ eccleſiæ gratiam perſtiterint, in perſonis, & ſumptibus propriis, nec non iis, qui in perſonis propriis, alienis tamen expenſis, expugnabunt, & ſuper hoc per unum annum, incipiendo a die, quo tu duxeris ordinandum continue, vel interpolatim in expugnatione hujuſmodi laborabunt, eccleſiæ ſequendo vexillum, tam clericis quam laicis, & eis inſuper, qui ſuis dumtaxat expenſis juxta facultates, & quantitates ſuas deſtinabunt, vel tibi, ſeu alteri per te deputando miniſtrabunt ſufficientia ſtipendia, ut deſtinare valeas idoneos bellatores per dictum tempus moraturos, & bellaturos ibidem, illam concedimus indulgentiam, quæ concedi per eandem proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum: eos autem qui non per annum integrum, ſed per ipſius anni partem in hujuſmodi Dei ſervitio laborabunt juxta quantitatem laboris, & devotionis affectum participes eſſe volumus indulgentiæ memoratæ. Quod ſi forte ipſorum aliquem poſt iter arreptum in proſecutione dicti negotii ex hac luce migrare contigerit, vel interim negotium ipſum congrua terminatione compleri, eos integre participes eſſe volumus, & concedimus indulgentiæ memoratæ. Hujuſmodi etiam remiſſionis volumus eſſe participes juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum omnes, qui ad expugnationem ipſorum Roberti antipapæ, Ludovici, Amadei, & Fulcheti, & aliorum damnatorum, ac ſequacium, & fautorum ipſorum ſibi, ſeu alteri per te deputando de bonis ſuis congrue miniſtrabunt. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus per te

Juſſi epiſcopi pontificia diplomata promulgare.

vel alium, ſeu alios in Rheginenſi, Cuſentina, Roſſanenſi, & San-Severini provinciis, hujuſmodi conceſſionem noſtram in eccleſiis, & locis, de quibus tibi videbitur



tur, quando & quoties expedire videris, ſolemniter publicans & exponens & per alios ad hoc idoneos publicari & exponi faciens, ut melius & clarius intelligatur ab omnibus, in vulgari, fideles ipſos inſtantius per verbum prædicationis, & alias, prout expediens extiterit, inducere non poſtponas, ut ſuſcipientes cum reverentia per manus tuas, vel aliorum per te ad id deputandorum venerabile ſignum crucis, ipſumque ſuis humeris, & cordibus affigentes ad proſequendum hujuſmodi cauſam Dei, & Romanæ eccleſiæ ipſorum matris viriliter ſe accingant, nobis quidquid ſuper prædictis feceris per tuas literas, vel inſtrumenta publica harum principium & finem continentia, fideliter reſcripturus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. Kal. octobris, pontificatus noſtri anno V.

VII.

(a) Ibid. p. 274.

Sacram militiam profeſſuros crucis ſymbolo inſignire.

Eaſdem literas Georgio archiepiſcopo Amalphitano tranſmiſit (a), deditque provinciam, ut in iis contenta Salernitanis, Cuſentinis, Surrentinis & Amalphitanis e ſacro ſuggeſtu exponenda curaret, ac militiam religioſam adverſus Eccleſiæ hoſtes profeſſuris crucis ſymbolum traderet: quas etiam partes Petro epiſcopo Tiburtino, IV. non. decembris pontificatus ſui anno V. commiſit; tum Franciſco epiſcopo Faventino miſſa priore literarum parte, quibus plenius continetur, illum auctoritate ad viros religioſos, ad ea pro concioni divulganda incuſſo cenſurarum metu adigendos inſtruxit. (b)

(b) Ib. p. 288.

Urbanus, &c. Volentes quod præmiſſa ad communem notitiam omnium Chriſti fidelium deducantur fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus quatenus in eccleſiis cathedralibus in ipſis partibus conſiſtentibus, & aliis de quibus tibi videbitur verbo Dei primitus per te, vel alios ad hoc idoneos coram populo ſolemniter, ac publice propoſito, ſaltem ſemel, ac etiam per religioſos Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & S. Mariæ de Monte Carmelo, quos quidem religioſos ſi monitionibus, & mandatis tuis in hac parte non paruerint cum effectu, excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto in dictis, & ipſorum religioſorum eccleſiis, & locis aliis dum miſſarum celebrabuntur ſolemnia, vel alias cum ibidem aderit major multitudo populi, ac etiam in dictorum religioſorum prædicationibus publice ſingulis diebus dominicis, & feſtivis omnia, & ſingula ſupradicta publices & exponas, ſeu publicari & exponi alta voce, & intelligibiliter in vulgari, ac præſentium literarum copias portis dictarum eccleſiarum facias, & procures publice affigi, &c. Dat. apud S. Petrum idib. novembris, pontificatus noſtri anno V.

Denique ſimillima imperia Andreæ tit. SS. Marcellini & Petri presbytero Cardinali, pluribuſque præſulibus in Italia data

(c) Ibid.

(c), ac Germani, Dani, Bohemi, Livones, Sueci, Norvegi, Poloni, Hungari, Boſnenſes, Dalamatæ, Angli, Belgæ, ad

Fideles ad ferendas ſuppetias ſolicitati.

ſuppetias ferendas Ludovico ſollicitati (d). Submiſſus etiam in Neapolitanum regnum ad ferendam opem Carolo Regi Acutus Anglus cum expeditiſſimis Anglorum copiis; ad ſuppeditanda vero illi ſtipendia, cum opes conferre clerus juſſus eſſet, iſque detrectaret impoſitum onus admittere, illum hiſce literis coarguit Pontifex.

(d) Ib. p. 308. & Valſing. in Rich. II. hoc anno.

Impetrata clero nummaria ſubſidia.

Venerabilibus fratribus Neapolitano & Capuano archiepiſcopis, ac ſuffraganeis, & dilectis filiis capitulo eccleſiæ & clero civitatis Neapolitanæ ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

VIII.

Neapolitanus clerus ea pendere abnuit.

Literæ veſtræ, quas nuper ſolita benignitate recepimus, nobis ingentis admirationis materiam pepererunt. Quid enim non miremur, cum prout ex ipſarum ſerie literarum collegimus, vos propriam ſalutem negligere videmus? Eſtne in tanto rerum diſcrimine de ſalutis veſtræ materia diſceptandum? eſto ſic portiunculam rerum veſtrarum magni penditis, ut totum penitus negligatis? Expergiſcimini itaque & mentis veſtræ oculos aperite: faceſſat omnis excuſatio, quæ paci, quæ tranquillitati, quæ

Urbano de iis querelæ.

quieti veſtræ nititur obviare. Conſiderate quales erga vos fuerimus: circa enim noſtri apoſtolatus primordia. Erga vos Apoſtolicæ ſedis beneficentiam exercuimus copioſe, hunc beneficiis proſequendo, illum claris officiis illuſtrando, alium dignitatibus extollendo, tumque [inimico homine ſuperſeminante zizania] ſuper cervices noſtras cecidit jugum ſchiſmaticæ ſervitutis, a qua ut vos opitulante Domino eriperemus, non laboribus pepercimus, non expenſis; immo pro liberatione veſtra totum ærarium

Propoſita rei anguſtia.

noſtrum exhauſimus: & quia ad hoc peragendum non ſufficiebant ejuſdem ærarii facultates, pretioſa bona eccleſiarum almæ Urbis, & earundem eccleſiarum, necnon monaſteriorum, & hoſpitalium, & aliorum piorum locorum ipſius urbis caſtra, poſſeſſiones, & alia immobilia bona, urgente nos neceſſitate, diſtraximus & alienavimus, quæ adhuc ſic alienata permanent & diſtracta: debita quoque multa, & magna contraximus: ſed ſicut Domino placuit pro tunc fuit, quod vehementer deſiderabamus fœliciter conſummatum, quando chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Siciliæ illuſtris, dextera Domini ſibi aſſiſtente propitia, cum auxilio, & favore noſtro vos a ſervitute hujuſmodi liberavit. Scitis nos vera retexere.

IX.

Poſtmodum vero pacis æmulo procurante, & noſtris ſucceſſibus invidente, cum videremus vos in ſimilem & quaſi pejorem ſervitutem recaſuros, niſi cum auxilio Domini manus favoris apoſtolici ſupponeremus, dilectum filium nobilem virum Joannem

Anglicæ copiæ in Gallos conductæ ab Urb.

*Agut militem Anglicanum cum ſtrenuorum numero bellatorum ad ſtipendia noſtra conduximus, illius Ludovici olim ducis Andegavenſis, qui rugientis more Leonis circuit, ut vos devoret, & ejus ſubiiciat ditioni. Debetis ne igitur excuſationem prætendere, ut pro ſtipendiis, & mercede illorum, qui pro defenſione, pro quiete, pro libertate veſtra corpora ſua non recuſant exponere, rerum veſtrarum portiunculam non exponatis? Non debetis profecto, ſi ſapitis, hæc in remanus habere tenaces, quando vobis rem poſſibilem imperamus, & vos ad ea, quæ libertatem & ſecuritatem veſtram, perpetuamque quietem reſpiciunt, invitamus. Facite promptis animis invitati, quod etiam ſponte facere deberetis. Si autem in perniciem veſtram & contra nos, & ſanctam Romanam eccleſiam veſtram & cunctorum fidelium matrem cum rebus & pecuniis veſtris aliquando pugnatum eſt, quid nunc pro ſalute veſtra, & pro defenſione, ac cautela dictæ eccleſiæ, faciendum? Et quidem credebamus vobis modicum imperaſſe, arbitrantes vos nedum res veſtras, verum etiam, ſi neceſſitas id exigeret, corpora poſituros. Quoniam vero hilarem datorem diligit Deus, & celeritas beneficium gratum reddit, hilariter, & celeriter juſſa noſtra complete; non enim ignoratis, quod ſtipendiarii nolunt verba. Nos autem, quantum in nobis erit dabimus opem & operam, ut confuſo dicto Ludovico, vos & alii devoti noſtri, & eccleſiæ memoratæ in pacis multitudine quieſcatis, & extirpatis hæreſis, & ſchiſmatis vepribus, in fidei unitate deſerviatur omnium Creatori. Cœterum ut lenitatem noſtram evidentius agnoſcatis, volumus, quod illi ex vobis, qui adeo pauperes exiſtunt, quod ad ſolvendum, ſeu contribuendum aliquid ſunt penitus impotentes, ad ſolvendum, ſeu contribuendum, aliquid minime teneantur: illi vero, quorum facultates ad integram ſolutionem non ſuppetunt, ultra quam juxta ſuarum facultatum hujuſmodi exigentiam ſolvere, ſeu contribuere aliquid nullatenus compellantur. Dat. Romæ apud S. Petrum* XVII. *kal. decembris, pontificatus noſtri anno quinto.*

X. Ludovici Andegav. impetus cunctatione a Carolo fracti.

(a) *Clem. VII. antipap. vitæ ſcriptor. apud Boſq.*

Commeatus & pabula ſubducta.

Ut vero Ludovici Andegavenſis impetus a Carolo Rege eluſi fuerint, ac mora & variis effugiis, arteque bellica ſenſim elanguerint ejus vires, deſcribit accurate Clementis antipapæ geſtorum author (*a*) his verbis: *Adventus ejus jam diu præſcitus per ſuos adverſarios extiterat, qui ſic diſpoſuerant, quod civitates, loca, & caſtra invenit, ut plurimum fortificata, munitaque victualibus, armis, & gentibus ad ſibi reſiſtendum viriliter diſpoſitis & apparatis; fueruntque blada, vina, pecora, equorum pabula, aut in eis recondita; exterius vel conſumpta, ſicque pro tunc non fuit locus aliquis contra ſuos inimicos faciendi. Et loca ſibi faventia, quæ ſatis pauca erant, bene diſpoſita non erant ad ipſum cum ſuis capiendum; victualia etiam eorum non adeo abundabant, quod ſine propria penuria ſibi ſufficerent, oportuit ipſum, ſeu ſaltem majorem partem exercitus, per aliquod tempus in locis parvis & miſeris, & campeſtribus permanere. Hyems etiam ſupervenit, nives, pluviæ, & aquæ inundaverunt, gelu, venti, & frigora ſuum temporis debitum reddiderunt. Inimici inſuper ſui ſibi inſidiantes ubi, & quomodo potuerunt: quibus omnibus cauſantibus, eique obſtantibus ſibi, aut dicto exercitui ſuo non licuit victualia hinc inde perquirere, prout eorum neceſſitas exigebat; & ſic his, quæ per prius habuerant conſumptis multas egeſtates, & miſerias ſunt perpeſſi.* Ita attritus eſt variis incommodis ſchiſmaticus exercitus, qui mox canina fame premi & epidemiæ ſævitia abſumi cœpit (*b*); de quo proximis annis recurret ſermo: illius vero occaſione nonnulli in perfidiam ſunt lapſi, inter quos Anconitanæ arcis præfectus genere Hiſpanus hoſti adhæſit, quem cum vi inde deturbare pararent Anconitani, veritus Urbanus ne ii arcem omnino excinderent, ne in poſterum eorum libertati frænum injiceret, Andreæ Cardinali Piceni præſidi munus demandavit (*c*), ut ad continendam in officio provinciam expugnatam arcem everti non ſineret, ſed fidiſſimo præſidio communiret.

Preſſus undique anguſtiis antipapalis exercitus.

(*b*) *Hect. Pignat. in diar. Neap.*

(*c*) *Urb. l. 1. pag. 279.*

XI. Tudertini ab Urbano deficiunt.

(*d*) *Lib. 1. p. 261.*

Subduxere ſe eodem tempore Urbani obſequio Tudertini, quos ille qua minis objectis, qua oſtenſa veniæ ſpe ad officium niſus (*d*) eſt revocare, ipſos ſic per literas allocutus.

Indictæ pœnæ. Ad poſcendam veniam ſolicitati.

*Urbanus, &c. Qua fronte contra jurisjurandi religionem, contra fidem, contra fas ſcelus auſi eſtis perpetrare, ut ſcilicet, præfatum Camerarium,* (nempe Marinum archiepiſcopum Tarentinum) *a noſtra clementia redeuntem, qui vos, liberoſque veſtros, conjuges, ac fortunas cum maximis noſtrarum, & eccleſiæ Romanæ expenſarum profluviis de hoſtium faucibus liberaverat, in civitatem prædictam non permiſeritis introire, ei aurem, non minus quam ejuſdem civitatis portas damnabiliter obſerantes, ac contra præmiſſa a noſtra, & ejuſdem Eccleſiæ obedientia vos deteſtabiliter ſubtrahentes, quod quid aliud eſt, quam proditionis, perjurii, & læſæ majeſtatis aliorumque horrendorum, & nefandorum criminum vos retinaculis involuiſſe, incurriſſeque excommunicationis, & interdicti, aliaſque ſententias & pœnas tam ab homine quam a jure in talia perpetrantes inflictas?* Et infra. *Verum licet vos, & præfatam eccleſiam, cum tanto animarum veſtrarum diſcrimine, & ſtatus veſtri detrimento tam enormiter offenderitis, tamen illius vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, cujus ſacrificium eſt ſpiritus contribulatus,*

*& qui*



*& qui cor contritum & humiliatum non deſpicit, parati ſumus erga vos oſtendere ſedis Apoſtolicæ lenitatem, & obliteratis offenſis, reddere vos ad eandem ſedem, in exhibitionibus gratiarum munificos, & in veſtris opportunitatibus liberales; dum tamen veſtros recognoſcentes errores pronis cervicibus errorum & exceſſuum veſtrorum indulgentiam poſtuletis. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. auguſti, pontificatus noſtri anno quinto.* Flecti non potuere adhuc Tudertini, quorum nefarium exemplum Interamnenſes, Amerinos, alioſque nonnullos ſecutos, anno proximo viſuri ſumus.

Urbanus cauſæ ſuæ æquitatem promulgari ubique jubet.

(*a*) *Lib. 1. ep. cur. p. 286.*

Addimus nunc, Urbanum apoſtolicos nuncios in variis provinciis agentes dare operam juſſiſſe, ut ſchiſmaticorum flagitium, qui ſchiſma conflaſſent, exponerent populis, juſta in eos lata edicta promulgarent, omneſque ea labe notatos legum ſeveritate percellerent, quo argumento Guillelmo e Savarvilla in Leodienſi principatu internuntio hæc mandata dedit (*a*): *Ut fideles Chriſti a prædictorum perverſorum, qui alios in præcipitium ſecum trahere moliuntur aſtutiis præſerventur, ac de tuæ prudentiæ & circumſpectionis induſtria ſpecialem in Domini fiduciam obtinentes, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta committimus, & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus fidei loricam induens & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, aſſumens contra præfatos ſchiſmaticos, & Dei, ac ſanctæ Eccleſiæ inimicos & adhærentes, & faventes eiſdem, adverſuſque alios homines, qui famam noſtram denigrare, vel eorum falſis latratibus contra ſtatum & honorem noſtrum, vel dictæ Eccleſiæ aliqua dicere vel facere præſumpſerant, ſeu præſumpſerunt, te accingas, & tanquam verus dictæ fidei pugil inſurgens, tam in publicis, quam etiam privatis ſermonibus & prædicationibus, innocentiam noſtram, & Eccleſiæ prædictæ cauſam defenſurus aſſumas, &c. Datum Romæ apud S. Petrum kal. decembris, pontificatus noſtri anno quinto.*

XII. Sententia in Regem Caſtellæ lata.

(*b*) *Tom. papyrac. p. 209.*

Hoc etiam anno Urbanus Joannem Caſtellæ Regem apoſtolicis imperiis obtemperare detrectantem ſchiſmatis, ac læſæ majeſtatis crimine damnavit, atque ab jure regni depulit: qua de re ſubjectum diploma edidit (*b*).

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Regimini ſacroſanctæ, ac univerſalis Eccleſiæ diſpoſitione divina, licet inviti, præſidentes, ac ſuper gentes & regna eadem diſpoſitione, licet inſufficientibus meritis conſtituti, dum ſeneſcente jam mundo ſæculi corruptelas conſpicimus, & inſtare tempora periculoſa videmus, pro laude & gloria catholicorum Regum & principum, ac cunctorum fidelium ejuſdem Eccleſiæ filiorum, ad confuſionem quoque iniquitatis alumnorum, videlicet hæreticorum & ſchiſmaticorum, quorumlibet etiam regia, aut quavis alia dignitate prætendentium ſe fulgere, qui pravitatis vinculis colligati convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus; unitatem ejuſdem Eccleſiæ ipſius ſponſæ intentione peſtifera ſcindere moliendo, ut diſrumpamus vincula eorum, & proiiciamus a nobis jugum ipſorum, tanto virilius in virtute Altiſſimi debemus exſurgere, quanto pernicioſius ex eorum exceſſibus ſequi poteſt perditio plurimorum; confidimus enim cum pſalmiſta* (*c*), *quod fiet illis ſicut Madian, & Siſaræ, & ſicut Jabin in torrente Ciſon: diſperierunt enim in Endor, & facti ſunt, ut ſtercus terræ; & cum eodem pſalmiſta increpantes dicimus:* Pone Domine principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Sebee, & Salmana: *Omnes, inquam, principes eorum, qui dixerunt:* Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei: Deus meus pone illos ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti: ſicut ignis, qui comburit ſilvam, & ſicut flamma comburens montes. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. *Imple itaque Deus facies eorum ignominia; & tandem contrita eorum rabie, & omni populo manifeſti, vel quærant nomen tuum, Domine, vel deleantur de libro viventium, quem ſcripſiſti.*

Gravis in Reges ſchiſmaticos comminatio.

(*c*) *Pſ. 82.*

XIII.

Ut ſchiſmatici Cardd. in papatum induxerint Urbanum.

*Dudum ſiquidem cum filii Belial, videlicet, Robertus olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum vulgariter dictus Gebennenſis, Joannes olim tit. S. Marcelli, vulgariter dictus Ambianenſis, Gerardus olim tit. S. Clementis, vulgariter dictus Majoris monaſterii presbyteri, & damnatæ memoriæ Petrus olim S. Euſtachii diaconus Cardinales, neſcientes in ſemitis juſtitiæ dirigere greſſus ſuos, & Deum præ oculis non habentes, contra nos, quos ipſi Robertus, Gerardus, & Petrus, una cum aliis tunc Cardinalibus, ad quos Romani Pontificis ſpectabat electio, in urbe debitis, conſuetiſque ſolemnitatibus obſervatis in Papam Romanumque Pontificem elegerunt, inthronizaverunt, & ſolemniter & publice coronaverunt, & tanquam Papam, & ſummum Pontificem in miſſarum ſolemniis, & conſiſtoriis publicis & privatis, conſulendo & ordinando de ſtatu Romanæ eccleſiæ, ac reipublicæ per plures menſes tractaverunt, recipiendo a nobis eccleſiaſtica ſacramenta, & animarum ipſorum & aliorum ſalutis remedia, dignitates, honores eccleſiaſticos, & gratias impetrando, nobiſque tanquam Papæ, & ſummo Pontifici, ac ipſorum domino debitas & conſuetas reverentias exhibendo, & impendendo diverſas conſpirationes, colligationes, & machinationes facere, & ſchiſma in Dei Eccleſia ponere, & civitatem Anagniam, & nonnullas alias terras noſtras & Romanæ eccleſiæ occupare & occupari facere, & quamplures alios graves & enormes exceſſus perpetrare*

Dein in ipſum conjurarint.

*& com-*

Commoniti officii pejora ſint moliti.

& committere præſumpſiſſent, ac deinde per nos paterno zelo commoniti, ut ab hujuſmodi exceſſibus deſiſtere, & ab eorum erroribus reſipiſcere vellent, ipſi more aſpidis ſurdæ aures ſuas obturantes, & nolentes intelligere, ut bene agerent, in profundumque deſcendentes malorum cum nonnullis aliis, quos eorum diabolicis ſuggeſtionibus ad eorum iniquum propoſitum proſequendum attraxerant, congregati in civitate Fundana in domo iniquitatis filii Honorati Caetani olim comitis Fundorum præfatum Robertum antipapam eligendo fecerunt, quem Papam nominare, & prædicari facere damnabiliter præſumpſerunt, & multa alia enormia contra nos & Romanam eccleſiam operati fuerunt.

Conflarint ſchiſma.

Cumque omnia prædicta, adeo tunc eſſent, prout ſunt notoria, quod nulla poterant tergiverſatione celari, nos contra prædictos, & nonnullos alios eis in præmiſſis adhærentes & facientes, de fratrum noſtrorum conſilio debitis juris ſolemnitatibus obſervatis, prout facti qualitas exigebat certos ſucceſſive proceſſus fecimus, per quos declaravimus fuiſſe ipſos & eſſe ſchiſmaticos, apoſtatas, & blaſphemos, & contra nos conſpiratores, & reos criminis læſæ majeſtatis, & tanquam hæreticos puniendos,

Decretoria ſententia perculſi ſunt.

prædictoſque Robertum, Joannem, Gerardum, & Petrum olim Cardinales, cardinalatibus dictæ Romanæ eccleſiæ, & omni cardinalatus commodo & honore, & omnibus dignitatibus & honoribus fuiſſe & eſſe privatos, ipſoſque privavimus, & ipſorum bona mobilia & immobilia, ac jura & juriſdictiones fuiſſe & eſſe confiſcata, & confiſcavimus, ipſoſque fuiſſe & eſſe excommunicatos & anathematizatos, & incidiſſe in diverſas pœnas & ſententias ſpirituales & temporales tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, ipſorumque perſonas deteſtabiles, & infames fuiſſe exponendas, & expoſuimus eas Chriſtifidelibus capiendas, prout in diverſis noſtris inde confectis literis plenius continetur, quæ ab olim in Romana curia, & in Caſtellæ & Legionis regnis & provinciis & terris & locis, ac aliis mundi partibus & ſolemniter publicatæ fuerunt.

XIV. Ut Joan. Rex Urb. pontificatum agnoverit.

Et licet iniquitatis filius Joannes Henrici, qui ſe gerit pro Rege Caſtellæ & Legionis, etiam per literas & nuncios noſtros, & dictorum olim Cardinalium certificatus de hujuſmodi canonica electione & inthronizatione, ac coronatione noſtra, & aliis præmiſſis, nos pro vero, ſummo & Romano Pontifice tenuiſſet, ac reputaſſet, nobiſque tamquam Romano Pontifici, etiam per ipſius literas & nuntios fidelitatem & obedientiam exhibuiſſet, & a nobis tam pro ſe ipſo, quam etiam pro multis aliis plures & diverſas gratias tam ſpirituales, quam etiam temporales impetraſſet, tamen poſtmodum idem Joannes in reprobum ſenſum datus, & in favorem prædicti Roberti antipapæ & ejus ſequacium, ut ex ſequentibus patuit, a devotione & fidelitate & obedientia noſtra, & Romanæ eccleſiæ ſponſæ noſtræ non ſolum ſeipſum ſubtraxit, verum etiam prælatos, & perſonas eccleſiaſticas, & alios clericos & laicos de regnis prædictis, ut ſe ab hujuſmodi noſtra & Romanæ eccleſiæ fidelitate, obedientia, & devotione ſubtraherent, etiam per minas & terrores compulit.

Dein defecerit obſequio.

Etiam fraudulenter & ſe ac alios de regnis prædictis in quadam acephalitate, quæ ſpecies hæreſeos exiſtit, & quam, ut eorum verbis utamur, indifferentiam vocant, ſe conſtituit, & in ea per nonnulla tempora pertinaciter perſeveravit. Etiam bona, res, & jura, redditus & proventus, ad cameram apoſtolicam ſpectantia & pertinentia uſurpando, capiendo, & uſurpari & capi faciendo, & eccleſias etiam cathedrales & regulares & alia beneficia eccleſiaſtica etiam per ſchiſmaticos occupari faciendo.

Catholicos nimis compulerit, ut fierent acephali.

XV. Monentem Urbanum ſpreverit.

Et licet idem Joannes tam per literas, quam etiam per nuncios noſtros pluries paterno zelo monitus, & requiſitus fuiſſet, ut ab hujuſmodi erroribus reſipiſceret, & in noſtra & prædictæ eccleſiæ fidelitate, obedientia, & devotione, prout tenebatur, permaneret; ipſe tamen, more aſpidis ſurdæ aures ſuas obturans, & nolens intelligere, ut bene ageret, ac hujuſmodi noſtris paternis monitionibus & requiſitionibus ſpretis, demum detegens ſuæ doloſitatis commentum & fraudis, & in profundum malorum amplius deſcendens hujuſmodi damnati ſchiſmatis imitator effectus, & cupiens dictæ Romanæ eccleſiæ amplius ſcindere unitatem, una cum perditionis alumnis Petro olim S. Mariæ in Coſmedin diacono Cardinale, vulgariter dicto de Luna, Petro olim Toletano, & Lupo olim Cæſarauguſtano archiepiſcopis, Martino olim Pampilonenſi, & Joanne olim Ambianenſi, & Angelo olim Penſauricenſi epiſcopis, ac Bonifacio de Aminanatis legum doctore ſatellitibus prædicti Roberti antipapæ & antichriſti conſpirationes & machinationes, etiam contra nos facere, os in cœlum ponere, lingua tamen ejus tranſeunte ſuper terram, præſumpſit exiſtimans loquacitatem, facundiam, & maledicere conſcientiæ bonæ ſignum, in verba non tam blaſphema & hæretica, quam inſana contra nos prorumpere, noſque lacerare conviciis, hujuſmodi ſchiſma notorie ſectando & dogmatizando non fuit veritus, nec veretur,

Garrulitate blaſphema ſeductus ſeduxerit alios.

ſeque debere, & velle eidem Roberto antipapæ credere, adhærere, ac favere; & hujuſmodi nutriendo & fovendo ſchiſma eidem Roberto auxilia & favores præſtare præſumptuoſa temeritate & auſu ſacrilego, convocatis etiam ad hoc diverſis prælatis, & aliis perſonis de regnis prædictis, publice aſſeruit & manifeſtavit, ac prælatis & clericis, & eccleſiaſticis perſo-

Præſules ad antip. obſequium adegerit.

nis



nis & laicis de dictis regnis, quod eidem antipapæ crederent & obedirent, ac parerent, temere, & de facto præcipiendo mandavit: & inſuper præfato Roberto antipapæ & ſequacibus ejus, ac fautoribus diverſa pecuniaria & alia ſubſidia, favores & auxilia in prædictis etiam contra nos, & dictam ecleſiam impendere præſumpſit, ac præſumit, crimen ſchiſmatis ac hæreſis, & apoſtolicæ læſæ majeſtatis, & conſpirationis etiam contra nos, ac ſacrilegii damnabiliter incurrendo in animæ ſuæ grave periculum, Apoſtolicæ ſedis contemptum ac præjudicium & ſcandalum plurimorum. Et quamvis præmiſſa omnia & ſingula, adeo tunc eſſent, prout adhuc ſunt notoria, quod nulla poterant, prout nec poſſunt, tergiverſatione celari: nos tamen ad cautelam & majorem certitudinem præmiſſorum, dilecto filio noſtro Joanni tit. S. Sabinæ presbytero Cardinali commiſimus oraculo vivæ vocis, ut ſe de præmiſſis informaret, & ea, quæ per informationem hujuſmodi reperiret, nobis referre curaret; & denique Joannes Cardinalis ſuper iis per eum informatione recepta nobis in conſiſtorio retulit præmiſſa omnia fuiſſe & eſſe, ut præmittitur, notoria, & etiam manifeſta.

XVI. Indicta illi dies, ut de criminibus reſpondeat.

Nos itaque, nequeuntes hujuſmodi exceſſus ſalva conſcientia tolerare, de fratrum noſtrorum conſilio præfatum Joannem, qui ſe, ut præfertur, gerit pro Rege Caſtellæ & Legionis, præſente fidelium multitudine copioſa, ejuſmodi citandi modum ex certis rationabilibus cauſis eligentes, per noſtras literas citavimus, ut decima octava die præſentis menſis martii tunc futuri, ſi ea die conſiſtorium publicum eſſet, alioquin prima die ex tunc ſequenti, qua conſiſtorium per nos teneri contingeret compareret perſonaliter coram nobis, ubicumque tunc eſſemus, viſurus & auditurus per nos pronunciari, decerni, & declarari, ipſum Joannem, qui ſe ut præmittitur, gerit pro Rege Caſtellæ & Legionis, fuiſſe & eſſe ſchiſmaticum & apoſtatam, & ſacrilegum & blaſphemum, ac imitatorem hujuſmodi damnati ſchiſmatis, & hæreticorum fautorem, & reum criminis læſæ majeſtatis, & conſpiratorem etiam contra nos & velut hæreticum puniendum,

Intentata illi ſchiſmatis, ſacrilegii, & hæreſeos nota.

ipſumque propter præmiſſa incurriſſe in pœnas & ſententias, tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas, ac promulgatas, ac eundem Joannem fuiſſe & eſſe privatum, & depoſitum, ac per nos privari & deponi quibuſcumque dignitatibus & honoribus, nec non a jure, ſi quod in dictis regnis, ſeu ad ea ſibi competebat, ſeu competere poterat ac regnis ipſis, ſi ad eum quomodolibet pertinebant, vel pertinere poterant,

Et exauctoratio regiæ dignitatis.

& omnibus feudis & bonis, ſi quæ a dicta Romana, vel quibuſvis aliis eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis, aut a Romano imperio, ſeu quibuſlibet aliis obtinebat, & quæ quomodolibet etiam de facto tenebat, ipſiuſque omnia bona fuiſſe & eſſe confiſcata, & per nos confiſcari; & nihilominus viſurus & auditurus per nos ſibi alias pœnas infligi, prout nobis videretur, tantorumque flagitiorum perverſitas exigeret & juſtitia ſuaderet; aperte prædicentes eidem, quod ſive veniret ſive non, nos in dicto termino ad declarationem ac privationem, & inflictionem pœnarum hujuſmodi, prout juſtum foret, procederemus, ipſius Joannis abſentia, ſeu contumacia non obſtante, ac volumus, & authoritate apoſtolica decrevimus, quod hujuſmodi citatio perinde valeret, & plenum robur obtineret firmitatis, dictumque Joannem perinde arctaret, quacumque confiſcatione contraria non obſtante, ac ſi ei intimata & inſinuata perſonaliter & præſentialiter extitiſſet.

Et bonorum privatio.

Data ad comparendum incolumitatis ſponſio.

Conceſſimus inſuper eidem Joanni plenam ſecuritatem ad Romanam curiam veniendi, & in ea morandi, & ab illa recedendi cum clauſulis neceſſariis & opportunis, prout in dictis literis plenius continetur. Adveniente igitur dicta die decima octava, videlicet hodierna, & exiſtentibus nobis in conſiſtorio publico cum dictis fratribus noſtris comparuit coram nobis dilectus filius magiſter Thomas de Ficechio procurator noſter fiſcalis; & prædicti Joannis non comparentis contumaciam accuſavit, ac petiit ipſum Joannem per nos contumacem reputari, & in ejus contumaciam contra ipſum ad hujuſmodi declarationem, ac privationem, & aliarum pœnarum inflictionem per nos procedi juxta prædicti termini aſſignationem.

In non comparentem actio intentata.

Nos igitur per dilectos filios noſtros Landulphum S. Nicolai in carcere Tulliano, & Petrum S. Georgii ad velum aureum diaconos Cardinales, ad portas palatii noſtri apoſtolici prædictum Joannem Henrici, qui ſe gerit pro Rege Caſtellæ & Legionis, ut moris eſt, clamari & vocari fecimus, ut ſi ipſe, aut aliquis, ſeu aliqui pro eo ibidem exiſterent, dictum palatium intrarent, & ad noſtram præſentiam accederent. Et quia iidem Cardinales nobis poſtea retulerunt quod præfatus Joannes, nec aliquis pro eo ibidem moratus fuerat, nec ipſe Joannes comparere curaverat neque curat, prædictus procurator iterum accuſavit dicti Joannis contumaciam, & petiit, prout ante petierat, & ſuperius eſt expreſſum.

Vocatus more judiciario in conſiſtorio.

XVII. Lata in eum decretoria ſententia.

Nos itaque reputantes eundem Joannem, prout eſt, merito contumacem, & nequeuntes tot & tantos & tam graves exceſſus & iniquitates abſque gravi offenſa Chriſti, & remorſu conſcientiæ amplius tolerare; & infra: de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, per hanc noſtram definitivam ſententiam auctoritate apoſtolica pronunciamus, decernimus, & declaramus, præfatum Joannem fuiſſe & eſſe ſchiſmaticum, apoſtatam, ac ſacrilegum & blaſphemum, ac imitatorem hujuſmodi damnati ſchiſmatis, & hæreticorum fautorem, & reum criminis

Schiſmatis & hæreſeos damnatur.

læſæ

*læſæ majeſtatis, & conſpiratorem etiam contra nos, & velut hæreticum puniendum, ipſumque propter præmiſſa incurriſſe in pœnas & ſententias tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes inflictas & promulgatas, ipſumque Joannem fore privatum & depoſitum, & privavimus & depoſuimus a quibuſlibet dignitatibus, honoribus, necnon a jure, ſi quod ei in dictis regnis ſeu ad ea competebat ſeu competere poterat, ac regnis ipſis, ſi ad eum quomodolibet pertinebant vel pertinere poterant, ac omnibus feudis & bonis, quæ a dicta Romana, & quibuſcumque aliis eccleſiis, vel perſonis eccleſiaſticis, ſeu Romano imperio, vel quibuſvis aliis obtinebat, & quæ quomodolibet etiam, ſi de facto tenet, ipſiuſque bona omnia fuiſſe & eſſe confiſcata, & ea confiſcamus, & ipſius Joannis perſonam deteſtabilem & infamem fore exponendam, & exponimus a Chriſtifidelibus capiendam, ut ſic captus, ſi abſque ejus fuga & evaſionis periculo fieri poſſit, ad nos indilate tranſmittatur: & ſi id tute fieri nequeat, in arctis carceribus detrudatur, & tandiu ſub fida cuſtodia detineatur, donec hujuſmodi captio, detruſio, & detentio nobis fuerit intimata, & donec ipſum detinentes aliud ſuper hoc a nobis habuerint in mandatis. Et quoniam dignum eſt, ut tam nefandorum ratione flagitiorum ultionis ſeveritas amplius extendatur, & propter enormitatem culparum pœnarum modus exuberet, de dictorum fratrum conſilio monemus omnes, & ſingulos Chriſtifideles utriuſque ſexus, cujuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatis, præeminentiæ, gradus vel conditionis extiterint, etiamſi regia, imperiali, vel pontificali, ſeu alia quavis præfulgeant dignitate, etiamſi fuerint ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, ne aliqui eorum in civitatibus, caſtris, villis, terris, ſeu locis, quæ etiam de facto detinent, præfatum Joannem ſcienter recipere ſeu receptare, aut ſibi ad ea aditum præbere, ſed ad illa, in quibus ipſe Joannes nunc habitat, ſeu moram trahit, vel in futurum habitabit, vel moram trahet, in ipſius Joannis, vel ſequacium ſuorum favorem blada, vinum, carnes, pannos, ligna, victualia, pecunias, merces, res, vel quæcumque alia bona ad ipſorum uſum utilia portare, mittere, vel deferre, ſeu portari, mitti, vel deferri facere præſumant, nec per alios quoquomodo, ſi hoc probibere poterunt, mitti, deferri, vel portari permittant.*

Regnorum jure exauctoratur.

Infamiæ nota afficitur.

Libertate ex bonis, & fidelium commercio privatur.

XVIII. Juſſi Caſtellani conſurgere ad eum comprehendendum.

*Præterea omnibus & ſingulis temporale dominium in quibuſlibet provinciis, civitatibus, caſtris, terris, villis, vel locis, etiam de facto tenentibus, præſentium tenore mandamus, ut ſicut reputari & haberi cupiunt catholici & fideles, dictum Joannem, cum in eorum provinciis, civitatibus, terris, caſtris, villis, vel locis repertus fuerit, ſeu cum ad illa vel prope ea forſan venerit, ſi facultas aderit, capi faciant, & ſi tute fieri poterit, eum ad nos captum tranſmittant, ſeu captum cuſtodiant, donec hujuſmodi captio ſeu detentio nobis fuerint intimatæ, & a nobis aliud habuerint in mandatis, prout eſt ſuperius ordinatum: illos autem, qui volentibus eumdem Joannem damnatum capere, detinere, vel ad nos tranſmittere, impedimentum aliquod per ſe vel alium ſeu alios publice vel occulte, directe vel indirecte, præſtiterint ſeu fecerint, quominus ipſe Joannes capi, detineri, vel ad nos tranſmitti valeat, ut præfertur, necnon illos, qui prædictum Joannem potuerit capere & detinere, ſeu facere capi & detineri, & id facere contempſerint, & neglexerint, ſeu qui in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum contra hujuſmodi monitionem & mandatum noſtra facere, vel eidem Joanni directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, conſilium, vel favorem præſtare præſumpſerint, ſi ſingulares perſonæ, excommunicationis ſententiam incurrant, ſi vero communitates, vel univerſitates fuerint tam ipſas communitates & univerſitates, quam etiam eorum civitates, caſtra, terras, villas, & loca eccleſiaſtico interdicto ſubjacere volumus ipſo facto, & civitates, caſtra, terræ, villæ, & loca hujuſmodi careant commercio aliarum civitatum, caſtrorum, terrarum, villarum, atque locorum; & nihilominus civitates ipſæ pontificali dignitate priventur, a qua quidem excommunicationis ſententia nullus ab alio, quam a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo poſſit abſolvi, nec interdictum hujuſmodi per alium, quam per eumdem Pontificem valeat relaxari.*

Latæ in detrectantes imperia, cenſuræ.

XIX. Soluti fidei ſacramento ſubditi.

*Præterea omnes & ſingulos, qui præfato Joanni juramento fidelitatis, hominii, aut alterius cujuſcumque obſequii debita ſubmiſſione, obligatione vel pacto quacumque firmitate vallato prius tenebantur adſtricti, abſolvimus, & decernimus abſolutos, ita quod nullus ei obedire, intendere, vel parere, nullus ei debita reddere teneatur: quinimmo diſtrictius inhibemus omnibus & ſingulis ducibus, principibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus & aliis ſingularibus perſonis quibuſlibet, necnon communitatibus & univerſitatibus quibuſcumque, ne præfato Joanni aliquatenus pareant, vel intendant, nec ſibi aut officialibus ſuis quæcumque dacia, collectas, gabellas, ſeu pedagia, aut fructus, redditus, & proventus, pecuniarum ſummas aut quævis alia ſubſidia, ſeu ſervitia, directe vel indirecte, publice vel occulte ſolvere, ſeu quovis modo præſtare præſumant: alioquin omnes, qui ſecus egerint, ſi ſingulares perſonæ, excommunicationis, ſi vero communitates vel univerſitates fuerint interdicti ſententias eos ipſo incurrant, a qua quidem excommunicationis ſententia*

Perculſi anathemate qui ipſi paruerint.

præ-



*præterquam in mortis articulo, nullus ab alio, quam ab eodem Pontifice poſſit abſolvi, nec hujuſmodi interdictum ab alio, quam ab eodem Pontifice, valeat relaxari: Sit etiam ipſe Joannes inteſtabilis, nec teſtamenti habeat liberam factionem: ad bona quoque aliorum ex teſtamento, vel ab inteſtato nullatenus admittatur: nulla fides, nulla credulitas ei adhibeatur; ſed a teſtimonio velut infamis & indignus totaliter repellatur: ſit ei judicatus, ac cujuſlibet alterius publici officii exercitium interdictum.*

XX. Indicta in eum ſacra militia.

*Volumus inſuper, quod omnes & ſinguli Chriſtifideles, qui crucis aſſumpto charactere ad præfati Joannis ſchiſmatici, & ut præmittitur, damnati exterminium ſe accinxerint, & illum pro poſſe perſequentur, illa gaudeant indulgentia, illoque privilegio ſint muniti, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur. Et inſuper, ut ipſius Joannis eo major ſit confuſio, quo ipſius culpæ patentius divulgatæ omnibus fuerint omnibus & ſingulis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis ac aliis eccleſiarum prælatis ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto incurrant, niſi mandatis noſtris hujuſmodi poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, paruerint cum effectu, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium, quorum duos pro primo, & duos pro ſecundo, & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino, de monitione canonica aſſignamus, ſinguli in ſingulis eorum eccleſiis, cum in eis major aderit populi multitudo, ſingulis diebus dominicis & feſtivis, pulſatis campanis & candelis accenſis, & demum extinctis, & ad terram projectis, per ſe, vel alios dictum Joannem damnatum, publice & alta ac intelligibili voce fuiſſe & eſſe ſchiſmaticum & apoſtatam, ſacrilegum & blaſphemum, & imitatorem hujuſmodi damnati ſchiſmatis, & hæreticorum fautorem, & reum criminis læſæ majeſtatis, & conſpiratorem etiam contra nos, & tanquam hæreticum puniendum, ipſumque fore privatum & depoſitum a quibuſlibet dignitatibus & honoribus; necnon jure, ſi quod ei in dictis regnis, ſeu ad ea competebat ſeu competere poterat, ac regnis ipſis, ſi ad eum quomodolibet pertinebant, vel pertinere poterant, ac omnibus feudis & bonis, quæ a dicta Romana eccleſia, & quibuſcunque aliis perſonis eccleſiaſticis, vel quibuſvis aliis obtinebat, & quæ quomodolibet etiam de facto tenebat, ipſiuſque bona omnia fuiſſe, & eſſe confiſcata, & ipſius perſonam deteſtabilem & infamem fore expoſitam, & a Chriſtifidelibus capiendam denuncient, & eum, ut talem tandiu faciant a Chriſtifidelibus evitari, donec ad cor reverſus, ſuumque recognoſcens errorem a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolutionis beneficium meruerit obtinere.*

Juſſus diebus feſtivis anathematis reus promulgari.

Regnorum jure deturbatur.



*Quod ſi forte ipſe Joannes in mortis articulo ab alio, quam a nobis vel ſucceſſore noſtro Romano Pontifice fuerit abſolutus, nihilominus decrevimus & volumus, quod ipſe perpetuo careat eccleſiaſtica ſepultura: & ſi ſupervixerit, volumus, quod quam cito commode poterit coram nobis vel ſucceſſore noſtro ſe perſonaliter repræſentet, ſatisfacturus & recepturus, prout juſtitia ſuadebit: alioquin ne propter hoc cenſuræ eccleſiaſticæ illudantur, volumus, quod ipſe in eandem excommunicationis ſententiam reincidat ipſo facto: & quicumque eundem Joannem ſcienter præſumpſerit eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem condignam, excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere, nec abſolutionis beneficium obtinere mereatur, niſi prius propriis manibus corpus prædicti Joannis extumulet, & procul abjiciat ab eccleſiaſtica ſepultura, & nihilominus locus ille perpetuo careat eccleſiaſtica ſepultura. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ pronunciationis, conſtitutionis, declarationis, privationis, abſolutionis, monitionis, inhibitionis, proceſſus, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. & actum Romæ apud S. Petrum v. Kal. aprilis, pontificatus noſtri anno* IV.

XXI. Sacramentorum uſu niſi in mortis articulo interdictus.

Eccleſiaſticæ ſepulturæ beneficio privatur.

XXII. Jo. dux Leyceſtr. in Caſtel. Reg. ſollicitatus.

Ad perficienda vero quæ in hujuſmodi ſententia continebantur, Urbanus Joanni bellum ſacrum indixit, ducemque Leyceſtriæ ad comparanda armis Caſtellæ & Legionis regna ſollicitavit. Tum Ferdinando Rege Luſitaniæ Caſtellani ſocero defuncto, regnum illud ad Caſtellanum devolvendum, ſchiſmatis odio ipſi ereptum eſt, ut ſequenti anno viſuri ſumus: ex quo factum, ut Joannes Rex ob latam in Urbanum temerariam ſententiam regnorum jure ab Urbano exauthoratus acerrimos duos hoſtes in ſe concitarit. Dignus plane lachrymis ejus fuit lapſus: qui enim Urbani electionem juſtam & canonicam adeo agnoverat, ut etiam oratores ad Gallum Regem a ſchiſmate abducendum ipſum miſiſſe, teſtetur Juvenalis Urſinus (a), atque inimicitias fœderato Gallo, ut in ſchiſma prolapſo ſe denunciaturum minabatur, politicas ob cauſas ne a Gallorum fœdere diſcederet, in ſchiſma præceps irruit: quem divina ultio ita perſecuta eſt, ut miſerando ex equo lapſu cervices ſibi fregerit, quo lapſus corporis animæ lapſum turpem exprimeret: ſed de eo inferius. Inclinabant etiam tum ad ſchiſma Aragonii vario argutiarum fumo ſuffuſi. Verum ad eos puriori veritatis luce colluſtrandos Faventinus epiſcopus Urbani internuntius commentarium (b) ſcripſit, ad Aragoniæ regiæ procuratores, in quo ſchiſmaticorum ſophiſmata diſ-

(a) *Juv. Urſin. in Car. VI.*

Faventin. epiſcop. contra Cardd. ſchiſmaticos ſcribit.

(b) *Ext. in MS. Vat. ſign. n.4927. pag. 146.*

diſſolvit, & ex quo nobis hæc decerpenda viſa ſunt.

Præcipuæ eorum argutiæ.

*Ad dominos commiſſarios regni Aragonum per dominum epiſcopum Faventinum.*

XXIII. Refelluntur.

*Cerno clypeum adverſantium nobis, ſub quo abſque ulla alia ratione clamoſe inſultant fideles, hoc virtutis continere : Cur non credis Cardinalibus, cum ad ipſos ſpectet creare Papam, & ipſum populo demonſtrare : non enim eſt veriſimile, quod totum orbem velint perdere & ſeipſos? Et hic clypeus facile conteritur a gladio veritatis, & continet enim tria, primum ſcilicet : Cur non credam Cardinalibus; & reſpondeo : Credidi propter quod locutus ſum. Et ſi dicant de ſecunda aſſertione eorum, dico quod pro eo, quia contradictoria eſt primo facto, verbo, ſcripto & opere : & ſuper iis ſatis infra, in reſponſione ad Toletanum, & ex præſentibus etiam apparebit. Secunda pars clypei eſt, quod ipſi habent creare & demonſtrare Papam; hanc etiam fateor, ideo ipſis credidi, ut ſuperius; ſed deponere Papam non eſt eorum LXXIX. di. ca. ſi cum multis : immo declarare indubium Papam, quia id eſt judicis, non partis ut alias ſatis dictum eſt. Deſcendamus ad tertium, ſcilicet ad veriſimile. Dicunt : Non eſt veriſimile, quod velint ſeipſos perdere. Fateor cum Auguſtino, quod nullus vult damnari, & nullus vult peccatum, tamen multi damnantur, multique peccant 15. q. merito. Quare & ſi inſtas & repetis :* Non eſt veriſimile, quod tales & tanti peccent; *reſpondetur faciliter, quod probatio veritatis tollit veriſimile de præſumptione c. quia non eſt ergo, ei, qui vult dictos Cardinales ponere quaſi impeccabiles, tali quæſtione, & ex omni capite vinceretur. Dicant mihi Cardinales ipſi, cum celebrabant coram domino Urbano, & in cappellis eorum, & in ſecreta miſſas, ubi oratur pro Papa, & ante conſecrationem Corporis & Sanguinis Chriſti, dum orationem ſpecialem dicebant pro eo, dum communionem receperunt omnes, dum abſolutiones pro peccatis eorum petierunt & habuerunt, dum confeſſores elegerunt, & in ſecreto ſua authoritate abſolutionem humiliter receperunt, qualem eum tunc eſſe credebant? vel ſciebant pro facto Papam, vel antipapam? quia dubium facti non cadit in eis, cum ipſi dicant ſe ſcire veritatem, de reſcriptis c. ab excommunicato, ſi non Papam, ut dicunt. Ergo antipapam & antichriſtum 24. q. 2. quoniam : & ſic ex eorum confeſſione notorie hæretici, immo hæreſiarchæ ſunt, qui antipapam antichriſtum verbo, ſcripto, facto, ſacramentis, & Dei veritatem habere voluntarie crediderunt & prædicaverunt contra unam ſanctam, catholicam, & apoſtolicam Eccleſiam 1. q. 1. extra catholicam cum ſi multis. Nec ab iis excuſantur ex prætenſo timore diſt. 1. q. 1. Qualis ergo fides de cætero dari debet talibus hæreticis, non abjurato prius per ſcripturam propriam, & debita juris ſolemnitate notorio facto & ratione juris damnato, & prius etiam non reconciliatis, nec reſtitutis, ſatis docent vulgaria jura. Ex quibus etiam ſurgit, quonam modo hæreticum ſimilem eligere potuerunt? certe nullo modo 1. q. 7. conveni, & cap. ſaluberrimum qu. 1. d. catholica 1. a catholicis, & de catholico fieri 23. diſt. in nomine Domini; & 79. di. per totum, & Innocentius de election. licet. & ſic in iſto facto neceſſario ſurgit, quod ſeipſos convincunt notorie, licet mendaciter, ſicut Amalecites ille, quem David damnavit ad mortem, dicens :* Os tuum locutum eſt contra te. *2. Reg. cap. 1.*

XXIV. Amore patriæ obcæcati fuere.

*Si vero dicant, quod tunc Papam eſſe credebant; unde hoc, quod ab eo ſic receſſerunt? certe a diabolo, qui eos ſibi ſimiles excæcavit, & inordinatus amor, quem ad eorum patriam habuerunt. Unde Hieronymus dicit ſuper Jeremiam :* Nativum quaſi, ut quiſque genitale diligat ſolum, & nil habeat dulcius patria. *Et in epiſtola ad Demetrium dicit :* Felix morte ſua, qui non vidit patriam corruentem; *timentes enim ſubiici regulæ diſciplinæ, & amittere pomposum faſtum, quem tenebant ſanctum virum ſufferre noluerunt, dicentes intra ſe :* Hic multa ſigna facit, contrarius eſt operibus noſtris : ſi ſic dimittimus eum, venient humiles, ſancti, & devoti, & deſtruent legem noſtram; & ex his inſultaverunt, dicentes; Hic non eſt Papa; ſed legis deſtructor. Hic non vult renuntiare. Hic non habet mores convenientes papatui; *putanteſque ex vexatione cogere ipſum ad cedendum, relicto eo fugerunt. Vide ergo ex iis clypeum laceratum in fruſta, quia aut ex falſa aſſertione, quam dicunt, dominum Urbanum Papam non fuiſſe, aut ex vera, qua dicerent ſicut ante eorum caſum ſponte dixerunt, ipſum verum Papam exiſtere, de idololatria convincuntur, & hæreſi.*

Cur ab Urb. defecerint.

XXV. *Quid ergo litigamus de veriſimili, quoniam ex ore tuo te convinco ſerve nequam, nec ex ſtatus altitudine minus facile præſumendus eſt error; ſed Hieronymus ait :* Excelſa periculoſius ſtant, & citius corruunt, quæ ſublimia ſunt. *Et ſuper Jonam dicit.* Potentes, nobiles, & divites, & eloquentes alias facile deviant a Deo; excæcatur enim mens eorum divitiis, opibus, atque luxuria; & circumducti vitiis non poſſunt videre virtutes. *Exempla etiam plura ponit Hieronymus in epiſtola 2. ad Ruſticum monachum, per quæ plus timendum eſt de caſu ſublimium in infernum, quam deſpectorum & derelictorum. Et ſi ſacram Scripturam volumus perſcrutari, nonne Lucifer cunctis creaturis perfectior cecidit cum tot millibus Angelorum, & reatum*

Cardd. lapſus cum luciferi lapſu comparatus.



*tum ſuum nondum recognovit? Nonne decem tribus Iſrael, relicto cultu unius veri Dei in idololatriam lapſæ ſunt?* ( Paucisque interjectis verbis : ) *Nonne populus Dei incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, fecitque vitulum in Oreb ſculptile? Nonne multi diſcipuli Domini dicentes :* Durus eſt hic ſermo; *diſceſſerunt ab eo, & ipſe cum ſolis duodecim remanſit, & poſtea loco perditorum alios ſubſtituit? Nonne ex illis duodecim unus diabolus erat, qui vendidit Chriſtum :* Et infra : *Nonne diſcipuli & monachi B. Benedicti, quem tanta veneratione in patrem ſuſceperant, in ipſius necem omnino unanimiter conſpiraverunt, ſuam ſanctitatem ſufferre non valentes? Nonne tempore Alexandri III. tres Cardinales fuerunt antipapæ ſucceſſive?* Et infra : *Nonne ſæpe alias Cardinales partes indebitas facientes ſchiſmata nutriverunt? Lege hiſtorias. Nonne contra Bonifacium VIII. Cardinales Franci a Rege Franciæ inducti ſimilem zizaniam conati ſunt ſeminare, propter quod emanavit c. 1. de renunc. lib. 6.? Nonne mortuo Innocentio VI. contra Urbanum V. quid facere ſimile conceperunt; ſed favorem principum ſæcularium non invenerunt, qui hodie, in præſenti ſcilicet ſchiſmate, ſponte extitit oblatus a Francorum Rege, etiam ſi opus eſſet, ut guerram cum Anglicis inimicis ſuis omnino dimitteret.*

Denonſtratur non eſſe incredibile labi potuiſſe.

Obtulit ſuum præſidium Gal. Rex pro conflando ſchiſmate

*Recordemini vos domini, qui ejuſdem domini literas inſpicere potuiſtis in urbe. Non immerito canon inquit 24. q. 3. Transferuntur, & fuerunt verba Hieronymi :* Veteres ſcrutans hiſtoricos invenire non poſſum ſcidiſſe Eccleſiam, & de domo Domini populos ſeduxiſſe, præter eos, qui ſacerdotes a Deo poſiti fuerunt, & prophetæ, & ſpeculatores : iſti ergo vertuntur in laqueum tortuoſum, in omnibus locis ponentes ſcandalum. *Recole ergo præterita, & præſentia non ſic incredibilia judicabis.*

*Beatus Auguſtinus dicit :* Cœpi ea credere poſſe fieri, dum ſimilia eſſe facta conſpexi; *& cogita, quod non minus ardebit, qui cum Cardinalibus ardebit, quia nec ipſi poteſtatem habent juvandi, & in die judicii rationem pro te reddendi, ſicut aliquis, ut audio, temerarie ſe obtulit. Nullus ſalvatur per alium, nec damnatur; immo unuſquiſque proprium portabit onus. Ex his ſub brevitate conſtare debet, Cardinales erraſſe, & in errore perſeverare non eſſe ſic incredibile, nec ratione generis, nec ratione culminis magni gradus; nemo enim in hac vita tanta eſt firmitate ſuffultus, quod de ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus, dicente Apoſtolo :* Qui ſtat videat ne cadat. At de his hactenus.

XXVI. Ludovici Regis Ungar. mors.

Hoc anno obiit (*a*) inſignis Eccleſiæ propugnator Ludovicus Hungariæ Rex, relicta filia Maria [1] majore natu ſceptri Hungarici herede ea lege, ut virum Sigiſmundum ad regni adminiſtrationem admitteret, quæ ob patris ſuavem memoriam, quæ alte in omnium Hungarorum pectore hæſerat, ſolemni ritu ſacra corona redimita non Regina, ſed Rex cognominata, atque in diplomatibus aſcripta eſt : Divulſa vero ab Hungaria Polonia fuit, cujus ſceptrum, repudiato Sigiſmundo poſt varia inteſtina bella Heduvigi alteri Ludovici filiæ aſſertum eſt, cui non Willelmus Auſtriæ dux antea deſponſus impuberi matrimonio junctus, ſed Jagello dux Lituaniæ a Polonis poſtea vir traditus, unde Lituania Chriſtiana fide colluſtrata una cum regno Polonico coaluit, de qua re poſtea ſuis locis agetur. Nunc Ludovici elogium ex Cromero (*b*) adjungemus : *Pietatis*, inquit, *atque religionis ita fuit obſervans, ut non in poſtremis duceret Judæos, & Cumanos falſorum deorum cultores ad Chriſtianam religionem adducere : quod in Cumanis quidem aſſequutus eſt, Judæis autem cum neque minis, neque præmiis propoſitis perſuadere poſſet, omnes proſcripſit. Plebis non minorem, quam nobilitatis curam geſſit : itaque nonnunquam diſſimulato habitu vicos & oppida perluſtravit, ut cognoſceret, quid de publicanis & exactoribus, judicibus, & magiſtratibus ſuis, ac de ſe denique vulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaque ex hujuſmodi ſermonibus in ſe, ſuiſque caſtigavit. Hic Rex rebelles Hungaris Bulgaros, Boſnenſes, Serbos, Croatas, Tranſal-*

(*a*) *Cromer. lib.* 13. *in fin. & lib.* 14. *Bonfin. de Ungar. reb. dec.* 2. *l.* 9. 10. *& alii.*

Ejus filiæ regnis ſuccedunt.

(*b*) *Super. lib.* 13.

Præcipua ejus geſta.



NOTÆ [1] LUdovicum Hungariæ itidem & Poloniæ Regem hoc anno obiiſſe certum eſt, cum anno iſto, octobris die XVII. quo pontificatus annum quartum agebat Clemens literas dederit ad Vladiſlaum Caſimiri Ducis Evynacenſis in Polonia filium, qui cum tertio neceſſitudinis gradu Caſimirum olim Poloniæ Regem, ſine liberis maribus defunctum, contigiſſet, ad Polonicum ſolium aſpirabat; petieratque ab eodem Pſeudo-Pontifice ut a monaſticæ profeſſionis vinculo quo ſe coactus obſtrinxerat apud Benedictinos monachos Divionenſes, abſolveretur. Facultatem illam liberaliter conceſſit Clemens, ſperans, ut in iiſdem literis exprimit, futurum ut ejus authoritate Polonicum Regnum, ad id uſque Urbano ſubjectum, ad obſequium ſuum revocaret. In iis vero literis Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis tamquam jam defuncti mentio inducitur. *Quod olim præfatus Ludovicus felicis recordationis &c.* Sed irritam ſpem Clementi ceſſiſſe ex iis quæ Annaliſta hic notat intelligimus. Quin & de die, & menſe obitus Ludovici certiores nos facit Sagacius de Gazata in Chronico Regienſi, deceſſiſſe Ludovicum Hungariæ Regem die II. Septembris anni hujus adnotans. MANSI

(a) Clem. VII. antip. vitæ ſcript. apud Boſq. Blond. & ex eo Æneas Sylvius in epitom.

*ſalpinoſque ad officium reduxit, Valachiam cum Bogdano Palatino in clientelam accepit, Dalmatiam Venetis eripuit.* Cæterum non deſunt, qui Ludovici Regis mortem ad poſteriora tempora reiiciunt, e quibus Clementis antipapæ vitæ ſcriptor ad annum hujus ſæculi octuageſimum quintum illam referre videtur (a).

XXVII.

(b) Michov. l.4. c.35. & Cromer. l.13.

Cracovienſis epiſcopi miſera mors.

Conſignant hoc anno Poloni hiſtorici miſeram Zaviſſæ epiſcopi Cracovienſis mortem, de qua hæc Cromerus (b): MCCCLXXXII. *pridie id. januarii Zaviſſa epiſcopus Cracovienſis in prædio ſuo Dobrovoda, ſeu repentino, & vehementi morbo, ſeu de ſcala lapſus, cum acervum forte ad conſtuprandum ruſticanam puellam aſcenderet [variat enim fama] extinctus eſt: cujus funus cum pompa militari a Dobeslao patre, & Creſlao fratre Caſtellano Sendomirienſi elatum eſſet, ferunt noctu in baſilica Cracovienſi, ubi ſepultus eſt, exauditos eſſe ſtrepitus & hinnitus equorum diſcurſantium, dæmonumque voces vociferantium. Proficiſcamur meretricatum. Et mirum eſt, ſed multorum ſermonibus celebratum, hoc ita fere uſuvenire in hac baſilica non modo poſt funera nonnullorum clarorum hominum, ut aliqua terriculamenta exiſtant, verum etiam principum, epiſcoporum, atque etiam prælatorum, ut ita dicam, & canonicorum propinquæ mortes ſignis quibuſdam prænuntientur.* Addit idem auctor, illum, licet collegium quoddam ſacerdotum Cracoviæ inſtituiſſet, voluptatibus tamen deditum fuiſſe.

Inſultant illi dæmones.

XXVIII.

(c) Chron. Langr. Thuring. Chron. Krantz. lib.10. Metrop. c.23. & alii.

(d) Lang. in Chron. Citizen. Serar. Meyg. rer. lib.5. & Meyer. in hiſt. Fland.

(e) Krantzius ubi ſup.

Eodem anno Ludovicus archiepiſcopus Magdeburgenſis, ut tradit chronicon Thuringicum (c), vel ſuperiori, ut Paulus Langius (d) conſignat, funeſta morte occubuit, cum nobilitatis avitæ ac divitiarum faſtu turgidus, officii, & Apoſtoli epiſcoporum mores compoſitos ad honeſtatem præcipientis oblitus, in bacchanalibus jocis laſciviret, quem Krantzius (e) tam opulentorum epiſcopatuum avidum quam animæ ſalutis immemorem fuiſſe obſervat: *Per multas*, inquit, *eccleſias ambulabat, quærens requiem, & non invenit: comes erat provincialis Thuringiæ, Marchio Miſnenſis, idem qui ante multos annos erat epiſcopus Harbeſtadenſis, quam dimittens ambivit Moguntinam magno bello, cui ſe immiſcuit Carolus Imperator; ſed eam non eſt aſſequutus, ad Bambergenſem autem pervenit: ſed cum memorato Petro*, ſcilicet Bohemo, *Magdeburgenſi tractans, uſque eo rem perduxit per amicos, ut voluntate ſummi Pontificis ei permitteret eccleſiam Magdeburgenſem, in qua bene inchoavit; nam raptores inſectatus eſt cum Magdeburgenſibus, quibuſcumque locis inerant: comites de Vernigrode ſuperavit, quædam eorum prædia ſubvertit, bonamque de ſe ſpem præbuit futuræ tranquillitatis. Jam vergebat in ſenium, & tamen juvenum levitates, choreas & carmina more ſuæ gentis non omiſit: plus in eo valebat patrius mos, quam Chriſti religio: ad dies ſolutos carnis privii vacabat; ex miniſterialibus cum puellis, & dominabus in Calven, ut more gentis reſoluti carminibus, choreis, vanitatibus cæteris lætos cum illo dies agerent, venerant frequentes, archiepiſcopus in primis choreis inerat, feminarum nulli cedens circulationibus, ſtridoribus leviſſimis, & clamoribus.*

Magdeburg. archiep. ambitioſa vita.

Et laſciva.

*Die lunæ ad horam veſperam, cum mediis in vanitatibus verſarentur, apparuit ignis in camera facile ſi quis anniteretur reſtinguendus: ſed nemo occurrit. Interpretatum eſt, immiſiſſe Dominum cunctis timorem, ut fugerent. Igitur ad gradus feſtinabant cum clamore univerſi, archiepiſcopus vix chorea patitur abire, ut compeſceret populum; ſed immixtus turbæ, nec procedere, nec retrocedere quibat. Venere in gradum tanta preſſura, ut mole ſua neceſſe eſſet dare ruinam. Igitur concidit gradus lapideus, cui imminebant, ruebant una pluſquam trecenti homines utriuſque ſexus: ex omnibus læſus eſt nemo præter archiepiſcopum, & tres alios. Ille delatus in domum poſtera die ſpiritum efflavit: ad locum deinde cremationis adſpexere tam puſillum erat incendium, ut puer reſtinxiſſet. Hunc invenit exitum per multas eccleſias tranſiens Ludovicus, utinam bona pœnitudine excedens.* His conſentientia narrat Paulus Langius (f), additque Ludovicum parum animadvertiſſe illud dictum terribile B. Gregorii, quo dicitur, *prælatos tot mortibus eſſe dignos, quot exempla perditionis in poſteris relinquunt*; atque impletam eſſe in eodem vulgatam B. Auguſtini ſententiam: *Quanto ſtatus altior, tanto & caſus gravior; nam & celſæ graviore caſu decidunt turres*, & *ita converſa eſt cythara in luctum, & vox lætantium in lamentum: & mundus ille fallax, qui his ſuis amatoribus proſpera, & læta pollicebatur per tempora longa, illis ſubitaneam, & improviſam cladem calamitoſam propinavit, & mortem.*

Divinitus ignis immiſſus.

Triſtis ejus exitus.

(f) Paul. Lang. in chron. Citizen.

XXIX. Joannes Vviclef. tentat politicos argutiis corrumpere.

In Anglia hoc anno Joannes Wicleffus ſectatorum ſuorum multitudine inſoleſcens, non contentus errorum venenis ſimplices imbuere, etiam proceres inficere pertentavit, captataque luctuoſiſſimi ſchiſmatis occaſione, ut Anglos non ab Urbani modo, ſed quorumvis Pontificum & antiſtitum obſequio divelleret, & quem per concitatam ruſticanæ plebis multitudinem perdere non potuerat eccleſiaſticum ordinem, Regis procerumque armis opprimeret, propoſitiones fraudulentas inanibus publici boni fucis oblitas ad Londinenſes conventus tranſmiſit, ut plures hoc aureo hamo caperet, de quo hæc Walſinghamus (g).

(g) Vvalſin. in Rich. II.

*Erat prima iſta propoſitio, quod Rex aut regnum nulli ſedi vel prælato obediat, niſi de quanto ex fide Scripturæ ſonat in obedientiam Jeſu Chriſti patet, quia aliter præponetur Chriſto in obedientia antichriſtus, omnis enim obedientia, quæ non fit Chriſto, fit antichriſto, quia Lucæ 2. Qui non eſt mecum, &c.* Hortabatur iis verbis fallacibus hæreſiarcha conventuum Londinenſium proceres, ut ſe Pontificis antiſtitumque obſequio ſubducerent, fingebatque, Pontificum & præſulum authoritatem non a Chriſto, ſed a Cæſare Conſtantino conſtitutam, cujus impudentiſſima mendacia, refert confutatque Thomas Waldenſis.



1. Vvicleffi propoſitio inſuſurrat ut Pontificis & epiſcoporum jugum excutiatur.

(a) Vald. (b) Vvidef. in confutatione 18. artic. Vviclef.

Politicum ordinem infringere conatus eſt.

Nec modo hierarchiam eccleſiaſticam, ut egregie (a) Widefordo (b) animadverſum eſt, verum etiam politicum ſtatum convellebat Wicleffus. Si enim nulli Pontifici, neque epiſcopo parendum ſit, niſi ex Scriptura ſacra, illum Pontificem eſſe, vel epiſcopum demonſtretur, ita nec Regi, nec magiſtratui obſequendum foret. Statuerat etiam Wicleffus hoc dogma, quo fœdiſſimas hæreſes olim damnatas inſtauraret, novaſque conflaret reſpuenda omnia, quæ in ſacra ſcriptura explicite non continentur, atque hóc uno faſcino maxime devinctos fuiſſe Wicleffiſtas, luget Widefordus viroſque pios monet Thomas Waldenſis, ne blande eo laqueo ſe præfocari patiantur, cum plurimæ hæreſes ex traditionum contemptu emanarint: quod etiam Baronius in primo annalium tomo oſtendit.

XXX. 2. Ejus propoſitio.

(c) Valſin. in Rich. II.

Secunda Wicleffi propoſitio ad Londinenſem conventum miſſa privati commodi illecebra Anglos titillabat (c), ne annatæ vel ſtipendia pro diplomatibus pontificiis penderentur: *niſi*, inquit, *hoc doceatur debitum ex Scriptura*. At ſi quid hæc argutia concludat pro ſeditioſis, etiam concluderet nec Richardo Regi, neque ulli principi, vel magiſtratui pendendum vectigal, niſi ex Scriptura illud debitum doceatur.

3. Propoſitio.

Præſules proceribus voluit ſubiici.

Tertia propoſitio quamvis initio juſtitiæ fucum prætenderet, in ſummam tamen impietatem deſinebat, dum obſcuris verbis præſules & ſacerdotes non Pontifici, ſed proceribus ſubdendos, atque ab iis authorari volebat.

4. Propoſitio.

Tractavit Eccleſiam erroribus merſam, & a ſe inferri lucem.

Quarta propoſitio hæc erat: *Quod Rex & regnum tenentur deſtruere regni proditores, & ſuos a ferocibus inimicis defendere.* Jugulabat ita ſe & ſuos ſectatores Wicleffus, ſed ſcelerum ſuorum invidiam in ordinem eccleſiaſticum derivabat; hos ſcilicet regni proditores & feroces inimicos appellabat, quod ipſius hæreſes damnarent, eaque impudentia jactabat cum ſuis univerſam eccleſiam altiſſima merſam errorum caligine: ſe vero & ſocios cæleſti luce colluſtratos, quorum deliramenta, ita confutat Thomas Waldenſis (d). *O Vvitcleffiſtæ miſeri cum vetuſto Donato ſicut jam ſcripſit Auguſtinus, numquid in tantum vos præcipitat humana ſuperbia, ut fidem Chriſti poſt tot annos a patre Vvicleff putetis incipiendam, & non ab eccleſiis, quas Apoſtoli plantaverunt maxime a Romana, pro cujus antiſtite rogavit Chriſtus (e) ut non deficeret fides ejus? Si autem contumaces permanſeritis producite teſtes, aut libros, qui vobiſcum teſtentur, & damnent patres tot ſæculorum, qui omnes contra illum ſcriptis teſtantur, & factis, &c.*

(d) Vald. to.3. doctr. 10. Refellitur.

(e) Luc. 22.

5. Vvicleffi propoſitio.

(f) Valſing. in Rich. II.

Regem populumque ad rapinas eccleſ. concitat.

Quinta (f) propoſitione Wicleffus Regi populoque abblandiens, eos ad rapienda bona eccleſiaſticorum concitabat, ſic inquiens: *Quod regni communitas non oneretur tallagiis inſuetis, antequam totum patrimonium, quo clerus dotatur, deficiat; patet quia omnia iſta ſunt bona pauperum charitative exponenda ad eorum egentiam, vivente clero in perfectione primariæ paupertatis.* Vocabat eccleſiaſticos ipſos, qui poſſeſſiones & cenſus obtinerent, cæſareos, ſcommatis cauſa, quod a Conſtantino Cæſare locupletati eſſent: Sed potiori jure Wicleffiſtas ex Juliano apoſtata Cæſare, qui perfectionis Chriſtianæ aſſerendæ ſpecie Chriſtianos expilabat, cæſareos vocandos, retorquet Thomas Waldenſis (g).

(g) Vald. to.3. doctr.7.

6. Ejus propoſitio.

(h) Id. to. 1. l.4. ar. 3. c.40.

Vicleffi artes pro Rege & politicis ſubornandis.

Sexta propoſitione Wicleffus, ut Julianum apoſtatam improbitate vinceret, non ſolum perfectionis clero comparandæ pro ereptis opibus ſpeciem obtendebat, ſed larvam quoque juſtitiæ oſtentabat (h) Regi, qua latrocinia cum laude in eccleſiaſticum ordinem exerceret: *Quod*, inquit, *quocumque epiſcopo, vel curato dotato de Anglia in contemptum Dei notorie incidente, nedum liceat Regi, ſed teneatur ſua temporalia confiſcare. Patet quia aliter regnum poſtponeret.* Idem in libellis ſuis peſtiferis varios fucos ad rapinarum eccleſiaſticarum ſcelus colorandum, tum modos quibus eccleſiaſtici poſſent bonis ſine ſtrepitu armorum exui deſignabat, ut narrat Thomas Waldenſis, ut nimirum divini conſenſus pro retinendis iis bonis argumenta proferrent; ſed juxta hæc principia & a Regibus ſceptra, & a magiſtratibus inſignia poteſtatis, & a ſingulis poſſeſſoribus prædia & domos & opes eriperent Witcleffiſtæ, cum non conſtet de divini Numinis conſenſu. Ita ad ſeditiones compoſita ſunt hæreſiarchæ dogmata, quæ principes, eccleſiaſticarum opum cupidine objecta, permulſerunt.

Exigit amens ut Dei conſenſus expreſſe oſtendatur.

7. Ejus propoſ.

(i) Sup. c.40.

Vult ſubmoveri eccleſiaſticos a regia procuratione.

Septima Wicleffi propoſitio (i): *Quod Rex nullum epiſcopum, vel curatum mancipet ſuo miniſterio ſæculari; patet tam Rex, quam clerus foret proditor Jeſu Chriſti.* Urebat hæreſiarcham gravis dolor, præſules in Anglicana curia auctoritate florere, atque regii ſcrinii præfectura ornari ſan-

ſanctioribuſque conſiliis adhiberi ſolitos, ut non ita facile regiam Anglicam ſuis dolis irretire poſſet.

8. Ejus propoſitio.

Et neminem puniri propter contemptum anathema.

Octava propoſitione anathematis eccleſiaſtici vim elidi, poſſeque impune contemni volebat, ut hæreſim latius poſſet diffundere : *Quod Rex*, inquit, *nullum propter moram in excommunicatione incarceret, antequam ſecundum legem Dei mora iſta ſit docta eſſe illicita.* Suos Wicleffiſtas percelli anathemate dolebat hæreſiarcha, atque ideo improvidum illud anathema eſſe effutiebat : cumque a Romano Pontifice damnatas ſuas hæreſes infremeret, ſophiſmata mox excudebat, ut damnandarum hæreſeon auctoritatem illi detraheret. Impegit (*a*) itaque illi pravitatem morum, ex qua Fraticellorum exemplo ſublatum, convulſumque penitus pontificale officium, juſque damnandarum hæreſum arguebat.

(*a*) *Id. ar. 3. c. 46.*

XXXI. Repudiatæ ejus propoſitiones.

Non admiſſæ ſunt in Londinenſi conventu Wicleffi propoſitiones, quas ut ipſe ajebat, ad tutelam Anglici regni, re autem vera ad ejus excidium mandari operi a proceribus expetebat : immo Richardum Regem illum judiciaria ſeveritate coerceri juſſiſſe, inferius viſuri ſumus : quamquam aliquot poſt annis ex mellita Wicleffiſtarum perſuaſione conferendorum in Anglia ſacerdotiorum jus pontificium ſibi temere arrogarit, quod monitus abjecit. Cum vero veſanis iis legibus laicos in clerum concitare tunc non potuiſſet, a cœpto flagitio non deſtitit; ſed alia mox nefanda dogmata ſparſit, ut refert Thomas Walſinghamus, *Ut*, inquit, *periculoſius traheret auditores ſuos, ſcripſit eo tempore, & publicavit vanas concluſiones ab omni Eccleſia anathemizandas, & ſunt iſtæ. Subſtantia panis manet poſt conſecrationem, & ſubſtantia panis poſt conſecrationem eſt corpus Chriſti. Deus de potentia ſua abſoluta non poteſt facere quod in ſacramento altaris eſſent accidentia ſine ſubjecto. Deus debet obedire diabolo. Papa plus tenetur Imperatori, quam e converſo. Omnes monachi de ordine S. Benedicti nolentes labore manuum victum adquirere non ſolum ſunt apoſtatæ ab ordine S. Benedicti, ſed* (*quod verius eſt*) *a diſcipulatu Chriſti. Nullus eſt dominus ſimul, nullus epiſcopus, nullus eſt prælatus dum eſt in peccato mortali. Si ordines fratrum eſſent certi, & in Chriſto fundati, non quærerent confirmationem a Papa. Ubi leges humanæ non fundantur in Scriptura ſacra, ſubditi non tenentur obedire.* Has delirationes execrabiles poſuit Joannes ea vice.

XXXII.

(*b*) *Valſin in Rich. II.*

Ut plures ſpecie ſanctitatis irretiret Wicleffus, finxit (*b*) ſe immenſo odio ſcortationes inſectari, armavitque audacia populum, ut in præſules & parochos veluti inertes, ſuique oblitos muneris, qui ſcortis peccandi licentiam laxarent, conſurgeret, exclamaretque, omnia mala in populum propter ſacerdotum non tollentium ſcorta incuriam avaritiamque redundare. Itaque Londini atque in pluribus aliis urbibus incitati a Wicleffiſtis, qui exinde creabant præſulibus odia, populi ſcorta ſæviſſime ſunt inſectati; deprehenſoſque in ſcelere per urbem veluti latrones reciſa cæſarie circumductos opprobriis compleverunt, ut narrat Thomas Walſinghamus. Cumque pietatis ſpecie deluſa plebs epiſcopalia jura labefactaret, eo etiam temeritatis prorupit, ut hæreſeos Wicleffianæ præcipuum propagatorem ab eccleſiaſtico tribunali raperet, & quem damnabat archiepiſcopus, abſolveret; de quo inferius. Conflabat quoque Wicleffus alios dolos ad populum contra præſules concitandum : ſchiſmaticorum enim Cardinalium exemplo, qui ab Urbano deficientes finxerant ſub ejus pontificatu ſacramenta fere deficere, ut apoſtaſiæ turpitudinem colorarent, ſuperaddidit deludi populum, in ſacramentorum adminiſtratione; etenim ſacramenta non poſſe confici a ſacerdotibus, qui peccato lethali conſtricti eſſent : tum catholicis omnibus eam maculam inurebat, quantumvis ſanctiſſimis, quod opes ab iis inique poſſideri effutiret. At ſacramentorum vim non ex ſacerdotum ſanctitate, ſed Chriſti inſtituto & potentia pendere jam olim contra Donatiſtas a S. Auguſtino demonſtratum eſt (*c*).

Fingit ſacramenta non poſſe adminiſtrari a ſacerdote peccatore.

(*c*) *Auguſt. to. 8. l. 27. c. 1. & ex eo Thom. Vvald. to. 3. tit. 1. c. 8.*

XXXIII. Willelmus hæreſiarcha.

Idem impoſtor Wicleffus qua temeritate novum pſeudoevangelium condiderat, eadem impietate pſeudoapoſtolos ad illud promulgandum inſtituit, ac ſibi contra Apoſtoli decreta mittendi concionatores ad eccleſias Anglicanas jus auctoritatemque ſibi arrogavit. Eminebat inter eos flagitio Willelmus pſeudoeremita, qui multas hæreſes ad mulcendas populi inſanientis aures compoſitas in Leceſtriana eccleſia hoc anno die palmarum plaudente plebe effudit, quas recenſet Thomas Walſinghamus (*d*).

(*d*) *Valſin. in Rich. II.*

XXXIV.

Nec plebem modo nefandus hypocrita corrupit, verum etiam in ſanctimonialium clauſtra religioſo cultu ornatus irrepſit, infecitque hæreſi, loquens ut draco, cum agnus videretur; damnabatque religioſum inſtitutum, cum illud præferret, ac falſus eremita moniales abduxit e monaſterio. Cujus tantæ animarum ſtragis collapſæque apud Leceſtrianos religionis factus certior Willelmus archiepiſcopus Cantuarienſis, ad reſtituendam fidem orthodoxam Leceſtriam poſt celebratam Londini ſynodum, de qua inferius, ſe contulit, cumque plebem docere cœpiſſet, atque hæreticos, ut impietatem damnarent, ad tribunal eccleſiaſticum accerſiviſſet, non comparentes ſolemni ritu perculit anathemate : ac tum Leyceſtriani religione moti priorem errorem damnavere, ac pœnitentiam publicam, ut Eccleſiæ gratiam & piorum conſortium recuperarent, ritu veteri egere; ut recenſet Nicolaus Harpsfeldius (*a*) in Wicleffiana hiſtoria. *Hæc*, inquit, *pœnitentia injuncta eſt, Leceſtriæ tam in ſupplicatione publica, quam in foro publico, cum mercatus exerceretur ſola camiſia tecti in publicum procederent, altera manu ardentem cereum, altera imaginem Chriſti crucifixi* (*quam prius, illiuſque honorem deteſtabantur*) *geſtantes, terque ſe in genua demittentes, eam religioſe ad diſtincta tempora oſcularentur.*

Leceſtriani cives ad damnandam hæreſim adacti.



(*a*) *Harpsfeld. hiſt. Vvicleſ. c. 16.*

XXXV. Eccleſiaſticus cantus improbatus a Vvicleffiſtis.

*Ex dogmatibus* (*quæ Vvicleffianis communia erant*) *quæ Leceſtriani illi ſectabantur, fuit & iſtud; non licere miſſas, aut horas matutinas, ſive veſpertinas ſonare, & alta voce in eccleſia, & templis recitare.* Ad quod probandum falſum hoc dogma utebatur ille cum magiſtro ſuo Wicleffo ea argutia, quod per fundendas ſtatis horis precationes, libertati detraheretur : in quo ipſos æmulatos Mahometem, qui libertatis lenocinio ſubornavit orientales, queritur Waldenſis (*b*) : *Sub titulo*, inquit, *hujus falſiſſimæ libertatis pene diſſolvit totam Eccleſiam, leges tollit, baptiſmum ſenſibilem, confirmationem, unctionem, pœnitentiam exteriorem non neceſſariam prædicat, recuſare volenti laxat conjugia, uſque ad fornicationem, quæ nec auditur inter gentes, cuncta dimittit incerta, quæ pſalmiſta ſanctus rogat in chamo & fræno conſtringi.* Et infra : *Juxta Apoſtolum ad Rom.* VI. *In hoc nomine libertatis ſui temporis homines erraverunt, libertatem appellantes, quo libeat facere ſine conſcientia delicti, vel ultione legitima : quapropter libertatem diſtinguens dicit, aliam eſſe libertatem a Deo & aliam libertatem, a peccato cum* [*inquiens*] *ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Et paulo cito ſubdit : *Nonne liberati a peccato ſervi facti eſtis Deo?* Hoc libertatis hamo capiebant Wicleffiſtæ quoſque, qui a piorum operum ſtudio abhorrebant, tamque late malum graſſabatur, ut publice in ſacris templis Oxonii promulgaretur hæreſis, & religioſa vita veluti imperfecta, quod libertatem ſuis ſacris ritibus contraheret, damnaretur, ut narrat Walſinghamus (*c*). Delapſi ſenſim ſunt Wicleffiſtæ ad libertatem ſcortorum prætento conjugii nomine (*d*), damnaruntque ſacerdotes cælibatus legibus aſtringi, jamque tædere cœpit Wicleffum ſimulatæ auſterioris vitæ, docuitque ſacerdotes præclare acturos, ſi qui ſe continere non poſſent, abjecto ſacerdotio, ac deſertis altaribus, ad conjugalem torum tranſilirent, cujus doctrinam aliqui ſacerdotes apoſtatæ prætexentes continendi impotentiam, ſunt amplexi.

(*b*) *Vvald. to. 3. l. 3. de hor. canon. c. 21.*

Libertatis ſpecie ſacra convulſa a Vvicleffo.

Religioſa vita ut imperfecta traducta ab hæreticis.

(*c*) *Vvalſingh. in Richard. II.*

Vvicleffiana impudicitia.

(*d*) *Thom. Vvalden. to. 3. ti. 7. ex l. ſacramental. c. 66.*

XXXVI.

Dum his corruptelis plures Wicleffiana hæreſis inficeret, ſerperetque per Angliam, Willelmus Courtenejus archiepiſcopus Cantuarienſis, & divino tuendæ fidei ardore accenſus, furenti hæreſi habenas contrahere ac, ſi res poſceret ſanguinem effundere decrevit. Præſules itaque, ac doctores Anglos ad ſynodum vocavit, erroreſque ſparſos ab hæreticis damnavit, ut ſimplices, qui veluti ſacra axiomata eos hauſerant, ab exitio revocaret, cujus acta accurate commemorat Thomas Walſinghamus (*e*).

Synodus Londini celebratur.

(*e*) *Valſin. in Rich. II.*

Damnatæ in ea hæreſes.

*Diſpoſuit*, inquit, *adhibitis quibuſdam coepiſcopis, qui poſt Baalim non abierunt, & pluribus ſacræ paginæ profeſſoribus, diverſitates lepræ diſcutere, quibus reſperſæ erant oves erraticæ; & diligenter inſpectis opinionibus infirmis diſcernere inter lepram & lepram. Igitur efferuntur in medium tantæ fœditatis ulcera paſtoris palpanda manibus, ejuſque miniſterio anathematis ignibus conſumenda, quæ ſeorſum ſingillatim ponemus prout damnari meruerunt. 1. Quod ſubſtantia panis materialis & vini maneat poſt conſecrationem in ſacroſancto altaris. 2. Quod accidentia non maneant ſine ſubjecto poſt conſecrationem in eodem ſacroſancto. 3. Quod Chriſtus non ſit in ſacroſancto altaris identice, vere, & realiter in propria præſentia corporali. 4. Quod ſi epiſcopus vel ſacerdos fuerint in peccato mortali non ordinat, nec conficit, nec baptizat. 5. Quod ſi homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, vel inutilis eſt. 6. Pertinaciter aſſerere non eſſe fundatum in evangelio, quod Chriſtus miſſam ordinaverit. 7. Quod Deus debet obedire diabolo. 8. Quod ſi Papa ſit præſtigiator & malus homo, ac per conſequens membrum diaboli non habet poteſtatem ſupra fideles Chriſti ab aliquo ſibi datam, niſi forte a Cæſare. 9. Quod poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis. 10. Aſſerere, quod eſt contra ſacram Scripturam, quod viri eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones temporales.*

Aliæ propoſitiones impiæ.

*Notatis gravioribus culpis dominus archiepiſcopus conſequenter deſcendit ad minores, ut evellat, & deſtruat, diſſipet, & diſperdat, quæ filius perditionis ſeminaverat omnia ſcandala in regno Dei, quæ partim hic inferius annotantur. 1. Quod nullus prælatus debet aliquem excommunicare niſi prius ſciat, ipſum excommunicatum a Deo. 2. Quod ſic excommunicans ex hoc ſit hæreticus, vel excommunicatus. 3. Quod prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem & conſilium regni, eo ipſo traditor eſt Dei & Regis & regni. 4. Qui dimittunt prædicare, ſeu audire verbum Dei, vel evangelium prædictum propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Dei habebuntur. 5. Quod licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei abſque*

Subdolum hæreſiarchæ conſilium.

*que auctoritate ſedis Apoſtolicæ, vel epiſcopi catholici ſeu alia, de qua ſufficienter conſtat. 6. Quod domini temporales poſſunt ad arbitrium eorum auferre bona temporalia ab eccleſiaſticis habitualiter delinquentibus, vel quod populares poſſunt ad arbitrium eorum dominos delinquentes corrigere. 7. Quod decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & quod parochiani poſſunt propter peccata ſuorum curatorum eas detinere, & ad libitum aliis conferre. 8. Quod ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ per prælatos vel religioſos non plus poſſint, & eidem perſonæ, quam generales orationes eidem cæteris paribus. 9. Eo ipſo, quod aliquis ingreditur religionem privatam quamcumque, redditur ineptior & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei. 10. Quod Sancti inſtituentes religiones quaſcumque privatas tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, in ſic inſtituendo peccaverunt. 11. Quod religoſi viventes in religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana. 12. Quod fratres teneantur per laborem manuum, & non per mendicationem victum ſuum acquirere: error damnatus ab Alexandro Papa IV.*

XXXVII

Damnatarum ſuperiorum hæreſum tempus conſignat his verbis Henricus Knygtonius (a): *Hæreſes ſupradictæ, & errores, quæ aſcribuntur magiſtro Joanni Vuiclyf damnatæ in domo fratrum Prædicatorum Londoniis feria quarta ante feſtum pentecoſtes a decem epiſcopis, & ſeptemdecim doctoribus in theologia & ſexdecim doctoribus juris, & pluribus aliis bacchalariis tam theologiæ, quam etiam juris, & in præcedenti patent.* Tradit idem author habitam fuiſſe ſolemnem ſupplicationem compoſito religioſo agmine, ac virum nobilem Wicleffiſtam inſigni prodigio in ſacra victima nomen Jeſu cruentis literis exaratum conſpexiſſe, ac publice hæreſim damnaſſe. *Feria*, inquit, *ſexta in hebdomada Pentecoſtes proxima ſequenti facta fuit proceſſio generalis per civitatem Londonienſem, & omnes tam clerus, quam cæteri laici, cujuſcumque gradus eſſent, nudis pedibus incedebant pro ſtatu Eccleſiæ, & præſens fuit epiſcopus Londonienſis cum pluribus aliis præſulibus: & poſt proceſſionem prædicavit unus frater & doctor in theologia de ordine Carmelitarum, qui vocabatur Knygam, in qua prædicatione ex præcepto & commiſſione archiepiſcopi Cantuarienſis, ibi oſtenſa pronunciavit publice omni populo, concluſiones illas falſas fore & damnatas quaſdam ut hæreſes, & quaſdam ut errores, & ex eo præoſtenſa commiſſione denunciavit, omnes illos excommunicatos, qui eas in poſterum docent, tenent, ac prædicant, vel favent & eis adhærent, & omnes audientes in poſterum illas prædicatas, vel doctas.*

(a) Henr. Knygton. de event. Angl.

Supplicationis ſolemnis pompa nudis pedibus agitata.

*In iſto ſermone præſens fuit unus venerabilis miles nomine Cornelius Cloune, qui iſtis concluſionibus, & eas tenentibus, ac docentibus maximus fautor fuerat, nec voluit pro quocumque aliter credere de Sacramento altaris, niſi quod ibi eſſet verus panis materialis ſecundum opinionem Vuicleffi: craſtino, ſcilicet in vigilia ſanctiſſimæ Trinitatis iſte miles ivit ad conventum fratrum Prædicatorum in civitate Londinienſi pro miſſa audienda, & accidit quod audivit miſſam unius ſtudentis de conventu illo, & in elevatione Corporis Chriſti nihil vidit, niſi ſicut prius videre ſolebat, ita quod firmiter credidit, quod ibi fuerit verus panis materialis. In fractione vero hoſtiæ miles reſpexit, & vidit oculo ſuo corporali in manus fratris celebrantis veram carnem crudam & ſanguinolentam diviſam in tres partes: admirans vero, & ſtupefactus vocavit armigerum ſuum, ut ipſe videret: qui tamen nihil vidit niſi ſicut prius ſolebat. Miles vero in tertia particula ſimiliter, quæ in calicem mitti debuit, vidit eundem colorem albedinis, quæ prius erat; ſed tamen vidit in medio ejuſdem particulæ hoc nomen: Jeſus; ſcriptum literis carneis crudis & ſanguineis, quod admirabile erat aſpectu. Et in craſtino in feſto ſanctæ Trinitatis idem frater prædicans in cruce S. Pauli pronuntiavit iſtud toti populo: & in fine ſermonis idem miles ibidem præſens narravit oretenus totum proceſſum publice & aperte ad confirmationem fidei noſtræ, & promiſit ſe ibi pugnaturum in cauſa iſta, quod in Sacramento altaris eſt verum Corpus Chriſti, & non panis materialis ſolum; ut ipſemet prius credidit.* Illuſtrata eſt pluribus aliis cœleſtibus prodigiis præſentia Chriſti in Euchariſtia. Sed ad Willelmi Cantuarienſis archiepiſcopi geſta (b) adverſus hæreticos redeamus. Encyclicæ tum ab eo literæ ad Angliæ præſules miſſæ ſunt, ut Wicleffiſtas percellerent anathemate, atque judiciariam ſeveritatem in eos exercerent; hac temporis nota ſunt conſignatæ: *Datum in manerio noſtro de Ottoforde penultimo die menſis maii anno Domini MCCCLXXII. & noſtræ conſecrationis primo.*

Vuicleffiſta in Euchariſtia veram carnem videt & convertitur.

(b) Ext. apud eund.

Poſtulatus tunc judicio eſt hæreſiarcha Wicleffus Urbani imperio, adductuſque coram Willelmo Cantuarienſi archiepiſcopo, licet ſæpius antea profeſſus eſſet mortem ſe pro tuenda ſua doctrina oppetiturum, deſertus a duce Lancaſtriæ metu juſti ſupplicii perterritus hæreſim damnavit (c). Porro non tulere recentiores hæretici, ut execratæ a Vuicleffo hæreſeos formula pateret, atque ideo in ejus locum ipſiuſmet hæreſis profeſſionem ſubdolis Anglicis verbis conceptam ſuppoſuere. Addit Nicolaus Harpsfeldius (d) ex regeſtis ejuſdem archiepiſcopi inſtaurata edicta fuiſſe, ne quis ſine accepta a præſulibus poteſtate conciones haberet ad populum, tum Nicolaum Herefordium, Philippum Repingodon, & Joannem Aſthon, quos

XXXVIII. Poſtulatus judicio Vuicl.

(c) Id. Ib.

Hæreſim damnat.

(d) Harpſf. in hiſt. Vuicleff. c. 5.

Hen-



Henricus Knygtonius hæreſis ſigniferos vocat, vocatos in judicium in ſynodo Londinenſi ad interrogata nitide reſpondiſſe: immo Joannem Aſthonum contumelioſis verbis in archiepiſcopum magna laterum contentione, ut plebem circumfuſam concitaret in ſeditionem, invectum: perſpecta hominis nequiſſimi aſtutia, archiepiſcopus illum, ſecluſa populari multitudine, in judicium excivit; ſed Londinenſis plebs a Vuicleffiſtis hypocritis ſubornata, quæ de mota perſecutione in ſcorta & ſcortatores triumphales applauſus iis impulſoribus captaverat, etiam in archiepiſcopi tribunal theologorum corona cinctum irrupit, ut hæreſeos Vuicleffiſticæ reum & præconem liberaret, ut narrat Thomas Vualſinghamus (a). Cumque ita plebs a Vuicleffo, ejuſque ſectatoribus illuſa patrocinium hæreſeos contra Cantuarienſem archiepiſcopum & præſules ac doctores ſuſcepiſſet, implorarunt illi Richardi Regis Angliæ opem, quem cum ſe & regnum in diſcrimen adduci ab hæreticis recoleret, regio muneri non defuiſſe, & Vuicleffum comprehendi juſſiſſe memorat Harpsfeldius (b) in hiſtoria Vuicleffiana ex regeſtis archiepiſcoporum Cantuarienſium.

Plebs Wicleff. favet.

(a) Valſin. in Rich. II.

Præſules regiam opem implorant.

(b) Harpſf. in hiſt. Vuicleff. c. 5.

Superioris porro Londinenſis concilii meminit Vuindefordus, interque alias damnatas hæreſes addidit hos fuiſſe articulos (c): *Quod manet panis ſubſtantia poſt conſecrationem in altari, & non deſivit eſſe panis, & quod Deus non poteſt annihilare creaturas.* Tum idem Windefordus (d) indicat, Apoſtolicam ſedem Londinenſis concilii contra Wicleffum acta confirmaſſe, quin etiam Pariſienſis academiæ doctores Wicleffiſticas impietates ſuo decreto execratos (e). Deſtitutus vero Wicleffus Leceſtriæ ducis clientela, & a Richardo Rege, atque epiſcopis ad ſupplicium quæſitus, latebras petiit; quem triennio poſt in divinas manus incidiſſe, cum humanas effugiſſet, viſuri ſumus: ejus vero ſocii præcipui, doctores Oxonienſis academiæ regio imperio comprehenſi fuere de quibus inferius [1].

(c) Vuindef. in art. Vuicl.

(d) In ar. 17.

(e) Idem contra ar. 1. Vuicl.

Petitæ a Vuicleff. latebræ.

Dum celebrabatur ea ſynodus Londini ab Anglis præſulibus, in qua Wicleffi hæreſes damnatæ ſunt, concuſſa (f) eſt Anglia terræ motu XII. Kal. junii hora nona, ac IX. Kal. ejuſdem menſis iterum ante ſolis ortum terra mota eſt, ex quo caſu Wicleffus, qui omnia miracula vera & prodigia cæleſtia, quæ in Eccleſia catholica patrari conſuevere, veluti dæmonum ludibria deridebat, naturalem telluris motum finxit (g) divinitus pro cauſæ ſuæ patrocinio excitatum, juſſitque ſibi deliranti tamquam arcanorum Dei conſiliorum participi credi, fidem Eccleſiæ catholicæ eo ſigno divinitus damnatam. Refellit hanc terræmotus cauſæ interpretationem fictitiam Nicolaus Harpsfeldius (h) juſtiore alia animadverſione: *Vuicleffus*, inquit, *propterea quod eo tempore, quo ad epiſcoporum ſynodum accerſitus eſt, terræ motus, qui in Anglia rarus eſt, intervenisset, de ea re quaſi cæleſti pro ſua doctrina miraculo inſolenter ſe venditat, & glorioſe eam ſynodum concilium terræ motus appellare ſolet, cum multo ſine dubio rectius credi debeat, voluiſſe Deum [ſi aliquid fuerat ea in re naturali forſan portenti] principem & epiſcopos, atque alios illo terræ motu admonere, de periculi magnitudine, quod Angliæ ex Vuicleffiana doctrina imminebat, quæ, niſi mature obviam iretur, eam gravius, quam ullus terræ motus concuteret, atque infinitorum hominum corpora & animas [quod ita accidiſſe jam oſtendimus] in maximam, & certiſſimam perniciem adduceret, ſed hac de re poſteritas certius dabit judicium.* Non contenti ſuperiori impoſtura hæretici, poſtea novis mendaciis, eam inſulſe ſubornarunt: Hieronymum enim Pragenſem, ad commendandam ſimplici populo impiam Wicleffi doctrinam fulmina cœlitus immiſſa fuiſſe adverſus clerum Anglicanum, cum Wicleffi hæreſes damnaret, finxiſſe, illique in judicio ſynodali Conſtantiæ id objectum viſuri ſumus.

(f) Vualſin. in Rich. 2.

Terræ motu Anglia concuſſa.

(g) Vual. to. 3. tit. 14. cap. 124.

(h) Harpſf. in hiſt. Vuicl. c. 18.

Vera illius ſignificatio.

XXXIX.

Coacta (i) iterum eſt alia ſynodus Oxonii (k) hoc anno ad exhauriendam Wicleffiſticæ hæreſeos ſentinam, quæ in Oxonienſi academia hæſerat, licet enim Willelmus Courteneius Cantuarienſis archiepiſcopus ad præfectum illius academiæ Londinenſis ſynodi acta tranſmiſiſſet, ut impii Wicleffi errores refellerentur a ſcientiarum profeſſoribus, non tamen ſynodalibus mandatis, ut par erat, paritum fuit. Ad reprimendam itaque hæreticorum audaciam pontificia & regia authoritate fultus archiepiſcopus, judicium prædictis

Oxonien. ſynodus.

(i) Vualſin. in Rich. 2.

(k) Knygton. de event. Ang.



Wi-

NOTÆ [1] PHilippus Repingondon, ſeu potius, ut legitur in Actis Concilii Londinenſis apud Labb. tom. XV. Concil. ad pag. 955. Rappyngdon, & Nicolaus Herefordius hæreſis Wicleffianæ principes in Concilio Londinenſi hoc anno celebrati rei poſtulati ſunt, ut optime notat Annaliſta; ſed tantum abfuit ad interrogata nitide reſponderent, ut cum potius obvolutas ambagibus reſponſiones ab ipſis datas judices animadverterent, quæſierint ab illis planius mentem ſuam explicarent. Sed in ſententia perſeverantes noluerunt aliter reſpondere, ut in Actis ejuſdem concilii expreſſum eſt. Porro concilium iſtud cœpit die XVII. maji & ad diem uſque XX. junii prorogatum eſt. Cur in ea ſynodo nulla de Wicleffo quæſtio ſit habita, in cauſa fuiſſe credo ejus reſipiſcentiam, quam ſynodum illam præceſſiſſe ex eodem ſilentio deducimus. MANSI

Wicleffi ſociis Philippo Rimpindon & Joanni Aſthono Richardi Regis juſſu captis intendit; ac de Vvicleffo addit Henricus Knygtonius: (a): *Affuit magiſter Joannes Vviclyff ad reſpondendum ſuper hæretica pravitate ut prius de prædictis concluſionibus ſive opinionibus: qui eis omnino renuntians, nec eas tenuiſſe, neque tenere ſe velle proteſtans ad maternalis virgæ documentum, quod ei antea pro refugio præſto fuerat, advolavit*. At damnatæ iterum Oxonii hæreſeos a Vvicleffo formula ſuppreſſa eſt a recentioribus novatoribus, atque in ejus locum ſubdola rurſus alia profeſſio inſerta (b).

(a) Knyg. de even. Ang.

Vvicleff. Hæreſim ſuam damnat.

(b) Id. ib.

XL. Infecerat porro Lyncolniam Willelmus e Windurby ſacerdotali munere indigniſſimus, qui cum judiciorum ſeveritatem expaveſceret, exemplo Wicleffi damnavit hæreſim ex præſcripta a præſulibus formula in qua recenſentur hi errores ab eo damnati, ex parte hauſti ex Wicleffo. *Prima hæreſis. Quod puer non eſt vere baptizatus, ſi ſacerdos baptizans compater vel commater fuerint in peccato mortali. Secunda hæreſis. Quod nullus vivens contra legem Dei eſt ſacerdos qualitercumque fuerit ab aliquo epiſcopo ordinatus in ſacerdotem.*

Vvillel. Vvindurbeyius hæreſim damnat. Præcipui ejus errores.

*Primus error. Quod homines poßunt debita ex charitate petere, ſed nullo modo propter debita aliquem incarcerare: & quod ſic incarcerans eſt excommunicatus. Secundus error. Si parochiani ſciverint curatum illorum eſſe incompetentem & malum, debent ab eo ſubtrahere decimas: & alias ſunt fautores criminis, & conſentientes ejus malis operibus. Tertius error. Quod decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & in caſu, quo curati ſunt mali, poſſunt eas licite aliis conferre. Quartus error. Quod curatus malus ſubditos excommunicans pro decimarum detentione non eſt niſi ab eis pecuniam indebite & male extorquere. Quintus error. Quod nullus prælatus poteſt aliquem excommunicare, niſi prius ſciat ipſum excommunicatum a Deo. Sextus error. Quilibet ſacerdos poteſt habita contritione quemlibet peccatorem abſolvere, & non obſtante prohibitione epiſcopi tenetur evangelium populo prædicare. Septimus error. Quod ſacerdos recipiens aliquid pro annuali ex pacto eo ipſo ſimoniacus eſt, & excommunicatus. Octavus error. Credit firmiter, ut aſſeruit, quod quilibet ſacerdos exiſtens in mortali peccato, ſi ponat ſe ad conficiendum Corpus Chriſti, potius committit idololatriam quam conficit. Nonus error nimis diffamatorius. Nullus ſacerdos in aliquam domum intrat niſi ad male tractandum uxorem, filiam, aut ancillam: & ideo rogabat, ut mariti caveant, ne ſacerdotem aliquem in domum ſuam intrare permittant. Dat. in domo noſtra capitulari eccleſiæ noſtræ Lincolniæ* XI. *die menſis julii anno Domini MCCCLXXXII. & noſtræ conſecrationis* XX. Tradit Nicolaus Harpsfeldius (c) in Wicleffiana hiſtoria ex regeſtis archiepiſcoporum Cantuarienſium, Philippum Ripindon, de quo antea meminimus, coram archiepiſcopo Cantuarienſi Wicleffi doctrinam penitus ex animo execratum, ac poſtea, cum ad epiſcopatum Lincolnienſem provectus fuiſſet, acerbiſſime Wicleffiſtas reſipiſcere detrectantes inſectatum: pariter Joannem Aſthonium damnaſſe hæreſim. Sed parum conſtanter; nam Thoma Arundelio ſedente relapſum: Nicolaum Herefort tandem conjectum in carcerem, cumque ex eo aufugiſſet, propagandæ hæreſi, ſed cautius & occultius, operam dediſſe.

(c) Harpſ. in Vicl. hiſt. cap. 5.

XLI. Peperit ſibi immortale decus Willelmus Courteneius archiepiſcopus Cantuarienſis præfocata in Anglia Wicleffi hæreſi, quæ clanculum curioſis tantum inſtillata eſt, donec quidam Bohemus eam peſtem Pragam intulit, qua Bohemiam infectam ob præſulis Pragenſis inertiam lugebimus ſuis locis. Excepit quippe univerſa Anglia religioſa demiſſione decretoriam Londinenſis concilii ſententiam, qua de re vehementiſſime Wicleffus in libro 4. trialogi cap. 36 conqueſtus eſt, de cujus conventiculis hæc tradit Thomas Waldenſis (d): *Nocte pluſquam die conveniunt in angulis civitatum, ubi ut ferunt, qui ab ipſorum pravitate, ut quædam fœminæ honeſtæ diffugiunt, turpis & cæca fit ſexus commixtio ſub extincta lucerna, & a præceptore ſuo diſcunt in tenebris & verba tenebrarum & opera. Re autem vera, ſi domos non habent accommodas, ſpeluncas quærunt, & foveas, ut ſe vere probent Chriſto contrarios, qui in tenebris, aut in occulto locutus eſt nihil; ſed in templo, quo omnes conveniunt.* His ſpurcitiis imitati ſunt Wicleffiſtæ veteres Gnoſticos, alioſque impuriſſimos hæreticos, de quibus agit ſuis locis Cardinalis Baronius.

(d) Vvald. to. 3. tit. 17. c. 14. Vvicleffiſtarum turpitudo.

Impli-



I. IMplicitus graviori bello Urbanus (a) in contundendis ſchiſmaticorum conatibus anno hujus ſæculi octuageſimo tertio indictione ſexta, cum inde Ludovicus, cui Wenceſlaus Romanorum Rex favebat in Neapolitanum regnum irruptione facta, infenſa ſigna circumferret, & hinc in eccleſiaſtica ditione plures ad antipapam deficerent, accerſere undique catholicorum præſidia ſategit, edictiſque adverſus antipapam ipſum, ejuſque ſatellites Ludovicum Andegavenſem, Amedeum Sabaudum, Petrum Gebennenſem pſeudopontificis fratrem, ac Fulchetum e Saltu divulgatis, Germaniæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, ac Poloniæ præſules ad religioſam militiam dato crucis ſymbolo in ſchiſmaticos Gallos profitendam fideles propoſitis indulgentiis concitare juſſit; (b) præcipueque Italos pro ſedis Apoſtolicæ dignitate contra invaſores aſſerenda ad crucis ſigna vocavit. Cum vero conſtituiſſet ad veniam criminum aſſequendam integro anno bellum cum hoſte gerendum, ſtipendiave idonea conferenda, pluresque vel labore deterriti, vel rei domeſticæ difficultatibus impediti, in lucrandis indulgentiis remiſſiores eſſent, Jacobi epiſcopi Lunenſis A. S. N. arbitrio permiſit (c), ut vel exercendæ religioſæ militiæ tempus arma ſacra correpturis contraheret, vel accepta minori ſtipe, ut cujuſque ſors tuliſſet, indulgentias conferret. Tam ad continendos in officio populos cum jam Franciſco e Vico & Raynaldo Urſino ducibus Viterbienſes, Urbevetani, Interamnenſes, Amerini, Tudertini, & Cornetani ſchiſmaticorum partes ſuſcepiſſent, vetera Joannis XXII. in perduelles edicta renovavit, ac pœnis gravioribus & cenſuris eos perculit, quas a Marino, archiepiſcopo Tarentino divulgari juſſit.

(a) To. 1. de ſchiſm. p. 91.

Urban. a ſchiſmaticis bello petitus.

(b) Urb. lib. 1. p. 308. 316. & poſt ep. Auxilia undique accerſit.

(c) Ib. p. 339.

In perduelles vetera edicta inſtaurat.

II. Ad frangendam etiam armis perduellium pervicaciam archiepiſcopo Beneventano provinciam dedit (d), ut trecentorum equitum cataphractorum vectigal militare a Carolo III. Siciliæ Rege exigeret.

(d) Ibid. ep. cur. p. 333.

Militare vectigal exigit a Sic. Reg.

*Venerabili fratri Nicolao archiepiſcopo Beneventano Apoſtolicæ ſedis nuntio, ſalutem, &c.*

*Cum in conceſſione, dudum per nos facta cariſſimo filio noſtro Carolo Regi Siciliæ illuſtri de regno Siciliæ, ac terra citra Farum, excepta civitate Beneventana (e) cum ejus diſtrictu, quæ Romanæ remanſit eccleſiæ, caveatur expreſſe, quod quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, aſſeruerit vel dixerit, Romanam eccleſiam indigere, ita quod ſuper indigentia hujuſmodi, ipſius Romani Pontificis ſimplici verbo ſtetur: idem Rex, vel ſui in dicto regno heredes requiſiti ab ipſo Romano Pontifice, in urbem, in Campaniam, in Patrimonium beati Petri, in Tuſciam, in ducatum Spoletanum, & omnes alias terras dictæ eccleſiæ ubicumque conſiſtentes, trecentos milites equis & armis decenter munitos, & paratos, ita quod unuſquiſque ipſorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus, in eccleſiæ prælibatæ obſequium & ſubſidium tranſmittet per tres menſes, ipſius Regis & ejus in dicto regno heredum ſumptibus & ſtipendiis, ſemel tantum in anno moraturos; idemque Rex, ſe ac prædictos ejus in dicto regno heredes, ad id efficaciter obligaverit; Noſque & Romana eccleſia prædicta ex multiplicibus cauſis ſubſidio hujuſmodi, præſertim in dicta urbe, & in Patrimonio, ac in Campania, & aliis locis circumvicinis indigeamus ad præſens; Fraternitati tuæ tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus Regem ipſum ex parte noſtra in præſentia alicujus notarii publici, & fidedignorum teſtium, moneas & requiras, ut pro præſenti anno hujuſmodi trecentos milites equis & armis decenter munitos & paratos, ita quod unuſquiſque ipſorum quatuor equitaturas, aut tres ad minus habeat in noſtrum, & eccleſiæ prædictæ obſequium & ſubſidium in ſervitio noſtro, & dictæ eccleſiæ, ut præfertur, moraturos, aut ſufficientia ſtipendia, ex quibus poſſimus facere conduci hujuſmodi militum numerum, nobis ad urbem præfatam tranſmittat, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* VI. *idus aprilis, pontificatus noſtri anno quinto.*

(e) Urb. Lib. 3. ep. cur. p. 353.

Aſſerere etiam eccleſiaſtici ordinis immunitatem adverſus principum & magiſtratuum vim Urbanus ſtuduit: cum enim nonnullos politicos auctoritatem in eccleſiaſticos ſibi arrogare, eoſque mulctare exilio boniſve privare auſos accepiſſet, edita apoſtolica ſanctione (f) ejus facinoris auctores & participes anathemate devinxit.

Tuetur immunitatem eccleſiaſt.

(f) Ext. in bullar. in Urb. VI. conſt. 3.

III. Graſſata paulo poſt in urbe peſtis Urbanum adegit, ut Tibur ſe ſubduceret decima nona aprilis die, ratuſque poſtea ad Neapolitanas res confirmandas contra Ludovici Andegavenſis molimina neceſſariam ſuam præſentiam, aliave cauſa permotus, fruſtra illum a ſuſcepto conſilio revocare annitentibus Cardinalibus in Neapolitanum regnum profectus eſt, quæ Theodoricus e Niem (g) ſubjectis verbis narrat: *Timens forte dictus Urbanus, quod præfatus Carolus Rex per negligentiam, ſeu deſidiam dictum regnum perderet, illudque ad manus dicti Ludovici ducis perveniret,*

Epidemia in urbe graſſatur.

(g) Theod. e Niem. l. 1. c. 28.

Diſſidii inter Urb. & Regem Siciliæ fons.

*necnon, ut aliqui dicere volunt, dedignatus contra eundem Regem Carolum pro eo, quod ipſe Rex præfatus Capuæ & Amalphitanæ ducatus non aſſignavit realiter Franciſco nepoti ejuſdem Urbani, omnino diſpoſuit de Roma perſonaliter accedere ad ipſum regnum Siciliæ, prout fecit: unde in principio menſis maii pontificatus ſui anno * quinto tunc vigente mortalitate in urbe ad Tyburtum acceſſit, & ibi per menſem, vel circa degendo, inde tranſivit ad caſtrum Vallemontonis ſatis ineptum & nimis ſtrictum in Campania pro ſua curia: verumtamen ibi per duos menſes vel circa ſtetit, ac in principio menſis ſeptembris inde recedens, acceſſit ad civitatem Ferentinam in qua uſque ad feſtum S. Michaelis tunc inſtans remanſit. Sed quia ſex vel ſeptem de ſuis Cardinalibus, qui cum adhuc eſſet in urbe ſibi conſulebant, quod nequaquam ad ipſum regnum Siciliæ iret cauſam aſſignantes, quod ſi illuc accederet, ipſe & omnes ſui ſequaces grandiſſima poſſent veriſimiliter ſubire pericula, prout ipſi a pluribus perceperunt, ipſe dictis conſultationibus nullatenus acquieſcens, utique ire ad dictum regnum voluit.* Et infra. (a)

* Sexto.

Pergit in regnum Neap. Urban.

Conſulunt Cardd. ne id faciat. Spretis monitis & invito Rege Carolo eo tendit.

(a) Eod. l. 2. c. 2.

*Ad civitatem Capuam, & deinde ad Averſam declinavit: ſed cum prope quandam cappellam pulchram & novam juxta viam publicam ab iſta parte Averſæ conſiſtentem quaſi per medium milliare Italicum perveniret, deſcendit de equo, & ſe pontificalibus veſtibus adornavit. Veſtitus equum rurſus aſcendit, ubi occurrit ei, me præſente, Rex Carolus præfatus indutus nigris veſtibus, nec per iter rectum, ſed per vineas equitando: & cum prope Papam eſſet, ipſum ſalutavit: quo facto multi ruſtici advenientes pedes dicti Urbani oſculabantur ibidem; ſed antequam hæc facerent, terram ſeu humum tribus vicibus oſculati fuerunt. Rex vero præcedens Pontificem, egit officium ſcutiferi, quem Papa cum ſuis curialibus, & exercitu (b) uſque ad Averſam ſequebatur. In introitu autem dictæ civitatis Averſæ multæ dominæ, & puellæ ſpecioſæ admodum ornatæ, & circumamictæ varietatibus per plateam, quam tranſivimus, ſedebant; & etiam multorum virorum frequentia aderat, quibus ipſe Papa benedictionem more ſolito dabat. Sed cum ulterius procederemus in eadem civitate, voluit Rex, quod ipſe Urbanus caſtrum dictæ civitatis pulchrum & ſpatioſum valde olim per Fredericum II. Auguſtum, ut vetus teſtatur fama, conditum intraret, quod idem Papa facere non volebat timens forte, quod tunc ei accidit, & evitare non potuit.* Et infra: *Ipſius diei hora ſexta clam dicebatur in Neapoli a multis, quod Rex ipſe cepiſſet Papam & eum detineret captivum, & quod ſecum exiſtentes Cardinales & curiales eſſent liberi, ac contra eos nihil eſſet penitus attentatum, de qua quidem captivitate totus populus Neapolitanus videbatur valde triſtari.* [1] Conſentiunt his verbis (c) diaria Hectoris Pignatelli traduntque, Regem Carolum Urbano IV. octobris occurriſſe, invitumque in arcem adduxiſſe ſpecie officii, ac diebus quinque tenuiſſe, donec ab eo quæ vellet extorſiſſet.

Occurrit ei Carolus Rex.

Stratoris munere Urbanus defungitur.

(b) MS. Diar. Neapolit.

Ipſum officii ſpecie cepit.

(c) Ib. c. 31.

IV.

(d) Gobelin. in Coſmodr. ætat. 6. c. 77.

Affert plures hujus facinoris circumſtantias Gobelinus: (d) *Vigilia*, inquit, *omnium ſanctorum de an. Domini* MCCCLXXXIII. *noctiſque ſequentis per urbem diffuſa caligine, Rex damnoſo conſilio circumventus ad curiam, in qua Papa reſidebat, quoſdam viros armatos dirigens Papam ad ſe venire mandavit: qui cum illam horam ſe ad Regem venire poſtulari illi horæ, qua Judæi Chriſtum comprehenderunt, aſſereret ſimilem, illi qui miſſi fuerant, in Papam manus violentas mittere tentant. Unde Papa quaſi malefactor ductus eſt, & nihilominus ſe ducenter excommunicatos denunciat, eoſque ut ſacri-*

NOTÆ [1] TOta hæc hiſtoria de Pontifice per dolum capto atque per vim detento a Carolo Rege ab Annaliſta obvolvitur potius quam explicatur. Ita ſe ſe res habuit. Pontifex Averſam pervenit die ultima octobris, ait Gobelinus Perſona ab Annaliſta laudatus, cujus fidem præferendam cenſeo Diariis Neapolitanis Hectoris Pignattelli olim manuſcriptis, nunc vulgatis rer. Italicar. to. XXI. in quibus diei IV. Octobris ingreſſus Pontificis in eam urbem aſſignatur. Exceptus ſolemni pompa a Carolo Rege, continuo in arcem deductus fuit, ſpecie quidem honoris & obſequii; re tamen ipſa in cuſtodiam tradendus. Ibi detentus per vim diebus V. iniquis illis conditionibus, quæ in Annalibus referuntur, pactus ſibi fuit libertatem. Eductus e carcere venit Neapolim die forte V. vel, ſi mavis, IX. Novembris; quamvis enim author Diarior. diem IX. octobris aſſignat, cum id componi nulla ratione poſſit cum adventu Pontificis die ultima octobris Averſam, erratum eſt forte in menſe, ut october pro novembri poneretur. Ut ut ſit, venit Pontifex Neapolim, ibique pariter in arcem coactus intravit detentuſque fuit aliquandiu. Quæ ſecunda Pontificis detentio, quamquam Diarium Neapolitanum non exprimit, ſatis tamen innuit; ſcribit enim author; *La* (Neapoli) *laſsò andare il Papa a Caſtello, et eſſo* (Carolus Rex) *entrò in quell' hoſtiero... Et eſſendo il Papa a Caſtello nuovo col Rè capitolaro, che il Rè dava al Papa per il nipote Capua; et il Ducato di Amalfe, et il Caſtello di Nucera e de Scafaro et altre terre e luoghi &c.* Reliquas conditiones vide apud Annaliſtam hic. Tum ſubdit Ephemeridum Author: *alli 26. il Papa uſcìo da lo Caſtiello et andae alo Veſcovato.* Vix hæc aliter quam de Pontificis in arce detentione explicari poſſent. Pro hac pontificis eductione e carcere regis interceſſiſſe Cardinales ſcribit quidem Annaliſta; ſilet vero tum Author Ephemeridum, cum pariter Theodoricus Niemius, qui Cardinales tunc preces ſuas interpoſuiſſe notat, cum nepos Pontificis capite damnatus a Carolo Rege ſententiam ſubiturus erat. MANSI



*ſacrilegos voce libera damnat; & poſtea expertum eſt, quod principis illius manus, & latus dextrum, qui manus primum miſit in Papam, eodem anno exaruerunt: Tribus itaque diebus dictus Papa ſolatio & conſilio deſtitutus, totaque ejus curia perturbata in caſtro cum Rege permanſit invitus.* Addit author ex Averſana arce Pontificem honorifice Neapolim adductum: porro Theodoricus integræ libertati reſtitutum negat, donec concordia interpretibus Cardinalibus conciliata eſt.

Divina ultio in eum, qui Urbano manus iniecit.

Urb. pace inita libertati redditus.

(a) Diar. Neap.

Confirmant dicta diaria MS. (a) Hectoris Pignatelli, Urbanum ingenti pompa IX. octobris prætenſo umbraculo aureo Neapolim ingreſſum, Regemque Carolum ante portam Capuanam in ſublimi ſolio cinctum principibus diaconi cultu inſignem conſediſſe, geſtaſſeque coronam in capite, atque altera manu liliatum ſceptrum, altera pomum prætuliſſe: cum vero Urbanus propius acceſſiſſet, Regem aſſurrexiſſe e ſolio, provolutumque in genua ante Pontificem, ejuſque pedes oſculatum eſſe: Pontificem vero regiæ fronti oſculum dediſſe: denique Carolum, ut regia nitebat pompa, pontificii equi fræna capeſſiviſſe, & ſtratoris munere perfunctum: cumque Urbanus ad ædium epiſcopalium gradus applicuiſſet, in iis ſubſiſtere voluiſſe: ſed Regem illum, ut in arcem aſcenderet, fallacibus officiis adegiſſe, atque ad S. Stephani eccleſiam deduxiſſe: demum Pontifice in arcem eunte, regalem cultum poſuiſſe. Ita rurſus ſpecie officii cuſtodiæ mandatus eſt Urbanus, ne libere a Neapolitanis adiri, & conferri cum iis conſilia poſſet. Pepegiſſe vero cum Urbano Carolum addunt eadem diaria, daturum ſe Butillo Urbani nepoti principatum Capuanum, ducatum Amalphitanum, caſtrum Nuceriæ, & Scaphati, tum alias terras, nec non militare ſtipendium quinque millium aureorum, dum bellum vigeret, hac tamen adjecta lege, ne Urbanus amplius tractandis regni rebus ſe immiſceret, cujus concordiæ Cardinalium opera initæ meminit Theodoricus e Niem (b).

Neapoli pompa ingenti exceptus.

Iterum cuſtodiæ officii ſpecie traditus.

(b) Theod. e Niem. l. 1. c. 32.

Non prætermiſit ſilentio Clementis antipapæ geſtorum ſcriptor ſchiſmaticus (c) Urbani cuſtodiam, e qua diſſimulato ad tempus injuriæ dolore concordiæ interpretum precibus liberatum addit: meminereque de ea re alii, e quibus recentior (d) author, cæteroqui accuratus geſta a Carolo cum Pontifice mitius interpretatur. Imitatus vero eſt Carolus peſſimum Henrici VI. Imperatoris exemplum, qui ſimilia in Paſchalem II. Romanum Pontificem perpetraverat, cujus ſacrilegium merito a ſcriptoribus damnatum poſterorumque execratione defixum eſt, quo etiam ille divinam in ſe vindictam concitavit: quibus de rebus fuſe Baronius (e) ediſſerit. Neque a Carolo cæleſtis ultio abfuit, quem juſtas pœnas luiſſe ſuo loco dicetur. Urbanum porro vigeſima ſexta die octobris libertati reſtitutum, memorat Hector Pignattellus (f), illumque in ædes archiepiſcopales ſe contuliſſe, ac nepote in poſſeſſionem principatus Capuæ aſſerto, alteram ex neptibus ſuis Monderiſii comiti, alteram Celani comiti nuptui tradidit.

(c) Clem. antip. vitæ ſcript. apud Boſq.

(d) Summont. lib. 4. cap. 2.

(e) Baron. an. 1111. n. 111.

Nepotem in Capuæ poſſeſſionem inducit.

Urb. Neptes viris principibus in matrimonio locat.

(f) Hector Pignat. in diar. Neap. MS.

Quod ad res a Carolo adverſus Ludovicum Andegavenſem hoc anno geſtas attinet; certamen, ut antea, experiendum non duxit, ſed extrema agmina carpere, intercludere commeatus, ac detrahere, abrumpere itinera, improviſis velitationibus laceſſere conſtituit. Quibus hoſtilis exercitus admodum fatigatus, ac miles morbis abſumptus. Inter cæteros Amedeum comitem Sabaudiæ periiſſe dyſenteria, & flagitium culti antipapæ damnaſſe, narrat Vualſinghamus (g): *Circa tempus paſchale comes de Suvoye, qui cum viginti octo millibus profectus fuerat cum duce Andegaviæ contra Papam & Carolum de Pace, cum diutinam moram feciſſet in illis partibus, ſed damnoſam agnovit manum Domini contra eum miſſam: nam qui in patria ſua ſubdi Deo noluit, & communem mundi patrem venerari: ſed potius dimiſſa quiete, qua diu gaviſus fuerat, ſtatuit perſequi in remotis, juſto Dei judicio miſerabiliter percuſſus* [1] *Antiochi more perit in terra peregrina conteſtatus prius, quod juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, ejuſque vero vicario, quodque peccavit enormiter patrem filius perſequendo; quapropter filio ſuo & heredi dedit mandata ſalutaria, ne Urbanum Papam exemplo paterno perſequeretur; & ſi quid forte contra eum tentaſſet, celeri ſatisfactione corrigere niteretur, ac ad unitatem Eccleſiæ ſe conferret. Augebant autem non ſolum dolorem ſuum, ſed & pœnitentiam ejus mortes infandæ ſuorum militum, quos conduxerat, qui omnes præter octo ante ipſum dyſſenteria perierunt: talique fine conſummatus eſt comes, & pene cuncti ſui milites*

(g) Vualſin. hiſt. Angl. in Rich. 2. hoc ann. & Summont. l. 4. c. 1.

Comes Sabaudiæ in expeditione extinctus.

In extremo vitæ actu ſchiſma damnat.

NOTÆ [1] CErta dies qua Amedeus Sabaudiæ Comes e mortali hac vita deceſſit proditur a Sagacio de la Gazata in Chronico Regienſi ad hunc annum, cujus verba, quod ſingularia quædam continent, referenda hic cenſeo: *Die primo Martii moritur poſt longam infirmitatem dictus Comes Sabaudiæ in exercitu Ducis Andegaviæ, & portatum eſt ipſius corpus in Sabaudiam .... hic petiit abſolutionem a vero Papa, qui Romæ erat, & confeſſus eſt eum eſſe verum Papam, petiitque a Rege Carolo ut ſuum exercitum cum ejus corpore permitteret tute portari in Sabaudiam; quod benigne conceſſit.* MANSI

*tes, duci Andegaviæ, ſi fuiſſet in gratia manifeſtum reſipiſcendi relinquentes exemplum*. Addit Hector Pignatellus (a) menſe majo Gallici exercitus partem cum incompoſitis agminibus palabunda ferretur, cæſam fuiſſe, ac die XXVI. auguſti Carolum Regem, cum hoſtiles copias diſſipatas advertiſſet, Andegavenſem ad certamen provocaſſe; ſed illum ſuorum militari conſilio ad Tarentum evaſiſſe.

(a) *Hector Pignat. in diar. Neapol.*

V. Rex Arag. Neapol. regnum ab Urb. poſtulat.

In mediis iis turbis Petrus Rex Aragonum, qui hactenus in neutram partem Urbani, Clementiſque antipapæ inclinarat, augendarum rerum ſuarum cupidus demulcere Urbanum officiorum oſtentatione tentavit, ut Neapolitani regni jura in eum transfunderet. De quibus hæc Surita. (b) *Rex ab Urbano, ſi in ſe, aut promerendi, aut proferendi beneficii locum habere velit, facile impetrare ſperat, dum reſpublica Chriſtiana tanto dilaceratur diſſidio, ut Siciliæ regnum iiſdem conditionibus, pactiſque ſibi attribuatur, quibus ab Urbano item IV. Pontifice maximo Carolo I. delatum fuerat. Sardorum etiam tributum Eccleſiæ debitum cum continentibus bellis ob ejus inſulæ propugnationem ingenti ſuorum ſtrage, atque internecione Aragoniæ regna exhauſta, civitateſque exinanitæ eſſent, condonari, ac remitti expoſcit: decimarum eccleſiaſticarum fructus in decennium in ſumptus bellicos redigi, & uti Monteſæ magiſtratus, Ampoſtæ Hieroſolymitanæ militiæ præfectura, & Cataloniæ ejuſdem inſtituti prioratus a ſe conferri poſſint, & vectigalia militiæ S. Jacobi, & Calatravæ ſuorum regnorum novo ordini a ſe inſtituendo contribuantur, & plura alia dignitatis, ſupremique pontificii juris poſtulat. Darocamque & Setabim urbes epiſcopalibus ſedibus decorari, & ut diœceſes illis aſſignentur depoſcit.* Miſſi Guillelmus Eſtamboiſius & Petrus Clemens ad Urbanum oratores hæc ab eo eblandiri non potuerunt (c), unde poſtea Aragonum Reges ſuorum commodorum appetentiores ad antipapam Avenionenſem defecerunt.

(b) *Surit. ind. lib. 3. hoc anno & annal. l. 10. c. 34.*

Ejus promiſſa.

Repulſam patitur.

(c) *Surit. ubi ſupra.*

VI. Ferd. Luſitani Regis pietas.

Majorem in eccleſiæ Romanæ obſequio conſtantiæ laudem tulit Luſitania, quæ omnia ſchiſmaticorum blandientium lenocinia minaſve ſprevit (d), cujus Rex Ferdinandus hoc anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio morbo difficili, & diuturno conſumptus eſt: *Egregius princeps*, inquit Joannes Mariana, *ſi dempta domeſtica intemperantia ignominiaque, aliæ adſpiciantur virtutes*. Exarſit ob ejus mortem civile bellum (e), cum, nulla prole maſcula relicta, plures Luſitanum ſceptrum exambirent, atque inter alios Joannes Rex Caſtellæ, qui Beatricem illius filiam matrimonio ſibi junxerat, Luſitaniam Caſtellæ conjungere affectaret; adverſabantur vero Luſitani, qui generis ſui principem optabant. Reliquerat Ferdinandus ſuperſtites duos fratres, ſed horum alter Joannes nomine a Caſtellano, ad quem antea fraternæ pellicis metu perfugerat, Toleti conjectus in carcerem eſt: *Nullum*, inquit Mariana (f), *ob crimen, ſed generis nobilitas, juraque regnandi in eo notabantur*. Alter itaque etiam Joannes appellatus Aviſii militaris ordinis magiſter, multis dotibus ornatiſſimus, charuſque populo æque, ac proceribus, dignus tantum, qui ex concubina ortus non eſſet, ad ſumendos regios apices eſt vocatus conſentiente, vel auctore, ut videtur, Urbano VI. Pontifice, qui Joannem Caſtellæ Regem anno ſuperiore omni jure regio privarat, ac Joannem Luſitanum, & Lancaſtriæ ducem, ut ejus regna inter ſe partirentur fœdere, conjunxit, ſpectabat enim Luſitanum ſceptrum hereditario jure ad Joannis Caſtellani filium (g), ni ſchiſmatis quo ſe conſtrinxerat perfidia vim juris eliſiſſet, atque ideo maxime epiſcopi, ad quos tuendæ religionis cura ſpectabat, Aviſii magiſtro, ut Luſitanum ſceptrum ſuſciperet ſtuduere. Petiit (h) illum gravi bello Caſtellanus, ſed Olyſippone fruſtra obſeſſa, conſumptoque peſte exercitu, recedere coactus eſt, ut deſcribit (i) Eduardus Nonnius.

(d) *Marian. l. 18. c. 6.*

Mors ejuſdem.

(e) *Id. ib.*

Luſitania a Caſtellano affectata.

(f) *Marian. l. 18. c. 7.*

(g) *Joann. Marian. l. 17. c. 7.*

(h) *Eduard. Nonnius in gen. Reg. Portugal.*

(i) *Eduard. Nonnius in genealog. Reg. Portugall. to. 2. Hiſp. illuſt. in Joan. 1.*

*Cives*, inquit, *Joannem ducem, & defenſorem elegerunt, qui Portugalliam ab injuria Regis Caſtellæ defenderet, quod contra pacta conventa, & jurejurando firmata veniret: actum enim erat inter illum & Fernandum ſocerum, & proceres regni utriuſque ut uſque ad regni heredem naſciturum ex Beatrice, eumque adultum Portugallenſes ſuis rectoribus ſuis legibus gubernarent, & Portugalliæ ſignis, & nota moneta cuderetur; Joannes vero Caſtellæ Rex pactis non acquieſcens, & meliora ſuorum non audiens conſilia, in Portugalliam contendit, & Olyſipponem regni caput terra, marique obſedit: peſtilentia deinde coactus, qua magnam exercitus partem amiſit, eo tempore, quo jam obſeſſi fame miſerrime premebantur, re infecta diſceſſit; multis tamen regni proceribus, & arcium præfectis eum Regem agnoſcentibus. Hoc Regis Caſtellæ diſceſſu Joannes Luſitanus animos ſumens conventus Conimbricæ celebrat, quo epiſcoporum aliqui convenere, & cum iis pauci nobiles, quos libertatis amor, aut ſtudium rerum novarum movebat, ut fit in republica vacua, major enim & præcipua pars procerum in Caſtellæ Regem veluti in potentiorem propendebant, ut qui feuda & bona regii juris poſſidebant, quibus nollebant ſpoliari. Fuere in comitiis diverſa partium ſtudia, cum tamen omnes in hoc convenirent, ut Rex declararetur: alii enim Joannem infantem Regis Petri & Agnetis a Caſtro filium, qui in Caſtella aſſervabatur, Regem volebant, alii*

Coimbricæ epiſcoporum cœtus coacti.



*hunc quem defenſorem fecerant, & ducem: tandem ipſum Joannem magiſtrum Aviſienſem Regem ſalutarunt*.

Aviſii magiſter creatur Rex.

VII. Lancaſtriæ dux in Caſtellanum excitatus.

Ejectus ita Luſitaniæ regno Joannes Caſtellanus ob ſchiſma, grave etiam diſcrimen adiit: ne Caſtellæ regno pelleretur: Urbanus enim Pontifex, antequam in Neapolitanum regnum ſe conferret, Joannem Lancaſtriæ ducem religioſæ in Caſtellam expeditionis imperatorem, ſigniferumque Romanæ eccleſiæ pro edomando perduellionis, & ſchiſmatis reo pronuntiavit (a) hoc diplomate.

(a) *Urb. VI. l. 1. p. 343.*

*Urbanus, &c. Dilecto filio nobili viro Joanni duci Lancaſtriæ pro nobis, & Romana Eccleſia crucis vexillifero ſalutem.*

*Dum laudabilium tuorum conſuetudinem operum, quam in te ſic redegiſſe videtur Altiſſimus quodammodo in naturam, ut obſequiis ſanctæ matris Eccleſiæ, cui tam prompte, tam fideliter obſecundas, tepeſcere neſcias, ſed in illis ſemper ardentius continua proſequutione ferveſcas, debita conſideratione penſamus, dignum ducimus, ut devotionem tuam congruis honoribus proſequamur. Hinc eſt quod nos fidei, & devotionis conſtantiam, quam tu & progenitores tui erga præfatam eccleſiam cum grata exhibitione operum habuiſtis hactenus, tuque habere aſſidue erga nos & eandem Eccleſiam non deſiſtis, dignis laudibus efferentes, tuamque volentes propterea honorare perſonam, cum in regnis Caſtellæ & Legionis verbum crucis contra iniquitatis filium Joannem, qui pro Rege Caſtellæ & Legionis ſe gerere præſumit, prædicari mandaverimus, te uſque ad noſtrum beneplacitum hujuſmodi crucis vexilliferum, & gentium, quæ ad ejuſdem Joannis exterminium ſe accinxerint, capitaneum conſtituimus, & etiam deputamus, nobilitatem tuam attentius exhortantes, ut honorem hujuſmodi prompta devotione ſuſcipiens, ſic illum magnanimitate & potentia ſibi ſuffragantibus ſolerter & fideliter exequaris; ſic ipſius crucis & eccleſiæ Romanæ vexilla in tuis vel tuorum manibus cum ſupernæ virtutis auxilio magnifice prodeant, & erecta perſiſtant, quod exinde præter divinæ retributionis magnifica præmia, ac humanæ laudis præconia, noſtram & Romanæ ſedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XII. Kal. aprilis, pontificatus noſtri an. V.* Quo etiam die ſolicitati ſunt apoſtolicis literis (b) ad crucem induendam adverſus Joannem, ejuſdemque ducis ſequenda ſigna catholici propoſitis ſacrarum indulgentiarum præmiis iis, qui religioſæ militiæ expiata rite conſcientia ſe addixiſſent.

Creatur vexillifer Romanæ eccleſiæ.

Fideles ad ſequenda ejus caſtra excitati.

(b) *Ib. p. 344.*

VIII. Explicuit ampliore alio diplomate Pontifex (c) ad ducis Lancaſtriæ votum ſacras prærogativas, quibus tandem potituri forent ii, qui arma ad evertendum Caſtellanum corriperent, quæ ſubjectis verbis recenſentur.

(c) *Urb. VI. p. 345.*

*Ad futuram rei memoriam.*

*Cum, ſicut nuper accepimus, dilectus filius nobilis vir Joannes dux Lancaſtriæ multarum gentium armigerarum ſuffultus præſidio cum exercitu copioſo aſſumpto vivificæ crucis charactere, magnanimitate ac potentia ſibi ſuffragantibus, præfatum iniquitatis filium Joannem per nos, ut præmittitur, damnatum ac ejus fautores & ſequaces viriliter, ac potenter ſub vexillo ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus vexillifer in partibus illis per nos deputatus eſt, invadere & proſequi intendat, & a nonnullis, qui eundem ducem ad perſequendum præfatum Joannem damnatum comitari deſiderant, & nonnullis aliis ignoretur quid indulgentiæ, vel privilegium hujuſmodi contineant, vel impetrent, nos ejuſdem ducis ſupplicationibus inclinati illa ex hujuſmodi privilegiis, & indulgentiis, quæ fœlicis recordationis Innocentius Papa III. prædeceſſor noſter in conſtitutione per eum edita in generali Lateranenſi concilio, quæ incipit,* Ad liberandum, *in ejus parte deciſa continentur expreſſe, & in ipſius integra in regeſtis ejuſdem prædeceſſoris fecimus diligenter exquiri præſentibus duximus exprimenda ejuſdem prædeceſſoris, prout expedire vidimus, verba ſectanda.*

Controverſia mota de privilegiis cruce ſignatorum.

*Indulſit namque idem prædeceſſor quod clerici Terræ ſanctæ obſequiis inſiſtendo beneficia ſua integre perciperent, ac ſi eſſent in eccleſiis reſidentes, & ſi neceſſe foret ea pro ea parte temporis, quo hujuſmodi negotio inſiſterent pignori obligare valerent; quodque cruceſignati a collectis, vel taliis, aliiſque gravaminibus eſſent immunes ipſorum perſonæ & bona poſt crucem aſſumptam ſub B. Petri & Romani Pontificis protectione manerent, & quod omnes Chriſtifideles, qui crucis aſſumpto charactere in terræ ſanctæ ſubſidium accederent, ipſi & eorum bona ſub B. Petri & Romani Pontificis protectione, & ſub archiepiſcoporum, epiſcoporum, ac omnium prælatorum Eccleſiæ Dei defenſione conſiſterent, propriis ad hoc nihilominus protectoribus deputandis, ita ut donec de ipſorum obitu, vel reditu certiſſime cognoſceretur, integra & quieta manerent, & ſi quiſpiam contra præſumeret, cenſura apoſtolica compeſceretur. Si qui vero proficiſcentium illuc ad præſtandum uſuras juramento tenerentur aſtricti, creditores eorum, ut remitterent eis præſtitum juramentum, & ab uſurarum exactione deſiſterent, eadem præcepit diſtrictione compelli: quod ſi quiſquam creditorum eos ad ſolutionem uſurarum coegerit, eum ad reſtitutionem earum ſimili cogi animadverſione mandavit. Judæos vero ad remittendum uſuras per ſæcularem poteſtatem compelli præcepit, & donec illas remitterent ab univerſis Chriſti fidelibus per excommunicationis ſententiam* iis

Explicatur ab Urbano ex decretis Innocentii IV.

*iis omnino communionem denegari mandavit; iis autem, qui Judæis debita ſolvere nequirent, mandavit ut principes ſæculares utili dilatione providere deberent, & quod poſt iter arreptum, uſquequo de ipſorum reditu, vel obitu certiſſime cognoſceretur, uſurarum incommoda non incurrerent, compulſis Judæis proventus pignorum, quos interim perciperent, in ſortem deductis expenſis neceſſariis computare.*

Cenſuræ contra offenſores cruceſignatorum indictæ.

*Porro voluit quod eccleſiarum prælati, qui in exhibenda juſtitia cruceſignatis & eorum familiæ negligentes exiſterent, ſcirent ſe graviter puniendos. Et quia curſarii, & piratæ nimis impediebant ſubſidium hujuſmodi capiendo, & ſpoliando tranſeuntes & redeuntes, idem prædeceſſor eos & principales adjutores, & fautores eorum excommunicationis vinculo innodavit, ſub interminatione anathematis inhibendo ne quis cum eis ſcienter communicaret in aliquo venditionis, vel emptionis commercio: & injungens rectoribus civitatum & locorum aliorum, ut eos ab iniquitate hujuſmodi revocarent, atque compeſcerent: alioqui quia nolle perturbare perverſos nihil eſt aliud quam fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, in perſonas, & terras eorum præfatus prædeceſſor per eccleſiarum prælatos ſeveritatem eccleſiaſticam exerceri voluit; & præcepit præterea omnes, qui hujuſmodi laborem in propriis perſonis ſubirent, & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, de quibus forent veraciter corde contriti, & ore confeſſi veniam conſequerentur: illi vero, qui non in propriis perſonis illuc accederent, ſed in ſuis dumtaxat expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinarent, & illi ſimiliter, qui licet alienis expenſis in propriis tamen perſonis accederent, plenam ſuorum conſequerentur veniam peccatorum, hujuſmodi quoque remiſſionis ipſe prædeceſſor participes eſſe voluit juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum omnes qui ad proſecutionem hujuſmodi ſchiſmaticorum & hæreticorum de bonis ſuis congrue miniſtrarent, aut ad prædicta conſilium & auxilium impenderent opportunum. Hactenus Innocentii III. decretum.* Subdit Urbanus. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ expreſſionis infringere. Si quis autem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* VI. *idus aprilis pontificatus noſtri anno* V.

IX. Non potuit Lancaſtriæ dux inferre Hiſpaniæ ſigna, niſi aliquot poſt annis (*a*) (qua de re ſuo loco agetur) cum aliis bellis adverſus Scotos Galloſque implicitus eſſet, nec inducias a Carolo Francorum Rege obtinere potuiſſet (*b*). Eductus vero hoc anno eſt ex Anglia cruceſignatus exercitus Urbani nomine adverſus Carolum Francorum Regem ſchiſmaticum, epiſcopo Norvvicenſi duce, cui Urbanus conſcribendæ religioſæ militiæ, & ſacrarum impertiendarum indulgentiarum ſuperiori anno provinciam demandarat; obortaque initio eſt gravis controverſia, an permittendus foret epiſcopus Anglicas copias in hoſtem ducere, an alius dux bello exercitatus ab Rege præficiendus, coactiſque ad controverſiam dirimendam ſolemnibus Londini conventibus repente omnium, qui repugnarant, animos mutatos refert Walſinghamus (*c*): *Ipſa*, inquit, *die ſabbathi horaque, quibus ſancta Eccleſia vexilla crucis prodiiſſe decantat, omnis repente turba, quæ illi conſilio vel parlamento interfuit, & quæ maxime ſteterat contra crucis negotium, cruciſque fidei promotionem conſenſit tamquam perculſa tonitru ſolemnis illius antiphonæ: Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ, decrevitque pro votis epiſcopi cruce ſignari.*

(*a*) *Theod. e Niem. l.* 1. *c.* 58.

(*b*) *Vualſin. hoc anno.*

Sacra militia in Anglia adverſus Gallos conſcripta.

(*c*) *Vualſing. in Rich.* 2.

Trajecto Caletum exercitu Henricus Spenſerius a Gandavenſibus, qui adverſus Ludovicum Belgii comitem rebellaverant (*d*) ſolicitatus cruceſignata vexilla non in ſchiſmaticos, qui Ludovicum Andegavenſem ad Romanum Pontificem evertendum ſubmiſerant in Italiam, ſed in Belgas catholicos convertit, pronaque victoria Gràvelingam, Borburgumque cepit (*e*), plures urbes in ſuam poteſtatem redegit, Hypras obſedit, Caletumque oppugnavit, querente fruſtra Ludovico comite ſe, utpote catholicum, & Urbano obſequentem a cruce ſignatis injuſto bello petitum: demum Carolo Francorum Rege cum maximis copiis in Belgium accurrente fugatus eſt Norvvicenſis epiſcopus, & captæ ab eo antea arces recuperatæ, omniſque illa Anglorum expeditio diſſoluta.

(*d*) *Paul. Æmil. in Car.* 6. *li.* 6. *Gua. l.* 9. *in eodem Carol. & Meyer. lib.* 14.

(*e*) *Meyr. ubi ſup.*

Ea expeditio male in catholicos verſa. Irrito ſucceſſu diſſoluta

X. Inter tot deplorandos occidentis motus luctuoſiſſima erat orientis conditio, dum vertenda in Saracenos arma a Chriſtianis ob ſchiſma in Chriſtianos tanto furore ſtringebantur, ut viciſſim ſe canum, Judæorumve & Saracenorum loco haberent (*f*). Sultani vero ſervitute liberatus Leo Armeniæ Rex per hæc tempora ad Urbanum opem ad regnum ex infidelium tyrannide vindicandum petiturus acceſſit, benigneque ab eo exceptus ad principes Chriſtianos dimiſſus eſt (*g*), ut diſſidentes ipſos conciliaret; quid vero egerit, poſtea dicetur. Addimus nunc extincto extremo ſuperiori anno Petrino Rege Cypri, ſucceſſiſſe Jacobum ejus patruum, qui hactenus Genuæ in cuſtodia tentus erat ab eo tempore, quo Genuenſes Famaguſta bello erant potiti.

(*f*) *Vualſin. in Rich.* 2. *hoc anno.*

Leo Rex Armeniæ carcere liberatus ad Urb. ſe confert.

(*g*) *Contin. bell. ſacr. li.* 1. *c.* 20.





Hoc anno celebrata eſt Bononiæ capitis S. Dominici tranſlatio [1], quam inſigni prodigio nobilitatam memorat Carolus Sigonius (*a*) his verbis: *Anno MCCCLXXXIII.* XII. *kal. martii fratres Prædicatores caput S. Dominici ex arca Philippo epiſcopo, magiſtratibuſque præſentibus extraxerunt, & ad uſum eccleſiæ nobili loculo argenteo condiderunt: mirum vero illud oculis mortalium accidit, quod interim dum arca patuit, ſtella ſupra eccleſiam clariſſime fulſit, quæ res animadverſa civitatis religionem erga ſanctum confeſſorem accendit; poſtridie Joannes Lignanus eſt mortuus.*

(*a*) *Sig. li.* 3. *de epiſcop. Bonon in Phil. Caraſ.*

Divina in ſacrilegum iconomachum ultio.

Confirmavit anno eodem divinum Numen inſignibus prodigiis cultum ſacrarum imaginum, Moguntiæ enim læſæ Chriſti & Virginis imagines ab impio homine, quem amiſſæ taxillorum ludo pecuniæ dolor egerat in rabiem, cruoris vim ingentem fuderunt: quo perculſus prodigio ſacrilegus immotus hæſit, donec comprehenſus eſt meritas pœnas daturus. Rem narrat Nicolaus Serarius ex Theoderico Greſemundo, cujus verba repetenda placent (*b*): *An. ſalutis noſtræ* MCCCLXXXIII. *fuit in his regionibus homo quidam, cui nomen Scheltroph, de cujus origine & patria, neque aliquid adhuc compertum habeo, neque magnopere attinet rimari:* Et infra: *Contigit, forte ut parum proſpera fortuna uſus pecuniam fere omnem, quam habebat, perderet* [*nempe taxillorum luſu*] *multumque detrimenti opinione ſua acciperet: quod cum per ludi progeſſum, nedum non emendaret, verum etiam immodice augeret, cœpit tandem, uti ſolebat, graviter ſtomachari: & poſt convitia colluſoribus dicta Deum etiam & ſanctos blaſphemare. Sunt qui referant, eum hac ira & impietate ſuccenſum palam fuiſſe minitatum, quamcumque crucifixi Jeſu imaginem primum obviam habuiſſet, ab ea ſe præſentis damni pœnas & vindictam repetiturum: quod & ſi hujus hominis impietati multum congruebat, multumque credibile eſt, tamen id pro comperto affirmare non auſim: hoc ſane conſtat eum a ſociis nihil pacatiore animo digreſſum perveniſſe ad ſacellum quoddam inter ædem D. Albani, & hanc B. Virginis eccleſiam ſitum, ubi jam olim hæc ſimulachra fuerant repoſita. Plenus erat Scheltroph haud dubiæ impietatis, & qui ſcelus abominabile jamdudum animo conceptum mox effundere concupiſceret. Quamprimum ergo ad id ſacelli pervenit hanc imaginem Crucifixi diſſecuit, ita ut nec ullatenus hæreret quidem. Mox divæ Virginis, aliorumque ſanctorum ſignis cruci aſtantibus cæſim & punctim, pleraque vulnera inflixit, haud abſimilis lupo qui majore interdum cædis libidine quam fame percitus in ovile indefenſum graſſatur. Hactenus Scheltroph debacchatus eſt.*

(*b*) *Serar. Mogunt. rer. l.* 5. *in Adulph.* 1.

Aleator iras in Chriſtum vertit.

Sacras imagines ferro conſcindit.

*Quæ vero ſequuntur ad vindictam divinam, & miraculum ipſum pertinent, terrificus enim & admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, ſubito ex vulneribus a crudeliſſimo illo ſicario paſſim illatis effluxit, cea non lignea ſimulachra, ſed vivi homines injuriam perpeſſi forent. Crederes Deum ipſum tanto ſcelere appetitum quodammodo indoluiſſe, & tam ſtupendo miraculo veluti manifeſta doloris confeſſione, mortales ad vindictam faciendam animaſſe. Scheltroph autem jam expleta impietate ſua, ſive nutu Dei affixus, ſive ipſo cruoris miraculo exterritus, inde pedem non movit, donec a ſupervenientibus in flagranti crimine deprehenſus, & in urbem Moguntinam captivus deductus eſt, non jam ſuæ, ſed divinæ iræ memor, anxiuſque metu pœnarum, quas paulo poſt dedit, non quidem flagitio ſuo reſpondentes* [*non enim tantæ impietati par ſupplicium excogitari poterat*] *ſed quas homini homines infligere debuerunt; vivus enim in conſpectu populi exuſtus eſt, non longe ab urbe in eo loco, quem Judæorum arenam vulgo appellant, quod Judæi quondam ſua cadavera illic humare ſolerent. Hac morte impiiſſimus ille Scheltroph conſumptus eſt: imagines vero vulneribus & cruore inſignes ab ædicula illa veteri, ad hoc templum ſumma veneratione ſacerdotum manibus tranſlatæ fuerunt, ubi in hodiernum uſque diem terrificus ille cruor viſitur, & admodum religioſe colitur, multique mortales varie afflicti ſuſceptis votis Dei optimi maximi clementiam experti & ſalutem adepti ſunt.*

Cruor ex illis manat.

Sacrilegus exuſtus.

Sacrarum imaginum e quibus fluxit cruor tranſlatio.



NOTÆ [1] QUæ de tranſlatione corporis S. Dominici hic ex Sigonio refert Annaliſta lucem majorem accipiunt ex iis quæ a Bartholomæo della Pugliola Minorita, per hæc tempora hiſtoriam miſcellam Bononienſem vernaculo ſermone ſcribente, memoriæ poſteritatis traduntur. Ita enim ille ad hunc annum: *L' arca del prezioſo Confeſſore M. S. Domenico fu aperta a di* 15. *del meſe di Febbrajo, la quale era in Bologna, nella quale arca fu ritrovato tutto il ſuo corpo intiero in una caſſa, e ne fu tolta la teſta ſua per mano di due Veſcovi, e fu poſta in un tabernacolo di argento .... a di* 22. *Febbrajo fu moſtrata la detta teſta a tutto il popolo di Bologna due volte; e il detto corpo fu ritornato nell' arca tutto intiero, ſalvo che la teſta. Quando il collegio* (Vexilligerorum) *fu a cavarla fuori dell' arca, gente aſſai ſe le raccomandò, e ſe le raccomandò Meſſer Stefano della Notaria che aveva un gran male, e ſubito fu liberato. Incontanente nell' ora che la detta arca fu aperta, apparve una ſtella chiariſſima grande e groſſa con tre code, e ſtette continuo ſopra la Chieſa di Meſſer S. Domenico per molte ore, e per ſino a che la detta arca fu aperta, e quei che vi erano videro la detta ſtella.* Idem ſcribit Matthæus de Griffonibus in memoriali hiſtorico ad hunc annum, qui & notat ſepulchrum Viri ſancti detectum fuiſſe hora ſexta noctis. MANSI

XI. In medio etiam ſuperioris belli Belgici inter Francos, Angloſque ardore, cum pactione militari Borburgum abeuntibus Anglis receptum (a) eſſet, direptumque a Gallico exercitu, avarus miles ſacras imagines violare auſus, divina ultione oppreſſus eſt, ut narrat Gaguinus (b) in Gallica hiſtoria hiſce verbis: *Oppido Burburgo recepto unus ex Francis ſacrorum contemptor templi foribus effractis, dum D. Joannis argenteum ſimulachrum rapere contendit, ſimulachrum averſa facie dorſum illi verſat; nec mora ſacrilegus fit mentis inops, atque in ſemet inſaniens in proprios artus deſævit: cæteri milites hoc eventu exterriti templo abſtinuerunt*. His conſentientia memorat Meyerus (c), atque ex Froſſardo addit Nicolaus Harpsfeldius: *Cum idem tentaret alius miles campanas ſponte omnes ſonuiſſe, eaque ob miracula Regem, procereſque attonitos templum religioſe inviſiſſe, ac trecentos amplius Francos illi donaſſe*. Editæ ſunt in eodem templo plures cœleſtes virtutes, quæ in Borburgenſis eccleſiæ monumenta relata fuere. Serpebat hoc tempore inter alias hæreſes a Wicleffo inſtauratas iconomachorum hæreſis, ut jam amovere ex ſacris altaribus ſacras imagines auderent, uti Nicolaus Harpsfeldius (d) narrat: *Et ſi*, inquit, *per Courtenejum & ſynodum Vuicleffi dogmata damnarentur, non defuere tamen multi, ut diximus, qui ea mordicus retinerent, & inter eos quidam etiam in illuſtriore loco, & ordine poſiti, fuere Guillelmus Nemilius, Ludovicus Gliffordius, Joannes Carcur, Richardus Styry, Thomas Latimer equeſtris ordinis homines, & cum primis dominus Thomas Latimerus, qui omnes Chriſti, & divorum imagines, quas in ſacello ſuo habuit, inde diſturbavit, & ejecit: iſti ſua gratia, ope, atque auxilio multos ut pertinaciter ſectæ adhæreſcerent vehementer animarunt*.

(a) Froſſar. vol. 1.

(b) Gaguin. l. 9.

(c) Meyer. l. 13.

(d) Harpsfeld. hiſt. Vuiclef. c. 16.

Imagines a Vuicleffiſt. deturbatæ.

XII. Sparſere Wicleffiſtæ plures alios errores, quos in nefariis eorum concionibus ſe audiviſſe memorat Henricus Knygtonius (e) canonicus Leceſtrienſis: additque ex primariis Wicleffiſticæ hæreſeos ſigniferis Nicolaum Herefordenſem, cum errores ſuos ab eccleſia Anglicana damnari ferre non poſſet, provocaſſe ad Urbanum Pontificem, (f) profeſſumque ejus ſententiæ ſe obtemperaturum; a quo ita damnatæ ex cardinalitii ſenatus decreto fuere, ut Nicolaus perpetui carceris pœna affectus ſit, at cum agente Neapoli Urbano ſeditio in urbe mota, carcereſque diffracti eſſent a populo Romano, hæreticum aufugiſſe.

(e) Knygton. de event. Angl.

(f) Ibid.

Senſit



I. Fracti Ludov. Andeg. conatus.

Senſit vindices iras divini Numinis Ludovicus Andegavenſis antipapæ ſignifer, periitque anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto indictione ſeptima, ejuſque exercitus, quo Neapolitanum regnum ſibi ſubjicere, & Chriſti vicarium evertere meditabatur, miſere diſſipatus eſt, in quem latæ toties ſolemni ritu pontificiæ execrationes ad irritum non cecidere. Et quidem prima januarii die, ut referunt diaria vetuſta (a) Hectoris Pignattelli, Neapoli Urbanus Carolo III. Rege & Margarita Regina adſtantibus, ac populi circumfuſa multitudine, ſacris operatus vexillum adverſus Ludovicum Andegavenſem attollendum, quod Rex, dum peragebatur divina res, manu ſuſtentabat, ſacra prece luſtravit, Regemque ipſum Eccleſiæ ſigniferum renuntiavit, ſacrum vero bellum promulgavit in Ludovicum Andegavenſem, quem repetita veteri ſententia damnavit hæreſeos (b) crimine, noxarumque ampliſſimam condonationem iis, qui religioſæ militiæ accepto crucis ſymbolo nomen darent propoſuit, profecturoque adverſus hoſtem Regi Cardinalem Maramaldum A. S. L. adjunxit. (c) Appetente itaque vere Carolus in Ludovicum, qui Tarenti ſedes fixerat, maximo ſuccinctus exercitu, ſigna movit. (d)

(a) Hector. Pignat. in diariis. Summon. l. 4. c. 1. & alii.

Vexillum eccleſiæ Carolo tradit Pontif.

(b) Id. ib.

(c) Hector Pignattel. ubi ſup.

(d) Theod. e Niem. l. 1. c. 34. & 35.

Urbanus vero Neapoli digreſſus die XXVI. maii Luceriam, quæ ex initæ antea cum Rege concordiæ pactionibus Butillo pontificio nepoti tradita fuerat, ſe contulit (e) maximo Cardinalium & aliorum aulicorum incommodo & pavore, ne in ſuburbanis ab hoſtibus opprimerentur; adeo ut menſe auguſto conſpecta eminus hoſtium agminis ſpecie, relicto in arce, quæ munitiſſima erat, Urbano, captaque fuga Neapolim ſe receperint, quos ad ſe revocare Urbanus Theodorici e Niem opera eniſus eſt (f): ſed Cardinalis Reatinus novarum turbarum author redire detrectavit. Auxit incommoda Margaritæ Reginæ impotentia, quæ acerbioribus edictis commeatus pontificiis afferri vetuit: quæ Urbanus in ſui contemptum atque apoſtolicæ dignitatis injuriam data interpretatus; pro ſupremo, quod in regnum Neapolitanum habebat imperio, vectigalia a Margarita Regina impoſita abrogavit (g): at fœmina ira efferata in eundem clandeſtina conſilia, ut illum Luceria divelleret conflavit, quæ proximo anno in lucem eruperunt.

Luceriam ſe confert Urb.

(e) Id. c. 36.

(f) Theod. e Niem. l. 2. c. 37.

Cardd. Neap. trepidi ſe recipiunt.

Ortæ inter Urb. & Reginam diſcordiæ.

(g) Gobelin. æt. 6. c. 78.

II. Quæ vero hoc interim ſpatio inter Carolum Regem & Ludovicum ducem Andegavenſem bello geſta ſint, deſcribunt MS. diaria Hectoris Pignatelli, ſcilicet Andegavenſem a Carolo laceſſitum, pugnam in quintum diem condixiſſe; verum Carolum conſuluiſſe Othonem Brunſvicenſem veteranum ducem, quem tenebat in vinculis, admonitumque, ut Gallicos impetus mora & tædio frangeret: atque ob ſalubre conſilium libertati reſtitutum fuiſſe. Addit Theodoricus e Niem (h): Ludovicum in anguſtias, ob commeatuum maximam inopiam adductum fuiſſe, ac poſt multa leviora conſerta prælia bellicis attritum laboribus morbo epidemico oppreſſum eſſe: nec deſunt qui dicant (i) congreſſum cum Alberico pontificio duce aliquot vulneribus ſauciatum, fuſoque multo cruore, quamvis lethalia non eſſent ægritudine animi conſumptum. Ut ut fuerit, æque infelices exitus, ac reliqui antipapæ duces expertus in triſte divinæ ſeveritatis exemplum abiit, de quo hæc tradit Thomas Walſinghamus (k): *Hoc anno dux Andegaviæ poſt longam & procul poſitam a patria peregrinationem, poſt opum indicibilium & expenſarum profuſionem, poſt magnatum ſuorum morte pereuntium amiſſionem, ſpe ſua fruſtratus decidit in lecto ægritudinis, & ſimili ſorte periit in magna mentis amaritudine, moriens in terra aliena. Sicque factum eſt, ut cui non placuit fortuna ſua, dum ad dignitatem aſpirat regiam, ducatus amiſit honorem: & non ſolum ambitioſus moriens, ſed etiam excommunicatus, vitam finivit. Qui remanſerunt de ejus exercitu veſpillones & latrones facti non ſolum regnum Siciliæ, ſed & alia in gyro poſita loca impleverunt cædibus & rapinis; & hic factus eſt fructus totius apparatus ducis Andegaviæ regnum Siciliæ meditantis conquirere, & Papam Urbanum ſuppeditare conantis*.

(h) Sup. c. 35.

Ludovic. variis fatigatus incommodis perit.

(i) Summont. hiſt. Neap. l. 5.

(k) Vualſin. in hiſt. Angl. hoc anno in Rich. 2.

Ejus calamitas.

Magnis quidem naturæ dotibus ornatus erat Ludovicus, ac dignus qui meliorem cauſam ſecutus fuiſſet, optaratque olim, dum Gregorius XI. vivebat, arma adverſus Saracenos conſecrare Chriſto, ut ex S. Catharinæ, quam impenſe coluerat, literis (l) conſtat. Tranſgreſſa Alpes decem equitum millia penetraverant in Etruriam auxilium illi latura, ceperantque exulum ope Aretium, cum obitus illius fama percrebuit (m), eaque urbe Florentinis, ingentem auri vim pacti, divendita ſigna in Gallias reflexere, ac reliquus pariter Ludovici exercitus diſſolutus eſt: quem caſum Roberti antipapæ vitæ ſcriptor (n) ita deflet:

(l) S. Cathar. ep. 200.

Ante ſchiſma optarat ducere exercitum in Saracenos.

(m) S. Ant. 3. par. tit. 22. c. 2. §. 9. Collenut. l. 5. & Paul. Æmil. l. 9.

Subſidia ſerius illi miſſa.

(n) Clem. antip. auctor. apud Boſq.

III. *Anno MCCCLXXXIV. die XII. menſis ſeptembris X.* octobris extinctum ferunt Neapolitana diaria, *memoratus dux Andegavenſis Ludovicus regio nomine jam aſſumpto, qui hactenus dives & abundans plurimum extitit, ſatis pauper, & indigens Amedeo comite Sabaudiæ prælibato, multiſque ex ſuis commilitonibus & armigeris*

Divina in ſchiſmatis defenſores ultio.

*geris tam inedia, quam gladio jam defunctis, prout Domino placuit, infirmitate prægravatus diem clauſit extremum* [1] *in civitate Barenſi ſuæ tunc ſubdita ditioni: quod quam lamentabile quamque damnoſum extiterit ſibi adhærentibus, quos jam multos ultra ſecum ductos in dicto regno habebat, tam amore quam vi ſibi confœderatos & attractos, judicet qui cogitat percuſſo capite cætera membra pati. Succeſſit autem ſibi, tam nomine, quam ea parte, quam in dicto regno obtinebat, Ludovicus filius ſuus primogenitus vix ſeptennis, qui ſub regimine matris ſuæ habuit, diutius permanere, ſaltem donec & quouſque ad annos attingeret pubertatis. Interim vero per dictæ matris providentiam cum aſſiſtentia & juvamine dicti Clementis Papæ patria Provinciæ, quæ patri rebellis & inobediens extiterat, ad ipſius dominium eſt reducta.*

Ludovicus filius parenti ſuccedit.

Provincia potitur.

Contulit (a) antipapa jure fiduciario Ludovico juniori proximo anno Neapolitanum regnum iiſdem legibus, quas olim Clemens IV. cum Carolo I. pactus erat, ac Mariæ matri regni procurationem detulit, quæ ad inanem tantum ſpeciem geſta ſunt.

(a) *Clem. antip. l. 7. p. 149. & 175.*

Collatum illi ab antipap. regnum Neap.

IV. At victor Carolus Siciliæ Rex, cum Ludovico extincto res ſuas firmaſſet, non eo, quo par erat, officiorum genere Urbanum eſt proſecutus, priſtinæque ipſos inter diſcordiæ recruduere. Eo denique res erupit, ut Pontifex ſpretis ſuorum conſiliis, ac ſeditioſorum promiſſa ſecutus Neapoli Carolum depellere meditaretur: Carolus vero, una cum Cardinalibus & præſulibus adverſus Urbanum conjuraret. Refert in diariis Hector Pignatellus (b), Carolum nondum bene ex morbo maligno, quo curis ægris decidebat, recreatum x. die novembris reverſum iniquo animo tuliſſe, Urbanum Luceriæ agere, cum ſiniſtras ſcilicet ſuſpiciones animo conciperet eumque rogaſſe, ut Neapolim rediret, ac tum Urbanum reſpondiſſe, conſueviſſe Reges ad Pontificum pedes accedere, non vero a Pontificibus adeundos Reges; ac ſi pontificiam amicitiam colere vellet, ut populum vectigalibus liberaret, edixit. Excanduit ad hæc verba Rex ſuperbus, reſponditque ſe nova etiam vectigalia poſſe imponere populo, ac regnum armis peperiſſe, contenditque non eſſe pontificii muneris regni gubernacula tractare, ſed ſacerdotibus imperare, unde inter Regem Carolum & Urbanum bellum exarſit, neque umquam inter eos conciliari amicitia potuit.

Diſſidia inter Urbanum & Carolum recrudeſcunt.

(b) *Hector Pign. diar. Neap.*

V. Inter has turbas cum, uti videtur, plures pſeudoreligioſi viri ſuis concionibus Urbano detraxiſſent, atque in ſacris exomologeſibus opiniones ſchiſmaticas fidelibus inſtillarent, patefactoque flagitio judiciariam ſeveritatem, in alias oras tranſvolando, facile eluderent, Urbanus ad iras pronus religioſarum familiarum privilegia de excipiendis ſacris populorum confeſſionibus, inque ſuis templis habendis concionibus reſcidit, ac parochis primævam in ſubditos populos authoritatem reſtituit, ne ex vaga recipiendi a quibuſvis religioſis ſacramenta libertate ab aliquo inficerentur, arctiuſque in caulis Eccleſiæ ob temporum iniquitatem a parochis & epiſcopis tantum divino pabulo refecti continerentur: tum alia ad epiſcoporum & parochorum tuendam dignitatem ſanxit ſubjecto diplomate, quod repetit Albertus Krantzius (c).

(c) *Ext. apud Krantz. metropol. l. 10. c. 21.*

*Dilectis filiis univerſis religioſis cujuſcumque ordinis vel religionis præſentes literas inſpecturis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem, &c.*

*Univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus parochianos diebus dominicis & feſtivis non recipiatis de cætero in eccleſiis & oratoriis veſtris ad divina, nec ipſos ſine licentia ſui ſacerdotis ad pœnitentiam aliqualiter admittatis. Cum quis alieno ſacerdoti juſta de cauſa ſua voluerit confiteri peccata ſecundum ſtatuta concilii generalis, licentiam prius poſtulare ac etiam obtinere debet a proprio ſacerdote, vel alias ſibi primo confiteri & recipere beneficium abſolutionis ab eodem: aliter namque ab ipſo abſolvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus, poteſtatis ſcilicet & ſcientiæ requiratur, quorum alterum in alieno conſtat deficere ſacerdote.*

Religioſi ordines ſuis immunitatibus privati.

*Et ne parochialibus eccleſiis devotio debita ſubtrahatur, ante miſſarum ſolemnia, ad quæ audienda parochiani prima diei parte in ſuis conſueverunt & debent convenire eccleſiis, nequaquam in eccleſiis veſtris ſupradictis ſolemnes eis faciatis ſermones, ne propter hos audiendos ad vos confluens populus parochiales eccleſias derelinquat; ſed nec ad prædicandum ad illas parochias procedatis niſi a ſacerdotibus earum parochiarum fueritis invitati, vel ſaltem ab illis petieritis humiliter & obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honor deferatur, eodem die, quo diœceſanus epiſcopus, vel alius loco ejus ſolemniter prædicat, maxime in eccleſia cathedrali, nullus veſtrum in ea civitate vel loco prædicare præſumat, ne ſalubris prædicationis doctrina ex inculcatione hujuſmodi frequenti quaſi tædium generet & contemnatur.*

*Si vero in caſu licito parochianos alterius ad ſepulturam, quam nemo ſine juſta & rationabili cauſa temere debet eligere, antiquis parentum ſuorum dimiſſis ſepulturis, in veſtris eccleſiis vos recipere contingat, omnium, quæ obtentu hujus ſepulturæ fuiſtis conſecuti medietatem vel tertiam partem vel quartam juxta felicis memoriæ Gregorii Papæ prædeceſſoris noſtri decretum, & ſecundum conſuetudinem, etiam non requiſiti infra octo dies a tempore receptionis eorum epiſcopo vel ſacerdoti, de cujus parochia eſt aſſumptus, mortuus exhibere curetis:* & infra; *ſi quis vero veſtrum ejuſmodi præcepti tranſgreſſor proviſionis noſtræ extiterit, vel contra prædicta, aut aliquid prædictorum venire præſumpſerit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis ſententiam quam de facto ipſum incurrere volumus, gravi ſuo periculo ſubjaceat, & nihilominus a loci diœceſano ad præmiſſa omnia obſervanda cenſura eccleſiaſtica, appellatione remota, diſtrictius compellantur, nullis ei contra hoc indulgentiis aut apoſtolicis privilegiis valituris. Dat. Neapoli* II. *kal. decembris, pontificatus noſtri anno* VII. Periere hujus anni regeſta ex quibus integrum diploma decerpi potuiſſet. Cæterum ejuſmodi Urbani decretum ab aliis poſtea Pontificibus abrogatum fuiſſe conſtat.

VI. Contigit hoc anno felix obitus Cerardi Magni conditoris congregationis vitæ communis, ſeu fratrum bonæ voluntatis, qui nullo obſtricti voto labore manuum, in deſcribendis ſanctorum patrum voluminibus, nondum arte typographica inventa, vitam ſuſtentabant, in quos poſtea, cum defloruiſſet priſtinus ille pietatis nitor, in concilio Conſtantienſi actum eſt. Meminit illius inter natales ſanctorum Belgii Molanus (a), additque ab eccleſia Romana illi cultum nondum decretum fuiſſe; obiiſſe vero hoc anno die S. Bernardo ſacro. Conſcripſit Gerardus nonnulla opuſcula, quæ a Trithemio (b) recenſentur; ejuſque res geſtas tradidit poſteritati Thomas a Kempis (c), quem inſignibus demiſſionis Chriſtianæ in contemptu ſui præluxiſſe exemplis narrat: *Recordabatur,* inquit, *humilis magiſter & paupertatis ſectator qualis dudum in ſæculo fuiſſet, cum delicias amaret, quoniam oportet recto judicio, contraria contrariis curare. Olim ſiquidem pulchris veſtibus & cingulo deargentato proceſſit in publicum: tranſivit etiam inter canonicos cum ſuperpelliceo ſubtiliſſimo & almutio formoſo, corpori ſuo latiora ſæpe indulſit alimenta, & pocula pretioſa: ſed poſtea mutatus in virum alterum non eſt paſſus priora inulta tranſire, ſubjecitque ſe non ſolum pedibus majorum & honoratorum, ſed etiam noviſſimorum laicorum, coram eis ſuper nudam terram aliquoties comedendo, ita inquiens: Non ſum dignus vobiſcum in ſedili ad menſam ſedere, quia plus omnibus peccavi & Deum offendi: & qui capiti ſuo loturam ſuperfluam frequenter exhibuerat, crines molliter componendo, poſtmodum ſibi ipſi indignatus birretum geſſit in capite valde vetuſtum, a tineis corroſum, & pene centum foraminibus pertuſum. Magnam igitur ſibi violentiam fecit, carnem ſubegit, mundum contempſit.* At qui in humanis oculis adeo deſpectus videbatur, coram divinis tanti æſtimatus eſt, ut ſuis precibus magnas hominum ſtrages averterit, ſuoſque cives ab hoſtium telis eripuerit: *Quodam tempore* (d), inquit Thomas e Kempis, *cum cives Daventrienſes contra hoſtes ſuos pergerent armati, vir Dei pro civium ſalute ſuppliciter oravit, & factum eſt, Deo diſpenſante, ut hoſtibus appropinquantibus nebula condenſa inter eos exurgeret, unde adverſarii perterriti, & in fugam verſi diſceſſerunt. At cives cum ſuis ſalvi & alacres in oppidum remearunt. Multum ergo valeat deprecatio juſti aſſidua.*

(a) *Molan. in chron. SS. Belgii p. 310. & in natal. eorund. ad 20. auguſt.*

(b) *Trith. de Script. eccleſ.*

(c) *Thomas de Kemp. in vit. Gerar. Mag.*

Ejus converſio.

(d) *Cap. 12.*

Prælium inter Daventrienſes & eorum hoſtes dirimit.

VII. Enituerat denique omnium virtutum exemplis, cui epitaphium (e) inſigne hoc Willelmus cantor Pariſienſis & eccleſiæ Leodienſis archidiaconus inſcripſit: *Sacræ recordationis magiſter Gerardus dictus Magnus feliciter migravit ad Dominum, & vere magnus, qui in omnibus ſcientiis liberalibus, naturalibus, moralibus, civilibus, canonicis, & theologicis nulli erat ſecundus in orbe, erat enim tantæ ſanctitatis exemplar in mortificatione carnis, in abnegatione temporalium, & contemptu mundi, in fraterna charitate ad omnes, in deſiderio ſalutis animarum, in efficacia prædicationis, in reprobatione & deteſtatione vi-*

Sepulchrale ejus elogium.

(e) *Ext. apud Penot. hiſtor. Tripart. cler. can. l. 2. c. 63. ex chron. capit. Vindeſimen. l. 1. c. 5. Chron. magn. Belg. auct.*

NOTÆ [1] CErtam diem & menſem qua Ludovicus Andegavenſis, Jeruſalem, & Siciliæ Rex appellatus, deceſſit alii aliam aſſignant. Ephemerides enim Neapolitanæ diem Octobris X. definiunt; Author vero Chronici Regienſis Auguſtum menſem conſtituit; alii denique cum Collenutio diem XXI. Septembris malunt, quibus poſtremis calculus noſter addicitur. In eam vero opinionem ideo deſcendo quod Sozomenus, coævus author, in Hiſtoria Piſtorienſi notet die XXIX. Septembris ab iis Gallorum copiis, quæ ad ſupplendum exercitum Ludovici Andegavenſis venientes Etruriam antea excurrerant, cum venirent in Apuliam captum fuiſſe Aretium, Urbem Carolo Siciliæ Regi parentem, die XXIX. Septembris, eademque pariter die enunciatum ex Apulia Ludovici obitum fuiſſe. Non igitur die X. Octobris obiit Ludovicus, quin nec die XII. Septembris, ſive Auguſto menſe; neque enim literæ ejus rei nunciæ tamdiu dilatæ fuiſſent. Porro Ludovici hujus ſupremas tabulas ante annum ab obitu confectas Tarenti, anno ſcilicet 1383. die XX. Septembris Indictione VII. a Septembri cœpta vulgavit ex autographo P. Martene Anecdot. to. I. col. 1594. ex quibus intelligimus Ludovicum filium ejus natu maximum tutelæ matris commiſſum a patre fuiſſe uſque ad annum non pubertatis tantummodo, ut author vitæ Clementis apud Annaliſtam hic conſtituit, ſed ad ætatis XXI. In iis pariter tabulis ſignificat priſtino ſe deſiderio transfretandi [in] Palæſtinam teneri, quam expeditionem in votis habere ſe teſtatur. MANSI

*vitiorum, in opponendo ſe hæreticis, in perſequendo ſecundum jura canonica concubinarios, in convertendo ad vitam ſpiritualem viros ac mulieres prius ſecundum ſæculum viventes, in fidelitate ad dominum noſtrum Urbanum VI. quod multa millia perſonarum teſtificantur de credulitate, quod credunt eum, non minorem fuiſſe in dictis virtutibus, quam in antedictis ſcientiis.*

VIII. Vvicleff. hæreſiarcha divina ultione percuſſus.

(a) *Valſin. in Rich.* 2.

Diſpar longe extitit infeliciſſima mors Joannis Wicleffi hæreſiarchæ, quem Richardi Regis, & archiepiſcopi Cantuarienſis juſtam ſeveritatem fugientem divina ultio oppreſſit exeunte hoc anno, ut refert Walſinghamus (*a*), qui propterea in ſequentis anni initio ejus obitum collocat, quod a natali Chriſti, non ab ineunte januario annos auſpicetur: *Die*, inquit, *S. Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi martyris, organum diabolicum, hoſtis eccleſiæ, confuſio vulgi, hæreticorum idolum, hypocritarum ſpeculum, ſchiſmatis incentor, odii ſeminator, mendacii fabricator Joannes de Vviclif, dum in S. Thomam, ut dicitur, eodem die in ſua prædicatione, quam dicere præparaverat, execrationes & blaſphemias vellet evomere, repente judicio Dei percuſſus ſenſit paralyſim, omnia ſua membra generaliter invaſiſſe, os nempe, quod contra Deum, & ſanctos ejus, ſive ſanctam Eccleſiam ingentia locutum fuerat a loco ſuo miſerabiliter diſtortum, horrendum cernentibus ſpectaculum exhibebat: lingua effecta muta confitendi vel teſtandi copiam denegabat; caput tremulum maledictionem, quam divinitus in Cain fulminaverat, in ipſum latam etiam patulo demonſtrabat: & ut nulli veniret in dubium cum Cain conſortio deputatum (ut aſſerunt qui affuerunt morienti) per ſigna forinſeca moriens deſperavit: & quidem totius malitiæ ſuæ concluſio talis erat.*

De ſua ſalute deſperavit moriturus.

(b) *Harpſf. in hiſt. Vvicl. l.* 5.

His conſententia refert Nicolaus Harpsfeldius (*b*) ex veteribus monumentis, obſervatque illum die ſacro S. Thomæ archiepiſcopo percuſſum morbo, ac die, qua S. Silveſtri memoria recolitur, in quos præcipue declamare conſueverat, flagitioſam vitam clauſiſſe. Conſueverat ille declamandi arte in eccleſiaſticas opes (quas a S. Silveſtro male inductas obganniebat) imperataque a ſe ſacerdotali ordini paupertate adumbrata ſanctitatis inanem exiſtimationem exambire, ut ſuarum hæreſum venena improvidis infunderet

Fraudes Vvicleffi & cauſæ hæreſeos.

IX. Fefellit etiam Wicleffus philoſophicis argutiis ſectarios ſuos, cum doctrinæ logicalis magnum ſpecimen præſeferret, inque pulvere ſcholaſtico ad inſaniam pugnaciſſimus foret. Ut vero nova promere oracula videretur, veteres philoſophorum errores inſtauravit, quos ſuæ inſeruit logicæ; qua in re ipſum Manetis veſtigiis inhæſiſſe demonſtrat Thomas Waldenſis (*c*), ejuſque ineptias aperit, qui affirmaverit logicæ & phyſicæ ſuæ commentarios ad Scripturæ intelligentiam pernecеſſarios, quaſi Divi Hilarius, Auguſtinus, & Ambroſius, ſine iis ſcripturam non intellexerint. At cum ſuas næ nias a ſanctis patribus damnatas probe noſſet, perſuaſit ſuis non audiendos eſſe ſanctos Eccleſiæ doctores, ſed veteres philoſophos conſulendos, ex quorum placitis ſacram Scripturam explicari pervertique voluit (*d*): quæ veterum hæreſiarcharum ars extitit. Si quandoque tamen aliqua ſanctorum patrum dicta ſubobſcura & perplexa reperiebat, quæ ad ſuam fucandam ſententiam poſſet detorquere, illa arripiebat avide, & ex dictis Scripturæ difficilioribus perſpicuos obſcurabat, atque ex vitiis ſacerdotum damnandi ſacerdotalis ordinis occaſionem captabat, quas fraudes, aliaſque Thomas Waldenſis (*e*), qui eas propius inſpexit, ita accurate deſcribit: *Poſtquam in juvenilibus annis logicalibus ejus auſcultantes aures induſi, ad libros hæreſum cum veniſſem, ſtupebam ultra modum, aſſertiones ejus prægrandes, & authoritatum loca taxata cum vehementiis rationum: fides mihi manſit integra, ſed cum opinione luctabar. Tandem poſt tempora ad ſacros libros me tranſtuli, & non diu quando publicum ſcripturarum invenirem, falſarium extorquere ſcripturas ad ſenſum per omnes ſacros expoſitores adverſum ſcripturas per ſe planas involvere, occultare ſimplices veritates, & cum gloſſis vanis hinc modificare, hinc radere ſacra, tractatores ſanctos & ſacros canones, ſi ſuæ perfidiæ ſociare non poſſet abjecit, quandoque non audiendos dicens, interdum apocryphos: quando item deficit intellectus tranſfert ſe ad convicia, argumenta ſumens contra fidem vitia perſonarum tunc ſtrepunt litigia, volitant ſcandala, ſufflantur & lites & rixæ, contentiones, improperia, æmulationes, contumeliæ inauditæ; & has dictiones veritatem appellat, cum planiſſime mentitur. Horrent aures fidelium cum ſepulchrum (f) patuerit oris hæretici, &c.*

(c) *Vald. to.* 3. *doctr.* 5.

(d) *Id. Ib. doct.* 6.

(e) *Id. to.* 1. *in præf.*

Patrum dicta auſus corrumpere.

(f) *Pſ.* 5. & 13.

X. De ejuſdem hæreſiarchæ ſcriptis, præter ingentes infandoſque errores, de quibus antea dictum (*g*) eſt, quorum etiam vel perditiſſimum Mahometem, vel cœcos gentiles puduit, & præter fellea maledicta, doctrina aut eloquentia ipſum præditum non fuiſſe, obſervat idem author (*h*).

(g) *Anno* 1378. *n.* 118. 1380. *n.* 21.

(h) *Vvald. to.* 3. *doctr.* 6.

Ut tamen ſacram doctrinam obſtentaret tanto ſe illam habere in pretio finxit ut omnia dogmata, quæ in Scriptura ſacra expreſſis verbis non continerentur, tamquam commenta inania, & nugaces quisquilias ſe contemnere jactaret: atque hoc uno maxime laqueo plures imperitos ſuoque præfidentes ingenio præfocavit, cum non perpenderent plura dogmata ad ſalutem neceſſaria in ſacris literis non



contineri expreſſe, ſed Apoſtolica traditione ad nos perveniſſe, ut Thomas Waldenſis (*a*), his verbis demonſtrat: *Poſt authoritatem*, inquit, *Scripturæ ſacræ inſuper & univerſalis eccleſiæ adhuc ſupereſt authoritas incumbens determinationi majorum in rebus dubiis, quam ſimpliciter negat Vvicleff, dicens apud ſapientes relinquendum, tanquam impertinens veritati quidquid Scriptura ſacra non ponit expreſſe (b).* Et paucis interjectis: *Ex hoc fundamento deſtruit articulum fidei, quo credimus eccleſiam catholicam, & apoſtolicam nihil reſervans authoritatis ejus teſtimonio, vel decretis, ſine qua, nec evangelio crederemus: & ubi, rogo, credendum invenis Deum eſſe tres perſonas, non tres eſſentias? In Scripturis [inquit]. Verum eſt, ſed non deſinitum expreſſe; unde* VII. *de Trinitate* 4. *cap. de magnis vel ſeptimo de parvis Auguſtinus. In Scriptura, dicit, non tres Deos, ſed non tres perſonas alicubi Scripturarum commemorare invenimur. Sequitur. Propterea licuit loquendi, & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia ſcriptura dicit; ſed quia non contradicit. Si autem diceremus tres Deos, contradiceret Scriptura dicens: Audi Iſrael dominus Deus tuus unus eſt: cur ergo tres eſſentias, non licet dicere? quod ſimiliter ſicut Scriptura non dicit, ita nec contradicit. Hæc Auguſtinus. Item Patrem divinum ingenitum, aut Filium eſſe illi homouſion non habetur in ſcripturis. Unde epiſtola ad Paſcentium Arianum & eſt ep.* 174. *Auguſtinus (c): Ego quod dixeram repetivi ita fieri poſſe, ut homouſion, neque ſcriptum in libris ſanctis inveniatur, & tamen dictum in aſſertione fidei defendatur, ſicut Patrem in illis paginis nuſquam ingenitum invenimus, & tamen dicendum defenditur. Hæc Auguſtinus.*

(a) *Id. l.* 2. *art.* 3. *c.* 23.

Jactabat ſe non admittere decreta Eccleſiæ, ſed divina oracula.

(b) *Deuter.* 6.

(c) *Aug. to.* 2.

XI. Provocavit ad divinas revelationes fictas.

Ad reſcindenda vero omnia fidei orthodoxæ dogmata, inſtillandaque incautis ſua deliramenta, Scripturæ ſacræ interpretrationem ſibi, veluti edocto a Spiritu Sancto, arrogavit; edixitque non conciliis, ſed ſoli divinæ revelationi (nimirum falſo jactatæ) in ambiguis ſacris oraculis decidendis fidem adhibendam, non aliter, quam alii hæreſiarchæ fictas mente revelationes venditarunt, quaſi ſcilicet conciliorum patres, ſummus Eccleſiæ Præſes, & univerſa Eccleſia veritatem ſacrorum oraculorum non accepiſſent; ſed unus Wicleffus veritatis interpres eſſet conſtitutus, vel omnia velut ambigua ſpernenda ſint, cum etiam ipſa illuſtria & perſpicua oracula perplexis interpretationibus confunderet. Cum etiam ad conflandam ſectam illi viſum eſſet, corrumpendos eſſe ſacerdotes, hac illecebra pellicere ipſos in hæreſim niſus eſt, ut ſacerdotibus mulieres mulieribuſque ſacerdotium pro ſuo jure traderet, de quibus plura narrat Thomas Waldenſis (*d*).

XII. Hæ fuere præcipuæ artes, quibus Joannes Wicleffus hæreſim propagavit: poſt cujus mortem ipſius ſectatores jactaverunt (*e*) impudenter, illum ſcientia ſua omnes catholicos doctores ita perſtrinxiſſe, ut nunquam ab eccleſia damnatus fuerit dum ſuperſtes fari potuit. At nos vidimus ipſum a Gregorio XI. primum damnatum, ac XVII. ejus articulos cenſura notatos; damnatum etiam ab Oxonienſibus theologis, (*f*) pariterque a pluribus Londinenſibus ſynodis, in quarum poſtrema comparere non eſt auſus, cum antea dogmata ſua contrariis interpretationibus improbaſſet. Illum etiam Urbanus VI. confirmatis Londinenſis ſynodi actis, nec non Sorbonici doctores damnarunt, ut indicat Windefordus (*g*). Quæ ſi non credant Wicleffiſtæ, ſaltem ſuo hæreſiarchæ conquerenti (*h*) ſe damnatum fuiſſe a præſulibus Angliæ, credant, convictique mendacii conticeſcant. Damnatum poſthac Wicleffum in alia Londinenſi (*i*) ſynodo, cui Thomas Arundelius archiepiſcopus Cantuarienſis præfuit viſuri ſumus; ac demum a Conſtantienſi concilio œcumenico adverſus cujus ſententiam ſe præmunire nitebatur, dum dicebat, non conciliorum dictis, ſed revelationi Spiritus Sancti, quam ſe accepiſſe jactabat, acquieſcendum.

(d) *Thom. Vvald. to.* 1. *l.* 2. *art.* 2. *c.* 19.

(e) *Vvald. tom.* 3. *art.* 7. *de ordinis ſacram. c.* 66.

(f) *Thom. Vvald. to.* 2. *de ſacram. doct.* 8.

(g) *Vvindeford. in tract. contra art. Vviclef.*

(h) *Vviclef. in* 4. *trial. cap.* 36.

(i) *Thom. Vvald. ubi ſup.*

XIII. S. Oſuin. Rex.

Hoc anno vigeſimo die menſis auguſti inſigne prodigium contigiſſe in Anglia, narrat Thomas Walſinghamus (*k*), cum ſcilicet duo nautæ feſtum diem S. Oſvini Regis, & martyris in eccleſia Anglicana percelebris violarent, ſanguinem e ligno, quod ſecuri percutiebant, fluxiſſe; atque hæc poſtremo addit (*l*): *Res defertur in cœtum clericorum, qui omnes cum laicis miraculum approbant, ſignum defertur Tynemutham, ubi prædicti ſancti corpus quieſcit in teſtimonium miraculi præmonſtrati.*

(k) *Walſing. in Rich.* 2.

(l) *Id. in hypodigm. Neuſtri.*

Prodigio inſigni Euchariſtiæ veritas illuſtrata.

Hoc etiam anno in Wandalia divina providentia conſpicuo miraculo præſentiam Chriſti in Euchariſtia illuſtravit, ac poſtea conſecutis etiam pluribus cæleſtibus virtutibus, quæ ſui magnitudine fideles ex vicinis regnis ad pias peregrinationes incitarunt, confirmavit. Rem miram Alberti Krantii (*m*) verbis repetimus: *Anno* LXXXIV. *poſt mille trecentos, quo curſus ille in Vvilſenacum oppidum Prigniſſæ Vvandalico in ſolo cœpit per eam occaſionem vulgari. Erant nonnulli in ea regione habitantes, vel hoſtes, vel latrunculi [incertum enim reliquerunt, qui ſignarunt annales] qui incenſa villa Vvilſenaco eccleſiam pariter in cineres redegerunt. Sacerdos cum ad proximam villam confugiſſet, eſſetque noctu in ſtrato, audiſſe fertur vocem: Surge, præpara te ſacris miniſteriis dicturus miſſam in altari exuſtæ nuper eccleſiæ. Primam vocem arbitra-*

(m) *Krantzius Vvald. l.* 9. *c.* 11.

*tratus ludificationem contempſit. Repetita ſecundo, repetita quoque tertio, nec potuit negligere ita firmatam denuntiationem. Surgit, & ex more ſoluto labiorum penſo ad eccleſiæ locum proficiſcitur. Stabat altare poſt incendium: duo ibi cerei ex latere utroque, in medio mundam vidit ſindonem, inque ea trinam hoſtiam, quæ videbatur in unam coaluiſſe, eamque cruentam; ſtupefactus rei novitate; unde hoſtiæ cruentæ poſt incendium reverenter inclinans, & componens quomodo poterat, concito petit loci antiſtitem Havelbergenſem, quid audierit, & deinde quid viderit enarrat. Miratus & ille proficiſcitur cum clero, videt, miratur, cuncta percontatur. Ubi præter divinum miraculum nihil videt, recondit chryſtallo, & vicinis primum locis, inde remotioribus Dei mirabilia nuntiantur, accurrunt undecumque populi ab uſque Ungaria, Francia, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Norvvegia. Multa fertur renovaſſe Chriſtus Dominus in revelatione corporis ſacri ſub altaris velamento mirabilia.* Et infra: *Clareſcente nuper in Sternberg miraculo curſus prior elanguit quamvis non omnino interierit.*

XIV. Confirmata eſt Chriſti præſentiæ in Sanctiſſima Euchariſtia veritas inſigni alio prodigio in pago, cui nomen eſt Sevel in finibus comitatus Tirolenſis ſito non procul ab Oeniponto; nam cum Oſvaldus Mulſer impudenti faſtu elatus non minorem, ſed majorem hoſtiam a ſacerdote, intentatis etiam minis depoſceret, ſub ipſo hiare cœpit terra vivum deglutitura, ni (*a*) lachrymis crimen expiaſſet. Hiſtoriam narrat Tilmannus Bredembachius ex tabula ænea, quæ ad perpetuam rei memoriam in templo ejuſdem pagi pendet excerptam, his verbis: *Anno a nativitate Domini MCCCLXXXIV. quidam dictus Oſuvaldus Mulfer ex nobili ortus proſapia in Seveld, & ibidem in caſtro vulgariter Schloſperg nuncupato reſidens, tempore paſchali quo Chriſti fideles ex præcepto Eccleſiæ ad communionem Euchariſtiæ accedere ſolent majore hoſtia, & non, ut cæteri laici, communicare nitebatur. Ex timore itaque huic ſacerdos pernicioſe aſſentiri volebat: ſed dum venerabile Sacramentum ſupra linguam antedicti Oſuvaldi poneretur, ecce miraculoſe ante altare terra ſe aperit ac ſi ipſum Oſuvaldum prorſus deglutire vellet, & in illam, uſque ad genua cecidit: ille vero manibus latus altaris apprehendit; ſed altare iſtic tactum inſtar ceræ molleſcere cœpit manibuſque ceſſit. Oſuvaldus præſentem Dei vindictam præſentiens, mox pœnitentia ducitur veniam a Deo precatur: cumque hoſtiam deglutire non poſſet, Deo id non permittente, ſacerdos eam in ſacrarium reponit, quæ etiamnum hodie iſthic ſanguineo colore divinitus tincta, & ex linguæ ſaliva nonnihil contracta conſpicitur, ubi etiam jam inde ad noſtra uſque tempora plurima fiunt miracula. Ego Tilmannus Bredembachius ex urbe in Germaniam reverſurus monitus a reverendo domino Martino Eiſengreinio, ut ad locum iſtum diverterem, altare ipſum, & in eo manus Oſuvaldi veſtigia vidi & contrectavi, ac juxta illud terræ hiatum, quo abſorberi cœperat, modo ferreis cancellis obtectum: denique ipſam hoſtiam & caſtrum, in quo vixit, conſpexi. Porro Oſuvaldus iſte, ſic divinitus correptus in moleſtam incidit ægritudinem, pœnitentiamque agens & confeſſus aliquanto ſupervixit tempore, demum mortuus in Domino.* Hactenus Bredembachius.

(*a*) *Tilm. Bredembach. in collat. l.1. c.35. & Theodoſ. Ruben. in lib. de Euchar.*

Divina in ſacrilegum ultio.

Pœnitenti venia data.

Præſentia Chriſti in Euch. miraculis confirmata.

Exar-



I. Exercet Urbanus cum Cardinalibus iras.

EXarſerunt in apertum bellum graves diſcordiæ inter Urbanum & Carolum Siciliæ Regem, jam ante exortæ, ſuppliciiſque in Cardinales occultæ conſpirationis reos, licet magna antea probitatis, & doctrinæ laude inſignes, ingenti catholicorum luctu ſævitum (*a*) eſt anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo trecenteſimo octuageſimo quinto indictione octava. Concitaſſe quidem Urbanum omnium in ſe odia, cum datam publice fidem tum Romanis de repetenda urbe cum Rege Siciliæ de colenda cum eo amicitia, nec rebus novandis infringeret, Vvalſingamus (*b*) author cætera pius & Urbani ſtudioſiſſimus, narrat: obſervatque Theodoricus e Niem (*c*) averſos ideo Cardinalium animos ab Urbano fuiſſe, cum ipſos traheret in pericula, nec urbem tutumve locum adire, neque Carolo Regi conciliari vellet; ac tum a Bartolino Placentino acuto & factioſo viro novas quæſtiones propoſitas de coercendo Pontifice Romano, cum Eccleſiam in periculum coniiceret: de quibus hæc Theodoricus infelicium Cardinalium judex tradit (*d*).

*Cardinalis Reatinus tunc in Neapoli exiſtens cum aliquibus Cardinalibus, qui erant cum Urbano in caſtro Luceriæ, & cum quodam Bartolino de Placentia procuratore in Romana curia audace, & ingenioſo, qui ſolitus erat plerumque defendere iniquas cauſas, ut quomodolibet lucraretur, cœpit aliquas quæſtiunculas, quas poſtea perlegi, continentes quod ſi Papa eſſet nimis negligens, aut inutilis ad regendum, ſeu adeo inniteretur ſuo ſenſui, quod per ejus factum periclitaretur univerſalis Eccleſia, vel eſſet effrænis ita quod abſque conſilio Cardinalium pro libito voluntatis omnia agere vellet, nunquid liceret idoneum curatorem, vel aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem ſubſtituere, juxta cujus, ſeu quorum conſilio, ſeu rationis dictamine Papa expedire ſingula Eccleſiæ negotia teneretur; & talium quæſtionum numero* XII. *edidit, & pro parte affirmativa; quod ſic fieri poſſit, multas rationes adducens, necnon quæſtiones, & rationes hujuſmodi per aliquos excellentes magiſtros in ſacra theologia, & etiam per nonnullos egregios in utroque jure doctores procuraverat recenſeri: quæ tamen ſub diverſis opinionibus contrariis, & minus ſufficienter enucleatæ remanentes, ad manus meas poſtea pervenerunt. Itaque cum hæc agerentur, Cardinalis de Manupello de domo Urſinenſi Romanus natione, qui tunc prope dictum burgum morabatur, accedens ſecrete ad ipſum Urbanum, ſibi hæc omnia revelavit, affirmans quod multi Cardinales hujuſmodi vidiſſent articulos & rationes, illiſque inhærerent, eoſque articulos Urbano in ſpecie recitavit.*

II. Sex Cardinales in carcerem miſſi.

Subdit auctor Urbanum ira ſuccenſum ſex Cardinales cœteris doctrina præſtantiores, cum ad conſiſtorium veniſſent, comprehendi & in vincula coniici juſſiſſe. De hac vero conjuratione plura refert Gobelinus (*e*), qui cum tunc temporis Beneventi ageret, ad explorandam accuratiſſime rei veritatem ſtudium diligentiamque ſe applicuiſſe ſcribit, & in afferendis illius conſpirationis cauſis, nempe ob defixas in Lucerino oppido incommodas ſedes accenſa odia, cum Theodorico e Niem conſentit: *Romanæ curiæ de Luceria tranſlatione, etiam exitio Papæ mediante, ſi fieret propter habitationem aliarumque rerum mundanis delectabilium notabilem, ipſiſque intolerabilem defectum, conſilii plura ſunt exorſi; quapropter illo dicto Caiphæ: (f) Expedit ut unus homo moriatur pro populo propoſito, juxta illud quod ſcriptum eſt (g): Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ. Venite ergo & fruamur bonis: circumveniamus juſtum quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis & infamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ, contumelia & tormento interrogemus eum: morte turpiſſima condemnemus eum, contra Urbanum Papam conſpirationem temere ſtatuere complendam. Hinc eſt quod quinque Cardinales, videlicet Comenſis, Tarentinus, de Sangro, Januenſis, & Venetianus, prout poſtea quibuſdam officialibus Papæ revelatum eſt [unde ad me notitia hujus facti devenit, quia de familia cameræ apoſtolicæ tunc extiti] infraſcripto modo procedere determinabant. Quilibet eorum die ad hoc inter ſe condicto, quando ad ipſum caſtrum conſiſtorium Papæ juxta morem adituri aſcenderent, duodecim familiares armatos longis veſtimentis armata tegentes ſe facerent anteire; qui cum forent in caſtro congregati, tumultu inopinato excitato, contra Papam impetu facto eum caperent, & de caſtro ad eccleſiam S. Franciſci ſub eodem ſitam deducerent violenter, & ibi certi articuli Papæ deberent obiici, quibus reſpondere cogeretur: & deinde qualitercumque reſponderet, vel ſi non reſponderet falſi producerentur contra eum teſtes, quibus ipſi articuli probarentur: & articulis ſic probatis, Papa tanquam hæreticus condemnaretur puniendus: & ſtatim ſententia per ipſos Cardinales tanquam per collegium ſic lata executio ejuſdem per ignem fieret ibidem, & deinde Cardinales illi reliquos hujus conſilii ignaros, vel ſaltem conſenſus innoxios, aut quia Caroli Regis poteſtatem, in cujus regno reſidebant, timerent, aut quia ſtatum*

(*a*) *Hector Pignat. in MS. diar. Neap.*

(*b*) *Valſin. in hiſtor. Angl. in Rich. 2.*

Suos in pericula conjicit.

(*c*) *Teod. e Niem. l.1. c.41. & 42.*

(*d*) *Id. ib. c.42.*

Mota lis an Urbano dandus curator eſſet.

Adductæ a Bartholino ſubtiles probationes.

Card. Urſinus Urbano ſeditioſorum conſilia detegit.

(*e*) *Gobelin. Coſmodr. ætat. 6. c. 78.*

(*f*) *Jo. 11. & 18.*

(*g*) *Sap. 2.*

Qui fuerint ii.

Conjurationis ordo.



Ppp *libe-*

*liberiorem voluntati delectabiliorem corpori ac pompoſi mundi gloriæ habiliorem ardenter affectarent, arbitrantes hoc factum approbare alium, quem jam determinabant, Papam Caroli Regis, & poteſtate Reginæ confiſi crearent: Cumque hujuſmodi contra Papam clam molirentur inſidias, labiis eum glorificabant, cor autem eorum longe fuit ab ipſo;* Pluribuſque interjectis, quibus auctor narrat ab uno e Cardinalibus patefactas inſidias, ſubiicit:

Urb. nepotem cum armatis ſibi adeſſe jubet.

*Cum die veneris, quæ tunc decimatertia menſis januarii futura erat, iſtud juxta conſpiratorum condictum perfici debuerat, Papa die mercurii præcedente, quæ erat* XII. *ejuſdem menſis, videlicet anni nativitatis Domini* MCCCLXXXV. *hoc diſturbium volens prævenire, dominum Franciſcum principem Capuæ nepotem ſuum ad ſe vocavit, & ea quæ ſibi revelata erant ei ſecretius intimavit, ut ſibi de fidelibus ſuis armatis ad hunc diem cautius provideret. Venientibus igitur Cardinalibus eodem die ad præſentiam Papæ more conſueto, Cardinales de conſpiratione prædicta accuſatos, cæteris licentiatis, ad cameram ſuam Papa convocavit. Cumque Papa de conſpiratione hac eos impeteret, & penitus eam negarent, Papa commiſit eos nepoti prædicto examinandos. Ipſi vero, dum cordarum tormentis afficerentur, crimen ipſum confeſſi ſunt. Sed dominus Adam Cardinalis de Anglia cum eis comprehenſus, dum tormentis ſubdebatur, conſilium reliquorum ſe ſciviſſe, non tamen eis conſenſum præbuiſſe, dicebat; ſed quia ſcitum non revelavit, quaſi favens conſpirationis ſceleri, una cum aliis carceribus mancipatur, &c.* Addit Urbanum comprehenſos conjuratos cardinalitia dignitate privatos pronunciaſſe, omnibuſque aliis honoribus, ſacerdotiis, ac bonis ſpoliaſſe.

Delatos Cardd. tormentis ſubjicit.

III. Aſciſcere vero alios ſibi in Cardinales eſt meditatus, quorum fide atque auctoritate niteretur: cumque Germanos noſſet ſibi addictiſſimos, ex ea præcipue natione ſpectabiliſſimos viros ad laborum & honorum ſocietatem ipſum vocaſſe refert Theodoricus e Niem (*a*): *Die*, inquit, *ſequenti poſt epiphaniam Domini, me præſente, ad pronunciationem multorum novorum Cardinalium ipſe in præfato caſtro in publico conſiſtorio exordium ſermonis, quem tunc fecit erat: Lætare Germania, & cætera; & nominans eos, inter quos erant Colonienſis adhuc vivus, & Moguntinenſis, atque Treverenſis archiepiſcopi, & Arnoldus Leodienſis defuncti, necnon Vvenceſlaus Vvratiſlavienſis epiſcopi, ac dominus Petrus de Roſemberg nobilis genere, & honeſtæ converſationis presbyter de regno Bohemiæ natus; qui tamen unanimiter poſt longam deliberationem inter ſe habitam; omni ambitione ſemota, hujuſmodi cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licet idem dominus Papa archiepiſcopis & epiſcopis præfatis eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus quoad viverent eis etiam non petentibus conſervaſſet. Tunc pronunciavit multos Cardinales de Neapoli oriundos, &c.* Subdit author (*b*) ipſos Regis Caroli metu cardinaliciam purpuram non auſos induere, ſed domi ſe continuiſſe; quod porro eos acerbe idem author carpit, videtur ex ira aut livore id egiſſe, cum perſpectis in cardinalatu ipſorum geſtis virtutibus effloruiſſe reperiantur.

(*a*) *Theod. e Niem lib.* 1. *c.* 44.

Germani præſules in Cardd. adſciti.

Cardinalat. ab eis repudiatus.

Plures Neapol. ſacta purpura donati ab Urb.

(*b*) *Id. ibid. Summon. lib.* 4. *in Car.* 3.

Promulgatos fuiſſe hoſce Cardinales Genuæ, refert ex libro obligationum Felix Contelorius (*c*), horumque nomina ita recenſet. Angelus Accaiolus epiſcopus Florentinus presbyter tit. Laurentii in Damaſo, Franciſcus Carbonus epiſcopus Monopolitanus presbyter tit. S. Suſannæ, Marinus Bulcanus abbas diaconus S. Mariæ novæ, Raynaldus Brancatius abbas diaconus SS. Viti in Macello, Franciſcus Caſtagnola, qui cum xv. novembris die Genuæ hoc anno, ut ex libro obligationum conſtat, obiiſſet, diaconia caruit.

(*c*) *Contelor. in elench. Cardd.*

Novi Cardd. creati ab Urb.

Creati poſtea putantur ab Urbano, quo tamen anno non conſtat, quamvis ad hunc eos referat Alfonſus Ciaconius, nimirum Angelus Paloſius epiſcopus Tudertinus presbyter tit. S. Marcelli, Ludovicus Fliſcus epiſcopus Vercellenſis [1], S. Adriani diaconus, & Angelus de Anna de Summaripa Laudenſis diaconus S. Luciæ in ſeptem ſoliis. Adjecti etiam ſunt plures alii a Ciacconio, de quibus nulla fit mentio in Vaticanis monumentis, atque adeo vanus honos iis affictus putatur, ut Felix Contelorius de nonnullis demonſtrat ex vetuſtis Romanæ eccleſiæ monumentis, quem lector conſulat: nos cœptam narrationem proſequimur.

Dum creatis novis Cardinalibus, Urbanus in rebus aſperis præſidium ſibi comparat, novæ in eum conjurationes conflatæ ſunt: ait enim Gobelinus (*d*) ingentes motus ab amicis vinctorum Cardinalium concitatos, diſſimulanteque Rege obſidione cinctum ab iis duce Petro Tartaro Caſinenſi abbate, qui vacua ſede pontificia cum Romanis magiſtratibus egerat, ut ſeditione mota Pontifex crearetur, turbarumque Romanarum non levis author extiterat, ut Joannes Lemovix canonicus eccleſiæ Vaſatenſis coram judice te-

(*d*) *Gobelin. in Coſm. æt.* 6. *c.* 78.

Urb. obſidione cinctus.

NOTÆ [1] DE Ludovico Fliſco in album S. R. E. Cardinalium relato vide quæ notavi ad A. 1378. 103. Mirari vero ſubit cur Gregorius Stella, qui Annales Genuenſes per hæc tempora ſcribebat, de hac novorum Cardinalium renunciatione nihil adnotet. MANSI



ſtatus eſt (*a*). Fuiſſe vero ob crimen læſæ majeſtatis perculſum anathemate ab Urbano ex chronico Siculo vetuſto (*b*) conſtat. Pariter etiam Carolum Regem ac Margaritam Reginam, quod ſentirent cum conjuratis, fuiſſe ab Urbano, ſervato judiciorum ordine, regio jure privatos, teſtatur Gobelinus. Tum ſubdit: *Strictiſſimum interdictum Neapoli, & in terris aliis ei adhærentibus ſervari mandavit; quapropter de conſenſu Reginæ, Rege non præſente, Papæ propinquis & amicis Neapoli habitantibus captis, rebuſque & bonis eorum diſſipatis, in caſtro Luceriæ eſt Papa obſidione fortiori concluſus. Inter hæc Rex Carolus de partibus Apuliæ Neapolim reverſus Clericis ſub carceris, & rerum omnium perditionis pœna celebrare divina publice contra mandata apoſtolica diſtricte mandavit: quare quibuſdam eorum paucis tamen, inde recedentibus multi & præcipue religioſi Regi pluſquam Papæ parebant.* Triſtiſſimam ſacerdotum, cæterorumque eccleſiaſticorum virorum ſortem, ita deſcribit Theodoricus e Niem (*c*): *Tunc eccleſiaſtici, prælati & clerici ſuſpecti, quod partem dicti Urbani foverent, Neapoli capti in curia Regis tormentis ſubdebantur, nonnulli ſubmergebantur in mari, & plures eorum diutiſſime in carceribus Regis tenebantur.* Illuſum fuiſſe Urbanum a nonnullis proceribus Neapolitanis, qui diſcordias augebant, cum ex iis ampliſſimorum ſacerdotiorum & cardinalatuum pro ſuis ſpes conſectarentur, ac molliora pacis conſilia reſpuiſſe, tradit idem author (*d*): *Urbanus*, inquit, *confidens nimium ſeminatoribus zizaniarum, ita quod mediantibus ipſorum conſiliis & auxiliis civitatem Neapolitanam (expulſo vi Rege) cito capere poſſet, dictos ſex Cardinales ſecum retinuit in quadam ciſterna rupta ſtrictius alligatos.* Tantum abfuit ut regno Neapolitano Urbanus potiri potuerit, ut ægerrime fuga evaſerit: non deſpondiſſe tamen illum in adverſis animos, obſervat in diariis MS. Hector Pignatrellus (*e*), additque ſingulis illum diebus quater ad feneſtram cum face & campana progreſſum, hoſtilemque exercitum anathemate perculiſſe; ab eo tamen in ſummas Pontificem ipſum redactum anguſtias, ait Gobelinus (*f*).

(*a*) *Fel. Contelor. in elench. Cardd. ex tom. de ſchiſm.*

In eum ac Regem Reginamque lata ſententia.

(*b*) *Chron. MS. Vat. bibliot.*

Divexati Urb. propinqui & amici.

(*c*) *Gobelin. ſup. c.* 78.

(*d*) *Theod. e Niem lib.* 1. *c.* 49.

Urbanus Neap. regnum affectat.

(*e*) *Hector. Pignat. diar. Neap.*

(*f*) *Gobelin. ſup. c.* 78.

IV. *Multiplicato inter hæc exercitu Papam obſidente capta eſt civitas Luceriæ, non ſine Papæ fidelium cæde, & deinde erectis machinis, bombardiſque oppoſitis ingentia ſaxa emittentibus, necnon crebris balliſtarum ſagittis caſtrum impugnatur, & capto exteriori muro caſtri, hortus magni ipſius caſtri per adverſarios Papæ occupatur. Erat autem caſtrum alio quodam muro alto quo arx, quæ vulgo Rocha dicitur, defendebatur, undique cinctum. Cum vero Papa, ut ſic plurimum ſuorum deſtitueretur auxilio, licet ſperaret in Domino & hoc dictum ſapientis: Nullus ſperavit in eo, & confuſus eſt* (*g*)*; verum eſſe non dubitaret, tamen ne Deum tentare videretur, humana ſubſidia ex locis diverſis epiſtolarum ſecretarum miniſterio ſibi procurare non diſtulit, unde Januenſes Papæ fideles, prout temporibus retroactis ſæpius eccleſiæ Romanæ auxiliis aſtiterunt, decem galeas armatas ſibi deſtinare feſtinabant. Præterea Raymundus de Baltzio filius comitis de Nola famoſæ ſtrenuitatis miles, perlectis ſibi per Papam directis epiſtolis, ad deſtructionem Caroli totus anhelans, ſe per terram Papæ auxilia præſtiturum eſſe ſpopondit.*

Non ſine ſtrage Luceria capta.

In extremas anguſtias arx adacta.

(*g*) *Eccl. c.* 2.

Genuenſium opem Urb. implorat.



V. Subdit author Raymundum e Bavucio Nolæ comitem mox copias ad liberandum Urbanum inſtruxiſſe; verum agminum præfectos a Rege Carolo ſubornatos auro, illum prodere meditatos: quorum tamen ipſe inſidias fuga eluſit, atque ab Urbano in arcem admiſſus ſolvendæ obſidionis nova conſilia agitavit, Thoma Sanſeverinate, qui Caroli Andegavenſis reliquiis præerat, maximis ſtipendiis conducto. Franciſcum porro Prignanum Urbani nepotem inanes regnandi ſpes foventem a proditoribus, quos ille in arce Scafati receperat, deditum Carolo addit author: urgentibus obſidionem Luceriæ hoſtibus, Pileum Cardinalem Ravennatem ſolviſſe Corneto duabus triremibus, in portum Neapolitanum invectum adiiſſe Carolum, ac licet anathemate devinctum, everſumque apice regio ex pontificia ſententia, conſuetis honoribus proſecutum, deinde Luceriam ſe contuliſſe, ut concordiæ interpretem ageret; nec tamen Luceriam ingredi voluiſſe ni Urbanus obſides daret; cumque ea ratione in ſuſpicionem adduceretur non admiſſum: extracta vero in quintum menſem obſidione, cum hoſtis ferociter inſultaret, Pontificem ad ſacras preces perfugiſſe ſuoſque ad conſtantiam in rebus adverſis divinæ opis expectatione confirmaſſe: *Papa*, inquit, *in orationibus ad Deum cum ſpe firma, ut Ezechias, aſſidue ſuos animis fore conſtantes de ſuccurſu celeri divinitus ordinando, non diffidentes eſſe debere diligenter admonuit, quemdam Dei hominem virum religioſum Nicolaum nomine ſecum continue commorantem intime ſibi dilectum ſuper orationibus pro ſe, ſuiſque fundendis ad Deum effectu ſpeciali requirens, qui ſuccurſum fidelem adventurum ſibi, ut Iſaias Ezechiæ, Deo diſponente ſpopondit.*

Ejus nepos fons malorum hoſti proditus.

Pileus Cardin. Ravenn. de concordia agit.

Suſpicionem de ſe concitat.

Vir pius Urb. auxilium divinum ſpondet.

VI. *Eo tempore, quo Papa prædictis tenebatur anguſtiis, ut Chriſtifideles ad liberationem ſummi Pontificis, ſi contingeret eum de cætero ſimilia perferre incommoda, anhelarent malignantes in ſummum Pontificem pœnis pluribus ultra pœnas a Bonifacio VIII. promulgatas in tales innovando, ſub bulla de-*

Sanctio ab Urb. edita pro ſecuritate Pontificum.

*decrevit, quod ſi in futurum ſummum Pontificem obſidionis aut captivitatis modis prædictis, aut ſimilibus vexari contingeret, omnes Chriſtiani nominis profeſſione gaudentes prope locum obſidionis, aut captivitatis, ad decem diætas circumquaque morantes, ſub certis pœnis in ipſo ſtatuto ſuper his edito contentis, aut in perſonis propriis, aut rebus ſuis juxta facultatem ſuam teneantur Papæ præbere ſuccurſum, & qui in hoc ſe juxta ſuum poſſe fideles exhibeant, eaſdem indulgentias, quas ſedes Apoſtolica contra Chriſtiani nominis hoſtes ad Terram ſanctam concedere ſolet tranſeuntibus, ad plenum conſequentur. Hanc conſtitutionem ego legi & vidi bullatam poſt liberationem in Minerbino civitate Apuliæ. Item dominus Urbanus in eodem caſtro Luceriæ prima die menſis maii declaravit, quod clerici cujuſcumque ordinis contra Carolum de Duracio, & gentes ſuas pro defenſione ipſius domini Urbani & aliorum exiſtentium infra caſtrum Luceriæ bellantes, ſi contingeret eos occidere aliquem vel membro aliquo mutilare, nullam ſententiam excommunicationis, vel irregularitatis incurrerent, & illa indulgentia, illoque privilegio gaudere deberent, quibus gaudent euntes in ſubſidium Terræ ſanctæ: & hoc idem declaravit de eis, qui ante illam diem aliquem de prædictis occiderunt & mutilaverunt.*

VII. *(a) Id. ib. c. 80. & Hector. Pign. diar. Neap.*

Divina providentia in liberando Urb.

Texit (*a*) Urbanum in mediis periculis divina providentia, cumque ſumma commeatuum inopia laboraret, ſoluta obſidio eſt a Raymundo Baltzio & Thoma Sanſeverinate, qui reliquias exercitus Ludovici Andegavenſis adduxerant una cum aliis copiis raptim in Apulia & Calabria contractis: quibus Phæolus Citrullus Beneventanus factionis roſæ rubeæ cum turmis in terra Laboris collectis ſe junxit, hoſtiliſque exercitus, cui Petrus Tartarus abbas Caſinenſis præfuerat, præcipiti fuga diſſolutus. Proxima a parta hac victoria, VII. nimirum julii die, Pontifex Luceria diſceſſit ſuccinctus auxiliari exercitu, vinctos Cardinales trahens: cumque prope Salernum fixa eſſent caſtra, atrox coorta in eum ſeditio eſt; Galli enim ſchiſmatici de eo Avenionenſi antipapæ prodendo agitarunt conſilia, rati inde ampliſſimam auri vim comparaturos, occaſionemque ex Urbani penuria, qui ſtipendia promiſſa ſolvere vix poſſet, captabant. At Chriſtus e tanto diſcrimine vicarium

Pulſus hoſtilis exercitus.

ſuum eripuit, Raymundumque e Baucio confirmavit, ut una cum Italis ac Germanis fidem coleret. Solutis itaque undecim aureorum millibus, & aliis viginti ſex millibus conſtituto tempore (datis pignoribus ac ſyngraphis) promiſſis, dimiſſiſque Gallis nonnullis & Italis lubricæ fidei, inde Beneventum perrexit, quamvis plures ſeditioſi illum in urbem admittere detrectarent, quorum conſilia arte oppreſſit. Agente Beneventi Urbano, ſubmiſſæ a Genuenſibus triremes decem Neapolitanum portum invectæ ſunt, deque fœdere Carolum inter & Pontificem redintegrando agitatum eſt, ſed irrito ſucceſſu; ac demum, cum inferum mare ſulcare Pontifici tutum non eſſet, ad ſuperi maris littora ſe contulit, auguſto menſe, pluribuſque in itinere difficultatibus & periculis ſuperatis, Barolum inter ac Tranum triremes Genuenſes conſcendit, ac Meſſanam incolumis appulit, atque a clero illo, populoque magnifice cultus eſt. Subdit Gobelinus pontificius comes: *In hoc portu galeis triduo quieſcentibus proceſſus, quos Papa contra Carolum fulminaverat, publice lecti ſunt, & Papa tam a clero, quam a civibus in multorum victualium præſentatione honoratus eſt.*

Nova in eum a Gallis conflata conjuratio.

Raymundus e Baucio aſſiſtit.

Submiſſæ a Genuenſibus triremes auxiliares.

Varia Urbani itinera.

Triremes Januenſes conſcendit.

Meſſanam applicat.

VIII.

Cum vero ſumptus claſſici ad octoginta aureorum millia aſcenderent, quibus Pontifex Genuenſibus obſtrictus erat, neque ea auri vis numerari poſſet, ſolutis Meſſana anchoris, remis veliſve Cornetum contendit, eaque urbe Genuenſibus oppignerata, Genuam adiit. Conſignat adventus tempus author his verbis: *Die ſabbati vigeſima tertia die menſis ſeptembris ad civitatem Januenſem pervenimus, ubi Papa ad hoſpitale S. Joannis in occidentali burgo ſitum ſe contulit, captivos Cardinales ſecum deducendo, quos ibidem carceribus mancipavit.* Quæ vero Genuæ poſtea Urbano conflata ſint pericula ſequenti anno dicetur: nunc reliqua ad hunc ſpectantia proſequamur.

IX.

Lapſo fuga, uti narratum eſt, Urbano ex Neapolitano regno, Carolus accepta ab Hungaris legatione ad capeſſendum regnum, quod ob imbecillem Mariæ Reginæ ſexum gerendis rebus imparem diuturnis ſeditionibus fluctuabat, commendata Margaritæ uxori regni Neapolitani [1] cuſtodia relictoque illi in ſolatium Ladislao filio, quem ſecum ducere, & ſceptro Hungarico donare in animum induxerat,

NOTÆ [1] CArolus Jeruſalem & Siciliæ Rex hoc anno ad capeſſendum Regnum Hungaricum accitus venit, & renitentibus licet nonnullis, ingenti tamen Hungarorum favore exceptus, hoc ipſo anno regni coronam ſolemni ritu accepit. An in ſequentem annum reiicienda hæc ſint ambigit Annaliſta. Verum huic, quo verſamur, anno adſcribenda eſſe vix dubito, cum altero anno ſolemnis ejus in Regem aſſumptio, altero vero funeſtus ejus obitus contigerit, ut ex Conforto Pulici, qui Annales Vicentinos tunc ſcribebat, intelligimus. Ita pariter & Sagacius in Chronico Regienſi innuit: ac denique hunc inaugurationis regiæ annum fert Sozomenus in Chronico



rat, in Hungariam e Barolitano ſinu exiguo ſtipatus comitatu ſolvit ſeptembri menſe (*a*), quamvis illum ſapienter ab eo conſilio Regina Margarita propoſitis gravibus, quæ aditurus erat, periculis revocare enixa eſſet, ſuaſiſſetque ut ad firmandum potius Neapolitanum regnum, ac Provinciam recuperandam incumberet. Cum vero de Caroli Regis Neapolitani adventu rumor increbeſceret in Hungaria, Eliſabetha Ludovici olim Regis vidua, Sigiſmundum Regis Romanorum fratrem marchionem Brandeburgenſem evocandum cenſuit, ut regias nuptias cum Maria antea ſibi deſponſa celebraret: ſed is veritus Carolum, imparemque ſe illius potentiæ arbitratus, in Bohemiam ſe recepit; ac Reginæ ad mulcendum Carolum ſe convertere, ſciſcitatæ an ſe hoſtem an patruelem profiteretur: qui ampliſſimo officiorum colore fallacem animum tegens, reſpondit ſe ut amicum ad tutandas eas in periculis quibus ſexus imbecillitas ipſaſmet expoſuerat, ac procerum diſcordias ſedandas veniſſe, neque in regia, vel in arce, ſed in privatis ædibus verſari voluit: ad quem tamen procerum concurſus factus eſt, plebiſque voluntates adeo ſibi devinxit, ut decretum illi ab regni ordinibus Hungaricum diadema ſolemni pompa acceperit. Quomodo vero, dum tuta omnia putat, fœmineis inſidiis occubuerit, ſequenti anno dicetur. Abſente porro Carolo Rege Caſertanus comes regnum Neapolitanum infeſtare cœpit, ac Margarita Regina gubernacula regni adepta, dum prædæ avida Venetam navim onuſtam mercibus, quæ in littus Neapolitanum tempeſtatibus acta illiſa fuerat, inique expilat (*b*), arma Venetorum in ſe commovet; quos ipſi Corcyram inſulam belli jure ſequenti anno eripuiſſe viſuri ſumus. Nunc alias regnorum converſiones quæ præſenti obtigere perſtringamus.

*(a) Hector Pign. diar. Neap. Theodor. e Niem lib. 1. c. 59. Bonfin. li. 1. dec. 3. Blond. lib. 10. dec. 2. Summont. lib. 5. c. 1. & alii.*

Car. Rex excitus ab Hungar.

Suadet Margarita, ut provinciæ recuperandæ det operam.

Excipitur ab Hungaris.

Regni diademate inſignitur.

*(b) Hector Pignat. in Diar.*

Corcyra potiuntur Veneti.

Caſtellanus Luſitaniam invadit.

X.

*(c) Clem. antip. vit. ſcript. Walſingh. in Richard. II. Marian. de reb. Hiſpan. lib. 27. cap. 9.*

A Catholicis Luſitanis magna clade attritus.

*(d) Id. ubi ſup.*

Geſtum (*c*) eſt hoc anno atrox bellum inter Joannem Caſtellæ Regem & Joannem Regis Ferdinandi defuncti fratrem nothum de Luſitano ſceptro, quod Caſtellanus Rex jure Beatricis uxoris filiæ Ferdinandi ad ſe ſpectare contendebat, alter vero Luſitanorum ſtudiis provectus arripuerat, collatiſque ſignis pervigilio aſſumptæ Virginis Caſtellanus ſchiſmaticus una cum auxiliaribus Gallorum copiis magna ſtrage a catholicis Luſitanis attritus eſt; de qua clade hæc vitæ Clementis antipapæ ſcriptor (*d*): *Per idem tempus occupabat regnum Portugalliæ quidam Joannes magiſter militiæ dictæ Aviſii, aſſerens ſe fuiſſe fratrem Regis ultimi mortui, cujus filiam, ad quam regnum hujuſmodi pertinere dicebatur, habebat in conjugem Joannes Rex Caſtellæ memoratus: cujus occaſione guerra fuit mota, ortaque diſcordia inter prædictos Regem & magiſtrum, & menſe auguſti anni prædicti, die videlicet* XIV. *prælium conſertum eſt, in quo, prout Domino placuit, idem Rex extitit victus, fueruntque mortui quamplures militiæ armigeri tam de ſibi ſubditis, quam de illis, qui in ſui ſuccurſum venerant de partibus Gallicanis.*

Retuliſſe divina ope hanc victoriam Joannem Regem Luſitaniæ de Caſtellano ſchiſmatico, cum exiguæ copiæ Luſitanæ florentiſſimas numeroſiſſimaſque hoſtium copias præter omnem humanam ſpem expectationemque fuderint, memorat Duardus Nonius (*e*) his verbis: *Incitatus his Joannes Caſtellæ Rex in Portugalliam rediit cum numeroſo exercitu, collecto equitatu ex præcipua Hiſpaniæ nobilitate, & Gallorum auxiliis, quo iterum Olyſipponem obſidere terra parabat, quam jam obſeſſam ingenti habebat claſſe; capta enim regni metropoli totum regnum debellatum credebat. Joannes autem novus Portugalliæ Rex cum Nonio Alvaro Pereira, quem comeſtabilem crearat, & qui in ea re ſtrenuam navavit operam, euntem exercitum inter portam molarum & vicum Alimbarotam aggreſſus perpaucis, quos colligere potuit, collatis ſignis in latiſſima illa planitie dimicavit, & paucarum horarum ſpatio Luſitani Caſtellanos fuderunt magna eorum ſtrage edita, multis etiam captis, reliquis in fugam verſis. Joannes autem Rex Caſtellæ, qui quartana laborabat, & eo die febris acceſſio fuerat, equo inſcenſo quanto maximo potuit curſu Scalabim vulgo Sanctarenam ea nocte pervenit, & inde clanculum Olyſipponem petens navem ſuæ claſſis ingreſſus Hiſpalim delatus eſt tanto animi mœrore, ut nullum ſolatium admitteret non tam quod victus fuiſſet a Luſitanis [ut ipſe dicebat] quam quod victus a Luſitanis illis tam paucis, quos ipſe nihili faciebat, & quod florem Hiſpanæ nobilitatis, & omnes fere Gallos ſocios amiſiſſet. Hac victoria parta reliquæ regni civitates & oppida in deditionem venerunt.*

Auxiliares Galli conciſi.

*(e) Duard. Nonius in genealog. Reg. Portug. tom. 2. Hiſp. illu.*

Joannes Caſtellæ Rex fuſus.

*(f) Marian. li. 18. c. 9.*

XI.

Non obſcuræ erant divinæ ultionis cauſæ.

Non deſunt (*f*) qui eam cladem divinæ ultioni tribuant, quod Joannes Rex anno ſuperiori Guadalupei Deiparæ templi theſauros in militum ſtipendia conflaſſet. Adde divinam etiam providentiam te-

NOTÆ nico Piſtorienſi. Menſem & diem aperit nobis Pulicius in Chronico Vicentino, qui ſolemnem hanc cæremoniam præſtitam ſcribit hoc anno die ultima Decembris. E quo coævi ſcriptoris teſtimonio intelligimus cur ſcriptores quidam initium Regni Hungarici Caroli in annum ſequentem 1386. transferant; non enim ætate iſta deſierat adhuc mos alicubi obtinens annum a die natali Jeſu Chriſti exordiendi. MANSI

texiſſe Luſitanos, ne antipapæ, quam Caſtellanus impoſiturus erat, paterentur ſervitutem. Parta vero ea victoria Luſitani, cum dux Leceſtriæ dotali Conſtantiæ Petri olim Regis Caſtellæ filiæ jure ad Caſtellæ ſceptrum aſpiraret, illum in belli ſocietatem facile allexerunt: qua de re ſuo loco agetur.

*(a) Vval. ſingh. in Richard. II.*

Angli politici eccleſiaſticos cenſus in regium fiſcum inferri poſtulant. Richardi Regis pietas.

In Anglia nonnulli politici rem eccleſiaſticam evertere tentarunt, cum Richardus (*a*) Rex ſubſidiarias pecunias poſceret a clero, atque archiepiſcopus Cantuarienſis magna conſtantia libertatem ſacerdotalem tueretur: illi enim jactatam jam ante ſæpius ab impio Vvicleffo ſententiam, eccleſiaſticas opes in regium fiſcum derivandas, repetierunt; quorum tamen ſeditioſorum voces ſprevit Rex, profeſſuſque eſt ſe eccleſiaſticam dignitatem in eodem nitore, quo inito a ſe regno vigebat, aſſerturum, ac tum præſules, ut ſe accommodarent tempori decimas illi decreverunt, quas ipſe ſibi longe acceptiores dixit, quam ſi quadruplo ampliores ab invitis extorſiſſet.

XII.

*(b) Diar. Ven. MS. (c) Corius hiſt. Mediol. part. 3. & alii.*

Bernabo tyrann. captus a Joann. Gal. nepote.

Editum hoc anno divinæ animadverſionis exemplum in Bernabonem ducem Mediolanenſem, qui principatum tyrannide ſua fœdaverat, & iniquis bellis toties vexarat Romanos Pontifices, tradit diarii MS. Veneti (*b*) author, Corius, (*c*) aliique plures conſentiunt: adduntque captum una cum filiis dum Joanni Galeatio nepoti & genero vaferrimo homini religioſam peregrinationem fingenti occurrit: tum Bernabonis ædes pretioſiſſima refertæ ſupellectili plebi expoſitæ (*d*) ſunt ut diriperentur, quo illius latrocinii ſocietate Galeatio ipſi obſtrictior eſſet: reliquæ vero opes ampliſſimæ, quæ in arce non ſine multorum fuſis lachrymis cumulatæ fuerant, in proditionis præmium ceſſerunt: quam rem tamen geſtam Theodoricus e Niem (*e*) ad ſuperiorem annum referre videtur. Ut vero facinoris invidiam a ſe removeret Joannes Galeatius, crimen proditionis retorſit in Bernabonem ac veluti convictum ſuſtulit, ut refert Sanctus Antoninus (*f*): *Non poſt multos*, inquit, *dies in carcere illum veneno perire fecit, ſicque crudeliſſimus tyrannus in multis proditor, perſecutor Eccleſiæ ſecundum exigentiam operum ſuorum mercedem congruam recepit Bernabo ipſe*. Addit Corius (*g*) illum, cum ſenſiſſet propinatum ſibi venenum infuſum juſculo, crimina acerbiſſime planxiſſe, ſacramentiſque ſe muniviſſe, atque interruptis ſuſpiriis repetiiſſe, hæc verba: *Cor contritum & humiliatum Deus ne deſpicias*. Adjuncto paternæ ditioni Bernabonis principatu Joannes Galeatius regiam dignitatem exambivit (*h*), quam cum ab Urbano, quem ampliſſimis muneribus devincire eſt conatus, obtinere non poſſet, haud levia in eum odia concepit, proferendique imperii cupidus occupata fraude Verona, Scaligeros, tum Patavio compulſo ad deditionem, Carrarienſes evertit (*i*), magnumque Italiæ, ac præſertim Etruriæ ſuæ tyrannidis terrorem injecit; de quibus inferius ſuis locis.

*(d) Diarium MS. Venet.*

Ejus opes proditoribus ceſſere.

*(e) Theod. e Niem. l. 1. c. 57. Corius hiſt. Mediol. p. 3. Blond. dec. 2. l. 50. (f) S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 2. §. 16.*

Vox ultima.

*(g) Cor. ubi ſup.*

Joannes Galeatius regiam dignitatem affectat.

*(h) Gobel. in Coſmodrom. æt. 6. c. 81. (i) Leonard. in hiſtor. Aret. rer. Ital. & Boniſac. hiſt. Tarviſ. lib. 10.*

Anno

NOTÆ [1] BErnabonis Mediolanenſis Ducis caſum cum hoc anno recte componit Annaliſta, fidem illi adſtruentibus vetuſtiſſimis rerum Mediolanenſium ac finitimorum locorum ſcriptoribus, inter quos Anonymus Mediolanenſis, qui annales ſuos ad annum uſque 1402. producit, rem totam fuſiſſime narrat. Eo igitur referente diſcimus Bernabonem, qui parti Urbis Mediolanenſis præerat, dolo captum fuiſſe a nepote ſuo Joanne Galeatio comite Virtutum, die 6. menſis Maii. Quo vero Galeatius factum ſuum palam omnibus approbaret, literas dedit, publica & horrenda Bernabonis crimina longa deductione perſequentes. Hinc diſcimus Principem illum ſævo & impotenti dominatu tyrannidem exercuiſſe, cum paſſim in omnes, ne quidem ſacris ac religioni addictis hominibus parcens: quorum alios ſuſpendio ſuſtulit, alios maceravit carceribus, alios exilio fecit extorres. Hominibus vero perimendis ſatis erat tyranno cauſæ, ſi quis perdices ejus, ſi quis lepores cepiſſet; quin & levis ejus criminis ſuſpicio exitio fuit multis. Genus mortis leniſſimum erat ſuſpendium, in alios enim igne, in alios membrorum omnium comminutione ſævitum. Denique ipſum Comitem Virtutis, nepotem ſuum, plus vice ſimplici e medio ſubducere ſuggeſto clam veneno tentavit: quem pariter de Mediolanenſis Urbis tertia parte, quæ ejus imperio de jure ſuberat, per vim & injuriam expulerat. His ergo de cauſis inductum ſe profitetur Joannes Galeatius ut Bernabonem perderet, hominem ipſi Deo & Eccleſiæ inviſum utpote quem diris execraverant Innocentius VI. Urbanus V. Gregorius XII. quorum omnium cenſuras ille neglexerat, nec a ſe amoveri curaverat. Porro miſer ille Princeps duro ac tetro carcere menſibus aliquot maceratus fuit, donec tandem decembri menſe in caſtro Tricii parato ſibi in ferculo veneno extinctus periit. Hæc Annaliſta Mediolanenſis, cui reliqui omnes ætatis ejuſdem ſcriptores ſuffragantur. Sed & diem Bernabonis emortualem ſervavit nobis Caſtellus in Chronico Bergomenſi quod per hos annos ſcripſit vulgavitque Muratorius Rer. Italic. to. XVI. Hæc ille de miſeri principis caſu: *die XIX. Decembris Dominus Bernabos Vicecomes ſuum diem clauſit extremum, in Tiricio in caſtro ipſius loci exiſtens detentus*. MANSI



I.

Siciliæ & Hungar. Rex vim anathematis ſentit.

*(a) Gobelin in Coſmodrom. æt. 6. c. 81. Theod. e Niem. l. 1. c. 39. S. Anton. 3. par. tit. 22. c. 2. §. 15. Bonfin. dec. 3. l. 2. Pignat. in diar. Nea. Summont. l. 4. c. 7. Append. hiſt. Andr. Dandal. in Antonio Venerio Naucler. gener. 47.*

Proditorie cæſus.

*(b) S. Antonin. ſupr. §. 18.*

ANno Chriſti octuageſimo ſexto ſupra milleſimum trecenteſimum indictione nona, Carolus Siciliæ Rex exauthoratus graviſſimam, licet ſeram, anathematis eccleſiaſtici vim ſenſit, atque ob læſam pontificiam majeſtatem pœnas divino Numini dedit, raptumque Hungaricum diadema ſuo cruore tinxit, qua de re Gobelinus (*a*): *Quia*, inquit, *benedictionem domini Urbani Papæ, qua alias regnum Siciliæ adeptus erat demeruit, benedictio elongata eſt ab eo, & maledictio ejuſdem domini Urbani, ſicut aqua ingreſſa in interiora ipſius facta eſt et ſicut veſtimentum quo opertus in vita, nec morte quidem interveniente exutus eſt. Nam poſtquam magnam Hungariæ partem contra Sigiſmundum ſibi vendicaverat, ab adverſariis Sigiſmundo faventibus inter fideles ſibi commixtis in caſtro quodam ſibi ſubdito, dum ſe ſecurum credidit gladio ſubito percuſſus interiit*. Aſcribit etiam S. Antoninus (*b*) Caroli necem divinæ vindictæ, ob ſævitiam nempe ab eo adhibitam in Joannam, a qua materno ſtudio educatus provectuſque fuerat, ob tyrannidem vitiumque ingrati animi in Urbanum a quo regiis apicibus fuerat exornatus, ob contemptum ſacrarum cenſurarum, unde plurium regnorum dominus ſacra terra tegi non meruit; *Quia*, inquit, *excommunicatus fuerat ab Urbano, ſepultura eccleſiaſtica caruit, juſte Deo ſibi retribuente ſecundum opera ejus, qui Eccleſiam perſecutus fuerat*.

II.

Tot regnor. dominus ſacra terra caruit.

*(c) Diar. MS. Venet. hoc anno.*

Ex Joannæ quidem necatæ invidia Eliſabetham Hungariæ Reginam ad comparandas Carolo inſidias ferunt ſtimulatam, cum ipſi (*c*) regio jam a ſolio dejectæ inſuſurratum eſſet, ut Joannæ meminiſſet, injectuſque terror non diſparis calamitatis, recuperandæque ſimul priſtinæ dignitatis cupiditas illam ureret. Præcipuo itaque palatino Garo conſiliorum conſorte adhibito, inſtructus eſt armis & audacia Blaſius cognomento Forgach miles fortiſſimus, qui Carolo, haud pridem Hungarica corona a Strigonienſi archiepiſcopo redimito, in Reginarum Hungariæ ædes excito, caput cervicibus enſe abſcidit; moxque ejus comites Itali atrociſſimo caſu perculſi ſeſe in fugam dedere. Neque illius infelicis caſus præſagia defuiſſe referunt (*d*), cum Carolo regia inunctione delibuto ſacrum S. Stephani vexillum, quod præferri novis Regibus conſuevit, portæ teſtudinis caſu illiſum in varias partes laceratum concidit: eodem vero tempore, quo Neapoli & Florentiæ ob ſuſceptam a Carolo Hungaricam coronam publica lætitia celebrabatur, nuntii de ejuſdem Regis cæde delati fuere. Qua in re fallaciam humanæ felicitatis perpendens S. Antoninus (*e*), hæc graviter pronuntiat: *Quia gaudium hypocritæ, ſcilicet mundi, ſuavis apparentis, & non vere exiſtentis, tranſit ad inſtar puncti, vix tanta feſtivitas finem habuerat, & luctus & gemitus populo nuntiatur de morte ipſius Caroli, & in dolorem, & fletum verſa eſt cithara*.

*(d) Bonfin. ubi ſupra.*

Mortis præſagia non defuere.

*(e) S. Antonin. ubi ſupra.*

Felicitatis humanæ inconſtantiæ.

Confirmat Hector Pignatellus (*f*) feſtivam de conjunctis Hungarico & Neapolitano regnis lætitiam intempeſtivo luctu fuiſſe confuſam: tum impendentium regno Neapolitano ex Caroli morte calamitatum non dubia ſigna cœlitus oſtenſa fuiſſe addit, prima enim die januarii tetram adeo caliginem Neapolitanæ urbi incubuiſſe, ut alter alterius vultum non agnoſceret: Reginam, ut adverſus impendentes caſus res ſuas confirmaret, cupidoſque rerum novarum animos ſuſpenderet, ſparſiſſe XVIII. februarii Regem non extinctum, ſed ſauciatum: texiſſe vero malum non juvit, mox enim Andegavenſis factio, quæ eliſa erat, ſeſe extulit, quam Thomas Sanſeverinus & Otho Brunſvicenſis tutati ſunt. Neapolitani autem ad diſſidia proni de tractandis regni gubernaculis Reginæ Margaretæ litem intendere, correptoque urbis imperio edixere, ne Reginæ, ſed tutricis munus attrectaret: quas rerum turbidas converſiones S. Antoninus (*g*), his verbis perſtringit.

*(f) Hect. Pignat. in diar. Nepol.*

Andegavenſ. factio recrudeſcit.

*(g) Eod. §. ſeq.*

III.

*Ex ejuſdem*, nimirum Caroli, *morte magnæ novitates ſecutæ ſunt in regno Apuliæ bellorum, & devaſtationum inter ſectatores Reginæ Margaretæ uxoris Caroli, & adjutores partis ducis Andegaviæ*. At de his ſequenti anno: recenſebimus nunc tragicos Hungaricarum rerum ſucceſſus, quando Caroli cædes [1] ultore non caruit; ac primum inter Eliſabethæ & Mariæ

Cædis authores cæſi.

NOTÆ [1] COnfortus Pulici, qui res Vicentinas ad ſequentem uſque annum proſequutus, nonnulla interdum admiſcet de rebus per Europam geſtis, quæ alio non ita facile occurrerent; Confortus, inquam, in Chronico ſuo ad hunc annum hiſtoriam de Carolo cæſo fraude duarum Reginarum, ac viciſſim de earum feminarum caſu hiſtoriam diligentiſſime perſequitur, ita rem narrans: *Septimo die Regina* (Eliſabetha).... *præhabito ſecreto tractatu cum magno Comite* (Nicolao Palatino) *de morti tradendo præfatum Dominum Regem, ſecrete miſit pro præfato Rege, ut dignaretur ad eam accedere, quod volebat ſecum ſuper quibuſdam negociis conferre. Ipſe vero, tam*quam

Eliſabetha Regina aquis merſa.

riæ Reginarum ſectatores, & cæſi Caroli amicos tetræ diſcordiæ ſecutæ, cumque Reginæ provincias ad illas in ſuo obſequio continendas peragrarent, in eas ab Joanne Horuvah Bano atrox conjuratio conflata, adeo ut in arvis hoſtili exercitu circumfuſæ captæ ſint, Nicolaus palatinus & Blaſius cædis auctores in ipſarum conſpectu obtruncati, Eliſabetha vero merſa flumine, ut ferunt (a): genus tamen hoc mortis in diario MS. Pauli Jadertini, mihi a Joanne Lucio nobili & erudito Dalmata communicato non expreſſum eſt, in quo hæc habentur: MCCCLXXXVII. XVI. *januarii applicuit novum, quod domina Regina ſenior obiit in captivitate*. Porro Regina Maria, ut inſons vitæ ſervata: quam tamen proximo anno Sigiſmundus ſponſus eripuit e vinculis, deque conjuratis ſumpto ſupplicio Hungariæ ſceptrum ſibi aſſeruit, quod magna laude poſtea eſt moderatus.

(a) *Id. ib. MS. Pauli Jadert.*

IV. Poloni Lituanum ad regnum evehunt.

Dum his turbinibus quatiebatur Hungaria, Poloniæ proceres, qui Heduvigem Mariæ ſororem in ſucceſſionem paterni imperii aſciverant, communi conſenſu in dando ei ſponſo, qui tueri Poloniam, ipſiuſque augere fines poſſet, conſpirarunt; ac repudiato Willelmo Auſtriaco, cum illius principatus longo intervallo diſſitus eſſet, quamvis Regina antea illi deſponſa pronior in eundem eſſet, Ladiſlaum Jagellonum Lituaniæ principem cum Heduvige matrimonio ac ſolio Polonico junxere (b) ea lege, ut cum gente Lituana ſacris Chriſtianis initiaretur: atque ita evangelica luce colluſtratæ Lituania, Samagitia, & Ruſſia (c), cum Polonia coaluere: ſublata fuit atrociſſimorum bellorum occaſio, quæ utrumque populum in mutuas ſtrages concitabat, amplificata latius res Chriſtiana, ac Poloni & Lituani a divina providentia perpetuo juncti fœdere, ut religionis hoſtes ſecuturis ætatibus contunderent, de quibus pluribus agunt Michovias, Cromerus (d), Guaguinus (e), & Jodocus (f); cujus poſtremi, hæc verba ſunt: *Jagello ſacri laticis aſperſione lotus ad regnum admiſſus Vvladiſlai nomen ſortitus eſt. Sed & fratres fidem edocti ex aqua Chriſto ſunt renati. Hæc in annum ab orbe redempto MCCCLXXXVI. inciderunt; Sarmatiæ ſceptris obtentis, rebuſque domi pacatis ſimul cum Regina Lituaniam ingreſſus, eum populum Samagitaſque vota Polonis reddens, ad fidei catholicæ lumen convertit: ea enim gens a prima hominum origine idololatriis dedita excœcatis animis variis, & ridiculis erroneiſque opinionibus obumbrata in hanc ætatem veri luminis jubar ignoravit.* Illatam quidem antea Lituaniæ evangelii lucem, ſed hominum vitio obſcuratam jam ante diximus.

(b) *Theod. e Niem. l. 1. c. 58. Append. MS. ad hiſtor. Andr. Dandal. in Anton. Vene.*
(c) *Michov. l. 4. c. 15.*
(d) *Cromer. c. 14. 15.*
(e) *Gaguin. in Jagiel.*
(f) *Jodoc. lud. l. 2. de Jagel. fami.*

Lituani & Samagitæ ad Chriſtum traducti.

V.

Quibus vero infelix gens ſuperſtitionibus irretita teneretur, ita deſcribit Alexander Guaguinus (g): *Ad Jagielonis Vvladiſlai Regis Poloniæ ex ducibus Lituaniæ tempora, & infra, tota gens Lituanica, & Samagitica priſcæ multorum deorum, ſeu potius dæmonum ſuperſtitioni dedita erat, in primiſque ignem, quem ſua lingua znicz, ut rem ſacram appellabant, cultu divino proſequebantur, eumque in celebrioribus locis atque oppidis perpetuum obſervabant, & ſacerdotes cum miniſtris ad hoc munus obeundum adhibebant: quod ſi incuria miniſtrorum ignis extingueretur, capite plectebantur, bujuſque modi ignis Vilnæ metropoli Lituaniæ in arcis medio, ubi nunc baſilica divo Staniſlio dicata erecta eſt, perpetuo aſſervabatur. Fulmen quoque, quod peſunum Sclavonica lingua appellabant, pro Deo colebant. Lucos præterea, & eximias proceraſque arbores in ſylvis ſinguli ſacroſanctas babebant, eaſque cultu latriæ venerabantur, ita ut violare eas ferro injuriave aliqua nefas eſſet; quod ſi Lituanus ejuſdem fidei perpetraret, ut videlicet, aliquam arborem vel ignem quolibet modo deboneſtaret, ſtatim vel dæmonum violentia interibant, vel membro aliquo arrepti privabantur; ſolem ſorte nubibus oſcuratum credebant ſibi ſuccenſere & ideo ſeſe illi, quo placaretur, devovebant. Viperas item atque ſerpentes deos eſſe credebant, eiſque cultum præcipuum exhibebant, & ſinguli patresfamilias, cives, coloni, & nobiles ſingulos ſerpentes domi aſſervare ſolebant: quos pro penatibus & laribus familiaribus adorabant, lacque, & gallos gallinaceos eis immolabant, erantque inauſpicatum, & exitiabile toti familiæ, quempiam ex his violaſſe, debonoraſſe, aut domi non fo-*

(g) *Guag. 2. c. de priſc. relig. Lithuan. Michov. l. 3. c. 39. Cromer. l. 13. in princ.*

Colucerant ignem.

Tyrannis dæmonum horrida.

Serpentes pro diis habiti.

NOTÆ *quam purus & rectus non timens, ſimpliciter acceſſit ad eam: cumque introiſſet cameram Reginæ ſeditioſus proditor Magnus Comes, qui intro cum duobus nequam latebat, cum gladio evaginato percuſſit de retro ſuper caput eumdem improviſum pluribus vulneribus, ex quibus dicitur tandem ex humanis ad Dominum migraſſe. Cum Magnus Comes & Reginæ, mater ſcilicet & filia, cum gentibus ſuis veniſſent ad partes Dalmatiæ &c. & ut fertur cauſa vendendi & impegnandi eas Venetis præter ſcientiam aliorum majorum regni, quidam nobilis & ſtrenuus vir Dominus Joannes Bannus, & quidam nobilis & potens de regno, non conſcii de prædictis hoc indigne ferentes cum congreſſione & certamine factis pars Magni Comitis ſuccubuit, & credens evadere Magnus comes confugit ad carrettas Reginarum, qui ibidem captus decapitatus fuit ſuper temone plauſtri. Duo quoque qui interfuerunt morti Regis Caroli ſimiliter decapitati... Reginæ quoque captæ fuerunt.* Hæc autem geſta narrantur die XXV. Julii. MANSI



*viſſe; tales enim vel bonis omnibus privabantur, vel crudeliter lacerati interibant. Erat autem apud eos quotannis ſolemne ſacrificium ſub initium menſis octobris poſt collectas fruges, ad quod frequentes cum uxoribus & liberis, ſerviſque conveniebant, ac toto triduo opipare epulabantur de iis quæ diis ad offerendum mactarant, quod & nunc in Samagitia, Lituania, & quibuſdam locis Ruſſiæ ab agreſtibus obſervatur. Ex bellis revertentes manubias, & unum aliquem de captivis præcipuum & inſignem virum victimæ loco igni conſecrabant: corpora mortuorum cum pretioſiſſima ſupellectili, qua vivi maxime utebantur cum equis, armis, & duobus venatoriis canibus falconeque cremabant: ſervum etiam fideliorem vivum cum domino mortuo, præcipue vero magno viro, cremare ſolebant, amicoſque ſervi, & conſanguineos pro hac re maxime donabant, ad buſta propinquorum lacte melle mulſato & cerviſia parentabant, choreaſque ibidem ducere ſolebant tubas inflantes, & tympana percutientes. Hic mos adhuc bodie in partibus Samagitiæ confinibus Curlandiæ ab agreſtibus quibuſdam obſervatur. Quos omnes errores, & vanas ſuperſtitiones Jagielo, poſtquam cum Heduvige berede regni Poloniæ, & infra, matrimonium contraxit, abſtulit.* At de his ſequenti anno, quo navata a pio Rege eſt opera in adducendis ad baptiſmum Lituanis mentio recurret.

Gentilium ſacrificia.

Homines immolabant dæmoni.

VI. Lithuani archiep. redintegrata privilegia.

Dum vero ita Lituania Romanæ eccleſiæ aggreganda foret, redintegrata ſunt vetera Lituanorum jura, quibus erant potiti dum olim evangelium ſuſceperant, repetitæque ſunt Innocentii III. Pontificis literæ III. non. ſeptembris pontificatus anno XII. datæ ad Chriſtianum Lethoviæ epiſcopum, quibus a nullo archipræſule Septemtrionali, ſed a Romano tantum Pontifice jura petere jubebatur; quæ cum Urbani regeſto inter hujus anni literas inſertæ (a) ſint, vetus illud Lituanicæ eccleſiæ privilegium ab Urbano inſtauratum dicendum: qua etiam prærogativa Nuembergenſis eccleſia decorata ex aliis ejuſdem Innocentii literis eodem die & anno conſignatis, atque in Urbani regeſto deſcriptis oſtenditur.

(a) *Apud Urban. l. 2. p. 18.*

VII. Divinæ exemplum juſtitiæ.

Eodem tempore, quo Jagello ex diabolica ſuperſtitione ad Chriſti cultum ſe contulit, divinum Numen in ſacrilegos, qui Euchariſtiam indigne attrectarant, vindictam exercuit: rem narrat Joannes Aventinus (b) dum bella Germanica, quæ inter principes Danubii accolas gerebantur deſcribit, cujus verba referenda viſa ſunt, ut ex circumſtantiis veritas illuſtretur; *Menſe*, inquit, *ſeptembri caſtra ad Stauff arcem Danubianam, quæ firmo præſidio civium tenebatur, movent oppidum, vi cum templo expugnant, uvas colligunt, vites exſcindunt. Erat in caſtris Georgius Oberbaimer eques Boſus baud longe e Braunavv Norici urbe babitabat. Hujus comes Andreas cum duobus ſociis in altera ripa templum Sultzpachii intrant, ſacrarium vi effringunt, ſacram boſtiam [thecam auream rati] ſacrilegis manibus ſuffurantur, proxime arcem, ubi nunc templum extat [quod accolæ ejus rei gratia venerantur] condunt, boloſericam crumenulam, qua victima ſervari ſolita, ſeptem aſſibus ſcorto diobolari vendunt, ſed ſacrilegii pœnas mox eodem die pendunt: Andreas ſubito furiis actus miſere in caſtris quiritando, omnibus ad bujuſmodi ſpectaculum convolantibus expiravit: alter ſceleris ſocius dum aquatum equitat, ab equo excuſſus aquis obruitur: tertius ferro cæſus occubuit. Sub idem tempus Albertus Auſtriacus Boiemis atque Boiis affinitate conjunctus pacem inter eas gentes componit.*

(b) *Joan. Avent. hiſt. Bojor. l. 7.*

Euchariſtiam cum pixide furantur milites.

Sacrilegor. pœna.

In Gallia eodem anno inſigne miraculum contigiſſe memorant Galliæ annales (c), ſcilicet Euchariſtiam in mediis flammis illæſam divinitus ſervatam: nam cum in pago ad fluvium Matronam ſito fulmen cælitus lapſum eccleſiam percuſſiſſet ac ſacra vaſa, necnon pixidem, qua continebatur hoſtia, conſumpſiſſet, ſacramentales divinæ victimæ ſpecies nullam vim labemve ſenſere.

(c) *Juvenal. Urſin. in Car. VI.*

Euchariſtia in mediis flammis illæſa.

VIII. Dux Auſtriæ favet antipapæ.

Inter hæc Leopoldus dux Auſtriæ antipapæ Avenionenſi addictus, ſchiſmatis propagandi cupidus ſigna extulit in Helvetios catholicos; ſed ab illis magna clade fuſus eſt, de qua hæc Gobelinus (d): *Leopoldus dux Auſtriæ occidentalis cum magno exercitu intravit fines Suicerorum, qui bellum contra eum inierunt, & ipſe dux, qui domino Papæ adverſabatur, cum toto exercitu ſuo vix uno evadente deletus eſt.* Adſcribit eam cladem Joannes e Monteſono (e) divinæ in ſchiſmaticum principem ultioni, quam longa inductione ſchiſmatis ſtudioſos oppreſſiſſe oſtendit: cecidiſſe vero Leopoldum in eo cruento prælio, narrat Roberti Gebennenſis geſtorum ſcriptor (f). Parante vero ultionem Alberto ejus fratre, ac fœderatos principes ad armorum ſocietatem alliciente, cum inde atrox bellum conflaretur, acceſſiſſe nonnullos concordiæ interpretes, a quibus induciæ factæ ſint, refert Gobelinus (g): *Propter boc*, inquit, *frater ejus Albertus dux Auſtriæ orientalis multis congregatis principibus profectionem fecit contra Suiceros: ſed priuſquam procederetur ad bellum treugæ factæ ſunt inter eos, & principes ad propria redierunt.* Sumpſit ex hac diſcordia Clemens antipapa, qui ad omnem auram propagandi ſchiſmatis intentus erat, occaſionem mittendi pſeudolegati Guillelmi de Agrifolio excardinalis diſſentientium in concordiam revocandorum ſpecie, qui Germanos ſuis erroribus irretire conaretur; unde ſequenti

(d) *Gobelin. Coſmodr. ætat. 6. c. 87. Crant. 2. Metropol. l. 10. c. 30.*
(e) *Bilibardus Birckeimerius de bello Helvet.*
(f) *Joannes e Monteſono in corrept. ſchiſm.*
(g) *Clem. antip. vitæ ſcript. apud Boſq.*

Antipapa pſeudolegatum mittit ad Helvetios.

anno ab his miſſa eſt ad Urbanum legatio, ut cum antipapa, ac ſectatoribus concordiam iniret, de qua re poſtea.

IX. Gallus Eremita hypocrita.

Hoc anno ineunte inſulſam apud Urbanum legationem obiit quidam inſignis hypocrita, qui ex Galliis veniens ſuperba oratione ipſum adorſus eſt, ut pontificio ſolio cederet, ementitus magno religionis ſupercilio ſibi divinitus oſtenſum, Clementem Avenionenſem veras Chriſti vices gerere: ut vero is poſtea, cum fidem dictorum tormentis facturum ſe profiteretur, impoſitus equuleo delirare deſierit, narrat Gobelinus (a); *Quidam*, inquit, *de regno Franciæ auſu ſacrilego tumidus, prophetam ſe ſimulans, quinta die menſis martii cum quatuor familiaribus Januam equitando pervenit. Hic de ſuorum verborum diſertitudine confiſus, quaſi miſſus foret a Deo, Papam circumvenire tentavit; nam die ſequenti talaribus veſtibus nigris indutus, ſtatura magnus, nigræ barbæ prolixitate, & oculorum depreſſione, aſpectu ſerius, verſus Papæ palatium ſe direxit, cujus adventum Papa præſciens, certos prælatos, & præcipue Francigenas, ad ſe venire mandavit, & prandio facto hunc ad ſui præſentiam venire permiſit: qui cum ad præſentiam Papæ venit Latinum loqui ſe neſcire proteſtatus coram prælatis ſupradictis Gallica lingua Papam his verbis aggreditur: Domine ad vos venio, ut ob Dei Eccleſiæ unionem vobis annunciem ea, quæ mihi revelatione divina ſunt patefacta. Ego quidem jam annis quindecim contemplationibus vacans in eremo, ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum dominum Clementem verum ſummum Pontificem & Chriſti vicarium, voſque pſeudopapam eſſe revelatione divina percepi: quare ob Eccleſiæ Dei unionem, animæque veſtræ ſalutem abrenunciare papatui dignemini. Cui Papa reſpondit: Unde ſcis hanc præſentem revelationem, quam aſſeris divinam a Deo factam? cumque ille narrationem ſuam, nec ſigno viſibili, nec ſacræ Scripturæ teſtimonio confirmaret; ſed ad confirmationem ſuam dicti ſui corporis tormenta nulla ſe formidare aſſerens, verba abſque ratione multiplicaret;* Et infra: *Papa familiares ſuos teneri, & ipſum carceribus cum familiaribus tradi mandavit, quod ita factum eſt; duo tamen familiares fuga evaſerunt. Hic vero & familiares ejus ſeorſim tormentis ſubacti ſunt, unde revelationis divinitatem, quam tormentorum ſufferentia ſe jactaverat approbare, ſuggeſtionem diabolicam magis eſſe confeſſus eſt.*

(a) *Gobelin. in Coſmodr. ætat. 6. c. 81. & ex eod. Crantz. Moin. propr. l. 10. c. 19.*

Ad Urbanum Genuæ accedit.

Hortatur ut pontificatu ſe abdicet. Interrogatus ut ſigno probet revelationem.

Provocat ad tormentorum tolerantiam.

Impoſitus equuleo fatetur eſſe ſuggeſtionem diabolicam.

*Cum igitur tanquam reus criminis læſæ majeſtatis propter præmiſſa foret puniendus, intercedentibus prælatis Francigenis Papæ fidelibus, ne ſi iſte ultimo ſupplicio puniretur, cognati & amici eorum in regno Franciæ morantes ſimilia forſan paterentur, cum hunc noverant ſpeciali Regis Franciæ favore ſuffultum, Papa conſilio deſuper habito decrevit, ut ipſe barba raſus juramento fidelitatis ſibi præſtito proxima die dominica ſequente in miſſa Papæ ſermone finito, omnia quæ contra ipſum dominum Urbanum Papam dixerat publice revocaret; eaque revocando, nullum verum eſſe Papam, quam ipſum dominum Urbanum ſe confiteri referret. Quapropter ſolutus a carcere, & in ſignum confuſionis barba privatus, eadem die dominica, quæ erat undecima menſis prædicti, & prima dominica quadrageſimæ omnia præmiſſa, ut dictum eſt, alta voce recantavit, & deinde diſpenſatione veſcendi carnibus a domino Urbano ſuſcepta per dies aliquot Januæ commoratus eſt; & demum equis & annulo ſibi reſtitutis, verſus Franciam quaſi pro unione eccleſiæ ſpecialiter acturus, greſſus ſuos de conſenſu Papæ reflexit.*

Publice Urbanum Pontificem confitetur.

X. Urbani ſeveritas in defectores.

Exercebat pariter Urbanus ſeveritatem in illos, qui a Romana eccleſia ad ſchiſmaticorum partes ſe conferebant, atque Sulvinum (b) epiſcopum Alarienſem in Corſica, & Arnaldum (c) epiſcopum Leodienſem in Rhodios equites ea labe infectos animadvertere juſſit; quibus poſtremis literis III. non. decembris Genuæ adſcripta eſt: octobri vero, cum Thomam S. Mariæ in Dominica diaconum Cardinalem, quem urbi Romanæ ac Patrimonio B. Petri præfecerat, graviori tentatum morbo accepiſſet, ne forte aliquid novi iniretur conſilii ex illius morte, Stephanum tit. S. Marcelli presbyterum Cardinalem ſubmiſit (d), inſtruxitque auctoritate, ut datas illi partes obiret. Cæterum convaluit Thomas Cardinalis, de quo alibi ſermo repetendus erit. Extant etiam Urbani literæ Genuæ XIV. Kal. decembris hujus anni exaratæ (e), quibus Bartholomæus Florentinus & Joannes Aretinus epiſcopi in adulterantes bullas apoſtolicas legibus agere juſſi ſunt.

(b) *Urb. l. 2. p. 6.*
(c) *Ib. p. 15.*
(d) *Ib. p. 4.*
(e) *Ib. p. 7.*

Quod ad reliqua ab Urbano Genuæ geſta ſpectat; ea ex Gobelino (f) teſte oculato proſequimur. Refert is factam ab amicis exauctoratorum Cardinalium, qui in vinculis erant conjurationem, ut eos liberarent, ac noctu in pontificium palatium irrupiſſe, ratos plures ipſis ad diffringendum carcerem ſe conjuncturos; ſed cum excitati ad ſtrepitum pontificii famuli, aliique excubitores arma expedirent ad eorum impetus propulſandos, metu aufugiſſe (g): deinde paucis poſt diebus ſtructas Urbani vitæ inſidias, ut veneno tolleretur; ſed eos, quos hujus criminis ſuſpicio aſperſerat, vinculis aſtrictos; ac tunc, cum Urbanus tumultus nocturni concitati auctores diligentius quæreret, Pileum Ravennatem & Galeottum e Petramala ab Urbano ad antipapam deſciviſſe, ac magnam de ſe comparatarum hujuſmodi inſidia-

(f) *Gobel. in Coſmodr. æt. 6. c. 81.*

Conjuratio in Urbanum pro liberandis Cardd. vinctis.

(g) *Gobel. ubi ſup. & Crantzius metropol. l. 10. c. 20.*



Duo Card. ad antip. deficiunt.

rum ſuſpicionem concitaſſe. *Cum Papa*, inquit, *præmiſſorum conatus auctores diligentius conaretur inveſtigare, Pileus Cardinalis de Ravenna & Cardinalis de Petramala, de curia fugiendo, ſe circa præmiſſa ſuſpectos reddiderunt, & tandem Avenionem ſe transferentes ab antipapa in Cardinales recepti ſunt; ſed & dominus Pileus in majorem domini Urbani contumeliam, quod ab eo inſigne honoris cardinalatus accepit, Papiæ in foro publice flamma combuſſit, comite Virtutum hoc gratum habente: qui idem comes alias parum ante hoc tempus tentavit effici Rex, & titulum regni Longobardiæ ſibi a domino Urbano innovari; ſed dominus Urbanus ei non conſenſit.* Addit auctor (a) aliud Pilei (quem quidem ex Walſinghamo fuiſſe laxioris conſcientiæ, & ad corradendum aurum ſacra auctoritate abuſum, dum legatum in Anglia ageret, vidimus) dirum flagitium, nempe alios in ſchiſmatis præcipitium trahere molitum: *Inſuper idem Cardinalis, poſtquam ab antipapa receptus eſt, ſcripſit principibus Alemanniæ in detractionem Urbani, ſe nimis erraſſe, & apertis oculis lumen non vidiſſe, dum Urbano adhærens Clementi contrarius extitiſſet: ſed principes hæc in ſui ipſius contumeliam & ſcandalum retorquentes, maxime cum ipſe legationis officio fungebatur, ejuſdem Urbani gloriam prædicaverat, ipſum in præmiſſis non laudaverunt. Hinc Urbanus duos Cardinales prædictos excommunicavit, & cardinalatus honore privavit.*

Pilei Cardin. contumelia in Urb.

Germanos pervertere nititur.

(a) *Gobel. & Crantzius ubi ſup.*

Ejuſdem perfidia.

XI.

Meminere Theodoricus e Niem (b), & antipapæ geſtorum ſcriptor (c) horum Cardinalium defectionis, quam non religione, qua male de Urbani pontificatu ſentirent, ſed Urbani ob ejus acerbitatem odio contigiſſe conſtat, unde Pileus extincto Urbano ab apoſtaſia reſipuit (d), atque a Bonifacio IX. amantiſſime Eccleſiæ gremio priſtinæque dignitati eſt reſtitutus: Galeottus vero e Petramala, ut homo vecors in ſcelere computruit, unde a ſchiſmatico auctore magnis elogiis exornatur, de quo iterum ſuo loco. Quod ad Cardinales vinctos attinet, quorum liberandorum cauſa, multa in Urbanum tentata fuere; ex his Adamus Richardi Anglorum Regis rogatu vita & libertate donatus, cum non aſſenſiſſet ſævo aliorum conſilio, quamvis illud ſilentio preſſiſſet; reliqui vero quinque clam ſupplicio affecti: de quorum necis genere varia fama in vulgus manavit (e). Sunt qui tradunt fracta in carcere gula enecatos: alii (f) culeo inſutos merſos in mare: alii percuſſos ſecuri; e quibus Gobelinus (g), quamquam Urbano addictiſſimus, hæc refert: *Dominus Papa receſſit de Janua, & in receſſu quinque Cardinales, quos uſque tum in carceribus detinuit, ibidem mortuos reliquit: ſed quomodo, aut quali morte vitam finierint, non plene mihi conſtat; undecimo tamen anno domini Bonifacii Papæ ſucceſſoris immediati domini Urbani intellexi a quodam, qui dixit ſe eorum ſepulturæ præſentem fuiſſe, quod ipſi in carcere jugulati, & in ſtabulo equorum clam noctu ſepulti fuerint: ſed dominus Adam Cardinalis de Anglia ex cauſis ſuperius dictis vivus reſervatus eſt.*

(b) *Theod. e Niem. l. 1. c. 61.*
(c) *Clem. antip. vit. auctor apud Boſq.*
(d) *Id. ib.*

Adam ex carcere liberatus.

Quinque Cardd. clam necati Urb. juſſu.

(e) *Theod. e Niem. l. 1. c. 60.*
(f) *Hector. Pignat. in MS. diar. Neap.*
(g) *Gobel. in Coſmodrom. æt. 6. c. 81. & Crantzius metrop. l. 10. c. 20.*

XII.

Cæterum ſcribit idem Gobelinus (h) Urbanum Genuæ meritis honoribus non affe-

(h) *Gobel. ſup. c. 81.*



NOTÆ [1] QUamquam Pileus Cardinalis & Tuſculanus Epiſcopus hoc anno ſubducere ſe potuit ab Urbano, ut ſua conſtet authoritas Gobelino id aſſerenti apud Annaliſtam; ad Clementem tamen non deſcivit niſi anno ſequenti exeunte, cujus rei teſtem exhibeo oculatum Sandionyſianum monachum in vita Caroli VI. Francorum Regis, apud Baluzium in Notis ad vitas Papar. Aven. col. 1361. *Circa*, ſcribit, *finem hujus anni* [1387.] *Archiepiſcopus Ravennenſis, natione Italus, vir cautus mirabiliter & aſtutus, qui ab Antipapa Urbano ad Cardinalatum aſſumptus fuerat .... ad Papam Clementem reverſus eſt. Cum inde innumerabiles mirarentur, memini me etiam ab officialibus Papalis cameræ reiteratis vicibus tantæ inſtabilitatis motivum inveſtigaſſe. Qui omnes in unum conveniebant, dicentes; In legatione prædicta* (Germanica quam pro Urbano geſſit) *ingentes ſibi accumulaverat pecunias: ſed iis minime contentus, per hanc converſionem vulpinam ampliores intendit acquirere. Quod & rei exitus comprobavit. Tunc revera docuit Cardinales cavere de cætero ab accedentibus in veſtimentis ovium. Nam ab eo honorifice receptus & adductus ad Domini Papæ Clementis præſentiam, cum ſibi humiliter poſtulanti de commiſſis veniam impetraſſet, ut ad eorum aſſumeretur ordinem; tandem anno non exacto donis uberioribus clam, illicentiatus recedens, rediit ad Urbanum.* Seceſſionem tamen & adventum Pilei ad Clementem præceſſiſſe oportet diem IV. octobris ejuſdem anni 1387. tunc enim unus erat ex Cardinalibus Clementis, qui Mariæ Siciliæ Reginæ ejuſque filio Ludovico apud Villam novam aderant, ut ex Diario Epiſcopi Carnotenſis idem Baluzius ibid. adnotat. Erraſſe vero oportet Sandionyſianum illum monachum, aſſerentem nondum elapſo anno Pileum rediiſſe ad Urbanum, nam apud Annaliſtam ad annum 1389. 9. extant literæ Urbani VI. eodem anno datæ die VIII. Kal. ſeptembris adverſus Pileum, qui Clementis legatione in Etruria fungebatur.

Inſuper Pileus Cardinalis, de quo hic ſermo, licet hoc anno ab Urbano apertam ſeceſſionem fecit, anno tamen ſuperiori idem meditabatur. Unus enim fuit ex quinque Cardinalibus Urbani, qui literas ad clerum Romanum direxit, in quibus poſt acerbam in Pontificem invectivam, author eſt ut negato Pontifici obſequio conveniant omnes ad deliberandum, quid expediat Eccleſiæ; neque enim parendum ulterius cenſebant Urbano, ſævo, ut ajebant, homini, & impotenti. Literas illas e MS. Codice vulgavit Baluzius in collect. Actorum veterum ad vitas Paparum Avenionenſium num. 226. MANSI

affectum, nec divinam ultionem ab ea republica abfuiſſe, obſervat quippe eam magnis opibus, gloria, civiumque concordia effloruiſſe teſtatur, dum Genuæ Pontifex verſatus eſt, deinde vero poſt illius diſceſſum adeo collapſam, ut amiſſo imperio in turpem ſchiſmaticorum ceciderit ſervitutem: *Eodem*, inquit, *tempore quo dominus Urbanus Papa prædictus Januæ moram traxit, civitas Januenſis, una cum magificentioribus civitatibus totius Italiæ tanto honore, potentia, & dignitate fulgebat, ſicut unquam temporibus retroactis fulſiſſe memoratur: ſed quia, quamvis domino Urbano in neceſſitate auxilium præſtiterit, tamen reverentiam tali Chriſti vicario debitam, de ſua potentia nimium præſumens, non uſquequaque exhiberi curavit* [*nam de his, qui ob liberationem Cardinalium in carcere poſitorum palatium Papæ noctu vi armata petierunt, nulla juſtitia ſibi adminiſtrata eſt, quamvis Januenſes in offuſcationem famæ ſuæ nimium cedere arbitrarentur, ſi quis cuipiam quamcumque ibidem violentiam inferret impune, immo quidam ſatellites poteſtatis, ſeu ducis Januenſis reverentiæ ſummi Pontificis minime deferentes, quoſdam Papæ familiares de palatio apoſtolico vi distractos tormentis affecerunt*] *poſt Papæ receſſum, qui longo tempore fuere concordes, in tam graves diſſenſionis & ſeditionis caſus incidere, quod parte contra Papam prævalente civitas ipſa aliquando domina gentium & princeps provinciarum facta ſit ſub tributo, dum ſe Regi Franciæ nulla vi extranea, ſed inteſtina clade cogente ſubdiderunt.*

Genuenſes Urb. temnunt.

Cecidere poſtea in ſervitutem.

Urbani e Genua diſceſſus.

Diſceſſiſſe porro Pontificem Genua menſe decembri, affirmat Theodoricus e Niem (a), cum novos in regno Neapolitano motus ab Othonis Brunſvicenſis principis olim Joannæ Reginæ viri adventum pertimeſceret: illum enim, poſtquam cuſtodia emiſſus fuit, ad Robertum Gebennenſem antipapam profectum, ac menſe novembri Liguriæ littora legiſſe ait, dum in Siciliæ inſulam curſum intendebat, ut ex ea irrumperet in Apuliam; a quo poſtea Neapolim interceptam lugebimus.

(a) Theod. e Niem. l. 1. c. 60.

Lucam iter intendit.

Egreſſus interea Genua Pontifex, [1] Lucam maritimo itinere contendit extremo anno, atque in ea aliquot menſes eſt commoratus, ut narrat Theodoricus: *Urbanus*, inquit, *menſe decembri navali ſubſidio ab urbe Genuenſi verſus Lucam transfretavit, ubi novem menſes continuo deſedit.*

XIII. Prætereundum non ducimus, Maſſiolum archiepiſcopum Raguſinum in Germania Apoſtolicæ ſedis internuncium hoc anno Henrici VII. & Caroli IV. Imperatorum literas (b), quibus antequam habenas imperii ſuſciperent ad tuendam Eccleſiæ dignitatem, ditionem eccleſiaſticam ab invaſorum manibus vindicandam, ac Siciliam non invadendam ſe obſtrinxerant, Pragæ vulgaſſe in quarum calce Maſſiolus hæc adjicit: *Datum & actum Pragæ in domo habitationis noſtræ ſub an.* MCCCLXXXVI. *indictione* IX. *die* XXVI. *februarii pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris domini Urbani Papæ VI. anno* VIII. At iners Wenceſlaus a patris & abavi imperatorum magnanimitate admodum aberat, regiaſque partes in Eccleſiæ cauſa defendenda, diſcutiendoque ſchiſmate obire neglexit.

(b) Ext. in bull. MS. Vallic. biblioth. ſign. lit. B. n. 12. p. 275.

Feſulanæ congreg. exordia.

Hoc anno condita eſt Feſulana congregatio fratrum eremitarum S. Hieronymi a Carolo Antonii comitis Montiſgranelli ſacerdote diœceſis Sarcinatenſis, quæ poſtea a Gregorio XII. apoſtolica ſanctione (c) firmata eſt VIII. idus julii pontificatus anno IX.

(c) Ext. in bullar. in Greg. XII. conſt. 3.

(d) Valſin. in Rich. 2. hoc anno

XIV. Suſcepta eſt eodem anno (d) a Joanne duce Leceſtriæ adverſus Joannem Regem Caſtellæ expeditio, cum vitio parenti Henrico, qui regnum Petro Regi eripuerat, illum ſucceſſiſſe contenderet: *Prætendens*, ut ait vitæ antipapæ ſcriptor (e), *regnum hujuſmodi ſibi deberi ratione conjugis ſuæ, nempe Conſtantiæ, quæ filia fuerat Petri quondam Regis ejuſdem regni, qui ſine liberis maſculinis deceſſerat, regnumque ipſius ſecundum eum, indebite occupatum fuerat per Henricum fratrem ſuum naturalem, & ſic adhuc occupabatur per Joannem filium ſuum in dictæ conjugis præjudicium, atque damnum.* Acceſſerat alia inferendi Joanni Caſtellano Romanæ eccleſiæ nomine belli occaſio, cum is ad antipapam, ut vidimus, deſciviſſet, quare Urbanus in eo bello ducis

Leceſtriæ ducis in Caſtellam expeditio.

(e) Clem. antip. vit. ſcript. apud Boſq.

Belli cauſæ.

NOTÆ [1] Certam diem qua Urbanus Genua diſceſſit, certamque pariter qua Lucam intravit coævi quidam ſcriptores Itali nobis ſervarunt. Georgius Stella in Annalibus Genuenſibus die XVI. Decembris triremem conſcendiſſe Pontificem aſſerit, ac trireme alia comitante cum Cardinalibus Lucam navigaſſe addit. In Urbem vero Lucam ingreſſum die XXIV. ejuſdem menſis ſcribit Sozomenus in hiſtoria Piſtorienſi, qui & notat Cardinales XII. in comitatu habuiſſe, additque diſceſſum Genua adornandi in cauſa fuiſſe ut fama ferebatur, *honeſtum* Ducis Genuenſis *mandatum*. *Et requiſierat ire*, ait Sozomenus, *ad multas, & nulla eum acceptavit niſi civitas Luca, &.... Et dicens ſe velle ibi ſtare ſolum per XV. dies; poſtea ſtetit uſque ad menſem ſeptembris. Et repertum eſt quod illa nocte, qua Genua abierat, fecit interfici quinque Cardinales* (nam ſextum liberum jam dimiſerat, ut notat Annaliſta hic num. II.) *quos ſecum habebat captivos, & ſimiliter quatuor alios Prælatos. Peruſini, dum Papa eſſet Lucæ, miſerunt ad eum cives ut ducerent eum Peruſium; & tandem non duxerunt eum propter multa quæ petebat dictus Papa.* MANSI



cis Lancaſtriæ ſigna ſecuturis ampliſſimas indulgentias contulit, ut datæ ab eo literæ (a) teſtantur.

(a) Urb. l. 2. pag. 268. & 299.

*Martinus, &c. Tempore quo chariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Rex Caſtellæ & Legionis illuſtris, & dux Lancaſtriæ regna Caſtellæ & Legionis de manibus ea occupantium recuperare diſponebat, nos ad dicti Regis inſtantiam in omnibus & ſingulis præfato Regi circa recuperationem regnorum ipſorum aſſiſtentibus, & contra ſchiſmaticos pugnantibus, hujuſmodi negotiorum proſecutione durante uſque ad certum tempus certas indulgentias authoritate noſtra elargiri, & crucem prædicare & prædicari facere poſſet, nonnullas aliaſque facultates per noſtras literas duximus concedendas.* Meminit etiam Walſinghamus (b) de religioſa hac militia pontificio juſſu indicta: quæ vero geſta ſint a Joanne Anglo in Hiſpania, Theodoricus e Niem (c) paucis verbis ita complectitur.

(b) Valſin. in Rich. 2.

(c) Theod. e Niem. l. 1. c. 78.

*Genitor moderni domini Regis Angliæ, qui erat dux Lancaſtriæ, intravit Hiſpaniam manu potenti, eam ſatagens ſuæ ſubdere poteſtati cum auxilio domini Joannis moderni Regis Portugalliæ: qui quidem ambo de ipſius Urbani erant obedientia: & tandem duabus filiabus dicti ducis nuptui traditis in partibus illis una videlicet dicto Portugalliæ, & alia Hiſpaniæ*, nempe Henrico filio Joannis *Regibus, ſuo propoſito alias infecto remanente, ad propria remeavit.* Non potuiſſe Joannem Leceſtriæ ducem Caſtellam Joanni eripere, cum Gallus ingentes auxiliares copias duce Ludovico Borbonio fœderato Hiſpano ſubmiſiſſet, obſervant S. Antoninus (d) & Paulus Æmilius; ac licet plures victorias de hoſte reportaſſet, terras tamen in ſuam poteſtatem redigere non potuiſſe, atque ideo ad pacem proniorem fuiſſe, quibus conſentanea geſtorum antipapæ (e) ſcriptor, ac Mariana (f) referunt.

(d) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 15. Paul. Æmil. in Car. V.

Submiſſæ a Gallo Caſtellanis auxiliares copiæ.

(e) Vit. antipap. ſcrip. apud Boſq.

(f) Marian. l. 18. c. 10.

XV. His conſentit Thomas Walſinghamus (g), Joannem ducem Leceſtriæ, quamvis Regem Luſitaniæ ſubſidiarium ſocium eſſet nactus, tamen Gallorum exercitu, qui Caſtellæ Regi opem ferebat, preſſum ad tantas commeatuum redactum anguſtias, ut Angli, poſtquam magna eorum pars morbis fuiſſet conſumpta, paſſim ad Gallos, a quibus humaniter excipiebantur, deficerent; in quos cum Luſitanus Rex irruere pararet, poſtea continuiſſe, cum non perfidiæ, ſed neceſſitati ſuccubuiſſent. Tum ſubdit author, ut dux Leceſtriæ ad divinam opem implorandam perfugerit, honeſtæque pacis leges cum Caſtellano ſanxerit: *Mox*, inquit, *dux inclinans caput* (*ut erat eques*) *amariſſime flevit ſuper equum, tacite fundens preces omnipotenti Deo, commemorans in corde ſuo, quod antea in felicitate & rerum opulentia, nec Deum, ut debuit, cognoviſſet, nec, ut decuit, coluiſſet. Tacitus ergo ſubortis ſuſpiriis implorat pro gratia, precatur pro miſericordia ſpondens in poſterum correctionis vitæ practicam, & apud cordis oculos futuram jugem Dei ſui notitiam. Cujus videns lachrymas, qui Mariæ peccatricis quondam ſuſcepit ſuſpiria, dedit ex inſpirato a die illo, & deinceps ſibi cuncta proſpera, cuncta læta: nam adverſarius ſuus Rex Caſtellæ non viribus humanis territus, nullius niſi Dei ſolius timore compulſus, quippe qui inter ſuos ſecurus habitans & vidit & ſcivit noſtratium miſerias, tractare cœpit cum duce de forma pacis habendæ inter illos: & ventum eſt ad iſtud, ut acciperet Rex Caſtellæ filio ſuo ducis filiam in uxorem, quorum poſteritas Hiſpaniæ regno gauderet.* Addit alias pactiones de pendendo annuo ſtipendio duci Leceſtriæ, & ſi ſtirps Henrici deficeret, regna ad Leceſtriam ſtirpem devolvenda.

(g) Valſin. in Rich. 2.

Angli penuria preſſi.

Dux Leceſtriæ adverſis emollitus ad pietatem.

Dum vero in Caſtella invadenda diſtricti erant Angli, Carolum Regem Francorum florentiſſimam claſſem ornaſſe, ut Angliam adoriretur, Walſinghamus narrat (b): ſed illius formidandos apparatus non ſine Dei providentia, dum profectionem extrahit, quod adverſæ reflarent auræ diſſolutos. Quo tempore Armeniæ Rex, qui a Saracenis regno ejectus in occidentem acceſſerat, ut Chriſtianorum arma in communes hoſtes verteret, regnoque reſtitueretur, efferatos in mutuam perniciem animos mulcere & conciliare inter ſe fruſtra tentavit.

Gallorum in Angl. apparatus diſturbati.

Armeniæ Reg. conatus irriti.

(b) Valſin. in hiſtor. Angl. in Rich. II.

XVI. Quod ad res orientales ſpectat; hoc anno Corcyra inſula, quæ Carolo Dyrrachino ante paruerat, necis illius occaſione inclinavit ad Venetos, eorumque imperio ſe adjunxit; qua de re appendix MS. ad hiſtoriam Andreæ Dandali hæc refert (i): MCCCLXXXVI. *die nona menſis junii, indictione nona, univerſitas Corphienſis, optans beate & pacifice vivere cœleſti Numine inſpirata deliberavit reverti ad ſuaviſſimum regimen ducatus excellentiæ Venetiarum, ſub qua fuit antiquitus benigniſſime gubernata: ſicque Dei nomine invocato ſpontanea & matura deliberatione elegit in capitaneum ſuum nobilem virum Joannem Miani tunc capitaneum gulphi.*

(i) Append. MS. ad hiſt. Andr. Dand. in Antonio Venerio.

Corcyra ad Venetum imperium revocata.

I. Aragoniæ nefaria ad Clementem pſeudopontificem defectione, triſtique rerum Neapolitanarum ad victores ſchiſmaticos inclinatione lugubris extitit annus a Chriſtiana ſalute milleſimus trecenteſimus octuageſimus ſeptimus indictione decima: quo antipapa graviſſimarum occaſione diſcordiarum, quæ Urbanum inter & Margaritam filiumque Ladiſlaum, qui imbellibus manibus ſceptrum Siculum tractabat, vires omnes contulit, ut Ludovicum ducem Andegavenſem Ludovici demortui filium in Siciliæ regno, pulſo Ladiſlao, conſtabiliret, atque ab Urbani juſti Pontificis obſequio Siculos ad ſui venerationem traduceret. Promovit callida turbidaque ejus conſilia Otho Brunſvici dux Joannæ olim Reginæ vir, & armorum gloria & amicorum authoritate florentiſſimus, una cum Thoma Sanſeverinate Ludovici copiarum præfecto, ac Neapolim in ſuam poteſtatem redegit, ut refert Theodoricus e Niem (a), qui de Othone menſe novembri ſuperioris anni Liguſticum littus prætervecto addit: *Otho dux ad ipſum regnum Trinacriæ pervenit, ubi magnifice per nobiles receptus eſt, atque hinc Apuliam profectus cum primoribus potiſſime de S. Severino hoſtibus ejuſdem dominæ Margaritæ Reginæ tum Siciliam poſt mortem prædicti Caroli regentis fœdus iniit: qui potenter Neapolim intrantes eam vi ceperunt, multoque tempore tenuerunt. Ipſa (b) vero domina Margarita cum ejus filiis Rege Ladiſlao & Joanna duciſſa ad civitatem Gajetanam fugit a facie inimici perſequentis, ubi tunc multis annis in magna ærumna & inedia mater, & filii remanſerunt.*

(a) *Theod. e Niem. l.1. c.62.*

Neapol. capta ab Othone Brunſv.

(b) *Id. ib. c.63.*

II. Agunt pluribus de expugnata Neapoli diaria MS. comitis Hectoris Pignatelli (c), traduntque hoſtes ex auctis Neapolitani ſenatus cum Regina Margarita diſſenſionibus confirmatos animis prima julii die caſtra in Neapolis conſpectum promoviſſe, ac ſenatum in Ludovici Andegavenſis ſchiſmatici partes inclinaſſe, pepigiſſeque, ut milites exiguo numero ad commeatus emendos urbem ingredi poſſent: tum vero facinus hoc non tuliſſe Guindazzum archiepiſcopum, abbatem S. Severini, & alios ſacerdotes, qui Urbanum colebant, perque urbem diſcurriſſe, ut populum ad Urbani & Ladiſlai Regis partes aſſerendas contra ſchiſmaticos hortarentur; ſed cum partem urbis percurriſſent, atque ad portam novam perveniſſent, captos a factionis adverſæ hominibus, vulneribuſque male exceptos, deinde maximo cum dedecore per terram raptatos, ac tum inclinante in veſperum die univerſam Neapolim exciviſſe ad arma: cumque pars Urbani & Ladiſlai, pars Ludovici, pars Urbani, & ſenatus Neapolitani nomen inclamaret, conſerto prælio Urbani & ſenatus partem viciſſe.

(c) *Hector Pign. diar. Neap.*

In tres factiones diſciſſa Neapol.

Urb. imprudentia.

Adverſabatur Urbanus non minus Ladiſlao quam Ludovico, quippe qui ex edictis in Carolum promulgatis regnum ad ſedem Apoſtolicam devolutum contenderet, nec umquam, ut puerum Ladiſlaum in gratiam ad catholicam rem contra ſchiſmaticos confirmadam reciperet, adduci potuiſſe viſuri ſumus: ex qua diſſenſione factio ſchiſmatica viribus aucta regnum mox oppreſſit: nam ſeptima julii Provinciales duæ triremes applicuere, quæ ſtipendia militi attulere, conſternataque animis Regina, cum Andegavenſes & Urbani ſectatores adverſantes ſibi pateretur, die octava julii ex caſtro Ovi Cajetam aufugit, ac tam Urbani, quam Ladiſlai pars proſtratæ ſunt, & Neapolitani magiſtratus cum Andegavenſibus fœdus pepigere: Raymundus vero Nolæ comes Urbani partem ſuſtentaturus Neapolim ingreſſus eſt cum exercitu, utque regios ſibi adjungeret etiam Ladiſlai nomen cum Urbani nomine conclamavit; cui cum Neapolitani magiſtratus reſiſtere non poſſent, Andegavenſium copias in urbem induxerunt, propulſatoque Raymundo, Neapolis ſuorum civium fœdata ſanguine in ſchiſmaticorum poteſtatem eſt redacta. Sævitum inde a victore in eos, qui antea Carolo Dyrrachino contra Joannam Reginam adhæſerant; unde ampliſſima urbs immenſis merſa eſt calamitatibus, quas Theodoricus e Niem (d) his verbis perſtringit: *Tunc, ac diu poſtea ipſa civitas Neapolitana propter proditionem, quam ejus cives incolæ contra dominum Othonem ducem & ejus uxorem Joannam Reginam egerunt, intromittendo dictum Regem Carolum, miſere fluctuabat: ſpoliabantur enim continue domus multorum civium, & exponebantur prædæ victoribus, adulteria, ſtupra, & alia multa fiebant mala in civitate, unde in maximo numero cives utriuſque ſexus ea tempeſtate terra ac mari ad Trinacriam, Capuam, Gaetam, & alias civitates, ac loca confugerunt.* At ne florentiſſima olim urbs redigeretur in ſolitudinem, Othonem uſum poſtea clementia, ac verbis mulcere civium animos conatum fuiſſe, addit laudatus author. Direptis ita militari licentia privatorum fortunis, poſtea antipapa eccleſiarum ſacraria, cruceſque & calices, ut præmia furoris militi numerarentur, conflari juſſit, ut obſervat S. Antoninus (e): *Clemens antipapa Avenioni reſidens licentiam dedit iis qui Neapolim pro duce Andegaviæ retinebant, ut venderentur vaſa aurea & argentea eccleſiarum conflata ut ſtipendia poſſent militibus conductis conferre: inde notabile detrimentum illatum eſt eccleſiis.*

Margarita Regin. cum Ladiſlao Cajetam profugit.

(d) *Theod. e Niem. l.1. c.65.*

Neapolitanorum miſera ſors.

(e) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c.1. §.14.*

Sacra ſupellex ab antip. direpta.



Urb. Neapolitanum regnum ſibi ſubjicere molitur.

Audito hoc infelici ſucceſſu Urbanus, qui antea Carolum ac poſteros judiciaria ſententia Neapolitani regni jure dejecerat, contendebatque ad Romanam eccleſiam devolutum, quamvis ærario & exercitu imparatus, meditatus eſt armis illud ſibi comparare, ratus propoſitis ampliſſimis indulgentiis fideles ſtipem ad ſumptus bellicos tolerandos neceſſariam collaturos, atque ad ſigna Eccleſiæ concurſuros: qua de re encyclicas haſce literas (a) ad præſules dedit, ut populos in arma ſacra concitarent.

(a) *Urb. l.2. p. 22.*

*Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, ac dilectis filiis electis ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes advenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Encyclicæ ejus literæ.

*Exurgat Deus exercituum dominus: exurgat Salvator noſter Chriſtus dominus, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos: exurgat glorioſus Apoſtolorum chorus, qui ſedebunt ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael: exurgant Sancti omnes, & cum eis exurgat Romanus Pontifex Chriſti vicarius & Dei ac fidei catholicæ, ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac univerſalis Eccleſiæ, reipublicæ, & fidelium omnium cauſam tueantur, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum a facie ejus: & confundantur falſi ſacerdotes, qui de profundo inquitatis odii & malitiæ, aliud erigentes altare ſeu altaris menſam in civitate Fundorum contra agnitam veritatem ex concepta malitia Sancto Spiritui reſiſtentes conflaverunt, ut ita dixerimus, vitulum in Oreb, quod bene convenit ſecundum interpretationem, Oreb namque interpretatur menſa, ut fiat eorum altare, menſa eorum ipſis in laqueum & retributionem & in ſcandalum: vel ſecundum aliam interpretationem, Oreb enim interpretatur ardens, quia in igne & ardore odii ſculptile & idolum, ideſt antipapam extra Dei Eccleſiam eligendo fecerunt & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: vel ſecundum aliam interpretationem, qua Oreb dicitur tentans aut tentatio, tentaverunt enim Deum in inaquoſo, ideſt in ariditate vel non populo, & adorantes ſculptile eum in ſculptilibus multis ad iracundiam provocarunt. Intelligant igitur Reges & principes, & erudiantur judicantes terram, & ſerviant illi in timore, & exultent ei cum tremore quibus ad vindictam malorum, laudem vero bonorum gladius eſt commiſſus, & exurgant una cum fidelibus populis, & omnes pariter cauſam Dei fidei catholicæ & religionis Chriſtianæ, quæ multipliciter laceſſitur, per impurum & conflatum idolum & ſculptile perpetuæ damnationis alumnum Robertum de Gebenna olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum Cardinalem nunc antipapam ad inſtar antichriſti, cujus propriiſſime typum gerit, & per ſacerdotes falſos & mendaces dicti Roberti ſequaces ſchiſmaticos & hæreticos, ac literatos viros & alios potentes, qui etiam Regum & principum & aliarum ſæcularium dignitatum titulis inaniter gloriantur, & armata manu Eccleſiam in ejus fidelibus perſequuntur.*

Antipapa ſculptile perpetuæ damnationis.

III. *Exurgant itaque ii omnes, & ſacroſanctam Romanam eccleſiam ipſorum & cunctorum fidelium matrem ab ipſius perſecutionibus tueantur, & liberent & potentes ejus injuriam adverſus impuros & falſos ſacerdotes, eorumque ſatellites ulciſcantur: nam, ut palam omnibus eſt, filii quos eadem mater eccleſia educavit in ſinu, propriiſque uberibus pavit & extulit ad culmina dignitatum, ingrati & indigni & privigni effecti, errantes ab utero locuti ſunt falſa & eam ingratitudine ſumma ſpreverunt, & licet nos, qui ſalutem zelabamur illorum, præfatum Robertum & nonnullos ex eis ejus fautoribus & ſequacibus ac eidem adhærentibus, & per nuncios & literas ſæpius & paterne monuerimus, ut ab iniquitatibus & malis, quæ præparabant abſtinerent, & viam Domini agnoſcerent & tenerent; quia tamen ipſi in modum aſpidis ſurdæ obturantes aures ſuas, & elati ac noſtra & ipſius eccleſiæ patienti benignitate irreverenter abuſi, ſemper in pejora ruebant, nec de illorum ſalubri reductione ſpes aliqua videbatur, contra eos ipſorum culpis & demeritis exigentibus, in virtute Altiſſimi duximus exurgendum, dictumque Robertum & nonnullos alios ſpecialiter nominatos, ſuadente juſtitia, velut hæreticos & ſchiſmaticos finaliter condemnavimus puniendos, & contra eos redire non curantes pœnas & ſententias juris & hominis in ipſos latas juxta formam juris aggravavimus, prout in diverſis noſtris inde confectis literis plenius continetur. Poſtmodum vero expectavimus expectatione longæva, quod ipſi Robertus, ſequaces, fautores, & adhærentes aliquando ad cor reverſi, ſuoſque recognoſcentes errores ad gremium noſtrum & Romanæ eccleſiæ unitatem & pacem redire curarent, & contrito & humiliato corde veniam & gratiam poſtularent.*

Illius & ſectatorum duritie.

Lata in eos juridica ſententia.

Diu expectati ut veniam poſcerent.

V. *Sed quia ſuperbia illorum, utpote qui Deum & veritatem oderunt, aſcendit ſemper, & continue intumeſcit, quærentes excuſationes in peccatis, errores erroribus implicant, & venenoſis ſuggeſtibus plures & potiores ſecum in perditionis barathrum, quo ſe immerſerunt, trahere moliuntur, & quantum illis virium iniquitas ſubminiſtrat, tantum pejora præſumunt, & quos mendaci applauſu & ſuggeſtibus falſis in limum profun-*

*fundi, ubi non eſt ſubſtantia, trahere nequeunt, minas & terrores adiiciunt, eoſque violenter attrahere conantur, & quoad valent & bella tentant & fovent; necnon effecti famæ prodigi, ac proprii perſecutores honoris, & ab omni ingenuitate degeneres, quibuſdam viris potentibus & aliis, quos in unum congregavit iniquitas, ſui*

Conſpirationes conflarunt.

*iniquiſſimi propoſiti fautoribus accerſitis, etiam ſub noſtris & eccleſiæ Romanæ vexillis, & noſtro nomine ſimulatis atque confictis, quod eſt infidelitatis, fraudis & doloſitatis horrendum & infandum proditionis commentum, & ab omnibus fidelibus*

Neapol. & alias urbes ceperunt.

*præſertim, qui arma ſecuntur deteſtandum, ut facilius improba vota perficerent, civitatem Neapolitanam, & nonnulla alia civitates, terras, & loca regni Siciliæ & terræ citra pharum, quæ de patrimonio B. Petri Apoſtolorum principis & eccleſiæ ipſius exiſtunt, occuparunt, & detinent occupata, & magnis conatibus nituntur ad alia civitates, terras, & loca regni Siciliæ, terræ, & regni prædictorum, manus extendere violentas, in maximum fidei catholicæ & religionis Chriſtianæ detrimentum, & ipſius eccleſiæ damnum & præjudicium manifeſtum, & periculum animarum.*

VI. *Quapropter cum eccleſia non habeat ultra quid faciat, ne poſſit eſſe perditio plurimorum, hujuſmodi viri Belial, qui in profundum malorum deſcenderunt per ſæcularem comprimendi ſunt poteſtatem; juxta divina & ſanctorum patrum præcepta pariter & decreta, etiam legiſlatoris exemplo, qui una cum levitis accincti gladiis, non parcentes parentibus aut cognatis, una die per domos proprias diſcurrentes viginti tria millia de conflantibus vitulum, & adorantibus ſculptile occiderunt, ne videlicet hujuſmodi damnatorum inſolens veſania & proterva temeritas amplius invaleſcat, & ne tot & tantorum facinorum & ſcelerum in Divinæ majeſtatis offenſam, fideique catholicæ & religionis Chriſtianæ detrimentum & fidelium exterminium, & dictæ eccleſiæ Romanæ matris cunctorum fidelium & magiſtræ maximam contumeliam & contemptum, totiuſque reipublicæ confuſionem nequiter patratorum & ſuccedentium temporum ſæcula ſine correctione debita in multorum perniciem memoria deferatur, & ne præfati damnati & a Deo reprobati, qui in ſuis hæreſibus perſiſtere & exceſſus exceſſibus cumulare, ac eccleſiæ prædictæ pacem turbare, & inter Chriſtifideles ſchiſmata, diſſenſiones & ſcandala ponere, cultumque Chriſtianæ fidei, ſine qua quiſquam Deo placere nequit, quantum in eis eſt depravare conantur, ſuos pravos & damnandos conceptus in partum videlicet producere poſſint, ſed potius dextera Domini faciente virtutem viriliter reſiſtatur eiſdem, & ipſorum damnandi propoſiti executio elidatur, opportunis remediis providere cupientes, quia in iis Dei & fidei Chriſtianæ ac reipublicæ cauſam agi conſpicimus, ad illius proſecutionem cunctos orthodoxæ fidei Reges & principes, ac univerſos Chriſtifideles decrevimus excitare, & illam devote proſequentes de theſauro ipſius Eccleſiæ & pretioſi*

Principes & reliqui ſollicitati ad capiend. arma.

*Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti & Apoſtolorum ac martyrum, quorum patrociniis gloriantur, ditare, & ſpititualium gratiarum muneribus confovere, ut omnibus proficiat ad ſalutem, & cauſam ipſam eo ferventius proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita ſe ſperaverint adepturos. De omnipotentis igitur Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui præfatos Robertum, fautores, ſequaces, & adhærentes, ac invaſores hujuſmodi, quamdiu in hujuſmodi ſchiſmate & extra Romanæ eccleſiæ gratiam & communionem perſtiterint, in per-*

Propoſita indulgentiarum præmia.

*ſonis & ſumptibus propriis, necnon iis, qui non in perſonis propriis, alienis tamen expenſis expugnabunt, & ſuper hoc per unum annum a die nativitatis B. Mariæ virginis, quæ eſt impiis terribilis velut caſtrorum acies ordinata, & cunctas hæreſes ſola interemit in univerſo mundo, vel a feſto exaltationis ſanctæ Crucis, aut glorioſi cœleſtis militiæ principis Michaelis archangeli proximo futuro, ut in nomine Virginis glorioſæ & exaltatione vexilli vivificæ Crucis cum ipſius Michaelis archan-*

De tempore profitendæ ſacræ militiæ.

*geli præſidio ipſo faciente victoriam, & fidelium exercitum præcedente tam ſalubris & Deo grati propoſiti ad ejus gloriam & honorem ſumamus initia, vel a die qua quilibet ſignum crucis ſumpſerit & hujuſmodi pium negotium proſequi inchoaverit proxime computandum continue vel interpolatim in expugnatione hujuſmodi laborabunt, Eccleſiæ ſequendo vexillum, prout duximus ordinandum, tam clericis, quam laicis, & eis inſuper qui ſuis dumtaxat expenſis juxta ſuarum exigentiam facultatum deſtinabunt, ſeu ad id deputatis a nobis ſufficientia ſubſidia miniſtrabunt, ut pro eis deſtinari poſſint idonei bellatores per dictum tempus moraturi & bellaturi ibidem, illam concedimus indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per ſedem Apoſtoliam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum, &c. Dat. Lucæ IV. Kal. ſeptembris pontificatus noſtri anno X.*

VII. Irrito ſucceſſu indicta.

De indicta hac ſacra expeditione ad Neapolim recuperandam, quæ in antipapæ ſervitutem principumque ſchiſmaticorum dominatum devenerat, meminit S. Antoninus (*a*), additque Urbani conatus ad irritum cecidiſſe. Cum igitur ſchiſmatici pleroſque Urbano ipſi addictos eſſe noſſent, hoc dolo decima quarta julii uſi ſunt: circumtulere per Neapolim ſigna Ur-

(*a*) *S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 2. §. 16.*



Urbani ac Ludovici Andegavenſis, quaſi Urbanus Ludovicum Ladiſlai odio ſibi conciliaſſet; ac tum qui Urbano & rei catholicæ ſtudebant, alacritatem ſuam prodidere: ſed mox deluſi ſunt, nam qui partes Urbani erant ſecuti in exilium pulſi fuere, atque a Neapolitanis ſchiſmatico oppreſſis jugo miſſi oratores fuere Avenionem, qui antipapæ fidem ſolemni ritu devincirent, reverſique vigeſima ſecunda novembris die per Neapolis vicos Clementis pſeudopontificis & Ludovici Andegavenſis ſigna circumtulere: ac tum catholici omnes animis ita dejecti fuere, ut poſtea mutire non ſint auſi, cum tamen, ſi pontificii & Ladiſlai ſectatores animis armiſque conjuncti fuiſſent, facile ſchiſmaticorum jugum e Neapolitanorum cervicibus deiici potuiſſet; ſed inflexus erat,

Neapolitani Urbani fautores in exilium acti.

Urbani nimia ſeveritas.

ut diximus, Urbani animus adverſus Caroli progeniem, quamquam & Margarita & plures alii, ut clementia uteretur, ipſum delinire tentarant, qua de re hæc Theodoricus e Niem (*a*), dum geſta ſuperiori anno ad Urbanum Ladiſlao conciliandum narrat: *Licet tum Florentinorum tum multarum civitatum egregii oratores apud Urbanum, quando reſidebat Genuæ, multis precibus laborarent, quod cum Margarita, ejuſque natis miſericorditer ageret, ſineretque corpus dicti Regis Caroli adhuc inſepultum tradi eccleſiaſticæ ſepulturæ, multa ſibi promittentes ſi faceret, ipſaque domina Margarita præter ſpem multorum dictum Franciſcum Butillum de ſuis carceribus relaxando prædicto Urbano ad Genuam honorifice deſtinaſſet; tamen per hæc omnia ipſius cor emolliri non poterat, quia potius proceſſus proceſſibus ac condemnationem condemnationi contra Reginam, ejuſque natos cumularet, quia dicti Regis Caroli mortui nomen nimis habebat exoſum.*

(*a*) *Theod. e Niem. l. 1. c. 64.*

Margar. Regina neque dimiſſo e carcere nepote eum placare potuit.

VIII. Aberatque adeo a Neapolitano regno Ladiſlao aſſerendo, quamvis id ipſius rebus ad retundendos ſchiſmaticos conduceret, ut etiam alios ejus principatus, qui ſedis Apoſtolicæ fiduciarii non erant, eripere voluerit, ac juris acerbitate uti; quare cum Achaja ad Ladiſlaum Jacobi e Baucio ſucceſſione ſpectaret, Paulum archiepiſcopum Patracenſem illius principatus nomine eccleſiæ, cui ex ſententia adverſus Carolum lata illum addixerat, adminiſtrationem ſuſcipere juſſit (*b*).

Ladiſlao Achajam tentat eripere.

(*b*) *Urb. VI. l. 2. ep. cur. p. 98.*

*Paulo archiepiſcopo Patracenſi A. S. L.*

*Dudum contra damnatæ memoriæ Carolum de Duracio olim Regem Siciliæ ſuis culpis, & demeritis exigentibus diverſos proceſſus fecimus juſtitia ſuadente, per quos inter alia eumdem Carolum regno Siciliæ, quod ab eccleſia Romana, & quibuſcumque principatibus, comitatibus, baroniis, & dominiis, ac bonis mobilibus & immobilibus, juribus, & actionibus, quæ dictus Carolus ab eadem, vel aliis eccleſiis ſive locis eccleſiaſticis, aut Romano imperio, vel aliis quibuſvis principibus ſeu perſonis tenebat, & quæ de ſuo patrimonio erant, vel pertinebant quomodolibet ad eumdem, authoritate apoſtolica ſententialiter privavimus & amovimus realiter ab eiſdem, ipſaque regnum, principatus, comitatus, baronias, & dominia ac bona, jura, & actiones eadem authoritate duximus confiſcanda. Cum*

Ad fiſcum pontificium devolutam decernit.

*itaque ſecundum præmiſſa principatus Achajæ, qui ad eumdem Carolum per obitum quondam Jacobi de Baucio principis Achajæ erat juſtis titulis devolutus, ſit legitime confiſcatus, nos cupientes, ut dictus principatus Achajæ, donec aliud de illo fuerit ordinatum, in pacis amœnitate & cultu juſtitiæ ſalubriter gubernetur, & de fraternitate tua ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem te ejuſdem principatus Achajæ pro nobis & eccleſia Romana in temporalibus generalem vicarium & gubernatorem uſque ad noſtrum beneplacitum authoritate apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, tibi omnia & ſingula, quæ ad hujuſmodi vicariatus & gubernationis officia pertinent de conſuetudine vel de jure, & quæ pro noſtro, & ipſius eccleſiæ honore & pro bono & pacifico ſtatu dicti principatus ac civitatum, terrarum & locorum ejuſdem, & perſonarum in eis degentium expedientia cognoveris ſtatuendi, ordinandi, mandandi, faciendi, alienatione tamen bonorum immobilium & pretioſorum mobilium dicti principatus tibi penitus interdicta, concedentes eadem authoritate plenariam facultatem ac mandantes dilectis filiis, communitatibus, univerſitatibus, & particularibus perſonis civitatum, terrarum, & locorum principatus antedicti, ut tibi, hujuſmodi beneplacito durante, in iis quæ ad officia ipſa pertinent, pareant effectualiter & intendant: alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus authore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.*

Ejus præfecturam Patracenſi archiepiſ. committit.

Adverſus Turcas & Græcos bellum geri imperat.

*Verum cum, ſicut accepimus, nonnulla civitates, terræ, & loca dicti principatus per infideles & ſchiſmaticos detineantur indebite occupata, & dilectus filius nobilis vir Petrus alias Lebourd de ſancto Superano nonnullarum gentium armorum in dicto principatu militantium capitaneus ipſæque gentes ad recuperationem civitatum, terrarum, & locorum hujuſmodi occupatorum multa poſſent utiliter operari; eidem fraternitati per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus quatenus, ſi dicti Petrus & gentes ad hujuſmodi recuperationem intendere voluerint, eiſdem quod ſub noſtris & dictæ Romanæ Eccleſiæ vexillis ad recuperationem, ſeu acquiſitionem civitatum, terrarum, & locorum prædictorum occupatorum potenter intendere, & illa ex* eis,

*eis, quæ recuperaverint, ſeu acquiſierint in feudum nobile a nobis & eccleſia prædicta ſub eo rationabili annuo cenſu, de quo tibi convenire videbitur, recognoſcere & retinere valeant, eadem authoritate concedas; ita tamen quod antequam aliquam conceſſionem facias Petro & gentibus præfatis ab eorum ſingulis noſtro & ipſius eccleſiæ nomine juramentum recipias juxta formam, quam ſub bulla noſtra mittimus interclusam, &c. Dat. Lucæ* VIII. *id. ſeptembris pontificatus noſtri anno* x.

(a) *Urb. l.2. p.*101.

Achaja Rhodiis divendita ab Andegav.

Præterea eidem archiepiſcopo legato præcepit Urbanus (a), ut antequam eam præfecturam ſuſciperet, ſacramento ſe obſtringeret, pontificia jura tutaturum, fidumque Apoſtolicæ ſedi futurum. Non defuere hoſtes archiepiſcopo; ſcribit enim Boſius, Rhodiorum equitum magiſtrum ſuperiori anno a Ludovico Andegavenſi, ac Maria matre principatum Achajæ coemiſſe, dediſſeque mandata Dominico Neapolis præceptori, ut illum totius ſacri ordinis equeſtris nomine in ſuam redigeret poteſtatem, atque adminiſtraret.

IX.

Germanor. ad Urbanum legatio.

(b) *Theod. e Niem. l.*1. *c.*66.

Agente in urbe Lucana Pontifice e Germania nonnullos principum oratores, qui ipſum ad concordiam cum antipapa ſollicitarent acceſſiſſe, refert Theodoricus e Niem (b) ſic inquiens: *Dum eramus Lucæ, quidam magni principes Alemanni & prælati apud eundem Urbanum per quoſdam ſecretos nuncios eorum ſollicite laborabant, conantes eum inducere, ut unionem faceret in Eccleſia cum dicto Clemente, offerentes ſibi multa, ſumptus, loca, & alia ad illa perficienda quomodolibet opportuna: ſed proficere nihil poterant, dicebat enim, quod ipſe eſſet verus Papa, nec expediret illud in dubium vertere.* Hoc etiam tempore antipapam & ſchiſmaticos majori ſumpta audacia, cum Urbanum ob Cardinales ſuo juſſu clam necatos multis inviſum factum cernerent, miſſis per provincias legatis egere de œcumenico concilio, quod initio ſchiſmatis tantopere exhorruiſſe vidimus, congregando, ut in eo controverſia dirimeretur: ſaltem id ipſos jactaſſe ad incautos expetitæ juſtitiæ ſpecie irretiendos, S. Antoninus (c) refert, ac de ſubdola eorum ad Florentinos legatione, hæc narrat: *Novembri ſubſequente Clemens antipapa deſtinavit ſolemnes oratores ex Avenione Florentiam, qui honorifice ſuſcepti ſunt, quibuſdam nobilibus obviam eis egredientibus: magiſtratus tamen ante audientiam eorum, ut viri timorati voluerunt habere conſilium a venerabili ſacræ paginæ profeſſore magiſtro Aloiſio Marſilio* [1] *ordinis eremitarum peritiſſimo viro, & laudabilis vitæ, ac famæ eximiæ, utrum liceret illos legatos audire. Quibus vir ille magni conſilii reſpondit, licite fieri poſſe, quia exponendo rem utilem Chriſtianitati poterunt juvare & executioni mandare: ſi contrarium proponerent, non exequi illam, ſed eos licentiare a civitate, quod fuit obſervatum.*

Fingunt ſchiſmatici poſtulare ſe concilium

(c) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 2. §.14.

Eorum ad Florentinos inſignis legatio.

*Concluſio autem orationis expoſitæ erat, quod communitas Florentinorum operam daret, ut fieret concilium univerſale, in quo determinaretur uter e duobus verus eſſet Pontifex & alter apoſtaticus, & ſi in concilio ipſo determinaretur ipſum eſſe Apoſtolicum, decernebat Urbanum facere Cardinalem ſuum: ſi autem judicaretur Urbanus Papa legitimus, ſe totum ponebat in manibus ejus, ut de ſe diſponeret quomodo ei placeret, multumque commendantes communitatem ipſam, multa obtulerunt, & inter cœtera, ut Clemens faceret Florentinos vicarios in terris eccleſiæ vicinis ſibi, & interea reditus eccleſiæ nulli darentur, ſed tenerentur ſequeſtrati per communitatem, uſque ad determinationem cauſæ poſtea declarandæ per concilium illi conſignarentur. His auditis habuerunt magiſtratus maturum conſilium, & tractatum ad invicem, & poſt aliquot dies reſponſa dedere. In primis, quia non videbatur ſpectare ad eos de concilio tractare, ſed ad Reges & principes majoris poteſtatis; quos tamen ad hoc ipſi ſollicitarent. Quantum vero ad obedientiam & inhærentiam Papæ; non intendebant aliquo modo diſcedere ab eo, quod tunc uſque tenuerant, quouſque per eccleſiam, ſeu concilium aliud determinaretur: ſicque legati dimiſſi ſunt fruſtrati ſua intentione.*

Florentinorum ſapiens reſponſum.

X.

Joannes Aragonum Rex ad antipapam deficit.

Deludere hac oſtentatione concilii œcumenici ab ipſis expetiti catholicos nitebantur ſchiſmatici, atque adeo graſſati ſunt dolis, ut Joannes antea dux Gerundenſis Aragonium ſceptrum conſecutus, nonnullorum aliorum principum ſchiſmati-

co-

NOTÆ [1] NOn ſemel tantummodo, ſed bis in ſenatu Florentino diſcuſſum fuit, utrum e Republica judicarent obſequium ab Urbano VI. retractum ad Clementem convertere; totidemque vicibus in fide perſeverandum Patres cenſuerunt. Notat id Sozomenus in Hiſtor. Piſtor. ad hunc annum, ſcribens Florentinos Legatos in Galliam miſſos fuiſſe, ut pro inſtituenda Italica pace nuptias inter filiam Caroli III. Siciliæ Regis, & Ludovicum Andegavenſem conciliarent. Cum re infecta reverterentur, Avenione Clementem convenerunt, a quo ſummo honore excepti, ut cives ſuos in ſuas partes allicerent rogati ſunt. Hinc in ſummo Florentinorum ſenatu de agnoſcendo Clemente deliberatum; *Sed concluſum fuit ne daretur ei obedientia, ſed Papæ Urbano.* Iterum re diſcuſſa occaſione Legatorum, quos a Clemente Florentiam miſſos & Annaliſta hic ſcribit, & Sozomenus confirmat; iterumque ſecundum Urbanum judicatum fuit. Qua in re admirari ſuccurrit Florentinorum religionem, ut quem Pontificem urbis ſuæ adverſarium habebant, hunc nihilo ſecius Eccleſiæ ſuæ Antiſtitem ſupremum agnoſcerent, & venerarentur. MANSI



corum exempla imitatus, iniqua ſanctione promulgarit, Clementem Avinionenſem, ut verum Pontificem, repudiato Urbano, colendum; cum antea ejus pater Petrus Rex ſanxiſſet, in neutrius venerationem procumbendum, antequam œcumenica ſynodus de ea re ſtatuiſſet. Extat Joannis edictum (a) in bibliothecæ Vallicellanæ MS. atque hac formula conſignatum eſt: *Datum Barchinone ſub ſigillo bullæ noſtræ aureæ impendenti* XXIV. *die februarii anno a nativitate Domini* MCCCLXXXVII. *regni noſtri primo. Rex Joannes.* [1]

(a) *Ext. in MS. bibl. Val. ſig. lit. B. n.*12. *p.* 538.

(b) *Surit. l.*10. *annal. c.* 39.

Obſtrictum ipſum fuiſſe patris morientis imperio ad decidendam ex æquitatis legibus in Aragonia Pontificum controverſiam, teſtatur Surita (b); ſed præter fas omne, cum exortæ de vero aut adulterino Pontifice controverſiæ non a Regibus & principibus, ſed in ſolemnibus epiſcoporum conventibus dirimendæ ſint. Regum itaque Galliæ & Caſtellæ exempla ſectatus, neque aſſecutus paternæ mentis conſilium longe ab æquo deflexit. Tradit idem auctor pervulgatum famæ fuiſſe, prædictum Petrum Regem, cum Tarraconenſem archiepiſcopum vexaret, illiuſque jura in Tarraconam labefactare omni contentione niteretur, objecta quadam ſpecie a S. Tecla, cujus clientelæ Tarraconenſis eccleſia addicta eſt, alapa in os percuſſum, exindeque morbum lethalem contraxiſſe, ex quo ineunte anno e vivis abreptus eſt. Vixerat (c) ſeptuaginta quinque annos aſtrologiæ impenſe deditus, rei literariæ cultor, regnique augendi maxime cupidus.

Divinæ in ſacrilegos vindictæ exemplum.

(c) *Id. ib. & judic. l.*3.

Eodem anno, ut ex literis (d) ſucceſſoris conſtat (ex quibus auctores (e), qui aliter ſentiunt corrigas) ipſis Kal. januarii extinctus eſt Carolus Navarræ Rex cognomento Malus, quem ferunt dum fractas nimiis libidinibus corporis vires vini ſtillatitii perfuſione recreare nitebatur, correpto linteo caſu rapida flamma tortum fuiſſe, atque inter magnos cruciatus æterna incendia prægustaſſe; de quo hæc Gaguinus (f) in hiſtoriam contulit: *Fato ſuo functus eſt Navarrus Rex Carolus eventu admiratione digno. Cum longe ſenex eſſet, & calore defectus, linteo illum inſuendum & aqua, quæ viva dicitur, perfundendum quidam ſuaſerunt; eam enim aquam efficacem calefaciendi vim habere conſtans opinio eſt: Hoc ſuendi miniſterium dum ſutor nocte exequitur, filum [ejus abrumpendi cauſa] ad lucernam admovens exceptam filo flammam ad linteum, priuſquam animadverteret, ſutor raptim delabi videt; nec mora linteum omne ſubito exuritur, miſerabiliter vociferante Navarro, qui die tertio poſt, continuo dolore maceratus, extinctus eſt, pleriſque conſtanter affirmantibus, divinam eſſe iram, quæ perfidum Regem digna ſuis ſceleribus pœna cruciaſſet.* Non deſunt (g) tamen, qui pie ipſum de vita deceſſiſſe referant, ac ſacramentis vitæ anteactæ noxas expiaſſe: quin etiam a Gallis ſchiſmaticis appeti calumniis potuit, cum Urbano adverſus antipapam adhæſiſſet. Hujus filius Carolus poſtea in ſchiſma prolapſus ad Avinionenſem antipapam defecit. Rhodiorum pariter equitum magiſter ſchiſmatis laqueis ſe irretiit, ut queritur Urbanus (h), qui ob eam rem vectigalia, quæ in Germania Rhodio magiſtro pendebantur, pontificio fiſco inferri juſſit.

(d) *Extant l.*1. *de ſchiſm. p.* 136.

(e) *Marian. l.*18. *c.* 11.

Caroli Regis Navarræ mors.

(f) *Gaguin. in hiſtor. Franc. l.* 9. *c.*101.

Mirum lethi genus in laſcivo Rege.

(g) *Cariva. l.* 2. *c.*26. *Marian. l.*18. *c.*11.

Alii aliter tradunt. Deficiunt ad antip. novus Navarr. Rex & Rhodii.

(h) *Lib.*2. *p.*92.

XI.

Petri Lucemburg. obitus.

(i) *Molanus in natal. SS. Belgii Ferrarius in novo catal.* 2. *jul. Cratepol. de SS. German. & alii.*

(k) *Ciaccon. in* 6. *creatione pſeudo-cardd. Clem. antip. celebrata.*

Ex invincibili ignorantia non fuit ſchiſmaticus.

(l) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 2. §. 1.

Obiit (i) eodem anno Petrus Lucemburgenſis eximiæ morum ſanctitate conſpicuus inter pſeudocardinales anno ſuperiori adſcriptus (k) ab antipapa, quem errore humano coluit, cum verum Pontificem putaret, non aliter quam B. Vincentius Ferrerius diu Petrum e Luna antipapam errore ductus veneratus eſt: hos enim & ſimiles, qui in Eccleſiæ catholicæ communionem per baptiſmatis ſacramentum admiſſi, ob invincibilem ignorantiam numquam ſchiſmatis flagitio ſe dedita opera devinxere, fuiſſe catholicos, quantumvis inter ſchiſmaticos, quos tales non norant, egerint, cenſet S. Antoninus (l): *Peritiſſimos*, inquit, *viros in ſacra pagina, & jure canonico habuit toto tempore illo, quo duravit ſchiſma, utraque pars ſeu obedientia, ac etiam religioſiſſimos viros, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes, nec umquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia, nam etſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam eſſe catholicam Eccleſiam, non plures, ita & unicum ejus paſtorem vicarium Chriſti juxta illud Joannis* x. *Fiet unum ovile & unus paſtor; tamen ſi contingit plures per ſchiſma creari, ſeu nominari Pontifices ſummos uno & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſa-*



*rium*

NOTÆ [1] LIteras Joannis Aragoniæ Regis, quibus Clementi VII. favere ſe profitetur, ab Annaliſta hic indicatas integras recitat Baluzius in Collect. Actor. Vet. ad vitas Papar. Aven. to. II. num. CCXXVIII. ex quibus diſcimus menſem & diem cœpti Barchinonenſis concilii, cujus mentio in nuperam Conciliorum Veneto-Labbeanam collectionem ex Card. de Aguirre invecta eſt to. XV. col. 969. Has vero literas in collectionem hanc ſuam referre conduxiſſet Veneto editori. Ex quibus datum fuiſſet Lectoribus emendare levem lapſum Marianæ Rer. Hiſp. l. 18. c. XI. qui ſecundum Clementem pronunciatum fuiſſe ſcribit pridie nonas Februarii, cum ſententia illa Barchinone die XXIV. Februarii ſignata ſit. Ex iiſdem pariter emendandus Raynaldus, ſcribens Aragonios adhæſiſſe Clementi quoadusque ab œcumenica Synodo aliter diſpoſitum fuiſſet. Nulla enim in literis illis de Synodo œcumenica mentio inducitur. MANSI

*rium credere iſtum eſſe vel illum, ſed alterum eorum, qui ſcilicet fuerit canonice aſſumptus; quis autem fuerit canonice electus, non tenetur quis ſcire, ſicut nec jus canonicum, ſed in hoc populi ſequi poſſunt majores ſuos ſeu prælatos.* Porro adoleſcens adhuc erat circiter annorum ſeptemdecim Petrus Lucemburgenſis, atque inter Urbani adverſarios educatus, unde is error non obfuit ejus ſanctitati, præſertim cum in ea controverſia concilii œcumenici ſententiæ ſtare paratus eſſet, quem etiam errorem divino lumine colluſtratus in extremo vitæ actu facile damnare potuit: nec diſſimile exemplum (*a*) hujus rei in Paſchaſio Romanæ eccleſiæ diacono eximiæ ſanctitatis viro viſum eſt, qui cum Laurentium adverſus Symmachum Papam eſſet ſecutus, antequam animam efflaret reſipuit, ac poſt mortem miraculis enituit, quamvis ad labem eam purgandam acerbiores pœnas tolerarit.

(*a*) *S. Greg. dialog. l.* 14. *c.* 40.

Claruit miraculis.

Claruiſſe porro Petrum Lucemburgenſem pluribus poſtobitum miraculis ferunt, (*b*) quæ ſequentibus annis aucta fuere, quæ Philippus Burgundiæ dux anno MCCCCXXXVI. ad Baſilienſes retulit (*c*), ac demum ann. MCCCCCXXVII. Cum de ejuſdem Petri ingentibus miraculis, ac piorum ad illius ſepulchrum celeberrimo concurſu, ut divinam opem in præſentibus malis promererentur, relatum eſſet, ſequenti ſæculo ad Clementem VII. a Franciſco e Claromonte epiſcopo Tuſculano Cardinale legato Avenionenſi, idem Pontifex illius oſſa in locum honorificentiorem transferri, pingi imaginem, eumdemque ut beatum in eccleſia Cæleſtinorum Avenionenſium coli permiſit: de quo extat diploma (*d*) XI. aprilis anno MDXXVII. pontificatus anno IV. conſignatum. Meminit inter alios Petri Lucemburgenſis Molanus (*e*) ex hiſtoria Lutzemburgica MS. ampliſſimis hiſce verbis: *Cum omni ſanctitate polleret, crucem ſuam bajulando adeo Chriſti veſtigia eſt inſecutus, ut in extaſi poſitus ipſum Jeſum in cruce pendentem corporeis oculis in aere meruerit intueri. Migravit autem per mortem ad vitæ authorem circa annum decimum octavum ætatis anno domini MCCCLXXXVII. die ſecunda julii abſtinentiis & diſciplinis attritus: quinta autem die ſepultus eſt Avenione in cœmeterio, ut ipſe voluit, S. Michaelis, ubi nunc eſt monaſterium fratrum Cœleſtinorum de Lucelburgo, in quo loco S. Petri meritis infra duos obitus ſui annos nongenta & ſexaginta quatuor leguntur miracula contigiſſe. Extat porro de eo præclarum teſtimonium inter acta concilii Baſileenſis: ſcribit enim Philippus Burgundiæ & Brabantiæ dux, aliarumque ditionum Belgicarum dominus literas ad Baſileenſes patres ex villa ſua Bruxellenſi, quibus rogat patres ut canonizent & eleuent dignæ per ſæcula memoriæ dominum Petrum de Lutzelburgo Cardinalem ſuum conſanguineum, quem ex meritis glorioſis, & tot miraculis velut inauditis, quibus quotidie coruſcat, aliorum Chriſti confeſſorum collegio conſtat aggregari. Hoc etenim variis in conciliis retroactis temporibus fuiſſe incœptum*, Piſanum & Conſtantienſe deſignantur, *ſed quibus mediis vel modis fuerit interruptum vel imperfectum remanſerit, ignorare ſe aſſerit, fortaſſis autem præcipua cauſa fuit, quia Cardinalatum a Clemente VII.* ſcilicet antipapa, *acceptavit*. Prædixiſſe illum ingentes Eccleſiæ labores impendere, referunt MS. diaria Hectoris Pignatelli (*f*): cujus vaticinium ſecuti rerum exitus edocebunt. At de his ſatis: ad Urbanum redeamus.

(*b*) *Clem. antip. vitæ auctor. apud Boſq. & alii.*

(*c*) *Ext. ejus lit. in append. Concil. Baſil. to.* 4. *concil. ex edition. Binii*

(*d*) *Extat apud Jacob. Sadolet. & ex eo apud Ciaccon. in* 2. *creatione Cardd. a Martin. V. facta*

Permiſſus eſt ut beatus coli.

(*e*) *Molan. in natal. SS. Belg.*

Objecta illi ſpecies Chriſti confixi in cruce.

(*f*) *Diar. MS. Hect. Pignat.*

XII. Redactum eſt ad ejus imperium Tudertum hoc anno, quod ſuperioribus annis ſchiſmaticis faverat, cujus cives a Luca tit. S. Sixti presbytero Cardinale idem Pontifex cenſuris abſolvi juſſit, datis ad illum Lucæ IV. non. julii literis (*g*). Haud diu poſtea hæſit in ea urbe Pontifex, in qua cum novem menſibus, ut ex Theoderico e Niem & Gobelino ſuperiori anno dictum eſt, ſubſtitiſſet, (eo enim decembris menſe profectum vidimus) Peruſium adire decrevit, illatæ Angelo urbis præfecto Viterbienſium tyranno necis occaſione, ut jura eccleſiaſtica aſſereret, de qua perduellis viri inter ſchiſmatis authores non infimi miſera cæde, hæc Theodoricus e Niem (*h*): *Interim Angelus præfectus urbis per Romanos, & quaſdam gentes armigeras Urbani proditorie in civitate Viterbienſi, in qua tunc morabatur, vivus apprehenſus, & minutis petiis in feſto S. Michaelis menſe ſeptembri ſectus fuit, ita quod de ipſis petiis farcimina fieri potuiſſent.* Et infra. *Et qua quidem victoria Urbanus non modicum exhilaratus diſpoſuit ulterius ire de Luca ad Peruſiam civitatem;* Et paucis interjectis verbis: *Quo veniens circa feſtum S. Michaelis pene per annum ſtetit.*

(*g*) *Urb. l.* 2. *ep. cur. pag.* 70.

Viterbienſis tyrannus in fruſta conciſus.

(*h*) *Theod. e Niem l.* 1. *c.* 66. *Gobel. in æt.* 6. *c.* 81. *S. Ant.* 3. *par. tit.* 22. *c.* 2. §. 3.

Lætus de victoria Urbanus Peruſium contendit.

Contuliſſe quidem ſe Peruſium Urbanum adulto anno oſtendunt ejuſdem literæ adverſus Nicolaum Urſinum Peruſii editæ, quibus illum Eccleſiæ hoſtem pronuntiavit, populoſque ipſi parere vetuit. *Quam infideliter*, inquit (*i*), *quamque doloſe Cola de Urſinis erga nos & eccleſiam Romanam noviſſime ſe habuerit & habeat, veſtra devotio potuit audiviſſe. Nos autem perfidiam & doloſitatem ejus, prout expedit, comprimere, & quæ de terris & locis ipſius eccleſiæ veſanis auſibus occupavit, de illius manibus eripere intendentes, ſufficientem gentem armorum eam ob rem ad partes illas de proximo tranſmittemus. Igitur fidelitatem veſtram attente requirimus, vobis nihilominus præcipiendo mandantes, quatenus ſicut charam noſtram gratiam*

(*i*) *Urb. VI. l.* 2. *pag.* 117. *ep. cur.*

Nicolaus Urſinus pronuntiatus eccleſiæ hoſtis.



*tiam habetis, eidem Colæ ipſiuſque ſequacibus nullum auxilium præbeatis, &c. Dat. Peruſii* XIV. *Kal. decembris, pontificatus noſtri anno* X.

Defectionis Nicolai cauſas affert S. Antoninus (*a*) hiſce verbis: *Cum Cardinalis Monupellanus Urſinus eſſet Viterbii Vicarius pro eccleſia, placuit Pontifici alium deſtinare vicarium: ſed præfatus Cardinalis populum commovit ad non admittendum illum, quo reverſo Peruſium, Urbanus de ejus repulſa non parum turbatus eſt: mittenſque pro Cardinale ipſo, cum ad eum accederet, in via eum capi fecit & carceri mancipari. Propter hoc Cola Urſinus germanus dicti Cardinalis in vindictam abſtulit Narnium eccleſiæ & Interamnam, prædæ eas exponens, qui tamen prius eas eccleſiæ reacquiſierat. Pontifex tamen ſubito miſſis copiis Narnium reſumpſit conſentiente populo, quamvis dictus Cola in arcem refugiens eam aliquo tempore retinuerit.* Demum Cardinalem Manupelli, quem periculoſiſſimam conjurationem Urbano aperuiſſe vidimus, vix multorum procerum precibus adductus idem Urbanus vinculis juſſit abſolvi.

(*a*) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 2. §. 13.

Card. Urſinus traditus cuſtodiæ ab Urbano.

XIII. Verona occupata a duce Mediol.

Exciſus eſt hoc anno Scaligerorum Veronenſium principatus (*b*) cum debilitatis Antonii Scaligeri ob difficile cum Patavino bellum viribus Joannes Galeatius Vicecomes in eum armorum molem effudiſſet, repentinoque impetu Veronam proditione occupaſſet. Evaſit fuga ad Venetos Antonius. Vicentia vero, quæ ex pactionibus fœderato Patavino cedere debuerat, in Galeatii poteſtatem redacta eſt: nec multo poſt Patavinus, qui cum Veronenſi tam acre bellum geſſerat, per illius ruinas contra ſe victori patefactum iter, abeundumque dominatu obſtupuit. Inſignem illam Scaligerorum cladem deſcribit author appendicis ad MS. hiſtoriam Andreæ Dandali, additque hæc contractioribus verbis; *Die veneris* XVIII. *octobris, feſto videlicet S. Lucæ, anno MCCCLXXXVII.* & infra, *magnifica domus de la Scala longiſſima poſſeſſione civitatum Veronæ & Vicentiæ omniumque caſtrorum in momento extitit ſpoliata, eorum dominio domino comiti Virtutum totaliter remanente.*

(*b*) *Append. MS. ad hiſt. Andr. Dand. hoc anno. Annales Cremon. eod. ann. S. Antonin.* 3. *par. tit.* 22. *c.* 2. §. 19. *Bonif. hiſt. Tarviſ. l.* 10. *& alii.*

XIV. Excitata eſt Pariſiis hoc anno graviſſima controverſia [1] inter academiæ Pariſienſis doctores & Dominicanos, cum Joannes e Monteſono nonnullas propoſitiones, quibus B. Virginem conceptam in peccato originali contendebat, tuendas ſuſcepiſſet; ex quo in Galliis magna Dominicanis ipſis conflata invidia eſt: rem vero geſtam Clementis vitæ ſcriptor pluribus enarrat (*c*).

De conceptione immaculata Virginis diſceptatum Pariſiis.

(*c*) *MS. Paul. de Paul. Jadrenſis.*

Emerſit feliciter hoc anno Hungaria e præteritis diſſenſionibus ſolerti Venetorum diligentia: nam Sigiſmundus apud Albam regalem ſolemni ritu Hungarico diademate ultima martii die, quæ in dominicam palmarum incidit, eſt exornatus: qui poſtea ſponſam Reginam Mariam ex hoſtium manibus eripuit IV. die junii, cum Veneti Dalmatiæ oram claſſe diligenter ſepiſſent, ne in Siciliam citeriorem deveheretur; quæ deſcribit author appendicis ad hiſtoriam Andreæ Dandali (*d*), cui conſentit ſubjectis verbis Paulus e Paulo Jadrenſis in ſuo MS. diario communicato mihi a Joanne Lucio: MCCCLXXXVII. inquit, *die* IV. *menſis junii de mane, sereniſſima princeps & domina noſtra naturalis domina Maria Regina Hungariæ liberata fuit a captivitate, & exivit de caſtro Novigrad, in quo detinebatur, & die veneris ſequentis ivi ad eam ad nonam, &c.*

Sigiſmundus Hungar. regno potitus.

(*d*) *App. MS. ad hiſtor. And. Dand. in Ant. Vener.*

XV. Amplificata eſt eodem anno in Lituania religio, concurrentibus certatim ad baptiſmi lavacrum populis, cæſiſque ſerpentibus, quos ut numina colebant, ſucciſis lucis, igne quem more Veſtalium perpetuum aſſervabant extincto, ariſque profanis everſis, initi propterea ad idololatriam (*e*) excindendam celeberrimi ab Vadiſlao Rege conventus apud Vilnam, in quibus de fide Chriſti propaganda plura conſtituta, vetuſque ſuperſtitio ſacris ritibus commutata, de quibus Alexander Guaguinus, hæc refert: *Rebus in Polonia recte conſtitutis, volens ne Lituania patria ſua ulterius dæmonum cultui vacaret, comitia generalia Vilnæ Lituaniæ metropoli anno Domini MCCCLXXXVII. ad initium quadragenarii jejunii indixit; ad quas ingenti procerum & equitum Polonorum caterva ſtipatus una cum Regina in Lithuaniam ſe*

Lituani ad Chriſti fidem traducti.

(*e*) *Guag. in c. de priſc. relig. Lit.*

Indicta Vilnæ Lituanorum comitia.

NOTÆ

[1] DIſſidium Pariſienſis Academiæ in Dominicanos monachos hoc anno cœpit occaſione ſententiarum illarum, quas Joannes a Monteſono, tunc primum inter magiſtros in Theologia, in Academiam receptus, diſputandas ſuſcepit. In invidiam ſacri ordinis Prædicatorum hæc redundarunt, non ita quod omnes Joannis hujus ſententias viri ex ordine illo doctiſſimi propugnarent. Verum cum ex ejus opinionibus quatuor SS. Virginis Conceptioni obſiſterent, ea occaſione in reliquos Dominicanos monachos popularis ſeditio concitata eſt, quam illi celebrato Conceptionis B. M. feſto ſolemni & ſilentio de ea controverſia ſibi religioſe indicto, ſedare utcumque tentarunt. Ita a tumultu ceſſatum; ſed ab Academia diutius extorres viri ex eo ordine religioſi facti ſunt. Ad opiniones vero Joannis de Monteſono, quod attinet, aliæ quidem ſummam Dei potentiam, aliæ vero Deum Verbum & hominem ſcholaſticis cavillis impetebant. Cenſuram Theologicæ facultatis Pariſienſis, qua ſingulas illas opiniones exponit, & ſuggillat, Baluzius inter Acta vetera ad vitas Papar. Avenion. to. II. num. CCXXVIII. vulgavit. MANSI.

In iis actum de Chriſtiana religione ſuſcipienda.

Sublati ſerpentes & arbores inſeſſæ a dæmonibus exciſæ.

Mirantur gentiles Chriſtianos non lædi a dæmone.

Una die ad triginta millia baptiſmate abluti.

*ſe contulit, archiepiſcopum Gneznenſem,* nempe Bodzantam, *multos ſacerdotes, ac pios homines ſecum duxit. Semovitus quoque & Joannes Mazoviæ, Conraduſque Oleſniciæ duces eum comitati ſunt. Convenerunt quoque Vilnam Skergelo Trocenſium, Vitoldus Grodenſium, Volodimirus Kiovienſium, & Koributus Novogrodenſium duces fratres principis, & infinita equitum peditumque multitudo. Ibi de religione Chriſtiana populariter ſuſcipienda, ac de exterminando cultu falſorum deorum, & omni ſuperſtitione diligenter actum, ipſo Rege maximam ei rei operam navante non ſolum hortando & præmiis alliciendo, ſed etiam docendo, cum Polonici ſacerdotes linguæ gentilis ignari eſſent. Porro gens barbara majorum ſuorum religiones ægre relinquebat; ſed cum mandato Regis ignis ſacer extinctus, templum araque ejus, unde oracula a ſacerdote edebantur, everſum eſſet Vilnæ, ubi nunc divi Staniſlai templum, necatique ſerpentes, & ſucciſi luci, arboreſque ſacræ, abſque cujuſquam læſione, Lituani admirantes, ſtupidique dicebant: Quomodo dii noſtri iſtis perverſis Polonis Chriſtianis hanc injuriam diſſimulant, ſeque lædi ſceleſtis manibus ſinunt,? Quod ſi hoc aliquis noſtrum perpetraret, confeſtim ira deorum interiret. Sed cum Poloni præter opinionem barbarorum idola everterent, tum vero Lituani vanitate ſua agnita alacriores ad principum ſuorum religionem facti ſunt, plurimam ex his multitudinem Rex, advectis ex Polonia pannis laneis albis, ad baptiſmum perduxit. Porro cum immenſi laboris eſſet ſingulos ſacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor tributus eſt, reliquum vero vulgus turmatim diſtributum aqua ſacra a ſacerdotibus aſpergebatur, unumque nomen ſingulis turmis tam virorum, quam mulierum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti inditum erat: atque una die triginta millia barbarorum baptizati ſunt, exceptis nobilioribus, & illis qui ante ſacro fonte in Polonia lavati erant; atque ab eo tempore Lituani in fide Chriſti permanent.* His conſentanea Michovias (*a*) & Cromerus (*b*) ſcribunt.

Vilnenſis & Medvicenſis epiſcopatus conditi.

Decreta ad Urb. ad Pol. Regem ampliſſima legatio.

Pia lex de conjugio Lituanorum cum Ruſſis.

Donaſſe hoc anno Wladiſlaum Jagellonem congruis opibus Vilnenſem & Medvicenſem eccleſias in Lituania, quibus epiſcopi in iis præficiendi dignitatem ſuſtinerent, addit Jodocus (*c*): *Anno*, inquit, *ab orbe redempto MCCCLXXXVII. cum maximo reipublicæ Chriſtianæ bono priſcis abjectis vanitatibus, ad eccleſiæ Romanæ obedientiam optimi principis auctoritate inducta*, nimirum Lituania, *Vilnenſem & Medvicenſem epiſcopatus fundavit*. Meminit de condito ab Wladiſlao Vilnenſi epiſcopatu Michovias (*d*), ac plures alias eccleſias ad alendos ſacerdotes, qui Lituanos fide Chriſtiana excolerent, vectigalibus amplis locupletatas ſubdit. Conſentit Michoviæ Cromerus, qui addit (*e*), Wadiſlaum in Lituanis ad fidem alliciendis, peragrandaque regione apoſtolum immortali regii nominis laude egiſſe, dum ſymbolum atque orationem dominicam Lituanicis verbis exponebat, ac evangelici interpretis loco ſacerdotibus inſerviebat, atque oratorem ad Urbanum Romanum Pontificem miſiſſe, ut illi obſequia demiſſe addiceret: *Vvladiſlaus Rex*, inquit, *totum annum propagandæ in Lithuania religioni Chriſtianæ vacavit, plurimaque loca per ſe obivit. Dobrogoſtium vero Poſnanienſium epiſcopum ad Urbanum Pontificem allegavit, eique ſe dicto audientem fore ſolemni Regum Chriſtianorum more promiſit.* Confirmat ſuperiora Stephanus Damalevicinius (*f*), additque Wladiſlaum pias leges pro fidei amplificatione ſanxiſſe: *Tulit*, inquit, *ne Ruſſis & catholicis matrimonium inter ſe contrahere liceret, niſi Ruſſus vel Ruſſa a ſuis ad noſtros, hoc eſt a Græcis ad Latinos tranſiret: aliam item, qua bona eccleſiaſtica omni onere, labore, penſione, & juriſdictione principis & prophanorum quorundam liberavit.* Exhibuiſſe etiam poſtea Vladiſlaum plura principis Chriſtianæ pietatis ſenſu eximio delibuti exempla, teſtatur Æneas Sylvius (*g*), obſervatque, cum in agris equitaret, conſpiceretque eminus templorum pinnas, ſolitum detecto flexoque capite divinum Numen adorare.

XVI.

Fides late amplificata ab Hieron. erem.

Superſtitio Lituanorum qualis.

Quæque domus ſerpentem alebat.

Licet vero ita effloruerit apud Lituanos catholica religio, non omnem penitus evulſam tum idololatriam fuiſſe ex eodem Ænea colligitur, ac remotiora præſertim ad ſeptentrionem loca flexu temporis evangelica luce colluſtrata, (*h*) refert enim Hieronymum Praga oriundum eremitam Camaldulenſem, pullulante Pragæ Huſſitica hæreſi, excindendis idololatriæ reliquiis operam dediſſe: *Tandem ad ſynodum Baſileenſem vocatus a Juliano S. Angeli Cardinale, cum de rebus Bohemicis ageretur, narrabat hic multa de Lituanis, quæ pene incredibilia videbantur; audiebam ego ex aliis ejus dicta nec movebar, ut crederem: libuit audire hominem, atque ab ejus ore late cognoſcere. Comites mei fuerunt Nicolaus Caſtellanus, qui tum Cardinalis Juliani domum regebat, Bartholomæus Lutimanus archiepiſcopi Mediolanenſis ſcriba, & Petrus Voxetanus Cardinalis Firmani ſecretarius, viri graves & docti. Hominem in cella ſua trans Rhenum apud Carthuſienſes convenimus, cujus hæc narratio fuit: Primi quos adii ex Lituanis ſerpentes colebant, paterfamilias ſuum quiſque in angulo domus ſerpentem habuit, cui cibum dedit ac ſacrificium fecit in fœno jacenti: hos Hieronymus juſſit omnes interfici & in foro adductos publice cremari, inter quos unus inventus eſt major cæteris, quem ſæpe admotus ignis conſumere nullo pacto voluit.*

*Poſt*

(*a*) *Mich. l.4. c.39.*
(*b*) *Cromer. l.15. in princ.*
(*c*) *Jodoc. lud. in Vvaldiſl. Jagel.*
(*d*) *Cromer. l.13. in princ.*
(*e*) *Mich. ibid.*
(*f*) *Stephan. Damalev. de archiep. Gneſznen. in Bozant.*
(*g*) *Æneas Silv. hiſt. de Europ. c.25.*
(*h*) *Id. ib. c.26.*



Alii colebant ignem.

Alii ſolem & malleum.

De eo gentilium fabula.

*Poſt hos gentem reperit, quæ ſacrum colebat ignem eumque perpetuum appellabat: ſacerdotes templi materiam ne deficeret miniſtrabant. Hos ſuper vita ægrotantium amici conſulebant: illi noctu ad ignem accedebant, mane vero conſulentibus reſponſa dantes, umbram ægroti ad ignem ſacrum ſe vidiſſe ajebant, quæ cum ſe calefaceret ſigna vel mortis vel vitæ oſtentaſſet, victurum ægrotum facies oſtenſa igni; contra ſi dorſum oſtentaſſet, moriturum portendit: teſtari igitur & rebus ſuis conſulere ſuadebant. Deluſionem hanc eſſe Hieronymus oſtendit, perſuaſo populo deleto templo ignem diſſipavit, Chriſtianos mores induxit. Profectus introrſus aliam gentem reperit, quæ ſolem colebat & malleum ferreum raræ magnitudinis ſingulari cultu venerabatur: interrogati ſacerdotes quid ea ſibi veneratio vellet, reſponderunt olim pluribus menſibus non fuiſſe viſum ſolem, quem Rex potentiſſimus captum recluſiſſet in carcere munitiſſimæ turris: ſigna zodiaci deinde opem tuliſſe ſoli, ingentique malleo perfregiſſe turrim, ſolemque liberatum hominibus reſtituiſſe; dignum itaque veneratu inſtrumentum eſſe, quo mortales lucem recepiſſent. Riſit eorum ſimplicitatem Hieronymus, inanemque fabulam eſſe monſtravit: ſolem vero & lunam & ſtellas creatas eſſe oſtendit, quibus maxime Deus ornavit cœlos, & ad utilitatem hominum perpetuo juſſit igne lucere.*

Alii ſilvas venerabantur.

Quercus infeſſa a dæmonibus.

Diſſipata dæmonum ludibria a Chriſti ſacerdote.

*Poſtremo alios populos adiit qui ſilvas dæmonibus conſecratas venerabantur, & inter alias unam cultu digniorem putavere; prædicavit huic genti pluribus diebus fidei noſtræ aperiens ſacramenta; denique ut ſilvam ſuccideret imperavit. Ubi populus cum ſecuribus affuit, nemo erat qui ſacrum lignum ferro contingere auderet; prior itaque Hieronymus aſſumpta bipenni excellentem quamdam arborem detruncavit: tum ſecuta multitudo alacri certamine alii ferris, alii dolabris, alii ſecuribus ſilvam deiiciebant. Ventum erat ad medium nemoris ubi quercum vetuſtiſſimam & ante omnes arbores religione ſacram & quam potiſſime ſedem eſſe putabant percutere aliquandiu nullus præſumpſit: poſtremo, ut eſt alter altero audacior, increpans quidam ſocios, qui lignum rem inſenſatam percutere formidarent, elevata bipenni magno ictu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam ſuam percuſſit, atque in terram ſemianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accuſare, qui ſacram Dei domum violari ſuaſiſſet, neque jam quiſquam erat, qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus illuſiones dæmonum eſſe affirmans, quæ deceptæ plebis oculos faſcinarent, ſurgere quem cecidiſſe vulneratum diximus imperavit, & nulla in parte læſum oſtendit; & mox ad arborem adacto ferro adjuvante multitudine ingens onus cum magno fragore proſtravit, totumque nemus ſuccidit.*

Mulierum gentilium lamenta pro dæmonum cultu aſſerendo.

Verſa res in tumultum

Chriſti præco dimiſſus a Vitoldo.

Dictorum fides ab eod. Hieron. ſacramento confirmata.

*Erant in ea regione plures ſilvæ pari religione ſacræ, ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans, atque ejulans Vitoldum adit, ſacrum lucum ſucciſum queritur, & domum Dei ademptam, in qua divinam opem petere conſueſſent; inde pluvias, inde ſoles obtinuiſſe; neſcire jam quo in loco Deum quærant, cui domicilium abſtulerint, eſſe aliquos minores lucos, in queis dii coli ſoleant, eos quoque delere Hieronymum velle, qui nova quædam ſacra introducens patrium morem extirpet; rogare igitur atque obteſtari, ne majorum religionum loca & ceremonias auferri ſinat; ſequuntur & viri mulieres, nec ſe ferre poſſe novum cultum aſſerunt: relinquere potius terram & patrios lares, quam religionem a majoribus acceptam dicunt. Motus ea re Vitoldus, verituſque populorum tumultum, Chriſto potius quam ſibi deeſſe plebem voluit, revocatiſque literis quas præſidibus provinciarum dederat jubens parere Hieronymo hominem ex provincia decedere juſſit. Hæc nobis Hieronymus conſtanti vultu nihil hæſitans, ac per juramentum affirmavit dignum fide, & gravitas ſermonis & doctrina oſtendit, & viri religio. Nos quæ accepimus immutata retulimus, veri periculum non aſſumimus, perſuaſi tamen & nos & comites ab eo receſſimus.*

XVII.

Dæmones in remotis ſeptentrionis oris adhuc culti.

Eorum tyrannis in infideles.

De iiſdem Lituanorum erroribus, antequam fidem Chriſti amplecterentur, conſentanea narrat Olaus Magnus (*a*) archiepiſcopus Upſalenſis, additque ejuſmodi in arboribus & ſerpentibus adorandis ſuperſtitionis aliquas reliquias in ſeptentrionalibus oris abditis Norvvegiæ & Wermelandiæ ſuo tempore perſtitiſſe, ſubiicitque in Lituanorum & Moſchovitarum finibus dæmonem tantam in eos, qui ad falſum numen non confugiunt, tyrannidem exercere, ut niſi ſtatuæ, quæ publico itinere impoſita eſt, & patria lingua zlotababa, ideſt, aurea vetula dicitur, placandæ illius cauſa munuſcula, etiam ſi pilus aut floccus ſit, viatores obtulerint, diſcrimen ſalutis patiantur.

Subpolares gentes infideles.

Sydera colunt.

Tradit (*b*) præterea gentes ſubpolares adhuc dæmonum ſuperſtitione irretitas teneri, & lunam ac ſolem adorare, necnon pannum rubeum ob coloris cum ſanguine ſimilitudinem, ut configendarum ſagittis ferarum peritia excellant: *Nec extrema*, inquit, *ſeptentrionis portio, quam plerique ob intenſiſſima frigora inhabitabilem putant, immunis eſt a ſacrilegis ritibus culturaque dæmoniorum, ſtatuto eorum tempore impendendis: habent etenim gentes illæ ſilveſtres, uti reliquæ orbis nationes, quæ videntur his civiliores, non exiles cauſas, quibus publicum errorem & mentitam in rebus etiam frivolis divinita-*

*tem*

(*a*) *Olaus Magnus l.3. c.1.*
(*b*) *Ib. c.2.*

*tem quærant & tueantur. Solem igitur toto æſtatis curſu eis lucentem adorant, gratias ei offerentes; quod lumen contra tenebras perpeſſus & calorem contra immenſa frigora adducit.* Et infra: *Simili etiam ratione lunam adorant, quia hyeme remoto ſole continue ejus utuntur lumine, quo propter interlunium deficiente ſub lucidiſſimis ſtellis nivium candore clarius micantibus quæcumque negotia ſua ut diurno tempore diſponunt. Præterea gentes illæ ſubpolares ſtupidiore quodam errore dæmonum illuduntur, rubeum etenim pannum pertica vel haſta ſurſum appenſum attentis precationibus & cultiore ritu venerantur, divinam quandam virtutem propter colorem rubeum animalium ſanguini ſimilem eidem ineſſe putantes. Similiter quia ejus inſpectione arbitrantur ſe fortunatiores fore belluarum interemptores, earum ſanguinem ebibentes.*

XVIII. Cur vero ſubmoti ad extremum ſeptentrionem populi nondum evangelica luce colluſtrati eſſent exquirens laudatus Upſalenſis archiepiſcopus (a), cauſas refert ad vaſtas ſolitudines inter eos & Chriſtianos interjectas, quodque nulla incolant oppida, ſed errent vagi in ſilvis, quare epiſcopi ad eos accedere non poſſint; penetraſſe tamen ad finitimos aliquos ſacerdotes, qui converterint ad Chriſtum hujuſmodi ſilveſtres homines, de quibus, licet ducentorum milliarium intervallo diſſitis, hæc memoratu digna tradit: *Qui Chriſtiano ritui ſeſe ſubdiderant obedientiſſimi reperiuntur, licet ob prædictam diſtantiam ſemel aut bis in anno ſuas viſitant eccleſias baptiſmales liberoſque lactentes cophinis ſeu corbibus impoſitos poſt tergum ligatos ſecum baptizandos comportant, aliaque pondera & munera pellium præſertim pretioſarum ſacerdoti loco decimarum diſtribuenda: ſed non modo Bothnienſium verſus ſeptentrionem, verum etiam Vermorum verſus occidentem habitantium hæc diſtantia & incommoditas convertendorum hominum ad fidem eſt deploranda, & ob id rariſſime presbyteri, ſed nunquam antiſtites ſolitudines illas ob invia loca periculorum pleniſſima accedere poſſunt.*

(a) Id. l. 4. c. 17.

Chriſtianorum ſilveſtrium pius ardor.

Bothnienſes & Vermi.

XIX. Hoc anno in Anglia Petrus Pareshul ordinis Auguſtiniani Wicleffiſmi laqueis nimio libertatis amore implicitus perſecutionis turbinem in Auguſtinianos ſodales Londini profuſis in eos e ſuggeſto calumniis concitavit, ut refert Walſinghamus (b). Additque Wicleffiſtas eundem apoſtatam impuliſſe, ut famoſum libellum horrendis calumniis refertum in Auguſtinianos ederet, atque S. Pauli eccleſiæ Londinenſis foribus affigeret: in quo univerſos etiam religioſos ordines veluti a Chriſtiana pietate abhorrentes & dæmonum nidos traduxit: *In principio*, inquit Walſinghamus, *dicit ſemet de nido egreſſum diaboli, & per Dei gratiam de malis & impuris hominibus evaſiſſe ad vitam perfectiſſimam.* Arguebant Wicleffiſtæ vitam religioſam imperfectionis, quorum argutiunculas commemorat ac refellit Thomas Waldenſis (c); ſubditque graviſſimam a Wicleffiſtis perſecutionem paſſos religioſos viros: ſed multo poſtea crudeliorem in Bohemia, ubi religioſis ipſis dulce fuit jugulari, in exiliumve pelli, cum ſæpe contrita malleis ſingula eorum membra fuiſſent, vel liquentia metalla ori infuſa eſſent, de quibus ſuo loco. Porro ex memorati apoſtatæ Auguſtiniani inſolentia triumphaſſe gaudio Wicleffiſticæ ſectæ coryphæos, calumniaſque in religioſos viros fictas uti vera oracula late evulgaſſe, refert Walſinghamus (d), tum de ſacerdote illius Wicleffiſta, qui in extremo vitæ actu ſacra exomologeſi, quam antea impugnaverat, expiare crimina voluerit, nec potuerit, cum a ſocio Wicleffiſticæ impietatis anteſignano ſit illuſus, ennarrat.

Petrus Pareshul apoſtata religioſa inſtituta proſcindit.

(b) Walſin. in Rich. 2.

(c) Vvald. tit. 9. de religioſ. ſacrament. c. 83.

Hæreticorum in religioſos furor.

(d) Walſin. in Rich. 2.

Wicleffiſta oppugnans confeſſionem fruſtra in morte eam expetit.

Conver-



I. Converſis in mutuas cædes Chriſtianorum armis, infideles liberas furori habenas effudere: ad quorum reprimendas excurſiones nonnulli pii catholici anno virginei partus octuageſimo octavo ſupra milleſimum treceнteſimum indictione undecima maritimas copias inſtruxerunt: conſpicati enim Afri ardentem bello Italiam, præcipueque Siculum regnum variis feſſum calamitatibus, infeſtare noſtra littora cœperunt, ac barbaro ferro conſcindere reliquias, quæ e cruentis Chriſtianorum telis evaſerant. Conſtitutum propterea eſt decreto procerum Trinacriæ, qui impubere Regina Maria Siciliæ inſulam moderabantur, ornare claſſem: quorum pium conſilium, ut promoveret Urbanus, indulgentiarum præmia iis contulit, qui vel ſtipem in bellicum illum apparatum conferrent, vel militiam ſacram in Mauros maritimos labores ſuſcepturi profiterentur: qua de re datæ ad Maffiolum e Raguſino archiepiſcopatu ad Meſſanenſem traductum divulgandæ hæ literæ (a).

Inſula Siciliæ ab Afris infeſtata.

Siculi in eos claſſem comparant.

(a) Lib. 2. p. 160.

*Venerabili fratri Maffiolo archiepiſcopo Meſſanenſi A. S. N.*

II. *Dilecti filii nobiles viri Vitalis de Alagona comes Miſtretæ, Magiſter juſtitiarius, & Manfredus de Claramonte admiratus regni Trinacriæ, quod juris & proprietatis Romanæ eccleſiæ exiſtit, necnon Guillelmus de Peralta Calatabilocte, ac Antonius de Vintimilio Gulizam comites pie & provide attendentes, ſicut accepimus, quod Mauri aliique infideles nominis Chriſtiani perpetui & immaniſſimi hoſtes littoris Africæ maritimam incolentes, cumulatis viribus cum navigiis & non parvo numero per mare hominum, hoſtiliter & piratice debacchantur, ac ſæpius Chriſtifideles in mari aut littoribus captos rebus & navigiis eorum in prædam direptis in ſervitutem abducunt, pleriſque tamen ipſorum nonnunquam crudeliter trucidatis aut pœnis diverſis affectis, diſpoſuerunt contra Mauros & infideles prædictos nonnullas galeas cum præſidio etiam quorundam aliorum piorum catholicorum in proximo ſufficienter armare, & ad exterminium & confuſionem Maurorum & infidelium prædictorum intendere toto poſſe; & ad id in præſentiarum adhibent opem & operam efficaces adeo, ut in æſtate proxima diſpoſitionem ipſam in effectu, Deo duce, perducant. Adeſt & in oculis, ut ita dixerimus, quod quidam impii & nequam Chriſtiani perditionis filio Roberto olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbytero Cardinali nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominare præſumit, adhærentes, quos in ſimul congregavit iniquitas Neapolitanam & nonnulla alia civitates & loca regni Siciliæ & terræ citra pharum, quæ ſunt etiam juris & proprietatis eccleſiæ prælibatæ nefandis auſibus occuparunt, & ea detinent occupata, & ad ulteriora nituntur manus extendere violentas.*

Sacra ab Urb. ſubſidia poſcunt.

*Nos autem diſpoſitionem magiſtri juſtitiarii, admirati, & comitum prædictorum plurimum in Domino commendantes, & attendentes, quod etiam noſtra ſingulariter intereſt & diſpoſitionem ipſam adjuvare & conatus impiorum Chriſtianorum hujuſmodi reprimere, & cum propterea in iis agatur cauſa Dei, illam adjuvantes, & noſtris ſpiritualibus & temporalibus præſidiis proſequi deſiderantes, dignum cenſemus ac congruum, ut tam magiſtrum juſtitiarium admiratum, & comites prædictos, quam etiam cæteros proceres, magnates, & incolas dicti regni & alios Chriſtifideles ad proſecutionem tam pii operis diligentius excitemus, & eam ob rem cauſam ipſam devote proſequentes de theſauro ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ, & pretioſi ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti & Apoſtolorum & martyrum, quorum præconiis gloriamur ditare, & ſpiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiat ad ſalutem, & eandem cauſam eo ferventius proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita ſe ſperaverint adepturos, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui contra prædictos hoſtes in perſonis & ſumptibus propriis, necnon iis, qui in perſonis propriis, alienis tamen expenſis, in proſecutione tam pii operis per tempus, de quo tibi expedire videbitur, laborabunt tam clericis, quam laicis; & inſuper, qui ſuis dumtaxat expenſis juxta ſuarum exigentiam facultatum deſtinabunt, ſeu ad id a te deputandis ſufficientia ſubſidia miniſtrabunt, ut pro eis deſtinari poſſint perſonæ ad ipſam proſecutionem idoneæ per dictum tempus moraturæ & laboraturæ, ibidem illam concedimus indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per ſedem Apoſtolicam proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum: eos autem, qui non per integrum tempus hujuſmodi, ſed per ipſius temporis partem in hujuſmodi Dei ſervitio laborabunt, juxta quantitatem laboris & devotionis affectum participes eſſe volumus indulgentiæ memoratæ, &c.* Donavit etiam ampliſſima noxarum venia eos, qui in ſacro bello morti occumberent, aut auxilia ferrent; necnon archiepiſcopo Meſſanenſi dedit mandata, ut in Trinacriæ eccleſiis pontificium edictum promulgaret, reli-

Collatæ ſacræ indulgentiæ.

Promulgari jubet a Meſſanenſi archiep.

*religioſamque militiam profeſſuros crucis ſymbolo inſigniret. Dat. Peruſii* XIV. *kal. maii pontificatus noſtri anno* XI.

III.

*(a) S. Antonin. 3. p. tit.22. c.2. §. 15.*

Plures Chriſtiani in Mauritaniam ſervitutem abducti.

Meminit S. Antoninus (*a*) de hac barbarorum in Siciliæ oram excurſione, a quibus plures Chriſtianos in ſervitutem adductos queritur. *Circa infideles*, inquit, *qui dicuntur Mauri diſcurrentes per mare Siculum cum ſuis lignis ceperunt aliqua navigia Chriſtianorum, quæ ad partes ſuas adducentes ſervos inventos vendiderunt in eis*. Addit ſanctus author, nonnullis interjectis, confectam a Chriſtianis expeditionem in Afros, ac pluribus cæſis Gerbarum inſulam objacentem Africæ a comite Manfredo Claromontio partam; idemque confirmant diaria Hectoris Pignatelli (*b*), dum tradunt quarta junii die tredecim Genuenſium triremes, duas Piſanorum, & alias plures naves conductas a Manfredo Claromontio littus Neapolitanum legiſſe, & decimaoctava auguſti adepta victoria, rediiſſe. Porro ſequenti anno ab Urbano expetiiſſe Manfredum, ut beneficentia authoritateque ſedis Apoſtolicæ Gerbarum imperium teneret, videbimus. Quod vero de Genuenſium & Venetorum expeditione addit S. Antoninus, facile nonnullæ ſubſidiariæ eorum naves Siculis ſe conjungere potuere. De ampliſſima alia expeditione contra Mauros a Genuenſibus, Venetis, Gallis, Angliſque ad reprimendas eorum excurſiones geſta, Tunetoque obſeſſo inferius mentio recurret.

*(b) MS. Diar. Neap.*

Amuratis in Græcos excurſiones.

Nec modo per prædictas Chriſtianas oras maritimas arma circumferre cœperant Afri, ſed majori longe furore Græciam ferro, igni, cruore fœdabant Turcæ, noſtroſque in ſervitutem abducebant *Tum etiam*, inquit S. Antoninus (*c*), *Amorathabay unus ex infidelibus principibus inimicus Chriſtianorum invaſit Albaniam, & regionem devaſtavit*. Nec ſolum Macedoniam, verum alias oras, quas Latini catholici, ſchiſmaticive Græci incolebant, dira vaſtitate vexabant: ad quorum irruptiones frænandas Urbanus (*d*) pium fidelium ardorem propoſitis indulgentiis ad ſacrum bellum accendit.

*(c) S. Anton. ſup. §. Hiſt. Muſulm. l. 5. in Amurate I.*

*(d) Urb. l.2. ep. cur. p. 64.*

*Venerabili fratri Angelo epiſcopo Caſtellano fructuum & proventuum cameræ apoſtolicæ in nonnullis partibus debitorum collectori.*

IV.

*In tantum rabies efferata Phrygum, qui Teucri, alias Turchi nuncupantur, nominis Chriſtiani perpetuorum & immaniſſimorum hoſtium intumuit, & peccatis exigentibus invaleſcit, ut partes Romaniæ illis finitimas, quas multi Chriſtiani, aut Græci incolunt, terra, marique invadant & ad poſſe depopulentur & deſtruant ac ſubiiciant ſuæ miſeræ ſervituti: & niſi cum Dei adjutorio & fidelium præſidiis potenter reſiſtatur eiſdem, valde timendum eſt ne ad ulteriora manus violentas extendant in Chriſtianitatis maximum detrimentum. Nos autem ſuper iis pio & paterno condolentes affectu, & quantum præſentialiter rerum conditio patitur, utiliter providere volentes deliberavimus, ſi modo per Chriſtifideles in hoc utcumque juvemur, in loco de Venetiis Caſtellanæ diœceſis duas galeas ſufficienter armare, & contra hujuſmodi Phryges in ſubſidium fidelium in proximo deſtinare. Et quia hic agitur cauſa Dei, expediens, ac neceſſarium videtur, ut ad hoc Chriſtifidelium præſidium imploremus, & propterea hujuſmodi pium negotium devote proſequentes de theſauro ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ, pretioſi ſanguinis domini noſtri Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum ac martyrum, quorum patrociniis gloriamur, ditare & ſpiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiat ad ſalutem, & eamdem cauſam eo frequentius proſequantur, quo exinde majoris retributionis merita ſe ſperaverint adepturos, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi omnibus vere pœnitentibus & confeſſis qui contra prædictos hoſtes in perſonis & ſumptibus propriis, nec non iis, qui in perſonis propriis alienis tamen expenſis in proſecutione tam pii operis per tempus, de quo tibi expedire videbitur, laborabunt, tam clericis quam laicis, & iis inſuper, qui ſuis dumtaxat expenſis juxta ſuarum exigentiam facultatum deſtinabunt, ſeu ad id a te deputandis ſufficientia ſubſidia miniſtrabunt, & pro eis deſtinari poſſint perſonæ ad ipſam proſecutionem idoneæ per dictum tempus moraturæ & laboraturæ ibidem, illam concedimus indulgentiam & veniam peccatorum, quæ concedi per ſedem apoſtolicam proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conſuevit.*

Impendentia a Turcis diſcrimina.

Urb. in eos duas triremes inſtruere meditatur.

Propoſita in Turcas profecturis noxarum venia.

NOTÆ [1] CHriſtianorum in barbaros Tunetanos expeditio hoc anno cœpta non ſatis diligenter in Annalibus exponitur. Ita ergo rem totam narrat Annalium Genuenſium ſcriptor hujus ætatis Georgius Stella. Barbarorum claſſe Genuenſium navigia infeſtante, Genuenſes injuriam ulturi triremes XIII. armarunt, quibus triremes tres adjecit Manfredus de Claromonte magnus Regni Trinacriæ Admiratus, ſeu claſſis Præfectus. His omnibus acceſſerunt Siculi, & Piſani triremibus quinque. Ita inſtructa claſſis ſub imperio Raphaelis Adurni in Barbaros directa Gerbarum inſulam illis eripuit, & Manfredo conceſſit, qui ſua pecunia triremibus Genuenſium larga ſtipendia ſolvit. Ita confecta expeditio. Sequenti vero anno iterum comparatæ a Genuenſibus in barbaros triremes XL. Joanne Centurione Præfecto, eidemque claſſi poſt annum *anno ſequente*, id eſt anno 1390. acceſſit navium viginti manus, quibus Dux Borbonius, Regis Galliarum avunculus, voluntarius miles, ut & voluntarii quidam Angli ferebantur. Quid tunc actum fuerit diſcas ex annalibus ad A. 1390. 21. MANSI



*vit*. Commiſſa etiam fuere imperia epiſcopo Caſtellano, ut pontificium diploma pro ſacra concione in Veneto imperio, inque Ferrarienſi toparchia exponere, fideleſque ad bellicos labores adverſum Turcas ſuſcipiendos incitare curaret. *Dat. Peruſii* XIV. *kal. maii pontific. noſtri an.* XI.

V.

Adjunctæ Venetæ ditioni Argos & Neapolis.

Auctam hoc eodem anno in Græcia Venetorum ditionem, atque Argon & Neapolim a Maria illius principatus herede comparatas pretio, refert author (*a*) appendicis MS. ad hiſtoriam Andreæ Dandali, cum grave periculum immineret, ne eæ urbes in Turcarum tyrannidem redigerentur. Qui etiam narrat (*b*) eodem anno Joannem Galeatium [1] comitem Virtutum Mediolanenſem principem, ac Venetos armorum ſocietatem adverſus Franciſcum Carrariam, qui Venetam rempublicam diuturno vexabat bello coiviſſe, atque ex fœdere, ita illius principatum inter ſe partitos, ut Tarviſium & Ceneta cum cæteris minoris famæ oppidis finitimis Venetæ ditioni adiungerentur, Patavium ac Feltrum in Mediolanenſis concederent poteſtatem. Perſtringit Carrarienſes laudatus author hac ſententia: *Dici merito poteſt: Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; pater enim & filius de Carraria optaverunt deſtructionem domini Antonii de la Scala, ipſimet cito inciderunt in eam*. Quod ad reliqua Italica bella attinet; funeſta erat ſpecies Neapolitani regni, quod hinc Ludovici Andegavenſis, hinc Ladiſlai pueri, hinc Urbani partium ſtudioſi inter ſe ferro flammaque partiebantur (*c*). Andegavenſis quidem factio oppreſſam tenebat Neapolim, cui Monioja prorex ab antipapa miſſus præerat; quare Thomas Sanſeverinas & Otho Brunſvicenſis, qui eam urbem Andegavenſi ſubjecerant, præmiorum expectatione illuſi iras conceperant. Et quidem Otho, ut refert Gobelinus (*d*), in Ladiſlai partes ſe conjecerat ſpe nimirum allectus nuptiarum Reginæ Margaretæ: atque hoc ineunte anno Neapolim inductum ſperare cum copiis eſt, ſed a Monioja propulſatus in Tarentinum principatum, ubi poſtea obiit, ſe recepit.

*(a) Append. MS. ad hiſt. And. Dand. in Andrea Dand.*

*(b) Id. ib. & Petr. Marcell. in Anton. Vener. Bonif. hiſt. Tarviſ. l.10. ſub fin. & init. c.11. Bernard. Corius hiſt. Med. par.2.*

Neapolitani regni funeſtus ſtatus.

*(c) Summont. hiſt. Neap. lib. 4. c.2.*

Otho Brunſvicen. ad Margaretæ partes ſe transfert.

*(d) Gobelin. in Coſmodr. æt.6. c. 81. & Hector. Pignat. in MS. diar. Neap.*



Urbanus vero in ſententia ſua perſtans de Ladiſlao regno deturbando, quamvis inde ſchiſmaticorum res admodum ſe efferrent, Neapolitanum regnum ad ſedem Apoſtolicam devolutum contendebat, ac Nicolaum comitem Catanzarii Calabriæ præfecit, ut provinciam ipſam Romanæ eccleſiæ nomine adminiſtraret: qua de re ſubjectæ extant literæ (*e*).

VI.

Fruſtra Neapolim tentat. Urbani ira implacabilis in Ladiſlaum.

*(e) Urban. l.2. p. 175.*

Neapolitanum regnum ſibi tentat comparare.

*Nicolao comiti Catanzarii provinciæ ducatus noſtri Calabriæ, nec non comitatuum & caſtrorum, terrarum & aliorum ad nos & Romanam eccleſiam pertinentium in dicto ducatu conſiſtentium pro nobis & eadem eccleſia juſtitiario & in temporalibus vicario, &c.*

*Licet ad univerſas mundi regiones noſtræ vigilantiæ creditas apoſtolicæ ſolicitudinis aciem extendamus, provincia tamen ducatus Calabriæ & ipſius civitates, caſtra, terras, & loca, quæ de regno noſtræ Siciliæ, quod ad manum noſtram tenemus, donec de ipſo aliud duxerimus diſponendum, exiſtunt, & ipſorum populos univerſos præcordialius intuemur, & ſuper eorum felicibus regimine ac ſtatu pacifico & tranquillo affectionibus ſpecialibus providere. De tuis igitur fidelitate, puritate, ac virtutibus plurimum in Domino confidentes, te dictorum provinciæ, ducatus, civitatum, caſtrorum, terrarum etiam demanialium, & locorum aliorum juſtitiarium & vicarium in temporalibus, uſque ad noſtrum beneplacitum authoritate apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, tibi exercendi in provincia, ducatu, civitatibus, caſtris, terris, & locis prædictis, & in eis ordinandi, ſtatuendi, mandandi, præcipiendi, exequendi, ac faciendi & ſecundum formam conſtitutionum & conſuetudinum provinciæ ducatus ejuſdem omnia & ſingula, quæ ad honorem noſtrum & dictæ Romanæ eccleſiæ ac tranquillum & proſperum ſtatum incolarum & habitatorum provinciæ ducatus, civitatum, caſtrorum, & terrarum, prædictarum videris expedire, & quæ ad hujuſmodi juſtitiaratus & vicariatus officium pertinent, quæ conſuetudine vel de jure, alienatione tamen bonorum immobilium & pre-*



NOTÆ [1] VEra quidem ſcribit Annaliſta de fœdere hoc anno inito a Joanne Galeatio cum Venetis; adde & cum Gonzaga Mantuæ principe, cum Franciſco Eſtenſi Ferrariæ domino aliiſque, teſte Annaliſta Mediolanenſi ad hunc annum. Bellum hoc cœpit Julio menſe, cui ſuſtinendo imparem ſe intelligens Franciſcus Carrarienſis Patavii Dominus principatu ſponte ceſſit, filio ſibi cognomine ſubſtituto. Quæ Principis abdicatio die XXIV. novembris facta eſt teſte Annaliſta Mediolanenſi rer. Italicar. to. XVI. ad hunc annum. Rebus tamen in Carrarienſes ita peſſime conſtitutis urbem tamen Patavium nonniſi ſequenti anno 1389. die XXIII. novembris victoribus cedere coacti ſunt, ut fuſe narrat Galeatius Gatarus, qui Patavinam hiſtoriam vernaculo ſermone vulgatam Rer. Italic. to. XVII. per hos annos ſcribebat. Vide pag. 673. Porro hunc in caput ſuum turbinem induxit Franciſcus ſenior Carrarienſis, quod Vicentinam urbem a Galeatio occupatam poſcebat, tum & in ſuis literis ad Principes Europæ miſſis Galeatii famam traduxerat. Quæ igitur de Carrarienſi ſolio deturbato notat Annaliſta ad annum ſequentem revocanda ſunt. MANSI

*pretioſorum mobilium, omniumque juriſdictionum, jurium & pertinentiarum provinciæ ducatus civitatum, caſtrorum, terrarum, & locorum eorumdem tibi penitus interdicta, contradictores, quoque per temporalem diſtrictionem authoritate noſtra appellatione poſtpoſita compoſcendi, poteſtatem & facultatem plenam liberam & tenore præſentium concedentes, &c. Dat. Peruſii kal. maji, pontificatus noſtri anno XI.*

VII. Decem triremes ſubſidiarias a Rege Trinacriæ exigit.

Intentus præterea Urbanus comparandis auxiliis veluti regni Neapolitani ad ſe devoluti Rex, e Trinacria ſibi decem triremes egregie inſtructas, & centum equites ſubmitti ad Neapolitanum regnum ſibi aſſerendum contra Ludovicum & Ladiſlaum invaſores Romanæ eccleſiæ popoſcit; cum ex veteribus fœderis tabulis Fredericus Rex Trinacriæ ſe obſtrinxiſſet ad ea ſubſidia laboranti bello difficili regno Neapolitano mittenda: ac ne ambigi poſſet Mariam ac Martinum Reges, quos hoc anno Panormi exceptos liberas regni habenas ſuſcepiſſe ferunt (a), ad deferendum id obſequium eos teneri, Urbanus ſubjectum diploma (b) edidit.

(a) *Fazell. poſter. dec. l.9. c.7.*
(b) *Ext. apud Bonif. IX. l.11. p. 148.*

*Urbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam.*

*Olim cum tam inter quondam Frederici de Aragonia & Joannæ olim Reginæ Siciliæ progenitores, quam eoſdem Fridericum & Joannam adhærentes eiſdem gravis fuiſſet diſſenſionis materia ſuſcitata, ipſi Fredericus & Joanna pacis interveniente tractatu ſuper diſſentionibus hujuſmodi ſub certis capitulis tempore fœlicis recordationis Gregorii Papæ XI. prædeceſſoris noſtri inter cætera concordarunt, videlicet quod dictus Fredericus & ſucceſſores ipſius utriuſque ſexus deſcendentes ex eo ſuccedentes in regno Trinacriæ præfatæ Joannæ, quæ tunc Regina Siciliæ, quod juris & proprietatis Eccleſiæ Romanæ exiſtit, & quod nunc ad manum noſtram tenemus in feudum tenebat, & ſucceſſoribus ipſius Joannæ in regno Siciliæ prædictæ ſervitium decem galearum & centum militum præſtare anno quolibet tempore notabilis invaſionis ipſius regni Siciliæ teneretur; & quod, ſi dubium oriri contingeret, quæ cenſeri deberet notabilis invaſio, ſtaretur ſimplici dicto dicti prædeceſſoris, vel Romani Pontificis, qui foret pro tempore etiam parte non vocata: quem quidem pacis tractatum idem prædeceſſor confirmavit, prout in dicti prædeceſſoris inde confectis literis plenius continetur.*

Vectigal. militare dandum a Regibus Trinac. Neapol.

Sibi ut ejuſdem regni Regi debitum contendit.

*Cum autem regnum ipſum Siciliæ ad eccleſiam præfatam redierit, ipſumque ut præfertur ad manus noſtras teneamus, hujuſmodi ſervitia, quæ dictæ Joannæ præſtare tenebantur, nobis & ſucceſſoribus noſtris, niſi de ipſo regno Siciliæ aliter diſpoſitum fuerit, debeat exhibere; & ſicut evidentia facti demonſtrat, prædictum regnum Siciliæ nedum per vicinos, vel catholicos, ſed per exteriores & ſchiſmaticos ac hæreticos ad præſens de facto ſit invaſum, ita quod notabilem fore invaſionem hujuſmodi quodammodo neceſſarium non eſſet declarare; nos tamen, ne quis an hujuſmodi notabilis ſit invaſio valeat hæſitare, hujuſmodi invaſionem dicti regni Siciliæ fore notabilem, hujuſmodique ſervitia nobis qui, ut præfertur, regnum ipſum ad manum noſtram tenemus, exhiberi debere tenore præſentium declaramus. Nulli ergo, &c. Dat. Peruſii IV. Kal. maii, pontificatus noſtri anno XI.*

Periit poſtea temporum calamitate harum literarum autographum, ad cujus ſarciendam jacturam Bonifacius IX. illarum exemplum in Sicilia exſcribi, afferrique juſſit, quibus eandem auctoritatem fidemque ac prioribus conciliavit. Adſcripta eſt illius diplomati dies IX. Kal. julii, pontificatus anno XI.

VIII. Perulio Narniam tendit.

Cœterum cum præſentia ſua regnum ex geminæ Ladiſlai & Ludovici factionis manibus vindicandum ſperaret Urbanus, eo ſe conferre eſt meditatus, ut narrat Theodoricus e Niem (c), ſubditque cum decimo milliario abeſſet Peruſio, ceſpitante mulo, cui inſidebat, in terram præcipiti caſu dejectum, variiſque partibus corporis læſum rheda Tibur delatum; atque interea obvios occurriſſe plures Romanos, eumque multis officiis & precibus rogaſſe, ut in urbem rediret; ſed ipſum Ferentinum Campaniæ civitatem perrexiſſe: poſcente autem ſtipendia milite, nec præ inopia ærarii impetrante, ab iis deſertum coactumque Romam reverti. Confirmat S. Antoninus (d) ob ſubortum militum diſſidium Urbanum Neapolitanam expeditionem intermiſiſſe: *Anno*, inquit, *Domini* MCCCLXXXVIII. *menſe auguſti Urbanus receſſit a Peruſio cum copiis Anglorum, ut pergeret Neapolim ad capiendam civitatem: ſed cum eſſet juxta Narnium orta eſt diſſenſio inter capitaneos ſtipendiariorum, nam multi eorum jam conducti a Florentinis noluerunt cum eo progredi, ſed fidem ſervare, quibus ſe obligaverant: remanſeruntque cum Pontifice ducenti equites, cum quibus profectus, uſque Ferentiam civitatem Campaniæ, & non multo poſt reverſus eſt ad urbem.*

(c) *Theod. e Niem. l.1. c.69.*
(d) *S. Antonin. 3. par. tit. 22. c.2. §. 14.*
Stipendiorum inopia diſſolutæ ejus copiæ.

Adſcribit Gobelinus (e) reditus in urbem cauſam fixæ divinæ providentiæ voluntati, quam cœleſti prodigio oſtenſam, refert his verbis: *Intendebat iterum ad regnum Siciliæ greſſus dirigere, quoniam Romam ire voluntatis ſuæ omnino non erat: ſed venit ad eum quidam eremita, dicens ei: Velis nolis Romam ibis, & ibidem morieris; unde poſt hoc quadam nocte voluntate mutata Romam ſe transferre decrevit. Cumque verſus Romam flecteret iter, viſa eſt imago S. Petri in ea forma, quæ excisa eſt de petra ſtans ante porticum baſilicæ*

(e) *Gobel. in Coſmodr. æt.6. c.81.*
Eremita illum monet Romæ moriturum.

licæ



Objecta illi cœleſtis ſpecies S. Petri. A Romanis honorifice excipitur.

*licæ ejuſdem Romæ, ipſi Papæ & quibuſdam aliis in aere quaſi viam, quæ verſus urbem protendit oſtendens; & Papa præcepit eis, qui hoc ſecum viderant, ne cuiquam revelarent: & poſt obitum ejus epiſcopus Tarentinus confeſſor ſuus ſermonem faciens hoc miraculum publice prædicavit. Cum igitur urbi appropinquavit, Romanos obviam habuit cum magna ſolemnitate, & multis in campo tractatibus cum eo habitis, Romam cum honore magno regreſſus eſt.* Albertus Crantzius eadem refert (a), ex eodem Gobelino, ex quo plura excerpſiſſe videtur.

(a) *Crantzius metropol. l. 10. c. 20.*

IX. Suſpicienda hic eſt divina providentia, quæ Urbanum Neapolitanam expeditionem meditantem, ac brevi moriturum ad urbem revocarit, ne in ſufficiendo illi ſucceſſore novæ turbæ, quæ fideles ambiguis controverſiis implicarent excitarentur. Reverſus vero in urbem, elidendiſque ſchiſmaticorum conſiliis intentus, datis ex ea literis VII. kal. decembris, Colonienſem archiepiſcopum, ac ſuffraganeos epiſcopos propoſitis indulgentiis ſubſidiarias copias in Willelmum ducem Gueldriæ & adverſus antipapæ ſectatores comparare juſſit (b). Interim adverſus eum inſtruebat bellum Carolus Francorum Rex (c) magno terrore in Brabantinorum auxilium, quos dux fuderat, excitus; adverſus quem Angli æmuli Flandrique fœderati ſuppetias tulerunt. Germanos etiam & Leodienſes ducis partes amplexos, atque irrumpenti Gallico exercitui graviſſima damna ab hoſte inflicta meminit Clementis antipapæ vitæ ſcriptor (d): compoſitis vero deinde rebus ab armis utrinque diſceſſum, ex qua expeditione, cum Rex Carolus rediret, Rhemoſque perveniſſet, qui antea patruorum tutorum auctoritate publicam rem geſſerat, liberas regni habenas arripuiſſe, omnemque regiam poteſtatem ad ſe revocaſſe addit auctor.

Bellum Gueldrenſe.

(b) *Apud Bonif. l. 11. p. 237.*
(c) *Valſin. in Rich.2. Meger. hiſt. Fland. l. 14. in Margar. Malean.*
(d) *Clem. antip. vitæ ſcript. apud Boſq.*

Hoc tempore divina miſericordia plures Judæos cœleſti luce colluſtravit, qui ex longinquis regionibus in Italiam, ut baptiſmatis ſacris initiarentur ſe contulerant, quos Urbanus a Cumano epiſcopo divinis ſacramentis luſtrari, ac confirmari juſſit (e).

(e) *Urb. l.2. p. 236.*

*Venerabili fratri Beltramo epiſcopo Cumano, &c.*

Plures Hebræi ad fidem converſi.

*Sacroſancta Romana ac univerſalis Eccleſia etiam pro perfidis Judæis ad omnipotentem ſempiternumque Deum, qui & Judaicam perfidiam a ſua miſericordia non repellit, ſæpiſſime preces fundit, ut auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipſi agnoſcant Jeſum Chriſtum dominum noſtrum: & ſicut ad plurium ex eis converſionem preces hujuſmodi retroactis temporibus profuere nonnunquam, ita etiam noviſſimis diebus adeo efficaces exiſtunt, ut nonnulli ex ipſis Judæis de diverſis partibus ad partes Italiæ accedentes, priorum errorum obcæcatione derelicta, & antiquis propulſis tenebris, prout fidedignorum relatione cum ingenti ſpiritus jucunditate percepimus, veræ veritatis luce, quæ Chriſtus eſt, ſummis deſideriis cupiunt illuſtrari: & in ſignum non fictæ, ſed ſinceræ converſionis eorum pro ſubſidio Terræ ſanctæ, & ejuſdem ſanctæ matris eccleſiæ per ſchiſmaticos multipliciter laceſſitæ in remiſſionem peccatorum eorum de bonis quæ habent, libere non parvam pecuniarum offerunt quantitatem.* Et infra: *Fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus præfatos Judæos, ſi tuis & aliorum, quos ad id elegeris, ſacris monitis & conſiliis perſuaſi id pure, ſimpliciter, & ſyncere petierint ac erroribus priſtinis in debita forma abrenunciaverint, authoritate apoſtolica juxta ritum & formam ejuſdem Romanæ eccleſiæ in talibus conſuetos baptizare, & eis confirmationis ſacramentum conferre procures, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XIII. Kal. decembris pontificatus noſtri anno XI.*

Data mandata ut baptiſmo initientur.

XI. Hoc anno cum Albertus Sueciæ Rex ſubditorum odia ob acerbitatem contraxiſſet, oppignorata Pruſſiæ equitibus pro ingenti auri vi Gothardia, dum Norvvegiæ & Daniæ Reginæ principum, quos conduxerat magnis ſtipendiis, potentia fretus bellum indicit propagandi regni ſpe, in acie captus cum filio & fœderatis, regnum & libertatem amiſit, ut refert Olaus Magnus (f) his verbis: *Albertus*, nimirum Suecorum & Gothorum Rex, cum *domeſtica & periculoſa diſcordia laboraret, eſſetque omnibus opibus penitus exhauſtus permiſit ſibi a ſuis imprudentiſſimis conſiliariis perſuaderi, ut potentiſſimæ Reginæ Margaretæ, quæ jam Danicum regnum Norvegiano conjunxerat, bellum indiceret.* Et infra: *Inter cæteros principes, qui ſe in ejus militiam contulerant, fuere dux Stagardiæ, comes Rapinenſis, & comes Holſatæ, quorum auxilio ſubnixus putabat ſe de omnibus inimicis ſuis etiam potentiſſimis triumphum reportare poſſe: ſed deerat ei favor, & auxilium propriorum ſubditorum, quorum virtute omnes adverſarias virtutes procul dubio facile ſuperaſſet: proinde experiri cogebatur longe aliud ad principum fœlicitatem requiri, quam magnifica aſſentatorum verba in conclavi audire. Cum enim annus a nato Chriſto MCCCLXXXVIII. ageretur, prævalidum exercitum ex Suetia in Vveſtrigotbiam deduxit: ſed non dormierunt illi, contra quos tanta vis auri & argenti in militare ſtipendium erogabatur; Margareta enim fœmineo ſexui virilem animum inſerens nullas prudentiæ partes ad imminens bellum proſpere agendum neceſſarias omiſit.* Et infra: *Atrox & cruentum ac pertinaciſſimum in Falonia Vveſtrogothorum terra in die*

(f) *Olaus Magnus l.2. c.24.*
In acie capitur.

*Mat.*

*Matthæi Apoſtoli uterque exercitus devenit, certatumque eſt diu & acriter, donec victoria relictis Alberti partibus ad Reginam inclinaretur: tum ipſe Rex cum Henrico filio & cæteris principibus, quos ſecum in pugnam duxerat, captivatur, & ad Reginam in arcem Bohuſs, quæ eſt inter Vveſtrogothos & Norvvegianos limitanea deportatus arctæ cuſtodiæ per totum ſequens ſeptennium una cum filio mancipatur, &c.*

XII. Wicleffi & ſociorum ſcripta incendi juſſa.

Eodem anno Richardus Angliæ Rex egregium ſpecimen religionis edidit, dum ſolemni edicto omnia ſcripta Joannis Wicleffi, Nicolai Herefordii, & Joannis Aſton anteſignanorum Wicleffiſticæ hæreſeos flammis aboleri juſſit. Conſignatum eſt edictum (a) regium hac temporis nota: *Apud Vvoſtmonaſterium* XXIII. *die maii anno regni noſtri* XI. Invaleſcebat Wicleffi hæreſis in Anglia, cum draconem ardentem in pluribus locis viſum narrat Henricus Knygtonius (b), ac ſimul errores, qui paſſim ab impiis ſpargebantur recenſet; *Menſe*, inquit, *aprilis draco ardens viſus eſt in multis locis per Angliam. Adhuc iis diebus floreſcunt & increſcunt Vvicleffiani, qui & Lollardi dicti ſunt, & erroribus ſuis abundant & indicibiliter in iis vireſcunt, nec in eis adhuc erubeſcunt, ſed tamen impetuoſitate clamoſa aliqualicumque tabeſcunt, inſuper novos errores antiquis immiſcent. Quidam etiam eorum ad parliamentum ſubmoventur, opprobria etiam & objurgationes multiplices in parliamento & domi inter proximos paſſim patiuntur, nec adhuc ab incœptis deſiſtunt; ſed tamen errores ſuos & opiniones ubique prudentius ſolito indefeſſe evomunt, & eis addunt, quorum quidam hic inſeruntur, quidam quoque ſupra notati hic iterum recitantur.*

(a) *Ext. apud Henr. de Knyg. canon. Leceſtr. de event. Angl. l.* 5.

Draco ardens viſus in pluribus Angl. locis.

(b) Id. *ib.*

XIII. Wicleffiſtarum errores varii.

*Opinio* I. *Quod Papa modernus Urbanus VI. non gerit vices beati Petri in terris, ſed eſt filius antichriſti; nec erat verus Papa a tempore S. Silveſtri.* II. *Item quod Papa non poteſt concedere aliquas indulgentias, nec epiſcopi quicumque; & quod omnes confidentes in hujuſmodi indulgentiis ſunt maledicti.* III. *Item quod Papa non poteſt condere canones decretales ſeu conſtitutiones, & ſi quos condiderit, nullus tenetur eos obſervare.* IV. *Item quod ſola cordis contritione deletur omne peccatum abſque oris confeſſione, nec requiritur oris confeſſio, etiam ubi copia ſacerdotum haberi poterit.* V. *Item quod imagines Crucifixi, beatæ Virginis, aliorumque ſanctorum nullo modo ſunt venerandæ; immo ipſas vel picturas aliquas quomodolibet venerantes peccant & idololatriam committunt; & quod Deus non facit aliqua miracula per illas, & quod omnes facientes peregrinationes ad ipſas, vel eas aliquo modo adorantes, lumen, vel alias devotiones coram ipſis imaginibus exhibentes, ſunt maledicti.* VI. *Item quod non tenet neque ligat excommunicatio Papæ vel epiſcopi.* VII. *Item quod non eſt ſupplicandum ſanctis orare pro viventibus, nec dicenda eſt lætania: affirmant enim Deum omnia facere, ipſos nil facere poſſe quos ſanctos vocamus, ſed multos eorum prædicant eſſe in inferno quorum feſta celebrantur.* VIII. *Item quod non eſt decimandum rectori exiſtenti in mortali peccato, nec oblationes aut donationes pecuniales ſunt faciendæ in purificationibus mulierum, nec in celebrationibus miſſarum pro defunctis.* IX. *Item quod presbyteri & diaconi quicumque tenentur & debent populo publice prædicare ratione ordinis ſuſcepti, licet populum non habeant, nec curam animarum.* X. *Item quod Papa, Cardinales, archiepiſcopi, epiſcopi, archidiaconi, decani, officiales, utique perſonæ majores eccleſiæ ſunt maledicti.* XI. *Item quod nullus intrabit regnum cælorum niſi omnibus renuntiaverit ea dando pauperibus, ſolum Deum ſequendo modo ipſorum.* XII. *Item quod vir vel mulier offerendo ſacerdoti denarium petendo pro ipſo miſſam celebrari, tam ille quam ſacerdos ſic recipiens, ſunt maledicti.* XIII. *Item quod omnia inter clericos debent eſſe communia.* XIV. *Item quod eſt contra ſacram Scripturam, quod clerici habeant poſſeſſiones temporales.* XV. *Item quod divina officia non ſunt cantanda cum nota & quod Deus non delectatur in hujuſmodi cantu.* XVI. *Item quod non licet aliquo modo jurare.* XVII. *Item quod illud, quod fuit panis ante conſecrationem in Sacramento altaris, poſt conſecrationem non eſt Corpus Chriſti, ſed ſignum rei, non ipſa res.* XVIII. *Item quod quilibet presbyter exiſtens in peccato mortali non conficit, neque baptizat, nec confert aliquod ſacramentum.* XIX. *Item quod non potius eſt orandum in eccleſia, quam alibi.* XX. *Item quod feſta ſanctorum, ſcilicet Stephani, Laurentii, Margaritæ, Catharinæ, & aliorum Sanctorum non ſunt colenda, neque celebranda, eo quod neſcitur, ut dicunt, utrum ſunt damnati vel non; nec credendum eſt, neque ſtandum eorum canonizationi & approbationi dictorum ſanctorum factæ per curiam Romanam in hac parte.* XXI. *Item quod ſancta Trinitas nullo modo eſt figuranda, formanda, nec depingenda in ea forma, qua communiter depingitur per totam Eccleſiam.* XXII. *Item quod nullus rector vel vicarius aut prælatus aliquis excuſatur a perſonali reſidentia facienda in ſuis beneficiis commorando in obſequiis epiſcoporum, archiepiſcopi, ſeu Papæ.* XXIII. *Item non licet presbytero locare operas ſuas.* XXIV. *Item quod rectores & vicarii non celebrantes nec miniſtrantes ſacramenta eccleſiaſtica etiam removendi, & alii loco eorum inſtituendi, quia indi-*

*gni*



*gni ſunt & diſſipatores bonorum Eccleſiæ.* XXV. *Item quod viri eccleſiaſtici non deberent cum validis incedere equis, nec uti tantis jocalibus, veſtibus pretioſis, aut prandiis delicatis; ſed omnibus renuntiare & dare ea pauperibus, pedibuſque incedentes, accipienteſque baculos in manibus formam pauperum ſuſcipientes aliis dando exempla per converſationem.*

Anno

I. ANno Chriſti milleſimo trecenteſimo octogeſimo nono indictione duodecima Urbanus plura ad augendam fidelium pietatem, ſacrorumque amplificandam dignitatem ſanxit: hiſque præclare geſtis extremum pontificatum religioſe clauſit, inſignivitque: de quibus Gobelinus Perſona (a) hiſtoriæ monumentis hæc conſignavit: *Dominus Urbanus anno pontificatus ſui XI. nativitatis Domini MCCCLXXXIX. tertio idus aprilis tria memorabilia inſignia conſtituit. Primum fuit, quod annus jubileus per Clementem VI. de centeſimo ad quinquageſimum annum deductus deberet temporibus inde futuris de trigeſimo tertio anno in trigeſimum annum tertium obſervari, & ſtatuit, quod annus nativitatis Domini tunc proxime venturus videlicet MCCCXC. deberet eſſe jubileus, & deinceps annus trigeſimus tertius ſemper deberet eſſe jubileus: & movit eum, quod totum tempus vitæ domini noſtri Jeſu Chriſti in humanitate, poſtquam natus eſt de Virgine, per cujus mortem theſaurus Eccleſiæ, unde indulgentiæ peccatorum quæcumque emanant, cumulatus eſt, triginta trium annorum curriculo complebatur;* eadem repetunt plerique authores (b): quibus conſentanea refert Paulus II. in ſua de jubileo conſtitutione (c), in qua fugacis etiam hominum vitæ brevitate ad jubileum in brevius recurrentium annorum ſpatium contrahendum juſte ipſum permotum ait.

(a) Gobelin. in Coſmodr. ætat. 6. c. 81.

Ann. jubileus ad XXXIII. annorum curſum redactus. Ratio reddita ex annorum Chriſti numero.

(b) S. Anton. 3. p. tit. 23. c. 2. §. 16. & alii.

(c) Ext. in lib. 2. bull. de cur. Pauli II. pag. 89. & conſt. 7.

II. Aliæ ex vitæ brevitate.

*Urbanus VI. in ſua obedientia nuncupatus provide conſiderans, quod ætas hominum amplius ſolito in dies laberetur pauciores, ac deſiderans quamplurimos ejuſdem indulgentiæ fieri participes cum ad annum quinquageſimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minime perveniant, ut populorum augeretur devotio, fides ſplenderet, & charitas amplius incaleſceret ex eiſdem & aliis non minoribus cauſis de fratrum ſuorum conſilio annum quinquageſimum ſupradictum ad trigeſimum tertium reducens, ſtatuit de fratrum ſuorum eorundem conſilio, & apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, quod univerſi fideles vere pœnitentes & confeſſi, qui in anno a nativitate ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo, & deinceps perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos baſilicas,* nimirum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, *ac Lateranenſem & ſanctæ Mariæ majoris prædictæ urbis eccleſias cauſa devotionis modo præmiſſo viſitarent, eandem conſequerentur remiſſionem & veniam peccatorum.* Corrigendus ex his error eſt, qui apud Theodoricum e Niem irrepſit, quem nonnulli recentiores ſunt incaute amplexi, dum tradunt Urbanum jubileum anno MCCCLXXXIII. celebrandum indixiſſe. Hujus vero jubilei promulgati occaſione Innocentii VI. ſanctio de oblationibus, quæ a fidelibus altari beati Petri imponebantur, renovata eſt (d) ab Urbano, inſertaque ejus regeſto: ut vero is annus jubileus celebratus fuerit, dicetur inferius. Nunc alia ab eo ſancita ex Gobelino percurramus.

(d) Ext. apud Urb. l. 2. p. 266.

III. Inſtitutus feſtus dies viſitationis B. Mariæ.

*Secundum*, nempe inſigne & memorabile, *fuit feſtum viſitationis beatæ Mariæ virginis, quod ſtatuit craſtino octavæ S. Joannis Baptiſtæ ſingulis annis in Eccleſia celebrari, ut beata Virgo ſuis precibus Eccleſiæ unionem reformare, & reformatam conſervare dignaretur.* Eidem ſanctioni auctoritatem ſuam adjecit Bonifacius IX (e) cum, ut ait, prius morte oppreſſus fuiſſet Urbanus, quam literas apoſtolicas edidiſſet.

(e) Ext. ejus lib. in formul. arch. bibl. vat. ſign. n. 80. & in bull. in Boniſ. IX. conſt. 1. Pont. de ea re diploma.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Felicis recordationis Urbanus Papa VI. prædeceſſor noſter dignum reputans & debitum, ut feſtum viſitationis ipſius B. Mariæ virginis, quando viſitavit Eliſabeth in Dei Eccleſia celebraretur, pro teſtimonio ſancti ſuffultum evangelii humanis nequit rationibus detrectari, ac attendens quod laudes tantæ Virginis humana lingua non ſufficit exprimere, nec etiam ſancti & juſti eam in cujus ille, quem cœli capere non poterant, ſe contulit aula virginali, dignis laudum præconiis ad plenum efferre poterunt; & conſiderans quod ex quo Dominum in ſanctis ſuis laudare jubemur, quanto magis in veneratione beatæ Mariæ Virginis matris ipſius exultantibus animis collaudare, & ejus laudum augendo titulos gratias referre, quem genuit, filio debeamus, quæ etiam exaltata ſuper ſydera ſtellato conſedit ſui ſolio genitoris; ne etiam divinæ viſus fuiſſet reſiſtere voluntati, quæ tam ſibi quam aliis viris devotis ad hujuſmodi ſanctam feſtivitatem celebrandam, ut pie idem prædeceſſor credidit, dignata fuit mentem inſpirare, deliberatione etiam ſuper hoc matura præhabita de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio, ad exaltationem fidei catholicæ digne & rationabiliter, videlicet ſexto idus aprilis, pontificatus ſui anno undecimo, ſtatuit ut feſtum præfatum, videlicet viſitationis beatæ Mariæ virginis quando, ut præfertur, viſitavit Eliſabeth ſexto nonas julii annis ſingulis in Dei Eccleſia cum laudum cantico, lætitiæ jubilo, cordiſque tripudio ſub duplici officio per orbem univerſum ſolemniter celebraretur.*

Imperatum jejunium in pervigilio feſti Viſitationis.

*Suaſit etiam & conſuluit idem prædeceſſor, ut ipſius feſti vigilia, ut vigilia nativitatis & aſſumptionis prædictæ Virginis feſtivitatum, etiam in obſervatione jejunii devotus obſervaretur: & mandavit quod ſimile, non tamen duplex, officium abſque alicujus ſancti commemoratione, exceptis primis veſperis ante octavam Apoſtolorum Petri & Pauli & officio totius diei dictæ octavæ, cum commemoratione tamen ejuſdem novi feſti, per ſeptem ſequentes dies in Dei Eccleſia cum celebritate debita decantaretur. Ac etiam volens idem prædeceſſor Chriſtifideles ad colendum tantæ feſtum Virginis, & etiam celebrandum, donis ſpiritualibus animare, ipſoſque myſticis de theſauris militantis Eccleſiæ benedictionum muneribus cupiens prævenire, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui matutinali officio feſti ejuſdem in eccleſia, in qua idem officium celebraretur, intereſſent, centum; qui vero miſſæ, totidem, qui autem primi feſti veſperis, ſimiliter centum, qui autem ſecundis, totidem; illis vero, qui primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, ac completorii officiis, pro qualibet horarum ipſarum quadraginta dies; illis autem, qui per octavas feſti prædicti matutinalibus, veſperorum, miſſæ, ac prædictarum horarum officiis intereſſent, centum dies ſingulis octavæ ipſius diebus de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſus de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxavit.* Et infra.

Indulgentiæ eo die propoſitæ.

*Univerſos patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, & alios eccleſiarum prælatos monemus & hortamur in Domino, per apoſtolica eis ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandantes, & in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus tam glorioſum feſtum & celebre annis ſingulis ſexto nonas julii, ut præfertur, devote ac ſolemniter celebrent, ac jejunium vigiliæ hujuſmodi ſuadeant in augmentum meriti obſervari, ut faciant per univerſas eccleſias ſuarum civitatum & diœceſum celebrari, & officium peragi ſupradictum, ut pia ejuſdem virginis Mariæ interceſſione ipſi Chriſtifideles, & hic a noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi mereantur, &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum v. idus novembris, pontificatus noſtri anno* I. Auſus eſt quidam Adalbertus vir impius eam celebritatem impugnare, quem Joannes Pragenſis luculento tractatu confutavit (a): at de his poſtea. Ad tertium Urbani ſtatutum memoria celebrandum, producto in medium Gobelino, redimus.

(a) Baron. annot. ad martyrol. Rom. die 2. julii.

IV. De feſto Corporis Chriſti.

*Tertium fuit, quod non obſtante interdicto eccleſiaſtico in feſto Corporis Chriſti poſſint apertis januis eo modo, quo conceſſum eſt per Bonifacium VIII. in quatuor feſtivitatibus, divina celebrari. Et ſic completum eſt iſtud, quod de feſto Corporis Chriſti venerabilis doctor Joannes Andreæ ante annos octuaginta prædixit ſuper Clementina ſi dom. de re & ve. ſanc. in gloſſa ſuper verbo relatum. Inſuper dominus Urbanus adjecit huic gratiæ, quod quicumque ſequuntur Corpus dominicum, quando defertur de eccleſia ad infirmum, & de infirmo ad eccleſiam, illi ſi confeſſi & contriti fuerint centum dies indulgentiarum authoritate apoſtolica conſequentur, & ſuper omnibus his literæ apoſtolicæ per Bonifacium IX. poſt obitum domini Urbani conceſſæ ſunt.* Afferendæ eæ viſæ ſunt ex MS. Vaticano (b) inſcripto formularii nomine, cum hoc anno v. idus novembris fuerint promulgatæ.

(b) Formul. Vatican. ſig. n. 86. circa fin.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ad tollenda tam ſalubris, tamque deifici ſacramenti præcelſa faſtigia devota conſideratione inductus felicis recordationis Urbanus Papa ſextus prædeceſſor noſter, cupiens hoc cœleſte myſterium piæ devotionis reminiſcentia venerari, piæ memoriæ Urbani IV. qui tam admirabili, adorando & præcipuis glorificando laudibus ſacramento ſtatuerat certam diem, videlicet feriam quintam poſt octavam pentecoſtes proxime ſequentem, qua propter quotidianam memoriam, quam de ipſo faciebat, prout facit, Eccleſia ſolemniter & ſpecialiter celebraretur memoria annuatim, & devotæ turbæ fidelium propter hoc ad eccleſias affectuoſe concurrerent, & tam cleri quam populi in cantica laudum & lætitiæ hymnos aſſurgerent congaudentes, ſingulique convenirent voluntate propria, ſua ſtudia laudabiliter exequendo tanti feſti ſolemnia celebrantes, necnon felicis recordationis Clementis V. qui conſtitutionem hujuſmodi Urbani VI. præfati aliis ſuis conſtitutionibus annotari & obſervari præceperat, ac certis notabilibus indulgentiis, quas pro expreſſis haberi volumus, communierat; Romanorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum atque noſtrorum veſtigiis inhærendo, provida per eumdem Urbanum Papam VI. ſuper hoc deliberatione præhabita, ut circa id eo magis Chriſtiana devotio animaretur, & ſuorum excreſceret retributio meritorum, quo devotius atque frequentius ab ea contingeret Sacramenti inſignia hujuſmodi venerari, idem, inquam, Urbanus Papa VI. laudes provide feſtivæ venerationis & gratias ſummæ referens deitati, ad robur & exaltationem catholicæ fidei, de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio in generali conſiſtorio, Romæ in palatio apoſtolico ſexto idus aprilis pontificatus ſui anno XI. ſolemniter celebrato, conſtitutionem felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit* Alma mater, *in ea parte, qua idem Bonifacius prædeceſſor ſtatuerat, quod in natalis Domini, paſchæ, pentecoſtes, & aſſumptionis beatæ Virginis feſtivitatibus in terris & locis eccleſiaſtico ſuppoſitis in-*

*terdicto, campanæ pulſarentur, & januis apertis alta voce divina officia ſolemniter celebrarentur, ad hujuſmodi venerandi Sacramenti feſtum extendit, ſtatuens ut per univerſum orbem in terris & locis Chriſtifidelium ſuppoſitis hujuſmodi interdicto pro tempore in hac ſacra celebritate Sacramenti prædicti, ſicut in quatuor feſtis, contentis in Bonifaciana conſtitutione prædicta, campanæ ſolemniter pulſarentur, & apertis januis alta voce celebraretur, excommunicatis tamen prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis: quibus nihilominus ob reverentiam tantæ celebritatis, & ut ex hoc ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum inclinarentur facilius, ea die participationem divinorum indulſit; ſic tamen quod illi propter quorum exceſſum prolatum fuiſſet interdictum, hujuſmodi altari nullatenus appropinquarent, prout cavetur & indulgetur in conſtitutione Bonifaciana præfata.*

Sublata eo die interdicta.

V.

Piacularis venia Euchariſtiam comitantibus propoſita ab Urb.

*Cæterum idem Urbanus Papa VI. laudabilem conſuetudinem Chriſtifidelium aſſociandi hoc viaticum noſtræ peregrinationis & ineffabile Sacramentum, omni veneratione colendum, quo redimus ad patriam, & ſacerdotem, ad quem pertinet, id debilibus, valetudinariis, carceratis, parturientibus, & infirmis venerabiliter deferentem de eccleſia ad domum, & ad eccleſiam referentem, authoritate apoſtolica approbans, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſus omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, hujuſmodi Euchariſtiæ Sacramentum & ſacerdotem eumdem in eundo & redeundo aſſociantibus, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxavit. Nos igitur qui dicto prædeceſſore Urbano Papa VI. antequam ejus literæ ſuper his conficerentur, ſicut Domino placuit ſublato de medio, divina favente clementia fuimus ad apicem ſummi apoſtolatus aſſumpti, nolentes, quod præmiſſa in oblivionem deveniant, univerſis & ſingulis religioſorum & monaſteriorum prælatis per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus has noſtras literas ac omnia & ſingula in eis contenta quomodocumque ad eorum notitiam pervenerint, infra miſſarum ſolemnia ex tunc ſæpe in eorum eccleſiis & monaſteriis per ſe vel alios eorum populis ſolemniter publicent, & exponant diligentius in vulgari. Occurrant itaque fideles animæ in humilitatis ſpiritu tantæ virtuti, purgent pœnitentia domos, quas inhabitaturus eſt Spiritus Sanctus, qui niſi in humiliato corde non habitat, & uſu depoſito mali in tantorum gratitudine munerum, ac boni ſcientia & in ſolida Dei & proximi dilectione perſiſtant, ut tantis gratificati & ſpiritualiter refecti myſteriis in ſpirituum beatorum conſortio de ipſius divinitatis magnalibus eterna tandem cum Chriſto lætitia glorientur. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum v. idus novembris pontificatus noſtri anno 1.*

Confirmata a Bonif. IX.

VI.

Claromontius in Africam bellum parat. Africæ objacentes Cherchinas inſulas ſubjicere meditatur.

Adjungimus cæteris Urbani geſtis memorabilibus, Manfredum Claromontium Trinacriæ claſſis præfectum, quem una cum aliis proceribus ad expeditionem in Afros concitatum vidimus ab eo popoſciſſe, ut Gerbarum Africæ objacentium imperium ſibi aſſereret, atque ad Cherchinas barbaris eripiendas, jureque fiduciario potiundas auctoritate inſtrueret. Miſſi ſunt eam ob rem oratores, ac publicis tabulis Panormi confectis ampliſſima fulti poteſtate ad agendas cum Urbano pactiones, accipiendumque auguſtioris nominis decus, quod a Pontifice decretum Manfredo fuiſſet: qui profeſſus eſt inter cætera, conferendi earum inſularum imperii jus ad ſedem Apoſtolicam ſpectare; meminerat enim jam ante Rogerium eo beneficio ab eadem ſede exornatum: ſed ad rei inſignis commendationem eaſdem literas (a) adducere lubet.

(a) Ext. apud Urb. l.3. p. 27.

*In nomine Domini. Amen.*

VII.

*Anno dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo octuageſimo octavo menſis januarii die vigeſima nona ejuſdem menſis duodecimæ indictionis pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Urbani divina providente clementia Papæ VI. anno undecimo, ac regnante ſereniſſima domina noſtra domina Maria Dei gratia illuſtri Regina Trinacriæ ac Athenarum & Neopatriæ duciſſa, regni vero ejus anno duodecimo feliciter. Amen. Dominus Manfredus de Claromonte comitatuum Molineti, Claromontis & Mohac dominus regni præfati Trinacriæ, admiratus & vicarius una cum ſociis generalis;* [paucíſque interjectis] *fecit conſtitui & ſolemniter ordinavit ſuos ambaſciatores, ac veros, legitimos, & indubitatos procuratores, actores, factores, & nuncios ſpeciales ad conferendum ſe perſonaliter ad Romanam curiam, & ad præſentiam præfati ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri Urbani VI. ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis eccleſiæ ſummi Pontificis, ac ſacri collegii reverendiſſimorum patrum dominorum Cardinalium, ibique ſupplicandum & humiliter poſtulandum pro dicto magnifico & ſuis heredibus ac ſucceſſoribus utriuſque ſexus in perpetuum donationem liberam, & plenam conceſſionem inſulæ Gerbarum, ac etiam inſulæ Cherchinarum ſeu Ircanarum, & ipſius inſulæ Cherchinarum expugnationem & liberam conquiſitionem & acquiſitionem vi armorum, aut quocumque alio modo habilius & commodius fieri poterunt, auctore Domino, faciendas ſitarum & poſitarum in maribus partium Barbariæ cum omnibus juribus, rationibus, actionibus, pertinentiis, proprietatibus, vaſſallis, redditibus, & ſuis*

Decrevit oratores ad Urb.

Gerbas & Cherchinas ſedis Apoſt. beneficentia ſibi tradi depoſcit.



*ſuis proventibus univerſis, ac cum omnibus & ſingulis annexis & dependentibus ab eiſdem, quoniam idem magnificus conſtituens bene novit & aperta voce fatetur, dictam donationem & conceſſionem præfatarum inſularum ad præfatum dominum noſtrum Papam ejuſque ſucceſſores canonice intrantes, ejuſque collegium ſupradictum pleno jure ſpectare, ac etiam ad petendum & ſuppliciter impetrandum a ſua digniſſima ſanctitate, tam pro dicto magnifico domino conſtituente, quam pro prædictis heredibus & ſucceſſoribus ſuis in perpetuum titulum pro dictis inſulis Gerbarum & Cherchinarum rationabiliter competentem, quo quidem titulo, juxta ordinationem & electionem, ac præfati domini noſtri Papæ ejuſque collegii ſupradicti arbitrium, ſtatuendo idem dominus noſter Papa præfatum dominum Manfredum, heredes, & ſucceſſores ſuos prædictos in perpetuum vocabulis ſacratiſſimi oris ſui titulatos eſſe faciat, & inſignes, & eorum titulo memorati dominus Manfredus, heredes, & ſucceſſores ſui ſe legitime ſcribi facere valeant & notari in eorum privilegiis, literis, & ſcripturis, & quoties opus erit: ac etiam ad obtinendum precibus humilibus & devotis, quod præfati dominus Manfredus conſtituens, heredes, & ſucceſſores ſui in perpetuum eaſdem inſulas Gerbarum & Cherchinarum ab ejus ſanctitate & ſingulis ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus, & ab ipſa ſancta Romana eccleſia & ſede Apoſtolica in capite teneant & cognoſcant, adeo quod dictæ inſulæ Gerbarum & Cherchinarum earumque conceſſio a prædictis domino noſtro Papa ejuſque ſucceſſoribus & ſede Apoſtolica tantum, & immediate dependeant & ab ipſa eccleſia ſancta Dei, nulluſque hominum, prædictis domino noſtro Papa ſuiſque ſucceſſoribus ſingulis, dictaque Romana eccleſia & ſede Apoſtolica dumtaxat exceptis, habeat aut intelligatur habere ſuper eoſdem dominum Manfredum & ſucceſſores ſuos in dictis inſulis principatum: ac etiam ad præſtandum ipſi domino noſtro Papæ pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus & eccleſia ſupradicta, aut commiſſariis ſuis dictæque ſedis Apoſtolicæ & collegio ſupradicto vice & nomine dicti domini Manfredi ejuſque heredum & ſucceſſorum prædictorum in perpetuum, ſicut ſupra pro prædictis inſulis Gerbarum & Cherchinarum homagium, ligium, & fidelitatis debitæ juramentum, prout juris ordo poſtulat & requirit: ac promittendum & obligandum ſtipulatione ſolemni nominibus prædictorum magnifici domini conſtituentis, heredum, & ſucceſſorum ſuorum præfatis domino noſtro Papæ, ſuis ſucceſſoribus, eccleſiæque Romanæ, ſeu ſedi Apoſtolicæ, & collegio ſupradictis pro jure recognitionis prædictarum inſularum eam quantitatem pecuniæ pro cenſu annuo, & cenſus nomine perſolvendam, ad quam dicti procuratores, & nuncii in ſolidum, ſicut ſupra cum eiſdem domino noſtro Papa, ejuſque collegio poterunt melius convenire, quidquid ejuſdem nunciis expedire videbitur, competenter conſideratis & diligenti animadverſione perpenſis magnis laboribus & expenſis, quas dictus magnificus conſtituens in conquiſitione & expugnatione dictæ Gerbarum ſubiit indefeſſe, quaſque ſubjectus eſt in conquiſitione & expugnatione dictæ inſularum Cherchinarum, ac in defenſione & offenſione inſularum prædictarum contra perfidiam barbarorum, &c.* Potitus votis Manfredus videtur, nec repulſam ab Urbano paſſus, cum prædictæ tabulæ regeſto pontificio inſertæ ſint: Cherchinas vero inſulas ab ipſo Genuenſium & Venetorum ope expugnatas, indicat S. Antoninus (a) cum ſuperiori anno Gerba inſula ſubacta fuiſſet. [1]

Donationis jus ſpectare ad Chriſti vicarium agnoſcit.

Fiduciarii principis obſequia profitetur.



Cherchinæ inſulæ ereptæ Afris.

(a) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 15. & Hector. Pignat. in MS. Diar. Neap.*

VIII.

Patrimonium B. Petri copiis vexatum.

Quod ad alia Urbani geſta ſpectat; non parum in retundendis molitionibus antipapæ, qui omni arte ac furoris apparatu turbare ditionem pontificiam contendebat, deſudandum fuit. Submiſerat jam ille in Patrimonium B. Petri non exiguam Britonum & Vaſconum manum, qui populationibus provinciam vexabant: ad quorum reprimendas excurſiones Urbanus Antonium Gualdum ineundæ cum Senenſibus armorum ſocietati præfecit (b).

(b) *Urb. l. 2. ep. cur. p. 164.*

*Antonio de Gualdo canonico Nucerino, &c.*

*Cum prout rei experientia docet, & ipſa rei notorietas manifeſtat, nonnulli qui magis latrunculorum quam nomine virorum merentur, & quos Britones, ut Vaſcones vulgus appellat, & quos nimirum congregavit immanitas ſub ducatu perditionis filiorum Bernardi de la Sala & Bernardoni circumquaque diſcurrentes, & etiam iniquitatis alumni Roberti olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyteri Cardinalis nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominat, complices, & ſequaces nonnullas terras & loca ejuſdem eccleſiæ* (nempe Romanæ) *in provincia noſtra B. Petri in Tuſcia conſiſtentes, occupaverint jamdiu, & detinent occupata, & nihilominus tam*

Præcipui eorum duces.



NOTÆ [1] DE Cherchinis inſulis hoc anno a Manfredo Claromontano expugnatis ope Genuenſium & Venetorum an vera tradat S. Antoninus, & ex eo Annaliſta, ambigo. Nam qui tunc Annales Genuenſes ſcribebat Georgius Stella, notat ea claſſe, quæ anno iſto comparata fuit, *nihil valuerunt de terris Regis ipſius* (Tuneti) *acquirere*. MANSI

*iam per eandem provinciam, quam etiam per dilectorum filiorum priorum, gubernatorum, communis, & populi civitatis Senenſis, & aliorum noſtrorum fidelium, & ipſius eccleſiæ devotorum territoria hoſtiliter debacchantur, tam ſubditis noſtris quam incolis territoriorum ipſorum in rebus & perſonis plurima damna ſæpius inferendo: nos attendentes, quod noſtra permaxime intereſt ſuper iis de opportuno remedio providere;* & infra; *diſcretioni tuæ, de qua in iis & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, noſtro & ipſius eccleſiæ nomine cum eiſdem prioribus, gubernatoribus, communi, & populo, & etiam univerſitatibus & perſonis aliis, nobis tamen & eidem eccleſiæ fidelibus, de quibus tibi videbitur unionem, confœderationem, ſeu ligam contra eoſdem Britones ſeu Vaſcones & dantes eis conſilium, auxilium, vel favorem; & etiam alios ad illud tempus & cum illis conditionibus, pactis, modis, formis, & cautelis, de quibus tibi viſum fuerit expedire, & prout in ſimilibus cum nomine ejuſdem eccleſiæ unio, confœderatio, ſeu liga cum aliis firmata fuit, ut eſt fieri conſuetum,* & infra, *plenam & liberam tenore præſentium authoritate apoſtolica concedimus poteſtatem, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* XII. *Kal. julii, pontificatus noſtri anno* XII.

In eos Urb. ſocietatem armorum init cum Senenſib.

IX. Pileus anticardinalis ab antipapa in Etruriam miſſus:

(a) Ext. in Clem. antip. regeſt. plures ea de re tit.

(b) Urb. l.3. ep. cur. p. 46. & reg. poſt eand. ep.

Auxit poſtea novarum rerum terrorem Pileus Ravennas ſchiſmaticus ab antipapa IV. non. maii ſuperioris anni creatus in Italia pſeudolegatus, qui magno in Urbanum odio ob præteritas ſimultates ardebat, valebatque aſtu, & ſcelere concitarat de ſe apud antipapam ſpes, eum Etruſcos facile illaqueaturum: cujus acre ingenium veritus Urbanus Lucanos, Florentinos, Piſanos, ac Peruſinos gravibus (b) literis monuit, ut illius caverent inſidias, veteres cenſuras in eum ac cæteros ipſi adhæſuros diſtrinxit; ac denique ſacrum in eum bellum, dato crucis ſymbolo, propoſitiſque indulgentiis indixit.

*Dilectis filiis prioribus artium, vexillifero juſtitiæ, & communis civitatis Florentinæ.*

Urbani in eum edicta.

*Dudum contra filium iniquitatis Pileum de Prata olim epiſcopum Tuſculanum, ſuis gravibus culpis & demeritis exigentibus, de fratrum noſtrorum conſilio authoritate apoſtolica rite, & legitime procedentes, inter cætera eum omni cardinalatus eccleſiæ Romanæ commodo & honore, & omnibus dignitatibus, perſonatibus & officiis, ac beneficiis eccleſiaſticis, quæ quomodolibet obtinebat, & omnibus feudis, bonis mobilibus & immobilibus ac juribus ad eum quomodolibet pertinentibus depoſuimus, privavimus, & ab illis amovimus, ac ipſum declaravimus eſſe perjurum & criminis læſæ majeſtatis reum, & hæreticum & ſchiſmaticum, & tanquam hæreticum & ſchiſmaticum puniendum, ipſiuſque perſonam ubique deteſtabilem & infamem expoſuimus Chriſtifidelibus capiendam.* Et infra. *Volumus inſuper quod omnes & ſinguli Chriſtifideles, qui crucis aſſumpto charactere ad prædicti Pilei ac receptatorum, fautorum, defenſorum & ſequacium ejuſdem exterminium ſe accingerent, & illos pro poſſe perſequerentur, illa gauderent indulgentia, illiſque privilegiis eſſent muniti, quæ accedentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium conceduntur.*

Propoſitæ in perſequentes Pileum & ſectatores indulgentiæ.

*Cum autem, ſicut accepimus, præfatus Pileus nuper ad partes Tuſciæ perſonaliter ſe contulerit, & in illis degat de præſenti, devotionem veſtram attente requirimus & monemus quatenus, ut participes eſſe mereamini indulgentiæ ſupradictæ, ad captionem dicti Pilei ejuſque fautorum, receptatorum, defenſorum & ſequacium adhibere velitis opem & operam efficaces, & nihilominus commiſſariis per vos ad id deputatis, ac etiam inquiſitoribus hæreticæ pravitatis circa hujuſmodi captionem & defenſionem Pilei ac fautorum, receptatorum, defenſorum, & ſequacium prædictorum optima præbeatis auxilia, conſilia, & favores, ſcituri quod ſi forſan, quod abſit, ſecus veſtri culpa, vel cauſa fieret in præmiſſis, prædictas pœnas, & ſententias merito poteritis formidare. Dat. Romæ apud S. Petrum* VIII. *kal. ſeptembris, pontificatus noſtri anno* XII.

(c) Reg. poſt eand. ep.

(d) Ib. p. 48.

Conceptæ ſunt ad alios Etruriæ populos eadem forma verborum literæ (c), atque etiam univerſi præſules, ut eum comprehenderent concitati (d). Repreſſas vero fuiſſe Pilei in Urbanum molitiones, cum Florentinos promiſſis ingentibus ſubornare niteretur, præcipua Angeli Acciaioli epiſcopi Florentini virtute & conſtantia, teſtatur ſubjectis verbis S. Antoninus (e): *Cardinalis Ravennas a Clemente deſtinatus fuit Florentiam quærens multis promiſſionibus Florentinos avertere ab obedientia Urbani, & non valuit: nam cum Urbano erat dominus Angelus de Acciaiolis, ab eo factus epiſcopus Florentinus & poſtea Cardinalis, qui per ſuos amicos & conſanguineos in civitate potentes defendebat partes Urbani, demum Cardinalis Ravennas, collectis copiis bellatorum cum pecuniis ſibi ab antipapa tranſmiſſis profectus eſt ad Urbem veterem & junctus in fœdere cum domino Raynaldo Urſinate bella movens diſcurrebat hoſtiliter contra terras, quas poſſidebat Urbanus.* Sed cum ipſe Pileus impetus ſuos pontificiorum virtute deludi videret, in patriarchatum Aquilejenſem, ut coortas in eo turbas augeret, irrepſit: de quo comprehendendo datæ ab Urbano literæ ad Philippum Alenconium (f) patriarcham Cardinalem. Ut vero Pileus poſt obitum Urbani, cujus odio & metu in ſchiſma ſe conjecerat,

(e) Ant. 3. p. tit. 2. §. 84.

Angel. Acciajolus Pilei conatus elidit.

Pilei excurſiones variæ.

(f) Lib. 2. p. 255.



rat, redierit ad Eccleſiæ gremium, inferius dicetur.

X. Urbanum vero hoc [1] anno nimirum lapſo poſt hæc exiguo temporis intervallo, diem obiiſſe ſcribunt Theodoricus e Niem (a), & Gobelinus (b) ejus temporis authores; quorum poſtremus ipſum in Sacello baſilicæ S. Petri divo Andreæ ſacro ſepultum, ac deinde honorificentiori tumulo in ipſa baſilica mandatum, narrat: a quo etiam epitaphium impoſito carmine inſcriptum eſt. Affertur etiam a Summontio epitaphium aliud, quod ejuſdem Pontificis egregio ſigno in Prignano ſacello poſito, inſculptum eſt, in quo mortis ejus tempus III. idus octobris conſignatur: ſed alii melius ad ipſas idus id referunt, quibus encyclicæ Cardinalium literæ (c) ad præſules, Reges, principes, populoſque catholicos XVII. Kal. novembris datæ conſentiunt, dum heſterna die, quæ fuit idibus octobris obiiſſe teſtantur.

(a) Theod. e Niem. l. 1. c. 69.

Urbanus veneno extinctus putatur.

(b) Gobelin. in Coſmod. æt. 6. c. 81.

(c) Ext. l. 3. Urb. p. 64. &c.

Quo die obierit.

*Excellenti & magnifico principi chariſſimo ſanctæ Romanæ eccleſiæ filio domino Vvenceſlao Romanorum & Bohemiæ Regi illuſtri, miſeratione divina epiſcopi, presbyteri, & diaconi ejuſdem eccleſiæ Cardinales ſalutem in Domino.*

Cardd. de Urbani obitu lit.

*Superveniens heſterna die judicio divino & naturali curſu labilis vitæ tranſitus felicis recordationis domini Urbani, Papæ VI. benigniſſimi patris & domini noſtri, mentibus noſtris amaritudinis calicem propinavit, de quo admixta ſolicitudine pro debito ſenſualitatis anxietatem & mœrorem potavimus & potamus, utpote tanti patris directione & præſidiis deſtituti, quod celſitudini regiæ ſerie præſentium intimamus. Verumtamen cum ad nos dumtaxat una cum fratribus noſtris abſentibus, ſi adeſſent, pertineat ſtatui univerſalis Eccleſiæ providere, ad quam quidem proviſionem cum gratia Sancti Spiritus, Deo dante, prout jura dictant, congruo modo, loco, & tempore procedemus, celſitudinem Regiam attente requirimus, monemus, hortamur, & obſecramus in domino Jeſu Chriſto, quatenus excellentia regia una cum proceribus & populis ſuæ ditioni ſubjectis humiles ad Deum & ſedulas preces fundat, aliis pietatis & miſericordiæ operibus inſiſtendo, ut ſi quid ipſe Dominus noſter pro fragilitate imbecillitatis humanæ, dum præſens vita ejus vegetavit artus, reatus contraxit, illud pie ſibi remittat, & eum collocet cum electis, & nos rore ſuæ benedictionis aſpergat, nobiſque concedat in talem virum pro regimine Eccleſiæ ſanctæ Dei unanimiter dirigere vota noſtra, quod ſit ad Dei laudem & ad reſtaurationem, unitatem & bonum ſtatum dictæ Eccleſiæ & reipublicæ, ac propagationem & exaltationem fidei ſacroſanctæ. Datum Romæ apud S. Petrum ſub ſigillis trium ex nobis ſuorum Ordinum priorum* XVII. *kal. novembris apoſtolica ſede vacante.*

Tranſmiſere Cardinales iiſdem verbis conceptas literas ad Joannem Luſitaniæ, Sigiſmundum Hungariæ, Richardum Angliæ Reges, Margaretam Reginam Norvegiæ, Antonium Venerium Venetorum, & Antoniotum Adurnum Genuenſium duces, Florentinos, Piſanos, Galeatium e Vicecomitibus, Virtutum comitem, Edmundum Eboracenſem, Othonem Brunſvicenſem, Fredericum, Stephanum Joannem Albertum Bavariæ, Albertum Auſtriæ duces, ac plures alios proceres, tum ad archiepiſcopos & ſuffraganeos epiſcopos, quorum longior texitur catalogus (d), in quibus hæc adjecta ad archiepiſcopum Treverenſem datis: *Sinceritatem veſtram attente requirimus & monemus, quatenus veſtrum ſinguli propriis clero & populo ad eccleſiam convocatis pro memoria dicti domini noſtri exequias funebres, ut moris eſt, ſolemniter celebretis, & ad Deum humiles & ſedulas fundatis preces, ut ſi quid ipſe dominus noſter pro fragilitate imbecillitatis humanæ, dum præſens vita ejus corporis vegetaret artus, reatus contraxerit, illud pie ſibi remittat.*

(d) Reg. poſt eand. ep.

Exequiæ in totius orbis eccleſiis celebrari conſuetæ pro Pontif.

Quod ad ſedis Urbani tempus ſpectat, cum is deſignatus (e) fuerit Pontifex anno MCCCLXXVIII. octava die aprilis, obie- XI.

(e) To. 3. de ſchiſm. p. 219.

NOTÆ [1] URbanus VI. hoc anno, menſe & die in Annalibus indicato, mortalem vitam abſolvit, quem ſicut durioris indolis rigor in ſolium merito extulit, ita & parum abfuit, quin nec prorſus immerito deturbaret. Virtutes pro homine privato multas, pro principe pauciores habuit, quas utraque Annaliſta juſto pondere librat. Succeſſit in regimine Eccleſiæ Bonifacius IX. quem die II. Novembris electum e MS. Codice Papebrochius in Propil. ad Acta SS. aſſerit, & Sozomenus in Hiſtor. Piſtor. ad hunc annum confirmat. Coronam ſolemni ritu accepiſſe die feſto S. Martini ſcribit Theodoricus Niemius, ſed huic ceremoniæ diem V. Idus Novembris alii aſſignant, quod poſterius teſtimonium priori præfert Pagius in breviario, cum dies illa Novembris ſolemnis Romæ haberetur, recurrente feſto dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum; atque inſuper ſtatim poſt coronam adeptam indulgentias ab Urbano decretas pro comitantibus Sacram Euchariſtiam cum ad ægrotos deferretur confirmavit, teſte Gobelino in coſmod. æt. 6. cap. 81. Literæ vero pontificiæ in eam rem ſcriptæ conſignantur die v. Idus Novembris Pontificatus anno primo; ut in Annalibus hic num. 4. legimus. Igitur ea ipſa die pontificiam coronam jam obtinuerat; neque enim in alterum annum hanc pontificiam ſanctionem referendam patitur Gobelinus, qui ſtatim id a Pontifice diademate jam ornato ſancitum affirmat. MANSI.

obierit vero idibus octobris, ipſum annos undecim menſes ſex, dies ſeptem ſediſſe dicendum eſt. Refert Krantzius (a) objecta cœleſti ſpecie pio monacho dictum fuiſſe: *Urbanus eſt verus Papa & ſponſus Eccleſiæ, ſed in regimine ſuo tenebit modum ſine modo*. Cum vero Urbanus ſtirpis ſuæ principatibus & divitiis cumulandæ ſtudio multa præter Pontificum morem manſuetudinemque geſſiſſet, mirum extitit illam funeſto & violento exitu fuiſſe brevi conſumptam (b).

(a) *Crantzius l.* 10. *metrop. c.* 13.

(b) *Theod. e Niem. l.* 2. *c.* 31.

XII. Vita functo Urbano juſtiſque ei de more perſolutis Petrus, vulgo Perinus Thomacellus Cardinalis, Neapolitanus nuncupatus, magno Cardinalium conſenſu ad pontificatum evectus eſt, qui Bonifacii nomen ſumpſit, de cujus creatione hæc tradit Theodoricus e Niem (c): *Defuncto Urbano, ut præfertur, in urbe in palatio apoſtolico prope baſilicam principis Apoſtolorum ac ejus corpore tradito ſepulturæ, Cardinales de ipſius obedientia tam illi qui in Roma præſentes, quam alii, qui tunc in propinquis provinciis erant, pro celebranda electione futuri pontificis in urbe convenientes, Petrum de Thomacellis in Papam elegerunt: quo electo infra horam prandii publicabatur ejus electio, & ſtatim concurrentibus illic ad palatium multis Romanis ac curialibus ipſum ad majus altare in baſilica principis Apoſtolorum more ſolito trahebant: quo facto, cum ad palatium rediret obviantibus & congratulantibus ſibi omnibus, una ſententia reſpondebat dicens: Gaudium meum gaudium veſtrum eſt. Deinde in feſto S. Martini ſuæ coronationis recepit inſignia, & dum ad eccleſiam S. Joannis Lateranenſis progrederetur per urbem iter agendo, non multum honoriſice comitatus propter vehementes imbres per plures horas ejus diei decidentes Bonifacius parum curare præ magno gaudio videbatur. Hic erat magnæ ſeu proceræ ſtaturæ, ac decorus facie, nec non presbyter, natione Neapolitanus*, &c. Subdit ipſum tunc temporis quadrageſimum quintum ætatis annum attigiſſe: ſunt tamen qui trigeſimum tertium, alii trigeſimum non egreſſum ſcribant; ajuntque tanta caſtitatis laude enituiſſe in corruptiori illa ætate, ut nulla ei labes aſpergi poſſet, ac ſenilem temperantiam in juventute præferret. Cæterum Gobelinus (d) ipſum v. id. novembris hujus anni, pontificia tiara redimitum ſcribit, de rebus autem ineunte pontificatu geſtis addit.

(c) *Theod. e Niem. l.*2. *c.*6.

Petrus Thomacellus creatus Pontifex.

Die S. Martini corona redimitus.

Ejus patria.

Caſtitatis laude excelluit.

(d) *Gobel. in Coſmodrom. æt.* 6. *c.*81.

XIII. *Et ſtatim confirmavit ea, quæ dominus Urbanus ſtatuit de reductione anni jubilei de quinquageſimo ad trigeſimum tertium annum, & de feſto viſitationis B. Mariæ Virginis, ac de feſto Corporis Chriſti, necnon de indulgentiis ſequentibus Corpus Chriſti quando defertur ad infirmum*. Subiicit illum humanitate uſum in Cardinales exauctoratos, magnaque in politicis rebus gerendis prudentia; unde collapſam in Urbano auctoritatem aſſeruit: *Caſtrum*, inquit, *S. Angeli quod a Romanis in magna parte deſtructum fuit, pro eo quod ex ipſo maxima damna ſubſtinuerunt Romani in principiis ſchiſmatis ab illis, qui de parte antipapæ fuerunt, & qui ultra annum in eodem a Romanis obſeſſi ipſum fame coacti reddiderunt, iſte Bonifacius magnifice reformavit. Item comitem Fundorum, qui principium ſchiſmatis ſtabilivit penitus exterminavit: & ipſe Romanis non ſolum ut Papa, ſed tanquam rigidus imperator dominabatur; multos quidem eorum ſibi ſuſpectos de infidelitate per juſtitiarios ſuos fecit occidi: capitolium & palatium ſuum fortius munivit, nec fuit ante eum quiſquam Romanorum Pontificum, qui talem poteſtatem temporalem Romæ, & in patrimonio S. Petri exercuiße legatur*.

Prudentia Bonifacii.

Arcem Torianam inſtaurat,

Romanos ſubigit.

Hoc anno XVIII. decembris auxit Cardinalium collegium Bonifacius, ac presbyteros quatuor Cardinales creavit (e), nimirum Henricum e Minutulis archiepiſcopum Neapolitanum tit. S. Anaſtaſiæ, Bartholomeum de Vliariis ordinis Minorum Florentinum epiſcopum tit. S. Pudentianæ, Coſmatum e Melioratis epiſcopum Bononienſem, qui poſtea in pontificatu Innocentii VII. nomen ſibi aſcivit, tit. S. Crucis in Jeruſalem, Chriſtophorum e Maronibus epiſcopum Iſernienſem tit. S. Cyriaci in thermis. Reſtituit etiam cardinalitiæ dignitati tres ab Urbano VI. exauctoratos Adamum Anglum epiſcopum Londinenſem, cui priorem titulum S. Cæciliæ contulit, Bartholomæum Mezzavaccam epiſcopum Reatinum, quem presbyterum tit. S. Martini in montibus renuntiavit, ac Landulphum e Maramauris deſignatum archiepiſcopum Barenſem, quem diaconum S. Nicolai in carcere Tulliano creavit. Cæterum Gobelinus (f) de Adamo Cardinale Anglo meminit, additque pariter Pileum [1] Ravennatem Cardinalitio jure donaſſe, quare Pileum trium pileorum nuncupatum ferunt, cum primum ab Urbano, deinde ob acerbitatem Urbani in deſpera-

(e) *Felix Contelor. in Boniſac. IX. ex lib. obligation. Ciaccon. in eod. Bonif.*

Cardinales creati hoc anno a Bonif. Reſtituti priſtinæ dignitati.

(f) *Gobelin. ubi ſup.*

NOTÆ [1] Pilei Cardinalis reditum ad Pontificem, ejuſque in ſacra dignitate redintegrationem cum anno iſto componit Annaliſta, cui & Oldoinus in additionibus ad Ciaconium conſentit. Verum Sozomenus eorum temporum fere æqualis annum reſtitutionis Pilei biennio protrahit, Ravennatenſem enim (ita quippe appellabatur) honori ſacræ purpuræ reſtitutum anno 1391. affirmat. Cui & Ciaconius cohæret. MANSI



tionem actus ab antipapa, iterumque a Bonifacio pileum cardinalitium accepiſſet. Addit iis Ciacconius Petrum de Tartaris Romanum monachum ordinis montis Oliveti, quem ait, creatum fuiſſe a Gregorio XI. & ab Urbano VI. veluti conjuratorum participem dignitate depulſum, ſed ex dictis a nobis, tum luculenter a Felice Contelorio refellitur cum in publicis tabulis nulla ejus mentio reperiatur.

XIV. Non puduit pervicacem antipapam Avenionenſem in Bonifacium conſurgere, & cenſuras futiles illi intentare in hoc illius pontificatus exordio, tantoque apud ſuos tumebat faſtu, ut Carolus Francorum Rex ipſum hoc anno convenerit, adduxeritque Ludovicum Andegavenſem, quem antipapa Sicula, ut contendebat, corona redimivit, quod geſtorum ejuſdem antipapæ ſcriptor (a) ſubjectis verbis enarrat: *Anno Domini MCCCLXXXIX. memoratus Rex Franciæ venit Avenionem ad dictum Clementem penultima die menſis octobris, fuitque receptus multum ſolemniter, prout decebat, tam per Papam prædictum, quam totam curiam ſuam. Venit etiam cum ipſo Ludovicus dux Turonenſis frater ſuus una cum aliis quampluribus notabilibus & magnis viris. Die autem feſti omnium ſanctorum, quod illo anno occurrit feria ſecunda, dictus Clemens coronavit in Regem Siciliæ Ludovicum juniorem filium alterius Ludovici, qui, ut ſupra recitatum eſt, per antea in Apulia expiraverat præfato Carolo Rege Francorum aſſiſtente: qui etiam cum humilitate debita pro tunc fudit aquam manibus Papæ prædicti miſſarum ſolemnia celebrantis*.

Antipapa in eum cenſuras flagitio promulgat. Ludovicum Andegavenſem Regem inungit.

(a) *Clem. antip. vit. ſcript. apud Boſq.*

Delatus illi honor a Gallo Rege.

XV. Edidit hoc anno MCCCLXXXIX. Aquis in Provincia Joannes e Monteſono [1] theologus ordinis Prædicatorum egregium opuſculum (b) adverſus ſchiſmaticos, quod ab iis verbis ducit exordium: *Noviſſime vero omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi*, paucíſque interjectis ſubdit: *Et qualis quantus ſum, ut tanto Chriſti Apoſtolo me audeam comparare? Verumtamen & ſi merita diſſimilia, factum vero ſimile comprobatur, ut æmulator exiſtens paternalium Cardinalium traditionum abnegantium dominum Urbanum VI. eſſe Papam, ſupra multos meos coætaneos, contra eundem, nunquam tamen re vera defuit ſcrupulus conſcientiæ, de quo in multis diſſimulans atque pertranſiens in ſecreto orationis meæ aures Dei ſæpius propulſavi, ut ſi in ipſis factis Eccleſiæ, dictis hominum errare potentium licet non volentium innitebar & errorem ſequebar: veritatem dignaretur mihi & Eccleſiæ deſolatæ oſtendere pius pater*. Aggreditur (c) dein probare Urbanum, etſi urgente metu, liberis Cardinalium votis creatum Pontificem, ex ipſis ſchiſmaticorum dictis. In tertia parte opuſculi hanc ſententiam fuſe probat (d): *Dominis Cardinalibus judicantibus diffinitive electionem Papæ cujuſcumque fuiſſe nullam vel invalidam, & hoc denuntiantibus Chriſtifidelibus credere in hoc eis nullus fidelium obligatur. Iſta concluſio ex præcedentibus ſatis patet; miniſtris Eccleſiæ obligamur credere in quibus ſunt miniſtri. Igitur eis credere non obligatur populus Chriſtianus, patet conſequentia, quia in hoc non ſunt miniſtri*. Demum refellit adverſariorum argumenta, quorum hæc præcipua ſunt: *Veriſimiliter dicitur eſſe credendum illud, quod per tantos & tales viros, ſicut ſunt Cardinales, & concorditer & perſeveranter per eos dicitur, maxime ubi eſt periculum animarum eorum & totius Eccleſiæ, ſed omnes prædicti domini concorditer dicunt dictum dominum Urbanum non eſſe Papam, & dictum qui ſe Clementem nominat eſſe Papam. Igitur hoc videtur eſſe credendum a populo Chriſtiano: & hæc ratio alias fecit me præcipitare in errorem prædictum. Ad quam reſpondeo ſic: ad majorem quod ipſa eſt dubitanda, quia non eſt argumentum: Omnes majores Eccleſiæ, ſcilicet prælati & eorum conſilium, determinant unum: Igitur illud eſt verum & credendum; nam contra primam veritatem omnes principes ſacerdotum & ſeniores, & omne conſilium eorum convenerunt, & eundem condemnaverunt, ſicut patet Matth. XXVI*.

(b) *Ext. l.* 1. *de ſchiſm. p.* 135. *in biblioth. Card. Barber. & in alio ſign. n.* 2304.

Joannes e Monteſono ſcribit in antip.

(c) *In proœm.*

(d) *Cap.*4.

Ut fide indigni fuerint Galli Card.

XVI. Adjungit aliud ſchiſmaticorum argumentum: *Non videtur veriſimile, quod ubi examinatio conſilii facta eſt, quæ quaſi æquipollet uni concilio generali, non reperiatur veritas unius facti, ſed ſereniſſimus princeps dominus Joannes Dei gratia Rex Caſtellæ ſuper facto hujus ſchiſmatis fecit diligentem examinationem tam de his, quæ ſtant in jure, quam audiendo partes publice & private; & tamen determinavit dictum dominum Urbanum non eſſe verum*

NOTÆ [1] JOannes a Monteſono, cujus Annaliſta hic meminit, idem eſt Joannes ex ordine Prædicatorum, cujus opiniones Pariſienſis Academiæ Theologi cenſura inuſſerant, qua de re egimus in Nota ad A. 1387. 10. Primo quidem ille ad Clementem Pontificem appellaverat, cujus juſſu prohibitus fuit ſub anathemate ne ante latam ſententiam ab aula diſcederet. Sed juſſis non obtemperans, hoc ipſo anno ineunte, die XXVII. Januarii indict. XII. publico anathemate damnatus fuit edicto ea ipſa die lato ac promulgato, quod integrum recitat Baluzius in collect. Actor. Veter. ad vitas Papar. Avenion. num. CCXXIX. Ex iis vero quæ hic in annalibus recitantur, diſcimus facta a Clemente ſeceſſione ad Urbanum transfugiſſe, eumque ut ſibi demereret ſcripta apologia defendiſſe.

*rum Papam, ſed potius dictum Clementem. Igitur videtur veriſimile, quod dictus Clement ſit Papa, & non dictus dominus Urbanus. Reſpondeo dimittendo motiva, quæ communiter allegantur, quare talis deliberatio ejus fuit: ſed venio ad facti qualitatem, de qua eſt ſermo, & dico duo: primum quod cum reverentia ſua, ipſe non potuit de jure facere dictam definitionem, nec judicium ejus pro eo, quia nullus mortalium hæc poteſt judicare niſi Papa, vel cui ipſe ſe ſubmitteret ſive eſſet Papa de jure, ſive de facto ſolum, ut ſuperius eſt oſtenſum: Secundum, quod dico cum reverentia dicti principis, ſuique conſilii eſt, quod determinatio eorum, nec motivum determinationis fuit vera: motivum enim fuit, quod per metum dicti domini elegerant, quod electio Papæ per metum facta non eſt libera nec valida. Hoc autem falſum eſſe oſtenſum eſt ſupra nec in toto corpore juris reperietur hoc quod dicitur per eoſdem eſſe verum:* Et infra.

De Caſtellæ Regis ſententia.

*Præterea metum dominorum Cardinalium oſtenſum eſt fuiſſe metum inconſtantis, qui non aufert ab actu elicito libertatem, nec datur actio, nec fit reſtitutio metus cauſa.* Et infra: *Attendamus primo quid eſt ablatum dominis Cardinalibus: libertas? Non, quia illa illibata eis remanſit, ut oſtenſum eſt. Item ad quam ſervitutem ipſi ſunt redacti, quod eligant Papam? Item hoc jus propoſitum non eſt eorum ſed eccleſiæ, niſi velint eſſe de numero eorum qui dixerunt: Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei in pſal. Eccleſia vero non eſt in ſervitute, electo Papa, immo eſt in libertate & in ſua perfectione ac integritate, & ipſi domini ſunt proviſores & miniſtri iſtius perfectionis Eccleſiæ extra de elect. ubi majus lib. 6. in c. ne Romani in Cle. Hanc autem perfectionem libertatem ac integritatem Eccleſiæ habet, undecumque de ſuis filiis Papa eligatur, & tunc habet ſponſum, caput, & paſtorem. Ergo ſi Eccleſia per eorum proviſionem, licet per metum factam, perficiatur & integretur, non eſt detruncanda, nec perfectione ſua ſpolianda. Item ſi talis reſtitutio fieret, non eſt abſque maximo damno Eccleſiæ & communitatis, & ideo talis reſtitutio nec fieri poteſt nec debet; unde fortem metum inferentes eſſent aliter puniendi: ſed nullo modo per reſtitutionem illam, quam petunt.* Et infra: *Præterea eſſet præſtare materiam ſchiſmatum omni die, quod eſt deſtructivum unitatis Eccleſiæ, & ideo talis reſtitutio nullatenus poteſt peti.*

XVII. Alii ejuſdem adverſus ſchiſmaticos commentarii.

Egregium alium commentarium compoſuit idem Joannes e Monteſono inſcriptum: *Correptorium contra epiſtolam fundamenti ſchiſmatis*. Diſtinguit eam anticardinalium epiſtolam in ſeptem partes, primam in ſalute impertita; ſecundam in præfatione collocat, in quibus non immoror, tertiam in narratione, in qua multa falſa expreſſe, alia tacite vera, alia æquivoca & dubia, alia repugnantia obſervat: atque in primis Cardinalem Ambianenſem electioni interfuiſſe falſum oſtendit, addita hac Ambroſii ſententia lib. de Paradiſo cap. 54. & habetur 3. q. 8. *Pura ac ſimplex teſtimonii ſeries intimanda eſt, plerumque teſtis dum ad ſeriem geſtorum aliquid ex ſuo addicit, ſcilicet falſum dicendo, totam teſtimonii fidem partis mendacio decolorat*. Quarta (a) perduellium Cardinalium epiſtolæ pars, concluſio eſt & temeraria denuntiatio, Urbanum eſſe intruſum. Contra quam author triginta concluſiones opponit, ex quibus præcipuas decerpimus: *Oſtium, quo intratur in papatum ſeu in poteſtatem papalem eſt canonica, & concors electio, inthronizatio vel coronatio dominorum Cardinalium eccleſiæ Romanæ id eſt facta per eoſdem circa perſonam ad papatum utique aſſumendum: per hoc oſtium ſi quis intrat, paſtor eſt ovium; & qui per iſtud non intrat, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Jo. 10.*

Falſitates adhibiti.

(a) Cap. 12.

Schiſmaticorum ex falſis principiis concluſio evertitur triginta propoſitionibus.

*Metus interveniens Cardinalium ſede vacante, quo allegarent ſe ſine metu non poſſe eligere, non poteſt ab ipſis Cardinalibus judicari. Cardinales non poſſunt judicare nec judices eſſe metus intercidentis electionem, & poſt hoc coronationem & introductionem in poſſeſſionem poteſtatis papalis de perſona per eos electa & coronata: patet per locum a majori. Item quia nullam habent juriſdictionem hoc faciendi ſede vacante. Item quia ſedes nec electio a nullo poteſt judicari niſi a Deo, ut dictum eſt, Cardinales non poſſunt judicare nec judices eſſe electionis Papæ factæ per metum. Electio domini Urbani VI. facta per Cardinales ſecundum formam c. licet, ac conſenſus ejuſdem ſuperveniens, necnon inthronizatio atque coronatio, ac obedientiæ exhibitio factæ per dictos Cardinales, poſito, ſed non conceſſo, quod factæ fuerint metu & cauſa metus intercecedentibus, omni jure eſt & fuit valida, & ad conferendam poteſtatem papalem fuerunt validi dicti actus.* Hanc propoſitionem Silveſtri, Victoris II. Leonis IX. Benedicti X. Damaſi II. Honorii II. aliorumque exemplis, Romanæque eccleſiæ conſuetudine comprobat; paucïſque interjectis ſubdit: *Dicere quod electio ſit facta per impreſſionem implicat in ſe manifeſtiſſimam repugnantiam, quoniam violentia abſoluta dicit totum actum a principio extrinſeco, electio vero dicit actum a principio intrinſeco. Quod populo Romano exiſtente in platea S. Petri & extra conclave, & Cardinalibus exiſtentibus in conclavi bene cuſtoditis ad eligendum Papam, & quod per impreſſionem factam a dicto populo ipſi elegerunt in Papam dictum Bartholomæum in eodem conclavi, includit manifeſtam repugnantiam.*

Cardinales non potuere eſſe judices.

Demonſtratur non fuiſſe impreſſionem.

Nec eſſe notoriam.

*Quod impoſſibile eſt, quod Cardinalibus exiſtentibus in conclavi impreſſio, quam allegant in hac epiſtola, fuerit notoria toti clero & populo, ut confingunt. Poſito quod impreſſio intervenerit in electione domini Urbani VI. [quod non credo] in coronatione vero eſt notorium, quod non intervenit, & ſic per conſenſum expreſſum in ipſa coronatione eſſet utique verus Papa. Et ſi in coronatione dicti Urbani VI. nullus conſenſus fuit Cardinalium, ut ſibi acquireretur aliquod jus in papatu, ſola tamen expreſſio conſenſus facta per coronationem, & nulla facta proteſtatione, vel aliquo alio ſigno manifeſtante dictam carentiam conſenſus, dicta expreſſio coronationis eundem faceret verum Papam. Poſito quod poſſit calumniari immediate præcedens concluſio, quod rationabiliter non poſſet, purgaretur tamen electio atque coronatio dicti Urbani per actum dominorum Cardinalium, ſcilicet S. Petri & de Luna, qui pure elegerunt atque coronaverunt eundem in papatu & conſenſum ſine metu in eiſdem actibus præbuerunt.* Hoc probat author ratione, quod cæteri, ſingendo, ſe jure eligendi privarent, quod in hos recideret, veluti ſi contingeret ipſos morte extingui; hos autem aſſenſiſſe ex eorum teſtimonio probat his verbis:

Non interceſſiſſe in coronatione.

*Dominus S. Petri confeſſus eſt ſe vere & pure dictos actus exercuiſſe, & ſimiliter dominus de Luna coram multis perſonis, & maxime coram domino Petro Rege Aragoniæ, & hoc eſt poſitum & in proceſſu ejuſdem Regis. Igitur ſequitur veritas dictæ concluſionis: immo re vera fuerunt novem Cardinales, qui pure aſſeruerunt ſe elegiſſe, & nomina eorum & dicta fuerunt ſcripta per Joannem quondam Regem Caſtellæ antequam ipſe ſe determinaret, ut percepi a pluribus fidedignis, ſi vero non concederent, nihilominus ſtat veritas concluſionis: dominus Urbanus prædictus in papatum per oſtium intravit, ideſt per miniſterium Cardinalium: dictus dominus Urbanus VI. fuit verus papa; nam qui eligitur, inthronizatur, atque coronatur per Cardinales ad papatum eſt verus Papa, &c. Aſſerere dictum dominum Urbanum fuiſſe non Papam, ſed apoſtaticum, antichriſtum, & intruſum, eſt erroneum. Omni dolo expreſſo in hac epiſtola non obſtante concluditur ex eadem dominum Urbanum fuiſſe veriſſimum Papam & vicarium Jeſu Chriſti. Sequitur in epiſtola (a). Nempe cum iſta ſua tam nefaria intruſio in Papatum.*

(a) Cap. 14.

*Hic ex ore veſtro judicamini Cardinales: coronatio enim dicti domini Urbani erat jam divulgata per orbem, quia de univerſis partibus Chriſtianitatis fuerunt homines præſentes, ut fatemini, & in poſſeſſione hujus coronationis fuit a tempore paſchæ, quod fuit circa principium menſis aprilis, uſque ad datam hujus literæ, quo fluxerunt quatuor menſes, & hoc totum eſt notorium. Ergo ſaltem ratione hujus ſcandali tacere debuiſtis, cum re vera Papa eſſet, quoad actus requiſitos neceſſario ad papatum. Quod errores quamplurimi pullulare incipiunt, errores ex hoc non pullularunt niſi in vobis & veſtris ſequacibus, quos ad ſequendum vos nequiter induxiſtis:* Et infra. *Quinta pars epiſtolæ, in qua ponitur Cardinalium exhortatio*, Monet author ex doctrina Apoſtoli blandas eorum voces declinandas, additque: *Prima ratio eſt, quia docent nos doctrinam erroneam, & contra doctrinam Eccleſiæ. Secunda ratio eſt, quoniam ipſi inveniuntur falſi in multis, & ideo totum ſuum teſtimonium decolorant. Tertia ratio eſt, quia contradictores non ſolum in facto principali, ſed in multis dictis hujus epiſtolæ ſunt reperti ſecundum ſententiam beati Auguſtini lib. de mendacio cap. 20. Stultum eſt credere hominibus, qui primitus ſunt mentiti. Quarta ratio eſt, quia doloſi in verbis æquivocis ac dubiis perpenduntur, & ut dolo capiant homines verbis ipſis doloſis utuntur, & doloſi homines ſunt vitandi a quolibet Chriſtiano, ut ſuperius eſt oſtenſum. Quinta ratio eſt quia hortantur populum ad ſchiſma faciendum.* Et infra: *Si Apoſtolis oppoſitum primi dicti evangelii Evangelizantibus non eſt credendum. Ergo pariter nec Cardinalibus eſt credendum in exhortatione hujuſmodi.* Confudit admodum ſchiſmaticos hæc Joannis e Monteſono diſceptatio, cujus vim variis argutiis elidere ſtuderunt; ſed a ſchiſmaticis ad hæreticos ſermonem convertamus.

Fide indigniſſimi demonſtrantur.

XVIII.

Cum jacta a Wicleffo impietatis ſemina latius peſtiferas radices figerent, divina providentia, ut pios in orthodoxa fide confirmaret, confunderetque hæreticos, ad ſacras Chriſti imagines ſanctorumque ſuorum ſacras reliquias plures cœleſtes virtutes edidit, de quibus Walſinghamus (b) hæc memoriæ tradidit: *Sub eodem tempore [divinitate procurante, ut putamus ad confirmandum pie credentes, & confutandum hæreticos] juxta prioratum de Wymundam nova ſuccrevere miracula apud quandam crucem erectam in via publica, quæ merito & miracula dici poſſent, & credi. Eo tempore in prioratu canonicorum de Bridlington, qui eſt in diœceſi Eboracenſi ad tumbam Joannis quondam prioris ibidem tanta tamque manifeſtata fiebant miracula, ut pene totam Angliam ducerent in ſtuporem; de quo ferunt, quod in vita ſua ſuper aquas ambulaverit, mortuum ſuſcitaverit, & in horreis domus ſuæ tam manifeſtata, quam mirabilia per orationes frugum fecerit, ut quæ vix per menſem familiæ putabantur ſufficturæ, prece ſua ſufficerent toto anno prærogativa ſanctitatis ejus, humilitate & miſericordia ſuper afflictos.*

(b) Th. Walſing. in Rich. 2. hoc anno.

Miracula ad crucem edita.

Prodigia Joannis Bridlingtonienſis precibus edita.

XIX.

Collata quoque Anglis fuere divinitus plura beneficia ad ſepulchrum B. Ethelredæ virginis, quæ cæleſtibus viſis aſſeruit, plures a ſe preces fundi pro ſalute Anglicæ gentis divino Numini ad mala Anglorum cervicibus impendentia avertenda: (a) ac ne inania figmenta ſomniave putarentur ejus dicta, coram circumfuſa multitudine membrorum uſum, iis qui talia erant fati ad dictorum fidem confirmandam reſtituit, ut narrat Walſinghamus his verbis: *Apud Ely B. Ethelreda virgo perpetua & Regina apparuit cuidam juveni docens eum cavere pericula ſibi imminentia, & inſtruens eum de periculis maximis, quæ regno ſupervenirent, niſi pius Deus placatus orationibus piis fidelium manum ſuſpenderet a vindicta: quapropter monet, ut priorem & monachos adeat, & eis mandata ſua deferat, ut pro ſalute gentis exorent Dominum & precentur, ut avertant iram indignationis ſuæ a populo Anglicano. Spondetque beata virgo ſuas etiam preces oblaturam Domino pro cauſa præmiſſa: cunctanti vero juveni nec audenti juſſa perficere ſignum dedit dicens: Contractus & claudus eris & omnino inutilis, qui modo ſanus & ſoſpes eſſe dignoſceris, uſque ad diem feſtum depoſitionis meæ, quo die deportatus ad memoriam meam conſequeris integram ſanitatem. Prodit ergo juvenis quæcumque viderat, & ad credendum dictis ſuis ſuæ contractionis pœna multos invitat: & ne fictum videretur, vel humano adinventum ingenio quod in ipſo factum fuerat conſumptis carnibus tibiæ exinanitæ fuerant, ut tantum pellis hæreret oſſibus, & poplites ita conſtrictæ, ut tali natibus inſeparabiliter jungerentur: Accurrerunt ergo multi illecti fama facti, ferroque pungunt tibias ſeu pedes juvenis; ſed caro conſumpta, pellis mortua nil ſenſere: tentant tibias contractas a tergo retrahere, ſed minime profecere. Statuunt igitur opperiri diem præfixum, in quo vel fama mendax, vel omnino vera probaretur. Illabente die glorioſæ virginis & Reginæ juvenis ad eccleſiam deportatus primo cœpit obdormire, & mox excitatus a ſomno reſiliit, audiebanturque nervorum crepitus, & ſequebatur membrorum diſtentio, & juvenis exilire cœpit, & coram multis memoriam ſanctæ virginis circuire & quia per ante dictus juvenis multa juſſu ſanctæ virginis Ethelredæ ſecreta de multis prædixerat, quæ ſuo parochiali ſacerdoti ſub ſigillo confeſſionis revelaverat, omnia vera comperta ſunt, fidemque fecerunt indubitabilem de cunctis, quæ ventura prædixit.* Et infra.

(a) *Id. ib.*

B. Ethelreda miraculis illuſtratur.

Deum orat pro Anglis.

Angli præmoniti, ut divinam iram placent.

*Fidem fecit hujus viſionis & miraculi alia viſio cito ſubſecuta, manifeſtataque decrepitæ mulieri & octogenariæ, cui videbatur beatam Reginam & virginem Ethelredam aſtitiſſe ſæpius, & eadem vel plura commemoraſſe ſuperventura pericula niſi devotis ſupplicationibus Omnipotens placaretur, adjecitque beata virgo ſe cum populo preces Domino porrexiſſe, ut malum ſubtraheret, quod propoſuit terræ immittere pro peccatis; monuitque ut priori & conventui atque plebi ex parte ſua mandaret continuare proceſſiones, multiplicare devotiones, facere inceſſanter orationes, ut Deus averteret gladium imminentem: ſciantque procul dubio [inquit ſancta] quod ego precum mearum inſtantia minas varias & ruinas ab eis averti; juſſitque glorioſa domina, ut mulier hæc univerſa publice profiteretur, & in feſto S. Mariæ Magdalenæ ſe deferri faceret ad ejus tumbam, ibidem contractionis & invaletudinis conſecutura coram populo ſanitatem, nempe per triennium ita confecta fuerat tibiarum intolerabili paſſione ut immobilis ſemper uno jaceret in loco, niſi quando miſeratione vicinorum compatientium de uno loco ad alium portabatur. Igitur in feſto memorato vetula in ſporta ad feretrum beatæ Ethelredæ defertur, ubi in ſomnum reſoluta videt glorioſam virginem prodeuntem; quæ accedens apprehendit ejus tibias, & in longum protraxit, nervique tibiarum pluribus de populo aſſiſtente audientibus crepuerunt, & mulier mox ſana ſurrexit, quæ prius ægra veterana fuerat & contracta, tumbamque tribus perluſtravit vicibus, illam devote deoſculans, & agens Deo gratias, & glorioſæ dominæ Ethelredæ.*

Paralytica octogenaria repente curata.

Sanctus etiam Albanus (b) Anglorum protomartyr precibus ſuis apud Deum miſerrimæ mulieri de ſtatu mentis deturbatæ, quæ ob ineptias ſuas Londinenſibus civibus notiſſima erat, rationis uſum admirando modo obtinuit.

(b) *Valſin. in Rich. 2. ſub ann. 1389.*

XX.

Wicleffiſtæ ſpernunt miracula omnia etiam a Deo facta.

Non moverunt hæc Wicleffiſtas, qui a magiſtro ſuo acceperant miracula dæmonum eſſe mera ludibria, ac ſive a Deo ſive a dæmone paterentur contemnenda. Nec mirum ſi ſanctorum opera reſque mirabiles ab iis patratas ſperneret VVicleffus, qui omnia miracula quæ leguntur in ſacris evangeliis, necnon in quibus fides Chriſtiana conſita eſt & confirmata, Judæorum pertinacium more derideret, cujus ſectariorumque veſaniam Thomas VValdenſis (c) docte confutat, & concludit: *Doceat vos Auguſtinus, increduli Vvicleffiſtæ, & ab ipſo audite non hoc ſapuiſſe quod vos, quod deinceps poſt Apoſtolos nulla fiant in nomine Chriſti miracula, & omnia illuſiva eſſe diaboli, cum ipſe cæcum viſum recepiſſe cognovit ad corpora martyrum;* Et infra: *Jam novi quare Vvicleff tam inimicatur ſanctorum miraculis, quia certe alterius fidei eſt vel extraneitate perfidiæ a fide ſanctorum ſic hoſtis fidei Chriſti eſt & ſanctorum ſuorum in vivis & mortuis, ſcit enim perfidiam ſuam ſtatim vincendam cum venitur ad miracula,*

(c) *Vvald. to.3. tit. 14. c.125.*

Refelluntur.

*cuſit*



*ſicut ſæva gentilitas & cæcus judaiſmus.*

XXI.

Idololatriæ calumniam catholicis impingunt.

Imbuti iis Wicleffi venenatis opinionibus hæretici ſuccendebantur ira, cum celebrari fidelium populorum concurſus ad loca ſacra miraculis colluſtrata intuerentur, brutorumque animantium inſtar in cruce Domini nil aliud, quam lignum putridum contemplati, catholicis idololatriæ crimen impingere non perhorruerunt, ut narrat Thomas Walſinghamus (a). Hanc adverſus ſacras imagines hæreſim tueri ac propagare blaſphemis argutiolis Guillelmus Albus ſacerdos Wicleffiſta auſus eſt, quem refellit Thomas Waldenſis (b), objectumque catholicis idololatriæ crimen avertit in Wicleffiſtas, ipſos ſcilicet, qui damnabant imagines, adorare dœmones in phantaſmatum ſuorum idolis, quibus ſe regendos eorumque traducendos arbitrio tradidere, quod ex Auguſtini (c) contra Donatiſtas inſigni ſententia illuſtrat.

(a) *Valſin. in Rich. 2. hoc anno.*

(b) *Vvald. to.3. tit. 19. de reliq. c. 156.*

Idololatriæ crimen retortum in hæreticos.

(c) *Aug. de baptiſ. contra Donatiſt. l.3. c.19.*

(d) *Vvalſin. in Rich. 2. hoc anno.*

Connivere ad blaſphemos hæreticorum conatus viſos plures Angliæ præſules conqueritur Thomas Walſinghamus, (d) privatiſque ineſcatos commodis religionis cauſam contempſiſſe. A quorum inertia & flagitio abhorruit Norvvicenſis epiſcopus, qui cum hæreticos ad ſupplicium ſumma ſolertia conquireret, diœceſim a Wicleffiſtica labe vindicavit: *Juravit,* inquit Walſinghamus, *& non pœnitebit illum, quod ſi quiſquam de ſecta perverſa prædicare præſumeret in diœceſi ſua, vel ignibus traderetur, vel capite privaretur, nulluſque fuit de tanta ſequela, qui iis cognitis vellet ad martyrium properare, propter quod in epiſcopatu ſuo hactenus fides & religio inviolata permanſit.* Commendat eumdem epiſcopum Norvvicenſem Nicolaus Harpsfeldius (e) in hiſtoria Wicleffiana, additque eumdem ad palinodiam compuliſſe Joannem Eduardum ſacerdotem, qui baptiſmum negabat, & jusjurandum coram magiſtratu illicitum contendebat.

Pius ardor Norvvicenſis epiſcopi.

(e) *Harpſfeld. in hiſt. Vvicleſ. c. 16. ex regeſt. Arundel.*

XXII.

Contigit hoc eodem anno Cantabrigiæ prodigium, dum inſtructo religioſo agmine ſolemnis duceretur pompa, in qua a ſacerdotibus Euchariſtia circumferebatur, quo palam demonſtratum eſt, non illam panem eſſe, ſed in ipſa Chriſti latere majeſtatem, etenim cum illam velatam ſacris ſpeciebus riſiſſet quidam hæreticus, inter ſacrilegos jocos divina repente vindicta obrutus eſt, ut narrat Thomas Walſinghamus (f) his verbis: *Per idem tempus Cantebrigiæ in feſto commemorationis S. Pauli occurrebat & feſtum dedicationis S. Mariæ ibidem: ad quod feſtum amplius honorandum in proceſſione per parochiam deferebatur Corpus Dominicum ſuper duos humeros ſacerdotum in feretro non ponderoſo, ſed tam levi, ut a ſeptenni puero ſine vexatione portari tota machina potuiſſet. Procedebant igitur & præcedebant dicti presbyteri ſupportantes Corpus Domini per dictam villam donec venirent ante locum fratrum Auguſtinienſium, qui ſituati ſunt juxta mercatum villæ. Ubi repente feretrum, quod æqualiter utriuſque humeris active erat ſe ſubrigens nitebatur quaſi quadam virtute imperceptibili ab eorum humeris reſilire, efficiebaturque adeo ponderoſum, ut ſacerdotes vix neque poſſent ſufferre tantum pondus, neque ad feretri fines humeros iterum detrahere & applicare, torquentur proinde & ſudant & anhelant præ labore nimio, laicorum auxilium flagitantes. Succurrunt laici, manus ſupponunt; ſed, quod mirabile fuit, nihil ponderis perſenſerunt: cumque pertranſiſſent omnem loci ſitum dictorum fratrum, feretrum iterum repente ſuper illorum humeros æqualiter requievit. Sed tunc quidam ineptus & vere miſer incompoſito motu corporis cœpit ſaltare ſive tripudiare coram Euchariſtia: quem incontinenter apprehendit terribilis valde vindicta; nam inter jocandum repente corruit, & poſt puſillum ſpiritum exhalavit. Horum cauſa mirabilium a multis multipliciter eſt interpretata, quam indicare nos prætermittimus, malentes aliis judicium derelinquere, quam de nobis incognitis inconſulte aliqua definire. Hoc tantum audemus adjicere, quod magna & formidabilis peſtilentia exemplo ſubſecuta eſt Cantebrigiæ, qua homines ſubito, prout dicebatur, ſoſpites correpti mentis phreneſi moriebantur ſine viatico, ſine ſenſu.*

(f) *Vvalſin. in Rich. 2. ſub anno 1389.*



Demonſtratum miraculo latere Chriſti in Euchariſtia majeſtatem.

Divina in ſacrileg. Euchariſt. deriſorem vindicta.

Qui apoſtoli verba: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi;* perpenderit, percuſſos hoc flagello Anglos exiſtimabit ob contemptam ſacram Euchariſtiam: refert enim Thomas Waldenſis (g) horrenda a Wicleffiſtis patrata ſacrilegia, blaſphemaſque voces adverſus Chriſtum in ea deliteſcentem effuſas; tum addit: *Non dubium apud fideles univerſalis Eccleſiæ Vvicleff eſſe idololatram, cum peccare quomodolibet in adorandi genere ſpiritu contumaci eſt ſpecies idololatriæ. Conſtanter autem adorationem negare illi, qui adorandus eſt, numquid non eſt peccare conſtanter in ſpecie adorandi (h)? unde ſuper pſalm. 98. Auguſtinus:* Nemo illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: *inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, ut non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Hæc ille.* Ex horum blaſphemorum numero quendam cum Euchariſtiæ araneam prætuliſſet, mox horridam araneam coram Thoma Cantuarienſi archiepiſcopo, & aliis proceribus in os ſacrilegum tentaſſe ingreſſum, viſuri ſumus.

(g) *Vvalden. de ſacr. Euch. to.2. c. 26.*

(h) *Aug. to.8. in pſ. 98.*

Sacerdotes ſimplices alios ſacerdotes ſacrare auſi.

XXIII.

Addit ad hunc annum Thomas Walſinghamus (i) ſacerdotes Wicleffiſtica hæreſi contaminatos, ſacrandorum ſacerdotum poteſtatem ſibi arrogaſſe, ſuamque

(i) *Vvalſin. hoc anno in Rich. 2. & in hypodig. Neuſtriæ.*



au-

Sublatum a Wicleffiſtis ſacerdotium.

authoritatem ſummi Pontificis authoritati in omnibus adæquaſſe, ficticioque & ſacrilego ritu ab iis initiatos divina myſteria profanaſſe: ex his vero unum conſcientiæ facibus ardentem pœnituiſſe flagitii, illudque Sarenſi epiſcopo aperuiſſe. Eo impietatis progreſſus eſt ſacerdos apoſtata Wicleffus, ut omne ſacerdotium veluti humanum commentum ſuſtulerit in nefario libro de ſermone Domini in monte, tractatu 2. cap. 5. in quem merito ita exclamat Thomas Waldenſis (a): *Neſcio ſi hæreſis iſta ad tantam hebetudinem mentis & oblivionem veritatis devenerit ut neceſſe ſit probare eis Chriſtum inſtituiſſe epiſcoporum officium, & ſi neſciant Chriſtum inſtituiſſe ſacros Apoſtolos ſimul epiſcopos de quorum peſſimo ſcilicet Juda Pſalmiſta prophetice cecinit (b); Et epiſcopatum ejus accipiet alter.*

(a) Vvald. l.2. art.3. c.56.

(b) Pſ. 10. Act.1.

Refert Olaus Magnus (c) hoc anno Germanos, qui Stocholmiæ ſedes fixerant, invidia avaritiaque ſtimulatos in Suecos mercatores, quos fruſtra apud Albertum Regem gentilem ſuum circumvenire calumniis niſi erant, ut opes Stocholmenſis emporii ad ſe derivarent, crudeliſſimam carnificinam exercuiſſe, Deumque injuſtas eorum cædes jactis de cælo fulminibus vindicaſſe, qua de re hæc idem Magnus refert: *Fuit hæc inſignis & crudeliſſima clades optimis profecto civibus contra omnem rationem & æquitatem, immo contra jusjurandum, quod perditi advenæ toties præſtiterunt, irrogata anno Chriſti MCCCLXXXIX. ipſa nocte, qua Chriſticolæ feſtum Corporis Chriſti celebrare conſueverunt. In eadem autem hora qua hæc ſiebant, suboriebantur tot fulgura, tot coruſcationes, tot portentoſa tonitrua, tantaque inundatio pluviarum, ut ipſa civitas Stocholmenſis mox ſubmergenda crederetur; hæc enim erat ea calamitas, cujus meminiſſe videtur Albertus Krantzius in hunc modum ſcribens: Stocolm inſigne Sueciæ emporium inſigni clade afficiebatur: nam de cælo fulmine tactum pene totum conflagravit: perierunt incendio mille ſexcenti homines. Miſerabilius quod ſequitur, feminæ, proles, & ſine numero puellæ navibus res ſuas invexerunt: cum parvulis aderant quoque viri non pauci, ſed priuſquam ſolverunt, ingruebat promiſcuum vulgus, incendia declinans. Tanta itaque multitudine naves quamvis maximæ oppletæ fuerunt, ut omnis illa multitudo in ictu oculi ſubmergeretur: res calamitoſa certe & ſine exemplo; quando divina majeſtas illam belluinam ſævitiam contra innocentes perpetratam tam ſeveriter in ejuſdem civitatis reliquias vindicaret.*

(c) Olaus Magnus l.2. de mira nat. rer. ſeptem. c. 24. & in hiſt. Sueton. l.21. c.17.

Sueci a Germanis cæſi.

Divinæ juſtitiæ exemplum.

Affulſit



I. AFfulſit lætus catholicis annus Chriſti milleſimus trecenteſimus nonageſimus indictione decima tertia, propoſita ampliſſima luſtraturis Apoſtolorum limina ex Urbani ſanctione criminum venia inſignis, quo maximo concurſu populi pietatis novo ſenſu delibuti ſacrarum expiationum anni jubilei promerendarum ergo ſe in urbem contulere, ut Theodoricus e Niem (a) teſtis oculatus narrat: *Innumerabiles*, inquit, *peregrini toto illo anno poſtquam incœpit jubileus, præſertim de Alemannia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Anglia, & aliis regnis & provinciis, quæ fuerunt de obedientia Urbani ad urbem venerunt*. Factos etiam maximos catholicorum concurſus Gobelinus conſentit (b), qui addit Gallos cæteroſque factionis ſchiſmaticæ tunc Romam non acceſſiſſe; ſed poſtea recurrente decimoquarto ſæculo maximo numero veniſſe, ac Bonifacium quibuſdam Germaniæ civitatibus lucrandarum indulgentiarum modum præſcripſiſſe, ut nonnulla earum templa religioſe luſtrarentur; ſumptus vero in itinere faciendi quæſtori pontificio pro inſtaurandis urbis eccleſiis numerarentur: quod in cæteris etiam regnis geſtum ex literis Bonifacii ad Conradum epiſcopum Amelienſem datis (c) colligitur, quibus ritum a Corſis ac Sardis jubileum conſecuturis obſervandum imperat.

(a) Theod. e Niem. l.1. c. 68.

Annus jubileus celebratur.

(b) Gobelin. in Coſm. æt. 6. c. 86.

(c) Bonif. l.1. ep. cur p.237.

II. Aucupati exinde ſunt occaſionem emungendæ pecuniæ ſimplicium plures religioſorum ordinum alumni & clerici, qui ſe a Pontifice concedendæ cunctorum veniæ delictorum authoritate inſtructos ementiebantur, ac ſacra ludibrio ducebant ut aurum cogerent ſceleratius deinde a ſe profundendum: ad quos reprimendos in Italia Benedictum Ferrarienſem (d) & Beltraminum Novocomenſem (e) epiſcopos juſſit incumbere. At non modo inani indulgentiarum ſpecie deluſos ſimplices ab his impoſtoribus queſtus eſt Bonifacius, verum exomolgeſeos ſacramentum ab iis profanatum, dum ſolvendi criminum nexus ſe pollere authoritate ſimulabant, votiſque nuncupatis liberos modici lucri aviditate pronuntiabant.

(d) Ib. p. 227.

Impoſtorum circa indulgentias corruptelæ.

(e) Ib. p. 298.

*Venerabili fratri Benedicto epiſcopo Ferrarienſi in provincia noſtra Romandiolæ pro nobis & eccleſia Romana theſaurario ſalutem, &c.*

*Ad audientiam noſtram, non ſine magna mentis diſplicentia, fidedignorum quamplurium relatio perduxit, quod quidam religioſi diverſorum etiam mendicantium ordinum, & nonnulli clerici ſæculares etiam in dignitatibus conſtituti, aſſerentes ſe a nobis, aut a diverſis legatis ſeu nuntiis ſedis Apoſtolicæ miſſos, & ad plura peragenda negotia diverſas facultates habere per partes, in quibus es pro nobis & eccleſia Romana theſaurarius deputatus, diſcurrunt, & veras vel prætenſas, quas ſe habere dicunt, facultates fideli & ſimplici populo nunciant & irreverenter veris hujuſmodi facultatibus abutentes, ſuas fimbrias, ut vel ſic turpem & infamem quæſtum faciant, impudenter dilatant, & non veras & prætenſas facultates hujuſmodi mendaciter ſimulant, cum etiam pro qualibet parva pecuniarum ſummula, non pœnitentes, ſed mala conſcientia ſatagentes iniquitati ſuæ, quoddam mentitæ abſolutionis velamen prætendere, ab atrocibus delictis, nulla vera contritione, nullaque debita præcedenti forma [ut verbis illorum utamur] abſolvant; male ablata certa & incerta, nulla ſatisfactione prævia, [quod omnibus ſæculis abſurdiſſimum eſt] remittant; caſtitatis, abſtinentiæ, peregrinationis ultramarinæ, ſeu beatorum Petri & Pauli de urbe aut Jacobi in Compoſtella Apoſtolorum, & alia quævis vota, levi compenſatione commutent; de hæreſi vel ſchiſmate nominatim aut incidenter condemnatos, abſque eo, quod in debita forma abjurent, & quantum poſſunt debite ſatisfaciant, non tantum abſolvant, ſed in integrum reſtituant; cum illegitime genitis, ut ad ordines, & beneficia promoveri poſſint, & intra gradus prohibitos copulatis aut copulandis diſpenſent, & eis qui ad partes infidelium abſque ſedis prædictæ licentia transfretarunt, vel merces prohibitas detulerunt, & etiam qui Romanæ aut aliarum eccleſiarum poſſeſſiones, jura, & bona occuparunt, excommunicationis & alias ſententias & pœnas, & quævis interdicta relaxent, & indulgentiam, quam felicis recordationis Urbanus Papa VI. prædeceſſor noſter, Chriſtifidelibus certas baſilicas & eccleſias dictæ urbis inſtanti anno viſitantibus conceſſit, & quæ in ſubſidium Terræ ſanctæ accedentibus conceduntur, quibuſvis elargiri pro nihilo ducant, ac tot tantaſque abuſiones, poſtpoſita Dei & ejus Eccleſiæ reverentia & honore mundiali, ac propriæ conſcientiæ ſtimulis, exercere non erubeſcant per modos tales, ut quaſi hominibus perpetuam felicitatem in hoc ſæculo polliceri conentur, & æternam gloriam in futuro; & quæſtum, quem exinde percipiunt, nomine cameræ apoſtolicæ ſe percipere aſſerant, & nullam de illo nihilominus rationem velle reddere videantur.*

Prophanatum ab iis pœnitentiæ ſacramentum.

Soluta temere vota.

Alia eorundem facinora.

Obtenſa ſceleri ſedis Apoſt. auctoritas.

*Horret, & merito indignatur animus, talia reminiſci; cedunt enim in gravem divinæ majeſtatis offenſam, ſedis, & gravitatis Apoſtolicæ vilipendium, animarum grande periculum, exempli peſſimi damnoſam perniciem, fidelis populi eluſionem, devotionis diminutionem, & ſcandalum plurimo-*

mo.

*morum. Attendentes igitur quod noſtra intereſt ſuper tot tantiſque malis de opportunis remediis ſalubriter providere, fraternitati tuæ, de qua in iis & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus religioſis & clericis ſæcularibus hujuſmodi, ac eorum familiaribus, complicibus, & collegiis, & aliis, vocatis qui fuerint evocandi, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, etiam ex officio, ſuper præmiſſis auctoritate noſtra inquiras diligentius veritatem, & eos ad reddendum tibi computum de receptis, & reliqua conſignandum remota appellatione compellas, & quos per inquiſitionem hujuſmodi exceſſiſſe, vel non verum, aut non ſufficiens, ſeu ad id non habuiſſe mandatum inveneris, capias & tandiu ſub fida cuſtodia teneas carceribus mancipatos, donec id nobis intimaveris, & aliud ſuper hoc a nobis receperis in mandatis, contradictores, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* XIV. *Kal. novembris anno primo.*

Jubet Bonifacius in eos animadverti.

Similiter data ſunt Gerardo Razemburgenſi, Nicolao Miſnenſi, ac Gerardo Hildeſemenſi epiſcopis aliiſque mandata (*a*), ut omni ſtudio nefarios ejuſmodi ſimoniacos nebulones in Germania coercerent; quocirca mirum non eſt, ſi Gobelinus (*b*) de indulgentiis & abſolutionibus in Germania lucri cauſa perperam collatis plura ſcripſerit, qui in ea re emendandus eſt, dum Bonifacio (*c*) labem aſpergit, quæ ab impoſtoribus vel nimia adminiſtrorum pontificiorum licentia avaritiaque emanarat; ex quo patet quam male Lutherus & alii novatores omnia impoſtorum ſacra indulgentiarum præmia ad quæſtum promulgantium flagitia in ſedis Apoſtolicæ, quæ ea ſemper damnavit, invidiam derivari, ac præter fas omne ejuſdem ſedis auctoritatem evertere annisi ſint; quis enim evertenda cenſeat imperia, ſi nefarii homines aliqua in iis latrocinia agitent?

(*a*) *Ib. p.* 298.

(*b*) *Gobel. c.*86. & 87.

Sacra indulgentiarum præmia ad quæſtum promulgantium.

(*c*) *Ext. in Bonif. l.*1. *p.*280.

III. Wenceſlaus eccleſiæ patrocinium ſe ſuſcepturum præſefert.

Excutiendæ diuturnæ inertiæ ſpeciem aliquam præ ſe tulit Wenceſlaus Rex Romanorum, atque ad ſuſcipienda imperialia inſignia in Italiam ſe velle conferre; tum ad ſchiſmaticos in Romanæ eccleſiæ obſequium redigendos Germaniæ vires converſurum Bonifacio decretis oratoribus, ampliſſimiſque literis (*d*) ſuperiori anno datis eſt pollicitus.

(*d*) *Ext. apud Bonif. l.*1. *p.* 280.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri ac domino domino Bonifacio divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici domino noſtro reverendiſſimo.*

Ejus lit. ad Bonifacium.

*Sanctiſſime pater & domine reverendiſſime. Et ſi per totius mundi monarchiam & ambitum in rebus ſingulis varietas deteſtanda viguerit, & vigeat uſque modo, ex quibus propter ſucceſſus diverſos præſentis ſiniſtri temporis plurima noſcuntur inconvenientia ſubſecuta, ſereniſſimuſque princeps dominus Carolus Romanorum Imperator auguſtus & Bohemiæ Rex genitor noſter chariſſimus, dum ageret in humanis, circa ſcandalorum diremptionem ipſorum feliciter procurandam ſolerti, Chriſtianiſſimaque ſedulitate vacaverit; nihilominus tamen nos, Altiſſimi favente clementia, noſtri genitoris præfati veſtigiis accuratius inhærentes, ad hoc invigilavimus aſſidue, curaque ſollicita meditamur qualiter, divina nobis aſſiſtente clementia, fructum uberem afferentes malignitati temporis & malorum incurſibus finem optabilem imponamus erigentes [volente Domino] regium animum ad quæcumque paratum magnifica, ſicut ſecreta agibilia certis oculatis & utilibus reſpectibus depoſcentibus exegerunt nos acturos, eo videlicet quod qui rem quampiam aggreſſurus dignoſcitur, humeri valitudinem juxta rei difficilis, circa quam verſatur intentio magnitudinem, quantum poſſit efferre rimari debeat, & accurate metiri; ut autem, Pater beatiſſime, ſanctitati veſtræ de præmiſſis & aliis ſecretis agibilibus noſtris plenarie pateſiat intentio Eccleſiæ; nunc animo deliberato, ſano fidelium noſtrorum accedente conſilio, & ex certa ſcientia ad ſanctitatis veſtræ præſentiam deſtinamus honorabiles Ubaldinum de Florentia decretorum doctorem, conſiliarium, familiarem, domeſticum commenſalem, & fratrem Nicolaum ordinis fratrum Minorum confeſſorem, devotos noſtros dilectos, de intentionibus noſtris diſtinctius informatos, quibus inter cætera capitula ſeu articulos præſentibus interclusos reſponſionem literarum ſanctitatis veſtræ commiſimus exponendam, eidem ſanctitati veſtræ devotiſſimo ſtudio ſupplicantes, quatenus eadem ſanctitas veſtra dictis familiaribus noſtris in exponendis eiſdem fidem velit adhibere plenariam, tamquam vobis perſonaliter loqueremur, ipſoſque favorabiliter exauditos dignetur miſericorditer ad ſpecialem reverentiam majeſtatis regiæ tamquam ſervitores noſtros dilectos ſuſcipere commendatos, ſingularem in eo nobis, Pater beatiſſime, gratiam facientes. Perſonam veſtram beatiſſimam ſanam & incolumem conſervare dignetur Altiſſimus regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ per tempora diuturna. Datum Pragæ die* XXI. *novembris regnorum noſtrorum anno Bohemiæ* XXVIII. *Romani vero* XV. numerat ſcilicet annos ab electione, quam anno Chriſti MCCCLXXVI. celebraram (*e*) vidimus menſe junii. *Sanctitatis veſtræ devotus filius Vvenceſlaus Dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus & Bohemiæ Rex.*

Decreti oratores.

(*e*) *A. C.* 1376. *n.* 14.

IV. Præcipua jungendi inter Cæſarem Pontificemque federis capita.

Juſſi ſunt oratores arctiſſimum fœdus Eccleſiam inter & imperium jungere, ac ſpondere Wenceſlaum ad reſtituendum priſtinum Eccleſiæ ſplendorem, funeſtumque ſchiſma abolendum, regia ſtudia collocaturum.

*In-*



*Infraſcripta ſunt capitula exponenda domino noſtro Papæ ex parte ſereniſſimi domini Regis Romanorum, &c. per dominum Ubaldinum & fratrem Nicolaum ſuum confeſſorem, &c.*

*Et primo quod ipſi cum omni reverentia recommendent præfatum ſereniſſimum dominum Regem Romanorum ſanctiſſimo domino domino Bonifacio Papæ IX. cum illis honeſtis & condecentibus verbis, quæ in tali recommendatione requiruntur. Secundo exponant ſanctitati ſuæ, qualiter dictus dominus Rex regratiatur domino noſtro Papæ de ita perfecto amore, & cum Dei auxilio intendit omnino recipere imperialem coronam a præfato domino Papa, & attendere cum omni diligentia ad publicum bonum Italiæ & imperii ſacri, & ſimul cum domino Papa operari omnia utilia pro bona reparatione Chriſtianitatis, & pro removendis omnibus ſcandalis & guerris, ut cum honore ſacri imperii & Romanæ eccleſiæ quiete cum bona pace vivatur, & ita quanto citius poterit, cum ſumme ſint ſibi cordi & vigilanter in iis vacet & intendat continue, & nullam in iis negligentiam committet, ſed cum fautoribus ſanctitatis ſuæ ſe cito expediet, &c. Tertio quod regia majeſtas provida deliberatione diſpoſuit mittere ad partes Italiæ ſereniſſimum principem dominum marchionem Moraviæ vicarium generalem ſacri imperii, & propter bonam & occultam conſiderationem fuit aliqualiter retardatus ipſius acceſſus ad bonum finem; ſed cum Dei auxilio ipſum dominum marchionem omnino mittet & non tardabit, ita quod honor ſacri imperii & Romanæ eccleſiæ conſervabitur cum tranquillitate & bono ſtatu Italiæ, de qua ipſe paternam curam habet, &c. Quarto quod dictus dominus Rex cum multa devotione & ſincero amore offert ſe tamquam Chriſtianiſſimum principem dicto domino Papæ ad omnes ſuos bonores & ſedis Apoſtolicæ, & certa alia ſpecialia & particularia ſua deſideria commiſit per dictos ſuos nuntios ambaxiatores exponenda & perficienda cum domino Papa, prout habent in commiſſis ſive in articulis, videlicet per honorabiles viros dominum Ubaldinum de Florentia decretorum doctorem, conſiliarium, familiarem, domeſticum, commenſalem, devotum dilectum, & fratrem Nicolaum ordinis fratrum Minorum de Praga devotum dilectum confeſſorem ſereniſſimi ac invictiſſimi domini VVenceſlai Regis Romanorum ſemper auguſti, & Bohemiæ Regis ambaxiatorem* (*a*) *dicti domini Regis.*

Poſcit Vvenceſlaus auguſtalia imperii ornamenta.

Spondet reſtituturum ſe concordiam.

V. Internuntius Bonif. ad Venceſlaum miſſus.

(*a*) *Bonif.* IX. *l.* 1. *ep. cur. p.*319.

Acceſſere ad ſedem Apoſtolicam proximo ineunte hoc anno Wenceſlai oratores, quos benigne excepit Bonifacius, promiſſiſque eximiis recreatus Ubaldino deſignato epiſcopo Cortonenſi pontificio in Bohemia quæſtori præcepit, ut decumas eccleſiaſticorum vectigalium Wenceſlao ad ordinandos Italicæ expeditionis apparatus tribueret.

*Dilecto filio Ubaldino electo Cortonenſi refernendario noſtro, fructuum & proventuum in civitate & diœceſi ac provincia Pragenſi cameræ apoſtolicæ debitorum collectori, Apoſtolicæ ſedis nuntio.*

*In laudis jubilum exultans mater Eccleſia læta conſurgit ad Dominum, ſibique refert plenitudinem gratiarum, dum chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Vvenceſlaum Regem Romanorum illuſtrem velut Chriſtianiſſimum principem circa exaltationem fidei catholicæ fervere indefeſſe promptitudinis ſtudio intuetur: lætamur, inquam, & nos, & dum mente revolvimus magnifica ſuæ celſitudinis opera, quæ conatur laudabiliter in exterminium ſchiſmaticorum adimplere: gaudemus etiam, & merito, quod ipſe cœleſtis benedictionis gratiæ rore perfuſus ea, quæ ſunt in oculis divinæ majeſtatis accepta, & quæ etiam ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ, ac Romani imperii exaltationem & ſtatum reſpiciunt ſtudio diligentis indagationis exquirens, illa proſequi & efficere nititur virtutibus ſtudioſis. Sane nuper tam ex literis, quam ex relatione certorum nuntiorum dicti Regis percepimus, quod ipſe Rex pro ſuſcipiendo imperiali diademate almam urbem Romanam accedere diſpoſuit & diſponit infra breve, nos ipſius Regis laudabile propoſitum in Domino commendantes, ac ſperantes quod per hujuſmodi ejus adventum in Italiam, & ſuſceptionem diadematis hujuſmodi pax univerſali Eccleſiæ & terris imperii proveniet, ſedabuntur ſcandala, diſſidentes & diſcordes ad pacem reducentur, & propterea volentes præfato Regi ut expenſarum onera, quæ in hujuſmodi veniendi itinere cum ſuo felici exercitu ipſum Regem neceſſario oportet ſubire, facilius valeat ſupportare, de alicujus ſubventionis auxilio providere; ac conſiderantes quod id, quod pro univerſorum commodo diſponitur, etiam univerſi ad ea favores & auxilia præbere tenentur, deliberatione ſuper hoc præhabita diligenti, decimam unius anni reddituum & proventuum eccleſiaſticorum in regno Bohemiæ, & terris tam ditioni prædicti Regis ratione regni Bohemiæ & aliis ſubjectis, quam etiam Romani imperii per Alemanniam,* & infra, *in relevaminum onerum expenſarum itineris dicti Regis veniendi pro ſuſceptione diadematis hujuſmodi convertendam impoſuimus per præſentes, &c. Datum Romæ apud S. Petrum x. Kal. februarii pontificatus noſtri anno ſecundo.* Abjecit egregia conſilia Wenceſlaus, priſtinoque torpori ſe dedit, ac ne delitias, & commeſſationes intermitteret poſt leviſſimos conatus cum exercitu in Italiam ad imperialis dignitatis ſumenda inſignia penetrare non eſt auſus.

Excepta cum applauſu regia poſtulata.

Decimæ Wenceſlao attributæ.

Cum

VI. Venceslaus ſuſceptis conſiliis abſiſtit. Dux Bavariæ pro conciliandis Eccleſiæ ſchiſmaticis interpres adhibitus. (a) *Lib. ep. cur. p.* 325.

Cum vero Stephanus Bavariæ dux idoneus concordiæ interpres viſus eſſet ad divulſas a ſede Apoſtolica eccleſias in priſtinam conjunctionem redigendas, ac nil Bonifacii animo hæreret antiquius quam ut omni ratione ſchiſma ab Eccleſia Dei removeret, nec quidquam hactenus vibratæ cenſuræ, geſtaque bella profuiſſent; clementiæ vias pertentavit, atque antipapæ obtulit illum ſi falſi honoris inſignia abiiceret ſedis Apoſtolicæ legatum in iis regnis, quæ ejus partibus ſe addixerant creatum iri, qua de re ad Bavariæ ducem, ut cum ipſo paciſceretur hæ datæ literæ (a).

*Dilecto filio nobili viro Stephano duci Bavariæ, ſalutem, &c.*

*Integra fides, præclara devotio, illibata ſynceritas, & recta ac ſingularis affectio, quas te conſtanter habere ad Deum, & ad ejus ſacroſanctam Romanam eccleſiam ſponſam noſtram, ac univerſalis reipublicæ bonum ſtatum, multis ac magnis & continuatis argumentis, plene didicimus, nobis ſpem indubiam pollicentur, quod te in his, quæ unitatem ejuſdem eccleſiæ ac catholicæ fidei augmentum concernunt, non minus libenter quam prudenter exercebis, & exinde, cooperante Deo, tecum ex tuis directionibus ac promptis laboribus percipi poterunt digni fructus. Cum autem, dum in mente revolvimus, quod iniquitatis filius, utinam benedictionis, Robertus de Gebenna olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyter Cardinalis, nunc antipapa, qui ſe Clementem VII. nominat, ſuique ſequaces, inter quos non pauci, alioquin magnæ literaturæ & auctoritatis viri ſunt, affectione mala perſuaſi ſecedentes in partem, jam pridem in eccleſia prædicta grande ſchiſma fecerunt, illudque nimis pertinaciter argutis ambagibus moliti ſunt & moliuntur defendere ac nutrire, intrinſecus tacti dolore cordis magna & indeſinenti amaritudine diſtrahamur, Eccleſiæ diviſionem & illorum perditionem, vel anxie deplorantes; & quia donec vitalis ſpiritus adeſt, non eſt de peccatore deſperandum, poteſt enim Deus illius cor tangere, & convertere in viam ſalutis, ſuper eorum converſione humiles ad Dominum non deſinamus fundere preces, & continue meditari vias & modos poſſibiles, unde illos in viam ſalutis æternæ revocare poſſimus, nec nos a propoſito deterreat vulgaris illa ſententia, qua dici aſſolet, quod cum quis, alioquin ſpectabilis ſeu volens & ſciens aut imprudens incidit in errorem, ut vel ſic erraſſe non videatur magis & magis errores erroribus cumulat, quam vel pœnitere vel veniam deprecari velit; Spiritus namque divinus ubi vult ſpirat; tandem, volente Deo, cum noviſſime te ad noſtri præſentiam contuliſſes inter vias & modos alios habiles ad præmiſſa providemus te, utpote catholicum principem & virum elegantis conſilii, & rerum agendarum longa experientia probatum, & avidum magis agendi bene quam ſermonis in reductione talium exercere, & in medium ſtatuere velut pontem, per quem illi corde contriti de errorum invio ad ſemitam veritatis & juſtitiæ trans torrentem contaminatæ ſenſualitatis humanæ revertantur: erit enim ex noſtra atque tua parte operæ pretium in his vigilare, laborare, ſtudere, tempus ac diligentiam adhibere, nec deſinere: nam ſi communia vota reductionis eorum Dominus dignatus fuerit exaudire, habemus abundantem materiam atque lætam, unde ſummas gratias Altiſſimo referamus; ſi autem peccatis exigentibus, quod abſit, incaſſum fuerint vigiliæ & labores noſtri, & ſaltem adhibuerimus poſſe noſtrum, nobis ad torpentem deſidiam imputari non poterit, nec illorum ſanguis de manibus noſtris requiretur.*

Conquiſitæ variæ tollendi ſchiſmatis rationes.

Spectabiles viri tueri magis errorem quam agnoſcere ſolent.

VII. *Te igitur, fili prædicte, rogamus, requirimus, precamur, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, per augmentum & conſervationem fidei catholicæ, per unitatem ejus Eccleſiæ ſacroſanctæ, per publicum bonum, per communem ſalutem, per omnes denique ſpes, quæ de probe geſtis præconcipi poſſunt, quatenus hoc glorioſum & meritorium opus prompta devotione ſuſcipiens, & promptioribus effectibus proſequens, te ad partes ad hoc aptas conferas, & ad prædictorum reductionem omnibus ingenii tui viribus enitaris, laboribus, vigiliis, ſumptibus, aut etiam periculis non parcendo. Profecto non videmus, quod modernis temporibus per catholicum atque dignum principem, quam ſit iſta, res glorioſior ac laude dignior & magis meritoria effici poſſet, vel deduci.*

VIII. *Sed ne facultatis defectu in opere tam pio retardatio ſubſequatur, ubi cum præfatis Reberto & ſequacibus ſuper illorum reductione tractandi, noſtro & Romanæ eccleſiæ nomine, deducendi, veniam, atque miſericordiam & gratiam vere pœnitentibus & confeſſis offerendi, ac etiam, ſi forſan [quod tamen apud ſanam mentem impedimento eſſe non deberet, plus nempe lætatur Eccleſia ſuper filii devii reductione, quam ſuper fragilitate & moribus timorati pro fragilitate imbecillitatis humanæ] ob ſtatus diminutionem, & honoris caſum, ac mundanarum detractionem opum, quos formidarent, a reductione debita retraherentur, eis efficaciter & cum omni ſolemnitate promittendi, quod poſt petitam veniam & debitam abſolutionem ac recognitionem publicam, quod felicis recordationis Urbanus Papa VI. prædeceſſor noſter poſt electionem de ſe factam, quandiu vixit, fuit verus Papa, Romanus Pontifex Chriſti vicarius Petrique ſucceſſor; & quod poſt ejus obitum ſibi nos legitime ſucceſſimus in papatu, Robertus in primævo Cardinalatus, & ſequaces præfati in eo in quo reperientur ſtatu [quantum ſine juris alieni jam quæſiti præjudicio fieri poterit] ſervabuntur, ipſeque Robertus per eum prius in ipſa reductione omnibus papatus inſigniis atque nomine depoſitis in partibus ultramontanis quas Gallias & Hiſpanias appellant, regno Portugalliæ, & iis civitatibus atque terris, quæ per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Richardum Regem Angliæ illuſtrem & ſuæ ſequelæ perſonas, & ciſmarinis partibus poſſidentur dumtaxat exceptis, Apoſtolicæ ſedis legatus, & pro eccleſia Romana prædicta in temporalibus generalis vicarius deputabitur, & in hujuſmodi legationis & vicariatus officiis conſervabitur, donec vitam duxerit in humanis, & opportunas ad hæc obligationes cum requiſitis cautelis, ſtipulationibus, & ſolemnitatibus, & omnia & ſingula alia faciendi, exercendi, complendi & exequendi, & ad præmiſſorum executionem univerſorum Regum, ducum, principum, marchionum, comitum, baronum, & aliorum dominorum temporalium, ac prælatorum, de quibus tuæ prudentiæ videbitur implorandi præſidia & favores, & illis utendi, plenam & liberam authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem, & ſpeciale mandatum ratum habituri perpetuo atque gratum, quidquid egeris in præmiſſis. Age itaque, benemerite fili, & prout tuæ virtutes eximiæ indubiam ſpem repromittunt operare ita, quod favente Deo ex tuis hujuſmodi laboribus & magnificis operationibus ipſi, quos deſiderio deſideramus, fructus proveniant, & nos cum humana lætitia militantis Eccleſiæ ob reductionem hujuſmodi in menſam Domini ſaginatum vitulum delibemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum* [1] *VIII. idus novembris pontificatus noſtri anno primo.* Sollicitati præterea præſules (a) univerſi, Reges, principeſque catholici fuere, uti ſtudia ſua una cum duce Bavariæ ad antipapam a ſchiſmate revocandum collocarent: qua de re encyclicæ literæ ad eos datæ fuerunt immutata nonnullarum vocum formula habita cujuſcumque dignitatis ratione.





Promiſſa antipapæ reſipiſcenti legatio in Galliis & Caſtella.

Ampliſſima ad paciſcendum mandata Bavaro data.

(a) *Id. ep. cur. pag.* 327. *poſt cand. ep.*

IX. Permotus eodem pio ardore Bonifacius reducendi ad Eccleſiæ gremium, quos error ſchiſmatis abduxerat, nuntios apoſtolicos auctoritate inſtruxit, ut eos cenſuris ſolverent; interque alios Ciccum epiſcopum Puteolanum in Trinacriam miſit, in qua nonnulli antipapæ errores erant ſecuti, alii Joannæ olim Reginæ, vel Carolo Dyrrachino exauctorato, vel Margaritæ Reginæ, eorumque filio contra Urbanum adhæſerant, quos in gratiam reſtitui juſſit (b) poſtquam ſubjecta verborum formula (c) conceptum ſacramentum nuncupaſſent.

Miſſus in Trinacriam internuntius. (b) *Eod. l. 1. ep. cur. pag.* 115. (c) *Ext. ib.*

Damnandi ſchiſmatis formula propoſita.

Ego... *diœceſis ... comperto diviſionis & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar credendo, favendo, & adhærendo perditionis alumno Roberto olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbytero Cardinali, nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominare præſumit, ſibique & aliis credentibus, faventibus, adhærentibus, ſibi ac receptatoribus, defenſoribus, complicibus, & ſequacibus, præſtando auxilium, conſilium, & favorem, & propterea nunc diuturna mecum deliberatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad unitatem ſedis Apoſtolicæ divina gratia reverſus, fateor publice me erraſſe, & de præſenti me tenere catholicam fidem, & credere & tenere quidquid credit & tenet ac docet ſancta mater Eccleſia, cui præeſt dominus noſter dominus Bonifacius divina providentia Papa IX. & quod idem dominus Bonifacius fuit & eſt verus Romanus Pontifex, & verus vicarius Jeſu Chriſti, Petrique ſucceſſor canonice electus, inthronizatus, & coronatus in Romanum Pontificem per Cardinales, ad quos vacante ſede per obitum dicti Urbani VI. electio, inthronizatio, & coronatio pertinebat, quodque perditionis prætactus alumnus Robertus, olim Cardinalis Gebennenſis non eſt Papa, ſed antipapa, apoſtaticus, & ſchiſmaticus manifeſtus; & quod ipſe tamquam antichriſtus & invaſor ac deſtructor totius Chriſtianitatis, & a liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus a Chriſtifidelibus perſequendus eſt, donec ad cor reverſus, ſuos recognoſcat errores, & ad gremium revertatur Eccleſiæ antedictæ, & quod ipſe tam Robertus quam omnes eidem in hac parte adhærentes, credentes, receptatores, defenſores, complices, & ſequaces ejus, fuerunt, & ſunt veri ſchiſmatici, apoſtatici excommunicati, anathematizati, ac diviſi & ſeparati a communione fidelium, & ab unitate ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & tamquam hæretici puniendi, & ut tales fuiſſe & eſſe juſte & ſancte, de ſchiſmate, credentia, fautoria, adhæſione, ſequela, & erroribus prædictis condemnatos, & incidiſſe in pœ-*



*nas*

NOTÆ [1] EX literis Pontificiis ad Stephanum Bavariæ Ducem, hic in Annalibus recitatis, diſcimus errare Papebrochium in Propylæo aſſerentem Bonifacium Pontificatus ſui epocham ab electione exordiri. Cum enim literæ iſtæ ſuperiori anno haud quaquam dari potuerint, vix enim eſt ut electus die II. novembris Pontifex ſtatim intra duos treſve dies excogitare & inire rationem potuerit, qua ſchiſma tolleretur; ad præſentem recte ab Annaliſta referuntur. Signantur autem die VIII. Idus novembris pontificatus anno primo, quæ ſane epocha a coronatione, non vero ab electione ducitur; alioqui dies illa novembris cum anno II. Pontificatus componenda fuiſſet. MANSI

*nas & ſententias tam a jure quam ab homine in talibus perpetrantes promulgatas, & in dictis proceſſibus contentas & declaratas: & ne ſimulate reverſus exiſtimer, ſub honoris mei caſu, & anathematis obligatione, & ſub pœna quæ a jure relapſis imponi debet, anathematizo & abjuro omnem hæreſim & ſchiſma, & nominatim damnatum ſchiſma, credentiam, & adhæſionem præfati Roberti, & me ad idem ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri gratia ereptus ſum, numquam reverſurum; ſed ſemper me in unitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, cui præeſt præfatus dominus noſter Bonifacius Papa IX. ac ſponte promitto non ficte ſed voluntarie, & ſyncere, iuro ad ſancta Dei evangelia corporaliter per me tacta, quod ſtabo & parebo mandatis Eccleſiæ & dicti domini Bonifacii Papæ, ſuper rebellionibus, fautoriis, & cæteris pœnis & ſententiis, quas ob præmiſſa & ea tangentia incurri: & quod dicto domino noſtro Papæ & ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus obediens & fidelis de cætero ero, & eis reverentiam debitam adhibebo, &c.*

Exacta ſponſio præſtandi obſequii.

X. Quod ad Siciliam citeriorem, ac Ladiſlaum & Margaretam attinet; viſum eſt Bonifacio nimium (*a*) arduum opus Neapolitanum regnum, ut conſtituerat Urbanus, contra Ladiſlaum Dyrrachinum & Ludovicum Andegavenſem Eccleſiæ aſſerere, indeque ingentia oriri pericula, expoſitum nimirum vaſtitati regnum, ſchiſmaticorumque potentiam ingraveſcere: ad quam proſternendam unicum ſupereſſe perfugium, inſontem Ladiſlaum in gratiam recipere, illumque Ludovico ſchiſmatico opponere, in quo divulſæ totius regni partes coaleſcerent. Reſtituit itaque Ladiſlaum ſolio, a quo antea Urbanus eum excluſerat, ut refert ſubjectis verbis Theodoricus e Niem (*b*): *Ipſe etiam paulo poſtquam electus fuit in Papam, dominum Ladiſlaum coronari fecit in Regem Siciliæ tunc ætatis forte* XVII. *annorum, & ipſum & dominas Margaretam matrem & Joannam præfatus, ſororem ipſius Regis Ladiſlai recepit in plenitudinem gratiæ ſuæ ac ſedis Apoſtolicæ, abſolvens ipſos ab omnibus eccleſiaſticis cenſuris & proceſſibus, quos præfatus Urbanus tulit in eos propter Regem Carolum præfatum dudum in Hungaria interfectum.* Convertit mox ſtudia Bonifacius ad firmandas Ladiſlai res, qui Cajetæ hactenus latuerat, cum hoſtis Neapolim, ampliſſimaſque regni provincias in ſuo obſequio contineret; creavitque (*c*) legatum Angelum Acciajolum civem & epiſcopum Florentinum, cujus virtute antipapæ Florentinos ſubornare meditantis diſcuſſos dolos vidimus, eumdemque tit. S. Laurentii in Damaſo presbyterum Cardinalem, ut ſua manu Ladiſlaum diademate Neapolitano redimiret (*d*), atque omnes citeriores Siculos novo regi, ac Margaretæ ejus matri, cui filii clientelam regnique procurationem commendabat, obſequi juſſit.

(*a*) *Bonif. l.*1. *ep. cur. p.*123.

Ladiſlaus in gratiam admiſſus.

(*b*) *Theod. e Niem l.*2. *c.* 14.

Cenſuris ſolutus.

(*c*) *Bonif. l.*1. *ep. cur. pag.* 123. *Hector. Pignat. in MS. diar. Neap. S. Anton.* 3. *p. tit.*22. *c.* 3. *in princ. Summon. l.*4. *c.*2. *Pandul. Collen. l.*5.

(*d*) *Bonif. ſuper p.* 123.

*Dilectis filiis nobilibus viris, ducibus, principibus, comitibus, baronibus, & militibus, necnon communitatibus, univerſitatibus, particularibuſque perſonis civitatum, terrarum, & locorum regni Siciliæ & terræ citra pharum, ad quos præſentes advenerint, ſalutem, &c.*

*Quamquam nonnullis ex vobis per diverſas noſtras literas duxerimus intimandum, quod ſtatui regni Siciliæ & terræ citra pharum, quæ eccleſiæ Romanæ juris & proprietatis exiſtunt, multipliciter deformato, de illo unico remedio, quod expediens videbatur providere cupientes, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ladiſlaum Regem Siciliæ illuſtrem regali ſolio eorundem regni, ac terræ auctoritate apoſtolica, de fratrum noſtrorum conſilio ſublimavimus, & cum pro regio diademate de noſtris manibus ſuſcipiendo ex certis legitimis cauſis ad noſtri præſentiam venire non poſſit, dilectum filium noſtrum Angelum tit. S. Laurentii in Damaſo presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum ad ipſum Ladiſlaum Regem noſtris vice & nomine coronandum, & ut etiam ipſi Regi opportunis, & favoribus & præſidiis aſſiſteret, partes tranſmiſimus ad eaſdem; & cum idem Rex minor annis exiſtat, dictum Cardinalem balium, & chariſſimam in Chriſto filiam noſtram Margaritam Reginam Siciliæ illuſtrem dicti Regis genitricem baliam Regis & regni prædictorum, donec ipſe Rex adoleſcat, & alias ad beneplacitum noſtrum deputavimus: & ne quid ex his, quæ in nobis eſſent deforet, pro exaltatione dicti Regis, & reductione ſeu etiam confuſione rebellium navale ac terreſtre præſidium illuc tranſmiſimus, diſpoſiti alias abſque intermiſſione in præmiſſis aſſiſtere efficaciter & potenter; nihilominus tamen prædicta quibus, ut præfertur, ſcripſimus iterantes, & ea ſignificantes reliquis ex vobis, devotionem veſtram attente requirimus & monemus, vobis nihilominus diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus pro noſtra & dictæ ſedis reverentia, ac debito noſtro eiſdem Regi & balio ac baliæ, eorumque officialibus exhibentes fidelitatem, obedientiam, & reverentiam debitas & devotas, non ſolum illa, quæ ſibi tenemini; ſed etiam ultra ea veſtris pro viribus hoc arduo neceſſitatis articulo eidem Regi præſtare prompte, & effectualiter ſtudeatis, ut Rex ipſe veſtris fidelitate & præſidiis adjutus devictis, triumphatiſque hoſtibus optatam pacem & tranquillitatem vobis ac toti regno dare poſſit, & ſuis loco & tempore fidelitatem & obſequia veſtra grata recognoſcere, & condignis retributionibus præmiare. Datum Romæ apud S. Petrum* IX. *Kal. martii pontificatus noſtri anno* I.

Reſtitutum illi regni Siciliæ jus.

Card. Acciajolus regia illi conferre ornamenta juſſus.

Neapolitani ad præſtanda illi obſequia commoniti.

Con-



XI. Contulit (*a*) menſe majo Ladiſlao regiæ [1] ornamenta dignitatis ſolemni ritu Angelus legatus, regnumque beneficio ſedis Apoſtolicæ gerere profitentem ſacramento adegit futurum præſidio ſedi ipſi adverſus antipapæ & pſeudocardinalium impetus: cæterum pactiones eædem cum eo repetitæ, quæ ab Urbano cum Carolo confectæ fuerant, detracta tamen ea, quæ tot mala invexerat, ex qua Carolus ut Urbani nepoti principatum Capuanum, alioſque amplos comitatus traderet, obſtrictus fuerat: de quibus datæ fidei teſtes a Ladiſlao Rege ad Bonifacium hæ literæ (*b*) fuerunt.

Ladiſlaus regiis ornamentis inſignitus.

(*a*) *Hector. Pignat. in MS. diar. Neap. Bonif. l.*3. *pag.* 187. *Summon. l.*4. *c.*2.

(*b*) *Ext. apud Bonif. l.*3. 197.

*Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino clementiſſimo, domino meo domino Bonifacio divina providentia Papæ IX. Ladiſlaus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Rex Siciliæ ſanctitatis veſtræ devotus & reverens filius devotionem, reverentiam, obedientiam filialem, & pedum oſcula beatorum. Ad perpetuam rei memoriam, & ſanctitatis veſtræ, ſanctæque Romanæ eccleſiæ certitudinem & cautelam.*

Ejus literæ.

*Cum per ſanctitatem veſtram & Romanam eccleſiam ex ſpeciali eorum gratia & mera liberalitate mihi & heredibus meis, ut infra deſcribitur, ex meo corpore legitime deſcendentibus, fuerunt perpetuo conceſſa regnum Siciliæ & terra citra pharum, excepta civitate Beneventana cum ejus territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis per Romanum Pontificem diſtinctis & etiam diſtinguendis, quam Romana eccleſia ſibi hactenus retinuit & reſervavit &c. nunc, prout plenius infra deſcribitur, retinet & reſervat, & quæ Romanæ eccleſiæ remanebit juxta modos, conventiones & formas, conditiones & pacta infraſcripta, & eadem ſanctitas me de eiſdem regno & terra inveſtire, & coronare regali diademate decrevit per ſe vel alium, recepto prius a me ſeu quibuſdam procuratoribus & nunciis meis tunc expreſſis, ad pedes ſanctitatis ejuſdem cum pleno & ſufficienti mandato ſuper hoc a me ſpecialiter deſtinatis in forma, quæ ſequitur, fidelitatis debitæ juramento ac pleno homagio & ligio vaſſallagio pro hujuſmodi feudo debitis & conſuetis, & per reverendiſſimum in Chriſto patrem & dominum dominum Angelum tit. ſancti Laurentii in Damaſo presbyterum Cardinalem Apoſtolicæ ſedis legatum ad coronandum me in Regem dictorum regni & terræ regali diademate, & de eiſdem regno & terra per vexillum ejuſdem Romanæ eccleſiæ inveſtiri & regalibus inſigniis decorari mandaverit, promiſerimque & juraverim inter alias conditiones, me daturum privilegium meum cum bulla aurea bullatum, in quo plenum homagium & ligium vaſſallagium pro eiſdem regno & terra, & juramentum fidelitatis per me ſeu dictos procuratores meos præſtitum contineantur expreſſe: & quod fatear & recognoſcam me & heredes meos regnum & terram prædicta, excepta civitate Beneventana & ejus territoriis & diſtrictu & pertinentiis, quam eadem ſancta & Romana eccleſia ſibi & eidem eccleſiæ reſervavit, & quæ eidem eccleſiæ remanebit, fore mihi & heredibus meis a ſanctitate veſtra & Romana eccleſia ex ſola earum gratia & mera liberalitate in feudum perpetuo conceſſa, & ſic ea tenere & poſſidere, ideoque volens, prout teneor, hujuſmodi meum promiſſum, juramentum, recognitionem, & bonam fidem agnoſcere plenum homagium & ligium vaſſallagium pro dictis regno & terra pro me & meis heredibus, ac meo & ipſorum heredum nomine pro vobis domino meo domino Bonifacio Papa IX. & ſucceſſoribus veſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, & Romana eccleſia in manibus dicti domini legati recipientis authoritate, vice & nomine ſanctitatis veſtræ & Romanæ eccleſiæ & ſucceſſorum prædictorum feci, & juramentum præſtiti in forma, quæ ſequitur.*

XII. Fiduciariæ ſponſionis Bonifacio exhibitæ formula.

*Ego Ladiſlaus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Rex Siciliæ, ad honorem omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ matris*



NOTÆ [1] HOc anno in Regem Siciliæ ſolemni ritu ab Angelo Cardinali Legato Ladiſlaum conſecratum fuiſſe exploratum eſt apud omnes. De die & menſe ambigitur; cum apud Annaliſtam ſcriptores majum menſem, diem incertam aſſignent; & Sozomenus ſcriptor vetus Piſtorienſis diem XXIX. aprilis indicet. Verum memoria lapſum Sozomenum vel oſcitantia quadam diem XXIX. Aprilis pro die XXIX. maii ſcripſiſſe non dubito. Dies enim illa Aprilis nulla feſti diei, qua plerumque ſolemnes illi ritus præſtabantur, religione diſtinguebatur. Viciſſim autem dies XXIX. maii in dominicam incidit. Nec ambigo quin eadem ipſa adeptæ coronæ die Ladiſlaus dederit literas illas in Annalibus recitatas, quibus de manu Pontificis obtinuiſſe ſe regnum profitebatur. Literæ vero illæ diem XXIX. maii præferunt.

Ad Angelum vero Legatum A. S. & Cardinalem, quod attinet, ab Annaliſta Florentinus Epiſcopus appellatur. Nolim tamen exiſtiment lectores Angelum tunc re ipſa Eccleſiam illam gubernaſſe. Olim quidem illam rexerat, ſed poſt biennii adminiſtrationem reſignandam cenſuit, quod anno 1387. aſſignat Ughellius. Suffectus eſt F. Bartholomæus Ularius Patavinus, quem Annaliſta hic in S. R. E. Cardinalium collegium cooptatum anno ſequenti 1388. recte notat. Dignitatem adeptus Bartholomæus epiſcopalem Cathedram dimiſit, quæ ſequenti anno 1390. pridie Kal. Februarii F. Onuphrio Steccuto Eremitæ Auguſtiniano commiſſa fuit. Hæc ad illuſtranda Annaliſtæ verba adnotare viſum fuit. MANSI

*tris ejus, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum, ac ſanctiſſimi domini mei domini Bonifacii Papæ IX. ac eorumdem veſtrorum ſucceſſorum & ejuſdem Romanæ eccleſiæ ac Apoſtolicæ ſedis ſanctiſſimo patri domino meo domino Bonifacio Papæ IX. pro eo & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus canonice intrantibus & Romana eccleſia in manibus noſtri reverendiſſimi patris & domini domini Angeli tit. S. Laurentii in Damaſo presbyteri Cardinalis A. S. L. coram quo conſtitutus exiſto recipientis nomine & pro parte ejuſdem domini noſtri & ſucceſſorum & eccleſiæ prædictorum, plenum homagium & ligium vaſſallagium pro me & heredibus meis & meo ac eorum nomine, pro regno Siciliæ & terræ citra pharum uſque ad confinia ejuſdem eccleſiæ, quæ utique a regno & terra prædictis tenentur, excepta civitate Beneventana ejuſque territorio & diſtrictu & pertinentiis ſuis ſecundum antiquos fines territorii, & pertinentiarum & diſtrictuum civitatis ejuſdem per Romanum Pontificem diſtinctos & etiam diſtinguendos, quæ idem dominus noſter mihi & heredibus meis ſub conventionibus, conditionibus, pactis, & formis infraſcriptis conceſſis in feudum recognoſco & fateor, quod inter eumdem dominum noſtrum & Romanam eccleſiam ex una parte, & magnificos Nicolaum Nolanum, Neapoleonem de Urſinis dicti regni logothetam Manupelli comites, & Antonium Baraballum militem Neapolitanum, Gentilem de Medolinis de Sulmona legum doctorem, Bonacurſum Manerium Florentinum, Philandrum Squeii, Bellum Pitam, & Joannem Cornellam cives Gajetanos fideles & nuntios procuratores meos ad hoc cum pleno & ſufficienti mandato ad pedes ipſius domini noſtri ſpecialiter deſtinatos ex altera pro me & heredibus meis conventiones, conditiones, modi & formæ, & pacta infraſcripta intervenerunt, & fuerunt appoſita in conceſſione hujuſmodi regni Siciliæ & terræ mihi meiſque hæredibus per ſanctitatem ipſam & Romanam eccleſiam facta pertinentia ſeu ſpectantia ad perſonas eorum, qui ſunt mihi & meis heredibus ſucceſſuri in regno & terra prædictis: quæ omnia & ſingula tam per me, quam per dictos meos in dicto regno & terra heredes ſucceſſores ſervare promitto & contra ea non venire, quæ talia ſunt.*

Beneventum & ejus ager in regni donatione excepta.

Qui oratores miſſi a Ladiſlao ad Bonif.

XIII. *Promitto & juro ego Ladiſlaus Rex Siciliæ, quod ego vel mei in dicto regno heredes nullas unquam conſpirationes, colligationes, vel conjurationes cum quibuſcumque Regibus, principibus, magnatibus, ſeu communitatibus, univerſitatibus, ac perſonis aliis fidelibus & infidelibus contra dominum Bonifacium Papam IX. vel ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices canonice intrantes, ſeu Romanam eccleſiam, ſeu ipſius domini noſtri vel eorum ſucceſſorum, ſeu Romanæ eccleſiæ damnum faciemus, nec fieri conſentiemus, ſeu promittemus quantum in nobis fuerit, nec facta rata habebimus, nec unquam ab ejuſdem domini noſtri & ſucceſſorum ejus & ipſius Romanæ eccleſiæ obedientia recedemus, nec aliquod ſchiſma contra eum vel ſucceſſores ſuos aut Romanam eccleſiam facientes, aut cujuſcumque ſchiſmatis ſeu hæreſis actores ſeu fautores erimus, nec hujuſmodi conſpiratores, colligatores, aut conjuratores, aut ſchiſma contra eum vel ſucceſſores aut eccleſiam prædictos faciemus, aut ſchiſmaticos & hæreticos receptabimus, ſeu quomodolibet eis favebimus, aut eis aliquod conſilium, auxilium, vel favorem præſtabimus, nec alios eidem domino noſtro vel eidem eccleſiæ rebelles, aut ipſius vel ejuſdem eccleſiæ hoſtes ſeu inimicos, vel rerum ſeu bonorum ipſius eccleſiæ invaſores aut occupatores in regno & terra prædictis, aut aliqua ipſarum parte, aut alio quovis loco, in quo temporalem poteſtatem habebimus, receptabimus, aut per alios receptari quomodolibet patiemur ſeu permittemus ſcienter, ſed illos effectualiter perſequemur.*

Nuncupatum fidei ſacramentum a Ladiſl.

De colendis eccleſiæ imperiis.

XIV. *Quod autem ſupradicitur de inimicis & rebellibus extra regnum & terram prædicta non receptandis intelligatur de notoriis vel declaratis ſeu declarandis aut alias nominandis per Romanum Pontificem, in regno autem & terra prædictis intelligatur prout ſuperius eſt expreſſum. Inſuper omnes & ſingulos proceſſus, ſententias, conſtitutiones, mandata & ordinationes per eundem dominum noſtrum & ſucceſſores ſuos ſeu authoritate apoſtolica jam factos & faciendos, aut latos & ferendos necnon factos & fiendos contra Robertum olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum Cardinalem nunc antipapam, qui ſe Clementem VII. nominat, & electores ipſius Roberti olim Cardinales, eorumque ſequaces, fautores, receptatores, & adhærentes eiſdem, & alios in proceſſibus felicis recordationis Urbani papæ VI. comprehenſos, & omnia & ſingula in eis contenta publicari & obſervari, & executioni demandari in dictis regno & terra & alibi, ubicumque poterimus tam ego quam prædicti mei in dicto regno faciemus & fieri permittemus diligenter & bona fide: ſi vero ignoranter & monitus ſeu moniti ſuper iis promiſſa non emendaverimus ſeu emendaverint, aut mandatis ipſius domini noſtri aut ſucceſſorum, aut eccleſiæ prædictorum non paruerimus ſeu paruerint, regnum & terra prædicta ad eandem Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem libere revertantur; & nihilominus in præmiſſis caſibus omnes & ſinguli principes, duces, comites, barones, nobiles, & milites aut alii de dicto regno & terra, necnon civitates, univerſitates, ac ſingulares perſonæ earumdem civitatum & univerſitatum eo ipſo ſint abſoluti a juramento fidelitatis, homagii, aut alterius cujuſcumque obſequii debito, ſubmiſſione, obligatione, vel pacto quacumque firmitate vallato, quibus mihi vel ipſis heredibus meis eſſent aſtricti, & ſanctitatem ipſam, & dictam eccleſiam, cujus homines & vaſſalli principaliter exiſtunt, etiam contra me & dictos heredes juvare & defendere teneantur.*

Exequendis ſanctionibus in ſchiſmaticos.

Si non paruerit, regnum ad Rom. eccleſiam devolutum iri paciſcitur.



*Si vero in meo vel meorum in dicto regno heredum obitu legitimum heredem, prout ſubſequitur me aut ipſos heredes meos, quod abſit, non habere contigerit, regnum ipſum ad ipſam Romanam eccleſiam & ejus diſpoſitionem libere revertatur: deſcendentes autem ex me vel ipſis meis heredibus Siciliæ Regibus mares vel fœminæ in eodem regno ſuccedant; ſic tamen, quod extantibus maribus uſque ad quartum gradum, ut infra deſcribitur, fœminæ non ſuccedant, ſed mares hujuſmodi dumtaxat. De liberis duobus maribus in eodem gradu per eandem lineam concurrentibus, primogenitus præferatur, & ſi aliquem de heredibus vel ſucceſſoribus meis Regibus Siciliæ ſine legitima & maſculina prole ſui corporis mori contingat, ſuccedant eiſdem ſervatis gradibus ſi ſuperſtites fuerint hæ perſonæ, videlicet Regis ſine filio maſculo legitimo ex ſuo corpore deſcendente, frater, aut collaterales ſuperiores; mares tamen ſi ſuperſint, ut puta patrui, vel avunculi & ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos ego habeo ad præſens, vel habebo dum vixero, & qui poſt meum obitum ex illis forſitan orientur exceptis, ita tamen quod inclyta Joanna illuſtris germana mea in hujuſmodi exceptione non includatur, ſed tam ipſa quam ſui heredes ex ſuo corpore legitime deſcendentes in caſibus ſupra & infra deſcriptis ad eandem ſucceſſionem admittantur: collaterales autem inferiores ſuccedant ſimiliter, mares tamen, ſi ſuperſint, utpote nepos ex fratre inferius uſque ad eundem gradum tantummodo quartum: deficientibus vero hujuſmodi maribus, ſuccedent fœminæ, ſi ſuperſtites fuerint, uſque ad quartum gradum, ut ſuperius eſt expreſſum, videlicet ſi aliquem de ſucceſſoribus meis Regem vel Reginam Siciliæ ſine prole legitima ſui corporis mori contigerit in futurum, ſuccedent eidem, ſervatis gradibus ſi ſuperſtites fuerint perſonæ, videlicet Regis & Reginæ ſine prole legitima ex ſuo corpore deſcendente ſoror, aut collaterales ſuperiores fœminæ, utpote amitæ & materteræ, & ſurſum uſque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus quos habeo ego ad præſens & habebo dum vixero, & qui poſt meum obitum forſitan ex eiſdem orientur exceptis, eadem Joanna & ſuis heredibus in hujuſmodi exceptione per modum ſuprapoſitis non incluſis: collaterales etiam inferiores ſuccedent ſimiliter fœminæ, utpote neptis ex fratre vel ſorore & inferius uſque ad eundem gradum tantummodo quartum: quod autem de fœminis quartæ lineæ, & collateralibus ſuperius eſt expreſſum, intelligendum eſt, tam de nuptis, quam de non nuptis, dummodo nuptæ ſint fidelibus & eccleſiæ Romanæ devotis, & ſic inter has perſonas gradus ſervati, &c.* ( Quæ ſequuntur iiſdem ſunt concepta verbis, atque in literis Caroli III. Regis., dempta illa in pontificium nepotem Capuani principatus & aliorum comitatuum largitione. )

Item ſi deſit hæres legitimus.

Ordo ſucceſſionis deſcriptus.

Mares præferendi fœminis.

XV. *Jus autem, quod quicunque eccleſiæ Romanæ fideles in comitatibus, civitatibus, caſtris, villis, ſeu locis a Regibus ſive principibus ſibi conceſſum obtinent; necnon jus, quod privati a jure, vel per proceſſus prædictos occaſione damnati ſchiſmatis olim habebant, ſi eos abjurato prius ſchiſmate per nos reſtitui contingat etiam penitus ſalvavimus & ſalvari curabimus, nec per hujuſmodi regni & terræ conceſſionem & comitatuum, ſeu aliorum conceſſorum hujuſmodi, cuiquam quoad proprietatem & poſſeſſionem præjudicium aliquod generetur Regis in his omnibus jure ſalvo.*

Execraturis ſchiſma clientibus reſtituta jura.

*Nullam etiam confœderationem ſeu pactionem vel ſocietatem cum aliquo Imperatore vel Rege ſeu principe aut barone Chriſtiano, Græco, vel Saraceno, aut cum aliqua provincia ſeu civitate aut communitate, ſive loco aliquo ſcienter contra Romanam eccleſiam, vel in ejus damnum faciemus; & ſi eam fecerimus ignoranter, tenemur ad mandatum Eccleſiæ revocare. Denique omnes præmiſſas conditiones, quæ in perſona mea apponuntur, circa meos etiam in dicto regno heredes & ſucceſſores intelligantur & intelligi volo eſſe dicta, ſalvis aliis, quæ circa heredes meos ordinata ſunt, prout ſuperius eſt expreſſum. Cæterum quia in quibuſdam articulis ſeu capitulis prædictorum conſtitutionum continetur expreſſe, quod in certis caſibus ego & prædicti mei heredes excommunicationis ſententiam incurramus, ac dictum regnum & mea & ipſorum heredum terra ſint eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, volo & conſentio, quod excommunicationis in me & heredes meos, & interdictum in regnum & terras prædicta per vos promulgatæ teneant, & illis fore ligatos ſi mea vel ipſorum culpa hujuſmodi caſus emerſerint, ut dictum eſt. Forma autem juramenti per me vel dictos meos procuratores præſtiti, & per meos in dicto regno heredes præſtandi, talis eſt: Ego Ladiſlaus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium, ligium, vaſſallagium faciens vobis domino meo domino Bonifacio Papæ IX. & eccleſiæ Romanæ in manibus dicti domini legati, pro regno Siciliæ & tota terra citra pharum uſque ad confinia terrarum ipſius eccleſiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis ſecundum antiquos*

Anathematis pœnam, ſi promiſſa violet, admittit Ladiſlaus.

*quos fines territorii, pertinentiarum, & diſtrictus civitatis ejuſdem per Romanum Pontificem vel in diſtinctos vel impoſterum diſtinguendos ab hac hora in antea fidelis ero & obediens beato Petro & vobis domino meo domino Bonifacio Papæ IX. veſtriſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, &c.* ( Concepta eſt iiſdem verbis ejus ſacramenti formula (*a*), quibus a Carolo Rege Ladiſlai parente nuncupatum eſt uſque ad verba, *contra illa*; ( quibus hæc adduntur. )

(*a*) *A. C.* 1381. *n.* 22.

*Item Roberto olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbytero Cardinali vulgariter dicto Gebennenſi, nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominat, Petro olim Portuenſi vulgariter dictò Florentino, & Bertrando olim Oſtienſi vulgariter dicto Glandinenſi * epiſcopis, necnon Guillelmo olim S. Stephani in Cœlio monte vulgariter dicto de Agrifolio, Guidoni olim tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem vulgariter dicto Pictavienſi, Petro olim tit. S. Laurentii in Lucina vulgariter dicto Vivarienſi, & Joanni olim tit. S. Marcelli vulgariter dicto Ambianenſi presbyteris, ac Hugoni olim S. Mariæ in via lata vulgariter dicto de Verneio, & Petro olim S. Mariæ in Coſmedin vulgariter dicto de Luna diaconis Cardinalibus perditionis filiis, juſto Dei judicio authoritate prædicta condemnatis, & eorum ſequacibus, ac dantibus eis vel eorum alicui auxilium, conſilium, & favorem cujuſcumque fuerint præeminentiæ.* ( Nonnullis deinde additis, quæ in prædicta formula (*b*) extant, ad calcem appoſita ſunt hæc ): *Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. In quorum omnium teſtimonium & memoriam ſempiternam prius ſcriptum in duobus pergamenis glutinatis & ſimul junctis conſcriptum fieri feci, & me aurea bulla impreſſa typario communiri. Actum Gajetæ*, & infra: *anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo die vigeſimo nono menſis maji, tertiæ decimæ indictionis, pontificatus præfati ſanctiſſimi domini noſtri domini Bonifacii Papæ IX. anno primo, regnorum vero meorum anno quarto.*

Denuntiatæ anticardinalibus inimicitiæ.
* Glandaeenſi.

(*b*) *Ib.*

XVI. Tentatus veneno Ladiſl.

Comparatæ paulo ante Ladiſlai vitæ fuerant inſidiæ, ac Raymundus archiepiſcopus Arelatenſis in veneficii crimen vocatus eſt, cujus poſtulandi cognoſcendæque cauſæ provincia Angelo Cardinali legato, de quo paulo ante meminimus, eſt demandata (*c*).

(*c*) *Bonif. ep. cur. l.* 1. *p.* 140.

*Dilecto filio Angelo tit. S. Laurentii in Damaſo presbytero Cardinali poſtolicæ ſedis legato, ſalutem, &c.*

Raymundus archiep. Arelat.

*Ad audientiam noſtram, non ſine magna mentis noſtræ turbatione pervenit, quod filius iniquitatis Raymundus archiepiſcopus Arelatenſis ſuæ ſalutis, ſuique debiti & pontificalis ordinis parum memor, quibuſdam ſuis ſecum aſcitis in hac parte complicibus, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ladiſlaum Regem Siciliæ illuſtrem, cujus dictus Raymundus quoad bona temporalia Arelatenſis eccleſiæ ſubditus erat, exquiſitis modis in civitate Gajetana ſimulata familiaritate, & alias mentita devotione ac fidelitate, veneno necare tentavit, & ad id, quantum in ſe fuit, opem & operam adhibuit efficaces, crimen læſæ majeſtatis, necnon graves pœnas & ſententias juris & hominis, in talia perpetrantes promulgatas damnabiliter incurrendo: propter quod cum contra eum in dicta civitate raptim gravis infamia ſurrexiſſet, ibidem captus tandem fuit prout eſt tuis carceribus mancipatus. Nos igitur attendentes, quod ex immanitate hujuſmodi excogitati facinoris, quod ne manciparetur effectui, ipſe Deus, cujus in ea parte agebatur cauſa, ſua pietate probibuit, ſi [ quod abſit ] in effectum prodiiſſet tam eccleſiæ Romanæ, quam reipublicæ & ſtatui regni Siciliæ ac terræ citra pharum mala, ſcandala, & pericula; & quod hoſtibus & rebellibus eccleſiæ & Regis prædictorum fomenta audaciæ & temeritatis erant veriſimiliter perventura, & propterea ne tam enorme, notoriumque facinus in exempli peſſimi damnatam perniciem tranſeat impunitum*, & infra, *per te vel alium ad id idoneum, forma juris a ſanctis patribus tradita in talibus plenius obſervata, ipſum Raymundum ab epiſcopali dignitate ſeu gradu, eumque & complices ſupradictos ſi, ut præmittitur, eccleſiaſticæ perſonæ fuerint, ab omnibus ordinibus, ad quos alias rite vel per ſaltum promoti ſint verbaliter & actualiter degradandos fore, ac degrades, ipſoſque ſic degradatos ſæculari curiæ tradendos fore ac tradas alias puniendos juxta canonicas ſanctiones, contradictores, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum* 11. *idus martii pontificatus noſtri an.* 1.

In vincula conjectus.

Foreńſi ſatellitio tradi juſſus.

XVII. Ludovic. Andeg. expeditio in Neap. regnum.

Cum ad nihilum reciderent occultæ ſchiſmaticorum fraudes, Ladiſlaum aperto bello petierunt; regiiſque inſignibus jam ante ab antipapa redimitus Ludovicus Andegavenſis cum metueret, ne Ladiſlaus pontificia auctoritate regio inſigni exornatus facile Neapolitanos ad ſuum obſequium reduceret, adjuncto ſibi Petro e Tureio pſeudocardinale legato expeditionem ſuſcepit (*d*), atque hoc anno adulta æſtate Neapolim claſſe comparata invectus ſumma civium gratulatione (*e*) exceptus eſt, adortuſque bello arces Ovi & S. Hermi, quæ adhuc præſidiario milite inſtructæ Ladiſlai partes firmabant, eas ad deditionem compulit, Puteoloſque expugnavit. Verſum tamen prodigio eſt, coorta tempeſtate ejus vexillum ventorum vi ex Carmelitanorum campanili turri dejectum fuiſſe, quod cum juſſus miles reſtituere niteretur, in ipſo conatu eum fulmine percuſſum. Tulit opem laboranti Ladiſlao Bonifacius, ac Nicolaum Imolenſem notarium pontificium ſexcentis ſuccinctum equitibus in regnum Neapolitanum pridie non. octobris ſubmiſit, proceresque ac nobiles viros cohortatus eſt, ut præſidio illi non deeſſent, præmia indulgentiarum contra Andegavenſem, ut antipapæ ſigniferum arma correpturis propoſuit (*a*), Angelum Cardinalem Acciajolum legatum diſtrahere plura Romanæ eccleſiæ prædia, quæ in Beneventano agro & Aprutio erant, ut aurum in bellicos ſumptus cogeret, tum a ſingulis Neapolitani regni familiis, cum paratis ſtipendiis opus eſſet, aureum exigi juſſit (*b*), ac religioſos & eccleſiaſticos eidem oneri ſubjecit ad progreſſus Ludovici Andegavenſis retardandos, qua de re hæ datæ ad legatum literæ (*c*).

(*d*) *Bonif. l.* 1. *pag.* 241.
(*e*) *Clem. antipap. vitæ ſcriptor. apud Boſq. Hector. Pignat. in MS. Diar. Neap. Summont. l.* 4. *c.* 2. *Pandulph. Collen. hiſt. Neap. l.* 5.



Ovi & S. Hermi arces ab eo expugnatæ.

(*a*) *Bonif. l.* 1. *p.* 223.

(*b*) *Pag.* 234.

(*c*) *Pag.* 248.

Submiſſa a Bonifacio auxilia Ladiſlao.

*Angelo tit. S. Laurentii in Damaſo presbytero Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato, ſalutem, &c.*

*Cum iniquitatis alumni Robertus olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyter Cardinalis, nunc antipapa, qui ſe Clementem VII. auſu temerario nominare præſumit* (*d*), *& nonnulli alii olim ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales* (*e*), *ac alii eorum ſequaces & fautores ac adhærentes eiſdem, in profundum deſcendentes malorum conentur ſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſcindere unitatem, & ut facilius ſuum impium propoſitum hujuſmodi adimplere valeant, cum perditionis filio Ludovico damnatæ memoriæ Ludovici olim ducis Andegavenſis nato, qui ſe etiam Jeruſalem & Siciliæ Regem auſu temerario nominare præſumit, & nonnullis ejus complicibus contra nos & dictam eccleſiam conſpiraverunt ad invadendum & occupandum regnum Siciliæ & terram citra pharum, quæ de patrimonio B. Petri & ejuſdem Eccleſiæ exiſtunt, & propterea idem Ludovicus ad ipſum regnum Siciliæ cum magna armigerarum gentium & galearum multitudine ſe perſonaliter contulerit, & civitatem Neapolitanam ac nonnullas alias civitates, terras, caſtra, villas, & alia loca regni & terræ prædictorum occuparit, & occupare pertinaciter conatur, & ad reſiſtendum ipſorum perverſis conatibus & providendum honori, & ſtatui noſtro ac Eccleſiæ, necnon chariſſimi in Chriſto filii noſtri Ladiſlai dictorum regnorum Jeruſalem & Siciliæ Regis ac regni & terræ prædictorum, & compeſcendum ipſorum perverſorum nequitias per dictum Ladiſlaum Regem, & comites, barones, & alios nobiles ipſius regni de conſenſu noſtro nonnullæ gentes armigeræ fuerunt ordinatæ, quorum ſtipendiis nos etiam contribuere habemus; & propterea quia nos & ipſos Regem, & comites, barones & nobiles neceſſe eſt ſubire diverſa & magna profluvia & onera expenſarum, ipſi Rex & comites, barones & nobiles cum omnibus & ſingulis perſonis laicis regni & terræ prædictorum focum & larem tenentibus unum florenum per eos & eorum quemlibet annuatim uſque ad certum tempus ſolvendum duxerint, etiam de noſtro conſenſu, imponendum: nos volentes, prout juri conſonum, quod etiam perſonæ eccleſiaſticæ regni & terræ prædictorum ad præmiſſa expenſarum onera, quæ per cameram apoſtolicam aliis oneribus plurimum gravata nullatenus ſupportari poſſunt, ſupportandum nobis & ipſi cameræ in præmiſſis [ in quibus Dei & fidei, ac etiam ipſarum perſonarum eccleſiaſticarum cauſa agitur ] ſubveniant hujuſmodi impoſitionem unius floreni annuatim, durante dicta ordinatione ad omnes & ſingulas perſonas eccleſiaſticas quaſcumque exemptas & non exemptas in prædictis regno & terra conſiſtentes, etiamſi archiepiſcopali vel epiſcopali, aut quavis alia præfulgeant dignitate, ſeu cujuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis aut ſtatus, religionis vel ordinis extendi volumus, & extendimus authoritate apoſtolica per præſentes, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum x. kalend. decembris pontificatus noſtri anno ſecundo.*

(*d*) *Id. ib. pag.* 241. *Hector. Pignat. in MS. Diar. Neap.*
(*e*) *Eod. l.* 1. *pag.* 241.

Comparata adverſus ejus conatus præſidia.

Indictum vectigal.

XVIII.

Ad comparanda majora in difficili bello præſidia, cum gravis terror urgeret Bonifacium, ne Ludovicus Andegavenſis regno potitus arma in ditionem eccleſiaſticam poſtea inferret, ac Romam in antipapæ ſevitutem redigere conaretur, Bartholomæo tit. S. Potentianæ presbytero & Marino S. Mariæ novæ diacono Cardinalibus plura eccleſiarum ac monaſteriorum prædia oppignerandi alienandive poteſtatem fecit (*f*): tum viris nobilibus plures Romanæ eccleſiæ urbes, arceſque & oppida, quorum ii præfecturam pleriſque jam invaſerant, jure fiduciario contulit, certis legibus, annuoque cenſu, & vectigali militari impoſitas, cum ita illos ſibi ad tutandas Eccleſiæ partes devincere putaret, atque ærarium refici poſſe, haſque toparchias Romanæ eccleſiæ vicariatus dixit: inter cæteros vero Antonium comitem Montisferetri Urbini (*g*) & S. Angeli papalis ſive Callienſis ad annos duodecim, in Faventina urbe, ad decennium, Aſtorgium e Manfredis (*h*), Bertrandum (*i*) de Aliodoſiis Imolæ ad quinquennium, Cecchum & Pinum Ordelaffos Forilivii, Carolum (*k*) & Pandulphum ac Malateſtam & Galeotum Malateſtas (*l*) Fani, Arimini, Foriſempronii, ac plurium aliorum oppidorum, Albertum (*m*) marchionem Ateſtinum Ferrariæ, pluresque alios minoris nominis vicarios creavit, iis tamen pactionibus, ut conſtitutam auri vim recurrente annis ſingulis Apo-

(*f*) *Lib.* 1. *ep. cur. p.* 260.

Eccleſiaſtica bona oppignerata ac aliena a Bonifacio.

(*g*) *Id. ib. p.* 267.

Urbes ſubjectæ pignori vel jure beneficiario collatæ.

(*h*) *Ibid. p.* 135.
(*i*) *Ibid. p.* 141.
(*k*) *Pag.* 161.
(*l*) *Ibid. p.* 299. & 305.
(*m*) *Ibid. p.* 174.

Apoſtolorum Petri & Pauli feſto die in pontificium ærarium inferrent, pactumque militum numerum ſuis ſtipendiis in pontificiis obſequiis ſuſtentarent (*a*). Ferrarienſis quidem vicarius ad numeranda quotannis decem aureorum millia & centum equites & amplius, ſi res poſceret egregie inſtructos ſubmittendos certis pactionibus obſtrictus eſt (*b*), cæteriſque ſingulis pariter leges aliæ dictæ, exactumque ab iis fidei ſacramentum, omni contentione ipſos antipapæ adverſaturos; cujus formula iiſdem ferme verbis concepta eſt, quam Alberti marchionis orator coram Bonifacio nuncupavit (*c*) hiſce verbis:

(*a*) *Pag.* 162. 179. 196. 203. 123. 235. 237. & 239.
(*b*) *Pag.* 137.
Ferraria Alberto Ateſtino tradita.
(*c*) *Ext. apud Boniſ. IX. l.* 11. *pag.* 180.
Sponſionis a Ferrarienſi præſtitæ formula.

*Ego Antonius de Montecatino laicus Lucanæ diœceſis legum doctor, procurator, & nuncius & procuratorio nomine Magnifici viri domini mei Alberti Marchionis Eſtenſis, in civitate, comitatu & diſtrictu Ferrarienſi pro beatiſſimo in Chriſto patre & domino Bonifacio, digna Dei providentia, Papa IX. ac ſancta Romana eccleſia vicarii in temporalibus generalis, habens a dicto marchione ad infraſcripta ſpeciale mandatum; promitto quod idem marchio ab hac hora in antea fidelis & obediens erit beato Petro, & dicto domino Bonifacio, ejuſque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, ſanctæque apoſtolicæ ſedi & Romanæ eccleſiæ; non erit in conſilio, aut conſenſu vel facto ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione: conſilium, quod eidem vicario credituri erunt per ſe, aut per nuncios, ſive per literas, ad eorum damnum, eo ſciente, nemini pandet, & ſi ſciverit fieri, vel procurari, ſive tractari aliquid quod ſit in dicti domini Papæ, vel ipſorum ſucceſſorum damnum, illud pro poſſe impediet, etſi impedire non poſſet, illud eis ſignificare curabit. Papatum Romanum, & regalia S. Petri tam in civitate, comitatu, & diſtrictu prædictis, quam alibi exiſtentia, adjutor eis erit ad retinendum, defendendum & recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem, & nihilominus pro poſſe adjuvabit dictam Romanam eccleſiam, & dictum dominum Bonifacium Papam IX. & ſucceſſores prædictos, qui erunt pro tempore, ac vicarios, legatos, & officiales eorum, etiam contra perditionis filios Robertum olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum vulgariter dictum Gebennenſem, nunc antipapam, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominare præſumit, & Joannem olim tit. S. Marcelli vulgariter dictum Ambianenſem presbyteros Cardinales, eorum gravibus & notoriis culpis & demeritis exigentibus per felicis recordationis dominum Urbanum Papam VI. juſto Dei judicio, auctoritate apoſtolica tanquam hæreticos & ſchiſmaticos puniendos, ſententialiter condemnatos, & contra eorum ſequaces, ac dantes eis vel eorum alicui auxilium, conſilium, vel favorem, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi pontificali vel regali aut reginali, ſeu quavis alia præfulgeant dignitate: etiamſi fuerint dictæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, & contra quoſcumque alios per Eccleſiam denotatos vel impoſterum denotandos, quamdiu extra gratiam, & communionem dictæ Eccleſiæ permanebunt, nec eis vel alicui eorum dabit quoquomodo per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte: publice vel occulte auxilium, conſilium, vel favorem, nec ab aliis quantum erit in eo & impedire poterit, præſtari ſeu dari permittet, ſed eos pro poſſe, donec reducatur ad gremium ſanctæ Romanæ eccleſiæ & obedientiam præfati domini Bonifacii Papæ IX. juxta tenorem proceſſuum apoſtolicorum, prout juſtum fuerit, pro poſſe perſequetur & invadet, ac perſequi & invadi faciet etiam contra omnes homines mundi juxta ſuum poſſe & bona fide: univerſas & ſingulas promiſſiones, conventiones, obligationes, & pacta per me procuratorem procuratorio nomine ipſius marchionis facta & inita, & cætera alia in confirmatione ſeu receptione dicti vicariatus per me promiſſa, obligata, facta, & recognita, & conventiones & pacta in literis dicti vicariatus, ſeu confirmationis appoſita, & omnia & ſingula quæ continentur in eiſdem literis, plenarie adimplebit & inviolabiliter obſervabit; nec ullo umquam tempore, durante vicariatu prædicto, veniet contra illa: præfatum vicariatus officium ad honorem ſanctæ matris Eccleſiæ dictique domini Bonifacii Papæ IX. & ſucceſſorum ſuorum ad bonum ſtatum civium & incolarum civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum ſolicite & fideliter exercebit, & unicuique pro poſſe, juſtitiam miniſtrabit & obſervabit. Sic eum Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia, &c. Datum Romæ apud S. Petrum IX. kal. junii pontificatus noſtri anno primo.* Diſcerpta admodum eſt ob inſtitutos tot vicariatus, ſive toparchias conditas pontificia ditio, quæ graviora inde damna accepit, cum poſtmodum ii toparchæ facile ab Eccleſiæ obſequio deficerent, ut ſæpius dicetur inferius: nunc reliquas hujus anni res proſequamur.

De tuendis eccleſiæ partibus.

Oppugnando antipapa

Diſcerpta debilitataque Romanæ eccleſiæ ditio.

XIX. Leodienſes ad defectionem a Pont. ſolicitati.

Joannes dux Burgundiæ & Belgici principatus heres ſchiſmatis laqueis irretire cum Belgas tum Leodienſes pertentavit: ſed inanes ſchiſmaticorum argutias Leodienſis clerus confutavit proximo ineunte anno, non aliquo ſe factionis ſtudio adhæſiſſe Urbano, ſed Cardinalium, qui ipſum elegerunt, impoſuere ſolio, & papali thiara cinxere, jureque electum ad Cæſarem, ad Regem Francorum, atque ad cæteros principes ſcripſere, pluribus menſibus coluere ut Pontificem, ab eodemque



que ſacerdotia poſtularunt; primæ aſſertioni fidem adhibuiſſe, neque audiendos jam eſſe Cardinales, qui ab Urbani obſequio ad libidinem ſe ſubducentes partium, teſtium, & judicum munera invaſere, & contradictoria affirmantes ſchiſma conflarunt: quorum exempla ſi ſequantur populi principes & præſules, quos delegere, cum libebit, exauctoraturi ſint, ac ſi aliqui clerici minores quid ſimile egerint, omnium ludibrio expoſitum iri. Sed hæc ab ipſis Leodienſibus petamus.

(*a*) *Ext. in MS. cod. vatic. bibliotb. ſign. num.* 4927.

*Hanc literam (a) miſit capitulum Leodienſe duci Burgundiæ & comiti Flandriæ illuſtriſſimo principi, humili recommendatione præmiſſa.*

Eorum reſponſum.

*Ut veſtra dominatio ſuper illis, quæ per eamdem nobis ſcripta fuerunt, intentionem noſtram clare cognoſcat, ſcire dignetur eadem dominatio, quod obedientiam ſanctæ ac felicis recordationis domini noſtri Urbani Papæ VI. nos juſte & canonice, non ex aliqua partialitate ſeu levitate dudum recepimus ſequentes aſſertiones, ſcripturas, & reales approbationes, ac teſtimonium olim Cardinalium, ad quos ſpectabat tunc facere Papam, quibus non competebat, nec umquam competiit ipſum deponere, qui ipſum elegerunt, inthronizaverunt, coronaverunt, & eumdem ſereniſſimis principibus recolendæ memoriæ Imperatori, & Regi Franciæ, tum viventibus, cæteriſque principibus & prælatis Chriſtianitatis verum Papam eſſe ſcripſerunt, & ab ipſo tamquam a vero Pontifice ſacra beneficia & gratias receperunt, & in conſiſtorialibus negotiis & aliis reverentiis, vero Papæ adhiberi ſolitis, ipſum tamquam verum Pontificem & verum Chriſti vicarium approbaverunt, ſibique tamquam ſummo Pontifici per ſe & ſuos rotulos ſupplicationum & literas miſerunt, quique in Anagnia & aliis locis tutiſſimis extra urbem exeuntes, pro eodem tamquam pro vero ſummo pontifice in miſſis ſuis publice oraverunt. Hinc eſt, quod in obedientia juſtiſſima ex cauſa claris & multiplicibus teſtimoniis adverſariorum & actibus eorum propriis introducta, & per nos recepta huc uſque manſimus inconcuſſe & firmiter, per Dei gratiam, manere intendimus & manebimus: reputamus enim ex prædictis & aliis pluribus, quæ per ſingula explicare longum eſſet, nos de hujuſmodi domini Urbani felicis recordationis juſtitia clariſſime & graviſſime informatos: nec ignoramus propter ejus ab hoc ſæculo abſceſſum ipſius non fore extinctam juſtitiam, & in ejus canonicum ſucceſſorem jam transfuſam, & in alios ſubſequentes ulterius tranſmittendam.*

*Magnificentiæ igitur veſtræ ſupplicamus, quatenus ad Deum habentes reſpectum, atque conſcientiam ac animæ veſtræ ſalutem attendentes, nos a concluſionibus literarum veſtrarum dignemini habere excuſatos, noſque & alios Chriſtifideles in ſynceritate fidei & zeli rectitudine ambulantes, neque per nuntios nec per ſcripturas quoquomodo moleſtando; inſuper ſupplicantes, ut eadem veſtra magnificentia illorum ſubdolis ſuggeſtionibus, qui ſchiſma fecerunt & mundum tanto diſcrimini ſubiecerunt, ſe diutius ſeduci non permittat; nam ipſi ſunt, qui domino quondam eorum ſanctæ memoriæ domino Urbano, in quaſi poſſeſſione dominii & proprietatis in eis conſtituto, obedientiam authoritate propria, abſque judicio ſubtraxerunt; partes, teſtes, & judices eſſe voluerunt, contrariique ſibi ipſis extiterunt; utramque partem contradictionis affirmaverunt, videlicet Urbanum eſſe Papam primo aſſeruerunt, & poſtea ipſum non eſſe Papam conteſtati ſunt: ii enim ſunt, qui propriiſſime ſchiſma fecerunt, dum ab eo qui verus erat, receſſerunt, & adverſarium modo inaudito, nec prius viſo in ſcripturis intruſerunt, ipſum a quaſi poſſeſſione papatus [quantum in eis fuit] ſpoliaverunt, & per eorum falſam primæ contrariam aſſertionem per alios ſpoliari procuraverunt: ii ſunt, illuſtriſſime princeps, qui totam legis rationem & juris obſervantiam in hac materia ſubverterunt. Attendat etiam, illuſtriſſime princeps, dominatio veſtra, ſi ipſorum modus procedendi licitus eſſet, quod numquam princeps aut prælati in ſuis honoribus tuti forent, ſi eorum ſubditi negantes eos dominos, ab eorum obedientia ſe poſſent authoritate propria ſubtrahere. Quis modus clarior dandi ſubditis occaſionem rebellandi? Sed heu dolendum, quod ipſi tantos principes cum ſuis deceptionibus ſuarum verſutiarum quæſierunt protectores. Nemo igitur, illuſtriſſime princeps, magnificentiam veſtram inanibus verbis ſeducat, quin etiam placeat Altiſſimo, ut ſuæ mentis aciem ad juſtitiam ſanctæ memoriæ quondam Urbani prædicti erigere dignetur, illa enim nihil clarius, quæ ex dictis adverſantium clariſſime valet approbari, ac ubique terrarum demonſtrari: quod ſi canonici quicumque parvæ eccleſiæ talem variationem & illuſionem, prout illi commiſerunt, commiſiſſent, in deriſum & opprobrium omni populo haberentur. Quare ad dictam juſtitiam ſollicite obſervandam Dei Filius incarnatus dominationem veſtram ſalubriter, & cito proſperare dignetur; ipſumque tam devote quam ſincere exoramus, ſcientes nos in aliis licitis & honeſtis eidem dominationi ſemper complacere paratos. Scriptum Leodii menſis januarii die* V. Defecerunt poſtea ad antipapam Leodienſes, ſibique extremum exitium accerſivere, ut dicetur inferius.

Si valeant deſertorum Cardd. acta, nullus principatus erit tutus.

XX. Navarrus ad antipapam deficit.

Hoc anno ad ſchiſmatis præcipitia deflexit Carolus Navarræ Rex, idemque comes Ebroicenſis nefaria ſecutus exempla, Galliæ, Caſtellæ, & Aragoniæ Regum, qui au-

auctoritatem concilio œcumenico debitam ſibi perperam arrogare ſunt auſi; utque clientes ſuos ad flagitium traheret, Robertum Gebennenſem uti verum Pontificem colendum promulgavit impio edicto (*a*) hac formula conſignato : *Dat. & actum in civitate Pampilonæ anno a nativitate Chriſti MCCCXC. regnorum noſtrorum anno tertio*. Auctor flagitii fuit Martinus e Silva epiſcopus Pampilonenſis, qui pro ſceleris præmio pſeudocardinalitia inſignia retulit. Superaret in Hiſpania unicus Luſitanus Rex, qui vero Romano Pontifici adhærebat, Joannes nomine, cujus deiiciendi avidus alter Joannes Caſtellæ Rex ſchiſmaticus indictis Caracæ conventibus, profeſſus eſt (*b*) ad regnum transfundendum in Henricum filium paratum ſe eſſe, ea ſpe ductus, Luſitanos filium facile in ſolium evecturos; ſed negarunt proceres id ſe paſſuros unquam, ac peſſimi exempli fore, Regem idonea rebus gerendis ætate regiis apicibus abdicare ſeſe, ac puerum curis publicis imparem regni gubernaculis admoveri : haud tamen multo poſt improviſo caſu vita orbatus Joannes ſceptrum Henrico reliquit; cum enim Complutum abiiſſet, ac die dominica tertio idus octobris equeſtres ludos exerceret, oſtentandæque in armis peritiæ cauſa equum præferocem concitaret ad curſum, repente in terram alliſus miſere perit (*c*) : cujus funeſta mors a pluribus divinæ juſtitiæ aſcripta eſt; cum maximo ſcelere in ferenda, quo Gallis ac pſeudopontifici morem gereret, adverſus Urbanum ſententia, augendoque ſchiſmate ſe obſtrinxiſſet; (*d*) traditumque ſit a nonnullis (*e*) pium eremitam divinitus colluſtratum ſæpius antea ipſum intentata divina ira monuiſſe, ut ad ſedandum in Dei Eccleſia ſchiſma incumberet, cumque monentem inique ferret, illum compingi in carcerem juſſiſſe, deinde acceſſiſſe deprecatores, ut vinculis vir innocens ſolveretur, illumque aſſenſiſſe ea lege, ut nunquam talia ſibi monita importune obtruderet : cumque hujuſmodi ſacramentum ab inſciis funeſti caſus, qui obtigerat, exigendum foret, eremitam reſpondiſſe, non amplius Regi illius audiendi, nec ſibi ipſius adeundi integrum eſſe, ac paulo poſt famam extincti Regis increbuiſſe : concuſſos certe graviori metu Henricum Regem ac Reginas ob Joannis calamitatem damnandi ſchiſmatis agitaſſe conſilia, atque ad id archiepiſcopum Burdegalenſem, & Aquenſem epiſcopum in Hiſpaniam miſſos a Bonifacio proximo anno viſuri ſumus.

(*a*) *Ext. l. 1. de ſchiſm. p. 136. Clem. antip. vit. ſcript. apud Boſq.*

Solus Luſitanus adhæret Pontifici in Hiſpania.

(*b*) *Jo. Marian. l. 18. c. 13. & alii.*

Jo. Rex Caſtellæ aucti ſchiſmatis dat pænas.

(*c*) *Clem. antip. vitæ ſcript. Marian. ſupr. cap. 13. & alii.*

(*d*) *Jo. e Monteſono & alii.*

(*e*) *Monach. Dionyſ. in Carol. VI.*

Sæpius admonitus a pio eremita ut tollendo ſchiſmati operam daret.

Eidem in carcere tanti Regis mors oſtenſa.

Obiit (*f*) eodem anno Robertus Scotiæ Rex affecta admodum ætate, quem magnis ornatum virtutibus celebrant, doctos nempe viros & ſacerdotes coluiſſe, amantem æqui, & pauperum querelas benigne audiviſſe, ſuos ab injuria cuiquam inferenda continuiſſe; cumque oppido aliquo excederet, præconis voce oppidanos vocare ſolitum, ut ſi quiſpiam mercium ſuarum pretio defraudatus eſſet, mox illi, quod juſtum foret, refunderetur. Accepit paternum ſceptrum Joannes filius, qui dominica præeunte ſacrum aſſumptæ in cœlum Virgini diem ſolemni ritu ſacro oleo perunctus, & corona redimitus eſt, quem ajunt Joannis nomen cum Roberti nomine ſuperſtitioſe commutaſſe, quod Joannes Francorum Rex ſuis calamitatibus inſignis fuiſſet.

Roberti Regis Scotiæ mors.

(*f*) *Hector Boet. hiſt. Scot. l. 16. & alii.*

Inſignis illius æquitas.

XXI.

Suſceptam hoc anno ſacram expeditionem in Africam, cinctumque obſidione Tunetum a Chriſtiano exercitu, memorant horum temporum ſcriptores (*g*), quibus potius adhibenda fides quam recentioribus (*h*), qui rem vel ad ſuperiorem annum, vel hujus ſæculi octuageſimum octavum referunt. Prætulere faces huic bello Genuenſes, qui indignati Liguſticum Littus ab Afris vexari populationibus, ad Carolum Francorum Regem oratores miſere, ut extinctum jamdiu propagandæ religionis ardorem exſuſcitarent : expoſuere illi indignum videri Narbonenſem, ac Liguſticam oram a barbaris infeſtari, abducique in ſervitutem Mahometanam Chriſtianos, neque id probrum tuliſſe illorum majores, qui tanta gloria in Syria, Ægypto, ac reliqua Africa crucis ſigna circumtuliſſent. Excepta eſt avide eorum oratio, ac Ludovicus Borbonius dux creatus ſacri exercitus Imperator; pactæ ſunt cum Anglis in triennium induciæ; quinimmo illi in laborum & gloriæ ſocietatem pellecti : Genuenſes inſtituendæ claſſis partes ſuſcepere; Venetique aliquas etiam ſubſidiarias naves ſubmiſere : conſtabat quadraginta triremibus & viginti onerariis navibus claſſis, cui præfuit Joannes Centurio Ultramarinus, converſique in Tunetum regiam urbem fuere Chriſtianorum impetus. Intulit noſtris plures moleſtias Numidarum equitatus, utpote qui ob maximam equorum celeritatem repente involarent, moxque fuga proſequentes deluderent, neque elici ad prælium potuere. Demum hoſtis colloquii cupidus expoſtulavit, cur ſibi tot terris diſſito Franci Anglique, nulla accepta injuria, bellum intuliſſent; refertque Paulus Æmilius reſponſum a Ludovico Borbonio : *Genuenſes eſſe unam Chriſtiani nominis civitatem, iiſque odio religionis ab Afris bello latrocinioque divexatis, non minus offenſos Francos, Angloſque, quam ſi Lutetia, quam ſi Londinum oppugnata forent*. Territis egregia ea voce barbaris, de pace agi cœptum iis legibus, ut Chriſtiani omnes reſtituerentur libertati, Afri a vexandis Italiæ & Galliæ oris, atque inſulis Europæ & Africæ objacentibus infeſtandis abſtinerent, penderentque decem

Expeditio ſacra contra Tunetanos.

(*g*) *Froſſard. to. 4. c. 3. Juvenal. in Car. VI. Paul. Æmil. in eod.*

(*h*) *Bizar. l. 7. hiſtor. Genuenſ. Foliet. l. 9. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. & alii.*

Galli & Angli pactis induciis arma jungunt in Afros.



cem aureorum millia : nullum vero majus facinus ſuſceptum a noſtris eſt ob gliſcentem inter eos diſcordiam, exercituſque in Europam deportatus. Meminere de eo bello Hiſpanici ſcriptores (*a*), ac non Tunetum, ſed Aphrodiſium, quod hac ætate Africæ nomen fert, obſidione tentatum ajunt ſucceſſu tantis molitionibus impari. Fuiſſe in eo exercitu Leonem Armeniæ Regem, ac de Syriaca expeditione conficienda agitata fuiſſe conſilia, ſed confracta deplorante fruſtra Rege, quod exercitus jamdudum peſte laborare cœpiſſet, atque imminutus viribus eſſet (*b*); poſthæc vero nullam pro recuperanda Syria ſuſceptam expeditionem narrat Heroldus (*c*).

Compoſitum fœdere bellum.

(*a*) *Jo. Marian. l. 18. c. 13.*

(*b*) *Jo. Herold. l. 5. continuat. bell. ſac. c. 20.*

Witoldus Lituanus Pruthenos in Polonum ſibi aſciſcit.

(*c*) *Mich. l. 4. c. 3. Cromer. l. 50.*

Geſtum (*d*) aliud in Lituania bellum eſt, quo Pruſſiæ equites magno ſuo damno ſeſe implicuere. Ferebat ægre Witoldus Skirgelonem præfectum Lituaniæ, augendique dominatus cupidus, Prutenos equites, qui conjunctam Poloniæ Lituaniam æquis animis non tolerabant, ad armorum ſocietatem accivit : hi vero plures Germanos, atque etiam ex Anglia Derbeyæ comitem proferendæ religionis ſpecie evocarunt; ſed Wladiſlaus Rex Poloniæ contracto exercitu exortos tumultus compreſſit; Brellumque, Camenecium, & Grodnum arces, quas Witoldus milite munierat vi cepit, aut ad deditionem compulit.

(*d*) *Vualſingh. in Rich. 2. hoc anno.*

Parta a Vvladislao victoria.

XXII.

Hoc etiam anno, ut tradunt annales (*e*) Turcici Amurates in Triballos ſive Servios ſuas copias duxit, cui Lazarus Serviæ Rex collecto ingenti exercitu in campis Koſovenſibus occurrit, vimque Turcicam veritus ſubmiſit Chriſtianum, qui jumentis lapillis onuſtis fingeret ſe ad Amuratem ingentem aureorum vim advexiſſe : qui cum ad barbarorum Imperatorem productus eſſet, dum fingit officii gratia regiæ veſti libare oſculum, in ventrem Amurati cultrum ſtrinxit, ut eo cæſo, patria Turcarum tyrannide liberaretur : ſed fraudis triſtis fuit exitus, nam interempto Amurate trigeſimo ſecundo imperii anno mox Bajazetes I. occiſo fratre Jacupe Zelebi imperium corripuit, ac Lazarum Regem victum fruſtulatim concidit. Tradunt quoque iidem annales hoc anno Themirem, ſive Tamerlanem moviſſe Babylone in Deſtenſem regionem adverſus Techmicum Kam, ac victoriam reportaſſe.

(*e*) *Hieronym. Beck. in annal. Turc. & ex eo Joan. Leunclav.*

Amurates occiſus.

Victi a Bajazethe ſervi.

I. PErculſi infelici caſu Joannis Regis Henricus Rex, proceresque Caſtellæ de damnando ſchiſmate pia conſilia agitarunt anno ſervati orbis nonageſimo primo ſupra milleſimum trecenteſimum indictione decima quarta. Qua de re certior factus a viris fide digniſſimis Bonifacius Pontifex nuntios apoſtolicos in Caſtellam decrevit (*a*), qui Caſtellanos conſternatos in ea novarum rerum converſione ab antipapæ ſervitute ad Romanæ eccleſiæ gremium traducerent. Datæ eæ partes fuere Franciſco archiepiſcopo Burdegalenſi & Joanni Guterio Aquenſi epiſcopo, cum ampliſſima authoritate (*b*), ut Henricum ex Urbani ſententia ob ſchiſma regio honore dejectum in priſtino ſtatu collocarent, ſolverentque cenſuris, & dignitatibus eccleſiaſticis exutos præſules in integrum reſtituerent: atque inter alios Petrum Toletanum archiepiſcopum in eodem faſtigio confirmarent: tum eorum legatio in Vaſconiam, Navarram, & (*c*) Aragoniam prolata eſt.

Decreta in Hiſpaniam legatio.
(*a*) *Bonif. l.2. p. 41. ad 57.*
(*b*) *Bonif. l.2. ep. cur. pag.* 215.
(*c*) *Ib. ep.* 200. *&c.*

II. *Bonifacius, &c. Attendentes, quod ſicut a fidedignis aſſeritur, Reges, Reginæ, duces, & principes, eccleſiarum prælati, comites, communia civitatum, & univerſitates oppidorum, caſtrorum, villarum, & aliorum locorum, regnorum, & partium prædictorum de devio perverſi & damnabilis ſchiſmatis, quo involuti tenentur, adhærendo & favendo perditionis filio Roberto antipapæ Gebennenſi de hæreſi & ſchiſmate juſto Dei judicio condemnato, & ejus ſequacibus, dolent ab intimis, & ad obedientiam & devotionem noſtram & Romanæ eccleſiæ matris cunctorum fidelium & magiſtræ, proponunt cum humilitate redire, ut dictorum regnorum & partium ac perſonarum in eis degentium ſaluti & utilitati eo amplius proficere valeatis, quo majori fueritis per nos authoritate muniti; vobis & cuilibet veſtrum reconciliandi nobis & dictæ eccleſiæ prælatos omnes & recipiendi authoritate noſtra Henricum Regem & Catharinam Reginam Caſtellæ, & Legionis, necnon Aragoniæ & Navarræ Reges & Reginas illuſtres, eccleſiarum prælatos, & Fernandum infantem Caſtellæ dicti Henrici Regis fratrem, ac Fredericum Beneventanum & Joannem Valentinum duces, & alios comites, barones, milites, & nobiles prædictos, & alias quaſcumque perſonas tam eccleſiaſticas religioſas & ſæculares, quam etiam laicales regnorum & partium prædictorum quæ præfato Roberto antipapæ & quondam Joanni Henrici Regis Caſtellæ & Legionis, & aliis per ſedem Apoſtolicam damnatis*, & infra, *concedimus facultatem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* VIII. *Kal. octobris pontificatus noſtri anno* II.

Hiſpani antipapæ deſerendi ſpes præferunt.

III. Data etiam eſt iiſdem internuntiis provincia, ut cum Henricus Rex & Catharina ducis Leceſtriæ filia, eademque Petri olim Regis Caſtellæ, cui nomen Crudelis facta crudelia peperere, neptis, quamvis tertio conſanguinitatis gradu obſtricti connubio juncti fuiſſent, ad graviſſima de Regni Caſtellæ juribus exorta bella, in quibus plurimus cruor humanus fundebatur, ſedanda, reſtituendamque attritis diuturno bello populis pacem, neque in eo conjugio violatis legibus eccleſiaſticis contracto, perſtare fas eſſet, ipſis poſtquam ſchiſma damnaſſent, atque ad Romanæ eccleſiæ ſinum rediiſſent, apoſtolica authoritate cenſuris & legibus ſolutis in connubio priſtino perſtare permitterent.

IV. Caruit optatis ſucceſſibus ea in Hiſpanias legatio; tradit enim Joannes Mariana (*d*) Petrum archiepiſcopum Toletanum, ſuborta inter proceres de regni gerenda procuratione controverſia, antipapam Francorum & Aragonum Reges ad ferendam ſibi opem per literas ſollicitaſſe, indeque graves bellicos tumultus fuiſſe concitatos. Præter ſuperiores vero nuntios in Caſtellam, Legionem, Luſitaniam, & Algarbium Franciſcus epiſcopus Puteolanus miſſus eſt (*e*), legatique alii ſimilem ob cauſam in alias provincias. In Belgio quidem Joannis Burgundiæ & Belgii principis opera novi recruduerant (*f*) tumultus extremo ſuperiori anno, ac Simon Morinorum epiſcopus ad antipapam defecerat (*g*), pariterque Antuerpienſes (*h*) ejus laqueis ultro ſe irretierant: ad quos a flagitio abducendos Guillelmus epiſcopus Anconitanus plurima (*i*) inſtructus authoritate tranſmiſſus fuit, interque præſules Joannes epiſcopus Leodienſis operam ſuam in Antuerpienſibus ad Eccleſiæ ſignum revocandis omni contentione ponere juſſus (*k*): cumque nonnulli in iis tumultibus fuſo ſacerdotum cruore manus fœdaſſent, centum ex ipſis cenſurarum nexu abſolvendi poteſtatem fecit, modo pro expiando ſcelere deſcriptas in ſubjecta pontificii diplomatis (*l*) parte pœnas publice ſuſcepiſſent.

Ad nihilum recidit in Hiſp. legatio.
(*d*) *Jo. Marian. l.18. c.15.*
In Belgio concitati a ſchiſmaticis tumultus.
(*e*) *Bonif. l.2. p.*277.
(*f*) *Ib. p.* 7.
(*g*) *Ib. p.* 10. *&* 22.
(*h*) *Ib. p.* 24. *&c.*
(*i*) *Ibid.*
(*k*) *Ib. p.* 11.
Sacerdotes catholici contrucidati.
(*l*) *Eod. l.2. ep. cur.*31.

*Bonifacius, &c. venerabili fratri Guillelmo epiſcopo Anconitano theſaurario noſtro Apoſtolicæ ſedis nuntio, ſalutem, &c.*

*Centum perſonas dictarum partium, quæ in presbyteros, Dei timore poſtpoſito, manus inicientes auſu ſacrilego temere violentas in hujuſmodi presbyterorum perſonas homicidium commiſerunt, & ſi humiliter petierint, poſtquam ſingulæ perſonæ ipſæ per omnes majores eccleſias illius loci, ubi tantum fuerit facinus perpetratum, ſi ſecure poterunt, alioquin loci propinqui in quo id*

Pœnitentia publica eis impoſita.



*fieri poſſit, nudæ & diſcalciatæ; braccis dumtaxat retentis, virgam ferentes in manibus, & corrigiam circa collum inceſſerint, & ante fores ipſarum eccleſiarum a presbyteris earumdem, pſalmum pœnitentialem dicentibus ſe fecerint verberari, quando major in eis aderit populi multitudo, ſuum publice confitendo reatum, & eccleſiis, ſi quibus dicti presbyteri occiſi ſerviebant, ſatisfecerint competenter, feudo & jurepatronatus, ſi quæ ab hujuſmodi eccleſiis obtinebant perſonis ipſis & earum heredibus perpetuo privatis; Et ne minus vindictæ, quam exceſſus memoria prorogetur filii ab eis deſcendentes ſint inhabiles ad eccleſiaſticum beneficium obtinendum, niſi cum fuerit per ſedem Apoſtolicam miſericorditer diſpenſatum, ab excommunicationis ſententia in tales generaliter promulgata, quam propterea incurrerunt, & hujuſmodi presbytericidii reatu, & peccatis ſuis aliis, quæ tibi confitebuntur, niſi talia forent propter quæ ſedes apoſtolica eſſet merito conſulenda, abſolvendi in forma eccleſiæ conſueta, & injungendi inde ſibi talem pœnitentiam, quæ ſit eis ad ſalutem, & aliis ad terrorem; plenam & liberam authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem. Datum Romæ apud S. Petrum* VIII. *id. februarii, pontificatus noſtri anno* II. Data eidem nuntio provincia eſt, ut in Præmonſtratenſes (*a*) nonnullos Belgas ſchiſmaticos & alios (*b*) hujuſmodi erroribus implicitos legibus ageret. Ut vero Joannes princeps ſuſcepto ſchiſmatis amplificandi conſilio divina deſtitutus clientela ad trucidandum Aureliæ ducem etiam antipapæ propugnatorem proruperit, ac poſtea & ipſe trucidatus miſere perierit, inferius viſuri ſumus.

Ea peracta cenſuris ſolvi juſſi.
(*a*) *Ib. p.* 35.
(*b*) *Ib. p.* 29.

V. Adducta eſt (*c*) in grave civilis belli diſcrimen Trinacria, cum Maria in Aragoniam avecta regno abeſſet, virique principes provinciarum præfecti inter ſe diſſiderent: ad quos in concordiam redigendos, ne inde ſchiſma in inſula ingraveſceret, Nicolaum e Summa ripa nuntium miſit Bonifacius: *Cum*, inquit, *ſicut quamplurium fidedignorum relatio ad noſtrum produxit auditum, procurante humani generis inimico, inter dilectos filios nobiles viros Andream de Claromonte Moac admiratum & Manfredum de Alagona Miſtrete magiſtrum juſtitiarium dicti regni eorumque colligatos & adhærentes ex una, necnon Antonium de Vintimilio Galiſani & Guillelmum de Peralta Sclafani comites eorumque colligatos & fautores ex altera parte, odii rancore concepto, maliſve ſuſpicionibus ſuſcitatis, gravis & diſpendioſa nimis diſſenſionis materia ſit exorta, multaque mala & incommoda tam animarum, quam corporum & eiſdem partibus ac toti regno minetur, niſi divina bonitas ſubſidia præparet; & dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Maria claræ memoriæ Frederici Regis Trinacriæ unigenita, ad quam, ſi in unitate ejuſdem Eccleſiæ perſiſteret, id alias pertineret, non ſolum in remotis agat, ſed ſit extra propriam libertatem; Nos quem non prætereunt incommoda filiorum, rancoribus, ſuſpicionibus, ac diſſenſioni hujuſmodi occurrere, parteſque ipſas ad tranquillitatem & pacem reducere, & reductas in ea confirmare & conſervare totis cordis affectibus cupientes, inter alios modos ad hoc utiles nobis occurrentes, te qui etiam legum doctor exiſtis, virum utique pacis & juſtitiæ zelatorem & ſingularium meritorum ad eaſdem partes providimus perſonaliter deſtinandum, &c.* Addit ut pontificiam auctoritatem jam faciendis, firmandiſque pacis legibus adhibeat, ac tumultuantium pervicaciam, incuſſo cenſurarum terrore, frangat. *Dat. Romæ apud ſanctum Petrum* IV. *non. julii. pontificatus noſtri an. ſecundo.* Civilis porro ejuſmodi belli cauſam ex nimia procerum ad majorem potentiam aſſurgere ex aliorum exitio meditantium ambitione, atque e Reginæ Mariæ abſentia fluxiſſe, deſcribit Bonifacius (*d*) in aliis literis ad Nicolaum e Summaripa, cui data ſunt imperia, ut malo remedium afferret, ne hoſtes civilium diſſenſionum occaſionem aucupati illud regnum opprimerent.

(*c*) *Ib. p.* 137.
Orta in Trinacria bella civilia.
(*d*) *Ib. p.* 135.

VI. Adornabat (*e*) tum in Catalonia Martinus Momblanci dux, ad Trinacriæ regnum ſibi ſubjiciendum, trahendumque in antipapæ ſervitutem, claſſem; Pontifex itaque ad quem ſupremum Trinacriæ imperium ſpectabat, cum e veteribus pactionibus cum Friderico confectis Maria ad ſolium admitti non deberet, niſi fuiſſet viro catholico juncta, ac matrimonium ab ipſa cum Martino initum lege canonica ob ſanguinis cojunctionem vetitum eſſet, præterea Maria eccleſiæ Romanæ, cujus beneficentia regios gerebat apices, cenſum pendere intermiſiſſet, neque aliud vectigal militare decem triremium ſuo ſumptu inſtruendarum, & ſubmittendæ equitum cataphractorum centuriæ præſtandum curaret; Bonifacius juri pontificio in Trinacriam conſulturus, conſtituit (*f*) illam partiri in tetrarchias, donec Maria damnato ſchiſmate ad officium rediiſſet, & cenſum penderet ſedi Apoſtolicæ; iiſque tetrarchiis præficere Andream Claromontium, Manfredum Alagonam, Antonium Vigintimilium, & Guillelmum Peraltam opibus & clientelis florentiſſimos iis pactionibus, ut intermiſſum vectigal ſedi Apoſtolicæ ſolverent, atque alias ſubſidiarias copias contra Neapolitani regni invaſores ſubmitterent: qua de re paciſcendi cum ipſis auctoritatem internuntio contulit, ac ſacramenti formulam ſuis conceptam verbis præſcripſit (*g*), ex qua

ipſos

(*e*) *Surita l.10. c.39.*
Maria Regina Trinacriæ jure excidit.
Conſulit pontificio juri Bonifac.
(*f*) *Bonif. l.2.p.*138.
(*g*) *Ib. ep. cur. pag.* 143.

ipſos ad vindicandam contra ſchiſmaticorum impetus Trinacriam adacturus eſſet.

*Nobili viro Nicolao de Summaripa militi Laudenſi*
*A. S. N.*

VII. *Dudum cum inter progenitores claræ memoriæ Frederici Trinacriæ Regis & quondam Joannæ tunc Reginæ Siciliæ, ipſoſque Fredericum & Joannam & adhærentes eiſdem gravi diſſenſionis materia ſuſcitata, de qua infinita animarum & corporum mala provenerunt, tandem volente Deo partes ipſæ, videlicet Fredericus & Joanna, ſub certis capitibus tunc expreſſis ſimul ad pacem & concordiam deveniſſent; & inter cætera, quod dictus Fredericus recognoſceret, per ſe & ſucceſſores ſuos tenere inſulam ſeu regnum Trinacriæ cum inſulis adjacentibus ab eadem Joanna & ſuis heredibus ex corpore ſuo legitime deſcendentibus tantum, & pro dicta inſula ſeu regno Trinacriæ cum dictis inſulis idem Fredericus deberet facere homagium & fidelitatis juramentum præſtare ipſi Joannæ & heredibus ex ſuo corpore legitime deſcendentibus tantum; & quod idem Fredericus pro ſe ac dictis ſuis heredibus & ſucceſſoribus eidem Joannæ & heredibus ſuis prædictis hujuſmodi recognotionem faceret ſub ſervitio decem galearum & centum militum anno quolibet per tres menſes tempore notabilis invaſionis regni Siciliæ; & ſi dubium forſan contingeret oriri, quæ cenſeri deberet notabilis invaſio dicti regni Siciliæ, ſtaretur ſimplici dicto Romani Pontificis, qui tunc eſſet, & quod prædictus Fredericus ſolveret, traderet, & aſſignaret eidem Joannæ ac heredibus & ſucceſſoribus ſuis in regno Siciliæ pro dicto anno quolibet in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli tria millia unciarum auri; & cum poſtmodum pro eorundem Frederici & Joannæ parte felicis recordationis Gregorio Papæ XI. prædeceſſori noſtri ſupplicatum fuiſſet, ut dignaretur hujuſmodi capitula confirmare, & ipſe prædeceſſor, qui capitula hujuſmodi fecerat cum diligentia recenſeri, illa ſub formis certis tunc expreſſis modificaſſet; & pro juribus eccleſiæ Romanæ & bono ſtatu partium earundem addidiſſet inter cætera, quod deſcendentes ex eodem Frederico & ejus liberi utriuſque ſexus ſuccederent in inſula prælibata cum adjacentibus inſulis ſub certa forma & ordine tunc expreſſis, ſic tamen quod filia jam nata dicti Frederici admitti deberet ad ſucceſſionem prædictam, & quod ſi forte deficientibus maſculis contigeret filiam innuptam in regno Trinacriæ ſuccedere ſeu inſulis prælibatis, illa maritaretur perſonæ, quæ ad ipſorum regimen & defenſionem foret idonea, ſummi Pontificis qui eſſet pro tempore, conſilio requiſito, nec nuberet niſi viro catholico & Romanæ eccleſiæ non ſuſpecto; ac demum piæ memoriæ Urbanus Papa VI. dicti Gregorii prædeceſſoris ſucceſſor, immediatus prædeceſſor noſter ad quondam Franciſci de Vintimilio Geratii, & quondam Artalis de Miſtreta comitum magiſtri juſtitiarii, & quondam Manfredi de Claromonte admirati dicti regni Trinacriæ, ac dilectorum filiorum nobilis viri Guillelmi de Peralta Sclafani tunc Calatabilottæ comitis & univerſorum & ſingulorum hominum & populorum, civitatum, caſtrorum, terrarum, villarum, & aliorum locorum inſulæ Siciliæ cum inſulis ſibi adjacentibus quæ, ut præfertur, regnum Trinacriæ nuncupantur, multiplicem ſupplicationis inſtantiam ex certis cauſis de conſilio fratrum ſuorum, de quorum numero tunc eramus, cum regnum Siciliæ & terra citra pharum prædicta ex certis cauſis tunc expreſſis ad ipſum Urbanum prædeceſſorem & eccleſiam memoratam devoluta foret; inter cætera autem auctoritate apoſtolica ordinandum providit, ſtatuit, decrevit, & declaravit, quod memorata dicti Frederici filia & Reges Trinacriæ, qui eſſent pro tempore & eorum in regno ſupradicto ſucceſſores ea quæ dictus Fredericus & ſui ſucceſſores in regno Trinacriæ præfatæ Joannæ olim Reginæ Siciliæ & ſuis in regno Siciliæ ſucceſſoribus juxta præmiſſa facere & præſtare tenebantur regno Siciliæ ac terra prædictis, ad eandem eccleſiam non devolutis, tam circa ſolutionem cenſus trium millium unciarum ſeu quindecim millium florenorum auri anno quolibet, quam circa ſervitium decem galearum & centum militum, & omnia alia & ſingula in Gregorii & Urbani prædeceſſorum prædictorum literis contenta dicto Urbano prædeceſſori & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus & eccleſiæ prædictæ ſolvere, præſtare, facere, & adimplere tenerentur, ac etiam ſtatuit, diſpoſuit, & ordinavit, quod regnum Siciliæ & terra citra pharum prædicta regnum Siciliæ, inſula vero Siciliæ cum inſulis ſibi adjacentibus regnum Trinacriæ & non Siciliæ nuncuparentur, & eſſent duo regna per ſe omnino diſtincta, & ab invicem ſeparata, & quod nullam inter ſe haberent dependentiam, quodque ſalvis caſibus devolutionum ipſorum regnorum ad eccleſiam prædictam, & ejus liberam diſpoſitionem per Reges, qui eſſent pro tempore, & qui regna ipſa ex conceſſione Romani Pontificis, & eccleſiæ prædictæ tenerent in feudum, eadem regna ſeparatim & per ſe immediate, & in capite ab eiſdem Urbano prædeceſſore & eccleſia ac Romanis Pontificibus, qui forent pro tempore, tenerentur in feudum ſub annuis cenſibus, ſervitiis, & præſtationibus juxta formas ordinationum, conceſſionum, pactorum, & conventionum per eoſdem prædeceſſores factorum, & alias per ipſum Urbanum prædeceſſorem & ſucceſſores ſuos Romanos Pontifices faciendorum, prout iiſdem literis continetur.*

Quibus pactionibus Trinacria Friderico aſſerta.

Adjectum inter alia ut hæres viro catholico nuberet.

De vectigali nummario & militari ſedi Ap. pendendo.

Ut Trinacrii Reges ſedi Apoſt. tantum acceptum regnum referrent.



VIII. *Verum quia regnum Trinacriæ prædictum ab eodem regno Siciliæ per ipſum Urbanum prædeceſſorem fuit, ut præmittitur, ſeparatum non videtur conſonum æquitati, ut ipſum regnum Trinacriæ dicto regno Siciliæ ſubſit, & ſubjectum appareat aliqua ſervitute; auctoritate apoſtolica ſtatuimus & etiam ordinamus, quod Reges Trinacriæ, qui pro tempore fuerint, ſeu illi qui dictum regnum pro hujuſmodi Regibus aut prædicta Romana eccleſia gubernabunt ſervitium decem galearum & centum militum hujuſmodi, alias juxta formam ſuperius declaratam per tres menſes anno quolibet tempore notabilis invaſionis terrarum eidem eccleſiæ mediate vel immediate ſubjectarum dictæ eccleſiæ & Romano Pontifici præſtare integre & fideliter teneantur; ſic tamen quod quæ notabilis invaſio terrarum hujuſmodi dici debeat, ſeu etiam reputari, abſque ulla contentione ejuſdem Romani Pontificis ſimplici verbo ſtetur.*

Trinacrius Rex ad decem triremium ſubſidiariarum vectigal obſtrictus.

IX. *Cum autem, ſicut notorium eſt, prædicta ejuſdem Friderici filia, quæ Maria nuncupatur, jamdiu egerit, prout agit in remotis, & ut dicitur ſit extra propriam libertatem, & propterea dicto regno Trinacriæ, ejuſque proceribus, magnatibus, atque populis, utpote ſine gubernatore debito deſtitutis; multa retroactis temporibus incommoda & calamitates ſupervenerint, & plura, niſi aliter provideatur, poſſent veriſimiliter evenire, & nihilominus interim poſtquam præfata Joanna olim Regina ſuis culpis & demeritis exigentibus per eumdem Urbanum prædeceſſorem a reginali dignitate depoſita, ejuſque bona, jura, & actiones fuerunt legitime confiſcata, prædicta eccleſia de cenſibus & juribus occaſione dicti regni Trinacriæ ſibi debitis nihil vel admodum parum percepit, ſeu percipere potuerit; nos te, qui etiam legum doctor exiſtis, tam occaſione præmiſſorum, quam etiam pro quibuſdam aliis magnis & arduis noſtris & eccleſiæ prædictæ negotiis ad partes illas præſentialiter deſtinemus, attendentes quod noſtra intereſt illo ſuper iis remedio providere, per quod juribus & indemnitati eccleſiæ memoratæ, necnon ſalubri directioni dicti regni ac ſaluti, tranquillitati & paci procerum, magnatum & populorum prædictorum, corroborationi devotionis & obſervationi juſtitiæ in eis pariformiter conſulatur, & quod Deo volente, univerſi populi, & particulares perſonæ dicti regni Trinacriæ in præfatum Guillelmum, ac dilectos filios nobiles viros Andream de Claromonte Moac admiratum & Manfredum de Alagona Miſtretæ magiſtrum juſtitiarium dicti regni Trinacriæ, & Antonium de Vintimilio Guliſani comites, utpote inter omnes proceres & magnates dicti regni Trinacriæ, moribus, nobilitate, potentia, divitiis, & cæteris gratiis præcipuos ſpectabiles, atque ſplendidos ſingulariter aſpiciant, prout videlicet per partes dicti regni Trinacriæ degunt, eoſque venerantur & colunt, & quod, prout exiſtimamus ad ſalubrem dicti regni Trinacriæ, ejuſque civitatum, terrarum, caſtrorum, & locorum non mediocrem utilitatem, afferret ſi, donec præfata filia, quatenus tamen ad eam pertineat, ad regnum Trinacriæ pridem rediret, & ea præfatæ Romanæ eccleſiæ faceret, quæ tenetur, vel ſedes Apoſtolica ſuper iis aliter provideret; iidem Guillelmus, Andreas, Manfredus, & Antonius, comites dicti regni Trinacriæ gubernatores deputarentur; poſſent enim apoſtolica authoritate ſuffulti populis & perſonis præfatis, totique patriæ multa commoda procurare & incommoda quæ forſan parerentur declinare: diſcretioni tuæ, de qua in iis & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi & ubi dicti Guillelmus, Andreas, Manfredus, & Antonius effectualiter conveniant, declarent, & concordent; vel tu una cum eis, vel illo ſeu illis, quem vel quos duxerint eligendum vel eligendos, ſeu ſolus cum eorum beneplacito voluntatis convenias, declares, & concordes quas partes dicti regni Trinacriæ quilibet eorum per ſe debeat gubernare, & quantam quilibet eorum partem dicti cenſus annui quindecim millium florenorum auri ſolvere, necnon ſervitii decem galearum & centum militum juxta formam, & in caſu ſuperius prænarrato, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus juramentum præſtare teneatur, ad id efficaciter obligent ſe & ſua, ſic tamen quod ipſi quatuor in univerſo abſque diminutione integre ſolvant dictum cenſum, & præſtent ſervitium antedictum, eoſdem Guillelmum, Andream, Manfredum, & Antonium quemlibet videlicet eorum in illis partibus dicti regni Trinacriæ, in quibus inter eos conventum ac declaratum fuerit etiam concordatum pro filia ſupradicta, quatenus ad eam pertineat ac pro nobis, ipſiſque ſucceſſoribus & eccleſia Romana in temporalibus generales vicarios, rectores, gubernatores, & bajulos cum mero & mixto imperio, & omnimoda juriſdictione juribus illis & actionibus, quæ ad legitimos Reges Trinacriæ pro tempore exiſtentes de de jure vel conſuetudine quomodolibet pertinerent, quouſque prænominata filia, quatenus ad eam pertineat ad ipſum regnum Trinacriæ, libere revertatur, & ea nobis & eidem eccleſiæ in hac parte fecerit quæ tenetur, & interim ad noſtrum & Apoſtolicæ ſedis beneplacitum authoritate noſtra faciendi, deputandi, conſtituendi, & ordinandi, & ab eis & eorum quolibet noſtro & eccleſiæ prædictæ nomine promiſſiones, obligationes, renunciationes, ſtipulationes, & juramenta ad hoc neceſſaria & uti-*

Præfecturæ Trinacriæ collatæ a Bonifacio.

Juſſus internuntius earum limites circumſcribere.

Imperatus quatuor præfectis cenſus.

utilia recipiendi, & alia omnia & ſingula in iis opportuna, etiam ſi talia forent, quæ mandatum exigerent ſpeciale, & quæ nos ipſi poſſemus facere, ſi adeſſemus, faciendi, exercendi, atque compellendi plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum, ac plenariam authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem; ſic tamen quod per præſentes literas aut aliquam earum partem juri & actioni nobis & eidem eccleſiæ competentibus ſuper utili ac directo dominio, nec non ſuper cenſibus temporis præſentis eccleſiæ dicti regni Trinacriæ non ſolutis, & ſervitiis non præſtitis penitus nullum præjudicium generetur; & quod præfatis Guillelmo, Andreæ, Manfredo, & Antonio comitibus alienandi ſub quæſito quovis titulo ſeu colore bona ſtabilia ac jura & juriſdictiones dicti regni Trinacriæ ſit quælibet adempta poteſtas; & quod in deputationibus per te faciendis civitates, terræ, & loca dicti regni Trinacriæ, quæ uniuſcujuſque ex comitibus prædictis evenient in ſortem, ac pars etiam cenſus ac ſervitii prædictorum, quæ ſingulos eorum continget, clare & diſtincte ſpecificentur, & etiam declarentur. Volumus autem, quod quilibet Guillelmi, Andreæ, Manfredi, & Antonii comitum prædictorum, antequam ſuper deputatione hujuſmodi per ſe facienda conficiantur publica documenta, ipſique comites de adminiſtratione dicti regni ſe impediant quovis modo, in tuis manibus præſtet in forma, quæ ſequitur juramentum.

X. Sacramenti ab iis nuncupandi præſcripta formula.

Ego . . . pro beatiſſimo in Chriſto patre & domino meo domino Bonifacio digna Dei providentia Papa IX. & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus canonice intrantibus ac S. R. E. necnon illuſtri domina Maria claræ memoriæ Frederici Regis Trinacriæ unigenita, quatenus ad ipſam dominam Mariam pertineat in certa parte ſpecialiter expreſſa & ſpecificata, regni Trinacriæ vicarius, rector, gubernator, & bajulus authoritate apoſtolica deputatus, juro ad ſancta Dei evangelia, quæ corporaliter tango, quod regnum ipſum ejuſdem Romanæ eccleſiæ juris & proprietatis exiſtit, & quod ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & eiſdem Romanæ eccleſiæ & domino meo Bonifacio & ſucceſſoribus, & etiam quatenus de Apoſtolicæ ſedis proceſſerit voluntate, dictæ dominæ Mariæ, ac impediam omnia ſiniſtra & præjudicialia eis regno, ſtatui, & honori ſuis, cum ad meam notitiam pervenerint, quantum melius ſcivero & potero: quod non ero in conſilio, conſenſu, vel facto contra perſonas, regnum, ſtatum, & honorem eorum, ſed eos defenſabo pro poſſe per me & meos bona fide contra omnem hominem viventem, & ſi quid ſcivero fieri, vel tractari, quod in eorum periculum vergeret ſeu grave damnum, illud etiam pro poſſe impediam ne fiat; & ſi hæc impedire non poſſem, procurabo bona fide per me vel nuntium aut literas, & eo meliori modo, quo potero, ad id eorum notitiam deduci: conſilium vero quod mihi credituri ſunt ad eorum damnum ſcienter nemini pandam, nullas unquam conſpirationes, colligationes, vel conjurationes ſeu ligas cum quibuſcumque Regibus, principibus, magnatibus, communitatibus,

Vetita cum eccleſiæ hoſtibus fœdera.

univerſitatibus, aut perſonis aliis fidelibus aut infidelibus contra præfatos dominum meum Bonifacium IX. vel ſucceſſores aut eccleſiam, ſeu caſu prædicto dominam Mariam, vel in eorum damnum faciam ſeu fieri conſentiam vel promittam, quantum in me erit, nec factas ratas habebo, & quod nunquam ab eorum obedientia recedam, nec aliquod ſchiſma contra ipſos dominum meum Bonifacium, ſucceſſores, & Eccleſiam faciam vel cujuſcumque ſchiſmatis ſeu hæreſis imitator vel factor ero, nec hujuſmodi conſpirationes, colligationes, conjurationes ſeu ligas aut ſchiſma contra præfatos dominum meum, ſucceſſores, & eccleſiam faciam, aut ſchiſmaticos vel hæreticos receptabo ſeu quoquomodo eos fovebo, aut eis aliquod auxilium, conſilium, vel favorem præſtabo, nec aliquos domino meo aut ſucceſſoribus vel eccleſiæ prædictis rebelles vel eorum hoſtes aut inimicos, ſeu rerum vel bonorum ipſius eccleſiæ invaſores ſive occupatores in regno Trinacriæ prædicto, aut aliqua ejus parte vel alio quovis loco in quo temporale dominium ſeu poteſtatem habebo, receptabo vel per alios receptari quoquomodo patiar ſeu permittam; ſed illos efficaciter perſequar. Quod autem ſupradicitur de inimicis & rebellibus extra regnum Trinacriæ non receptandis juxta voluntatem ipſius domini mei, intelligo de notoriis vel declaratis, ſeu declarandis, vel aliis nominandis per Romanum Pontificem etiam in eodem regno intelligo prout in literis fœlicis recordationis domini Urbani Papæ VI. ſuper prædicti ac Siciliæ regnorum ſeparatione confectis eſt expreſſum; & inſuper omnes & ſingulos proceſſus, conſtitutiones, mandata, & ordinationes per ſedem Apoſtolicam aut ejus authoritate jam factos atque faciendos, & latas ac ferendas, necnon factas & faciendas tam contra perditionis alumnum Robertum olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbyterum Cardinalem,

Edicta in eoſdem promulgari juſſa.

qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominare præſumit, atque electores ipſius Roberti olim Cardinales, ipſorumque ſequaces, fautores, receptatores, & adhærentes eiſdem, quam alias quaſcumque perſonas in dictis proceſſibus comprehenſas, & omnia & ſingula in eis contenta publicari, obſervari, & executioni mandari in dicto regno Trinacriæ & alibi ubicumque potero faciam & fieri permittam diligenter & bona fide. Item præfato Roberto antipapæ & electoribus ac ſequacibus, fautoribus, adhærentibus, & receptatoribus



ſupradictis perditionis filiis juſto Dei judicio authoritate apoſtolica condemnatis, ac dantibus eis vel eorum alicui auxilium, conſilium vel favorem, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, ordinis, religionis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi pontificali, regali, reginali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, etiamſi fuerint dictæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, ſeu aliis quibuſcumque per eccleſiam denotatis, vel impoſterum denotandis, quamdiu extra gratiam & communionem ſedis Apoſtolicæ permanebunt, non dabo per me vel alium ſeu alios directe, vel indirecte, publice vel occulte auxilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in me fuerit & impedire potero, dari permittam: Sed eos ſecundum poſſe meum, donec convertantur, juxta proceſſus apoſtolicos perſequar & invadam. Item hujuſmodi vicariatus, gubernationis, rectoriæ, & bajulatus officium mihi commiſſum fideliter exercebo, nullam fraudem circa illud quomodolibet committendo, populoſque & perſonas ratione dicti officii mihi commiſſos juſte & rationabiliter abſque perſonarum acceptione, & ſecundum ſtatuta & ordinationes, nec non conſuetudines legitimas dicti regni Trinacriæ gubernabo, eiſque per me vel alium juſtitiam æqua lance miniſtrabo, nova vectigalia ſeu talleas vel gabellas non imponam nec impoſita exigam; ſed antiquis & uſitatis contentus ero. Juriſdictionem & libertatem eccleſiaſticam fideliter conſervabo, atque defendam, nec illam vel ejus executionem impediam quovis modo.

Indictæ de ſolvendo cenſu leges.

Partem annui cenſus quindecim millium florenorum auri, & etiam in eventum prædictum ſervitii decem galearum & centum militum mihi contingentem & delatam integre & cum effectu, hujuſmodi meo officio durante, præfatis domino meo Bonifacio IX. ſucceſſoribus, & eccleſiæ in Romana curia, ubicumque fuerit, meis ſumptibus ac fortuna in terminis conſtitutis ſolvam atque præſtabo, nec procurabo illam vel aliquam ejus partem mihi remitti: & ſi in hoc quovis modo, defecero ſententiis domini mei, ſucceſſorum, & eccleſiæ prædictorum jam latis & in poſterum ferendis bona fide parebo. Officium vero hujuſmodi mihi commiſſum ad mandatum ſedis apoſtolicæ libere deponam, & totaliter reſignabo de illo vel aliqua ejus parte nihil in me penitus retinendo, nec procurabo neque conſentiam quod aliqua perſona, cujuſcumque dignitatis aut ſtatus, niſi prout ſedes Apoſtolica duxerit ordinandum, nominetur, eligatur, aſſumatur, vel recipiatur in dominum protectorem, gubernatorem, vel ſub quovis alio dignitatis vel officii titulo dicti regni Trinacriæ, vel alicujus ejus partis: & ne id fiat, totis viribus me opponam & etiam repugnabo, legatos & nuncios ſedis Apoſtolicæ ad ipſum regnum Trinacriæ & ejus partem, mihi ut ſupra contingentem, declinantes reverenter ſuſcipiam & honorifice pertractabo tam in veniendo, quam pro ſuo placito ſtando ac etiam recedendo: & ſi in deputatione mea hujuſmodi, vel in forma præſentis mei juramenti ambiguitas aliqua ullis temporibus oriretur, ſuper illius declaratione ſtabo, atque parebo ſimplici verbo Romani Pontificis qui tunc erit. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia.

XI. Cæterum eadem auctoritate ſtatuimus, volumus, & ordinamus, quod ſi Guillelmus, Andreas, Manfredus, & Antonius comites ſupradicti, vel eorum aliqui, ſeu aliquis in ſolutione & præſtatione partis ſibi contingentis de hujuſmodi cenſu quindecim millium florenorum, & ſervitio decem galearum & centum militum in terminis ad id aſſignatis defecerit vel defecerint quovis modo,

Impoſita fœdifragis mulcta.

deficientes hujuſmodi ac terræ, civitates, & loca eis ſubdita pœnis & ſententiis per eoſdem prædeceſſores in iſto caſu latis, ac etiam illis quas nos vel ſucceſſores noſtri in iſto caſu ferre vellemus, ſubjaceant ipſo facto; & quod de ſingulis deputationibus, quas facere te continget, duo publica conſimilia harum ſeriem continentia confici facias inſtrumenta, quorum altero illi, qui deputatus fuerit tradito, reliquum ad cameram apoſtolicam mittere non poſtponas, & quod deputati hujuſmodi per ſe, vel procuratores ſuos ad id ſpeciale mandatum habentes, infra quatuor menſes poſt deputationem hujuſmodi juramentum prædictum teneantur in noſtris manibus innovare, alioquin deputationem ipſam haberi volumus pro non facta, ratum inſuper atque gratum nos promittimus habituros quidquid egeris in præmiſſis. Tu igitur ſic illa, quæ tuæ diſcretioni ſæpius committuntur, prudenter, fideliter, & ſollicite ſtudeas executioni mandare, quod amplius te dignis in Domino laudibus merito commendare poſſimus. Datum Romæ apud S. Petrum. IV. non. julii pontificatus noſtri anno ſecundo.

XII. Meminit Surita (*a*) de inito a principibus armorum fœdere ad Martinum Aragonium inſulæ aditu imperioque arcendum; ſed ipſos demum ſuccubuiſſe viſuri ſumus. Cum vero animadvertiſſet Pontifex non nullos Trinacrios Ludovico Andegavenſi Neapolitani regni invaſori ſtudere, eique ſubſidia præſtare adverſus Ladiſlaum, Panormitano, Meſſanenſi, & Montis regalis archiepiſcopis dedit mandata (*b*), ut Ludovicum & omnes ipſi aliquod ſubſidii genus afferentes ſolemni ritu anathemate percellerent: *Mandamus quatenus in eccleſiis veſtris ſingulis diebus dominicis & feſtivis infra miſſarum ſolemnia, dum major aderit populi multitudo, præſentes literas publicare curetis; & nihilominus tranſgreſſores inhibitionis hujuſmodi, campanis pulſatis & candelis accenſis ac demum extinctis, ac in terram projectis excommunicatos publice nuntietis, & mandetis ab*

Subacta a Martin. Arag. Rege Trinacria.

Ludovic. Andegav. & ſectatores defixi anathemate.

(*a*) *Sur. l.* 10. *c.*49.

(*b*) *Bonif. l.*2. *poſt ſup. epiſt. p.*143.

*omnibus arctius evitari, donec de tranſgreſſu ſatisfecerint competenter. Datum Romæ apud S. Petrum* IV. *non. julii pontificatus noſtri anno* II.

Raymundus e Baucio creatus ſignifer Rom. eccleſiæ.

Ad augendas etiam Ladiſlai partes adverſus Ludovicum, Pontifex pellexit ad illius obſequium Raymundum Baucium Urſina ſtirpe ſatum, virum bellica laude florentem (cuius opera & Urbanum Lucerina obſidione & Caroli Regis manibus liberatum vidimus) Romanæ eccleſiæ ſigniferum dixit (*a*), & ea auctoritate, quæ ad tantum ſpectabat munus, inſtruxit. Utque facilius in obſequium Ladiſlai pelliceret Neapolim, ex qua ipſe originem traxerat, Nicolao e Summaripa, quem in Trinacriam mittebat, provinciam dedit (*b*) ut Neapolitanos proceres fœdere jungeret ad Neapolim ex antipapæ ſervitute ſubducendam, ac reſipiſcentes cum Eccleſia reconciliaret.

(*a*) *Id. ib.*

Bonifacii pro Neapoli liberanda conſilia.

(*b*) *Lib.* 2. *p.*160.

XIII. Inſtaurata adverſus antipapam ſuoſque edicta.

Ne vero facta ab Urbano VI. adverſus ſchiſmaticos edicta decurſu temporum exoleſcerent; ut Eccleſiæ dignitas adverſus eorum conatus aſſereretur, Bonifacius tum antipapam defixit anathemate, ac pœnis omnibus a prædeceſſore conſtitutis obnoxios pronuntiavit, tum omnes ejus partibus, ac flagitii ſocietate irretitos eadem ſeveritate perculit; deditque præſulibus mandata (*c*), ut conditas in eos ſanctiones ſolemni ritu divulgaret.

(*c*) *Lib.*2. *ep. cur. p.* 233.

Jo. Galeatius Etruriæ inhiat.

Exarſerat interea atrox bellum Florentinos fœderatoſque Bononienſes inter, ac Joannem Galeacium (*d*) Virtutum comitem, cum is imperii proferendi avidus Verona, Vicentia, ac Patavio in ſuam poteſtatem redactis, Bononienſi agro Etruriæque immineret, cauſatus Bernabonis filiam atque Antonium Scaligerum hoſtes, quos principatu depulerat, ab iis exceptos. Hi vero aliorum clade & Galeatii ſucceſſibus territi, ne aliquando ſub illius jugo ſuccumberent, conciliatis ſibi Senenſibus, cum quibus antea inimicitias exercuerant, allectiſque Bononienſibus, quorum dominatum affectabat Galeatius, contundere ejus potentiam, ne adoleſceret nimium, atque in dies confirmata ipſos opprimeret, annitebantur, inter quas turbas Bonifacius ditionis eccleſiaſticæ periclitantis tuendæ ſollicitus concordiæ interpretem ſe exhibuit (*e*), ac Richardum Carazulum nuntium ad componendam controverſiam miſit. Dedit etiam (*f*) Pontifex Raymundo Capuano ordinis Prædicatorum religioſo viro, vitæ S. Catharinæ Senenſis ſcriptori, cui clarum nomen inſignes virtutes, reſque admirandæ ab eo patratæ pepererunt, mandata, ut ſi partes in Raymundum Carazulum compromitterent, cenſuras eccleſiaſticas pactionum violatoribus intentaret.

(*d*) *Leonard. Aret. hiſt. Flor. l.*9. *ſub fin. & in hiſt. rer. Italicarum ſui temp. S. Antonin.* 3. *p. tit.*22. *c.* 2. §.18. 19. *& c.*3. §.5. *&* 6. *Blond. dec.*2. *l.* 10. *Bern. Corius hiſt. Mediol. par.* 3. *& alii.*

Florentini in Galeatium arma movent.

(*e*) *Bonif. l.*2. *pag.* 106. *&* 207.

(*f*) *Id. ib.*

Datæ Raymundo partes ut fœdus religionis nexu adſtringat. Reſtituta eccleſiis primitiarum jura.

Hoc anno Joannes Rex Aragonum, qui eccleſiaſticarum obventionum primitias accipere, eaſque ad inſtauranda arcium in regni limite ſitarum propugnacula derivare conſueverat, religione permotus, eas poſthac in eccleſiarum ſartis tectis reficiendis, & ſacra ſupellectili & ornatu comparandis collocari juſſit regio diplomate (*g*), ex quo hæc delibamus: *Promittimus in noſtra regia bona fide & juramus per dominum Deum & ejus ſancta quatuor evangelia corporaliter manibus noſtris tacta, quod in dictis primitiis directe vel indirecte non tangemus deinceps, nec tangi vel quicquam de illis recipi faciemus, nec permittemus, a quoquam, ne per quoſpiam poſſint nobis, ſeu noſtris concedi, nec nos, ubi contrarium fieret, conceſſionibus ipſis etiam ſponte vel mera liberalitate factis utamur, nec uti, ſeu gaudere poſſimus in aliquo, immo ſint, & eſſent conceſſiones, ſeu donationes quæcumque inde nobis jam factæ, & quas fieri contingeret in futurum, & earum etiam inſtrumenta & reſcripta quæcumque, caſſa & nulla ac nullius prorſus efficaciæ, ſeu valoris & illis nunc pro tunc renunciamus expreſſe, &c. Datum in Alifaria civitatis Cæſarauguſtanæ die prima octobris anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo primo, regnique noſtri quinto.*

(*g*) *Ext. in lib. priv. eccl. Rom. to.* 2. *p.*187.

XIV. Leges ab Anglo contra eccleſ. libertatem latæ.

In Anglia hoc anno medio januario in regni ordinum ſolemnibus comitiis eccleſiaſtica libertas nonnullorum politicorum improbo conſilio admodum labefactata eſt, cum Richardus Rex obſoletas leges de conferendis regia authoritate ſacerdotiis reſtituiſſet, aliaſque novas non minus iniquas addidiſſet, qua de re hæc perſtringit Thomas Walſinghamus (*h*): *Statutum eſt in eodem parliamento, ut de cætero nullus transfretaret ad obtinendum proviſiones in eccleſiis vel eccleſiam, & ſi quis contrarium faceret, ſi poſſet apprehendi, caperetur ut Regi rebellis, & incarceraretur.* Revocatos etiam omnes, qui in Romana curia verſabantur, addit idem author: *De conſenſu Regis, Regiſque conſilii proclamatio facta fuit Londoniis, ut omnes beneficiati exiſtentes in Romana curia redirent in Angliam circa feſtum S. Nicolai, ſub pœna perditionis omnium beneficiorum ſuorum; & nondum beneficiati redirent per idem tempus ſub pœna forisfacturæ. Anglici audito tanto tonitruo in remotis metuentes ictum deſerta curia fugiunt ad natale ſolum.* Meminit ejuſdem edicti Polydorus Virgilius (*i*). Impulſus eſt in hoc flagitium Richardus Rex a regni proceribus, qui Wicleffi venena hauſerant: is enim in tractatu peſtifero de officio paſtorali cap. XXV. politicos hujus aſſentatiunculæ hamo ceperat, pertinere ad regii muneris majeſtatem, ut ſacerdotes a Regibus præficiantur populis, effutiitque non humanarum modo, ſed etiam divinarum rerum adminiſtrationem a Chriſto

(*h*) *Vualſin. in Rich.*2. *hoc anno.*

(*i*) *Polyd. Virgil. l.* 20.

Politici a Wicleffo corrupti.



ſto conceſſam Regibus, ac ſacerdotes ita populos exemplo ſuo informaturos, ut Regibus demiſſe obſequantur. Sed qui Regibus ita lenocinabantur Wicleffiſtæ quam ſæva proditionis & perduellionis exempla in Reges ediderint, ſuo loco dicetur.

Affinis eſt hæc Wicleffiana hæreſis turbulento errori Marſilii, & Janduni, decernentium Pontificem, atque adeo univerſum ſacerdotalem ordinem ſubditum eſſe Cæſari, quaſi vero fideles primitivæ Eccleſiæ a Nerone, cæteriſque tyrannis auctoratos ſacerdotes acceperint, & Apoſtoli a Tiberio vel Herode ſacerdotio fuerint inſigniti. Hæc deliramenta a novatoribus noſtri temporis, qui magiſtratibus & principibus conſtituendæ religionis, & ſacerdotum præficiendorum poteſtatem detulere inſtaurata, ſed quæ in Annalibus Cardinalis Baronii, noſtriſque ex divinis oraculis, apoſtolica traditione, doctrina ſanctorum patrum, confirmatoque tot ſæculorum in Eccleſia uſu confutantur. Nec Græcorum Imperatoribus correpta in ſacerdotes tyrannis, & patriarcharum auctorandorum, exauctorandorumque licentia profuit, quam ut ſolio pulſi Turcicæ tyrannidi formidando divinæ ultionis exemplo ſubderentur. Subdolas porro Wicleffi argutias refellit Thomas Waldenſis (*a*), qui hæreſiarcham ſummæ inconſtantiæ arguit: nam cum cæſareorum ſcommate epiſcopos carperet, quod a Cæſaribus divitiis aucti eſſent, nunc creari a Cæſare, ut omnino fiant cæſarei, & inſtitutum a Chriſto ordinem, qui per Apoſtolos creavit epiſcopos, per epiſcopos creat ſacerdotes, everti velit; tum ſubdit: *His & multis aliis ſimilibus poteſt diſcerni apud quos erat antiquitus ſtatuere ſacerdotes, & non facile mutandum eſſe, quod tanta ſancivit antiquitas; & quid valeat, quod arguis, quia iſtud officium ſacerdotis notabiliter ſpectat ad regni regimen, ergo ejus inſtitutio ad Regem ſpectat potiſſime. Ita ſpectat ad regni regimen officium Angeli principantis & præſidentis provinciæ, quemadmodum habes in ſcripturis de Angelo principe Perſarum; nec tamen ejus inſtitutio ſpectabat ad Regem: & æqualis ductus arcæ ſpectabat ad bonum regimen regni Iſrael; non tamen ad ductum Regis, vel principis: Oza enim rite percuſſus eſt, cum vellet elevare cadentem, &c.* Hactenus Thomas Waldenſis. At Richardus Rex, qui Wicleffiſtarum ſuſurris ſubornatus epiſcopatuum & ſacerdotiorum conferendorum jus in Anglia ſibi arrogare tentavit, ac Wicleffo querenti dimidium a Pontifice Regibus eripi imperium patulas aures præbuerat, dum divina jura temerat, permittente Numine, hoſtes conjuratos experiri cœpit, qui conſilia de illo regia dignitate deturbando conferrent; a quibus ipſum exauthoratum, pulſumque ſolio viſuri ſumus.

Male ſibi conſulunt dum jus pontificium invadunt Reges.

(*a*) *Vuald. to.*1. *l.*2. *art.*3. *c.* 2.

Obſtitiſſe, ut poterant, iniquis contra jus eccleſiaſticum decretis Cantuarienſem & Eboracenſem archiepiſcopos, memorat Nicolaus Harpsfeldius (*b*) his verbis: *Tam Guillelmus*, nempe Cantuarienſis, *quam Eboracenſis ſuo, totiuſque cleri nomine conteſtabantur, ſi quid ibi tentaretur, quod Romanæ ſedis dignitatem imminueret, ſe, ſuaque ſuffragia decretis hujuſmodi non adjuncturos.*

(*b*) *Harpsf. hiſt. eccl. Anglic.*14. *ſæc.*

XV. Regia edicta reſciſſa a Bonif.

Bonifacius vero juris pontificii contra Wicleffiſtarum politicorumque auſus temerarios aſſertor & vindex edita ſanctione (*c*) memorabili, geſta contra libertatem eccleſiaſticam a Richardo Rege, vel ab Eduardo reſcidit, atque anathemate ea tueri vel exequi in judiciis auſuros perculit.

(*c*) *Lib.* 1. *ep. cur. p.*131.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Ejus conſtitutio.

*Ab eo, qui pro redemptione generis humani de intacta Virgine carnem aſſumere & naſci ac tandem pati & mori dignatus eſt ſuper Reges, & regna, nullis noſtris præcedentibus meritis, ſed ſola ſua permiſſione, in eminenti militantis Eccleſiæ ſpecula conſtituti, inter gravia noſtris humeris incumbentia onera non in ultimis habemus ad omnes oves curæ noſtræ divina diſpoſitione commiſſas, & in quibus depaſcuntur regiones, & loca noſtræ fixæ conſiderationis intuitum extendere, & in illis pabula ſalubria procurare, male ſana vero & contagioſa, ne ſe illis inficiant, declinare, & ſi forſan aliquæ ex hujuſmodi ovibus ad inſalubres & peſtiferas herbas vel ſaltus periculoſos diverterint, eas ne tabeſcant aut ruant, ſed in iis, ut dumtaxat quæ illis vitam & ſalutem conſervare & fœtus multiplicare valeant, paſcuis diverſentur, provida & ſolerti diligentia coercere, ut vel ſic a noxiis & adverſis præſerventur, & cum multiplicato fructu Domini nutriantur in caulis, nec lupi rapaces, neque venenoſa contagia illis obſint, nec etiam earum ſanguis de noſtris manibus requiratur. Sane, ſicut cumulata relatio quamplurium fidedignorum ad noſtrum non abſque gravi moleſtia, perduxit auditum nonnullis ſeditioſis viris reprobo ſenſu & inordinata ambitione concitatis, & non quæ Dei, ſed quæ ſua ſunt quærentibus, cum eorum excogitatibus & peraſtutis abuſionibus chariſſimo in Chriſto filio noſtro Richardo Regi Angliæ illuſtri in ejus regio parliamento pridem celebrato doloſe ſuggerentibus, quod claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ dicti Richardi Regis avus ad inſtar claræ memoriæ alterius Eduardi Regis Angliæ avi ſui in quodam ſuo regio parliamento apud Weſtmonaſterium Londonienſi, certo tunc expreſſo tempore celebrato de aſſenſu magnatum, & comitum regni ſui ordinaverat, ut illorum verbis utamur, & ſtabiliverat* quod

Politicorum ad jus eccleſiaſticum labefactandum fraudes.

quod liberæ electiones archiepiſcopatuum, epiſcopatuum, & omnium aliarum dignitatum, & beneficiorum in Anglia tenerent & a modo in modo ſicut fuerant conceſſæ per progenitores ejuſdem Eduardi Regis & per anteceſſores aliorum fundatorum; & quod omnes prælati, & aliæ gentes eccleſiæ Anglicanæ, qui haberent juſpatronatus de quocumque beneficio de dono Regis progenitorum patronorum ſive donatorum hujuſmodi ad faciendum divinum ſervitium & alia onera inde ordinata haberent, eorum collationes & privationes libere & per modum, ſicut fuerant ſervatæ per ſuos donatores; & in caſu quo de aliquo archiepiſcopatu, epiſcopatu, dignitate, vel alio quocumque

Nefaria edicta.

beneficio reſervatio, collatio, vel proviſio facta foret per curiam Romanam in impedimentum electionum, collationum, ſeu præſentationum ſuperius expreſſarum, quod tunc eodem tempore vacationum, quo tales reſervationes, collationes, & proviſiones deberent capere effectum de eiſdem vacationibus, Rex Angliæ qui tunc eſſet, haberet & gauderet pro illa vice collationes ad archiepiſcopatus, epiſcopatus, & alias dignitates electivas, quæ eſſent de ſuo patronatu & taliter, ſicut progenitores ſui habuerant, antequam liberæ electiones forent conceſſæ, ſicut electiones prius fuerant conceſſæ per progenitores dicti Eduardi Regis ordinantis ſub certa forma & conditione, videlicet ad petendum licentiam Regis de eligendo, & poſt electionem factam de habendo aſſenſum regium, & nullo alio modo: & ſi de aliqua domo religioſorum, de fundatione ſeu patronatu Regis facta foret talis reſervatio, collatio, vel proviſio in impedimentum liberæ electionis, haberet dictus Rex, qui tunc eſſet, illa vice collationem ad dandum ipſam dignitatem alicui perſonæ idoneæ: & in caſu quo collatio, reſervatio, vel proviſio facta foret in Romana curia de aliqua eccleſia, præbenda, vel alio beneficio, quæ forent de patronatu gentium dictæ eccleſiæ Anglicanæ, unde Rex ſupremus eſſet fundator immediatus, tunc eodem tempore vacationis, ad quod tempus reſervatio, collatio, ſeu proviſio deberent, ut præmittitur, capere effectum, dictus Rex, qui tunc eſſet, haberet collationem & præſentationem pro illa vice: & ſic de tempore in tempus ad omnes

Sacerdotiorum conferendorum jus temere occupatum.

vices; quibus tales gentes dictæ eccleſiæ Anglicanæ forent impeditæ de ipſarum præſentationibus & collationibus per tales reſervationes, collationes, ſeu proviſiones, prout ſuperius eſt deſcriptum: ſalvo tamen jure patronatus & præſentationis quando nullæ collationes ſeu proviſiones a Romana curia, inde factæ forent, vel quando dictæ gentes eccleſiæ Anglicanæ haberent, & vellent ad eadem beneficia præſentare vel collationem facere, & præſentati ſui poſſent effectu collationum & præſentationum ſuarum gaudere: & eodem modo haberet quilibet alter cujuſcumque conditionis facere præſentationes vel collationes ad domus religioſorum, quæ forent de ſuo patronatu, & ad beneficia eccleſiaſtica pertinentia ad eaſdem domus, & ſi tales patroni non præſentarent ad talia beneficia infra dimidium annum, epiſcopus loci conferret poſt lapſum temporis infra unum menſem poſt dictum dimidium annum, tunc dictus Rex talium beneficiorum haberet præſentationes & collationes, ſicut habet de aliis de patronatu ſeu fundatione propria: & in caſu, quo præſentati Regis vel præſentati aliorum patronorum, vel de eorum fundatoribus, vel illi, quibus Rex vel patroni ſeu fundatores hujuſmodi donaſſent beneficia pertinentia ad eorum præſentationes, ſeu collationes, eſſent impediti per tales proviſores, ita quod non poſſent habere poſſeſſiones de talibus beneficiis virtute præſentationum ſeu collationum ſic eis factarum, vel illi, qui eſſent in poſſeſſione talium beneficiorum, forent impediti ſuper hujuſmodi ſuis poſſeſſionibus per tales proviſores, tunc eſſent hujuſmodi proviſores & eorum procuratores, executores, & notarii attachiati per eorum corpora, & poſiti ad reſponſionem ſuam, & ſi forent convicti manerent in perſona, abſque deliberatione ad manucaptionem in balivia, nec eſſent deliberati antequam facerent ſuam redemptionem dicto Regi ad voluntatem ſuam, nec non ſatisfactionem parti quæ ſe ſentiret gravatam: & nihilominus, antequam eſſent deliberati, facerent plenam renunciationem & invenirent ſufficientem ſecuritatem, quod non attentarent talia tempore futuro, nec aliqua in proceſſum proſequerentur per illas nec per alios verſus aliquem in dicta Romana curia, nec alibi in aliquibus partibus pro hujuſmodi manucaptionibus, redemptionibus, ſatisfactionibus, vel renuntiationibus, nec de aliquo alio facto dependente ab eiſdem: & in caſu, quo tales proviſores, procuratores, & executores & notarii non eſſent inventi, tunc curreret exigentia contra illos per debitum proceſſum, & quod beneficiarii exirent ad capiendum corpora ſua in quibuſcumque partibus eſſent inventi, tam ad ſectam dicti Regis, quam ad ſectam partis; & quod medio tempore dictus Rex haberet commoda & proficua de talibus beneficiis ſic occupatis per tales proviſores, exceptis ab-

Sacra vectigalia impie addicta fiſco regio.

batiis, prioratibus, & aliis domibus, quæ haberent collegia vel conventus, & in talibus domibus haberent conventus ſive collegia, commoda, & proventus, ſalvo totis temporibus dicto Regi & aliis dominis eorum antiquo jure; & haberet hoc ſtatutum locum tam bene de reſervationibus, collationibus, & proviſionibus factis & conceſſis tempore elapſo verſus omnes illos, qui adhuc non erant adepti corporalem poſſeſſionem beneficiorum eis conceſſorum per hujuſmodi reſervationes, collationes, & pro-

vi-



viſiones, quam verſus omnes alios tempore futuro, præfatus Richardus Rex mala, temeraria, profana, & ſacrilega ſuggeſtione hujuſmodi circumventus in eodem parliamento per ſe celebrato de aſſenſu, ut aſſeritur magnatum regni ſui ultra præmiſſa ordinavit & ſtabilivit, licet de facto, quod

A ſacrilegis Regi imperito ea ſuggeſta.

ordinatio ſuperius enarrata de omnibus archiepiſcopatibus, epiſcopatibus, & aliis dignitatibus & beneficiis electivis & aliis beneficiis eccleſiaſticis quibuſcumque quæ inceperunt vacare de facto a certo tempore tunc expreſſo vel poſt, vel quæ vacarent tempore futuro infra regnum Angliæ in debita executione de tempore in tempus, ſervaretur in omnibus ſuis punctis, & ſi aliquis faceret aliquam acceptationem de aliquo beneficio eccleſiaſtico in contrarium iſtius ſtatuti, & eſſet debite probata ac eſſet ille acceptans [eorum verba deſcribimus] in partibus tranſmarinis, maneret exulatus & bannitus pro perpetuo, & omnia bona & chatalla terræ & tenimenta ſua eidem Regi manerent forisfacta, & ſi eſſet infra regnum Angliæ, eſſet eti-

Proſcripti ſacras dignitates a Pontific. accipientes.

am exulatus & bannitus, prout ſuperius eſt expreſſum & incurreret eandem forisfacturam & arriperet iter, ita quod eſſet extra regnum infra ſex ſeptimanas talem acceptationem proxime ſequentes: & ſi aliquis reciperet aliquem talem bannitum venientem de partibus tranſmarinis vel extantem infra regnum poſt ſex ſeptimanas antedictas, ſciens unde eſſet; ille etiam eſſet exulatus & bannitus, & incurreret talem forisfacturam, ut ſuperius eſt expreſſum, & quod procuratores notarii, executores, & apparitores ſui haberent forisfacturam & pœnam antedictam: & ſi dictus Richardus Rex mitteret per literam vel per alium modum ad curiam Romanam ad excommunicationem alicujus perſonæ, vel ſi aliquis alius mitteret dictæ Romanæ curiæ vel ſupplicaret, unde contrarium ipſius ſtatuti eſſet factum quantum ad aliquem archiepiſcopatum, epiſcopatum, dignitatem, vel aliud beneficium eccleſiaſticum infra di-

Mulcta pecuniaria ipſis intentata.

ctum regnum, ſi ipſe, qui faceret talem excitationem vel ſupplicationem prælatus foret Eccleſiæ ſanctæ, ſolveret dicto Regi valorem terrarum & poſſeſſionum ſuarum immobilium unius anni; & ſi eſſet alia perſona de ſtatu inferiori, ſolveret Regi valorem beneficii, pro quo talis ſupplicatio facta foret unius anni, quod de aliqua dignitate vel beneficio: de quo excitatio plene dicto tempore tunc expreſſo facta non fuerat, nullus ratione alicujus reſervationis, collationis, vel proviſionis, vel alicujus gratiæ apoſtolicæ cujuſcumque non excitans ante hujuſmodi tempus expreſſum aliquam executionem proſequeretur ſub pœna in hoc prædicto ſtatuto contenta; & quod ſi aliquis portaret vel mitteret infra regnum vel poteſtatem dicti Richardi Regis, aliquas citationes, ſententias, vel excommunicationes adverſus aliquam perſonam cujuſcumque conditionis ob cauſam motionis, facturæ, conſenſus, ſeu executionis dicti ſtatuti proviſoris, eſſet ille captus & arreſtatus, & poſitus in perſona, & foris

Objecta etiam per ſummam tyrannidem ſupplicia.

faceret omnes terras & tenimenta, bona & carballa ſua pro perpetuo, & ultra hoc incurreret pœnam vitæ & membrorum: & ſi aliquis prælatus faceret executionem de talibus citationibus, ſententiis, vel excommunicationibus; eſſent temporalia ſua appretiata & remanerent in manibus dicti Regis quouſque debita reformatio & correctio inde fierent: & ſi aliqua perſona inferioris ſtatus, quam prælati, cujuſcunque conditionis foret; talem faceret executionem, eſſet illa perſona capta & arreſtata & poſita in perſona & haberet in perſona metum, & faceret finem & redemptionem ſecundum conſilium & diſcretionem dicti Regis.

XVII. Actus a Politicis impiis in flagitium Rex pius.

Quanto igitur profundius, quanto crebrius præmiſſa in mente revolvimus, tanto acerbius dolemus, tanto vehementius admiramur, quod tantus princeps, tam catholicus Rex, tam fervidus orthodoxæ fidei zelator, tam præcipuus ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ venerator, tam ſeverus laudabilium morum aſſertor, tanta ſpectabilium procerum & aliarum notabilium perſonarum numeroſitate præfulgidus, tantaque externarum & bonarum rerum affluentia copioſus, ut ſuper eum Dominus largam benedictionem effuderit, viris talibus, ſi tamen viri dici mereantur, in quibus, ut apparet, refriguit charitas, intepuit fides, ſpes labavit, juſtitia cæteræque virtutes parvum locum aut nullum ha-

Non ſpectat ad laicos ſacrarum rerum adminiſtratio.

bere videntur, faciles in hoc aures præbuit, & non attentiori gravitate diſcuſſit quid ageret in præmiſſis; vidiſſet enim luce meridiana clarius, quod laicis, quamvis religioſis, diſponendi de rebus eccleſiaſticis nulla eſt attributa poteſtas, quos manet ſubſequendi neceſſitas non authoritas imperandi, a quibus etiam ſi quid ſtatuatur, quod eccleſiarum reſpiciat commodum vel favorem, nullius firmitatis exiſtit, & talium & in talibus conſtitutio a ſanctis patribus deſtitutio vel deſtructio, necnon uſurpatio juriſdictionis non ſuæ, veneranda approbatione cenſetur. Tacemus de pœnis & cenſuris gravibus, quas ſtatuentes, ordinantes, & ut talia ſtatuta fiant conſulentes, vel ſecundum ea judicantes, ſeu etiam hujuſmodi ſtatutorum ſcriptores contra eccleſiaſticam libertatem, & maxime Romanæ eccleſiæ incurrunt eo ipſo. Et licet tam ſacris canonibus, quam etiam civilibus & authenticis legibus, boniſque moribus ſuadentibus, ſint caſſa & irrita ipſo facto omnia ſtatuta & conſuetudines indirecte contra libertates eccleſiarum earumque perſonas, & quamquam præfatum Richardum Regem, utpote filium ejuſdem Romanæ ec-

cle-

*cleſiæ, merito diligendum, plenis complectamur affectibus charitatis, ſuumque honorem, nec minus animæ ſalutem, ſuique ſtatus & inclyti regni proſperitatem, ſingularibus deſideriis affectemus & ad id adbibuerimus, ſimuſque diſpoſiti adhibere cum omni affectu, quantum cum Deo poſſumus, partes noſtras, ne tamen ſuum hujuſmodi & avi ac abavi præfatorum ſtatuta mentes incautas, vel male ædificatas plus æquo offendant, vel apud eas indebitum vendicent ſibi locum, & ne vulnus, quod hac in parte ratio ſanat, paſſio ſenſualitatis inſtauret, matura ſuper hoc deliberatione præhabita, tam antiquioris Eduardi, & ſubſequentis Eduvardi, quam etiam Richardi Regum prædictorum ordinamenta ſeu ſtabilimenta, aut ſtatuta hujuſmodi ſuperius recitata, quæ alias haberi volumus præſentibus pro ſufficienter expreſſis & ſpecificatis, utpote notorie contra libertatem eccleſiaſticam & Romanam eccleſiam edicta & omnia & ſingula ab eis & ob ea ſecuta, authoritate apoſtolica, de fratrum noſtrorum conſilio tenore præſentium declaramus fuiſſe & eſſe caſſa, & irrita, ipſaque ex ſuperabundanti caſſimus, irritamus, & juribus vacuamus, ac nullius eſſe decernimus roboris, efficaciæ, vel momenti, & ab illorum obſervatione in omnibus ſuis clauſulis omnes & ſingulas tam eccleſiaſticas quam ſeculares perſonas cujuſcumque conditionis, dignitatis, aut ſtatus, fuiſſe & eſſe liberas & abſolutas, ac liberamus & abſolvimus per præſentes.*

Iniquæ Reg. Angliæ leges reſciſſæ a Pontif.

XVIII. *Prohibemus quoque ſub pœnis ab eiſdem canonibus & legibus in ſimilibus caſibus inflictis, ne quis de cætero ſtatuta prædicta vel ſimilia ſervare aut innovare vel ſecundum ea judicare, aut eis uti in judicio vel extra, directe vel indirecte publice vel occulte quoquomodo præſumat. Mandamus inſuper ſub eiſdem pœnis, hujuſmodi ſtatuta de omnibus libris, quaternionibus, capitularibus, & regeſtis publicis & privatis, in quibus deſcripta forent, infra duorum menſium ſpatium a publicatione præſentium proxime computandorum cancellari, caſſari, tolli, & penitus aboleri.*

Juſſæ e publicis legum codicibus eradi.

XIX. *Monemus etiam auctoritate prædicta omnes & ſingulos, qui prætextu ordinamentorum, ſeu ſtabilimentorum aut ſtatutorum hujuſmodi, aliqua beneficia eccleſiaſtica ſeu canonicatus & præbendas, ſive dignitates, perſonatus, vel officia cum cura, vel ſine cura, ſecularia aut regularia quocumque nomine nuncupentur, occupaſſent, & detinerent quomodolibet occupata, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali vel alia quavis præfulgeant dignitate, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis & privationis omnium beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ obtinent, & inhabilitationis ad illa & alia impoſterum obtinenda, pœnis quas, ſi contrafecerint, eos incurrere volumus ipſo facto, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra terminum duorum menſium prædictorum beneficia, canonicatus, & præbendas, dignitates, perſonatus, & officia hujuſmodi quæ, ut præmittitur, occupant, vacua, libera & expedita realiter & omnino dimittant. Et nihilominus de fructibus male perceptis, eccleſiis, aut locis, a quibus illos perceperunt, ſeu perſonis illis, quibus alias legitime debeantur, non differant ſatisfactionem debitam exhibere. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum II. non. februarii pontificatus noſtri anno II.* Inſtauratum etiam eſt a Bonifacio pro aſſerenda libertate eccleſiaſtica Caroli IV. Cæſaris edictum (*a*).

Defixi anathemate ſacerdotiorum invaſores.

Tradit porro Thomas Walſinghamus (*b*) acceſſiſſe in Angliam internuntium apoſtolicum, Regemque ad redintegrandum ſponte jus ſplendoremque eccleſiaſticum inclinaſſe. Cum vero appellet internuntium abbatem, fuiſſe Nicolaus Nonantulanus abbas videtur, de quo ad Richardum Regem miſſo extant (*c*) commendatitiæ ad archiepiſcopos & epiſcopos Anglos Bonifacii literæ XVIII. Kal. maii exaratæ. Geſtam autem ab eo legationem, quæque Regi ad eum officiis mulcendum expoſuerit, deſcribit hiſce verbis Walſinghamus (*d*): *Salutans*, nimirum abbas, *Regem ex parte Papæ, commendans Regis devotionem & ſuorum prædeceſſorum erga Eccleſiam, eo quod ſemper veris ſummis Pontificibus adhæſerunt. Deinde ſubintulit, quod Papa percepto per literas Regis, quod ſtatuta ſic edita fuerant, mirabatur, & ut bonus paſtor ſalutem animarum deſiderans ſæpius admonuerat, & obteſtatus fuerat ſtatutarios, ut hujuſmodi ſtatuta de medio tollerent in quantum lædebant eccleſiaſticam libertatem. Dixit etiam, quod Papa non intendit minuere coronam Regis, nec tollere quin ſtatuta condere valeat non facientia contra eccleſiaſticam libertatem, quinimmo paratus eſt conſervare pro poſſe Regis honorem, prout ad hoc ſe cognoſcit multipliciter obligatum. Dixit etiam dictus nuncius, quod Papa diutius expectans non ſenſit obtemperatum fuiſſe ſuis monitis; & tamen nihil innovando, nec proceſſus aliquos faciendo, expreſſit quæ jura ſtatuunt contra ſtatuentes contra eccleſiaſticam libertatem, & propulſatus a pluribus pronunciavit illa irrita fore in quantum faciunt contra eccleſiaſticam libertatem. Et quia Papa, ſi non ſenſit ſtatuentium animos immutari, cum magna mentis amaritudine intelligens hæc in denigrationem famæ regiæ redundare, miſit prædictum nuncium, per quem exhortatur, rogat, & requirit, quod Rex ſtatuta illa tolli, & de capitularibus faciat aboleri.* Et paulo infra: *Et Papa offert, quod ſi ſta-*

(*a*) Ext. apud Dolgaſt. in collect.

(*b*) Vvalſing. in Rich. 2.

(*c*) Lib. 2. pag. ubi ſupr.

(*d*) Vvalſin. ubi ſup.

Pontificia ad Regem legatio.



*tutarii velint conqueri de aliquo, ſi mittant ad Papam legatos, erit promptus, quantum cum Deo poterit, Regi & regno complacere: & ſi ſtatuentes non tollant, &c. ſalvo honore Eccleſiæ & animarum ſalute non poteſt illa diſſimulare.*

Denuntiatum ejus corruptelas ſine crimine diſſimulari non poſſe.

XX. Rex ad expilationem monaſteriorum ſollicitatus.

In ſuperioribus Angliæ regni ordinum cœtibus nequiora alia conſilia moliti erant Wicleffiſtæ, neque enim modo excuti jugum pontificium, atque ab Rege ſacerdotiorum conferendorum jus arripi ſuaſerant, verum etiam ſupplicem libellum Richardo Regi, ipſiſque ordinibus porrexere, in quo ſuggerebant, ut eccleſiarum & monaſteriorum vectigalia ad regium ærarium averteret, ſceluſque argutiarum inanium colorabant fuco, collatas ſcilicet pro fundendis precibus eleemoſynas ſine fructu, cum preces ex perfecta charitate fundi debeant, nec perfecta charitas ullo commodo moveatur, aut perſonarum rationem habeat. Refellit eorum argutiolas Thomas Waldenſis: (*a*) *Induantur*, inquit, *confuſione, ſecundum pſalmiſtam* (*b*), *pro maligna concluſione non tam contra nos modernos, quam contra Dei ſanctos ſophiſtice practizata. Eliam numquid tangit, quia ſpecialem orationem fecit* (*c*) *pro filio mulieris hoſpitæ, præferens eum per nomen pluſquam alium aliquem tunc temporis, inquiens: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam utcumque ſuſtentor? Si ergo Elias fudit preces pro vidua, cujus facultatibus tenuiſſimis ſuſtentabatur, & non pro aliis, cur non clerus maxime preces fundat pro iis, quorum opibus ſuſtentetur?* Inſeruere plura alia impia eidem libello Wicleffiſtæ, ut regni ordines labefactarent (*d*), tum ut præſules & ſacerdotes veluti magnos & præſtigiatores inviſos redderent, adverſus ſacramentalia, ob vim qua pollent adverſus diabolum, veluti contra magicas præſtigias blaſphema dicacitate declamarunt: qua in re ſe omnino demonſtrarunt Judæis ſimiles, qui Chriſtum dæmones eiicientem magiæ crimine inſimulare non perhorruerunt.

(*a*) Vald. to. 3. tit. 11. de ſanctis rogandis c. 107.

(*b*) Pſ. 108.

(*c*) Reg. 17.

Vvicleffiſtarum blaſphemia in ſacerdotes.

(*d*) Vald. to. 3. tit. 24. de bened. c. 4.

XXI. Ordinis ſacramentum profanatum.

Graſſatam adeo in Anglia Wicleffiſticam hæreſim, refert ad hunc annum Nicolaus Harpsfeldius (*e*), ut ſacerdotes Wicleffiſtæ, quos jam ante conſecrandorum ſacerdotum auctoritatem adumbratam corripuiſſe vidimus, palam epiſcopos in ordinem redigere anniterentur, atque horrenda rerum ſacrarum confuſio oboriretur. Reus erat hujus ſceleris in Belgio ſacerdos pſeudominorita Jacobus nomine patria Juliacenſis, qui adulterato pontificio diplomate, ſe epiſcopum dixit, nec ſacris epiſcopalibus initiatus ſacerdotes ficto ritu ſacravit in pluribus Germaniæ Belgiique diœceſibus, adeo ut labente decennio plures ab eo profana inunctione delibuti divina myſteria theatrali ludo peregerint, & populi ejus improbitate decepti honores Chriſto deferendos pani exhibuerint; tum Euchariſtiæ & exomologeſeos ſacramenta ludicra ſpecie receperint. At miſericors Deus tantum ſcelus inultum non paſſus eſt; Florentius enim epiſcopus Trajectenſis patefacto flagitio finitimos epiſcopos coegit, & celebrata ſynodo decretoria ſententia (*f*) pertinacem hominem impium damnavit; exauctoratus deinde eſt nefandiſſimus homo, qui ſacerdotalia ſacra tam impie profanarat, ſervatoſque a Florentio Ultrajectino epiſcopo ritus, ita deſcribit Joannes e Leydis.

(*e*) Harpſ. in hiſtor. Vicl. c. 16.

Jacobi pſeudominoritæ ſacrilegium immane.

*Poſt prædictam*, inquit, *ſententiam in eum præſentem latam ſeorſum ducebatur, & induebatur veſtimentis ſacerdotalibus, & ferendo calicem cum vino & patenam cum hoſtia in manibus ſuis, ac ſi debuiſſet miſſam celebrare degradandus coram Florentio epiſcopo Trajectenſi* [1] *ducebatur, qui detrahendo ſibi inſignia ſacerdotalia, videlicet calicem cum patena ac caſulam & ſtolam, his verbis utebatur in remotione patenæ; Auferimus tibi veſtimentum & inſignia ſacerdotalia, teque honore ſacerdotali privamus; quo facto epiſcopus incontinenti in ſignum deletionis unctionis ſacerdotalis cum vitro emunxit leviter citra ſanguinis effuſionem circa manuum quæ fuerunt inunctæ ducens tractionem cum illo vitro a pollice ſiniſtro per indicem ſiniſtrum, ut moris eſt cum epiſcopus aliquem ſacerdotem inungit;* & infra. *Quo completo iterato receſſit ſeorſim & induebatur habitu diaconali ſcilicet dalmatica, & ſubtus ſtola pendente ſuper humerum ejus ſiniſtrum, ut moris eſt veſtiri diaconum & ſic ferendo codicem evangeliorum in manibus ſuis repræſentabatur epiſcopo Trajectenſi, qui hæc ſibi detrahendo dixit, ut prius in remotione patenæ: Auferimus tibi veſtimentum & inſignia diaconalia, teque honore diaconali privamus. Poſt hæc abiit iterato ſeorſum & induebatur tunica ſubdiaconali & manipulo in ſiniſtro brachio ejus oppoſito, & ferendo in manibus ſuis codicem epiſtolarum du-*

(*f*) Ext. apud Jo. e Leyd. chronic. Belg. l. 31. c. 43. Reiner. Inog. rer. Batav. lib. 9. Magn. chron. Belg. & alii.

Supplicium de pſeudo-piſcopo ſumptum.

NOTÆ [1] SYnodus Provincialis Trajectenſis cujus hic meminit Annaliſta, & a Collectoribus per incuriam omiſſa hucuſque eſt, non quidem hoc anno, at potius ſequenti die S. Hieronymo ſacra XXX. Septembris celebrata fuit, aſſidentibus cum Florentio Archiepiſcopo Epiſcopis ſuffraganeis ſeptem. Sententiam a patribus hujus concilii latam in Jacobum de Juliaco e MS. codice dedit Antonius Matthæus Analector. to. V. pag. 615. & ex illo recitatur in Batavia ſacra edita Bruxellis 1714. to. I. Pag. 203. MANSI

*ducebatur coram epiſcopo: & etiam addebatur calix vacuus cum patena in manu, quia illum in collatione ordinis ſubdiaconalis de manu ordinatoris accepit, & epiſcopus ſibi hæc detrahendo prompſit hæc verba in remotione patenæ: Auferimus tibi veſtimentum & inſignia ſubdiaconalia, teque honore ſubdiaconali privamus. Privatus ſupradictis inſignibus ſeceſſit ſeorſum cingulum deponendo & albam exuendo, & indutus ſuperpelliceo clericali, ferendo in manibus ſuis candelabrum cum cereo extincto & ampullam, coram Epiſcopo fuit præſentatus, & Epiſcopus abſtulit ei candelabrum cum cereo & ampullam & exuit immediate eum ſuperpelliceo, quo induit eum ordinator in collatione primæ tonſuræ & pronuntiavit hæc verba: Authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ac noſtra tibi auferimus habitum clericalem & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine & privilegio clericali. Deinde epiſcopus cum forcipe incœpit tondere parumper capillos capitis ſui, & poſtea barbitonſor illud cum novacula perfecit ita quod in eo nullum remanſit veſtigium tonſuræ vel clericatus. Poſtremo his peractis induebatur habitu laicali diſcolorato & relinquebatur judici ſæculari, ut in ſuum forum eum reciperet, cum proteſtatione quod pœnam ſanguinis ei non infligeret, quia hoc epiſcopo petere non licet ut extra. ne clerici vel monachi cap. ſent. & de ecl. me. ſal. cap. ad audientiam.* Ultrajectini magiſtratus perpenſo ſacrilegi hominis execrando ſcelere non flammarum incendio, quo citiſſime abſumendus foret, ſed ferventibus aquis ſenſim adurendum cenſuerunt, ut ejus pertinaciam, qua impudentiſſime flagitium agnoſcere detrectabat, edomarent. Is vero ferventi ollæ immiſſus dolorum magnitudine victus execrari ſcelus & mitius ſupplicium deprecari cœpit, motique miſericordia judices ex olla ebullientem eductum capite truncari juſſerunt, ut narrat Joannes e Leydis (a): cumque addat permiſiſſe epiſcopum, ut in cœmeterio ſepeliretur, illum pœnitentis animi ſigna oſtendiſſe colligitur.

(a) *Jo. Leydis chron. Belg. l. 31. c. 43.*

XXII. Non hæſit in hoc flagitio Wicleffiſtica hæreſis, ut laicos ſacerdotio fungi imperaret, ſed eo prorupit impudentiæ, ut fœminas ſacramentis adminiſtrandis admoveret; quorum veſaniam in luce collocat his verbis Thomas Waldenſis (b): *Sectatores ejus*, nimirum Joannis Wicleffi, *ut publica fama canit, in hac civitate Londoniarum olim inſtituerunt juvenculam quandam profeſtis diebus ac dominicis conſecrare eis ſuam Euchariſtiam, ſive ad miniſtrandum quælibet ſacramenta*: Præiverant Wicleffo in hac ſtulta impietate olim Montaniſtæ fœminei ſexus amantiores, de quibus Sanctus Auguſtinus, & poſt complures alios Cardinalis Baronius in annalibus meminere. At de Wicleffiſtica hæreſi hactenus, quæ graſſata per Angliam ordines, ac Richardum Regem inficere conata eſt: nunc de ſchiſmate, quo Galli Anglos irretire ſtudebant, inſtituenda eſt narratio.

(b) *Vald. to. 2. de Sacram. Euchar. c. 28.*

Mulieres in Wicleffiana ſynagoga ſacerdotium uſurpant.

XXIII. Veritus Bonifacius Gallorum ſibi adverſantium dolos & colloquia cum Anglis, Nonantulæ abbati internuntio apoſtolico adjunxit (c) interjectis paucis menſibus Damianum Cataneum patritium Genuenſem ampliſſimis fretum mandatis, ut arctiſſimum cum Richardo Rege armorum fœdus pontificio (d) nomine jungeret ad Gallorum, aliorumque ſchiſmaticorum impetus debilitandos, atque alia antipapæ graviora conſilia diſſolvenda.

(c) *Lib. 2. ep. cur. p. 150.*

Miſſus in Angliam internuntius.

(d) *Bonif. l. 2. ep. cur. p. 150.*

Quæ fuerint ab illo geſta cum Richardo exponit Walſinghamus (e), quamquam illa prædicti Nonantulæ abbatis nomine refert: *Item dominus Papa ſignificat Regi prædictum nuncium, qualiter Rex Franciæ & antipapa pacta inierunt hinc inde videlicet, quod idem Rex per fortitudinem ducis Burgundiæ * expellet & inveſtiet ducem Turoniæ de omnibus terris eccleſiæ in partibus Italiæ, & quemdam alium promiſit coronare Regem Tuſciæ & Lombardiæ, & ducem Andegaviæ firmare in regno Siciliæ: quare Papa exhortatur & rogat, quod Rex ad defenſionem fidei & ſanctæ matris Eccleſiæ ſe exponat. Item Papa exponit pericula ſi antipapa & Rex Franciæ prævalerent quantumque Papæ Gallici jura regni Angliæ conati ſunt deprimere: & ſi Gallici uſurparent imperium, conſequentur totum mundum & ſic finaliter Angliam uſurparent: ideo Papa conſulit, quod Rex Angliæ videat & provideat de remedio opportuno. Item Papa ſignificat, quod Gallici tractabunt cum Anglicis ut concordia inita poſſint liberius uſurpare præmiſſa, & ut ſubtiliter fractis tandem conventionibus, poſſint Angliam finaliter uſurpare: quare Papa ſuadet quod cum ſint ſchiſmatici, ex nulla alia cauſa communicatio ſit cum eis niſi pro reducendo eos ad fidem & obedientiam debitam. Item in caſu, quo tractatur de pace cum Gallicis, Papa hortatur & rogat, quod nulla fiat conſenſio niſi pactio roboretur pœnis vallata, quod Rex Franciæ non mittet gentes in Italiam, nec permittet ſuos ſubjectos illuc ire occaſione præmiſſa, & de factis Romanæ eccleſiæ & Romani imperii, vel Italiæ nullatenus ſe intromittet, & quod non favebit antipapæ in partibus Italiæ ſub pœnis appoſitis, alias pax intelligatur eſſe fracta. Item Papa deſiderat, quod Rex Angliæ mittat legatos ad Imperatorem, ut pro honore Eccleſiæ & imperialis dignitatis concurrat cum Rege Angliæ in præmiſſis. Reſpondit Rex de his relaturum ſe ad proximos regios conventus.*

(e) *Walſingh. in Rich. 2.*

* *Mediolani.*

Antipapæ cum Gallo Rege coitiones Anglo patefactæ.

Poſtulatus Anglus ut paci Italiæ conſulat.

XXIV. Et quidem annitebatur omni ſtudio tunc Carolus Francorum Rex mulcere Anglos, pacemque cum iis firmare, ut omnem conatum ad Neapolitanum regnum Ludovico Andegavenſi aſſerendum adhiberet: quem miſſis oratoribus expoſuiſſe ajunt (a), neque Angliam a Gallis, nec Galliam ab Anglis domari bello poſſe, ac videri præſtantius cruori parcere & fortunis populorum, quam inani conatu ipſorum vitam opeſque prodigere: actum itaque eſt de induciis, & Joannes dux Lancaſtriæ colloquii habendi cauſa miſſus in Gallias: ſed cum concordiam coaleſcere non potuiſſe referant authores, inde facile colligitur Anglorum Regem Pontificiis precibus aſſenſiſſe, ut pacem niſi ea ſedi quoque Apoſtolicæ daretur, non admitteret.



Subdolo conſilio petita a Gallo pax.

(a) *Walſin. in Rich. II. ad ann. ſequ.*

Colloquium de eo irrito ſucceſſu diſſolutum.

Hoc anno edidit egregium commentarium quinque dialogorum libris comprehenſum Joannes e Monteſono ordinis Prædicatorum, ad quem Cardinalem Reatinum inſcripſit (b), & multa in primo libro præfatus, probat in ſecundo (c) Cardinales tranſalpinos ab eccleſia vera præciſos eſſe: *Fama*, inquit, *publica laborat eos dixiſſe quod, cum fuerunt in Anagnia, ipſi deliberaverunt an obedirent dicto Urbano, an facerent ſchiſma & deliberaverunt quod erat melius ſchiſma facere, quam ei obedire, vel eum in papatu ſuſtinere; ex iſto arguo ſic: Quodcumque membrum Eccleſiæ quod facit ſchiſma & eſt author ſchiſmatis, & participat in ſchiſmate, dividit ſe ab unitate Eccleſiæ. Sed Cardinales prædicti fecerunt ſchiſma & fuerunt per conſequens authores ſchiſmatis & participant in ſchiſmate.* Idem inferius (d) confirmat: *Obedientia domini Urbani fuit conſenſio populorum & gentium, non enim fuit aliquis populus fidelis, qui in eum ut in Papam non conſenſerit, ſaltem in publico & exterioribus, in quo conſiſtit unitas eccleſiaſtica, ut ſuperius dicebatur, ita revera, quod tota Italia, Alemannia, Anglia, Francia, Hiſpania, Aragonia, & univerſaliter totus populus Chriſtianus; in illa vero eccleſia, quam Cardinales poſtea & ſecundo conſtituerunt, non fuit conſenſio omnium fidelium populorum, quia non Italia, non Alemannia, non Anglia.* Adde non Dania, non Norvegia, non Suecia, non Polonia, non Hungaria, non Dalmatia, non Hibernia, non Friſia, non oriens; immo nec Flandria, nec Britannia, neque Aquitania, nec Luſitania: *Denique neque populi Galliæ, Caſtellæ, Aragoniæ, & Navarræ, qui eos ſequuntur corporaliter, licet non quoad corda eorum, ut quotidie experimur, nec in exterioribus eis obedirent, niſi quia compelluntur per potentias & terrores principum terrenorum. Sentis an in his verum dicam. Diſcipulus: Utique verum dicis. Magiſter: De qua ergo juxta prædicta concludes eſſe veram Eccleſiam, penſata prima proprietate? Diſc. Re vera de Eccleſia, quæ ſequitur dominum Urbanum*: & infra:

(b) *Ext. in bibl. Card. Barber. ſignat. n. 2304.*

Joannis e Monteſono comment. in ſchiſmaticos.

(c) *Lib. 2. c. 17.*

(d) *Cap. 22.*

Percenſet ſigna Eccleſiæ. Urbano paruere aliquando omnes populi.

Partem minorem traxit ſecunda electio.

Galli & Hiſpani non ſponte, ſed vi antipapam ſequuti.



XXV. *Videamus ſi in tempore hujus ſchiſmatis ſunt facta miracula ad teſtificandam Eccleſiæ veritatem: Et nota quot miracula ſubſecuta. Vides in principibus contra ipſam inſurgentibus quales fuerunt interitus ſubſequuti? Videas Regem Carolum contra ipſum Urbanum inſurgentem infra annum, vel parum plus volentem intrare poſſeſſionem regni Hungariæ infra viginti dies in camera propria ab hominibus dicti regni turpiter interfectum. Videas de Rege Caſtellæ Joanne, qui præſumpſit declarare ipſius Eccleſiæ veritatem, quam ſicut Pilatus non meruit invenire, determinando ſe pro parte dictorum ſchiſmaticorum, qualiter fuit ab equo proprio interfectus, nec potuit emittere unum verbum. Videas de duce Andegaviæ, qui cum ſexaginta millibus equitaturus contra dictum Urbanum inſurrexerat, qualiter ipſe cum toto exercitu ſuo periit, & ad nihilum ſunt redacti. Videas de domina Joanna Regina Siciliæ, quæ ipſis Cardinalibus in dicto ſchiſmate adhæſit, quam turpiter regno fuit privata & turpius interfecta. Videas de domino Bernabone a ſuo nepote capto, & interfecto, & de ſuo dominio pro ſe & ſuo hærede privato. Videas de duce Auſtriæ infra unum annum ſuæ determinationis a ſuis ſubditis & ruſticis interfecto. Videas de domino Raynaldo de Urſinis in Aquila a ſuis ſubditis interfecto; ut taceam de pluribus aliis, qui ſupervivunt ob reverentiam eorumdem. Numquid videntur tibi iſta miracula a Domino eſſe facta? Revera, ſi diligenter velis inſpicere, non minus eſt hoc ſchiſma punitum quoad capita principum, quam cum ſchiſma fuit introductum in regno Juda vel Judæorum, a quo regnum Iſrael ſe diviſit, ut patet* IV. *Reg.* XXVII *Inſuper vis videre aliud genus miraculorum. Videas, quot revelationes factæ ſunt probis & ſanctis hominibus atque mulieribus tam ſæcularibus quam regularibus, qui ſunt omnes atteſtantes dictum dominum Urbanum eſſe Papam, & per conſequens eam quæ ſibi juncta eſt eſſe Eccleſiam veram.*

Divinæ ultionis exempla in Urbani hoſtes. In Carolum Dyrrachium.

In Jo. Regem Caſtellæ.

In Ludovicum Andegav. & ejus exercitum.

In Jo. Reginam.

In Bernabonem.

In ducem Auſtriæ.

In Raynaldum Urſinum.

Revelationes ſacræ viris ſanctis factæ.

XXVI. Demonſtrat (e) pluribus conciliorum & Pontificum adductis ſanctionibus idem auctor Cardinales nulla auctoritate ad ferendam in Urbanum ſententiam inſtructos fuiſſe. In tertio libro (f) ſchiſmaticorum argumenta refellit auctor, ac primum illorum argumentum ita ſibi opponit: *Electio facta de Papa per metum eſt nulla. Sed electio dicti Urbani, &c.* Infringit illud, ac demonſtrat electionem factam metu maxime ubi concurrit poſtea conſenſus Eccleſiæ, ex conſuetudine Romanæ eccleſiæ valere, idque pluribus Pontificum exemplis oſtendit. Convellit pariter aliud ipſorum fundamentum dum ajunt Cardinales in omnibus actibus, qui-

(e) *Cap. 23.*

(f) *Lib. 3. c. 2.*

Cardd. ſchiſmaticor. fundamenta convulſa.

Argumentum e nuptiis petitum indiſſolubile.

(a) Ib. c. 16.

(b) Lib. 4. c. 1.

(c) Ib. c. 29.

(d) Ib. c. 21.

bus locarunt Urbanum in ſolio, aut thyara cinxere, aliiſve affecere honoribus, nuſquam aſſenſiſſe, oſtenditque ea in re non magis admittendos, quam qui ſervatis omnibus ritibus contraxerint nuptias, & conſummatione matrimonii pluries repetita ſe aſſenſiſſe negent, ac matrimonium diſſolvendum velint, cum in utraque re par ratio ſit; ſuſpectos (a) vero nimium de cauſa impia & iniqua in ſchiſmatis facto reddi probat in quarto libro (b), dum ad arcanæ intentionis perfugium recurrunt: ac dato (quod a veritate abhorret) ipſos non intendiſſe tot tantiſque actibus creare Urbanum Pontificem, vel unquam aſſentiri, cum tamen poteſtas papalis inſtitutionis ſit Divinæ non humanæ, & Cardinales ſint miniſtri, ſed non principales circa electionem Papæ ſed Eccleſia a qua poteſtas Cardinalibus data eſt, infert (c) poteſtatem ipſis collatam operari immediatius circa electionem papalem, quam eorum libertatem, ac ſubjungit (d): *Ex quo ipſi ſunt veri & proprii miniſtri dictæ electionis, & materia erat idonea & locus, & tempus, & expreſſio intentionis in exercitio operis electivi, inthronizativi, atque coronativi, nec fuit tunc expreſſio verbo vel facto contrariam manifeſtans intentionem, eorum intentio ſuppleta videtur per intentionem Eccleſiæ, quæ eſt in hujuſmodi miniſter principalis.* In quinto eoque poſtremo demum libro demonſtrat (e) fuſe, qua ratione Cardinalibus pontificiam electionem denuntiantibus credendum ſit, ac probat denuntiationi primæ ſtandum, cum illa omnino cum re geſta conſentiret: ſecundam vero repudiandam, cum pugnet cum prima, cum manifeſtis impoſtoribus, uti priorum fuiſſe ajunt, adhibenda non ſit fides. Concludit demum œcumenicum concilium ad redintegrandam eccleſiarum conjunctionem celebrandum, principeſque ut in id operam conferant adhortatur.

(e) Lib. 5. c. 9. 17. &c.

Auctoris concluſio de celebrando concilio.

Dyrrachinus principatus ſchiſmatis occaſione amiſſus.

Interea occidentis diſcordiæ bellum in oriente accendere; ac plures terras, quæ Latinis parebant, in exitium conjecere. Amiſſus tum eſt Dyrrachinus principatus a Gallis eorum culpa, cum Ludovicus Andegavenſis, ut plures hoſtes in Ladiſlaum concitaret, icto fœdere Dyrrachium in prænobilis cujuſdam Dyrrachini, qui ad antipapæ partes deflexerat, poteſtatem redigendum curaverat. Cujus inſignis urbis e ſchiſmaticorum tyrannide liberandæ cupidus Bonifacius Georgium Stratimiri Raſciæ principem catholicum per literas ſolicitavit (g), ut Dyrrachium ſibi ſubjiceret, atque ad eccleſiæ Romanæ obſequium reduceret.

(g) Lib. 2. ep. cur. p. 103.

*Dilecto filio nobili viro Georgio Stratimiri de Balſſa domino & principi Czente in regno Raſiæ ſalutem.*

XXVII. Georgio Dyrrachinum conceſſum ab Andegavenſi.

*Cum ſicut accepimus iniquitatis filius Georgius quondam Caroli Tobiæ natus domicellus Duracenſis civitatem Duracenſem prætextu conceſſionis de illa ſibi ſeu dicto quondam Carolo ejus patri factæ per iniquitatis alumnum Ludovicum, qui ſe gerit pro duce Andegavenſi, detineat prout eam dictus ejus pater nomine dicti Ludovici per nonnulla tempora detinuit occupatam, dictique Ludovicus & Georgius notorie adhæſerint & faverint & adhærere ac favere perditionis alumno Roberto olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbytero Cardinali nunc antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu temerario nominare præſumit, etiam poſt & contra proceſſus per fœlicis recordationis Urbanum Papam VI. prædeceſſorem noſtrum contra ipſum Robertum, ac ejus fautores, ſequaces & adhærentes eidem factos & ſolemniter publicatos, per quos idem prædeceſſor dictum Robertum velut hæreticum & ſchiſmaticum puniendum ſententialiter condemnavit, præſumpſerunt & præſumant; nos cupientes quod dicta civitas & ejus cives & incolæ ad obedientiam & devotionem noſtram & Eccleſiæ Romanæ reducantur, de tua prudentia & ſtrenuitate ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, nobilitatem tuam rogamus & hortamur attente, quatenus omnibus viis & modis, quibus commode poteris, des opem & operam efficaces, ut prædicta civitas, & ejus cives, incolæ & habitatores ab obedientia & ſubjectione Ludovici & Georgii prædictorum & quorumlibet aliorum ſchiſmaticorum reſiliant, & totaliter liberentur, & ad noſtram & eccleſiæ Romanæ prædictæ devotionem & obedientiam, prout tenentur libere convertantur, tenens indubie quod præter æternæ retributionis præmium, & humanæ laudis præconium, quæ proinde mereberis, noſtram & apoſtolicæ ſedis gratiam peramplius conſequeris. Datum Romæ id. aprilis pontificatus noſtri anno II.*

Bonifacius eundem principatum transfert in virum cathol.

Erat adeo egregie affectus in ſedem Apoſtolicam Georgius Stratimerus, ut principatum ſuum Romanæ eccleſiæ ſupremo imperio ſubjecerit, ſtatueritque ad ſedem Apoſtolicam devolvendum cum ipſius ſtirpem deficere contigiſſet: cujus principis pium conſilium Pontifex aliis literis ad ipſum datis (f) commendavit.

Stratimeri erga eccleſiam ſtudium.

(f) Ib. ep. cur. ead. pag.

XXVIII. Diſſentientes Dalmatæ & Macedones Turcas in ſe concitant.

Conſulturus etiam Bonifacius rei Chriſtianæ in Dalmatiæ & Macedoniæ finibus periclitanti, quam Ducaginorum factio laniabat, proruperatque in eum furorem, ut ad perdendos fideles conduceret Turcas, quorum deinde armis ipſi perirent, Antibarenſi archiepiſcopo munus injunxit (h), ut hujuſmodi factionis participes ſolemni ritu moneret cœpto temperare ſceleri, apoſtolicaque ſpernentes imperia defixos anathemate pronuntiaret.

(h) Lib. 2. ep. cur. p. 104.



Judæorum calamitas.

(a) Annal. Suevic. par. 3. lib. 6. c. 3.

(b) Sylv. Bohem. l. 9. c. 34.

(c) Krantzius Wandal. lib. 9. c. 23.

Hoc anno, ut referunt annales Suevici (a), Æneas Sylvius (b), & Crantzius (c) Pragæ in Bohemia Judæi, cum pueros ad Euchariſtiam delatam a parocho blaſphemis vocibus impetendam incitare, ac tueri auſi eſſent, exitium ſuo capiti imprudenter accerſivere: ſeditione enim populari trucidati & incenſi cum domibus ſuis fuere, eorumque fœminæ in tantum furorem verſæ ſunt, ut in flammas ſe una cum puppulis conjecerint, ne Chriſtianorum ludibrio ſe exponerent.

XXIX. S. Birgittæ memoria conſecrata a Bonifacio.

Eodem anno Bonifacius ſolemni ritu ſanctorum cultum B. Birgittæ Suecæ decrevit, recolendamque anniverſaria precatione ejus memoriam indixit datis ad præſules encyclicis literis, quibus præcipua ejus vitæ præclariſſimæ geſta & miracula perſtrinxit, quorum tanta fuit gloria, ut etiam antequam prodiret in lucem, Deus ipſius cauſa matrem e naufragio liberarit, illique fœtum cum charitate educandum imperarit, recenter natæ futuram ſanctitatem pio parocho cœlitus oſtenderit, trimulæ elingui repente cœleſti dono expeditum loquendi prudenter de omnibus uſum tribuerit; toto vero vitæ curſu & poſt mortem innumera mortalibus ad ejus opem preceſque apud ſupremum Numen confugientibus beneficia contulerit; de auſtero autem & ſanctiſſimo vitæ genere hæc in apoſtolico diplomate (d) narrantur.

Loquendi uſus trimulæ elingui repente datus.

(d) Extant in bullar. in Bonif. IX. conſt. v.

*Venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, dilectis filiis electis & patriarchalium, metropolitanarum, & cathedralium eccleſiarum capitulis ubilibet conſtitutis, &c.*

*Sancta vidua quæ ab ineuntis ætatis principio, Deo dicata fuerat, ut jejuniis & orationibus indefeſſe vacaret, ſoluto conjugio & ſui juris effecta, quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum a Spiritu Sancto præmonita, egrediens de terra & cognatione ſua, ad almam urbem, ac Jeroſolymam deinde perrexit, & loca ſingula, in quibus Dominus noſter Jeſus Chriſtus annuntiatus, natus, educatus, baptizatus, converſatus, mirabilia operatus, illuſus, crucifixus, & ſepultus fuit, & ad cœlos aſcendit, inſigni devotione & venerabunda conſpexit. Ad urbem quoque regreſſa, cum antea ſive in ſua patria & partibus circumſtantibus, ſive in Germania, ſive in Galliis ſive in Hiſpania, ſive in Italia, ſive in aliis ciſmarinis aut ultramarinis partibus ubi ſanctorum ac ſanctarum corpora ſeu memorandæ reliquiæ quieſcerent, pauca admodum abſque perſonali viſitatione dictæ ſanctæ viduæ fuiſſent prætermiſſa, in eadem urbe reliquum vitæ peregit.*

*Sed poſt mariti mortem ob reverentiam Trinitatis ad nudam carnem quandam chordam de canapo cum pleriſque nodis ſtricte ligatam, & ſimiliter circa ſingulas tibias ſubtus genua ſingulas chordas ſimiliter connodatas etiam tempore infirmitatis, nec pannis lineis, præterquam in capite, uſa veſte hiſpida circa carnem, ſuperius vero non ſecundum perſonæ conditionem, ſed multum humiles & abjectas; & non ſolum eas, quas ſancta mater jubet eccleſia vigilias ſeu jejunia obſervabat, ſed alia multa ſuperaddebat, ut etiam ultra Eccleſiæ mandatum quater in hebdomada jejunaret; & ſimiliter quater in hebdomada conjuge nondum vita functo, & poſt obitum ejus continue uſque ad paucos annos ante ſuum felicem tranſitum ſolitis pannis induta ſuper tapeto abſque paleis culcitra, vel ſimilibus, ad terram vel pavimentum poſito, corpus ab orationibus, abſtinentiis, ac divino labore feſſum tenui & brevi ſomno recreabat. Singulis ſextis feriis ob memoriam ſacratiſſimæ paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti pane duntaxat & aqua contenta jejunium non omiſit: cum etiam multos alios dies ob diverſorum ſanctorum reverentiam ſimili abſtinentia pertranſiret, & ſive jejunio abſtineret ſive aliter diſcumberet, cum ſobriiſſima foret, de menſa ſurgebat non ſaturata, ſed refecta. Eiſdem quoque ſextis feriis de candelis cereis accenſis ſtillas candentes & ignitas eliquabat ſuper nudam carnem, ita ut aduſtæ cicatrices continue remanerent, & gentianam amariſſimam herbam ſeu radicem ejus retinebat in ore.*

Auſterius vitæ genus ab ea ſuſceptum.

XXX. Quotidie baſilicas urbis luſtrabat.

*Romæ inſuper degens non rigorem frigoris, non æſtivos calores, non impedimenta viæ lutoſæ, non pluviarum aut nivium ſeu grandinum aſperitatem curans, ſtationes per eccleſiam ordinatas, variaſque alias ſanctas eccleſias, licet eques pro ſuis facultatibus ire potuiſſet, tamen ſupra extenuati corporis vires enitens peditans viſitavit quacumque die, tot namque longis genuflexionibus uſa fuit, ut genua ejus rigerent in duritiam, ut ita dixerimus, camelorum. Admirabilis & ſpectatæ humilitatis extitit, ita ut nonnumquam cum pauperibus peregrinis incognita ſimul ſedens apud monaſterium S. Laurentii in Paniſperna de urbe ordinis S. Claræ eleemoſynam reciperet & oſcularetur cum gratiarum actione, & frequenter propriis manibus & ob Dei reverentiam reparabat pauperum veſtimenta. Tenacem obedientiam prælatis & ſuis ſuperioribus & confeſſoribus obſervabat, adeo quod abſque ſaltem confeſſoris licentia pene oculos attollere non præſumeret; & ſuperſtite marito cum ſingulis ſextis feriis confeſſa fuiſſet, poſt ejus tranſitum veram confeſſionem ſemel ſaltem in die cum magna contritione ſtuduit iterare, tam amare levia ſicut alii graviſſima deplorans, & nihil de ſuis verbis, moribus, cogitationibus, & actibus præteriens indiſcuſſum. Verbi Dei prædicationibus, quas viri probati fa-*

Obſervantia illius in præſules.

Singulis diebus exomologeſim fecit.

Prophetiæ dono claruit.

*facerent, aſſidua aderat & intenta. Singulis quoque diebus dominicis & ſolemnibus cum devotione & lachrymis ſumpſit venerabile Chriſti Corporis ſacramentum.* Interjectis nonnullis de ejus eleemoſynis, ac pluribus reparatis xenodochiis, & novo religioſo ordine inſtituto, & prophetiæ munere illi divinitus collato, de pio eius obitu hæc adduntur.

Pia ejus mors.

*Cum fuiſſet annum ſeptuageſimum ſupergreſſa, adveniente jam termino prænuntiato, vocata familia, quæ fieri oporteret edixit, ac demum Birghero filio & Catharina filia tunc ſuperſtitibus accerſitis, & de multis commonitis, ut ſuper omnia in Dei timore, & amore proximi ac ſanctis perſeverarent operibus, ultima confeſſione debite facta, ſumpto Viatico & extrema unctione delibuta, cum uſque ad flatus emiſſionem ſua memoria integra perduraſſet, dum miſſa coram ſe celebraretur, poſt adoratum Corpus Chriſti, oculis elevatis in cœlum, dicens:* In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, *vocanti benemeritam animam reddidit Creatori. Extemplo de tranſitu hujus viduæ venerandæ magna fit fama per urbem, concurrit frequens populus cum ſumma devotione ac reverentia ſacrum videre corpus, Deum unanimiter glorificans & collaudans, ad monaſterium S. Laurentii ſupradictum, ubi ſe indicarat ſepeliendam funus cum longe majori populi frequentia defertur, & præ nimia multitudine uſque ad biduum apte non potuit ſepeliri: quod tandem eximia Dei laude fuit humatum.*

XXXI. Miracula ejus precibus edita.

*Dum autem celebris hæc vidua Neapoli degeret, Nolanenſis quædam mulier Pictiolella nomine, quæ violentum mali ſpiritus in humanam ſe imaginem tranformantis patiebatur accubitum, cui nec fortium vigiliæ aut excubiæ obſidere potuerant, ad viduam ſanctam acceſſiſſet, eam ſuper tali materia & expedienti remedio conſultura, mox vidua præcellens & ſecreta mulieris prævidens, quæſivit a muliere an ſecum aliquid arte magica compilatum vel quid tale deferret. Cum illa reſpondiſſet, quod non; egregia vidua ſubjecit: quære in capillis ſeu tricis tuis & contrarium invenies: confuſa & recordata mulier, quod certum breve cum characteribus & incantamine propriis habebat in crinibus, ſuum fuit errorem ſponte faſſa. Inſignis autem vidua injunxit & ſuaſit illi, ut devote confiteretur & veraciter pœniteret & communicaret, ac etiam jejunaret: quod & fecit, ac meritis & precibus memoratæ viduæ nunquam ſimilem accubitum paſſa fuit.*

A S. Thoma Apoſtolo reliquiarum ipſius parte donata.

*Cum autem ſpectabilis hæc vidua de longa peregrinatione ad Ortonam Theatinæ diœceſis terram, in qua beatiſſimi Thomæ Apoſtoli reliquiarum pars magna ſervatur, vice ſecunda ſuperveniſſet [fuerat enim antea longe per viſionem ſibi revelatum, quod ſecunda vice ſui adventus ad ipſam terram devotum ejus deſiderium impleretur] & dum ſtans reliquias devotione ſolita viſitaret, idem Apoſtolus devotæ viduæ apparens dixit: Dabitur tibi diu deſideratum; & mox, nemine tangente vel alias impellente, de capſa reliquiarum quoddam fruſtulum unius oſſis dicti Apoſtoli ſuapte ſponte viduæ expectantis proſiliit ad manus, quod illa, cum gaudio ac devotione recipiens ſumma veneratione ſervavit.*

XXXII. Sæpius dum oraret vultu radiare viſa.

*Fuit quoque hæc admirabilis vidua, dum orationi & contemplationi vacaret per pleraſque devotas perſonas elevata a terra per hominis menſuram vel circiter cum ſplendida & radiante facie ſæpe viſa: funus nondum erat traditum ſepulturæ, cum mulier quædam Agnes de Conteſſa nomine, in urbe commorans, quæ a nativitate guttur habebat groſſiſſimum ac deforme, cum aliis venerandum cucurrit ad funus, & cum propria zona manus ſanctæ jacentis Birgittæ cum devotione tangi feciſſet zonam eandem ſimili devotione circumduxit ad collum, & paulo poſt guttur detumuit, & ad conformitatem debitam divino miraculo fuit redactum.*

Franciſca Sabella divinitus curata.

*Verum Franciſca de Sabellis dicti monaſterii S. Laurentii monialis, quæ biennio debilitatem & adverſam ſtomachi valetudinem paſſa fere ſemper lecto decubuerat infirma, & honorandæ viduæ familiaris fuerat, cum adhuc inſepultum corpus infra clauſtrum ſervaretur, cum gravi labore de lecto ſurrexit tam longam infirmitatem patiens, & adjuta pervenit ad feretrum, & ſecus illud jacuit tota nocte, nec deſiit cum inſtantia & devotione deprecari, quod meritis & precibus viduæ, cujus corpus aderat tam moleſta, tamque diutina valetudine in tantum ſaltem alleviaretur, quod cum reliquis monialibus divinis officiis intereſſe, & per clauſtrum cum expediret adjuta per neminem ire poſſet: & mane facto reperit ſe circa proprii ſanitatem corporis efficacius remedium, quam deprecata fuerat, impetraſſe.*

Puer S. Birgittæ precibus ad vitam revocatus.

*Verum ut Deus benedictus hujus dilectæ viduæ in mundo magna merita demonſtraret, contigit, ut Elſebiſnara mulier dictæ Lincopenſis diœceſis cum infantulum mortuum peperiſſet ſummo dolore plena, ac tandem ad ſe reverſa Deum prece humili exoraret, quod meritis viduæ tantopere celebrandæ infantulus vitam ſuſciperet; & emiſſo voto, quod cum infantulo, ſi ad vitam veniret & imagine cerea ſepulchrum viduæ ſanctæ viſitaret, extemplo infantulus caleſcere & palpitare cœpit, vitamque plene ſuſcepit: mulier vero plena devotione, atque gaudio votum implevit emiſſum.*

Subdit Bonifacius innumera alia miracula S. Birgittæ precibus patrata, ac cœcis lucem, ſurdis auditum, mutis loquelam, paralyticis membrorum robur fuiſſe reſtitutum, atque a Gregorio XI. & Ur-





bano VI. agitatam fuiſſe ſacram de illius ſanctitate & miraculis actionem, ac demum teſtium dictis diligenter excuſſis, conſecratam a ſe apoſtolica auctoritate ejus memoriam, atque diem feſtum in x. kal. auguſti indictum. *Datum Romæ apud S. Petrum nonis octobris pontificatus noſtri anno ſecundo.*

XXXIII. Quatuor Minoritæ affecti martyrio.

Hoc anno Jeroſolymis feruntur quatuor Minoritæ martyrii palmam collegiſſe, cum evangelium Chriſti publice prædicaſſent, atque deliramenta impia Mahometicæ ſuperſtitionis refellerent. Quorum nomina a Luca Waddingo (a) recenſentur: *Fr.* inquit, *Nicolaus de Taulicis a Sibinico, Fr. Donatus de Ruficinio provinciæ Aquitaniæ, Fr. Petrus Narbonenſis, & Fr. Stephanus de Lanich vicariæ Corſicanæ zelo fidei & fervore ſpiritus agitati abierunt in templum, ſeu meſquitam Saracenorum, ubi coram Cadi & innumero populo Chriſti fidem prædicare, & Mahometis inſanias deteſtari cœperunt; irruit in eos populus tumultuarie & verberibus injuriiſque affectos ſemivivos in carcere abſque cibo & potu detinuerunt. Tertia die in medium producti interrogantur, an ea, quæ dixerant in Mahometem revocare, an vero in ſententia perſeverare vellent; intrepidis & conſtanter reſpondentibus, ea rata ſe habere, & plura in dictorum confirmationem adjicere velle, multa inflixerunt rabidi Saraceni vulnera, & gladiis ſecuribuſque minutim corpora ceciderunt tertio idus novembris.*

Eorum corpora divinitus a flammis illæſa.

*Eorum corpora in rogum bis projecta extinxerunt impetum ignis, & tertio impoſita ingenti pyræ, injectaque deſuper magna ſtrue lignorum, remanſerunt intacta & illæſa, quantumvis per triduum laboraverint Saraceni in cinerem redigere: tandem caſſo & irrito opere ſecreto loco ſepelierunt ne invenirentur, & in veneratione haberentur a Chriſtianis.*

(a) *Lucas Wadding. ann.* 1391. *n.* 1.

I. ADhibuit apoſtolicas curas Bonifacius in componendis potiſſimum in Italia rebus anno tertiidecimi ſæculi nonageſimo ſecundo indictione quintadecima. Conſpirationem conflaverat Clemens pſeudopontifex cum Ludovico Andegavenſi, qui Neapoli aliiſque pluribus urbibus potitus pellere univerſo regno annitebatur Ladiſlaum veri Pontificis beneficentia Regem creatum, illumque ingenti clade decima aprilis die Sanſeverinatum opera affecit (a), in cujus auxilium ſubmiſit (b) Bonifacius Joannem Thomacellum pontificiis ſuccinctum copiis; ad quas neceſſario ſumptu ſuſtentandas, exhauſto jam ærario, nonnullos agros eccleſiaſtici juris pretio diſtrahi juſſit, ingraveſcentibuſque rei pecuniariæ difficultatibus ob continuos armorum fragores ſanxit (c), ut redigendarum ex omnibus ſacerdotiis, quæ conferrentur a ſede apoſtolica, vectigalium quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in fiſcum pontificium inferretur. Suffultus porro pontificiis auxiliis Ladiſlaus Aquilam ſubegit: maximum tamen vitæ diſcrimen tentatus veneno quo pocillator extinctus eſt, adiit. Auxere vero publicos Neapolitani regni motus turbæ domeſticæ: Manfredo enim Claromontio Ladiſlai ſocero, qui generum in rebus aſperrimis juverat extincto (d), Regina Margarita indigne pulſa eſt, terroremque attulere graviſſimum Trinacriæ converſiones, ne illa in ſchiſmaticorum poteſtatem redacta, catholica res in utraque Sicilia peſſum iret. Quibus malis ut occurreret Pontifex, ſuperiori anno ineundum inter proceres fœdus armorum curaverat, ut Reginam Mariam Frederici III. filiam redeuntem exciperent, ſi Martinum Aragonium reiiceret, cum vetitum eſſet lege canonica id connubium ipſos inter initum, neque illi principi, utpote ſchiſmatico, nupta ex vetuſtis pactionibus ad regnum jure aſpirare poſſet. Hoc vero anno Pontifex, cum immineret claſſis Aragonia, ut publicæ Trinacriæ paci conſuleret, Philippum Meſſanæ archiepiſcopum & Menendum Cordubæ epiſcopum internuntios Apoſtolicæ ſedis in Trinacriam miſit (e), qui jura illius regni beneficentia pontificia Mariæ conferrent, modo ipſa ad colendum Bonifacium ſucceſſorem Urbani, quem antea venerata erat, fidem obſtringeret; inſtruxitque authoritate, ut clientelarem ejus ſponſionem exciperent, populoſque ad ejus obſequium adducerent.

(a) *Hector Pignat. in MS. diar. Neap.*
(b) *Bonif. l. 2. p. 240.*
Thomacellus ſubmiſſus in auxilium Ladiſlao.
(c) *Lib. 3. p. 6.*
Bonifacius vacantium ſacerdotiorum dimidium vectigal ſibi reſervat.
(d) *Hector. Pignattel. in diar. Neap. & Summont. l. 4. c. 2.*
Trinacria periclitata ne Antipapæ ſubdatur.
Internuntii a Bonifacio miſſi in Trinacriam.
(e) *Lib. 2. ep. cur. pag. 301.*

*Venerabilibus fratribus Philippo archiepiſcopo Meſſanenſi, & Menendo epiſcopo Cordubenſi Apoſtolicæ ſedis nuntiis, ſalutem, &c.*

II. *Quamplurimi ad noſtram audientiam deduxerunt quod, chariſſima in Chriſto filia noſtra Maria Regina Trinacriæ illuſtris, quæ remotis in partibus longis fuit temporibus commorata, ad ſuum regnum Trinacriæ, quod eccleſiæ Romanæ juris & proprietatis exiſtit, noviter eſt regreſſa, aut in regrediendi itinere conſtituta: & quia non dubitamus, quod ipſa Regina eam fidelitatem, devotionem, reverentiam, & obedientiam, quam ad felicis recordationis Urbanum Papam VI prædeceſſorem noſtrum & eandem eccleſiam a principio damnati ſchiſmatis, quandiu in dicto regno, in quo tunc erat, permanſit, illibate prout tenebatur geſſit; & ſi in hujuſmodi remotis partibus deguerit dictis eccleſiæ & prædeceſſori dum vixit, & poſt ejus obitum nobis, qui divina favente clementia ad apicem fuimus ſummi apoſtolatus aſſumpti, firmiter ſervavit & ſervat. Et quia poſtquam dictum regnum per obitum claræ memoriæ Frederici Regis Trinacriæ, cujus unigenita filia erat, ad eam fuit delatum, cum adhuc impubes eſſet, & poſtquam ad annos pubertatis pervenit, cum variis fuit caſibus agitata, dicta Regina homagium ligium, quod ipſi prædeceſſori & eccleſiæ facere, ac debitæ fidelitatis juramentum, quod præſtare, & inveſtituram, quam de ipſo regno recipere in debita forma juxta tenorem conceſſionis de dicto regno eidem Frederico per Apoſtolicam ſedem factæ tenebatur ac tenetur facere ac præſtare & recipere, hactenus prætermiſit; nos qui ſalutem dictæ Reginæ, & ejus, ipſiuſque regni proſperitatem ac unitatem & concordiam ſynceris optamus affectibus, vos viros utique probatæ fidei, elegantium morum, experientiæ exercitatæ, præclaræ ſcientiæ, ac ſingularium virtutum, digeſto conſilio ac matura deliberatione ad partes illas providimus deſtinandos. Quapropter fraternitatem veſtram attente requirimus & monemus, vobis nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ad præmium æternæ ſalutis diſtrictius injungentes, quatenus ad præſentiam ejuſdem Reginæ vos perſonaliter conferentes, eam viſitetis, parte noſtri ſibi apoſtolicam benedictionem & paternam ſalutem largiendo & offerendo, quod ſumus parati, quantum divina bonitas miniſtraverit, eam protegere, fovere, defenſare, juvare, ſtatum ejus augere, ſubditorum obedientiam & reverentiam procurare, aut alia cum effectu facere & complere, quæ ad ſuum ſpectant commodum & honorem, ſi tamen [quod indubie credimus] erga nos & eccleſiam prædictam realiter faciat, quæ tenetur & quæ, ut dictum eſt, ſunt fieri hactenus prætermiſſa. Et ut ipſa Regina quantum materia videtur requirere, pro præſenti, quod in ſe eſt cum effectu demonſtraret,* & paulo infra, *ipſam noſtri parte requiretis homagium ligium facere, ac fidelitatem præſtare & in forma debita juramentum, necnon ſolemnes ambaſciatores ſuos & ſindicos cum ſufficienti mandato pro inveſtitura dicti regni recipienda, & coronatione petenda & impetranda, & aliis circa materiam neceſſariis peragendis ad noſtri præſentiam deſtinare: qui nos paratos invenient ad peragendum ea, quæ pro conſervatione & augmento ſtatus, honoris, & commodorum dictæ Reginæ fuerint quomodolibet opportuna, ubi autem præfata Regina hujuſmodi homagium ligium fecerit, & juramentum præſtiterit, ut præfertur, vos prælatos, proceres, magnates, communitates, univerſitates, ac particulares perſonas dicti regni ex eadem noſtri parte ad ipſius Reginæ obedientiam & reverentium moneatis, ſollicitetis & inducatis, & quæ alias in ejus utilitatem & favorem poteritis ſtudeatis operari: ſed nihilominus forma juramenti, cujus moderatio noſtro ſit arbitrio reſervata, nobis de verbo ad verbum per ejuſdem Reginæ patentes literas ſuo ſigillo ſignatas quantocius deſtinare, ac nos de his, quæ egeritis, & ſecuta fuerint in præmiſſis & eorum circumſtantiis univerſis, moræ cujuſlibet ſublato diſpendio, certificare curetis, ut hujuſmodi veſtra certificatione inſtructi in primis conſultius procedere valeamus. Pergite igitur venerabiles fratres in nomine Domini, & Deus omnipotens dirigat greſſus veſtros, vobiſque concedat ea in iis ſcire facere, tractare, deducere, & complere, quæ ad laudem ſui nominis & exaltationem fidei catholicæ, Romanæ eccleſiæ unitatem, repreſſionem ſchiſmatis, reipublicæ commune bonum, ipſiuſque Reginæ & regni prædicti ſtatum pacificum & tranquillum valeant merito redundare: quod ſi non ambo iis exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. aprilis pontificatus noſtri anno tertio.*

Mariæ Reginæ reditus ex Aragonia.
Ab ea beneficiaria ſponſio intermiſſa.
Decreti qui eam ab ipſa exigant.



III. Invectum florentiſſima claſſe Martinum Monblanci ducem in Trinacriam [1] hoc anno menſe februario cum Regina Maria, refert Surita (a), ac plures nobiles Trinacrios illi ſe conjunxiſſe, præcipuos vero proceres bellum moviſſe, ac Panormum, aliquandiu contra hoſtiles impetus tutatos: demum eadem regia urbs ſub Aragoniis ſuccubuit, captuſque Andreas Claromontius ferro cæſus, Manfredus etiam Alagonius vinculis conſtrictus, exutuſque omni ditione: quorum caſu territi plerique inſulani Aragonium jugum accepere, Artaliſque relicta victori Catania in munitiſſimam arcem ſe recepit. At ſecundi hi Aragonum ſucceſſus repente in contrarium verſi, cum agentibus Cataniæ Regibus adulta æſtate Guillelmus Peralta Calababillotæ comes, aliique adverſus ipſos conjuraſſent: quorum defectionem cæteri ſecuti ſunt, urbeſque omnes, exceptis Meſſana, Syracuſis, & Cataniæ arce, Aragoniorum jugum excuſſere. Defectionis ejuſmodi cauſas idem auctor (b) indicat, odio nimirum ſchiſmatis Trinacrios in Mariam & Martinum arma juſta cepiſſe, cum ii poſt datum, ad populos in ſuum obſequium allicien dos, catholicorum principum inane ſpecimen (c), antipapæ Avenionenſi adhæſuros ſe profeſſi eſſent, ac Bonifacius ipſos Apoſtolicæ ſedis hoſtes pronuntiaſſet. (c) Ut vero ex his periculis Martinus ac Maria poſtea evaſerint, traxerintque in ſchiſma Trinacriæ partem, dicetur inferius: nunc reliquas Italiæ turbas proſequamur.

Martini Aragonii expeditio in Trinacriam.
(a) *Surit. l. 10. anal. c. 50. S. Antonin. 3. par. tit. 22. c. 2. §. 17. & alii.*
Panormum ad deditionem cogit, Andreæ Claramontis cædes.
Siculi conſurgunt in Aragonios.
(b) *Sur. eod. l. 10. c. 52. S. Antonin. ubi ſupr. §. 19.*
(c) *Surit. eod. c. 52.*

IV. Ardebat in media ditione eccleſiaſtica bellum, quod perduellium licentia accenderat, ac Patrimonium S. Petri vetuſto, eoque inteſtino malo laborabat, ex quo in agrum Romanum hoſtes excurrebant; ad quos comprimendos tum Romani populi magiſtratus, tum Stephanus tit. S. Marci, Franciſcus tit. S. Suſannæ, Coſmatus tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem, qui Bonifacio in pontificatu ſucceſſit, presbyteri, & Marinus S. Mariæ novæ diaconus Cardinales, conſtituto armorum fœdere die

Inteſtinum bellum in patrimonio B. Petri.

NOTÆ [1] AD eos Siciliæ motus, de quibus Annaliſta hic, juxta temporum ſeriem dirigendos audire præſtat Authorem fragmenti hiſtoriæ Siculæ deſinentis anno 1434. vulgati rer. Italic. to. XXIV. col. 1090. cujus hæc ſunt verba: *an. 1392. de menſe martii, XV. Indictionis* (male ergo februarium menſem deſignat Surita apud Annaliſtam) *Martino Duca di Montialbu & Dominus Rex Martinus ejus filius* [geminos hoſce Martinos patrem & filium non ſatis accurate Annaliſta diſtinguit] *& Regina Maria venerunt de partibus Cataloniæ* [lege Aragoniæ] *ad regnum Siciliæ, & obſidionem poſuerunt in Panormo, ubi erat Andreas de Claramonte. Eodem anno de menſe maii die 17. ejuſdem fuerunt capti Manfredus de Claramonte, & ejus filii, Andreas de Claramonte, & omnis domus de Claramonte, & primo die menſis Junii Andreas de Claramonte fuit decollatus. Et exinde Artalis de Alagonia intravit Cathaniam* [arcem forte, ſi vera ſcribit Annaliſta urbem dimiſſam fuiſſe Victori] *in vigilia S. Joannis Abaptiſtæ* [Baptiſtæ] *& ex tunc in antea fuit maxima guerra capitalis inter Artalem de Alagona & dominos noſtros Reges;* Martinum nempe, & Mariam. Porro Aretalus iſte diverſus plane eſt ab eo qui poſt Friderici Siciliæ Regis obitum regni, & Reginæ Mariæ tutelam ſuſcepit; quique modico poſt tempore, anno ſcilicet 1389. teſte ſcriptore fragmenti Siculi, diem clauſit extremam. Hujus prioris Artali locum occupavit ejus frater Manfredus de Alagonia, qui contra Mariam, & Martinum turbulenta conſilia agitans in vincula conjectus fuit. Artalus de Alagonia hujus forte Manfredi ſeu frater, ſeu filius paterno caſu edoctus in arce Catanienſi ſeſe munivit. Hæc author fragmenti Siculi. MANSI

die quinta martii hujus anni ſe obſtrinxerunt (*a*). Quibus domeſticis difficultatibus implicitus Bonifacius eccleſiarum urbanarum agros ad quindecim aureorum millia redigenda oppignerari juſſit (*b*): quod non injuria ſancitum, ita ſe purgavit: *Decens reputamus & debitum, ut pro defenſione honoris, & ſtatus Romanæ eccleſiæ ſponſæ noſtræ, quæ a nonnullis iniquitatis alumnis, qui in eadem eccleſia ſchiſma poſuerunt, & eam falſis machinationibus impugnare ſatagunt, diverſa damna & injurias patitur, ad eccleſiarum aliarum poſſeſſiones & bona cum neceſſitas id exigit, recurramus. Datum Romæ* VIII. *Kal. auguſti pontificatus noſtri anno tertio.*

(*a*) *Bonif. l.* 2. *pag.* 289.
(*b*) *Ibid. p.* 392.

Civilia inter proceres eccleſiæ diſſidia.

Augebant eas turbas quidam (*c*) prænobiles vectigales, nimirum Antonius Montisferetri comes, & Carolus Galbotus, hujuſque ſocius Pandulphus Malateſta, qui opes vireſque non in Eccleſiæ laborantis opem, ſed in mutuum exitium vertebant, quique demum moniti officii, interpretem & arbitrum concordiæ miſſis oratoribus, Bonifacium deſignarunt, confectis ſexta januarii die publicis tabulis (*d*) in conſiſtorio Cardinalium quorum nomina his verbis ſunt expreſſa: *Aſſiſtentibus reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis dominis Philippo de Alenconio Oſtienſi, Franciſco Peneſtrino S. R. E. vicecancellario epiſcopis, Stephano tit. S. Marcelli, Franciſco tit. S. Suſannæ, Henrico tit. S. Anaſtaſiæ, Coſmato tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem, Adam tit. S. Cæciliæ, & Chriſtophoro tit. S. Cyriaci presbyteris, Marino S. Mariæ novæ, Angelo S. Luciæ in ſeptem ſoliis, & Landulpho S. Nicolai in carcere Tulliano diaconis S. R. E. Cardinalibus.* Lata fuit a Pontifice ad controverſias dirimendas æqua ſententia: cumque ſopitum bellum videretur, mox recruduit, cujus extinguendi ſolicitus Pontifex Richardo Carazulo equiti Rhodio Apoſtolicæ ſedis nuntio munus impoſuit (*e*), ut ad partes adverſas conciliandas enixe incumberet, & mala ingentia, quæ inde emergerent, ipſi ſignificaret, tum pacis, conſilia reſpuenti factioni cenſuras eccleſiaſticas, & præfecturæ, quam gerebat, jacturam intentaret. (*f*)

(*c*) *Ib. p.* 266.
(*d*) *Ext. ibid.*
(*e*) *Lib.* 3. *p.* 25.
Navata a Bonifacio pro iis conciliandis opera.
(*f*) *Ib. p.* 37.

Concitabat ad bellum hos viros principes nimia proferendi dominatus ambitio, qua percitus Malateſta e Malateſtis (*g*) atrocem Eccleſiæ injuriam pro acceptis beneficiis, quibus ornatus in magnas opes & gloriam aſſurrexerat, retulit, ac Tudertum (*h*) obeundæ illius præfecturæ ſpecie proditorum opera in ſuam tyrannidem redegit, ac Pileum epiſcopum Cardinalem Tuſculanum Apoſtolicæ ſedis legatum propulſavit. Compreſſurus itaque intolerandam hominis licentiam Bonifacius in ipſum animadvertere conſtituit, propoſito judiciario edicto (*i*) cujus potiorem partem ſubjicio: *Præſente fidelium multitudine copioſa citandi modum ex certis cauſis eligentes, præſentium tenore citamus, ut die nona menſis auguſti proximi futuri, ſi ea die conſiſtorium fuerit, alioquin prima die ex tunc ſequenti, qua per nos conſiſtorium teneri contigerit, hora conſiſtoriali compareant perſonaliter coram nobis ubicunque tunc erimus, viſuri & audituri per nos decerni & declarari; ipſos Malateſtam, Guidonem, Catalanum, Franciſcum, Contem, Lellum, Franciſcum, Morrelletum, Corradum, & Ruſſum, & eorum quemlibet propter præmiſſa eſſe ſacrilegos & excommunicatos, ac reos criminis læſæ majeſtatis, & conſpiratores etiam contra nos & eccleſiam prædictam eoſdem Malateſtam & Catalanos eſſe perjuros, omneſque prædictos ſuperius nominatos, & quemlibet ipſorum propter præmiſſa incidiſſe in pœnas & ſententias ſupradictas & alias in talia perpetrantes tam a jure quam ab homine inflictas & promulgatas, ipſoſque Malateſtam & Catalanum eſſe perjuros, omneſque prædictos ſuperius nominatos, & quemlibet ipſorum propter præmiſſa incidiſſe in pœnas, & ſententias ſupradictas & alias in talia perpetrantes, tam a jure, quam ab homine inflictas & promulgatas, ipſoſque, Malateſtam & Catalanum, Guidonem, Franciſcum, Contem, Lellum, Franciſcum, Morrelletum, Corradum, & Ruſſum, & quemlibet ipſorum fore privatos, & per nos privari quibuſcumque Vicariatibus, dignitatibus, honoribus, privilegiis, & gratiis, ac terris, necnon feudis & bonis & juribus quibuſlibet, quæ a nobis & dicta Romana & quibuſlibet aliis eccleſiis, aut perſonis eccleſiaſticis, ſeu Romano imperio, & quibuſvis aliis quocumque titulo obtinent, quæcumque Lelli, & Ruſſi bona & jura omnia eſſe confiſcata & per nos confiſcari, &c. Datum Romæ apud S. Petrum* XI. *Kal. julii, pontificatus noſtri anno tertio.* Præterea Pileo Cardinali legato præcepit (*k*), ut pœnas edictis Joannis XXI. comprehenſas Malateſtam contraxiſſe divulgaret. Poſtulatas itaque judicio verſutus vir (*l*) mulcere ſtuduit (*m*) petita venia Pontificem: qui tot tantiſque difficultatibus implicitus augendam antipapæ factionem novo hoc præpotenti hoſte non putavit, eaſque cum Malateſta pactiones firmavit (*n*), ut Tudertinam præfecturam ad decennium conferret, atque ad inferenda fiſco pontificio annis ſingulis tria aureorum millia obſtringeret, quibus ſolvendis ſi aliquando deeſſet, exauctoratum fore pronuntiavit. His ita conſtitutis pœnis omnibus quibus ſe ob Tudertum occupatum illaquearat, eum ſolvit, inque priſtinam dignitatem reſtituit (*o*)

(*g*) *Lib.* 2. *p.* 316. 326. & 341.
(*h*) *Ib. ep. cur. pag.* 327.
Tudertum a Malateſta occupatum.
(*i*) *Ibid.*
Proditionis & perjurii damnatur.
(*k*) *Ib. p.* 316.
(*l*) *Ib. p.* 369.
(*m*) *Ib. p.* 383.
(*n*) *Ext. de ea re inſtrum. ibid. p.* 378.
Conciliata pactione lis.
(*o*) *Ib. p.* 387.

Pari clementia uſus Pontifex in Benutium Cinguli præfectura ipſum donavit

ad-



(*a*): admiſit in gratiam (*b*) Ugolinum e Trinciis conſtituto mille aureorum cenſu. Fulginii (*c*) Caſſantum tum Montisfalconis (*d*), Tellum (*e*) Roſciani, Narniæ Caſſanum (*f*) vicarios creavit, adegitque ſacramento ipſos partes Eccleſiæ adverſus antipapam ejuſque ſatellites ſtrenue tutaturos. His addimus Bonifacium liberalitatem explicuiſſe in Franciſcum Mantuanum imperialem vicarium, ac jure fiduciario caſtrum Gonzagæ, quod nomine comitatus ornavit, ipſi contuliſſe (*g*) ea lege, ut comitatum illum ſacroſanctæ poteſtatis eſſe profiteretur: *Volumus autem,* inquit, *quod tu, quoad vixeris & poſt obitum tuum filii prædicti ratione hujuſmodi comitatus, & in recognitionem ſuperioritatis & dominii dictæ Romanæ eccleſiæ annis ſingulis cameræ apoſtolicæ perpetuo dare & aſſignare teneamini unum bonum accipitrem, & ad hoc ſitis aſtricti & efficaciter obligati.* Accepit etiam Gonzagæ comes Bonifacii Pontificis liberalitate (*h*) nonnulla alia oppida Bondeno-Arduini, Bondenoronchoris, & Pigognagæ, ea addita lege, ut monaſterii e Padolirono abbati ordinis S. Benedicti, recurrente S. Michaelis die, quinquaginta aureorum cenſum penderet, cereumque S. Benedicto feſta ejus luce ſacraret.

(*a*) *Ib. p.* 322.
(*b*) *Ib. p.* 324.
(*c*) *Ib. p.* 357.
(*d*) *Ib. p.* 361.
(*e*) *Ib. p.* 370.
(*f*) *Ib. p.* 351.
Caſtrum Gonzagæ Mantuano traditum.
(*g*) *Ib. p.* 375.
(*h*) *Ib. p.* 339.

V. Italorum principum fœdus adverſus Galeatium.

Cæterum Franciſcum comitem eundemque Mantuæ præfectum acceſſiſſe novo fœderi, quod Florentini cum Bononienſibus Franciſco Carraria juniore, qui Patavium recuperaverat, & marchione Ferrarienſi coiverant, ut ſe adverſus Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolani domini formidandas vires tuerentur, referunt Leonardus Aretinus & S. Antoninus (*i*), atque inde Vicecomitem, qui antea ob præteriti belli clades ad pacatiora conſilia animum revocarat exacerbatum, novos apparatus clam inſtruxiſſe. Quod ad Bononienſes ſpectat, difficili bello, quod cum Joanne Galeatio geſſerant, pontificia auctoritate liberati, miſſis oratoribus profeſſi ſunt editis publicis tabulis (*k*), Bononiam, Imolam, ac Maſſam Lombardorum juris pontificii eſſe, ac nunquam ſe externum cujuſvis imperium ſubituros.

(*i*) *Leonard. Aretin. ep. Flor. l.* 11. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 22. *c.* 3. §. 15. *Bernardin. Corius hiſt. Med. par.* 3.
(*k*) *Ext. apud Bonif. l.* 3. *p.* 11.
Miſſi a Bononienſibus oratores ad Bonifacium.

*In nomine Domini. Amen.*

*Noverint univerſi præſentes pariter & futuri, hujuſmodi inſtrumentum publicum inſpecturi, quod die vigeſima nona menſis octobris anno a nativitate Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo indictione quintadecima pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Bonifacii divina providentia Papæ noni anno tertio, coram ipſius domini noſtri Papæ ſanctitate in civitate Peruſii, & intra palatium apoſtolicum in camera paramenti, aſſiſtentibus ibidem reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Franciſco miſeratione divina epiſcopo Peneſtrino S. R. E. vicecancellario, & Franciſco tit. S. Suſannæ, ac Coſmato tit. ſanctæ Crucis in Jeruſalem presbyteris S. R. E. Cardinalibus, necnon Richardo ſacræ domus hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani generali magiſtro, commiſſariis ejuſdem domini noſtri Papæ, necnon ibidem aſtantibus reverendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Pileo eadem miſeratione epiſcopo Tuſculano, Chriſtophoro tit. S. Cyriaci presbytero, Marino S. Mariæ novæ, & Landulfo S. Nicolai in carcere Tulliano diaconis, dictæ S. R. E. Cardinalibus perſonaliter conſtituti, in præſentia notariorum & teſtium infraſcriptorum, ad hæc ſpecialiter vocatorum & rogatorum, honorabiles, & ſapientes viri, domini Ugolinus quondam domini Thomæ de Scappis, & Joannes quondam domini Petri militis & legum doctoris de Caviculo, legum doctores, Muxotus quondam Vezoli de Malvitiis mercator ſerici, ac Baxotus quondam Ixinardi de Argelle notarius cives Bononienſes ambaſciatores, ſindici, nuntii, procuratores, actores, negotiorum geſtores, & quidquid melius & validius de jure fieri & dici poteſt, communis, univerſitatis, & populi civitatis Bononienſis & ejus comitatus & diſtrictus, ad præfatam Romanam eccleſiam nullo medio pertinentium, pleno jure, pluribus prius habitis colloquiis, & præcedentibus tractatibus, habentes ad infraſcripta plenum, liberum, ac ſufficiens mandatum, & plenam, liberam, & ſufficientem poteſtatem prout apparet per tenorem infraſcripti ſindicatus & procurationis, ſeu mandati hujuſmodi, cujus tenor de verbo ad verbum inferius deſcribitur, nomine procuratorio & ſindicario prædictorum communis & populi civitatis Bononienſis ac comitatus & diſtrictus ejuſdem, ac etiam nomine communitatis Imolæ, & comitatus & diſtrictus Maſſæ Lombardorum, ac omnium locorum & terrarum, quæ per commune Bononienſe tenentur, poſſidentur, & gubernantur, ac vice & nomine eorundem, ac pro eis, deliberate & ea certa ſcientia, ſcienter & ſponte, non ſeducti, inducti, allecti, decepti, vel quomodolibet coacti, nec errantes in jure, vel in facto, omnibus melioribus via, modo jure, & forma, quibus melius, & efficacius potuerunt, confeſſi fuerunt, recognoverunt, obtulerunt, promiſerunt, ſubmiſerunt ad obedientiam ſanctæ matris Eccleſiæ, & domini noſtri Papæ, redierunt, juraverunt, obligaverunt, renunciaverunt, concordarunt, convenerunt, pepigerunt, receperunt, & alia omnia & ſingula dixerunt & fecerunt in omnibus & per omnia, prout inferius ſcribitur & continetur; & juxta continentiam & tenorem omnium & ſingulorum, quæ in præſenti inſtrumento continentur & comprehenduntur.*

Obſequium illi devovent.

*In primis libere & ſponte, & ex certa*



*ſcien-*

*ſcientia cum omni humilitate & reverentia ſindicario & procuratorio nomine, quibus ſupra, nomine communis & univerſitatis prædictarum, & vice, & nomine ipſorum & pro eis dixerunt & propoſuerunt; confeſſi fuerunt, ac publice recognoverunt; ſalva ſemper infraſcripta proteſtatione, procuratorio & ſindicario nomine univerſitatis & populi prædictorum plenum, liberum, integrum, & totale dominium utile & directum & immediatum cum omnimoda juriſdictione civitatis, communitatis, & diſtrictus, ac communis, univerſitatis, & populi prædictorum, necnon ipſorum civitatis, communitatis, & diſtrictus, caſtrorum, terrarum, villarum, & locorum, jura, fructus, redditus, proventus, regalia beati Petri & Romanæ eccleſiæ, & alias obventiones quaſcumque; ita tamen quod non comprehendantur jura, fructus, & redditus, proventus & aliæ obventiones quæcumque ſingularium perſonarum, ad ſanctam Romanam eccleſiam, & ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum noſtrum dominum Bonifacium divina providentia Papam nonum & Romanos Pontifices, qui pro tempore erunt ſolos & inſolidum pleno jure, & ad nullum alium pertinere, & fuiſſe & eſſe, & perpetuo eſſe debere veros ſubditos de dominio, ſuperioritate, immediate, & pleno jure dicti domini noſtri & eccleſiæ Romanæ, & dictam civitatem Bononienſem cum toto ejus comitatu & diſtrictu, & dictum comitatum Imolæ, & comitatum & diſtrictum Maſſæ Lombardorum, & omnia loca prædicta ſpectaſſe & pertinuiſſe pleniſſime ad jus, & proprietatem Romanæ eccleſiæ & ſummorum Pontificum qui pro tempore fuerunt, & ſimiliter ſpectare & pertinere, fuiſſe & eſſe, & perpetuo eſſe debere de dominio directo & utili & proprietate, pleno jure dominii & ſuperioritatis immediatæ Romanæ eccleſiæ, domini noſtri Papæ & ſucceſſorum ejus, & quod præfati civitas & communitas, & diſtrictus, & loca prædicta ejuſdem fuerunt ab antiquo, & a tanto tempore citra, cujus initii memoria non exiſtit, & etiam ante, & ſunt & perpetuo eſſe debent de proprietate, meroque, & pleno, & immediato dominio ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſummorum Pontificum, qui fuerunt pro tempore, & erunt in futurum, & liberam & generalem adminiſtrationem & diſpoſitionem eorumdem, ad præfatam Romanam eccleſiam & dominum noſtrum ſummum Pontificem, libere, & omnimode ſpectare; & quod ipſa Romana eccleſia, & dominus noſter Papa prædictus & ejus ſucceſſores ſunt domini ſoli, & in ſolidum eſſe debent civitatis, & comitatus & diſtrictus, communis, univerſitatis, ac populi, & communitatum, & diſtrictuum, & locorum prædictorum: necnon ſimilem recognitionem & confeſſionem faciunt & fecerunt nomine, quo ſupra cum omnibus & ſingulis verbis & clauſulis ſuperioribus, de caſtris, terris, & locis comitatuum Imolæ & diſtrictuum prædictorum; ac de omnibus aliis terris, caſtris, & locis exiſtentibus ſub regimine & gubernatione dictorum populi & communis Bononiæ: & juraverunt, & promiſerunt ſindicario & procuratorio nomine, quo ſupra, quod non nominabunt, nec recipient aliquem in Dominum Bononiæ, nec comitatus & diſtrictus, vel alicujus terræ, caſtri, & loci exiſtentium ſub regimine & gubernatione dictorum populi & communis Bononienſis, in comitatu Imolæ, & Maſſæ Lombardorum; vel etiam alibi ubicumque, niſi Romanam eccleſiam, & dominum noſtrum Papam, qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, &c.* Cum ita ſolemni ritu profeſſi eſſent Bononienſes ſe Apoſtolicæ ſedis imperio obnoxios eſſe, Bonifacius eorum magiſtratus rei Bononienſi, Imolæque comitatui, ac Maſſæ Lombardorum, imperato quinque millium aureorum cenſu, in annos viginti quinque præfecit (*a*).

Pontificis imperium in Bononiam profeſſi.

In Imolam & Maſſam Lombardorum.

(*a*) *Ib. p.* 45.

VI. Peruſini ſe tyrannis libertate affectata ſubiecerunt.

Feſſi etiam domeſticis cladibus Peruſini, qui ſpecioſo aſſerendi ſe in libertatem nomine diriſſimam ſervitutem erant paſſi, dum Beccarini & Raſpantes contrariæ inter ſe factionis ſigniferi crudelem tyrannidem fuſo civium ſanguine exercebant, ad pontificium aſylum confugere (*b*), ſuppliciterque popoſcerunt, ut Pontifex confectos tot calamitatibus miſeros cives præſentia ſua recrearet. Aſſenſit Bonifacius (*c*) Peruſinorum votis ea lege, ut antequam in eam urbem ſe conferret, urbis arciumque cuſtodiam & adminiſtrationem pontificio legato demandarent. Traditum (*d*) id munus eſt Pileo Cardinali Ravennati, quo cum perfunctus eſſet, Pontifex IV. Kal. octobris profectionem ſuam publicis literis evulgavit, ac demum profectus (*e*) Peruſium ingenti civium gratulatione exceptus eſt, creatoque (*f*) Arnulpho comite Peruſii prætore, ut clementiam Chriſti exemplo explicaret, pacemque poſtliminio revocaret, omnes qui ad eam diem fuſi humani cruoris flagitium commiſerant venia donatos (*g*) patriæ reſtituit. Pacato ita Peruſio, extinctiſque ſimultatibus uti ſperabatur, (contrario tamen eventu, nam Raſpantes infida proditione uſos inferius viſuri ſumus,) ingenti gaudio delibuti cives ſummas Pontifici gratias egere, confectiſque publicis tabulis Peruſium juris eſſe apoſtolici ac pontificum imperia ſemper ſe culturos ſunt profeſſi.

(*b*) *Theod. e Niem. l.*2. *c.*15. *S. Anton. tit.*22. *c.*3. §. 1.
(*c*) *Boniſ. l.*2. *p.*343.
(*d*) *Ibid. ante pag.* 392.
(*e*) *Theod. e Niem. l.*2. *c.*15.

Civiles Peruſii motus compoſiti.

(*f*) *Boniſ. l.*3. *p.*5.
(*g*) *Ib. & p.*9.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ad exaltationem & gloriam diviniſſimi in Chriſto patris & domini noſtri ſanctiſſimi domini Bonifacii ſumma Dei providentia, ſacroſanctæ Romanæ, & totius univerſalis Eccleſiæ digniſſimi & noni ſummi Pontificis*



*anno domini MCCCLXXXXII. indictione* XV. *die ultimo menſis novembris pontificatus præfati domini noſtri anno quarto.*

*Priores artium civitatis ſuæ Peruſinæ introſpectantes piiſſimam & diviniſſimam diſpoſitionem præfati domini noſtri Papæ Bonifacii erga ſalutem & conſervationem civitatis ejuſdem & fideliſſimorum civium ipſius, & totius patriæ ſancta mente, volentes circa reſponſionem ſuper his omnibus faciendam ſalubriter ſicut tantæ rei expoſcit materia, providere, habitis nonnullis conſiliis & in notabilium civium tam nobilium quam popularium cujuſcumque gradus & his interrogatis ſingulariter diſtricte de & ſuper omnibus ſupradictis, unanimiter & concorditer in nomine Jeſu Chriſti pacifici Regis regum, ad hanc abſolutiſſimam & veraciſſimam deliberationem, & deliberatam reſponſionem faciendam ſuper his omnibus præfato domino noſtro Papæ ſalubriter pervenerunt; videlicet, Quod dictum commune & populus civitatis ſuæ devotiſſimæ Peruſinæ prædictæ, ſpiritu ardentiſſimæ fidei & devotionis accenſi indifferentibus animis univerſi ad ſublimitatem & gloriam Eccleſiæ militantis & præfati domini noſtri Papæ Bonifacii noni, ſaluti orbis divinitus deſtinati, ſe civitatem, comitatum, territorium, & diſtrictum Peruſina, cum juribus & pertinentiis eorumdem ſummiſerunt eidem domino noſtro Papæ, & eumdem in generalem dominum, rectorem, gubernatorem, & adminiſtratorem recognoverunt & aſſumpſerunt cum mero & mixto imperio & omnimoda juriſdictione, regimine, gubernatione, & adminiſtratione, prout late patet in publicis documentis; & ſicut decet filios veraciſſimæ & incommutabilis devotionis intendunt perſeveranter conſiſtere ſub devotione & obedientia irrefragabili pedum ſuæ clementiſſimæ ſanctitatis & ſuorum ſucceſſorum canonice intrantium; & Eccleſiæ ſanctæ Dei, & a tam ſalutari nunquam delirare propoſito: & pro firmitudine, gloria, & augmento ſtatus ejuſdem & ſucceſſorum, & eccleſiæ ſacroſanctæ indeficientibus ſtudiis exponere ſe & ſua, & eundem in verum dominum cognoſcere jugiter & conſervare pro viribus, ac etiam ſucceſſores, nullis parcendo periculis, ſeu damnis uſque ad conſumptionem ſpiritus ſalutaris, & ſemper in quibuſlibet ejuſdem ſanctitatis & ſucceſſorum obedire, & velle, & nolle, ſicut, & prout caſu quolibet ſua pietas decreverit quomodolibet, vel mandabit. Ad præmiſſa omnia igitur reſpondetur tenore præſentium præfato domino noſtro Papæ ſuper his omnibus juxta verbum orationis dominicæ: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, &c.* ]

Cives imperium urbis reſtituunt Pontifici.

VII. Galliæ Rex ſchiſmatis propagator percuſſus amentia.

In Galliis hoc anno Carolus VI. ſchiſmatis propagator, quem in Bonifacium conſpiraſſe vidimus; dum ira in Britanniæ comitem percitus æſtuoſo cœlo affectaque valetudine exercitum ducebat, amentia percuſſus (*a*) [1] eſt: cujus triſtis calamitatis cauſas alii ſpectro illi objecto ac faſcino, alii cerebri intemperiei, plures vexatæ ſedis Apoſtolicæ flagitio aſcripſere, quam invidiam ut ſchiſmatici cardinales a ſe removerent, vafre ſparſere (*b*) in vulgus, ideo affectum ea pœna quod cum Bonifacium Romanum antiſtitem evertere ſpopondiſſet, promiſſa non compleſſet. Exinde Gallorum vires, quas inter ſe dividendæ Italiæ ſpe in Chriſti vicarium ad ſui antipapæ gratiam effundere decreverant, in mutuum exitium verſæ atque inter patruos Regis ac fratrem ducem Aurelianenſem de regni adminiſtratione controverſiæ exortæ, demum Gallia in poſterum flagello divino acerrime cæſa eſt, donec Rex nonnihil e mania recreatus non amplius ad ſchiſma amplificandum, ſed ad redintegrandam priſtinam eccleſiarum conjunctionem animum applicuit, de quo hæc Gobelinus (*c*): *Poſtquam aliquandiu regnavit in amentiam verſus eſt, & eum per intervalla temporum quandoque ſanæ mentis effectus eſt, animum ſuum licet debiliter ad unionem eccleſiæ intendit. Et quia adhuc uſque in præſentem diem eodem morbo ſæpe laborat, ſolicitudinem pro reformatione unionis prædictæ opportunam nondum effectualiter oſtendit.* Hæc author ſcribebat nondum inita eccleſiarum conjunctione, quam Caroli ſtudio poſtea coaluiſſe viſuri ſumus.

(*a*) *Gobelin. ætat.* 6. *c.*84. *Clem. antip. vit. ſcript. apud Boſq. Juvenal. Urſin. in Car. VI. Paul. Æmil. l.* 10, *& alii.*
(*b*) *Meyer. l.*14.
(*c*) *Gobel. in Coſmodr. æt.*6. *c.*84.

In lucidis intervallis de ſchiſmate abolendo agit.

Chorea funebres exitus.

Cæterum eodem anno e morbo parumper recreatus Carolus Rex (*d*), atque ad mimicas ſcurrilitates converſus, cum inperſonatorum ſilveſtrium, qui veſtibus bitumine illitis & pluma crinibuſque horrentibus induti erant, choreas agitaret, applicita incaute face, extremum incendii diſcrimen adiit, ni vidua matrona veſtium volumine ſuperjecto, conceptam flammam oppreſſiſſet: ludi princeps cum ſocio exuſtus, alii duo biduo lapſo objere fictique ululatus in veros converſi ſunt. Incolumis Rex ducentasquinquaginta duas auri

(*d*) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI. Froſſar. vol.* 4. *c.*42. *Monach. S. Dionyſ. Vualſing. in Rich.* 2. *& alii.*



NOTÆ [1] Quæ de Carolo Rege Francorum, a præſentiſſimo mortis diſcrimine quod incautus ſubjerat, vix elapſo, Annaliſta hic refert, in ſequentem annum reiicienda eſſe diſcimus ex Froiſſardo, & monacho Dionyſiano apud Spondanum ad annum 1393. I. Nec ſane aliter componi res poſſet, ſiquidem ſtatuamus caſum hunc accidiſſe poſtquam e morbo, quo correptus fuit, pauliſper convaluit. Incidit enim in phreneſim anno 1392. Tragici vero illius caſus diem V. kal. Februarii Froiſſardus, pridie kal. februarii monachus Sandionyſianus, anni, nempe ut res ipſa poſtulat, 1393. aſſignant. MANSI

auri marchas ad conflandam ex auro reliquiarum S. Ludovici thecam dono obtulit, ut divinam gratiam promereretur: principes vero & equites gratias Numini relaturi ad S. Mariæ martyribus ſacras ædes religioſam ſupplicationem nudis pedibus duxere; ac præſules Galli ſacras preces inter divina myſteria pro ſchiſmate abolendo inſtituerunt.

VIII. Hoc etiam anno Cantuarienſis archiepiſcopus paſtorali diligentia plures Wicleffiſmo infectos, riteque expiatos ad Eccleſiæ ſinum revocavit, ut narrat Henricus Knygtonius (a): *Anno MCCCXCII.* & infra: *magiſter Vvillelmus Courteneye archiepiſcopus Cantuarienſis, firmavit ſententiam excommunicationis ſuper Lollardos ſive Vvicleffiſtinianos cum fautoribus, qui errores & opiniones magiſtri Joannis Vvicleffi tenuerant, vel foverant, vel in poſterum teneant vel foveant. In diœceſi Lincolnienſi, in craſtino ſcilicet die animarum, iterum idem epiſcopus fulminavit ſententiam excommunicationis in ſpecie cum cruce erecta, candelis accenſis, pulſatis campanis, ut prius ſuper novem certas perſonas villæ Leceſtrenſis, quæ eandem villam cum patria nimis polluerant & infecerant:* & infra: *Quidam alii Lollardi citati comparuerunt apud Oxoniam & aliis locis prout archiepiſcopus eis indixerat, & renuntiatis ſuis ſuperſtitioſis erroribus, atque abjuratis profanis dogmatibus, publicam pœnitentiam peregerunt. Vvillelmus Smyth de quo ſuperius frequens fit mentio, forum Leyceſtriæ circumiit lineis tantum indutus, in dextra portans crucem cum imagine Crucifixi, in ſiniſtra imaginem S. Catharinæ, eo quod quandam imaginem S. Catharinæ ſecuerat & incenderat pro oleribus coquendis in ſua eſurie, ſicut ſuperius plenius dictum eſt anno, &c. LXXXII. Libros etiam ſolemnes, quos in materna lingua de evangelio & de epiſtolis & aliis doctoribus conſcripſerat, & ut fatebatur per annos octo ſtudioſe conſcribere laboraverat, archiepiſcopo coactus tradidit, prædictam pœnitentiam circa cœmiterium eccleſiæ S. Margaritæ Leyceſtrenſis dominica ſequenti antecedens & præcedens proceſſionem adimplevit. Rogerius Dexter de Leyceſtria cum uxore ſua forum ſabbati Leyceſtriæ tantum lineis induti, ferentes cruces in manibus pœnitentiam agendo circuierunt. Et ſic in magna parte publica audacia profanæ doctrinæ Lollardorum ſive Vvicleffiſtanorum timore potius archiepiſcopi, quam amore Dei repreſſa eſt, cordis tamen perſeverantia in antiquis deluſionibus adhuc in occultis, prout audebant, pullulante nimis.* Ex his intelligas hæreticos poſt damnatam hæreſim non facile dimittendos.

(a) *Knygton. lib. 5. de eventib. Angl.*

Damnata Vvicleffiſtica hæreſis.

Pœnitentia publica Iconomacho impoſita: Et aliis Vvicleffiſtis.

Inſigni miraculo Chriſti præſentia in Euch. comprobata.

IX. Eodem anno (b) MCCCXCII. inſigni miraculo præſentia Chriſti in Euchariſtia illuſtrata eſt, quam negabant Wicleffiſtæ: in Valentini enim regni oppido, cui Moncada nomen eſt, parochus graviſſimis conſcientiæ erroneæ ſtimulis torqueri cœpit ſe ordinibus ſacris rite non initiatum, atque ideo Euchariſtiam non conſecrare: nam is error authore Wicleffo etiam ſerpebat, non poſſe improbum epiſcopum quemquam ſacris initiare, neque ſacerdotem improbum Euchariſtiam conſecrare: quem antea ab Albigenſibus diſſeminatum memorat Cardinalis Baronius (c) ex ſynodali in eos lata ſententia. Cauſa vero cur is ſacerdos ita angeretur hæc erat, ſcilicet epiſcopum, a quo ſacros ordines ſuſceperat, fuiſſe ſacris epiſcopalibus a Clemente antipapa initiatum: indeque male inferebat initiandi poteſtatem non fuiſſe ipſi collatam, atque adeo ea difficultate implicitus decernebat conferre ſe ad aliquem epiſcopum, qui ante ſchiſmatis tempora conſecratus fuiſſet, ut ab ipſo iterum ſacerdotium ſuſciperet.

(b) *Vetuſt. MS. monaſt. Chartuſ. in Hiſp. dicti porta cœli: Eſcolanus in hiſt. regni Val. tom. 2. cap. 4. n. 13. fol. 331. Paul. Aznar. tract. 2. mirac. B. Virg. c. 3.*

(c) *Baron. annal. to. 12. A. C. 1176. n. 3.*

Ne vero hoc ſacrilegium vir pius, ſed imperitus, admitteret, placuit divinæ miſericordiæ illius animi æſtus ſedare: nam cum ſub matutino crepuſculo diei nativitati dominicæ ſacri divinam rem perageret; puella annos quatuor cum dimidio nata, ipſo Euchariſtiam conſecratam populo adorandam oſtendente, puerum forma excellenti conſpicuum in ejus manibus intuita eſt, matremque paulo poſt domum redire cogitantem rogavit, ne diſcederet, quod pulcherrimus puerulus ſacerdotis manibus teneretur, ipſa autem puerili hallucinatione ſibi fingebat, illum eſſe, quem recenter vicina peperiſſet. At mater, quæ divinam illam ſpeciem non conſpexerat, filiolam increpuit, deliramenta mera ab ipſa effutiri. Subdidit puella videri omnino a ſe vicinæ puerulum in manibus ſacerdotis. Itaque mater cum pertinaciſſimam in aſſerendo eo viſo filiam animadverteret, eam ad vicinæ domum deduxit; illique puppulum in eadem domo verſari oſtendit, atque ideo hunc non fuiſſe in manibus ſacerdotis, ac tum puella matris dictis acquieſcere viſa eſt. Sed cum ad ſacrum tertium, quod ſacerdos ante meridiem ſolemne facturus erat, una cum matre acceſſiſſet, Euchariſtiam oſtendente fidelibus ſacerdote objecta eſt puellæ iterum cæleſtis ſpecies, converſaque ad matrem, illam excitavit, celerrime puppulum vicinæ in ſacerdotis manibus conſpicaretur; nec vero mater corporeis oculis quidquam aſpexit, ſed mentis oculos aperuit, ſecum ipſa volvens, cœleſte viſum natæ obiici. Itaque peracta re ſacra, & parocho evocato divina viſa filiolæ bis oſtenſa in Euchariſtia narravit, ac ſacerdos ſubiecit, ut ambæ die ſequenti ipſi ſacris operanti adeſſent; neque illæ juſſis defuere: ac tertio quadrimula filia iiſdem viſis cœleſtibus potita eſt. Tum a ſa-

Viſus puer a virguncula in manibus ſacerdotis Euch. attollentis.



a ſacerdote ſciſcitata, quæ forma eſſet pueri a ſe viſi, quive cultus, reſpondit elegantia formæ excellentiſſimum eſſe, amictumque veſte lucidiſſima, quæ univerſam eccleſiam ſplendore compleret. Viſum eſt iterum ſacerdoti accuratius rem explorandam, ac die ſacro Joanni Apoſtolo & evangeliſtæ puellam diligentius rem divinam inſpectare juſſit, ipſaque nitidius, quam ante explicuit tribus vicibus a ſe puerum inſpectum, primo dum victima ſacra in ſublime efferebatur manibus ſacerdotis; ſecundo dum verba: *Per ipſum, & cum ipſo, &c.* repetita eſſent; tertio cum ſacra hoſtia diviſa fuit a ſacerdote, ac tum pueros duos ſimillimos ore, geſtu ac habitu formaque venuſtiſſimos inſpexiſſe. Arſit iterum ſacerdos majore experiundæ rei ac veritatis attingendæ cupiditate, ne puellæ ludibriis forte deluderetur. Itaque recurrente die, quo Innocentum martyrum anniverſaria memoria recolitur, tres ſimillimas hoſtias altari impoſuit, e quibus duas tantum ſacravit, e conſecratis vero alteram populo adorandam præbuit, tumque in ejus manibus puella, quæ parentibus ſociata intererat, eumdem puerum vidit. Abſoluto ſacro juſſit parochus duas faces accenſas ſibi præferri, ac duas formulas alteram conſecratam, alteram non conſecratam in calice poſuit, tum conſecratam dextra manu puellæ oſtendit, ſiniſtra non conſecratam prætulit, rogantique an quippiam ipſa videret, reſpondit, intueri ſe in dextra manu pellucidiſſimum illum puerulum, quem antea erat intuita, in ſiniſtra vero non inſpicere. Tum ſacerdos conſecratam in ſiniſtra accepit, dextra vero non conſecratam tenuit; ac tum puella in ſiniſtra manu puerum, non in dextra cernere affirmavit. Interrogavit e circumſtantium corona quidam, num puer ille haberet oculos; ſubjecit utique gratiſſimos, quibus univerſos contueretur.

Pluribus vicibus objecta eid. cœleſtis ea ſpecies.

Diviſa Euchar. duos ſibi ſimillimos vidit.

Explorata accuratiſſime rei veritas.

Ead. virg. conſecratam particulam a non conſecrata diſtinguit.

Eo momento voluit æger ſacram Euchariſtiam ſumere in eccleſia, & quia vomitu crebro torquebatur, Euchariſtiam adoravit ſupplex. Tum illa exclamavit parochum egiſſe, ut puer cœleſtis Bernardo Ripullo (id erat ægro nomen) oſculum daret. Mox parochus acceſſit ad puellam manu præferens conſecratam hoſtiam; ac petiit num puerum quem cernebat vellet accipere, cumque illam porrecturus videretur, puella ſemianimis inter patris manus concidit, tremulaque voce parochum rogavit, ut puerum ab ipſa abduceret (quod ſcilicet lege eccleſiaſtica vetitum ſit ante uſum rationis pueris Euchariſtiam porrigere) Deinde hoſtiam non conſecratam ille oſtendit, eamque invitata puella comedit. Diviſit ſubinde hoſtiam ſacerdos in duas partes, ac puella dixit cernere ſe duos pueros elegantiſſimos ſibi ſimillimos. His experimentis victus parochus ſe vere ſacerdotio initiatum, ac vere a ſe confici Euchariſtiam agnovit. Ex hoc porro miraculo non arguitur Robertum Gebennenſem fuiſſe verum Pontificem, ſed ab eo quamvis antipapa vere ſacra epiſcopalia fuiſſe collata; hunc vero ſacerdotem ſingulari ſtudio Virginis cultui addictiſſimum fuiſſe narrat hiſtoria, aſſiduiſque ab ea precibus flagitaſſe, ut anxietates animi ſui compeſceret. Ipſum etiam catholicum extitiſſe ex eo patere videtur, quod Clementem antipapam eſſe arbitraretur [1].

Cernit oſculum porrigi a Chriſto Euchar. adoranti.

Novo experimento aperte compertum ab illa Chriſtum conſpici.

B. Virginis ope ſacerdos ſcrupulis animi liberatus.

Anno

NOTÆ [1] CUm res ab Eccleſiis ſeptemtrionalibus hoc anno geſtas pene omiſerit Annaliſta, juvat hic ea excerpere, quæ Hermannus Cornerus, qui horum annorum hiſtoriam vel oculatus vel ex auditu teſtis ſcribebat, poſteritati commendavit in Chronico vulgato ab Eccardo inter Hiſtoricos medii ævi. Ita ille ad hunc annum. *Joannes Archiepiſcopus Rigenſis perſecutus eſt a fratribus de domo Teutonicæ terræ Livoniæ, in tantum etiam, quod terram linquere pulſus, qui mare navigans ad Lubeke venit, moram ibi trahens per integrum annum; inde autem ſe transferens ad Wenzlaum Regem Romanorum in Bohemiam cauſabat ſe paſſum injurias, & contumelias a fratribus prædictis. Cui Rex condolens omnia bona arreſtavit ad fratres illos pertinentia in regno Bohemiæ inventa. Scripſit inſuper Rex pro dicto Archiepiſcopo ad Papam* [Bonifacium ſcilicet cui Wenceſlaus parebat) *ſuper gravaminibus ejus redimendis. Interim & prædicti fratres ſuos legatos ad Papam deſtinarunt cum muneribus pretioſis. Papa autem utrique parti ſatisfacere volens, dedit Archiepiſcopatum Rigienſem uni ſacerdoti de ordine dictorum fratrum, & Joannem Archiepiſcopum Rigienſem fecit Patriarcham Lituanorum; & ſic Archiepiſcopatus Rigienſis Eccleſiæ ad fratres de domo Teutonica devolutus eſt.* MANSI

I.

(a) Juv. Urſin. in Carol. 6. hoc ann.

(b) Curtius p. 3. l. 6. c. 4.

Contempti ob ſchiſma a Mahumete Chriſtiani.

ANno a Virgineo partu milleſimo trecenteſimo nonageſimo tertio indictione prima Bonifacius Gallos urſit (a), ut ſchiſmate abjecto ad Romanæ eccleſiæ ſinum redirent: nec divinæ iræ in illos ſigna deerant, nam Carolus Rex mania laborabat, conflatæque eodem anno tempeſtates adeo horridæ, ut a dæmonibus putarentur commotæ. Sigiſmundus etiam Hungariæ Rex a Turcis attritus ſignificabat (b) Mahometanos ridere Chriſtianorum inſaniam, qui vires ſuas diro ſchiſmate debilitaſſent, ac de noſtrorum diſſidiis triumphare: orabat itaque Gallos, ut ſchiſma tollerent, opemque laboranti Pannoniæ ferrent, antequam ſub barbarica ſævitia ſuccumberet. Leo etiam Rex Armeniæ pulſus a Saracenis inſtabat, ut redintegrata eccleſiarum conjunctione, avito regno Gallorum armis reſtitueretur; verum irrita ſpe ſuſpenſus illuſus. Conjungebat operam ſuam Sorbonica academia [1]: ſed prætermiſſo recto tramite, ut negatum temere obſequium Urbano pie reſtitueretur Bonifacio, & contra jura creatus antipapa abiiceretur, vel in œcumenico concilio dirimeretur controverſia uti poſcebat Bonifacius, difficiles anfractus inibat, ut nimirum Pontifex ejuſque æmulus gradu cederent, vel compromiſſo fallaci controverſiam tollerent. Felicius Anconitani, qui Avenionenſi antipapæ ac Ludovico Andegavenſi ſeniori adhæſerant, pluraque graviora mala fidis ſedis Apoſtolicæ clientibus inflixerant miſſo oratore veniam ſcelerum precati, in Bonifacii Pontificis obſequium procubuere: in quos Chriſti vicarius ſolitam clementiam explicuit, cenſuriſque omnibus ac pœnis ſolutos in gratiam admiſit dato diplomate (c), quo ipſos hortatus, ut recte factis, ac fidei conſtantia præteritum flagitium abolerent.

Sorbonica academia agit de eccleſiarum conjunctione.

Anconitani ad Bonifacii obſequium reverſi.

(c) Lib. 3. p. 112.

II.

(d) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 1.

Meminit Sanctus Antoninus (d) de Picenis hoc anno in concordiam revocatis, his verbis: *Eodem tempore Pontifex ipſe concordiam fecit cum civitatibus omnibus Marchiæ, & reddito cenſu annuali pacem fecit cum eis, remittens offenſas præteritas*. Addit ſanctus author de Viterbienſi tyranno a Romanis admonito: *Tunc etiam Romani profecti contra Viterbienſes, quibus dominabatur Gyannes vel Joannes Sciarra, in via obviam habuerunt multos Britones bellatores, qui ſibi uſurpaverant aliquas terras Eccleſiæ circumſtantes, contra quos pugnantes profligarunt, plures ex illis occidentes. Viterbium autem accedentes, fecerunt concorditer eos ſubiici Papæ.* Fuit is ſucceſſus proſperi initi Romanos inter ac Pontificem armorum fœderis, de quo antea dictum eſt, ad retundendas antipapæ copias, quæ aliquot Patrimonii B. Petri arces inſederant, ex quibus facta eruptione, ferrum igneſque per Romanum agrum circumtulerant. Parta vero a Romanis victoria Joannes e Vico, qui antipapæ ope fultus Viterbium receperat, memor Petri e Vico, quem Urbano Pontifice ab æmulis in fruſta gladiis conciſum vidimus, facile ad pacatiora conſilia traductus eſt, datiſque ſupplicibus literis (e) ad Bonifacium, ex accepta clade felicem ſe fuiſſe profeſſus eſt, cum ea occaſione offuſam menti ſchiſmatis caliginem diſcuſſiſſet, pariterque Cardinalium collegium ſupplex rogavit, ut Pontificem ad clementiam in eum explicandam adducerent.

Viterbium ad Bonif. obedientiam revocatum.

Joannes e Vico traductus ad officium.

(e) Ext. apud Bonif. l. 10. p. 107.

Dum hos partium conſcientiæ ſtimuli, partim adverſi caſus redigerent ad officium, nonnulli Piceni prænobiles ex turbis Eccleſiæ ad condendas novas toparchias & opes congerendas occaſionem aucupati, ratique præmium ſceleri & audaciæ non defuturum, jugum excuſſere (f), atque adverſus Joannem Thomacellum præſidem provinciæ rebellione mota varias Piceni urbes & oppida ſuæ tyrannidi ſubjecere: Gentilis quidem e Varano Camerinum, Guido & Clavellus Fabrianum, Sciarra Raynerius, Mercenarius & Lomo Æſium, Guido Matelicam, Robertus Septempedam invaſere. In judicium eos vocavit Bonifacius (g); ſed cum haud facile ob

Procerum Picentium rebellio.

(f) Lib. 3. p. 63.

(g) Ext. ib. in eos edictum.

NOTÆ [1] PAriſienſis Academia immerito hic vapulat ab Annaliſta. Licet enim Clementi Antipapæ favebat, in negotio tamen componendi ſchiſmatis ſincere egiſſe ex pluribus deduco. Primo enim libellum ſupplicem Regi porrexit ut facultas ſibi præſtaretur indagandi rationem, qua ſchiſma ſopiri potuiſſet. Ea obtenta tria propoſuit, ſive ut arbitrio cujuſpiam ex conſenſu partium delecti judicium rei permitteretur; ſive ambo litigantes Pontifices cedentes, locum tertio alicui eligendo præſtarent; ſive denique in generali Concilio cauſa diſcuteretur. Hæc legas in epiſtola Nicolai Clemangii, nomine ejuſdem Academiæ ſcripta, quam in rem præſentem excerpſit Pagius junior in vita Bonifacii IX. to. 2. pag. 183. Ex his porro conſtat falli Annaliſtam, qui rationem diſcutiendi cauſam in generali concilio a Bonifacio propoſitam abjeciſſe Academiam ſcribit. Nec felicior eſt in indaganda Theologorum Gallorum mente, ratus illos eo animo præſtitiſſe, ut dejecto Bonifacio Antipapam Avenionenſem aſſererent. Adeo enim parum hac in re favebant Avenionenſi, ut ille iis intellectis, quæ Academia ad tollendum ſchiſma moliebatur, ex dolore, iracundia, rabieque contracto lethali morbo interierit, teſte ejus vitæ ſcriptore apud Baluzium. MANSI



Ex pactione conſtituti toparchæ.

(a) Ib. p. 116.

ob aſperrima tempora domari ferro poſſent, neve a ſchiſmaticis eorum patrocinium arriperetur, ad concordiam rem adduxit, nonnulloſque ex ipſis, conſtituto annuo cenſu, toparchas ſive vicarios deſignavit (a).

III.

Coorta Peruſii ſeditio.

Inter hæc coorta Peruſii maxima ſeditio, cum Raſpantium factio ſuis pulſa ſedibus repetendæ patriæ avida plures latronum turmas ad ſe allexiſſet: diſſolutis quippe exercitibus poſt initam Florentinos inter & Joannem Galeatium pacem palabundi milites, rapto vivere aſſueti, ad prædas undique agendas ſe converterant, ac ſocialia inſtruxerant agmina magno Italicæ rei detrimento. Horum itaque ſignifer Beordus audax conſilio & manu promptus concitatus ab antipapa, ut ex Bonifacii literis colligitur (b), caſtris prope Peruſium poſitis terrorem incuſſit. Cum vero Bonifacius conſilia pacis adverſas inter factiones agitaret, Raſpantes urbem pontificia indulgentia & pacis colore ingreſſi, facto impetu in Beccarinos ferro ſævierunt (c): quorum furorem, cum frænare non poſſet Bonifacius, ſeque proditum a viris perfidis, ac deluſum animadverteret, Peruſio Aſſiſium (d) abiit relicto Pileo epiſcopo Tuſculano Apoſtolicæ ſedis legato, cui Peruſinum vicariatum tradidit hoc diplomate (e): *Te civitatis*, nimirum Peruſinæ, *comitatus & diſtrictus pro nobis & Romana eccleſia in temporalibus vicarium, & in eiſdem civitate, & diſtrictu Apoſtolicæ ſedis legatum de fratrum noſtrorum conſilio uſque ad noſtrum beneplacitum authoritate apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, tibi omnia & ſingula quæ pro noſtro & ipſius Eccleſiæ honore, & pro cultu juſtitiæ, pace, tranquillitate & proſpero ſtatu civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum expedientia cognoveris, quæ ad dicti vicariatus hujuſmodi officium de conſuetudine, vel de jure in eiſdem civitate, comitatu, & diſtrictu quomodolibet pertinent, mandandi, diſponendi, faciendi, & exequendi, alienatione tamen bonorum immobilium & pretioſorum mobilium civitatis, comitatus, & diſtrictus prædictorum tibi penitus interdicta, poteſtatem plenariam & liberam concedentes: ac vices noſtras cum omnimoda poteſtate noſtra in eiſdem temporalibus plenarie committentes, &c. Dat. Aſſiſii Kal. ſeptembris pontificatus noſtri anno* IV. Inſtruxit eumdem etiam authoritate, ut ad pacem miſeræ urbi civium ſuorum ſanguine madenti reſtituendam præteritarum cædium patratores legum metu ſolveret (f).

(b) Boniſ. l. 3. pag. 159.

(c) Theod. e Niem. l. 2. c. 15. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 1.

(d) Theod. e Niem. c. 16.

(e) Lib. 3. p. 159.

Pileus Card. Peruſio præfectus.

Concordiam inter diſſentientes conciliare juſſus.

(f) Ib. p. 159.

IV.

Biordi irruptio in Peruſinos.

(g) Theod. e Niem. l. 2. c. 15.

At paucis interjectis diebus, ut refert Theodoricus e Niem (g), Biordus quingentis ſtipatus equitibus Peruſium ingreſſus tyrannidem in ea urbe arripuit: quamquam eodem anno jam devexo, nimirum quarta die decembris, Pileus Cardinalis aſſentientibus Peruſinis publicæ rei adminiſtrationem capeſſivit, edictis publicis tabulis (h) quæ ab his verbis ducunt exordium: *In nomine individuæ & ſanctæ Trinitatis Patris, Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Ad honorem, laudem, & reverentiam B. Mariæ Virginis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac beatorum martyrum Laurentii, Conſtantii, Herculani, & totius cœleſtis curiæ, & ſtatum & gloriam ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Bonifacii divina providentia Papæ IX. & ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, & reverendiſſimi in Chriſto patris & domini domini Pilei miſeratione divina epiſcopi Tuſculani, in civitate Peruſina ejuſque comitatu & diſtrictu pro ſupremo domino noſtro & Romana eccleſia in temporalibus vicarii & Apoſtolicæ ſedis legati, & ad pacem & tranquillitatem & proſperum ſtatum civitatis, comitatus, territorii, & diſtrictus prædictorum*; pluribus deinde interjectis ſubiicitur, ut Peruſini coacto ordinum urbis concilio Pileum ad publicæ rei gubernacula admiſerint *præfatum dominum Tuſculanum epiſcopum pro domino noſtro prædicto & Romana eccleſia in ejus civitate Peruſina, ejuſque comitatu, & diſtrictu in temporalibus vicarium, & Apoſtolicæ ſedis legatum ibidem præſentem & acceptantem cum magna jucunditate & reverentia juxta & ſecundum exigentiam & tenorem dictarum bullarum & literas apoſtolicas & utriuſque ipſarum in civitate Peruſina ſub anno Domini MCCCXCIII. indictione prima tempore ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Bonifacii Papæ IX. prædicto anno quarto die* IV. *menſis decembris*. Ereptum (i) tamen poſtea Eccleſiæ Peruſium a Biordo, ſed illius tyrannidem divino judicio deletam, dicetur inferius: nunc de pontificio in urbem reditu agendum eſt.

(h) Ext. ead. pag.

Delata a civibus legato præfectura.

(i) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 1.

V.

Aſſiſii Bonif. commoratus.

Dum Aſſiſii agebat Bonifacius, Romani miſſis oratoribus ſupplices ſunt deprecati (k), ut ad declinanda graviſſima diſcrimina, quæ turbulentis temporibus imminebant in tutiſſimum Romanum aſylum ſe reciperet. Quibus Pontifex, cui toleranda jam ante erat viſa urbanorum magiſtratuum licentia, ad eam comprimendam, ſibique ac ſucceſſoribus acceptum jus a prædeceſſoribus aſſerendum, plures pactiones propoſuit, quibus ſancitis rediturum ſe in urbem eſt pollicitus. Romani dictas ſibi leges mox, ut æquum erat, admiſere (m), ac ſacroſanctæ poteſtatis ſemper ſe fore ſunt profeſſi. Præcipuæ vero concordiæ pactiones his verbis conceptæ fuere. *Primo, quod dicti officiales & populus urbis mittant ad locum, prout per ejus ſanctitatem deputabitur, ſolemnem ambaſciatam cum ſupplicationibus ſui reditus & curiæ ad dictam urbem ac obla-*

tio-

(k) Inn. 7. lib. 1. p. 85.

(l) Theod. e Niem. l. 2. c. 16.

Rogatur Pontif. a Romanis ut in urbem redeat.

(m) Ext. apud Boniſ. l. 3. p. 164.

Pactiones a Romanis cum Boniſac. confectæ.

*tionibus honorabilibus, ut in forma. Item quando dictus dominus Papa erit ad reditum diſpoſitus, quod pro comitiva & ſocietate ejus mittent mille equites bene munitos & dictæ ſuæ ſanctitati confidatos.* Et infra: *Dictus dominus Papa Bonifacius poſſit ſi velit ponere ſenatorem in dicta urbe juxta ritum ſuorum prædeceſſorum Romanorum Pontificum cum ſalario cameræ dictæ urbis hactenus conſueto, & in caſu, quo nollet, quod conſervatores, qui pro tempore erunt in principio ſui officii in manibus ſuæ ſanctitatis jurabunt ſenatus officium, ut in forma fideliter exercere. Item quod dictus ſenator deputatus per dictum dominum noſtrum Papam, non poſſit in ſuo officio & juſtitia impediri a banderenſibus, & quatuor, ſeu aliis officialibus dictæ urbis. Item quod nec mareſcalli ſenatoris prædicti, ſeu conſervatorum ſenatus officium exercentium poſſint tollere arma corteſanis, clericis, & laicis, ac Romanis clericis deferentibus ea, niſi aliud de ſua proceſſerit voluntate. Item quod ambas ſtratas verſus Reate & Narniam, vel ad minus unam earum propriis ſumptibus tenebunt tutas ſeu tutam, ita quod liber aditus poſſit haberi a venientibus ad dictam urbem. Item quod tempore, quo navigari poteſt, teneant pro ſecuritate maris pro venientibus & graſſia ad dictam urbem unam galeam armatam cum augmento gabellarum ripæ & riperiæ & lucris dictæ galeæ. Item quod corteſani tam clerici quam laici, & clerici Romani criminaliter vel civiliter non trahantur niſi ad legitimum forum eorum, videlicet clerici corteſani coram auditore cameræ, laici corteſani coram mareſchallo dicti domini Papæ, & Romani clerici coram vicario dicti domini Papæ in urbe, & aliis propriis eorum judicibus, & præſertim quod coram magiſtris ædificiorum non vexentur & conveniantur, cum ſæpius eos in præteritum indebite & de facto gravaverint cum modico honore domini Papæ & curiæ. Item quod ſupradicti corteſani tam clerici quam laici, & clerici Romani ſint immunes & liberi a datis & collectis & cuſtodia dictæ urbis, ac aliis oneribus, & præſertim quod cauſa exercitus vel alio colore in equis vel aliis eorum animalibus non graventur, quoad officiales & populum ſupradictos, niſi aliud de ejuſdem domini noſtri Papæ proceſſerit voluntate.*

Senator præficiendus a Pontif.

Pontificii aulici coram quo judice conveniendi.

*Item quod eccleſiæ urbis prædictæ, hoſpitalia, & alia pia loca, & bona ipſarum libera & exempta quoad datas & collectas, vel alia gravamina, quantum ad eos, niſi aliud de ejuſdem domini noſtri Papæ proceſſerit voluntate. Item quod dictus dominus noſter Papa ac domini Cardinales ſint immunes & liberi a gabellis per terram ac infra terram ac aquam dictæ urbis pro uſu eorum, ſuper quibus credi debeat quantum concernunt dictum dominum Papam camerario ſuæ ſanctitatis, quantum vero dominos Cardinales eorum cedulis ſigillatis ipſorum propriis ſigillis cum juramentis camerariorum ſuorum, &c.* Adjecta nonnulla alia, quibus eccleſiarum bonis, ne a magiſtratibus affectarentur, urbiſque annonæ conſultum eſt: quibus Romani re mature diſcuſſa annuerunt. *Acta, ordinata, concluſa, promiſſa, & ſtabilita fuerunt hæc prædicta omnia Romæ in dicta ſala palatii Capitolii die octavo menſis auguſti primæ indictionis a nativitate domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCXCIII. pontificatus dicti domini noſtri Papæ anno* IV.

Eccleſiaſtica aſſerta immunitas.

Profectum Bonifacium Aſſiſio Spoletum, indeque Romam hoc anno ſe contuliſſe, ſcribit S. Antoninus (*a*): cujus in urbem adventum Theodoricus (*b*) pluresque alii auctores, tum apoſtolicæ literæ apud S. Petrum XIV. Kal. decembris & V. kal. januarii datæ confirmant. Addemus urbanis rebus, ineunte hoc ipſo anno, Romanos, cum Joannes & Nicolaus Columnenſes in defectionis ſuſpicionem adducti eſſent apud Bonifacium, ſacramento ad ſervandam conſtanter Chriſti vicario fidem ſe adegiſſe (*c*), atque ex pontificio animo illius ſuſpicionis nubeculam ſupplicibus literis inſignique officiorum ſponſione dimovere conatos.

Bonif. in urbem reditus.

(*a*) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 2. §. 1.*

(*b*) *Theod. e Niem. l. 2. c. 16. & alii.*

Columnenſes defectionis ſuſpicionem expurgant.

(*c*) *Ext. eor. lit. ap. Bonif. l. 3. p. 51.*

*Sanctiſſimo in Chriſto, patri & ſingulariſſimo domino noſtro domino ſummo Pontifici.*

*Sanctiſſime pater & ſingulariſſime domine præmiſſa debita, & humillima recommendatione ad veſtrorum pedum oſcula beatorum. Novit cunctorum arcanorum cognitor; novit ſanctitas veſtra & experta eſt, quanta fidei ſinceritate, quanta interiori & exteriori conſtantia, quantiſque perfectis operibus & rectis conſiliis proceſſimus, prout continuationi laudabili perſeveramus ſinceris animis ad præſervationem, immo augmentum ſtatus honoriſque veſtri culminis apoſtolici, ut tenemur, hic & ubilibet noſtra poſſibilitas ſe protendit, potiſſime circa diminutionem infecti & nefandi ſchiſmatis quotidie multiplicantis in Dei Eccleſia, peccatis mortalium exigentibus aliquorum. Pridem namque veſtræ beatitudini in facto diffamationis fraudulenter porrectæ coram illa, contra viros veſtros dilectos & fideliſſimos, cives noſtros, Joannem & Nicolaum de Columna ad hujuſmodi veſtri devotiſſimi populi ſervitia, immo veſtræ ſanctitatis militantes cum eorum perſonis, ſociis, vaſſallis, contra ipſius ſanctitatis hoſtes atque noſtros, omni cum virilitatis ferventi diligentia illos opprimendo per amplius ſolito, ut eorum geſta egregia indicant atque patent; literas noſtras direximus veritatis ſeriem continentes, ſolum ad abolendum de veſtro beatiſſimo pectore omnem ſiniſtrum conceptum, eoſque præſervandum velut potentes in fide, obedientia, &*

Inuſtam ſibi maculam detergunt.



*ſubjectione ipſius ſanctitatis & ad perſeverandum avidius ad incepta felici omine. Nunc vero ad lucidiorem veritatem, eorum literas in noſtra præſentia ſubſcriptas manu dicti Joannis cum beneplacito fratris ejus ecce ipſi beatitudini dirigimus his incluſas, quarum continentiam dignetur acceptare, eoſque præſervare velut dignos inter veſtros fideliores & conſtantiores, factis, dictis, & operibus ſervitores, a quibus etiam promiſſiones in ſolemniſſima forma recepimus, quod perpetuo erunt cum tota eorum potentia: filii & perfectiſſimi ſervitores & zelatores veſtri culminis apoſtolici, ſanctæ matris veſtræ Romanæ eccleſiæ, & populi prælibati: propterea illis, ad eorum conſolationem atque noſtram veſtras dignemini dirigere literas paternales, prout ipſa ſanctitas expedire viderit, quam felici, longævæque vitæ curſu cuncta potens præſervet, protegat, & reducat ad ipſius veram ſponſam diutius viduatam, ob illorum culpam, qui fluctuantis Petri naviculæ ſunt in culpa. Romæ die tertia januarii MCCCXCIII.*

Obſequia fidemque addicunt.

*Fideliſſimæ creaturæ veſtræ ſanctitatis, regimina veſtræ almæ urbis.*

Hactenus de Italicis rebus; nunc externas perſtringamus.

VI.

Toletanus antiſtes turbas in Caſtella excitat.

In Caſtella Rege Henrico impubere, Toletanus præſul turbidi vir ingenii, acer ſchiſmatis propugnator, & eorum, quos meliora redintegrandæ cum ſede Apoſtolica conjunctionis ſuſcepiſſe conſilia vidimus, hoſtis, novas turbas excitavit, ob quas illi & Petro Uxamenſi ac Joanni abbati Fuſſelenſi manus injectæ fuerunt: cum vero ipſorum cauſam ac patrocinium Robertus Gebennenſis pſeudopontifex arriperet, atque urbes, in quibus cuſtodiæ fuerant traditi, ſacris interdictæ eſſent, Rex qui ſe religione devinctum ex eo facto putabat errore ductus, aut ob politicas cauſas fingebat ſolemni ritu a Dominico Albienſi epiſcopo, pſeudolegato veniam popoſcit, ut refert Mariana (*a*): *In D. Catherinæ templi maximi Burgenſis ſacrario Rex in genua procumbens, ac humillimo corporis habitu veniam precatus, ſacramentoque adactus ſe impoſterum legibus ſacris obtemperaturum, ſatisfacturumque Toletano præſuli, redditis arcibus anathematis religione exolutus eſt* IV. *nonas julii*. Tradit quoque author (*b*) fœdus promulgatum eodem anno inter eundem Regem ac Joannem Luſitanum, ex quo Caſtellanus ad nullam opem Beatrici novercæ, ac Joanni & Dionyſio patruis, qui ſe regno injuſte ſpoliatos querebantur ferendam ſe obſtrinxit, & Sabugaliam Mirandamque ſuperiori bello a ſe partas Luſitanis reſtituit.

(*a*) *Marian. l. 18. c. 18.*



(*b*) *Eod. lib. c. 17.*

Initum inter Caſtellanum & Luſitanum fœdus.

Hoc anno (*c*), cum proceres Siculi, quibus inſulæ imperium in varias toparchias diviſum Romanus Pontifex jure beneficiario contulerat, quod Regina Siciliæ Martino Aragonio Martini ducis Monblanci filio ſchiſmatico nupſiſſet, Regem Catanæ in arcem compulſum obſidione cinxiſſent, Bernardus Cabrera paternis avitiſque oppidis oppigneratis, exercitu ex Catalanis & Aquitanis raptim conflato (*d*) in Siciliam traiiciens Martinum Regem obſidione liberavit, proceres cum Bonifacio ſentientes vicit, inſulamque in Aragoniorum poteſtatem ſervitutemque antipapæ redegit.

(*c*) *Sur. annal. l. 10. c. 52. Marian. de reb. Hiſp. l. 18. c. 18.*

Bernardus Cabrera Martino Regi opem fert.

(*d*) *Monach. S. Dionyſ. Juven. Urſin. in Car. VI.*

Hoc etiam anno Leo Armeniæ Rex (*e*), qui Reges occidentales hortabatur, ut poſitis mutuis odiis arma adverſus Mahometanos verterent, & opulenta regna reſtituta Chriſti religione ſibi, compararent a vita diſceſſit, & cum eo recuperandæ Terræ ſanctæ ſepulta viſa ſunt conſilia.

(*e*) *Hiſtor. Muſulm. l. 5. in Bajazet. Hieronym. Beck. in annal. Turc. Leunclav. in hiſt. Turc. Chalcondyl. l. 2.*

Eodem anno Bajazetes I. Turcarum Imperator Conſtantinopolim obſidione cinxit: ad quam ſolvendam Sigiſmundus Hungariæ Rex laturus opem Græcis cum exercitu ad Nicopolim acceſſit: cum Bajazetes ſoluta obſidione in Pannoniam ſigna extulit, ac poſt varia tumultuaria prælia in Hungarorum caſtra noctu irrupit; eoſque in fugam egit: qua parta victoria iterum provolavit ad obſidendum Conſtantinopolim, propulſatuſque mœnibus in eas demum pacis leges convenit, ut vicus unus Turcis mercatoribus dederetur a Conſtantinopolitano Imperatore: tribueretur etiam fanum, in quo ſuperſtitio Mahumetica excoleretur: tum ad pendendum Turcis decem millium aureorum vectigal annuum obſtringeretur. [1]

Turcicæ res.

Victi Hungari.

Obſeſſa Conſtantinopolis.

Impoſitæ leges; imperat.

VII.

Hoc ipſo anno (*f*) divina clementia in-

(*f*) *Juvenal. Urſinus in Carol. VI.*

Cccc

NOTÆ [1] ANnaliſta noſter hoc paragrapho notat Hungaros ex re male geſta cum Turcis ingenti clade in pugna ad Nicebolim vel potius Nicopolim hoc anno afflictos. Favet illi Leunclavius, & Annales Turcici Bec-kiani. Verum cum rerum Hungaricarum ſcriptores Bonfinius aliique affirment Sigiſmundum hoc tempore ingentem victoriam de Valachis Turciſque retuliſſe: non inani conjectura Spondanus ſuſpicatur Annalium Turcicorum ſcriptores cladem Hungarorum anno 1396. ad Nicopolim, a Turcarum copiis illatam, chronologico errore anticipaſſe, cum præſertim anno illo 1396. de prælio illo memorando nihil adnotent. Sed nec Spondanus rem plane exploravit; quamquam enim Annaliſtæ Turcici cladem Nicopolitanam anni 1396. præ oculis forte habuerint, eaque in re labi illos contigerit, per hos tamen annos Hungaros a Turcis male affectos fuiſſe diſcimus ex Hermanno Cornero quem horum annorum res vel a ſe viſas, vel ex probatis teſtibus compertas literis mandavit. Ita enim ille ad annum præcedentem 1392. *Sigiſmundus Rex Hungariæ cum adjutorio Jodoci, & Procopii Marchionum Moraviæ intravit Turchiam* (ideſt forte Va-

in Galliis inſigne miraculum edidit : nam cum mulier impudica puerum, quem enixa erat, peremiſſet, atque in fimo abdidiſſet, hunc canis olfactu indice detexit, quem pia mulier ducta a divina providentia illac iter habens corripuit ne voraretur, effuſaque in lacrymas ad eccleſiam S. Martini e Campis extulit, inque ara collocavit fuſis ad Deum ſupplicibus precibus, ut puerum in vitam revocaret, quo ſacris baptiſmalibus initiaretur. Audivit pias preces divinum Numen, revixit puer, vagiit, aperuit oculos, lac ſuxit, ſacro baptiſmo ablutus eſt ac trium horarum intervallo animam Deo reddidit.

Puer ad vitam revocatus, ut ſacro fonte abluatur.

Exho-

NOTÆ. Valachiam, ut & Bonfinius notat) *& depopulatus eſt eam, urbes, & caſtra, oppida, & villas expugnando, conflagrando, & funditus deſtruendo. Quibus ad propria redeuntibus, Turci & Tartari conglobati regnum Ungariæ intraverunt, & majora damna quam ipſi paſſi ſunt ab Hungaris intulerunt.* Geminæ ergo Hungarorum clades ſedulo diſtinguendæ ſunt; altera quidem ad Nicopolim anno 1396. cujus ipſe pariter Cornerus meminit, quamque Bec-kiani Annales in annum 1393. mendoſe conferunt; aliam vero hoc vel præcedenti anno 1392. non diu poſtquam Hungari de Valachis & Turcis, ut Hungarici Annaliſtæ, & Cornerus pariter narrat, triumpharunt. MANSI



I. Clem. antipapæ mors.

(a) Bern. ep. 147. & ex eo Baron. an. 1138. n. 2.

(b) Iſa. 28.

EXoritur annus redempti orbis nonageſimus quartus ſupra milleſimum treceneſimum ſecunda indictione, quo S. Bernardi (a) verba ab ipſo de Petro Leone pſeudopontifice prolata, Roberto Gebennenſi antipapæ tum e vivis ſublato aptari poſſunt: *Amputatum eſt ſarmentum inutile, putre membrum: ille ille iniquus, qui peccare fecit Iſrael, morte abſorptus eſt, & traductus in ventrem inferi, fecerat quippe ſecundum prophetam (b) pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat.* Verum antequam plura de illius infelici obitu dicamus, quæ ab eo geſta hoc anno fuere perſtringimus ex anonymo vitæ illius ſcriptore; qui ubi recenſuit uti Henrici Caſtellæ Regis, qui ætate confirmata liberam rerum adminiſtrationem abdicatis tutoribus ceperat (c), precibus adductus Petrum Ferdinandum e Medina Hiſpanum epiſcopum Exonienſem, Guinterio vita functo, in anticardinalium collegium cooptarit, ſubiicit (d) ipſum eodem tempore judiciorum ſeveritatem adverſus Raymundum Rogerium Gregorii Papæ XI. ex fratre nepotem, repetitis acerbioribus edictis, adhibuiſſe, cum is antipapam affinem ſuum quamvis juſti eum Pontificis loco coleret, gravi vexaret bello, comitatumque Avinionenſem hoſtili populatione attereret: tum conqueritur profuſas a Pontificibus in conſanguineos eccleſiaſticas opes in exitium Eccleſiæ plerumque converti.

(c) Marian. l. 19. c. 1.

(d) Antip. vit. ſcript. apud Boſq.

Raymundi Rogerii circa Avenionem graſſationes.

II. *Cum per miniſterium*, inquit, *Clementis Papæ VI. cujus ipſe pronepos extiterat, domus ejus paterna, quæ in ejus promotionis principio in terra, hoc eſt in ſimplicitate & paupertate jacens, ab inde erecta extitit plurimum elevata, magnificata & exaltata tam in divitiis, & redditibus, quam honoribus & dignitatibus, ac etiam confœderationibus magnatum*, tum infert: *Opinor tamen quod hoc Deus ſic fieri & eſſe permiſit, ut cunctis evidenter demonſtraret ſibi non eſſe gratum, quod viri eccleſiaſtici, & præſertim ſummi Pontifices, qui debent cæteris eſſe in exemplum, de bonis eccleſiæ ditent & magnificent ſuos conſanguineos & parentes; quamquam enim exemplo B. Auguſtini ipſis indigentibus ſic ſubveniendum ſit, quod nimis non egeant, non tamen quod ex talibus abundent aut denuo exaltentur, cum in hoc neceſſitas attendenda ſit, non voluptas. Experientia etiam ſæpe nos docuit, quod hoc modo ſublimati non diutius ſubſiſtere ſolent, ſive quod ad inſtar iſtius malis actibus ſe implicantes aliter acquiſitis debite uti & vivere neſciunt, ſive quia juſto Dei judicio ſoboles eis deficiunt, aut debitis, vel aliis omnibus eos opprimentibus, ea coguntur alienare vel vendere, ut ſic uno modo vel alio ad manus deveniant alienas, ipſis quandoque nudatis manentibus, etiam illis, quæ antiquitus eorum obtinuere parentes; ad quæ utinam bene adverterent ſuos propinquos plus debito diligentes, in eorumque favorem talia operantes: qui ſi oculos lynceos haberent, ſatis perſpicere poſſent, quod ea, quæ ante eos in talibus acta ſunt nihil vel modicum valuerunt, ac ſicut ſubito venerunt, ſic ſubito abierunt, ſed ſunt eorum quamplurimi, qui oculos luteos habentes, dum per eorum promotiones vident ſibi arridere fortunam, mentaliter ſic excæcantur, quod credunt ſibi licere, quæ aliis non licuerunt, ac durare quæ aliis defecerunt, ad inſtar enim illorum, qui turrem Babylonicam, cujus ſummitas cœlum attingeret, ædificare tentaverunt, ſuas hereditates & patrimonia acquirere meditantur, quorum celſitudo & proſperitas aut cœlos attingat, aut ipſorum durationem excedat: ſed ſicut hi perfecto opere confuſi remanſerunt, ita & ipſi in ſuis hujuſmodi voluptatibus continue deficiunt, & quos ſic erigunt, ad inſtar priſtinorum ad nihilum in momento rediguntur, &c.* Pergit enarrare uti Robertus coactam a ſe pecuniam non in ſchiſmate extinguendo, ut loquitur author ſchiſmaticus, ſed Rogerii Turenii propulſandis conatibus conſumpſerit. Qua in re adorandum divinæ providentiæ conſilium, quæ antipapam ab eo exagitari permiſit, ne majori furore in catholicos ac præcipue Chriſti vicarium, in quem plures concitabat hoſtes, improbitatem effunderet. Fatigatos ab eodem Rogerio Avenionenſes gravi bello refert Juvenalis (e) & gloriari ſolitum, ſe bellum gerere cum Pontifice ſine Roma, cum Rege ſine corona (is erat Andegavenſis) cum duce Avrantiæ ſine terra: ſubdit geſtorum antipapæ ſcriptor (f) maxima a Gallis ad redintegrandam eccleſiarum conjunctionem adhibita ſtudia, atque agitata conſilia, ut Robertus pſeudopontificatus inſignia abiiceret (divinæ quippe iræ mania regia tribuebatur) additque univerſis Gallis ſchiſma in execrationem verſum fuiſſe, ac tum Sorbonicos doctores Robertum admonuiſſe, ut tollendo ſchiſmati operam ſedulam navaret, ac præſules proceresque & academicos Regem urſiſſe, ut authoritatem ſuam in re graviſſima adiiceret.

Parta ex patrimonio crucifixi facile pereunt.

(e) Juvenal. Urſin. in Carol. VI.

(f) Antip. vitæ ſcrip. ubi ſupr.

III. Hoc Gallorum conatu perturbatus antipapa Petrum e Luna ad Regem legatum decrevit, ut ſchiſmatis ſedandi ſpecie illud propagaret: at Sorbonicos theologos ab eo diſſenſiſſe memorat Juvenalis Urſinus (g) ac reſtituendo priſtino eccleſiarum fœderi ſtuduiſſe. Eminebant inter

Sorbonici theologi abolendum ſchiſma cenſent.

(g) Juvenal. Urſin. in Carolo VI. hoc anno.

Dux Bituricen. in eos inſurgit.

ter eos Petrus Ailly & Ægidius e Campis, quos antipapa ad ſuum tribunal excivit: ſed illi Avenionem proficiſci detrectarunt. Tum pſeudopontifex ſpe & promiſſis principes corrupit; ac dux Bituricenſis ſe Petro e Luna pſeudolegato conjunxit, oppreſſitque vi & authoritate ſua Sorbonicos; ii vero haſce literas (a) quibus ſchiſmatis mala planxere, Regi porrexerunt, ut in ſuſcepto illius excindendi conſilio perſtaret.

(a) Ext. in MS. bibl. Vat. ſign. n. 4927. p. 114.

*Chriſtianiſſimo ac religionis orthodoxæ zelantiſſimo principi Carolo, Dei gratia, Regi Francorum illuſtriſſimo devota ſuæ celſitudinis filia univerſitas ſtudii Pariſienſis devotæ ac filialis obedientiæ ſinceritatem, &c.*

Schiſmatis mala deplorant Sorbonici.

*Quid ante hoc ſchiſma, ſchiſmatiſque præambula Eccleſia florentius? quid majus? quid ſplendidius? quid honoratius tam grandi exuberabat bonorum copia, ut mole etiam ſua laboraret? poſtquam vero clades iſta ſchiſmatis damnatiſſimi introiit, pro libertate ſervitus duriſſima, pro divitiis egeſtas, pro ſpecie deformitas, pro honeſtate dedecus, pro eminenti gloria vilis atque abjecta contemptio, pro Eccleſiæ ipſius & bonorum ejuſdem tutela, præda, rapinæ, ſpolia, invaſerunt. Et quare hæc? quia nimirum indigni atque reprobi homines ad regimen Eccleſiæ evecti ſunt, & plerumque quotidie evehuntur, quibus nihil ſancti, nihil æqui, nihil penſi, nihil honeſti curæ ſit: ſuis tantum flagitiis & libidine paſcuntur atque delectantur: exhauriunt eccleſias, religiones diſſipant, monaſteria ſpoliant, ſacras paſſim domos in vaſtitatem redigunt, ut ſuæ cupiditati ſacrilegæ, numquam tamen ſatiandæ, de Chriſti patrimonio ſui pretioſiſſimi ſanguinis effuſione conquiſito ſatisfacere valeant, ſacra quæque & profana, e quibus quæſtus aliquis, aut pecunia pendeat promiſcue habent; exactiones maximas, graviſſimas, intolerabiles miniſtris pauperibus Eccleſiæ imponunt, impiiſſimos homines atque inhumaniſſimos ad colligendas eligunt, qui nemini parcant, nullius miſereantur quantalibet inopia preſſi, qui ſtatim excommunicent, fulminent ac exterminent; qui etiam in barathrum, quantum in ſe eſt, detrudant niſi ſibi impoſitum protinus onus exolvatur, etiam ſi de ſilice pecuniam extorqueri oporteret, nihil ſibi unde vivant relinquendo.*

Sacra vaſa ab antipapa expilari.

*Mendicos jam ſacerdotes & viliſſimis inſuper officiis profanis ſecularibus ſervientes ubique videmus; ſacroſanctæ reliquiæ, cruces, calices ipſi, omnia denique vaſa ſacrificа, ſi argentea tamen ſint vel aurea, proventus eccleſiarum, ac redditus ad angarias iſtas importabiles ſolvendas multis in locis venduntur.*

Cenſus eccleſiaſticos ab eo abſorberi.

*Quot jam labentia templa, quot ruentes baſilicas, quot jam ſolo æquatas cernimus, & multo nimirum plures cerneremus, niſi regia veſtra ſublimitas poſitis in manu ſua proventibus eccleſias reparari ac refici, invitis ſæpe earum rectoribus compelleret? id enim jam publice quæritur adverſus hujuſcemodi direptores remedium.*

*O nova & ſtupenda Eccleſiæ calamitas? O horribile ſchiſmatis prodigium! jam ovis gregem ipſum a paſtoris inſidiis & violenta oppreſſione tuetur. O pudendum & infame ſæculum noſtrum omnique poſteritate perpetuo criminandum! O miſeranda nimium mater Eccleſia, quæ in ærumnas iſtas nefario filiorum ſcelere veniſti! O quam malignis diebus qui hæc videre cogimur nati ſumus! malignis inquam ſi non veſtro reſpectu & opitulatione convertantur in melius: ſed in melius omnia revocanda veſtro, Rex ſereniſſime, ductu atque auſpicio ſperamus.*

*Quid nunc de ſimoniaca hæreſi loquimur, quæ in Eccleſiæ domo ſic præſidet, ut jam ejus ditioni omnia ſint propemodum ſubjecta? ſine ejus interventu pauci gratiæ quidquam niſi valde difficulter obtineant: ſed qui eam advocatum habuerit non lite, non judicio, non difficultate aliqua terreatur, verum in aurem utramvis otioſe ſi velit dormiat, quia pars ſua tuta eſt, & ſuperatis fluctuum turbinibus ipſe in portu naviget. Hæc eſt quæ beneficia, quæ alias alicujus omnino emolumenti ſunt immaniſſimis quibuſque dum tamen opulenti ſint diſtribuit, maxime ut ſedula diſpenſatrix contra paſtorales curas invigilat: quæ pauperes aſpernatur, nec ulla promotione, quantacumque doctrina polleant, dignos cenſet; immo quo plus literati, eo ut plurimum ſibi odio habiti quia liberius eam redarguant quam alii, nec ſuo patrocinio in ullis beneficiis aſſequendis uti velint, & [quod iniquiſſimum eſt, nec ſatis exaggerari verbis poteſt] hæc eſt quæ damnatiſſima corruptela ſacrorum omnium myſticas collationes & præcipue ordinum ac pœnitentiæ, turpi deteſtabilique quæſtu vendit, ac per hoc ineptiſſimas viliſſimaſque perſonas ſordida cupiditate ad honores Eccleſiæ, & gradus admittit in grandem ignominiam eccleſiaſticæ dignitatis.*

Ordinis & pœnitentiæ ſacramenta divendi.

*Quid de divino cultu ex hac cruenta ſchiſmatis pernicie ubilibet imminuto, atque in locis pleriſque prorſus deſerto queremur? quid de morum diſciplina & prioris Eccleſiæ virtutibus, quæ ſic in oblivionem inque omnia vitia mutatæ ſunt, ut vix præcedentes patres, ſi redeant eandem nunc eccleſiam, quam ipſi dudum rexerant, quamque Chriſtus inſtituit, eſſe putent, nullis virtutum ſuarum reliquiis, nullis uſquam veſtigiis, immo nec umbra tenui ibidem relicta? Omittamus Eccleſiæ libertates ereptas, veteres immunitates abolitas, patrimonium denique diſtractum, dilapidatum, abalienatum, iſta inquam omittamus, quia temporalia ſunt, quamquam majora iſti hæc*



*temporalia ducunt. Ad fidei catholicæ detrimenta & ſcandala, quæ nos majora ponimus, veniamus, religionem noſtram ſacroſanctam talem in ea videntes ſciſſionem canes ægyptii mordent, accuſant, blaſphemant; inde ſe commodiſſimam gaudentes occaſionem in eandem inſultandi reperiſſe, quæ ſic inter diverſa ac in propria viſcera cœco furore ſæviens ſemetipſam conficiat & deſtruat, hinc fideles oppugnant, hinc hæretici irruunt, qui jam venenatum caput extollere vehementer nullo vindice cœperunt, & in complurimis locis hæreſes pernicioſas, etſi non adhuc patenter, tamen latenter ſeminant, & ut cancer quotidie magis ſerpunt, ſic in fidem catholicam defenſione vacuam, & domeſtico ſe bello continue perſequentem atque conſumentem, undique ſit impetus; ſed quia univerſa mala ex hoc horrendo ſchiſmate naſcentia complecti nitimur, res nobis & cuiquam impoſſibilis eſt. Quis enim tanto præditus ingenio, aut tanta eloquentia decoratus, qui ærumnas, anguſtias, calamitates ſingulas, quas Eccleſia ſuſtinet, non digne ut res poſtulat deplorare, ſed numerare valeat aut referre? quid numerare dicimus? cogitare potius dicamus, aut mente capere, &c. Data in noſtra generali congregatione apud S. Bernardum, ut moris eſt in arduis celebrata unanimi facultatum & unionum conſenſu* VIII. *id. junii vigilia videlicet Pentecoſtes*, & infra: *Anno domini* MCCCXCIV.

Religionem Chriſtianam derideri a Saracen.

IV. Juſſi ſunt doctores Sorbonici ſilentio præterire ſchiſmatis mala, nec de contentis in literis verba facere, ut narrat Juvenalis Urſinus (a): erupit tamen e medullis dolor, & colloquia fieri, ut ante cœpta ſunt, graviſſimiſque argumentis victus Petrus e Luna antipapam ſuum tueri non poterat, ut pontificiæ dignitatis inſignia retineret: at inter alios tollendi ſchiſmatis modos laudata eſt ut facillima quæ difficillima erat, abdicandæ a Papa & antipapa dignitatis via, cum fateri nollent Galli injuſte ſe ab Urbani obſequio defeciſſe: Avenione etiam Cardinales invito & fremente pſeudopontifice, de modo reſtituendæ priſtinæ eccleſiarum conjunctionis egere. Cumque Petrus e Luna e ſua legatione rediret, repentina, ut refert Juvenalis, apoplexia percuſſus antipapa extinctus eſt, cui illius vitæ ſcriptor conſentit (b): *Poſt ſatis brevem*, inquit, *infirmitatem die* XVI. *menſis ſeptembris anno domini MCCCXCIV. pontificatus ſui*, nempe ficti, XVI. *diem clauſit extremum in Avenione.* Periit ita ex mœrore ingraveſcente & iræ magnitudine, cum Galli cenſerent pſeudopontificatum Avenionenſem abolendum [1], unde & Petro e Luna, qui una cum regio conſilio ſenſerat, Robertum honoris inſignibus exuendum, ipſum mortem ea re Roberto ante tempus accerſiviſſe objectum eſt (c): adverſus quam ſuſpicionem, cum Petrus e Luna in antipapatu ſucceſſor apologiam texeret, ſuis oratoribus provinciam dedit, ut has cauſas præcipitis Roberti obitus vulgarent: *Unus*, nempe doctor ex academia Pariſienſi, *mandavit domino Clementi, quod amodo vel amplius non poterat ipſum defendere. Item idem dixerunt ſibi alii: & ex illis recepit iram & malinconiam dominus Clemens, non propter verba domini Cardinalis de Luna, ut credo.* Dixerat is cedendum eſſe pontificatu, ac ni aſſentiretur, Avenionenſi aula abſcedere meditabatur. *Item propter guerram domini Raymundi de Turena, quam fovebat dominus Ambianenſis & alii in curia, & propter guerras quæ erant in Neapoli; & dominus Ambianenſis tenebat comitatum Venayſini, vel unam partem comitatus.* Pluribuſque interjectis, quibus pſeudocardinali e Tureyo affectati antipapatus crimen impingitur, ita Petrus e Luna objecta a Gallis, qui ipſum arguebant, injuſte abdicationem dignitatis refugere, cujus antea in Roberto author extitiſſet, pluribus vitiis inquinatum antipapam fuiſſe reſpondet, quorum labe, dum ſe immunem contendit, longe turpiore ambitione in propagando ſchiſmate ſe laborare aperit his verbis (d): *Item imponitur ſibi, quod ipſe proſequebatur viam ceſſionis, cum dominis de Francia & cum univerſitate, & ita dicunt aliqui domini, & credo quod tunc bene dicebat, ſi diceret, quia imponebantur domino Clementi multa propter quæ multis videbatur, quod bene diceret, quia, ut dicebatur, ipſe vel ſui committebant ſimoniam, quia omnes dignitates & epiſcopatus & beneficia vendebat. Ita quia omnes fatuos ſtudiorum & juvenes & laſcivos & lubricos ponebat prope ſe ad morandum in familia ſua, & bonos communi reputatione dimittebat, nec dabat eis beneficia. Item quia faciebat promotiones juvenum, ut poteſtis videre in toto regno Franciæ.*

(a) Juven. Urſin. hiſt. in Car. VI.

Petrus e Luna nequit tueri antip.

(b) Id. ib.

Contabeſcit mœrore antipapa.

Cenſuerat Petrus e Luna illum debere cedere gradu.

(c) To. 6. de ſchiſ. p. 20.

Pariſienſis doctor ſignificat eidem non poſſe ejus cauſam defendi.

Anguſtiis undique preſſus antip.

(d) To. 2. de ſchiſm. p. 20.

Epiſcopatus & ſacerdotia vendit.

Lugubris in ſchiſm. eccleſiæ Gallicanæ facies.

Confirmat hæc Nicolaus Clemangius; (e) atque infeliciſſimum in arrepto ſcelere antipapatu hominem, necnon ejus ar-

(e) Clem. de corrup. eccl. ſtat. c. 26.

NOTÆ [1] *Cum Galli cenſerent pontificatum Avenionenſem abolendum &c.* Hec annaliſtæ verba a Baluzio in notis ad vitas Papar. to. 1. col. 1397. ſuggillantur, ſed immerito quidem, ut arbitror. Non enim ea fuit annaliſtæ mens, ut crederet Gallos tandem reſipuiſſe, abjectoque Avenionenſi ad Bonifacium redire conſtituiſſe, id enim perſpicue falſum erat, cum ſatis conſtaret Gallos id velle ut ambo Pontifices gradu cederent. Id ergo ſignificare voluit Gallos cenſuiſſe tollendum Pontificatum Avenionenſem, non quidem ſolum, ſed una cum Romano, ut in ſolium utriuſque ceſſione vacuum alter rite electus, aſſumeretur. MANSI

artes pro demulcendis principibus deſcribit: *Quid Clemente noſtro quoad vixit miſerabilius, qui ita ſe ſervum ſervorum Gallicis principibus adjecerat, ut eas ferret injurias & contumelias quæ ſibi quotidie ab aulicis inferebantur, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici? cedebat ille furori, cedebat tempori, cedebat flagitantium importunitati; fingebat, diſſimulabat, largiter promittebat, diem ex die ducebat, his beneficia dabat, illis verba, omnibus quos aut ars aſſentatoria aut ludicra in curiis acceptos fecerat, ſummopere placere ſtudebat, eoſque beneficiis promereri, quo talium patrocinio, dominorum gratiam & favorem aſſequeretur, & ſimilia, &c. His itaque & juvenibus nitidis & elegantibus, quorum maxime conſortio gaudebat, ſingulos fere vacantes epiſcopatus, cæteraſque præcipuas dignitates impendebat. Denique ut principum benevolentiam facilius aſſequeretur, aſſecutam foveret, fotamque conſervaret, conſervatam amplificaret, plurima ultro dona & xenia illis dabat: quaſcumque ſuper clero exactiones petere voluiſſent, annuebat; ultro ſæpius etiam ingerebat: ſicque omnem clerum ſæcularium magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubjiciebat, ut Papa magis quilibet eorum quam Papa ipſe putaretur. In hac triſtiſſima ſervitute non dico præſidentia, tria (vel ſupra) temporum luſtra cum incredibili Eccleſiæ attritione conſumpſerunt.*

Servitus miſera antip.

Conſentanea iis referuntur a Theodorico e Niem (*a*), qui addit diſſipata ab eodem antipapa eccleſiarum bona, atque in viros nobiles laicos tranſlata ficto emphyteuſeos jure: *Hic Robertus*, inquit author, *ſive Clemens multum facit magnatibus ſive nobilibus, unde petentibus ipſis terras, caſtra, & dominia eccleſiaſticarum cathedralium & monaſteriorum modico annuo cenſu ipſis ſolvendo in feudum ſine difficultate conceſſit, & ea eccleſiis & monaſteriis auferens, eodem etiam penſionis vel alterius ſervitutis onere non retento abſolute donavit pro ſe & heredibus ac ſucceſſoribus eorumdem.* Obſervatum etiam Gebennenſium principum ſtirpem, quæ ex antipapatu ad ingentes opes, ſplendoremque aſſurrectura videbatur, divina ultione ſucciſam exaruiſſe, ut principatus ad Sabaudum fuerit devolutus: *Licet*, inquit, *multos haberet fratres & ſorores, ac etiam ex quibuſdam eorum nepotes, tamen eo defuncto comitatus Gebennenſis exiſtens magnum & nobile feudum imperiale in Gallia ad comitem Sabaudiæ pervenit, excluſis qualitercumque cunctis veris heredibus, qui de jure ſuccedere debuerunt.*

(*a*) *Theod. e Niem. l. 2. c. 4.*

Eccleſiarum & monaſterior. prædia tranſlata ad ſæculares.

Gebennenſium principum ſtirps exciſa.

Præter hos nævos, alias laſciviæ & turpitudinis notas aſperſere Roberto antipapæ oratores ex Petri e Luna arcanis mandatis: *Item quia ſcutiferos & ſcriptores tenebat, ut omnes vidimus, tales ut vidiſtis; immo quandoque dicebat: Iſta veſtis quæ non ibat niſi uſque ad poſteriora, adhuc dicebat, quod erat nimis longa: immo in uno feſto fecit radi ſupercilia Cautello ſcutifero domini Rothomagenſis, ut audivi: & ſic videbatur multis, quod bonum eſſet ſi cederet: ſed non ſic de iſto, quia non juvenes, nec laſcivos tenebat.* Hi digni ſceleſtiſſimo antipapa ſchiſmatis authore, ad perdendam Eccleſiam in id faſtigium evecto, mores ab ejus ſucceſſore deſcribuntur.

Turpitudo antipapalis aulæ.

Ex quibus detegitur Petri e Luna perfidia & iniquitas; non enim is certabat propterea abiicienda a Roberto pontificalia inſignia ob laſcivos mores aut ſimoniacam labem, ſed ob vexatam (*b*) turbatamque ſchiſmate Eccleſiam; de quo tollendo una cum Rege Francorum conſilia crebra, dum pſeudolegatum agebat, contulerat, ut publica a Gallis confecta acta ita illuſtrant (*c*): *Dominus Rex modernus ante mortem domini Clementis, videns quod ſchiſma nimis durabat, voluit quod videretur via per quam poſſet ſedari & fuerunt ordinati certi tam de univerſitate quam de conſilio ſuo, & repererunt certas vias, & ſpecialiter viam ceſſionis: & ordinavit quod dictus dominus Clemens ſummaretur*: ideſt in jus vocaretur. *Qui tamen fuit morte præventus. Exinde dominus Benedictus aſſumptus, qui exiſtens Cardinalis fuit hic legatus ſuper facto ſchiſmatis, qui ut probus & valens vir ſe habuit, & viam ceſſionis multum laudavit, & multis eam dixit.* Sublato itaque, ut dictum eſt, antipapa Roberto (*d*) [1], Galli redintegrandæ eccleſiarum conjunctionis ſoliciti, pſeudo-cardinales rogarunt, ne quem

VI. Petri e Luna perfidia.

(*b*) *Tom. 10. de ſchiſm. p. 69.*

(*c*) *To. 8. de ſchiſm. p. 185.*

Abdicatio commendata ab eodem.

Pſeudocardinales rogati ne novum antipapam creent.

(*d*) *To. 8. de ſchiſm. pag. 1. Juven. Urſ. hiſt. in Carol. 6.*

NOTÆ [1] CLemens VII. pſeudopontifex hoc anno, menſe, & die, ut in annalibus, mortalem vitam abſolvit, de quo varia eſt apud varios ſcriptores fama. Non enim inter multos accuſantes deſunt qui patrocinio aſſumpto, virtutes ejus multis efferunt. Utcumque tamen res ſeſe habeat, (nec enim vacat latentem in tanta ſcriptorum confuſione veritatem indagare) illud compertum eſſe omnibus arbitror, ejus tempore multos in eccleſiam abuſus & corruptelas irrepſiſſe. Cum enim uterque Pontifex niteretur benevolos ſibi populos retinere, hinc beneficia & proventus eccleſiaſticos vel indignis poſcentibus largiebantur, vel immeritis conferebant. Nec ſane id vitii Clementi tantummodo exprobratur; ſed & ipſi pariter Bonifacio objectum eſt a nonnullis, ut nos de obitu ejus agentes adnotabimus. In ejus locum ſubſtitutus eſt Petrus de Luna, quem die XXVIII. ſeptembris electum die III. Octobris ſacerdotem conſecratum, ac denique die XI. ejuſdem menſis pontificem initiatum, eademque abſoluto miſſæ ſacrificio coronatum ex actis electionis ejus apud Baluzium diſcimus. MANSI



Promiſſa redituris dignitas Cardinalitia.

Novum pſeudopontif. creare conſtituunt.

quem Roberto ſubrogarent ut facilis ad ſchiſma tollendum pateret via: at ii arrogantia tumidi reſpondere Regi ſibi præficiendum caput, ne acephali eſſent, & quamvis jam ante a Bonifacio, ut diximus, promiſſa iis eſſet cardinalitia dignitas, cujus gerebant inſignia, ſi ad gremium Eccleſiæ redirent, indignum rati ſucceſſori Urbani, adverſus quem conflarant ſchiſma, ſe ſubmittere, decreverunt creare novum pſeudopontificem, quem ſacramento obſtrictum voluerunt, honore abiturum, ſi Bonifacius pontificatu ſe ſe abdicaret, ut communibus omnium votis novus Pontifex crearetur; qua excogitata re, hanc jurisjurandi formulam ſubjectis verbis conceperunt, quam ſinguli, antequam ferrent ſuffragia, nuncuparunt (*a*).

(*a*) *To. 7. de ſchiſm. p. 21. & l. 10. p. 69.*

Sacramenti formula ab iis in conclavi nuncupata.

*Nos omnes & ſinguli S. R. E. Cardinales congregati pro electione futura in conclavi ante altare, in quo miſſa communis celebrari conſuevit, pro Dei ſervitio, unitate Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac ſalute animarum fidelium omnium promittimus & juramus ad ſancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta, quod abſque dolo, fraude, & machinatione quibuſcumque ad unionem Eccleſiæ & finem imponendum ſchiſmati [proh dolor!] in Eccleſia nunc vigenti quantum in nobis erit, laborabimus fideliter & diligenter, & per nos, quantum ad nos pertinebit, & dabimus paſtori noſtro & gregis dominici ac vicario Domini noſtri Jeſu Chriſti futuro, qui erit pro tempore, auxilium, conſilium, & favorem, nec ad impediendum præmiſſa dabimus conſilium vel favorem, directe vel indirecte, publice vel occulte: & iſta omnia & ſingula & alia ultra præmiſſa omnes vias utiles & accommodatas ad utilitatem Eccleſiæ & unionem prædictam ſane & veraciter ſine machinatione ſeu excuſatione vel dilatione quacumque ſervabit & procurabit poſſe tenus quilibet noſtrum, etiam ſi fuerit aſſumptus ad apoſtolatum, etiam uſque ad ceſſionem incluſive per ipſum de papatu faciendam, ſi dominis Cardinalibus, qui nunc ſunt vel erunt in futurum, de iis, qui nunc ſunt vel majori parte eorumdem hoc pro bono eccleſiæ & unionis prædictæ videatur expedire.*

At perturbatis animi affectibus obcœcati Cardinales ſchiſmatici non advertere illum, quem ſibi præficerent, pari flagitio, quo pſeudopontificatum admitteret, ad illum retinendum datam fidem violaturum, atque ita ſua expectatione fuere deluſi: cum enim ideo in Petrum e Luna, quod magno abolendi ſchiſmatis ſtudio ardere præ ſe tuliſſet, atque abdicationis, quam fieri a Roberto voluerat, author (*b*) extitiſſet (quod ex Avenionenſibus monumentis confirmabitur inferius) inſigne pontificium poſiturum arbitrarentur, in illum communi conſenſu ſuffragia tulerunt, cui Benedicti decimi tertii nomen, inditum; de quo hæc narrat Theodoricus e Niem (*c*): *Factus legatus in Aragonum & Hiſpaniæ regnis diu remanſit, & ſæpe contra ipſum Robertum, quod ad unionem Eccleſiæ intendere non curaret, atque in hoc male faceret, multaque ſimilia etiam coram Regibus, necnon eccleſiaſticis prælatis clero & populo publice prædicabat; colligens tamen fragmenta ne perirent, & pecunias abundanter in illis. Miſſus etiam Pariſios idem Petrus per præfatum Clementem ad Regem Francorum & univerſitatem ſtudii Pariſienſis in ejus ſermonibus & actibus ſemper innuit, quod ſi ipſe dicto Roberto, poſtquam decederet, in ejus obedientia ſuccederet, modis omnibus unionem in univerſali Eccleſia facere vellet, oſtendens ſe valde ad hoc inclinatum; quamobrem poſtea defuncto Clemente ſui Cardinales, credentes quod Petrus corde gereret, ſicut prius dixiſſet, eo prætextu in loco dicti Clementis ſubrogandum elegerunt.*

Eorum conſilia contrario exitu confuſa.

(*b*) *Clem. antip. vit. ſcriptor ſub fin.*

(*c*) *Theod. e Niem. l. 2.*

Petri e Luna aſtutia.

Attulit (*d*) Gallis Petri e Luna antipapæ creatio graviſſimas curas ne ambitione percitus ſchiſma propagaret; illum itaque Pariſienſis academiæ doctores propoſito immortalis laudis aſſequendæ præmio, ampliſſimiſque officiis mulcere pertentarunt, ut honoris abjectis inſignibus pacem univerſæ Eccleſiæ reſtitueret; de quibus datis literis pſeudocardinales certiores fecere, preceſque addidere ut ſtudia ad eum ad id flectendum conferrent

VII.

(*d*) *Ext. in to. 8. de ſchiſm. p. 71.*

*Reverendiſſimi patres.*

*Scribimus domino noſtro ſummo Pontifici ſuper unione ſanctæ matris Eccleſiæ in hanc formam. Poſtquam indubie comperimus dominos noſtros Cardinales in veſtram electionem pari & conſona voce, unanimique conſenſu conveniſſe; Sancto quidem, ut credimus, Spiritu interveniente, ingens animis noſtris lætitia voxque gratulationis exorta eſt, ſperantibus univerſis ſecundum illud propoſitum flagranſque deſiderium, unitatis Eccleſiæ orthodoxæ, quod veſtris in præcordiis indeſinenter huc uſque geſſeritis, gerereque vos audimus & credimus. Nunc tandem nacto tempore opportuno, facultateque de cœlo exhibita debere pateſieri ac in medium produci; nunc igitur pater benedicte, ut vos nomine veſtro alloquamur, pater, inquam, Benedicte, inque omnia ſæcula jugiter benedicende, ſacratiſſimam illam voluntatem tanto tempore conceptam parturite, opere exequamini quod tandiu intendiſtis, fœlicemque diem iſtam, quæ perpetuum honorem, decus eminentiſſimum, famam indefectibilem, laudem inenarrabilem, pignus & arram gloriæ ſempiternæ vobis [niſi reſpuitis] affert, alacriter & jucunde ſuſcipite; oblatam occaſionem, quam votis tam frequentibus optaſtis quamprimum quam*

Pariſienſium ad novum antipap. literæ.

Hortantur eum ad abdicationem.

Ne moras trahat.

*quam celerrime arripite, abiicite jam moras omnes, tollite dilationem quantamlibet; non diem unum, non horam, non vel momentum temporis expectate; ſemper differre paratum eſt noxium:* Quia primum, *inquit Ethicus,* rapienda tibi eſt occaſio prima. *Si cras unum mens veſtra aliquantulam lentior admiſerit, ecce confeſtim alterni, ecce tertium ſubibit, ſicque ſenſim procedendo donec in negligentiam operis deſiderati ventum erit. Accedent adulatores blandiloqui ſub amicorum ſpecie virus peſtilentiſſimum nequitiæ inſpirantes: accedent ambitioſi dignitatum, cupidi promotionum, atque beneficiorum: accedent aulici omnes præſentis aſſentatores potentiæ, quibus ſi aures veſtras aperueritis, mentem veſtram ad ardui hujus operis aggreſſum, non ſolum remiſſam, ſed languidam, & enervem reddent; accedet denique bonorum aſſuetudo dulciſſima, qua nil animo noſtro jucundius illabitur, nihilque magis allicit, & ſi eſt verum dicere magis fallit, qua nimirum pluſquam ſatis noſtra hæc ætas abundat.*

Ne aſſentatoribus aures ſuas det.

*Habetis recentiſſimum, ne hiſtorias alias inducamus, de veſtro anteceſſore exemplum, quem quid aliud impulit ea, quam tenuerat ſententia, tam inexorabiliter perſiſtere niſi iſta?* Neque *ex diffidentia, ſed ex zelo vehementi & cautela, qua vobis amantiſſime conſultum eſſe volumus, hæc dicimus: nec certe ex hoc veremur veſtrarum offenſionem placidarum aurium incurrere; veritatem vos amare nobis conſtat; indeque eam loquendi major multo ingeritur audacia: fragilis eſt ut noſtis humana natura, & ſui excellentiam nimium appetens: ad quietem præterea & otium fallaceſque delicias, pluſquam ad laborem, prona.*

Ne prædeceſſoris pertinaciam imitetur.

VIII. Pium opus non procraſtinandum.

*Aggrediamini ergo quantocius, ſupplici prece quæſumus, rem iſtam, cunctatione qualibet aut tergiverſatione rejecta. Si aptus eſt hodie, quid craſtinum expectaveritis? Si hodie non eſtis, cras certe minus eritis. Non voluntatem medendi per procraſtinationem & temporis intermiſſionem verum remitti potius & frigeſcere certum eſt; morbus ipſe præterea celeritatem requirit auxilii, nec ulterioris moræ patiens eſt, quippe qui longa nimirum invaleſcentia, niſi cita medicantis invigilaverit manus, in deſperationem jam vergere incipiet. Quid quod neſcitis quamdiu hæc vobis a Deo data duratura eſt poteſtas, multa incidere poſſunt, quæ eam auferant. Vita brevis & incerta, nec ullius ſecura craſtini. Principum & dominorum in ſuis voluntatibus, quas nunc Spiritus Sanctus, ut fas eſt credere, movet, mutatio, zeli pene ubilibet ferveſcentis tepor, temporis quoque & rerum aliarum nunc commode ſubminiſtratarum facilis in contrarium converſio, omnis enim creatura vanitati, atque verſibilitati ſubjecta eſt; quid quod aſſidue plura emergent impedimenta ab ineundo opere, animarum iis occupatum, & quodammodo poſſeſſum, ac vinctum revocantia, ut qui dum licet agere non voluit, poſtea ſibi, dum volet, non liceat, &c. Scriptum Pariſiis in noſtra congregatione generali anno Domini MCCCXCIV. die IX. menſis octobris apud S. Maturinum, propter hoc ſpecialiter celebrata.*

Ne ſuum ardorem ſinat inteſceſcere.

*Humiles veſtri oratores Rector & univerſitas ſtudii Pariſienſis.*

IX. Petri e Luna fuci & impoſturæ.

Acceptis his literis Petrus e Luna, ut in ornandis magno verborum apparatu fraudibus fuciſque offundendis doctiſſimus erat, Carolo Regi Francorum de præclaro ejus exſcindendi radicitus ſchiſmatis ſtudio v. id. octobris eſt gratulatus (*a*): cumque contraria omnia infixa animo vir perfidus gereret, ſe curas omnes in illo abolendo adhibiturum, initurumque vias omnes eſt pollicitus uti pſeudocardinalis e Tureno narrat (*b*): *Poſt ſuam*, inquit, *aſſumptionem ſuos ad Regem Francorum nuntios deſtinavit, inter cætera mandans Regi, quod paratus erat per omnem viam dictam proſequi pacem & unionem Eccleſiæ, & quod nullam viam recuſaret pro unione habenda.* Confirmant hæc, ipſius Petri e Luna antipapæ, quæ circumferuntur literæ, e quibus hæc decerpimus: *Nos ad ſeditionem ſchiſmatis & procurationem pacis ac unionis hujuſmodi animum regium non modo relatibus, tuiſque & alienis ſcriptionibus, ſed ex collocutione serioſa inter nos & te dum in partibus regni tui legationis apoſtolicæ fungeremur officio, ſuper hoc ſæpius habita a certo ſcimus voluntarium & intentum, ad quæ nos etiam, ſicut officium urget aſſumptum, modis omnibus poſſibilibus intendere, cæteris omiſſis proponimus ac toto conamine laborare, &c.* Data etiam ab ipſo ſuis nunciis mandata, ut omnes modos redintegrandæ eccleſiarum concordiæ excuterent, referunt publicæ Gallorum tabulæ (*c*).

(*a*) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI.*

(*b*) *To. 10. de ſchiſm. p. 69.*

Simulat conjunctionem eccleſiarum ſe redintegraturum.

(*c*) *Ext. to. 8. de ſchiſm. p. 85.*

X. Argumenta, quæ torſere Gallos.

Inſignes cœtus Pariſiis propterea habitos, refert Juvenalis Urſinus (*d*), ac decretum anteferendam viam abdicationis compromiſſi viæ. Quibus vero argumentis monerentur Galli ad diſſolvendum ſchiſma, & abdicationis modum cæteris ad redintegrandam priſtinam eccleſiarum conjunctionem anteferendum, accurate ſubjectis conſcripta verbis enarrantur (*e*).

(*d*) *Juvenal. Urſin. in Carol. 6.*

(*e*) *To. 14. de ſchiſm. p. 108.*

*Allegationes, quæ imponuntur domino Bonifacio.*

Primum electum fuiſſe pacificum poſſeſſorem. Secundo electum nunquam pacificam poſſeſſionem nactum.

*Archiepiſcopus Barenſis fuit ab omnibus dominis electus primo & poſſeſſor extitit pacificus per quatuor menſes a cunctis pro Romano Pontifice tentus, ita quod jus commune facit pro eo, ac poſſeſſionis commodo, ut c. licet de elect. de reſtit. ſpol. lib. 6. l. is quo deſtinavit ff. de rei vendi. & l. ſi quis patrem ff. ad Maced. & l. Barbarius ff. de offic. præſe. alias prætoris. cap. ſin. at dominus Gebennenſis ſecundo electus nunquam fuit poſſeſſor pacificus & ſecundum jus commune poſſeſſionis, commodo etiam deſtitutus, ut c. conſideravimus de elec. & notat. in c. auditis, & l. quoties de rei vendit. Secundum traditionem partis adverſæ* (illius nimirum quæ colebat Urbanum) *noſtra pars habet evidentem injuſtitiam, factum enim taliter compoſuerunt, ut nulli dubitationi ſit locus quin foveat juſtitiam pars adverſa: at ſecundum caſum a nobis traditum multæ difficultates ſubortæ ſunt a viris in jure, in theologia, & philoſophia peritiſſimis diſcuſſæ, itaut opiniones contrariæ inter eos generatæ fuerint, & in ſcriptis tunc inde redactæ, quæ velut juridicæ & tanquam indubitatæ a ſequacibus obtinentur, adeo ut impoſſibile ſit per rerum naturam naturatam eas evelli interius exteriuſve ab ipſis ar. l. inter antiquam C. de uſufr. & l. manifeſtum circa princip. C. de fur. cum ſi. niſi eſſet aliquis ſuperior pro ſuperiore ab omnibus tentus, qui ſua ſententia vel conſtitutione, has difficultates juris dirimeret, & probatur dictis juribus proxime allegatis, c. cum expediat de elect. in 6. cum ſimilibus pluribus, in quibus altercationes inter doctores maximos exiſtentes fuerunt deciſæ nova conſtitutione quandoque per diſtinctionem, quandoque per approbationem unius opinionis, & reprobationem alterius, ut c. ſi gratioſe de reſcript. in 6. & ibi notatur, & in d. c. cum expediat, & in pluribus aliis juribus.*



Ex Urbaniſtarum traditione evidentem eſſe eorum injuſtitiam.

Caſum Clementinorum eſſe controverſum.

Sedari nunquam poſſe eam controverſiam.

Jus fundari in actu momentaneo & incerto.

*Juſtitia partis noſtræ fundatur ſolum ſuper facto quodam momentaneo, videlicet actus tranſeuntis, impreſſionis ſiquidem factæ dominis Cardinalibus, tempore primæ electionis: defenſio vero partis adverſæ fundatur ſuper jure communi & ſuper facto actus continui & permanentis, & promotione. ſaltem quatuor menſium ac adjuvatur ex pluribus aliis, ex quibus vulneratur fundamentum noſtrum ar. l. 1. ff. de iis, qui 5. ſu. vel alien. jur. cum 51. ſicut eſt ſpontanea & particularis ſupplicatio cujuſcumque Cardinalis facta primo electo, prout ſtatui ſuo melius credebat providere unuſquiſque eligentium, juxta morem ante & poſt ſervatum in creatione Romani Pontificis, ac ſcriptura literis vel epiſtolis clauſis deſtinata Regibus & principibus univerſis orthodoxis, ac dominis Cardinalibus, qui remanſerant in Avinione, necnon repetitio ſupplicationum ſuper negotiis occurrentibus facta per multos ex dominis Cardinalibus primo electo, etiam eo tempore, quo erant in Anagnia, dirigendo literas & ambaxiatas ſuper hoc opportunas, ac etiam executio vel exercitium officii pœnitentiariæ in dicta civitate Anagniæ per dominum Cardinalem Lemovicenſem tunc ſummum pœnitentiarium ſub pontificatu licet reprobo dicti primi electi, volentibus & conſentientibus omnibus aliis dominis Cardinalibus; ita ex tunc infinitæ dictæ literæ dicti domini Cardinalis pœnitentiarii ſcriptæ Anagniæ ſub dicto pontificatu uſque ad diem declarationis facti contra primum electum per dictos Cardinales: necnon promotio domini Cardinalis Glandacenſis ad eccleſiam Oſtienſem per ipſum dominum Cardinalem acceptata, quam etiam importune pro ſe petebat dominus Cardinalis Gebennenſis, licet ſibi ex ordine non deberetur, prout etiam ipſe primus electus in publico conſiſtorio hoc omnibus audientibus & in præſentia omnium dominorum Cardinalium aſſeruit, ut taceam plura alia lædentia juſtitiam noſtram, quæ ex caſu noſtro colliguntur, abſque iis quæ inferiores noſtri ignorant, geſtis per ipſos dominos Cardinales ſigillatim tam Romæ quam extra particulatim & ſucceſſive.*

Urbani jus fundari in facto certo.

Plura geſta Cardd. juſtitiam Clementis labefactantia.

XI.

*Quidquid in facto & in jure poteſt allegari pro parte noſtra ad juſtificationem ipſius, & reprobationem partis adverſæ, alias fuit allegatum, & ad notitiam adverſariorum deductum eſt, unde ex quo illis non obſtantibus adhuc perſeveraverunt per ſexdecim annos cum dimidio continuos, & adhuc perſeverant non titubantes, ſed ut conſtantes, fatuum eſt dicere vel credere, quod per diſputationem poſſumus obtinere, ac triumphum nobis illos cedere jam imbutos quaſi in eorum pueritia vel adoleſcentia, ut plurimum & firmiter radicatos in opinione, quam ſequuntur, & in qua genitores, ac majores ipſorum velut catholici vixerunt, dieſque ſuos finierunt. Pars noſtra in nullo eſt adjuta ex aſſumptione domini noſtri moderni in fide vel potentia pluſquam eſſet in tempore domini Clementis: nihil ſubeſt ergo quare debemus expectare nunc reductionem partis adverſæ ad obedientiam noſtram pluſquam tempore domini Clementis ſperavimus, cujus tempore obtinere nequivimus hoc ſaltem, ut pars noſtra ſemel audiretur in facto, adeo ut dominus noſter, dum annis præteritis eſſet legatus in Flandria, impetrare non potuit, ut audiretur ipſe vel alius in noſtra juſtitia in Anglia: diſputatio igitur in jure non habet locum niſi in facto concordi & inter partes ſe mutuo ſubiicere volentes communi juſtitiæ, & ubi eſſet ſuperior competens, cujus deciſioni ſtaretur & fide ac metu pœnæ pareretur ab indevotis.*

Partem Clementis a Petro e Luna non corroboratam.

Nec in Belgio, nec in Anglia auditum.

*Si per concilium generale, vel per aliquos concorditer electos intimaretur partem noſtram fovere injuſtitiam, per Jeſum Chriſtum non crederem, & forſitan plures eſſent hujus propoſiti; ſic enim firmiter credo partem noſtram habere juſtitiam.* His verbis auctor ſchiſmaticum & impium ſe demonſtrat, nam debuit eſſe paratus ut crederet decretoriæ concilii œcumenici ſententiæ, ſi qua ferenda eſſet: propterea vero abhorrebant ab œcumenica ſynodo illi, quod cenſerent ſententiam pro Urbano ferendam: & mirum eſt eos credere vo-

Si de jure pronuncietur, ſchiſma non ſedatum iri.

voluiſſe conventiculis, quibus Reges, qui in rebus ſacris nulla pollent auctoritate præfuerant, & politicis commodis ſententiam accommodaverant, univerſalis autem Eccleſiæ decreto parere detrectaſſe. Pergit auctor: *Ita e converſo credere debemus, quod ubi ſententia foret contra partem adverſam, eſſent plures qui judicarent in eorum conſcientiis, & forſitan loqui non vererentur eam fore latam per ſordes aut gratiam & alias iniquam, ita quod ſchiſma non ſedaretur. Qua in re adduco exemplum: nam non obſtante declaratione Regis Caſtellæ ſolemniter ac devote facta,* (fuit iniquiſſime facta, & ab eo qui ferendæ ſententiæ nullam habebat auctoritatem, neque illi divina ultio defuit,) *remanſit adhuc magna pars populi & cleri infecta, quæ ſerenari non potuit vel ipſorum protervia, aut ſuæ opinionis impreſſæ conſtantia: ſic etiam fuit in Aragonia poſt declarationem Regis moderni, ſic & in Navarra, & forſitan ſub dominio Regis Franciæ adhuc plures ſunt, qui ſaltem corde firmiter tenent, nos cauſam fovere malam, unde nulla viarum illarum ſchiſma tolleretur,* [ex his ſchiſmaticorum actis conſtat, nullis mendaciis, fucisque veri Romani Pontificis cauſam obſcurari potuiſſe, & Caſtellanorum, Aragonum, Navarræorum, Gallorumque partem maximam ſchiſma impie conflatum ſenſiſſe. Pergunt acta:) *& ſola eſt via renuntiationis utriuſque, per quam indubie ſchiſma de medio tolleretur: nam nulla partium dicta aut ſuperata eſſet, immo potius cenſeretur quamlibet bonam cauſam foviſſe, & ſic conſuleretur famæ mortuorum, & provideretur ſtatui & conſcientiæ vivorum, &c.*] Id confirmat aliis adductis argumentis, & utrumque in pontificatu æmulum ad dignitatem pro redintegrando eccleſiarum fœdere deponendam obſtringi probat.

Plures ſententiam decretoriam oppugnaturos. In Caſtella ſenſere populos violatam juſtitiam Urbani.

Ita in Aragonia. Ita in Navarra. Plures etiam in Gallia cenſuere Clemen. partem injuſtam.

Concludit ſola abdicatione ſchiſma compeſcendum.

XII. Objectum Gallis cur illam prætulerint.

Exiſtimarunt nonnulli delegiſſe ipſos prudentiſſime viam abdicationis, ut omnes conſcientiarum æſtus ſedarentur: verum ad ſuſceptæ ignominiæ in conflando ſchiſmate maculam tergendam honorificum concordiæ genus illos commendaſſe, ſenſerunt alii catholici, a quibus hæc (a) objecta ſunt ſchiſmaticis: *Sciunt nempe ſuum Papam non plus juris habere in papatu, quam diabolus in paradiſo poſſideat: ſed errorem ſuum, quem diu tenuerunt, honeſte volunt contegere.* Debuiſſent certe potius in veri Pontificis ſinum ſupplices redire, non illi abdicationem pontificatus imperare, quam licet eorum miſertus Pontifex eſſet amplexurus, antipapa tamen erat repudiaturus. Cæterum non auſus eſt initio Petrus e Luna de abdicanda ab utroque contendente dignitate conſilium ſpernere, quod ipſe recenter ſuggeſſiſſet, uti vidimus, atque Avenionenſia monumenta (b) teſtantur: *Dum*, inquiunt, *erat legatus in Francia tempore Clementis VII. in pluribus dixit & aſſeruit, quod per viam ceſſionis utriuſque erat finis ſchiſmati imponendus, aſſumptus ad papatum fecit hoc publicari in diverſis partibus mundi, & quod ipſe erat diſpoſitus pro tanto bono renunciare.*

(a) To. 13. de ſchiſm. p. 13.

(b) To. 10. de ſchiſm. p. 99.

Abdicatio commendata a Petro e Luna.

Ut itaque perjurii ignominiam a ſe depelleret, prædictorum oratorum, ſcilicet epiſcopi Anicienſis & Petri Blavi, quos ad Gallicam aulam miſerat opera, plures circa tertii Pontificis creationem difficultates propoſuit; utque erat vir admodum peritus, ad eas ſolvendas vafrum conſilium addidit, ut ſcilicet traheret moras, Galloſque deluderet, quibus alias difficultates, poſtquam has ſolviſſent, eſſet objecturus; ſuos enim internuntios hiſce fallacibus mandatis inſtruxit, quibus finxit imminere periculum, ne everteretur Eccleſia: *Unum eſt principale, in quo Dei cauſa & de toto ſtatu Eccleſiæ agitur, videlicet ne deveniatur ad longe pejorem caſum & ſtatum, quam ſit ſchiſma, quia poſſet adorari idolum ſuper terram: & iſtum articulum dicti nuntii, qui ſunt viri literati, bene declarent & imprimant cordibus quorumcumque ponendo caſum: nam ſi ut per multos ratiocinatur & multi videntur inclinari, aſſumeretur via, quod eligerentur in pari numero de utraque parte aliqui electores, & quod ſic electus ſecundum formam juris eſſet Papa, modo ponatur in facto, quod eliguntur duodecim veri Cardinales & duodecim pro parte intruſi, conſtat quod electi pro parte intruſi nullam vocem habent, nec jus eligendi: modo ſi quatuor de veris Cardinalibus concurrerent, vel accederent non veris Cardinalibus, electus a non veris Cardinalibus ad quem quatuor veri Cardinales concurriſſent, non eſſet verus Pontifex, & ſic eſſet adorare idolum in Eccleſia Dei, & ponere mundum in perpetuo errore, quia nec ipſe ſic electus, nec ſui ſucceſſores eſſent veri Romani Pontifices; & ſic introduceretur nedum ſchiſma perpetuum, ſed idololatria & error in articulo fidei: & pro tanto cogitaverunt domini in caſu quo via iſta pacificationis in certo numero cum adverſariis videretur expediens, quod ſit verus Papa, cujus authoritate eligant omnes veri, nam unus & verus Papa, & non verus dabunt authoritatem ſufficientem omnibus electoribus, & tunc ſic electus ex authoritate data per verum Papam omnibus, cum ſit electus a duabus partibus ſecundum jura, erit indubitanter verus Papa, & ſine aliquo errore: nam, ſi aliter fuiſſet factum, ſcit Deus quot ſchiſmata, & quot hæreſes pullulaſſent.*

Aſtutas difficultates proponit.

Fingit eccleſiam poſſe eſſe ſine vero Papa per utriuſque abdicationem.

Fingit idololatriam & hæreſim ubi nulla eſſe poteſt.

Ejus conſilio.

XIII. Aſtutia Petri e Luna.

Hæc jactabat ad ſpeciem antipapa, ut Gallos in obſequium ſuum ſpe conjunctionis eccleſiarum alliceret, ne forte repulſa exacerbati ad verum Chriſti vicarium ſe conferrent. Deinde eos apud Hiſpanos vo-



vocavit in crimen, ideo ipſius jugum excutere meditatos, quod neminem niſi Gallici generis Pontificem pati poſſent, fallacique opinione adeo irretiit Aragonios, ut patriæ amore nimio ad extrahendum ſchiſma ipſius patrocinium ſuſceperint, ut dicetur inferius, quamvis Gallos non hujuſmodi cauſa permotos conſtaret ex dictis, cum ante Petri e Luna creationem poſt Carolum Regem morbo percuſſum toto conamine ad reſarciendam eccleſiarum disjunctionem incubuiſſent: qua de re plures ſcriptores varios commentarios edidere, interque hos inſignis extat tomo octavo de ſchiſmate (a) ab epiſcopo Condomienſi elucubratus, quo Rex Carolus ad dandam operam, ut Chriſtiani orbis Eccleſiæ inter ſeſe conjungerentur, hiſce verbis ſollicitatur.

Gallos accuſat Pont. niſi ſui generis pati non poſſe.

(a) To. 8. de ſchiſm. p. 70.

*O princeps (b) cogita, & ſuper duces ſtabis; quid quid inquam cogitabis? profecto ut fiat (c) pax in virtute tua. Cogitas quod Rex es tu? recogita, ſi tamen diu vis fœliciter regnare, quod de te ſcriptum eſt: Rex (d) qui ſedet in ſolio judicii intuitu ſuo diſſipat omne malum. Cogitas quod Rex potens es? recogita quod potentior te eſt, per quem Reges regnant, quique depoſuit potentes (e) de ſede & exaltat humiles. Cogitas quod Rex magnus es? recogita majorem te eſſe quem adorabant (f) omnes Reges terræ. Cogitas quod principes ſubjectos habes? recogita quod ipſe eſt Rex (g) regum & Dominus dominantium. Cogitas quod ditiſſimus es? recogita quod Regnum (h) ejus non diſſipabitur; de te vero & Regibus aliis ſcriptum eſt: Hodie (i) Rex morietur. Cogitas, quod Rex dives es? recogita quia gloria (k), & divitiæ in domo ejus. Cogitas quod ſuperiorem in terris Regem non recognoſcis? recogita quod nihil (l) habes quod non accepiſti: igitur nec glorieris quaſi non acceperis (m). Cogitas quod Rex nobiliſſimus es? recogita quod me ſicut & te fecit Deus, de eodem luto ego quoque formatus ſum. Cogitas quod dominus es magnæ partis orbis? recogita quod filius ejus es, qui de nihilo (n) fecit orbem. Cogitas, quod innumerabiles populi, & nationes tibi miniſtrant & obſecundant? recogita quod nedum omnes populi, tribus, & linguæ, verum tota cœleſtis hierarchia hic miniſtrat ei (o), cujus es miniſterii. Ergo, Rex inclitiſſime, nemo te ſeducat inanibus verbis, nemo te ſeducat, ſed honora & imple (p) miniſterium tuum, quoquo modo certe ut per te pacem habeant & qui longe & qui prope, per te ſciſſura ſanctæ matris Eccleſiæ reſarciatur: matris, inquam, tuæ & omnium noſtrum communis, cujus uberibus enutritus exiſtis, ex cujus ore mel doctrinæ & lac regenerationis recepiſti, & pro fluvio Sanguinis lateris Sponſi ejus in cruce effuſi ornavit genas. Sit ergo tam ſua tam tua injuria, ſua injuria tua aſcende, o princeps aſcende ex adverſo & oppone (q) murum pro domo Iſrael, & præliare.*

(b) Ib. p. 27.

Adhortationes ad Galliæ Regem.

(c) Pſ. 21.

(d) Prov. 20.

(e) Luc. 1.

(f) Pſ. 71.

(g) Apoc. 19.

(h) Dan. 2.

(i) Eccl. 10.

(k) Pſ. 11.

(l) Epheſ. 2.

(m) Job. 33.

(n) Geneſ. 1. Joan. 1.

(o) Dan. 7.

(p) Tim. 4.

(q) 2. Mach. 5.



XIV. Propoſita divinæ ultionis exempla in ſchiſmaticos.

Urſit eumdem Regem ac ſtirpis Gallicæ principes acrioribus ſtimulis epiſcopus Condomienſis, de quo paulo ſupra memoravi, ut impigre removendo ſchiſmati operam darent, propoſitis (r) divinæ iræ exemplis in ſchiſmatum authores: *Veniat in mentem, Chriſtianiſſime Rex, compaſſio ad pericula imminentis ruinæ irreparabilis animabus, quoniam & ſi ſchiſmatis culpa in lege veteri hiatu terræ & igne purgata legatur, tamen & hoc ipſo evangelii tempore videmus ad oculum, quod pœna demonſtratur propter præſumptum majorem contemptum ad majorem criminis deteſtationem extenſa, dum terra, quæ prius paucos hujus ſceleris authores abſorbuit, modo talium criminis plurimos ſucceſſores & gravioribus culpis obnoxios ſuſtineat, quaſi propter peccatum & in pœnam peccati æternis ignibus devorandos, & videatur, ut ita loquar, extendi hujus pœnæ acerbitas nedum in actores ſcelerum, immo & in damnatorum, temporibus enim B. Auguſtini, qui obiit circa annum CCCCXLV.* Error chronologiæ, nam Card. Baronius anno CCCCXXX. obiiſſe demonſtrat in ejus anni hiſtoria (s), tum in notis ad Martyrologium Romanum, *Fere tota eccleſia Africana Donatiſtarum, & aliorum diverſorum ſchiſmatibus erat ſciſſa, ad quæ ſchiſmata & diverſas hæreſes ſedandas idem pater beatiſſimus multipliciter laboravit per epiſtolas, tractatus, libros, & alias diverſas ſcripturas in tantum, quod in hac materia inter cæteros doctores ſanctos eminuiſſe videtur, ut etiam ſummi Pontifices in tali materia dictis ejus fulciant & muniant eccleſiam, & ſe ipſos, ut patet XXIV. q. 1. providenda & ſchiſma. Cum ſi: & quoniam ad plenum ejus doctrina cum effectu non fuit recepta, in deteſtationem criminis videntur ſchiſmatici a Domino derelicti, quia uſque in hodiernum diem pene tota Africa de ſchiſmatibus in obſervantiam traditionum & legis Mahometicæ damnabiliter ſit ſubmiſſa.* Hæc verba eo deſcendebant altius, quo in hoc extremo ſchiſmate opinione omnium erat pervulgatum & Joannam Reginam Siciliæ, & Joannem Regem Caſtellæ divina ultione periiſſe: neque obſcurum cœleſtis ultionis argumentum eſſe Regis Francorum maniam: quæ lucida melioris haud tamen omnino confirmatæ mentis, intervalla ob id præſtabat, ut ad priſtinam Eccleſiæ pacem reſtituendam authoritatem adhiberet. Pergit oratio Condomienſis epiſcopi, qui obſervat magnam inſignium præſulum ſchiſma diſſolvere non curantium multitudinem e vivis ſublatam.

(r) To. 6. de ſchiſm. p. 78.

Chore & Abiron hiatu terræ abſorpti.

(s) Annal. to. 5. ann. 1309. n. 74.

Africana eccleſia propter ſchiſma exciſa.

Reges ſchiſmatis fautores a Deo percuſſi.

*Veniat iterum in piam mentem regiam compaſſive patens morum corruptio, ſpretus ju-*

Corruptelæ ex ſchiſmate conſecutæ.

*jurium, & abuſus clavium poteſtatis: ſi non verius penes non habentes claves illæ dicantur mallei ruptionis, diſperſionis, & perditionis æternæ; unde non ſine cauſa forſan infirmus ſuſurrat grex puſillus, quod irato Domino tot & tanti viri in mundo clari, non pacata matre ad alia intendentes, occaſione vel cauſa morbi hujus mortiferi ſchiſmatis de tot & tantis cathedris cum antea ſtare viderentur, inſperate & ſine laude ut plurimum ceciderunt: & quoniam adhuc idem morbus & eadem humanæ fragilitatis infirmitas propter illos, qui Domino propitio adhuc ſtant, videtur caſuum periculis ſine moræ diſpendio celeriter occurrendum, & gladio iræ dominicæ verus unitatis & charitatis clypeus opponendus, ne contemptores, ſive feriendos extra caſtra dominica reperiat diſertores. Occurrant etiam progenitorum & prædeceſſorum veſtrorum præclara merita circa ſinceritatem fidei & decus eccleſiæ manifeſta in orbe terrarum: ut quid enim Dominus miſit unctionem ſpiritualis ſapientiæ vobis & cæteris Regibus Franciæ, dum in perſona Clodovæi magni miſit cælitus per columbam ampullam chriſmatis, oleum viſibilis unctionis. Et ubi erit illic pretioſa margarita evangelica niſi expulſa rubigine a vobis exhibeatur expolita ſplendidior ſydere matutino, &c.*

Divina in prælatos ſocordes ira.

Domeſtica virtutum exempla Carolo propoſita.

XV. Internuntii a Boniſ. dimiſſi in Gallias.

Inter hos motus animorum, quos religionis aculei in Gallorum ſchiſmaticorum conſcientiis concitabant, Bonifacius in ſpem erectus veterem eccleſiarum tranſalpinarum conjunctionem redintegrari poſſe, Petrum patriarcham Gradenſem & Carolum Brancacium Campaniæ comitem pro concilianda concordia ad Gallorum Regem & Cardinales ſchiſmaticos oratores miſit (a), quibus in itineris ſumptus octingentos aureos a Beltramo ærarii apoſtolici in Inſubria præfecto numerari juſſit. Cum, inquit, *nos venerabilem fratrem noſtrum Petrum patriarcham Gradenſem referendarium noſtrum & dilectum filium nobilem virum Carolum Brancacium comitem Campaniæ ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Franciæ illuſtrem, & dudum S. R. E. Cardinales & alios in Avinione aſſiſtentes, & nonnullos alios principes pro unione ſanctæ matris Eccleſiæ, Deo cooperante, per eos tractanda & procuranda, & nonnullis aliis noſtris & ipſius Eccleſiæ negotiis præſentialiter deſtinemus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum XIII. kal. novembris pontificatus noſtri anno v.*

(a) *Boniſ. l. 3. ep. cur. pag.* 309.

XVI. Inſtructi ampliſſimis mandatis.

Ad ſternendam faciliorem concordiæ viam Pontifex Gradenſem patriarcham inſtruxit authoritate ut Gallos alioſque finitimos ſchiſmatica factione irretitos cenſuris ſolvere poſſet, conceptamque certis verbis formulam dedit (b), ex qua ipſos eccleſiæ Romanæ aggregaret.

(b) *Ext. l.* 3. *p.* 307.

*Venerabili fratri Petro patriarchæ Gradenſi referendario apoſtolicæ ſedis nuntio ſalutem, &c.*

Bonifacii ea de re diploma.

*Sedes apoſtolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis poſt exceſſum libenter ſe propitiam exhibet & benignam, cum itaque ſicut percipiemus, nonnullæ perſonæ eccleſiaſticæ tam ſæculares quam regulares & etiam laicales utriuſque ſexus in regno Franciæ ac in Avenionenſi, Pedemontium, & nonnullis aliis provinciis, locis, & partibus conſiſtentes damnatæ memoriæ Roberto olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbytero Cardinali & olim antipapæ, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominare præſumebat, etiam poſt & contra proceſſus per fœlicis recordationis Urbanum Papam VI. prædeceſſorem noſtrum contra ipſum Robertum & ejus fautores & ſequaces & eidem adhærentes factos, & ſolemniter publicatos, per quos idem prædeceſſor eundem Robertum velut hæreticum & ſchiſmaticum puniendum ſententialiter condemnavit, notorie adhærere & favere, dum idem Robertus ageret in humanis, damnabiliter præſumpſerint, ipſæque perſonæ divinæ gratiæ radiis illuſtratæ ad cor reverſæ, ac ſuos recognoſcentes errores, de præmiſſis dolentes ab intimis, ad noſtrum & Romanæ eccleſiæ gremium & fidei catholicæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ unitatem redire deſiderent, & earum aliquæ propter eximiam excellentiam, aliquæ vero propter viarum diſcrimina pro debita abſolutione obtinenda Romanam curiam nequeant commode perſonaliter viſitare, noſque ad dictum regnum & nonnullas alias partes & loca pro quibuſdam magnis & arduis per nos tibi commiſſis negotiis te perſonaliter deſtinemus, attendentes quod ſedis apoſtolicæ clementia pœnitentibus non conſuevit miſericordiam denegare, ac ſuper iis ſalubriter providere volentes, fraternitati tuæ, de qua in iis & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus per te, vel alium, ſeu alios, omnes & ſingulas perſonas hujuſmodi, quæ reſecatis & prorſus poſtergatis hujuſmodi erroribus, ad noſtram & dictæ ſedis obedientiam redire voluerint, ſi hæc humiliter petierint ab omnibus & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & aliis ſententiis & pœnis ſpiritualibus & temporalibus, quas propter præmiſſa incurrerunt, abjurato tamen per earum quamlibet in tuis manibus prius ſchiſmate, & præſtito fidelitatis debito de ſtando noſtris & Eccleſiæ mandatis juramento, juxta formam inferius adnotatam, injunctiſque ſingulis perſonis eiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari & aliis; quæ de jure fuerint injungenda, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvendi in forma Eccleſiæ conſueta, & cum illis ex perſonis prædictis, quæ eccleſiaſticæ fuerint, ſuper irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententiis aut earum aliqua ligatæ celebrando divina, aut immiſcendo ſe illis, vel in ſuſceptis ordinibus etiam in locis eccleſiaſtico ſuppoſitis interdicto & alibi etiam præſentibus ſchiſmaticis & excommunicatis miniſtrando, non tamen in contemptum clavium contraxerunt, perſonis tamen ipſis prius ad tempus, de quo tibi expedire videbitur, a ſuorum ordinum executione ſuſpenſis, diſpenſandi, interdicta quoque & pœnas quaſcunque alias ſpirituales & temporales ab homine vel a jure præmiſſorum occaſione in eccleſias & loca eccleſiaſtica quomodolibet promulgatas, & inflictas, relaxandi, ac omnes & ſingulas inhabilitatis, & infamiæ & alias quaſcunque maculas ſive notas per perſonas eaſdem præmiſſorum occaſione contractas penitus abolendi, plenam & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Forma autem abjurationis & juramenti hujuſmodi talis eſt.*

Plures Galli ſchiſmatis ejurandi ſpecimen præbent.

Propoſita redituris venia.



XVII. Formula damnandi ſchiſmatis.

*Ego ... comperto diviſionis & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar credendo, fovendo, & adhærendo damnatæ memoriæ Roberto olim baſilicæ XII. Apoſtolorum presbytero Cardinali olim antipapæ, qui auſu ſacrilego ſe Clementem VII. nominare præſumebat, dum ageret in humanis, ſibique & aliis credentibus, faventibus, receptoribus, adhærentibus, defenſoribus, complicibus, & & ſequacibus ejus & aliis per proceſſus apoſtolicos condemnatis præbendo auxilium, conſilium, vel favorem, & propterea nunc divina mecum deliberatione pertractans prona & ſpontanea voluntate ad fidem catholicam & unitatem ſedis apoſtolicæ, divina gratia reverſus fateor publice me erraſſe, & de præſenti tenere fidem catholicam & credere & tenere quidquid credit & tenet ac docet ſancta Romana mater Eccleſia, cui præeſt ſanctiſſimus dominus noſter dominus Bonifacius divina providentia Papa IX. & quod idem dominus Bonifacius fuit & eſt verus Romanus Pontifex & verus vicarius Jeſu Chriſti Petrique ſucceſſor canonice electus, inthronizatus, & coronatus, in Romanum Pontificem per Cardinales, ad quos vacante ſede per obitum ſanctæ memoriæ domini Urbani Papæ VI. electio, inthronizatio, & coronatio pertinebant; quodque damnatæ memoriæ Robertus præfatus olim Cardinalis Gebennenſis non fuit Papa, ſed antipapa, apoſtaticus & ſchiſmaticus manifeſtus; & quod illi, qui ſibi adhæſerunt, faverunt, & crediderunt, fuerunt & ſunt veri apoſtatici, excommunicati, anathematizati, ac diviſi & ſeparati a communione fidelium & ab unitate ſanctæ Eccleſiæ, & tanquam hæretici puniendi, ipſoſque ut tales fuiſſe & eſſe juſte & ſancte de ſchiſmate, credentia, fautoria, adhæſione, ſequela & erroribus prædictis condemnatos, ac incidiſſe in pœnas & ſententias tam a jure, quam ab homine, in talia perpetrantes inflictas & promulgatas in dictis proceſſibus contentas & declaratas. Et ne ſimulate reverſus extimer ſub honoris mei caſu & anathematis obligatione, & ſub pœna, quæ relapſis a jure vel ab homine imponi debet, anathematizo & abjuro omnem hæreſim & ſchiſma extollentia ſe adverſus S. R. E. & præfatum dominum noſtrum Bonifacium & damnatum ſchiſma, credentiam, & adhæſionem præfati olim Roberti, & me ad eadem hæreſim & ſchiſma, de quibus Redemptoris noſtri gratia ereptus ſum, nunquam reverſurum; ſed ſemper me in fide & unitate ſanctæ Eccleſiæ catholicæ, cui præeſt præfatus dominus noſter Bonifacius divina providentia Papa IX. manſurum: ac ſponte promitto, vere & non ficte, ſed voluntarie & ſincere juro ad ſancta Dei evangelia corporaliter per me tacta, quod ſtabo & parebo mandatis Eccleſiæ & dicti domini Bonifacii Papæ, ſuper hujuſmodi exceſſibus, rebellionibus, fautoriis, & cœteris pœnis ac ſententiis, quas ob præmiſſa & ea tangentia incurri, & quod domino noſtro Papæ & ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus obediens & fidelis de cætero ero, & eis reverentiam debitam exhibebo. Non ero in conſilio vel tractatu quod vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione, conſilium quod mihi creditur, ſive per nuncium vel literas ad ipſorum damnum vel præjudicium ſcienter nemini pandam vel communicabo; & ſi ſcivero fieri vel tractari aliquid, quod in ipſorum damnum vel præjudicium vergat, illud pro poſſe impediam, ne fiat; etſi id per me impedire non potero, hoc eis aut alii ſeu aliis, per quem vel quos id credam ad notitiam ipſorum pervenire, perſonaliter vel per literas aut per inimicos ſignificare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri ac jura & juriſdictiones præfatæ Romanæ eccleſiæ, dicti domini noſtri Papæ majeſtatem ac honorem & ſtatum illæſos manutenebo totis viribus & defendam, ac juvabo ad illos recuperandum & recuperatos manutenendum contra omnes homines, & ſpecialiter contra quoſcumque hæreticos & ſchiſmaticos antefatos cujuſcumque præeminentiæ, ordinis, religionis vel ſtatus exiſtant etiam ſi pontificali, regali, ſeu reginali, ſeu quavis alia præfulgeant dignitate, eccleſiaſtica vel mundana, etiamſi fuerint dictæ S. R. E. Cardinales contra quoſdam per dictam eccleſiam denotatos vel in poſterum denotandos, quandiu extra gratiam & communionem dictæ eccleſiæ permanebunt, nec cum præfatis ſchiſmaticis & rebellibus, vel eorum complicibus, fautoribus, & ſequacibus, quandiu ſtabunt in rebellione dictæ Eccleſiæ, ſeu aliis hæreticis & ſchiſmaticis & rebellibus, aut illorum fautoribus & ſequacibus per dictam Eccleſiam denotatis deinceps ero, ſeu quibuſcumque aliis contra dictam Eccleſiam & dominum noſtrum Papam dabo auxilium, conſilium, vel favorem per me ſeu alium vel*

Sacramentum de tuenda eccleſia Romana.

*vel alios directe vel indirecte, publice vel occulte, nec ab aliis [quantum in me fuerit] ſi id impedire potero, præſtari ſeu dari permittam, nec cum dictis ſchiſmaticis, apoſtaticis & rebellibus aut quibuſcumque aliis in rebellione præfatæ Eccleſiæ exiſtentibus contra ipſam eccleſiam colligationem vel conſpirationem faciam ſive ligam, ſed eos & eorum quemlibet juxta tenorem proceſſuum prædictorum pro poſſe meo perſequar & invadam, donec convertantur & revertantur ad gremium eccleſiæ memoratæ. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum* XVI. *Kal. novembris, pontificatus noſtri an.* V.

XVIII. Cur ſchiſma propagatum.

At licet Gallos, alioſque ſchiſmatis gravis religio angeret, ipſos Romanæ eccleſiæ ſinu & Chriſti grege ſegregatos eſſe, ad omnes tamen e populorum animis evellendos conſcientiæ ſtimulos cenſebant tum a Pontifice, tum ab antipapa ponenda honoris pontificii inſignia, ut in tertio communibus creato ſuffragiis pars utraque ſacro fœdere conjungeretur, uti jam dictum eſt, atque inferius magis illuſtrabitur, tum etiam Galli hac ratione defectionem fateri defugiebant, parique cum catholicis honore potiri rei politicæ conſulebant. Horrendam vero pepererat in Galliis ſchiſma conſcientiarum perturbationem, quam deſcribit Joannes Gerſon (a) teſtis oculatus his verbis: *Si ſententiæ diverſæ ſint inter vos, ut humana fert fragilitas [quoniam incertæ ac timidæ ſunt providentiæ noſtræ, præſertim ubi variatur narratio in eis, quæ facta ſunt] numquid propterea contentiones odioſæ regnabunt inter vos? numquid exemplo muliercularum res injuriis peragetur? nonne ſalubrius eſt & Chriſtiano dignius vinci a bono, quam malo vincere? immo hoc peſſimum eſt, illud optandum. Credite mihi, pax male per ſchiſma quæritur, non utiliter injuria injuriis, ſic nec calliditas calliditate, nec morbus morbo repellitur, aut ſanatur. Si propterea contentiones & rixæ ſint inter vos, nonne carnales eſtis? Ego quidem dico, quod unuſquiſque veſtrum dicit: Ego ſum Benedicti, ego ſubtractionis, ego neutrius; & quod evenire ſolet inter oves, dum cæca nocte prædator lupus irruerit, fugiunt, pars hæc fauces lupi neſcia incurrit, hæc in oppoſitum parietem impingit, hæc nullo certo vagatur attonita. Non aliter ſpiritu quodam vertiginis agitatur cœtus Eccleſiæ: pars palpat velut in tenebris, ignorans quæ petat: pars ambulat in circuitu: pars ſiſtit expectans lucem veritatis certam de tenebris ſplendeſcere: pars neque ſcit neque novit quidquam agere, nihilominus ipſa & agentes utrinque ridens dijudicat.*

(a) Jo. Gerſ. in Trilog. in materia ſchiſmatis.

Trifariam diviſi Galli.

*Alios rapiunt & tranſverſos agunt paſſiones variæ peſſimæ conſiliatrices ira, odium, invidia, cupiditas, ambitio, timor, & ſimiles; adeout pro perſonis perſequendis ſincerus amor pacis, & sereniſſima veritatis amicitia deſerantur, aut impugnentur: quo facinore quale aliud execrabilius cogitari poſſit nequaquam invenio. Per tales ſi non obviatum extiterit, exponetur fides diſcrimini ſi ſuis literis fidentes, ſieas inſtrumentum ſuarum paſſionum efficere molientes, determinaverint aut aſſeruerint [levius dubito] in hanc vel illam partem ea, quæ melius intractata manerent, ut ſi diceretur Papam non eſſe caput univerſale Eccleſiæ jure divino, Papam non expedire eſſe unicum pro Eccleſia, Papæ paſſim in facie reſiſtendum eſſe, paſſim & ab eo appellandum: vel ex adverſo ſi quis aſſereret, quod in nullo caſu Papæ dicere liceret: Cur ita facis? & ſimilia. Quoſdam præterea videre eſt, qui tanta animoſitate ſuis aut cœptis aut conſiliis inhærent, ut nullis ad oppoſitum rationibus, nulla incommodorum experientia flecti poſſint: malunt omnia ſecum ruere, omnia frangi vel turbari, quam pedem retro flectere a via ſua, etiam invia, & ob hoc jam non via.* Ita ex cœpto a ſuperbis & deſperatis hominibus Pontifici parere detrectantibus ſchiſmate graviſſimum impendebat diſcrimen, ne Galli in varias prolaberentur hæreſes; ac non jam de contingenti facto an hic vel ille rite electus fuiſſet, ſed pontificium ſtatum a Chriſto inſtitutum evertere aggrederentur, niſi divina miſericordia poſt varios turbines priſtinam ſerenitatem reſtituiſſet.

Hæretica dogmata ventilari cœpta.

Facilis lapſus e ſchiſmate in hæreſim.

XIX. Franciſc. archiep. Burdeg. in Hiſp. legatione confirmatus.

Porro Bonifacius Gallos, uti ſperaverat, in Eccleſiæ gremium revocare non potuit: cujus etiam labores pro Hiſpanis Chriſti gregi aggregandis exantlati fruſtra conſumpti fuerant: creaverat jam ante in Caſtella, Legione, Aragonia, Navarra, Aquitania, & Vaſconia, apoſtolicos internuntios, Franciſcum archiepiſcopum Burdegalenſem & epiſcopum Aquenſem: [1] ſed

NOTÆ [1] INſignes in Gallia cœtus anno iſto habitos in cauſa ſchiſmatis, quos ex Urſino hic memorat Annaliſta, vix alios fuiſſe puto ab illo Gallicanorum præſulum conventu, cujus acta ex Dacherii Spicilegio to. I. pag. 771. nov. edit. in Labbeanam collectionem to. XV. col. 903. &c. edit. Venet. relata ſunt. Sed male in hunc annum 1394. rejecta fuiſſe ex eo diſcimus quod præſules Februario ineunte, ipſa Purificationis S. Virginis feſta die coiverunt Petro de Luna Avenione jam Pontifice. Cum igitur Petrus hoc ipſo anno labente cœperit, ut in nota præcedenti animadverti, dies illa Februarii, cum Pontificatu Petri de Luna nonniſi cum ſequenti anno quo veteri Gallorum ſtylo adhuc annus 1394. cenſebatur, componitur. Porro Concilium hoc poſt aſſumptionem Petri de Luna conveniſſe diſcimus ex inſtrumento de legatione a Petro de Luna ad Ca-



ſed cum hic poſtremus vita functus eſſet, ambigique potuiſſet an ex collegæ obitu ejus authoritas abrogata eſſet, novo diplomate illum in priſtino munere confirmavit (a), ac pium ardorem in abducendis a ſchiſmate Hiſpanis adhibere juſſit.

(a) *Lib.* 3. *ep. cur. p.* 246. *&* 248.

*Bonifacius, &c. Nuper, magno cum gaudio tam literis tuis quam pluribus referentibus per nos accepto, quod almifica, cujus cauſa agitur, inſpiratione, ac nonnullorum principum & magnatum aliorumque fidelium & devotorum noſtrorum laudabilibus operationibus regna & partes prædictæ [ſcilicet Caſtellæ, Legionis, Aragoniæ, Navarræ, Cataloniæ, & Aragoniæ] ab hujuſmodi errore in quo eidem Roberto antipapæ adhærendo, proh dolor! involuta exiſtunt, divina gratia illuſtrata reſilire & ad noſtram, & dictæ Eccleſiæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam redire peroptime erant, prout ſunt diſpoſita, & quod iidem principes, magnates, & alii fideles & devoti noſtri circa hujuſmodi tam laudabilem reductionem diſpoſiti erant attendere &, Deo propitio, eum optato effectui demandare, nos matura & frequenti deliberatione ac digeſto conſilio præhabitis, te utique hujuſmodi reductionis, ut nobis experientia innoteſcit, ferventiſſimum zelatorem & rerum hujuſmodi agendarum experientia comprobatum ad regna & partes, ut principes & magnates & alios fideles & devotos pro hujuſmodi tam laudabili reductionis proſecutione providimus perſonaliter deſtinandum, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum* VIII. *Kal. maii, pontificatus noſtri anno quinto.* Amplexi ſunt Hiſpani Gallorum ſententiam, nimirum non in Bonifacii, ſed in illius tantummodo, qui ab utraque parte æmula univerſæ Eccleſiæ præfectus fuiſſet, obſequium procumbendum.

Oſtenſæ ſpes de Caſtella, Navarra, & Aragonia a ſchiſmate revocandis.

XX. Cur Hiſpani ad Bonifacii obſequium non redierint. Duo Reges Neapolit. regnum partiuntur.

Dum ita in Galliis & Hiſpaniis legationibus verborumque concertationibus res gerebatur, certatum eſt igne & ferro in Neapolitano regno, in quo oppoſiti invicem Reges firmare ſolia contendebant; anxiuſque admodum Bonifacius, ut Ladiſlaus regnum contra Ludovici ſchiſmatici potentiam recuperaret, religioſam militiam (b) indixit, quam archiepiſcopum Neopacenſem Apoſtolicæ ſedis internuncium, etiam in Dalmatia, Croatia, Bozna, & Sclavonia promulgare juſſit (c); quanta vero mala ex civili bello a ſchiſmaticis conflato in rem Chriſtianam redundarent, his verbis exponit: *Notorium eſt ubique, & utinam etiam degentes in extremis infidelium nationibus ignorarent, ne tam longe lateque apud infideles ipſos Chriſtianorum geſta ludibrio haberentur, quam protervis & obſtinatis auſibus ſchiſmatici & hæretici, fautores videlicet & ſequaces perditionis alumni Roberti olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyteri Cardinalis, nunc antipapæ, regnum Siciliæ & terram citra pharum, quæ Romanæ eccleſiæ juris & proprietatis exiſtunt, & etiam nonnullas civitates ac terras eidem eccleſiæ immediate ſubjectas invadere, occupare, & occupata detinere moliti ſunt hactenus & etiam totis viribus moliuntur. Datum Romæ apud S. Petrum tertio non. junii pontificatus noſtri anno* V. Refert Hector Pignatellus (d) Ladiſlaum tertio aprilis die exercitum Cajeta eduxiſſe, ac nona ejuſdem menſis ad Neapolim caſtra fixiſſe, obſidionem tamen XV. maii ſolviſſe, cum Gallorum quatuor auxiliares triremes Neapolitanum portum liberum explicuiſſent, ut commeatus obſeſſis inferrentur.

(b) *Ib. ep. cur. pag.* 259.

(c) *Ead. pag.*

(d) *Hector. Pign. in Diar. Neapol. & Summont. in hiſt. Neapol. in Ladiſl.*

XXI. Malateſtæ perfidia & graſſationes.

Nec turbarum extitit expers ditio eccleſiaſtica, in qua Pandulphus Malateſta, qui pontificiis beneficiis in dies auctior ad majores injurias Eccleſiæ reponendas creſcebat audacia, Tudertum ſuæ tyrannidi ſubjecerat, ut dictum eſt, cui intentatum (e) judicium eſt a Bonifacio; quod cum uſus clementia extraheret (f), ut perduellem hominem ad officium reduceret, is in ſcelere obfirmatior Narniam, cujus turbæ paulo ante pontificia diligentia (g) ſedatæ fuerant, ad defectionem traxit (h), Spoletanum & Interamnenſem agros hoſtili populatione vexavit, Britones ac ſchiſmaticos in civitatem Ortanam induxit, ferrumque & ignes per plura eccleſiaſticæ ditionis loca circumtulit: ob quæ, cum judicio poſtulatus ſiſtere ſe Apoſtolicæ ſedi detrectaret, perculſus eſt anathemate atque omnibus pœnis, quibus antea ſolutus fuerat, illaqueatus, exauctoratus muneribus omnibus, inuſtus infamia, juſſique fideles in eum manus inicere, atque addicere ſervituti: quæ ſententia VI. idus julii lata eſt (i). Conjunxerat cum Malateſta vires Biordus coactorum in ſocietatem latronum princeps, qui in Picenum excurſione facta in acie ceperat (k) provinciæ præſidem Andream Thomacellum Pontificis fratrem, Peruſioque erat potitus: ad quem liberandum Pontifex Auguſtinum epiſcopum Peruſinum juſſit in-

(e) *Lib.* 3. *p.* 219.

(f) *Ib. p.* 240. *&* 258.

(g) *Ibid. p.* 253. *&* 254.

(h) *Ib. p.* 278.

Pontificis edictis perculſus.

(i) *Ibid.*

Biordus latronum princeps.

(k) *Theod. a Niem. l.* 2. *c.* 15.

NOTÆ Carolum VI. miſſa vulgato a Martenio veter. mon. to. VII. inter acta prævia ad Concilium Piſanum col. 458. Ibi enim legatio hæc miſſa dicitur ad regem anno primo Benedicti, tum ſubditur. *Præfatus rex ſuper hoc matura deliberatione præhabita mandavit archiepiſcopis &c. ut in feſto Purificationis ad ipſum Pariſiis intereſſent.* Animadvertendum inſuper cenſeo in eodem inſtrumento catalogum exhiberi Patrum hujus Concilii multo, quam qui apud Labbeum, accuratiorem. MANSI

(a) Bonif. l.3. pag. 232.

(a) incumbere, aurumque ad id neceſſarium tum a toparchis eccleſiaſticis, tum ab aliis, qui aliquo ære obſtricti Eccleſiæ eſſent, cogere juſſit; data vero auri vi redemptum Andream ex hoſte, refert Theodericus e Niem (b).

(b) Theod. e Niem. l.2.

(c) Pign. l.5. S. Anton. 3.p. tit.22. c. 2. §. 21.

(d) Bonif. l.3. p.267.

Ferrarienſis præfectura notho Ateſtino collata.

Contulit (c) hoc anno Pontifex jure fiduciario Ferrarienſem principatum ad decennium conſtituto annuo decem millium aureorum cenſu ac vectigali militari conſueto, Nicolao Ateſtino marchioni, ex impuro thoro procreatus, eſſet cum nulli legitimi liberi nuper functo vita Alberto ſuperſtites eſſent: quod jam ante ex pactionibus a Gregorio XI. initis, atque a Bonifacio IX. confirmatis (d) cautum fuerat. Acceſſit vero Nicolai undennis nomine Antonius e Monte Catino juriſperitus, ac ſponſionem clientelarem de more præſtitit, de quo ampliſſimum diploma extat pridie non. julii pontificatus anno v. exaratum (e): ſingulaſque in eo contentas pactiones interiecto duorum circiter menſium intervallo Nicolaus marchio, confectis XVII. die ſeptembris publicis tabulis, (f) ratas ſe habiturum ſacramento ſpopondit.

(e) Ib. Plura oppida abalienata a Bonif.

(f) Ext. apud Bonif. l.3. p.729.

XXII. Internuntii in Angliam.

In Anglia nondum compoſitæ erant veteres de violato regia licentia jure eccleſiaſtico controverſiæ, ad quas conciliandas Bartholomæus Novarienſis epiſcopus hoc anno miſſus fuit (g): creatus (h) etiam in eodem regno eſt nuntius Franciſcus e Cappanago prior domus cui S. Martini ſenis nomen eſt, a quo cum antea regii ſigilli præfectus ſacramentum extorſiſſet, in quo nonnulla juri pontificio adverſabantur, ſervandi illius religione ſolutus eſt. Quæ vero ea eſſent, ex iis quæ a Pontifice deſcribuntur colligitur, dum ita illius ſacramenti formulæ ſingula capita perſtringit (i).

(g) Bonif. l.3. p. 276.

(h) Ib. p. 394.

(i) Ibid.

*Bonifacius &c. Venerabilis frater noſter archiepiſcopus Eboracenſis chariſſimi in Chriſto filii noſtri Richardi Regis Anglorum illuſtris cancellarius aliud juramentum priori juramento de directo contrarium in quibuſdam a te, quamvis a principio renitente exigere & extorquere curavit, inter cætera conſtituens, quod dicto Regi & coronæ regni Angliæ fidelis eſſes, & ſi ſentires aliquid contra fidelitatem ipſorum Regis & coronæ, his te opponeres juxta poſſe, eaque dicto Regi & ejus conſilio revelares, nihilque contra leges dicti regni attentares: requiſitus quoque pro parte dicti Regis fidum dares conſilium; & ſecreta nemini revelares; contra promotos vero per dictum Regem ſeu contra aliquem prædeceſſorem hujuſmodi promotorem annatæ, ſeu fructuum primi anni beneficiorum quorumlibet promotorum & prædeceſſorum eorumdem nullos proceſſus faceres, nec de beneficiis vigore gratiarum apoſtolicarum expectativarum adeptis per quoſcumque, qui hujuſmodi gratias a ſede apoſtolica obtinuiſſent, & annatam ſeu fructus peteret & exigeret primi anni, nec etiam ſpolia decedentium prælatorum: inſuper Apoſtolicas literas vel quorumvis dictæ ſedis officialium per te publicandas, aut executioni demandandas nullatenus publicare tentares vel exequereris, niſi eas prius præfato Regi vel ejus conſilio præſentares; neque aurum vel argentum extra regnum Angliæ mitteres, nec de ipſo regno ſeu dominio dicti Regis vel ejus conſilii prædictorum.*

Nonnulli proceres infecti hæreſi eccleſiaſticos infectantur.

(k) Vualſin. in Rich.2. hoc anno & in Ypodigm. Neuſtri. Hicolaus Harpſf. in hiſt. Vuiclef.

Ex his patet quam a Richardo Rege jus pontificium in conferendis ſacerdotiis labefactatum fuerit. Obſervat vero Walſinghamus (k) nonnullos proceres Wicleffi erroribus imbutos ad ordinem eccleſiaſticum proterendum, ac ſacra omnia conculcanda cum Rex adulto jam anno Hibernicam expeditionem iniiſſet, magna contentione aſpiraſſe: ſed de his, quos author Lolardos vocat, ſequenti anno compreſſis inferius agemus. Tradit idem ſcriptor antequam Richardus in Hiberniam traiiceret, Annam Reginam defunctam fuiſſe, ejuſque exequias Arundellæ comitis cruore in Weſtmonaſterienſi eccleſia ab Rege irato funeſtatas; additque ducem Lancaſtriæ quadriennales inducias cum Gallis regio nomine pepigiſſe, & Scotos hujuſmodi beneficio potitos ea lege, ut vetere inſtituto Anglorum ſupremo imperio obnoxios ſe agnoſcerent; geſtas vero in oriente res memorabiles perſtringit (l) his verbis:

(l) Vualſing. ubi ſup.

XXIII.

* Bajazetes.

*Anno Domini MCCCXCIV. [qui eſt annus Regis Richardi a conqueſtu decimus ſeptimus] * Morettus de Turcia vallavit obſidione civitatem Conſtantinopolitanam; ſed obſeſſorum probitate repulſus eſt.* Uſos Turcas Chriſtianorum diſcordiis turbulentis hiſce temporibus ad Mahometanam ſuperſtitionem proferendam, evertendamque religionem non modo teſtantur hiſtorici, verum Bonifacius deplorat, eo ipſorum aſſurrexiſſe potentiam, ut regnum Hungariæ quaterent, nec protererent modo Græcos, ſed Achajam & ducatum Athenarum barbarica populatione fœdarent, tum in Boſnam, Croatiam, Dalmatiam, & Sclavoniam excurrerent. Quibus malis permotus Pontifex Joanni archiepiſcopo Neapocenſi A. S. N. provinciam dedit (m) ut in iis regnis crucis ſigna attolleret in Turcas, fideleſque ad religioſam militiam accepto crucis ſymbolo profitendam, propoſita ampliſſima criminum venia, concitaret.

Turcæ latius tyrannidem proferunt.

(m) Lib.3. ep. cur. p. 261.

*Venerabili fratri Joanni archiepiſcopo Neopacenſi Apoſtolicæ ſedis nuntio.*

*Cogimur ex debita charitate, qua cunctos Chriſto fideles cum omni ſinceritate complectimur, amariſſime dolere, & dolorem noſtrum in publicum deducere quod noviſſimis diebus ad flagellum Chriſtianorum*





Irrumpunt in Pannoniam, Dalmatiam, Serviam, & Achajam.

*peccatis exigentibus, ſævitiam & multitudinem eorum infidelium immaniſſimorum hoſtium, quos vulgus Turchos appellat, in ſimul congregavit & armavit impietas, qui nomen invocantium Chriſti finitimas illas partes, utpote opulentiſſimum & victorioſiſſimum quondam Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, & Sclavoniæ regna, ac principatum Achajæ, ducatum Athenarum, & nonnulla alia Chriſtianorum loca circumpoſita rabie quadam invadunt, diſcurrunt, &, prout eorum impietati fælicitas favet, ſibi ſubigunt; & illos miſeros Chriſtianos, qui earum in manus incidunt, aut crudeliſſime trucidant, aut exquiſitiſſimis tormentorum generibus afficiunt, vel abducunt in miſerrimam ſervitutem, & ad poſſe miſere cogunt negare fidem Chriſti & ſervare profanos & deteſtabiles ritus eorum: quæ poſſunt autem rapiunt in prædam; loca vero Chriſtianorum, quæ quovis modo demetunt, calamitoſis conditionibus affligunt, eccleſias & ſacras ædes polluunt & plerumque diruunt [& quod nefandius eſt] venerabile Chriſti nomen viribus totis conculcant, & væſanas meſquitas eorum cum celebritate erigunt, ut ſublata Chriſti veneratione in illis invocetur nomen damnatiſſimi Machometi. Horret animus talia reminiſci: ſed ad cumulum noſtri graviſſimi doloris accedit, quod tota Chriſtianitas, quæ in concordia poſita tot & majoribus malis ſalubriter poſſet occurrere, adverſus ſemetipſam vel patenti & parricidiali, & plus quam civili bello furit aut ſævit, aut ſicubi forſan quieſcere videatur animorum pernicioſiſſimis peſtibus, odiis videlicet acerrimis & ſimultatibus peſſimis, confunditur & tabeſcit. Propter quod cum ad retundendum furores hoſtium hujuſmodi non multi alii modi ad hoc utiles ad præſens utiles videantur, nos quorum permaxime intereſt fideles protegere & roborare, hoſtes vero præfatos eorumque conatus reprimere & elidere; & alias in præmiſſis ſalubriter providere, cum in iis agatur cauſa Dei, adverſus eoſdem hoſtes in virtute Altiſſimi inſurgere, & ad ipſam proſecutionem Chriſtifideles, principes videlicet, proceres, magnates, & inferiores perſonas decrevimus excitare.* Pluribus interjectis, quibus piis ſacram in Turcas militiam profeſſuris, ſubſidiariumve aurum in militum ſtipendia collaturis, ſacra indulgentiarum præmia elargitus eſt, addidit:

Chriſtianos fidem Chriſti deſerere cogunt.

Mahometicam ſuperſtitionem propagant.

Propoſitæ in eos arma correpturis indulgentiæ.

Miſſus internuntius in Boſnam Dalmatiamque.

*Cum autem te, qui ordinis etiam fratrum Prædicatorum profeſſor exiſtis, pro quibuſdam arduis negotiis ad Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, & Sclavoniæ regna præſentialiter deſtinemus, fraternitatem tam attente requirimus & monemus, tibi nihilominus diſtricte præcipiendo mandantes quatenus per te vel alios ad hoc idoneos in eccleſiis & locis in eiſdem Dalmatiæ, Croatiæ, Boznæ, & Sclavoniæ regnis conſiſtentibus, de quibus, ſi & prout tibi videbitur, diebus dominicis & feſtivis præmiſſa ſolemniter publicando & exponendo, ac per alios quos ad hoc deputaveris publicari & exponi faciendo, ut melius & clarius intelligatur, ab omnibus etiam in vulgari, principes, proceres, magnates, & perſonas ſupradictas, ac alios Chriſtifideles inſtantius & efficacius per verbum prædicationis & alias, prout expediens fuerit, inducere ſtudeas, ut ſuſcipientes cum reverentia per manus tuas vel aliorum per te ad hoc deputatorum venerabile ſignum crucis, illudque ſuis humeris & cordibus affigentes, ad perſequendam hujuſmodi cauſam Dei ac fidei & Romanæ eccleſiæ matris eorum viriliter ſe accingant, &c. Datum Romæ apud S. Petrum tertio non. junii pontificatus noſtri anno v.*

Fideles crucis ſymbolo in Turcas inſignire juſſus.

XXIV.

Ingraveſcebat in dies Turcica tyrannis; nam anno ſuperiori Bajazetes (a) Imperatorem Conſtantinopolitanum ad annuum decem millium aureorum pendendum vectigal, & ad dandum templum Mahometano ritu profanandum adegerat; hoc vero anno in Græcia Siliſtriam (b), & Empolim ſibi ſubjecit, Valachiæ deſpotam ad filiam ipſi proſtituendam, ut concubinarum numerum augeret, pluribuſque in finitima Chriſtianorum regna factis excurſionibus flammas latiſſime circumtulit, uti ſcurra Ætiops Bajazetis matri exprobrarit, ipſam genuiſſe filium titioni ſimilem, qui orbem incendiis vaſtaret. Cujus graſſationibus auditis Bonifacius, majores in Turcas contrahendas vires cenſuit, deditque provinciam (c) Joanni Dominico religioſo viro, ut in Alberti Auſtriæ ducis ditione, Tarviſinaque provincia Chriſtifideles in Turcas commoveret, ad quos pio ſtudio accendendos ita exclamavit (d).

(a) Hiſt. Muſulman. l. 5.

(b) Hieronym. Beck. in annal. Turc.

Bajazetes titioni comparatus.

Joannes Dominicus ord. Præd. vir inſignis.

(c) Ib. ep. 300. & 301.

(d) Super. p.300.

*Dilecto filio Joanni Dominico de Eugubio ordinis Prædicatorum profeſſori, & in ſacra theologia magiſtro.*

*Ad apoſtolatus noſtri aures nonnullorum fidelium populorum vehemens & amara valde querela pervenit, quod nonnullas Chriſtianitatis partes invaſit nefanda ac horrenda infidelium Turcorum videlicet multitudo, qui Deo mortui mundo vivunt, & in quibus tepeſcentibus membris ſola incaleſcit ſcelerum flamma, & ſola incentiva bulliunt vitiorum, ut vineam Domini Sabaoth valeant demoliri ac aliis locare agricolis, & inficere greges ejus, & [quod gravius eſt] dicunt adverſus fideles ipſos, quod ſcribitur: Vadamus & diſperdamus eos de gente, & non memorabitur nomen Iſrael amplius: & poſſideamus nobis ſanctuarium Dei ipſorum. O damnationis & iræ filii! O perditionis & calamitatis alumni! O ſemen Chanaam, ſemen nequam! Exurgat Deus & ſuos diſſipet inimicos; exurgat & veniat ut populum ſuum ſuſci-*

Sacram militiam promulgare juſſus.

*ret in confuſione prædictorum inveteratorum dierum malorum, & angelum ſuum, qui eos ſcindat, ſecetque per medium de alto ſolio ſuo mittat. Veniat populus Iſrael, & David rurſus leonem & urſum de grege Domini arietes tollentes occidat, & ſpurios ipſos in fontibus impudicitiæ ipſorum percutiat, ita quod in facies ſuas cadant: Exurgant inſuper Chriſti milites, Eccleſiæ filii, athletæ catholicæ fidei, peregrinas luſtrantes provincias, maria tranſeuntes, & regiones extraneas peragrantes, pro fidei dilatatione & defenſione præfatæ. Vociferat inſuper Eccleſia ululando anxia querela præfata patrocinia ſummi patris, & dicit :* Domine ſalva nos perimus ; *parique voce : ſuccurre princeps fidelibus & provide filiis pie Pater : ſparge rorem tuæ gratiæ ſupplicanti, quoniam tenebræ cooperuerunt terram, & caligo invaſit populos antedictos, & velut errantes oves paſtoris deſtitutæ cuſtodia luporum crudelium timent inſidias, & a rugientium leonum faucibus abſorberi paveſcunt. Decet ergo nimirum quod populus, qui ambulat in tenebris, & habitat in regione umbræ mortis; videat mundi luminaria. Excita potentiam altiſſimi tui throni, & effunde ſuper infideles ipſos iram tuam & indignatio iræ tuæ apprehendat eos; ut fiat habitatio eorum deſerta & in tabernaculis ipſorum non ſit qui inhabitet: Datum Romæ apud S. Petrum id. octobris pontificatus noſtri anno v.*

Plangit eorum graſſationes Pont.

XXV. Non Græciam modo, verum etiam alia regna crebris populationibus devaſtari a Turcis Bonifacio relatum eſt ; qui allicere quoque ad ſacri hujus belli ſocietatem Venetos ſtuduit (*a*), ac Joannem Dominicum, de quo paulo ante memoravi; inſtruxit (*b*) authoritate, ut non ſolum in Auſtria, Tarviſinaque provincia, verum in ditione quoque Veneta, Gradenſi patriarchatu & archiepiſcopatu Salisburgenſi cruceſignatam expeditionem contra barbaros, ad ſuo ſplendori aſſerendam religionem, promulgandam curaret. Quam vero infelix eſſet orientis & Hungariæ ſtatus invaleſcente ob ſchiſma infidelium ferocia, ex pontificiis flebilibus literis (*c*) ad eundem Joannem Dominicum datis; quarum partem ſubjicio, colligitur.

Veneti ad ſacrorum armorum fœdus ſollicitati.
(*a*) *Ibid. p.* 311.
(*b*) *Ib.*
(*c*) *Ibid. ep. cur. p.* 311.

*Bonifacius, &c. Nuper ad apoſtolatus noſtri aures nonnullorum fidelium populorum vehementi & amara valde querela pervenit, quod infanda infidelium paganorum & horrenda Turcorum gens nonnullas partes Chriſtianitatis, & maxime regni Hungariæ occupaverunt; & quod fideles & devoti partium prædictarum tot angariabantur preſſuris aſſidue, tot quotidie fatigabantur anguſtiis, & tot indeſinenter miſeriis affligebantur, quod deterior fidelium ac devotorum ipſorum conditio exiſtebat, quam eſſet olim populi Dei ſub jugo Pharaonicæ ſervitutis; de quibus lamentabatur regio illa triſtis de intolerabili perſecutione quam patiebantur, & lamenta multiplicans clamabat ad Chriſti vicarium, Chriſtianos principes, duces, comites, & barones & univerſam plebem catholicam interpellabat, eis quoque ſua vulnera detegendo, a quibus ſalutaria ſuffragia poſtulabat & expectabat. Datum Romæ apud S. Petrum tertio kal. novembris pontificatus noſtri anno v.*

Orientalium provinciarum infelix ſtatus

Hoc anno, ut tradit Joannes Mariana (*d*) in Caſtella Martinus Baruda Alcantaræ magiſter, una cum ſuis miſerrimam cladem a Mauris accepit, cum ſe ab eremita Joanne Sago, qui vitam in montibus a reliquo hominum commercio ſegregatam duxerat, magnamque apud vulgus ſanctitatis famam collegerat, illudi paſſus eſſet : is enim quaſi divino inſtinctu afflatus florentiſſimas victorias de Mauris, ampliſſimumque imperium pollicitus eſt, cujus verbis ſubornati viri ſimplices religionis propagandæ ſtudio incenſi ad quinque millia peditum & equites trecentos in Maurorum terras incurrere; in quos Granatenſis Rex centum viginti millia peditum, equitum quinque millia eduxit, atque multitudine oppreſſos pecudum inſtar mactavit. Cæſus inter eos eſt Alcantaræ magiſter, qui etiam Granatæ Regem antea provocarat ad monomachiam, vel ad viginti, aut triginta, aut centum equitum dimicationem, propoſita hac lege, ut ea vera religio cenſeretur, quam profiterentur victores : quæ veluti temeraria a barbaro jure repudiata eſt; idem inani gloriola abreptus inſcribi ſepulchro juſſerat in omni periculo ſe timoris expertem fuiſſe : quam inſcriptionem cum legiſſet poſtea Carolus V. riſit amentiam hominis, addiditque arbitrari ſe illum nunquam ardentem candelæ favillam digitis reſtrinxiſſe. Poſt hanc cladem imminebat grave periculum, ne victoria elati Mauri in Caſtellam excurrerent : ſed placati a Caſtellæ Regis oratoribus, quod vir fœdifragus violati fœderis pœnas dediſſet cum ſuis, bello abſtinuere.

XXVI.
(*d*) *Marian. l.* 19. *c.* 3.
Eremita impoſtor.
Magiſter Alcantaræ ab eo deceptus.
Cæſus cum ſuis a Granaten.





I. ANno ſalutis humanæ milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto indictione tertia decrevit Carolus Francorum Rex (*a*) ampliſſimos oratores Biturigum & Burgundiæ duces patruos ſuos, ac fratrem Aureliæ ducem ad Petrum e Luna antipapam, ut ſua illum auctoritate ad ponenda pontificii honoris inſignia, reponendamque Eccleſiæ funeſto ſchiſmate laboranti concordiam flecterent; nam Petrus, ut vidimus, in conclavi ſacramento ſpoponderat conjunctionem eccleſiarum ſe proſecuturum, abdicatis etiam pro ea conglutinanda, pontificiis apicibus, quod pariter narrat Juvenalis Urſinus (*b*) : ſed dolo Avenionenſes Cardinales adegerat, ut rem arcanam tenerent, ne Bonifacium Pontificem in retinenda dignitate confirmarent. Cæterum principes, de quibus paulo ante memoravi, inania tantum a perfido homine, difficilis cujuſdam compromiſſi ambages obtrudente, verba retulerunt, ut ſubjecta ipſius monumenta (*c*) demonſtrant.

(*a*) *Theod. e Niem. l.* 2. *c.* 23. *S. Anton. tit.* 22. *c.* 3. §. 2. *Paul. Æmil. l.* 10. *& alii.*
Decreti principes ad antip. ut eum ad pacem eccleſiæ reponend. flectant.
(*b*) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI.*
Illuſi fallaci reſponſo.
(*c*) *Ext. to.* 10. *de ſchiſm. p.* 90.

II. *Prima reſponſio facta dominis ducibus.*

Petri e Luna impoſtura.

*Ducibus duximus offerendum ſub hac forma, videlicet quod nos cum fratribus noſtris ex parte una, & adverſarius Eccleſiæ Dei cum anticardinalibus ſuis ex altera, in loco idoneo ad hoc eligendo, ſub fida & ſecura protectione dicti Regis, cui ad hoc opportunitas plus ſe offert, conveniremus perſonaliter pro tractanda &, Chriſto duce, conſequenda Eccleſiæ unitate, & tunc nos viam, ſeu vias convenientes panderemus, quibus optata unio in Dei Eccleſia celerius ſequi poſſet, quas aperire uſque ad mutuam conventionem hujuſmodi extimamus & credimus nullatenus expedire, immo illas publicare eſſet bono unionis perniciosum impedimentum afferre propter multa, quæ contra vias expreſſas machinari poſſent, illorum peſtilens & omnino præcavenda verſutia, qui zizaniam & ſcandalum potius, quam unitatem in Dei Eccleſia ſerere moliuntur, præſertim cum de intentione adverſarii, & ſibi adhærentium certitudo nulla penitus habeatur. Verum duces præfati præmiſſum modum, ſeu viam non acceptantes poſtea viam ceſſionis per nos & adverſarium prædictum faciendæ, pro parte dicti Regis, ſuique conſilii aperuerunt, nos requirentes quod prætermiſſis omnibus viis alias tactis & motis, hanc tantummodo acceptare vellemus. At nos attendentes quod dicta via ceſſionis pro ſedandis ſchiſmatibus, nec a jure ſtatuta, nec a ſanctis patribus hactenus fuerat in Dei Eccleſia caſu ſimili practicata; quinimmo, ut in geſtis Romanorum Pontificum & alibi legitur, ut non conveniens aliquo modo repulſa, ne in acceptatione viæ hujuſmodi in tanto Dei & Romanæ Eccleſiæ, ac omnium fidelium negotio quicquam indigeſte & improvide de novo forſan attentaretur, quod poſſent non ſolum in Dei offenſam, damnum Eccleſiæ, exempli perniciem, contemptum clavium, & cenſuræ ac libertatis Eccleſiæ læſionem; ſed etiam in ſcandalum prælatorum & aliorum catholicorum principum, Chriſtique fidelium omnium qui veritati & juſtitiæ partis noſtræ adhæſerunt hactenus & adhærerent, ignominiam redundare; ac ne ex hoc, quadam vulgari opinione, pertinax obſtinatio adverſarii prædicti, ſuorumque ſequentium in majoris obdurationis accenderetur perniciem & augmentum; & ne, quod abſit, parti juſtitiæ noſtræ aſcribi contingeret, quod propter diffidentiam juris noſtri hæc via ceſſionis, aliis viis prætermiſſis, a noſtræ obedientiæ filiis nobis oblata, & per nos inconſulte acceptata fuiſſet, cum ſuſpecta ſint abjicienda remedia, quæ cæteris ſunt periculis graviora, præſertim quia ex requiſitione reſignationis viæ per memoratos duces, ut fertur, generaliter facta de modo ceſſionis hujuſmodi & electione futuri Romani Pontificis, ac aliis plurimis præcedentibus & conſequutivis unionem ipſam, & ad eam neceſſariis inquirere apparebat; idcirco audita aperitione dictæ viæ ceſſionis petivimus modum procedendi & practicandi eandem viam per duces prædictos nobis explicari, ut apparere poſſet qualiter ex ipſis oblata Eccleſiæ unio ſequeretur, offerentes nos ſuper hoc deliberatione præhabita, ſine longa dilatione, vel quocumque temporis ſubterfugio taliter reſpondere, quod Rex & Duces præfati ac alii quicumque catholici deberent merito contentari; cum in hoc noſtra totalis verſetur intentio, ut per viam ſeu vias rationabiles, juridicas & ſalubres animabus finis dicto ſchiſmati imponatur. Quæ quidem reſponſio & petitio noſtra, non fuerunt a dictis ducibus acceptatæ, nec practica dictæ viæ ceſſionis nobis per ipſos extitit declarata.*

Supponit ſe de papatus jure certum eſſe.
Fallaces antipapæ argutiæ ne pontificales infulas ponat.
Pertinaciæ ſuæ culpam derivat in Bonifac.
Captat diffugia.

III. *Verum, licet nos in conſcientia, & quoad Deum certi ſimus de jure noſtro & veram notitiam habeamus, quia cum aliis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, interfuimus perſonaliter in conclavi Romæ & extra in aliis hujuſmodi factis, dum agebatur, in quibus ſtat veritas facti, & ex quibus jus oritur; nihilominus ut de nobis ipſis, & tactis ac expreſſis per nos rationibus ſupradictis juſtificatio, & ſatisfactio pateſiant non ſolum præfato Regi & ducibus, quos tam ipſorum, quam progenitorum ſuorum exigentibus præclaris meritis in viſceribus gerimus charitatis, prout nos & Romanam eccleſiam ad id teneri fatemur; ſed etiam cunctis aliis mundi principibus, ac omnibus Chriſtianæ profeſſionis fidelibus; & ne quiſquam nobis impingere*

Fallax ejus atteſtatio.

*valeat per eminentiam hujus ſtatus, quem [teſte Deo] non appetivimus, per alicujus nefandæ ambitionis vitium contendamus pertinaciter retinere, appareat pura & cordialis affectio quam ad unionem hujuſmodi habuimus & habemus continue, ac [diſponente Domino] habere intendimus inceſſanter; offerimus dictis Regi & ducibus aliiſque principibus, & toti populo Chriſtiano, noſtramque intentionem in hac parte declaramus, quod ſi per ſupradicta, per nos jam tacta & oblata, unitas Eccleſiæ haberi non poſſit, poſtquam, ut præfertur, convenerimus cum dicto adverſario, & ſequacibus ſuis loco prælibato, & cum conſilio fratrum noſtrorum, certas perſonas Deum timentes, & zelum ad unitatem Eccleſiæ habentes in certo numero eligemus, ut etiam adverſarius prædictus totidem perſonas pro parte ſua eligat, quæ ſimul convenientes cum electis a nobis, juramento primo præſtito per eoſdem de bene, diligenter, & fideliter procedendo in negotio hujuſmodi, ad ſolum Deum & Eccleſiam habentes reſpectum, amore, odio, & timore ceſſantibus quibuſcumque, infra certum terminum præfigendum auditis & examinatis facti & juris utriuſque partis rationibus, eiſque recta intentione diſcuſſis, prout qualitas negotii patitur & requirit, declarent quis noſtrum jus habeat in papatu, cum certa & ſufficienti ſubmiſſione,*

Jactat pariturum ſe arbitris ne quidem concilio œcumenico pariturus.

*de tenendo & obſervando quidquid per dictas perſonas, ut præfertur, electas vel earum duas partes declaratum fuerit, ſeu etiam definitum, adhibitis hinc inde proviſionibus in præmiſſis neceſſariis & utilibus, ſeu etiam opportunis, ad accelerationem & firmitatem negotii ad tollendum dubia & ſubmovendum impedimenta & ſcandala, quæ ex geſtis præterito tempore, per utramque partium, vel ex declaratione ipſa, etiam circa fatura, veriſimiliter ſequi poſſent. Et ſi per præmiſſa vel eorum aliqua finis hujuſmodi ſchiſmati [quod abſit] non valeret imponi, antequam partes ſine fructu optatæ unionis haberent ſe a conventione in loco prædicto facienda invicem ſeparare; offerimus nos eo caſu aperire, ſeu aperiendas recipere & proſequi cum effectu viam ſeu vias rationabiles, honeſtas, & juridicas, per quam, ſeu quas, ſine Dei offenſa, exempli pernicie, & eccleſiæ Romanæ ac fidelium ſcandalo,*

Blanditur ſuis mendaci ſponſione.

*finis conveniens imponatur ſchiſmati, & vera unio, ac ſincera tranquillitas in Dei Eccleſia poſſit haberi; & in præmiſſis omnibus ſic dare operam efficacem, quod ipſis Regi, ducibus, ac cunctis Chriſtifidelibus apparebit, quod per nos non remaneat, nec etiam remanebit, quominus Eccleſia Dei optatam conſequi valeat unitatem.*

(a) *Ext. to.15. de ſchiſm. p. 26.*

IV. Regis Caſtellæ ad Aragon.

Patefecit has antipapæ fraudes & diffugia Caſtellæ Rex in literis (a) ad Martinum Regem Aragonum ſuo loco afferendis. Coactos vero ſolemnes cœtus Pariſiis hoc anno pro conquirendis diſſolvendi ſchiſmatis rationibus, memorat Henricus Knygtonius (b). Addit Juvenalis Urſinus (c) ab Ægidio e Campis theologo propoſitas tres vias, nempe concilii œcumenici, compromiſſi, & ceſſionis. Repudiata autem eſt via concilii cum metuerent ne conflati temerario ſcelere ſchiſmatis fœditas omnibus gentibus pateret, ſi controverſia judicio ſynodali, ut par erat, committeretur, via compromiſſi ab impoſtore Petro obtruſa, ut fallax rejecta: via demum ceſſionis commendata, cum ita Galli eſſent honeſte redituri ad Eccleſiæ ſinum; ſed fefellit eos ſua expectatio, cum nec catholici Pontificem ad abdicationem cogendum cenſerent, nec tamen ſi ceſſurus foret, antipapa falſos honores, unquam eſſet poſiturus. Deluſi itaque concepta ſpe Galliæ Rex & ſanctioris conſilii ſenatores ad Germanos, ad Italos, ad Anglos ea de cauſa varias legationes miſere. Quod vero ab Anglis fidei in ſedem Apſtolicam gloria & conſtantia ſpectatiſſimis reſponſum ſit, tradit hiſce verbis prædictus Knygtonius (d): *Clerus*, Galliæ ſcilicet, *ſcripſit pro Clemente Papa ſuo Avenione, & ſcriptum munierunt ſigillo Pariſienſi univerſitatis: quod quidem ſcriptum Rex Franciæ Carolus tranſmiſit Richardo Regi Angliæ, ut in iis dubiis deliberaret cum conſilio cleri ſui. Igitur Rex Richardus fecit convocationem Oxoniæ de peritioribus theologis tam regentibus, quam non regentibus totius regni, qui ſcripſerunt pro Urbano Papa ſuo Romano, & ſcriptum ſignaculo univerſitatis Oxonienſis fortificaverunt Regiſque Richardi, & tranſmiſerunt Pariſius Regi Franciæ: ſed nihil ultra actum eſt de præmiſſis, utroque Papæ ſub umbraculo ſchiſmatis prævalentis ſe juſtificante;* quibus verbis auctor hiſtoriæ ſuæ finem imponit.

(b) *Knygton. de event. Aug.*

Catholici a ſchiſmaticis ut Pontificem deſerant ſollicitati.

(c) *Juvenal. Urſin. in Carol. V.*

(d) *Knygton. in chron.*

Angliæ Rex Oxonienſes doctores conſulit.

V. Petri e Luna faſtus.

Cum itaque ferrent acerbe Galli principes, obfirmato in pertinacia retinendi ſpecioſi honoris Petro e Luna ſchiſma convaleſcere, quod facile tolli potuiſſet, ſi univerſæ Eccleſiæ pacem umbratili dignitati prætuliſſet: qui mox Petrum Blavii aſſentatorem ſuum, S. Angeli anticardinalem renuntiatum, ut ejus eloquentia ad tegendam perjurii infamiam abuteretur, adhibuit ad ſcribendum commentarium (e), quo ille Biturigum, Burgundiæ, & Aureliani ducibus perſuadere niſus eſt, propoſitam a Petro e Luna compromiſſi rationem aptiorem ad redintegrandam eccleſiarum conjunctionem pontificii faſtigii abdicatione, quæ tum ab antipapa, tum a vero Pontifice ſuſcipienda eſſet; ex quo nonnulla decerpenda viſa ſunt, ut Petri e Luna ambitio, dolique magis pateant. In primis enim cum is in generali concilio ſuccubiturum ſe perti-

meſ-

(e) *Ext. to.7. de ſchiſm. p. 171.*

Anticardinalem creat Petrum Blavi.

Editus ab hoc commentarius pro antipapa.



meſceret, quod non modo maxima imperii Chriſtiani pars Urbano & Bonifacio adhæſiſſet atque adhæreret, verum etiam ipſi Galli & Hiſpani præſules & doctores magna ex parte Avenionenſium ſchiſma execrarentur, œcumenicum concilium, quod a Spiritu Sancto regendum foret, impie uti ſuſpectum defugit, atque cauſam in conventiculo paucorum ex utraque parte pari numero congregando dirimi voluit, in quo vel partem alteram poſſet corrumpere, vel damnatus arbitrorum ſententiam proterere: qui enim concilium Conſtantienſe ſprevit, cœtus ipſi adverſanti nunquam pariturus fuiſſet; conceptum vero eſt his verbis ejus (a) reſponſum.

(a) *To. 7. de ſchiſm. p. 171.*

*Licet*, inquit, *dominus noſter hoc ſolum, quod dictum eſt de mutua partium conventione in certo loco fienda, ut præmittitur, decreviſſet pro nunc aperiendum fore & publicandum ad hoc, ut facilius fieri poſſit partium conventio, cum oblatum in ſpecie ab una parte, altera, ut docet omnino experientia, ſuſpectum reputet, impugnet, & ſubire communi curſu recuſet, ob quæ rerum effectus ſolent impediri frequenter, ob etiam inimicitias, machinationes, & fraudes, quas effrænata quorundam malitia & cupiditas impleta adverſus vias in ſpecie publicatas adinvenire poſſent, attamen ne domino noſtro impingi poſſet, quod per generalia, quæ interdum ſuſpectu habentur, juxta ea, quæ le. & no. de do. & conju. c. cum dilecti, & de cauſa, c. veniens dirigere greſſus ſuos ſecundo loco, ubi per antedicta pacis unio haberi non poſſit; obtulit viam declarationis juſtitiæ fiendæ per perſonas in numero pari ab utraque parte eligendas, ſeu illarum partes duas rationibus tam facti quam juris partis utriſque infra certum terminum, prout patitur negotii qualitas, auditis & æqua lance diſcuſſis cum debitis & neceſſariis ſubmiſſionibus de tenendo & obſervando quidquid foret in præmiſſis declaratum pro una parte vel alia ad ſinceram & Deo placentem accelerandam unionem & ſtabiliendam in Eccleſia ſancta Dei, prout hoc latius in cedula ſuper iis tradita continetur: talis enim ſubmiſſio per Pontificem Romanum fieri poteſt, licet ad*

Falſum eorundem principium.

*illam cogi non valeat v. q. 5. mandaſtis, & c. auditum & 2. q. 7. nos ſi incompetenter. Hæc autem via, ſic ut præmittitur, limitata & de conſenſu partis utriuſque recepta vim & vicem obtinet generalis concilii jux. not. de elect. c. licet vitandæ quod concilium generale hic procurandum non eſt, tum quia verus Papa illi non ſubiicitur de*

Falſa ratio pro eo repudiando.

*elect. c. ſignificaſti & 21. d. c. nunc autem; tum etiam propter ipſius perplexitatem, difficultatem, & varias affectiones, quæ in illo intervenire poſſent.*

VI.

Adjungit ſchiſmaticus Cardinalis futiles argutias, ob quas via abdicationis repudianda ſit, & incipiendo a ſchiſmate, quod in veteri teſtamento contra Moyſen & Aaron conflatum eſt, in vanas ſubinde exclamationes prorupit contendens via juſtitiæ ſchiſma ſedandum eſſe; cum tamen aſpernaretur judicium œcumenicæ ſynodi, in qua juſta erat ferenda ſententia; tum plura ſubjecit vota, ut Francorum Rex Reges alios ad colendum idolum armis cogeret, tum falſam hanc concluſionem attulit: *Quamdiu alia ſunt remedia pro ſchiſmatis ſcandalo tollendo in rebus eccleſiaſticis, quæ ſunt ex neceſſitate conſervanda, & in quibus ex voto & ſpirituali vinculo gerere curam gregis Dominici quis ſtringitur, ceſſio locum non habet*. Interjectis nonnullis, quibus in Romanos Pontifices ſedentes Romæ ut vi intruſos deblaterat, addit, quamvis alii præſules ob plebis improbitatem debeant de ſtatu dignitatis recedere, id tamen non cadere in Romanum Pontificem, cum ea plebis nequitia impugnari fidem contendat, nec ſanctiſſimos antiſtites, ut B. Thomam Cantuarienſem ſe abdicaſſe: *In caſu*, inquit, *noſtro ſchiſmatici ex ſua malitia & fidem impugnant, cum ſchiſma contra Romanam eccleſiam includat hæreſim, ut 23. quæſt. 1. cap. inter. Impugnant etiam juſtitiam, & libertatem Eccleſiæ de qua habetur 23. diſt. c. in nomine Domini, & ideo ceſſio aliis viis indiſcuſſis hic locum non habet: ſed potius Papa pro juſtitia Eccleſiæ inſtare debet, & pro illa, ſtante malitia adverſariorum, martyrium ſubire, quam fugere vel renuntiare, ut probatur & ſanctorum dicta ſuperius allata, & pro iis omnibus facit divina auctoritas, qua cavetur ſcandalum phariſæorum non eſſe conſiderandum, ideſt illorum, qui ex malitia ſcandalizantur: & propter tale ſcandalum prælatus non debet cedere, ut dicit textus ad literam de renun. nec cum. §. pro gravi ſandalo in fi. etiamſi multitudo ſit in cauſa, ut not. gloſ. in eod. cap. §. propter malitiam, & probatur de pe. di. 6. c. 1. ad fi. 82. di. c. presbyteros: ſic diſtinguens in materia ſcandali, ut ſi oriatur ex malitia, & tunc veritas juſtitiæ non diſciplinæ attendenda eſt, & ſic nec ceſſio facienda. Si autem oriatur ex ignorantia, tunc tales ſunt informandi de veritate, & ſi veritati applaudere nolunt, in eis notatur malitia, & tunc idem quod in primo caſu: Et hæc diſtinctio facit contra adverſarios, qui in malitia permanent. Poſito quod hic ceſſarent aliæ viæ, ad ceſſionem procedendum non eſt manente parte adverſa in malitia & obduratione, in qua manet, cum non appareat, quod etiam per ceſſionem utriuſque velint Eccleſiæ unionem redire; & hoc conſiderato, cur petitur, ut verus Papa offerat aliis viis rejectis ceſſionem, cujus oblatio ſtantibus prædictis terminis indiſtincta eſſet impedimentum potius unitati, quam accelerationem afferens*. Et infra. *Su-*

Sophiſmata ceſſionem impugnantium.

Poſtulata ab iis juſtitia, ſed repudiata.

Congeſtæ calumniæ in verum Pontificem.

Argutiæ pro ſchiſmate propagando.

VII. Falſum Principium de non judicanda electione Papæ an ſit vera.

*Super his autem pie & diligenter advertens conſiderare poteſt in quantum dominus noſter, qui nullis in hac materia de neceſſitate ſubmittitur conſiliis, nulliuſque judicio, omnes ipſe judicans a nemine judicandus, de elect. c. licet in fi. & c. ſignificaſti* 21. *di. nunc autem.* 9. *q.* 3. *c. nono &* 14. *di c. ſi Papa, cum ſi pro bono unionis procurandæ ſe ſubmittat, humiliat, & quodammodo eminentiæ ſuæ dignitati detrahit, dum aliorum cognitioni ultroneæ ſe ſubmittit, quod nullus ſuorum prædeceſſorum in ſimili caſu feciſſe legitur, hæc etiam ſubmiſſio ab Alexandro III. cujus tempore ſchiſma duravit fere per* XVII. *annos, & a Cardinalibus & catholica Eccleſia reprobata fuit, & multo plus repulſa ceſſionis via, ad quam tendebat Imperator Fredericus primus intruſo favens, & cum illo clerus & populus de quinque regnis, ut in ejus geſtis legitur. Marcellinus etiam Papa metu Diocletiani idololatra factus ſe ſubmittens concilio, propter hoc congregato, ab ipſo concilio repulſam patitur, aſſerente Romanum Pontificem a nullo poſſe judicari* 21. *di.* §. *nunc autem: quamvis enim legatur ſchiſma, quod fuit tempore Damaſi Papæ a concilio ſacerdotum ſedatum fuiße, non tamen legitur, quod talis & tanta fuerit facta ſubmiſſio, quanta & qualis per dominum noſtrum offertur. Hanc igitur viam per quam dominus noſter ſe humiliat tantum, & quodammodo dejicit proſequi debent principes, prælati, clerus, & populus.* Interjectis nonnullis affert argumenta Gallorum abdicationem ſuadentium, quæ refellere nititur, & ſunt hæc.

Vana oſtentatio antipapæ.

VIII. Argumenta graviſſima pro ceſſione.

*Primo quod caſus iſtius ſchiſmatis dubius eſt & inveteratus, & ſic non videtur alia via melior, quam ceſſio, quia pars adverſa contrarium ponit in facto ejus quod nos ponimus, & ſic dicunt, quod per viam declarationis juſtitiæ nunquam finis imponeretur.* Eludit hoc argumentum, ſupponendo conſpicuam fuiſſe Urbani impreſſionem. *Secundo hæc falſo ceſſionis via brevior eſt, & ideo in tanto animarum periculo eſt, aliis rejectis, proſequenda.* Negat inſulſe eſſe breviorem, & fucos affert. *Ac exiſtente in ſtatu præſente ex hoc orietur contra ipſum & ſibi adhærentes mala præſumptio de juſtitia & conſcientia læſa videlicet, quod hoc faceret tanquam ſibi male conſcius de ſimo. c. licet, & c. per tuas præſertim, quia non fuit alias oblata ab intruſo vel eis adhærentibus, ut ſupra eſt dictum; & quia ad hoc urgetur a ſuis & non ab adverſariis, eadem eſt contra illos præſumptio & fortior contra Papam ſi illam offerret.* Addit dubitatum etiam iri, an perpenſa re & circumſtantiis foret libera, ut dubitatum fuit de abdicatione Cæleſtini, qui ob id retentus in carcere; tum alia fingit incommoda.

Schiſmaticorum diffugia.

IX. Non accepta Gallis nec Hiſpanis.

Abhorrebant itaque ab hujus pſeudocardinalis ſententia cæteri ſchiſmatici Cardinales; a quibus etiam Gallos principes precibus contendiſſe, ut ſignificarent quæ ad ſedandum ſchiſma optima ac præſtantiſſima an compromiſſi, an abdicationis ratio videretur, Caſtellæ Rex Aragonum Regi expoſuit (*a*): cumque illi ſcripto libello abdicationem compromiſſo fraudibus obnoxio prætuliſſent, ut inferius (*b*) viſuri ſumus, excanduit ira Petrus e Luna in pſeudocardinales ſuos, qui reſtituta Eccleſiæ pace veros honores adipiſci optaſſent, atque intentato anathemate, ſcriptum ad principes libellum ipſorum ſigillis confirmari vetuit (*c*), ut paulo inferius in academiæ Pariſienſis actis videbitur. Deluſi vero ſua expectatione Gallicæ regiæ principes, atque antipapæ infenſi, Lutetiam Pariſiorum rediere, ac tum a Sorbonicis doctoribus excuti modi cœpere, quibus antipapæ pertinacia comprimeretur, hæcque problemata (*d*) ad concertandum propoſita fuere.

(*a*) *Ext. ejus lit. tom.* 15. *de ſchiſm. p.* 26.

(*b*) *Hoc ann. n.* 12.

(*c*) *To.* 9. *de ſchiſ. p.* 22.

Diſceptant Galli an Petrus e Luna poſſit cogi ad gradum deſerendum.

(*d*) *Ext. to.* 9. *de ſchiſm. p.* 198.

*Quæſtiones Pariſienſium ſunt iſtæ.*

1. *Quæſtio utrum Papa teneatur acceptare viam ceſſionis modo ſibi propoſito pro ſedatione præſentis ſchiſmatis, ſub pœna peccati mortalis, fautoriæ ſchiſmatis vel hæreſis, vel generaliter ſub qua pœna.* II. *q. utrum attento ſpatio temporis & requeſta ſibi facta & plene deliberata per ſacrum collegium Cardinalium, Reges & principes Franciæ, & prælatos & univerſitatem Pariſienſem & deliberatione ſuper iis per eum habita, Papa poſſit excuſari per ignorantiam.* III. *q. utrum attento juramento præſtito in conclavi ac requeſta collegii Cardinalium ſibi facta ſuper viam ceſſionis, dictam viam ſub pœna perjurii recipere teneatur.* IV. *q. utrum attento prædicto juramento præcepto per eum facto Cardinalibus de ſibi adhærendo, &c. & proteſtatione ipſius, quod non intenderet a viis ſuis recedere conſideratione Cardinalium, quam in eum eligendo habuerunt approbatione veræ ceſſionis ante & poſt papatum, ac aliis ante & poſt ejus aſſumptionem per eum geſtis ſit ſuſpectus de ſchiſmate, vel cenſendus ſchiſmaticus.* V. *q. utrum Papæ præcipienti Cardinalibus, quod ſibi adhæreant in proſecutione viarum ſuarum ſit obediendum.* VI. *utrum Papa viam ceſſionis recuſans ad eam poſſit compelli, ſi ſic per quem vel quomodo,* VII. *q. utrum quilibet catholicus pro modulo ſuæ ſolicitudinis debeat laborare ad compellendum Papam in caſu prædicto, & an principes ad id ſpecialiter obligentur.* VIII. *q. utrum Papa ſubiiciatur concilio generali ſuæ obedientiæ in caſu recuſationis prædictæ cam ſequela uſque ad depoſitionem incluſive in caſu pertinaciæ.* IX. *q. utrum ſententiæ latæ vel fiendæ per Papam contra quoſcumque proſequentes hanc materiam contra eum in caſibus prædictis ligent & ſint timendæ, & an competat aliquod remedium appellationis ad concilium generale, vel alias a gravamine illato vel inferendo per Papam in hac materia* [1].

An ſit ſchiſmaticus.

An exauctorari poſſit a concilio.



An ejus ſententiæ valeant.

X.

His in diſceptationem adductis cenſuerunt doctores Pariſienſes vibrandas in ea cauſa a Petro e Luna contra illos, qui diſſolvendo ſchiſmati dabant operam, cenſuras non valituras, atque ab ejus tribunali ad concilium œcumenicum, quod ab Urbano oblatum contempſerant, provocari poſſe: quo ita definito provocationis formulam (*a*) compoſuere, ex qua hæc decerpſimus.

Ab eo ad concilium provocant.

(*a*) *Id. p.* 20.

*Appellatio interpoſita ab univerſitate Pariſienſi a Benedicto XIII.*

Ut abdicatio utriuſque cæteris ſit anteferenda.

*Filia Eccleſiæ*, nimirum academia Pariſienſis, *nonnullis viis ſubtiliter perquiſitis, & cum ſumma maturitate diſcuſſis, ad viam ceſſionis, tanquam meliorem, planiorem, quietiorem, ſanctiorem, honeſtiorem, leniorem, & certiorem ad totale ſchiſma de cordibus fidelium radicitus evellendum finaliter condeſcendit, multis ſiquidem mota rationibus, nedum perſuaſivis, ſed omni fideli Chriſtiano ſecundum materiæ ſubſtantiam concluſivis, quas longiſſimum foret hic enucleare, hanc viam benedictiſſimam inclitiſſimi unionis pugiles ſupradicti, vocatis concilio & epiſcopis Franciæ, nonnulliſque viris prudentibus & literatis, approbaverunt & emologaverunt, & hanc tanquam expedientiſſimam ſecuti fuerunt & ſequuntur; non enim ſereniſſimi principes a filia Eccleſiæ excitati ad congregandum præfatum concilium, nec ipſa univerſitas ad hujuſmodi viæ ceſſionis electionem quaſi cæteros principes Chriſtianos in hoc Eccleſiæ negotio contemnendo, ac ut ſoli hujuſmodi ſchiſma vellent extirpare proceſſerunt; ſed quia zelo fidei & Eccleſiæ tam enormiter deſolatæ ferventer animati quod in ſe erat geſſerunt & quod potuerunt fecerunt ſui deliberatione conſilii, cæteris fidei catholicæ principibus viam rejectam inſinuari decernenter, quatenus aut viam prætactam tum ſecundum ſuæ voluntatis arbitrium, tum ſecundum dictamen rationis aut deligerent, aut aliam tutiorem & competentiorem reperirent, ac eam eccleſiæ notificarent Gallicanæ; nec etiam in præmiſſa electione viæ aſſenſerunt, quaſi ſummos Pontifices Gallicanos ſe perdidiſſe, & alterius nationis ſubrogatos extitiſſe dolerent: ſed dumtaxat ad ipſius ſchiſmatis totalem everſionem, nulla omnino conſiderata quarumcumque perſonarum acceptione. Novit ille, qui ſcrutator eſt cordium quod apud eccleſiam Gallicanam non eſt Græci, nec Romani, nec Hiſpani, nec Alemanni, nec Gallici cura, dum tamen Eccleſia ſancte regatur. Fuerunt equidem multi ſummi Pontifices qui de prædictis & aliis nationibus, etiam Aſianis & Africanis, ac Europa ulteriori, qui ſanctiſſime Eccleſiam catholicam rexere, & ſub quorum præſidentia & regimine, univerſalis Eccleſia fuit exaltata multifariam, & affatim augmentata: tametſi etiam ſanctiſſimus pater dominus Benedictus ante ipſius aſſumptionem palam & ſecrete Pariſiis & alibi ad unionem Eccleſiæ laborantes laudibus extulerit copioſis; ac ipſemet hanc ceſſionis viam non ſemel, ſed pluries ad partem, & in pluribus locis coram notabilibus perſonis præ cæteris viris multifarie commendavit, aſſerens firmiter quod licet cæteræ viæ in ſchiſmatis primordio tentari debuiſſent, tamen moderno tempore conſiderato hæc ſola, non alia, ſimpliciter expediebat; ſed ex aſſumptione dignitatis ſecuta fuit opinionis mutatio, quæ utinam fuiſſet mutatio dexteræ excelſi. Ægre nempe credere potuit filia eccleſia tantum virum, tam famatum, ſalva tamen in omnibus ipſius reverentia & ſanctitate, a via per ipſum approbata, & longo emologata tempore, ſic ſubito deviaſſe, forſan amicorum, notorum, & conſiliariorum quorundam, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti quærentium, fictis perſuaſionibus, & falſis deliramentis, nedum inclinatum; ſed potius [ ut ita dicam ] circumventum, qui ipſum errare fecerunt in invio & non in via; & agnitam viam veritatis deſerere penitus, & omnino, quam ante aſſumptionem ſuam tactis ſacroſanctis evangeliis & ſuper altare juravit acceptare in caſu, quod aſſumeretur in Papam, & a dominis Cardinalibus hujuſmodi via præ cæteris judicaretur amplectenda; quæ tamen per dictos dominos Cardinales poſtea cum matura deliberatione fuit, uno ſolo excepto, unanimiter approbata. Item dicit & proponit idem procurator quod, cum ad inſtantiam domini Benedicti ſereniſſimus princeps Rex Francorum nuncios quam potue-*

In ſynodo Gallicana approbata.

Non id odio Hiſpani delecti factum.

Ipſe Petrus e Luna abdicationem urgendam propoſuerat.

Mutatus ex adepto antipapali faſtu.

Non defuere qui impie agenti lenocinati ſint.

NOTÆ [1] HOc anno, die & menſe nondum mihi compertis, concilium, ſeu conventus Segobiæ celebratum eſt, ab *univerſis prælatis*, *magiſtris*, *doctoribus*, *religioſis*, *&c.* quos conſulendos duxit Henricus Caſtellæ rex, ut in cauſa ſopiendi ſchiſmatis ſententias ſuas dicerent. Viſum eſt Patribus ſuadendos, cogendoſque utrumque Pontificem, ut ſimul ad colloquium convenirent, certamque coeundi viam inirent. Niſi id perfeciſſent intra certum dierum ſpatium, utrumque pro exauthorato habendum. Rem hanc totam narrat Henricus rex in literis de ſubtrahenda obedientia Benedicto, quarum partem tantummodo legas in annalibus ad A. 1398. 23. integras vero e regio codice dedit Martene Veter. monum. to. VII. col. 613. In iis vero Segobienſe concilium coactum dicitur poſt menſes ab aſſumptione Benedicti *fere novem*, adeoque aprili, vel majo menſe anni hujus. MANSI

Immanis ejus arrogantia.

*tuerit digniores, ac etiam univerſitas ſuos ſolemnes deſtinaverint eidem, qui ipſum pluries etiam flexis genibus requiſierint, quatenus dictam viam vellet acceptare in caſu dumtaxat, quo adverſarius ſuus ad hoc condeſcenderet, prædictum juramentum ad memoriam reducendo, nihilominus tamen, aut ſui immemor juramenti, aut memor ſed non curans, ad dictam viam condeſcendere denegavit, aſſerens ipſam viam non eſſe juridicam, & in ſimili caſu refutatam tanquam ſcandaloſam, & in Dei offenſam vergentem: quæ tamen reſponſio viſa fuit ad ſchiſmatis tendere durationem.*

Virtutis eximium opus ſcandalum & peccatum vocat.

XI. *Rurſus cum ad inſtantem petitionem dictorum ambaxiatorum omnes Cardinales, uno dempto,* ( nimirum Petro Blavii, de quo ſupra memoravi, ) *collegialiter aggregari viam ceſſionis unanimiter elegiſſent, & approbaſſent, ut præfertur, ac eandem inter ſe promiſiſſent totis ſuis viribus procurare; ipſique ambaxiatores cum humilitate ſumma eundem ſuppliciter exorarent quatenus ipſam acceptare dignaretur, allegando quod domini Cardinales elegerunt eandem, dictumque juramentum recitando, hoc omnino refutavit, coluitque dictum per nonnullos ſuorum, quod gloſſari debebat illud juramentum, quod primo perquiri debeant viæ utiles & accommodæ, & ſi non ſufficiant, demum ad ceſſionem perveniendum, eo quod verbum, uſque ordinem ſignificat agendorum.*

Juſjurandum infringit.

*Quæ ſiquidem reſponſio, infallibiliter ad ſchiſmatis tendere videbatur perpetuitatem: nam illud verbum, uſque, nihil facere videtur, cum ordinem neceſſitatis non inducat, ſed dumtaxat congruitatem, ut in ſimilibus poſſet argumentari; non enim gloſſa ad aliud tendere videtur, niſi quod vix aut numquam aliqua via accommoda poterit inveniri, quin illam, aut repudiaret, aut gloſſaretur, ſicut juramentum, aut via non juridica allegaretur, ut pro hoc convincatur ipſum ſic ſemper velle in hujuſmodi remanere dignitate. Profecto, quamvis omnes Cardinales, uno excepto, eidem intimaſſent quod viam elegerant ſupradictam, & eidem ut prius ſupplicaſſent, nedum hoc facere recuſavit, ſed etiam verba comminatoria inſerendo Cardinales requiſivit, ut cum ipſo ſtarent, quo requiſito ad totalem viæ ceſſionis abdicationem tendebat. Quam requiſitionem ſic factam dicti ambaxiatores audientes dictos Cardinales iterato requiſierunt, quatenus ſuper deliberatione ſua cedulam conficerent, aut ſuis munitam ſignis, aut propriis ſigillis roboratam: quod obaudiens dominus noſter, confeſtim dominis Cardinalibus ſub pœna excommunicationis, inobedientiæ, & infidelitatis inhibuit ne hujuſmodi cedulam conficerent, aut ſignarent confectam, vel etiam ſigillarent: quæ inhibitio, apertiſſimam ſchiſmatis propagationem deſignat, ut in ſuis factis continuet adinventionibus nullo tempore proſequendis & in poſſeſſione dominationis ſuis temporibus perduret. Deinde præfati ambaxiatores dominum Benedictum requiſierunt, ut ad ambaxatam ſuam in conſiſtorio publico explicandam, audientiam præberet, ſed ipſe ſecundum ſimilitudinem aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, requiſitionem noluit exaudire: ex quibus requiſitionibus toties iteratis nonniſi ſchiſmatis fautoria videtur poſſe concludi.*

Detecta ejus nequitia.

Suos trahere in ſententiam ſuam.

Intentat iis cenſuras.

Gallorum preces ab eo repudiatæ.

*Poſtremo illuſtres principes, & nuntii ſæpe dicti flexis poplitibus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri eidem ſupplicaverunt, quatenus Eccleſiæ ſic diviſæ compateretur, & obnixe rogaverunt eumdem, quatenus viam ſæpe tactam dignaretur acceptare, & ſic inauditi & repulſi inſtantiam redierunt. Hæc quaterna admonitio dictorum ambaxiatorum, & viæ ceſſionis refutatio, nedum fautoriam ſchiſmatis, ſed etiam ſuſpicionem, nedum ſuſpicionem, ſed pertinaciam, nedum pertinaciam, ſed incorrigibilitatem in auribus quorumcumque fidelium cenſetur reſonare. Ad hujuſmodi etiam ſuſpicionis & fautoriæ ſchiſmatis cumulationem aſtipulatur illius Jacobitæ,* & infra, *contra dictorum requiſitionem nunciorum receptio in familiarem, & ad majora promotio, qui filiam Eccleſiæ univerſitatem, filiam ſathanæ, matrem erroris, & matricem diſſenſionis ore polluto, auſus eſt nominare. Ad quid tamen non correxit, ſed recepit in familiarem, niſi in tantorum ambaxiatorum contemptum? ad quid provexit eumdem ad majora, niſi ut canem impudentiſſimum habeat, qui non ceſſet ore nefando contra filiam Eccleſiæ, quæ veritatem & pacis unitatem toto niſu proſequitur, & inaniter oblatrare? Hæc eſt vehementiſſima ſuſpicio fautoriæ, hæc maxima ſchiſmatis adhæſio, adverſarium veritatis contra viam veritatis & pacis, nedum ſuſtinere, nedum fovere, ſed etiam promovere, &c.*

XII. Scribit in Sorbonicos Joannes Azo.

XII. Quod ad Jacobitam, ſive virum illum ordinis Prædicatorum alumnum, qui Petri e Luna pertinaciam defendendam ſuſceperat, & Pariſienſes academicos ut perduelles adverſus ſacroſanctam poteſtatem in invidiam adduxerat; is erat Azo, qui plura ante ſcripſit, falſa tamen propoſita hypotheſi Petrum e Luna veras Chriſti vices geſſiſſe, ex cujus commentariis MS. (a) hæc argumenta, quæ Sorbonicos doctores utpote ſtatuentes falſo Petrum e Luna eſſe verum Pontificem, urgebant.

(a) Ext. to. 7. de ſchiſm. p. 198.

*Concluſiones Joannis Azonis ordinis Prædicatorum theologiæ magiſtri & pœnitentiarii Benedicti.*

Illius propoſitiones.

*Chriſtus ita vere dedit claves Eccleſiæ uni ſicut unitati, & qui pertinaciter hujus oppoſitum aſſerit hæreticus eſt.* II. *Qui dicit & aſſerit quod quilibet impediens, vel differens unionem Eccleſiæ eſt ex hoc ſchiſmaticus & anathematizandus, nimis generaliter loquitur.* III. *Illa congregatio quæ in epiſtola incipiente ſic: Chriſtianiſſimo ac religionis orthodoxæ, &c. miſſa illuſtriſſimo principi Regi Francorum aſſerit ſimoniacam hæreſim in domo eccleſiæ præſidere, ac illam ut ſedulam diſpenſatricem circa paſtorales curas invigilare cum aliis præcedentibus & ſubſequentibus in eadem, tamquam filia ſathanæ, mater errorum, matrix ſeditionis, ſummi Pontificis diffamatrix & aliorum prælatorum, nec non tamquam Romanæ eccleſiæ falſa & inimica loquuta eſt, &c.* IV. *Non debet Papa compelli per viam facti ad renunciandum papatum, & recuſans viam ceſſionis ex hoc ſchiſmati conſentiens judicari.* V. *Illi qui dogmatizaverunt,* & infra; *in caſu, quo recuſaret viam renuntiationis, ex hoc conſentientem ſchiſmati judicari, & conſequenter habere citari, dictam viam ad unitatem Eccleſiæ procurandam ineptam reddiderunt.* VI. *Qui ſic dogmatizant, ut ſummum Pontificem aſſerere præſumant fore hæreticandum, & a principibus perſequendum, aſſignantes pro cauſa non cauſam, debent authoritate doctoratus privari.* Et infra. VII. *Quod Papa, præter viam conſuetam reuniendi Eccleſiam, teneatur acceptare illam viam vel aliam, ut puta viam ceſſionis vel non: habet Deum, cujus eſt immediatus vicarius, & propriam conſcientiam, ac confeſſorem ſuum in foro conſcientiæ judices, & nullum ſuper hoc alium habet mortalem judicem, qui vero hujus oppoſitum pertinaciter aſſerit hæreticus vel temerarius eſt.* Interjectis Pariſienſium quæſtionibus alias opponit (a).

(a) Ib. p. 201.

XIII. VIII. *Etiam ſi ex evidentia patrati ſceleris, vel ex publicæ confeſſione propria toti mundo conſtaret Papam eſſe perjurum, nullatenus propter hoc eſſet ſchiſmaticus nec hæreticus, nec authoritate papali privatus.* IX. *Quantumcumque alii prælati eccleſiæ ſive vere ſive falſo objecerint Papæ perjurium, non propter hoc in aliquo minus debent & tenentur ſibi ſubjici & obedientiam reddere conſuetam.* X. *Quæ vel qualis via debeat obſervari pro unione Eccleſiæ procuranda, prælati majores & alii ſunt conſiliarii, ſed ſub Deo ejus immediatus vicarius ſolus judex: propter quod ut recte judicet & ſane procedat non maledictiones aut diffamationes, ſed ſanctæ pro ipſo orationes ad Deum ſunt creberrime & inſtantiſſime faciendæ.* XI. *Papa non habet ſupra ſe judicem & non poteſt per non ſuum judicem compelli ad ceſſionem.* XII. *Sicut nulla creata perſona, nec communitas totius Eccleſiæ militantis poteſt, nec unquam potuit, dare immediatum Chriſti vicariatum, ita nec aliqua talis perſona vel communitas poteſt auferre ſibi invito illam vicariatus authoritatem, quæ eidem non ab hominibus, ſed a ſolo Deo eſt immediate collata.* ( Addit Azo hoc grave argumentum quod tamen pro pſeudopontificibus vel ambiguis pontificibus non valet, ſed pro Pontifice, nec ambiguo fortiſſimum eſt: ) *Omne* (b) *jus humanum vel eſt paris authoritatis cum Papa vel inferioris ipſo. Sed par in parem nec habet imperium, nec a fortiori inferior in ſuperiorem. Igitur nullum jus humanum neceſſitat Papam ad renuntiandum. Nonnullis interjectis author pro antipapæ pertinacia tuenda declamans; ita contra Pariſienſes invehitur: Sunt conſpiratores & proditores, quia notum eſt mundo quod congregarunt conſilia & fecerunt colligationes & conjurationes ad dejiciendum dominum Papam a ſtatu Papali, & hoc ignominioſe per compulſionem & jurative per mortem ſibi comminatam. Sunt igitur nedum interpretative, ſed formaliter & expreſſe proditores:* & infra: *In quantum potuerunt incitaverunt Regem Franciæ & regales contra Papam & alios prælatos Eccleſiæ, prout patet manifeſte per illam ſcandaloſam & erroneam epiſtolam, quam miſerunt Regi, quæ incipit:* Chriſtianiſſimo; *& magis per illa pernicioſa conſilia; quæ dederunt prout cedula, quam tradidit, veſtra dominatio continet, quod videlicet ſi Papa non faceret id quod dicunt, prædicaretur ubique fidelibus contra ipſum tanquam ſchiſmaticum, & quod principes, prælati, & clerici præſtent conſilium, auxilium, & favorem; quodque ultimo per congregationem generalem principum prælatorum & per deputatos univerſitatum ad alia procederetur remedia opportuna, & pro nunc inquiunt ſilentio committenda.* )

Præcipuum Petri e Luna argumentum.

(b) Ib. p. 203.

Petitur principium non ſubiici concilio ambiguum Pontificem.

XIV. Synodus Pariſiis habita.

XIV. Hæc inter Pariſiis celeberrimi epiſcoporum Galliæ habiti ſunt conventus (c) adverſus Petrum e Luna, quibus Rex Navarræ, ac patrui Gallorum Regis & ejus frater, pluresque alii principes interfuere, de cogendo Petro e Luna ad inſignia pontificia ponenda. Præfuit hujuſmodi Synodo Simon Cramaudus patriarcha Alexandrinus, qui de Petri e Luna perfidia graves querelas expoſuit, Regiſque Francorum de redintegranda conjunctione eccleſiarum conſilium magnis laudibus extulit: tum addidit jure controverti, an Petro e Luna perjuro & eccleſiæ everſori parendum foret: viam abdicationis ab Aragoniis, Navarræis, & Caſtellanis commendatam; ad alios etiam Reges plures ea de re legationes decretas. Tum ab eodem patriarcha Alexandrino rogatæ ſunt epiſcoporum & doctorum ſententiæ (d) de tollendo ſchiſmate, collectæque rationes, quibus priſtina eccleſiarum conjunctio ſub uno capite inſtauranda foret, in hanc formam redactæ ſunt: *Facit patriarcha proteſtationes ſuas, & dicit quod diligit honorem domini Benedicti, & gaviſus fuit, dum fuit ad Papatum aſſumptus, confidens quod per ipſum haberemus unionem* in

(c) To. 8. de ſchiſm. p. 185. *Juvenal. Urſinus in Carol. VI.*

(d) Ext. to. 8. de ſchiſm. p. 187.

*in Eccleſia etiam pro ceſſione, prout alias proprio ore ſibi dixit & mirabatur de domino Clemente, qui tantum viam renunciationis abhorrebat, quia ipſe ſi fuiſſet Papa & habuiſſet mille papatus, cederet libenter.*

Petri e Luna hypocriſis.

*Item reſpondet patriarcha concluſionibus poſitis per dominum S. Pontii, videlicet quod dominus noſter Papa negando viam ceſſionis, facit contra ſtatum univerſalis Eccleſiæ, & per conſequens non debet ei obediri: probat quod dicit Gregorius, quod ille eſt deſtructor, qui facit rem ſcandali, & eſt magiſter erroris & non veritatis: Papa eſt hujuſmodi: facit ſatiſ. II. q. VII. nos ſi incompetenter.*

Jactarat mille papatus abjecturum.

*Item dicit quod Petrus Bertrandi movet unam quæſtionem, in qua quærit, ſi Papa vellet alienare partem majorem patriarum,* ideſt ditionis, *Eccleſiæ, an eſſet obediendum, & determinat quod non cap. non liceat* 12. *qu.* 2. *&c.* Et infra. *Item Innocen. & ex in c. Inquiſitionis dicit dubium, an aliquis ſit perjurus vel non, in dubio debet ſervari juramentum, ſed licet ſit dubium utrum Papa debeat acceptare ceſſionem vigore cedulæ conclavis, niſi acceptet eſt perjurus; nec eſt reſponſum aliqualiter; quare concludit, quod via ceſſionis oblata eſt juſta, & per principes & per cardinales ſequenda;* pluribuſque interjectis ſubjungit:

Obſiſtendum Pontifici diſſipanti jura eccleſiæ.

*Item quando dicitur quod iſtud factum non eſt notorium, & Papa non eſt incorrigibilis, reſpondetur quod attento quod via data per Papam eſt reprobata, non remanet in via juſtitiæ, quare, &c. Et quod juſte fuerit reprobatum apparet, quia via compromiſſi eſt dubia, quod apparet, quia Joannes de Lignano, & Baldus ſcripſerunt pro intruſo, & dicunt quod habet jus, & per hoc licet compromiſſarii pronunciarent pro uno, attamen adhuc timeretur cui de jure debetur, ne teneretur dictum ipſorum de facto. Item dicit quod in caſu præſenti non quæritur de condemnando Papam, ſed dumtaxat an debemus ei obedire, &c.*

Compromiſſi via inutilis & anceps.

XV. Ubi ſuperiora in deliberationem adducta fuere, de ſubducendis Petro e Luna pontificiis vectigalibus agitatum eſt: indignabantur enim Petri e Luna ſectatores catholicum orbem ad illum colendum inducere non potuiſſe, jamque fruſtra conatus ſuos, ut Petrum ipſum ad abeundum pſeudopontificatu flecterent, conſumere; quocirca hæc (a) decrevere.

(a) Ext. to. 9. de ſchiſm. p. 17.

*Prima concluſio, licitum eſt, attento ſchiſmate præſenti, ſubtrahere collationem beneficiorum a ſummo pontifice, fundando eam debere fieri attenta duratione ſchiſmatis periculo animarum maxime imminente, attento juramento conclavis, attenta inſinuatione ſolemni per dominos Cardinales juxta formam juramenti præſtiti per eum de recipienda via ceſſionis ſibi facta per Regem & univerſitatem, etiam attento inſuper quod ratione hujuſmodi collationis plures ſibi adhærent in via ſua & modo, vel ſaltem non audent vera loqui in materia, & efficiuntur tepidi, ex quibus poteſt ſchiſma perpetuari, & poterit via ceſſionis ſuo fruſtrari effectu, opprobata tamen per Regem, Cardinales, concilium prælatorum, & univerſitatem.*

Concluſiones Gallorum contra antipapam.

Sacerdotiorum collatio illi erepta.

*Secunda licitum [attento caſu præſenti] ſubtrahere perceptionem pecuniarum, videlicet annatarum vacantium, procurationum, & aliarum obventionum quas recipit dominus Benedictus; quarum perceptione poteſt facere multas legationes ad diverſa loca in contrarium viæ ſanctæ, ſcilicet ceſſionis, ſuam viam colorando, dominos diverſorum ſtatuum ad ſuam viam trahendo, & forſan corrumpendo, ſicut fertur de epiſcopo Vaſatenſi legato, & etiam ipſis mediantibus Papa habet penſionarios in curiis diverſorum dominorum, &c.* Hæc ſtatuebant Galli adverſus pſeudopontificem ipſis reſiſtentem, qui hoc exemplo tanquam lege uſi etiam vero Pontifici poſtea collationes ſacerdotiorum, & annatas, ut vocant, edita pragmatica ſanctione eripuerunt, eademque in conciliabulo Baſilienſi adverſus Eugenium IV. conſtituta.

Cur & quando annatar. denegandar. exorta lis.

XVI. Nunc ab actis in antipapam ad Bonifacium orationem traducimus. Omni ipſe vi, ut Ladiſlaum in Neapolitano regno adverſus Ludovicum Andegavenſem ſchiſmaticum confirmaret incubuit, creavitque Bartholomæum tit. S. Potentianæ presbyterum Cardinalem in Sicilia legatum, quem ſumma inſtruxit authoritate (b), ut ad Neapolim in Ladiſlai obſequium revocandum promiſſis ampliſſimis quoſcumque poſſet alliceret. Comparaverat etiam Bonifacius (c) collata maxima auri vi, Ladiſlao egregium exercitum, quem ad quatuor

Ladiſlaus in Neapolitano regno confirmatur.

(b) Bonif. l. 3. ep. cur. p. 381.

(c) Theod. e Niem. l. 2. c. 14.

NOTÆ [1] ACta omnia in cauſa ſchiſmatis, quæ latius hic ab Annaliſta deducuntur veritati per omnia conſtare fateor; ſed meliorem ordinem deſiderant. Nam concilium ab Epiſcopis Galliæ Pariſiis habitum ea omnia præceſſit, quæ ab Annaliſta minus accurate præmiſſa ſunt. Convenerunt Epiſcopi Lutetiam die IV. nonas februarii, anni 1395. ubi de ratione abolendi ſchiſmatis variæ variorum ſententiæ dictæ ſunt; ac tandem conventum, ut apud utrumque pontificem, quo ambo cederent dignitate, ageretur. Sed Benedicto tergiverſante, tunc Pariſienſes Doctores providendum ſibi rati adverſus irati pontificis violentiam a dubio pontifice ad pontificem rite & orthodoxe poſtmodum eligendum provocarunt. Porro ad futurum pontificem, non vero ad generale concilium provocatum fuiſſe a Pariſienſibus aſſerit, qui appellationis illius formulam in Victorino codice legit, Spondanus; nec niſi oſcitanti Raynaldo excidiſſe credo, dum provocatum ad generale concilium ſcripſit. Hoc telum retudit Benedictus edita ſequenti anno die III. kal. junii bulla, qua iniquam a Romano pontifice appellationem ſuſtulit & abolevit. MANSI



tuor equitum, ſex peditum millia aſcendiſſe refert Summontius (a): quo ſuccinctus Rex Ladiſlaus Averſam & Capuam in ſuam poteſtatem redegit, hiſque felicibus ſucceſſibus animis auctior movit caſtra ad Neapolim, quam ex arcano cum nonnullis Neapolitanis ſe fœdere intercepturum ſperabat: ſed extracta in trigeſimum ſextum diem obſidione, cum fortiſſimo equitatu a Ludovico inſtructa urbs eſſet, atque ad obſidionem ſolvendam hoſtilis immineret exercitus, tum etiam triremes pontificiæ, quæ mari commeatus intercluſerant, fugatæ a Provincialibus eſſent, Cajetam regredi eſt coactus. Ne vero ingratus in Pontificem, cujus ſuſtentatus viribus & provectus ſtudiis erat videretur, Soranum comitatum ac nonnullos alios agros Bonifacii nepotibus contulit. Quo tempore Urbani VI. ſtirps cujus locupletandæ cupidine ipſe in maxima ſe diſcrimina conjecerat, infeliciter periit (b), Franciſcus enim Prignanus ejuſdem Urbani nepos, dum apud Raymundum Baucium agebat, ferro ſibi necem conſciſcere conatus, curatuſque e vulnere, diſtracto poſtea comitatu Altimuri una cum matre & filia Venetias navigaturus in Brunduſina ora fluctibus hauſtus eſt, ut refert Theodoricus e Niem (c), additque: *Et ſic tota poſteritas ejuſdem Urbani VI. finita eſt marinis fluctibus, divino judicio vindictam repetente.* Sed ad Bonifacium, a quo digreſſa oratio eſt, redimus.

(a) Summont. l. 4. c. 2.

Averſa & Capua recuperatæ.

Sorano comitatu donandos nepotes curat Bonifacius.

(b) Theod. e Niem. l. 2. c. 15.

Divinæ vindictæ exemplum in Urbani nepotes.

(c) Eod. l. 2. c. 31.

XVII. Uſus eſt (d) clementia in Romanos tranſtyberinos, qui ſeditionem in urbe moverant, pluraque intulerant mala, eoſque deletis omnibus judiciariis actis in ipſos confectis a ſigniferis populi & quatuor conſiliariis ſocietatis almæ urbis, in priſtina jura, ſoluta legum ſeveritate, reſtitui juſſit. Meminit S. Antoninus ingentis (e) cujuſdam tumultus popularis ſuperiori anno concitati in Bonifacium, ſeditioſis nonnullis urbis imperium ad plebem derivare affectantibus, quos Ladiſlai Regis ope tum repreſſos, ait; *Menſe,* inquit, *maii Romæ inſurrexerunt Bandarenſes ſimul cum populo contra Bonifacium Pontificem ex quibuſdam diſcordiis ortis inter eos, & adeo contra eum ſuccenſuere ut crederetur, quod manus in eum iniecisſent, nec vitæ ejus peperciſſent: ſed obviatum eſt ne tantum ſacrilegium ſequeretur, nam Rex Ladiſlaus ab eo jam coronatus, cum tunc Romæ adeſſet pro quibuſdam a Pontifice gratiis impetrandis, armis correptis cum ſuis eum defenſavit, ac demum concordiam poſuit inter Pontificem & Bandarenſes illos cum populo, qui ſibi uſurpare quærebant totale dominium urbis & eos in pace dimiſit.* His conſentanea tradunt diaria MS. (f) Ladiſlaum XXVI. januarii provolaſſe in urbem cum Romani Fundorum comite ſeditionis concitatore ad mutandum urbis imperium conjuraſſent, ac tredecim, in quorum ædibus ſigna hoſtilia reperta fuere, capitali ſupplicio affectos. Ad continendum facilius in officio populum frangendaque ſeditioſorum conſilia veteres in urbe arces inſtaurare decrevit, ac primum edicto (g) cavit, ne quis ex Hadriana mole, quæ magna ex parte dejecta erat, marmora ſaxave evelleret, pœnaſque facinus auſuris intentavit. Refeciſſe Bonifacium S. Angeli arcem, quæ antea everſa fuerat a Romanis, indignantibus a Gallis præſidiariis exoriente ſchiſmate tantas clades urbi illatas, & ipſorum libertati frænum injectum fuiſſe, refert Theodoricus e Niem, (h) additque Capitolium Romæ ab eo arcis inſtar magnis operibus inſtauratum, nonnullis civibus ægre rem ferentibus, qui Romanum prætorium, publicique conſilii ſedem in arcem non vertendam cenſebant: a ſchiſmaticis vero ejuſmodi excitatas plures turbas viſuri ſumus. Nec vero deerant, qui captata temporum ob ſchiſma difficillimorum occaſione fortunas ſuas augere, atque ex ruinis eccleſiaſtici imperii novam condere tyrannidem affectabant: ex quibus Malateſta Pandulphi Malateſtæ jam vita functi filius, qui Pontificum beneficia in novarum proditionum inſtrumenta vertebat, gravi ſententia eſt perculſus (i). De Malateſtæ perfidia, utque Biordum, qui Peruſii tyrannidem corripuerat, ac latius eam proferebat in dies, in Tudertum induxerit, narrat S. Antoninus (k).

(d) Bonif. l. 4. p. 140.

Tumultus populares in urbe.

(e) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 2.

Vitæ diſcrimen adit Bonifac.

(f) Hector Pignatell. in diar.

(g) Bonif. l. 3. ep. cur. pag. 381.

(h) Theod. e Niem. l. 2. c. 14.

Inſtaurata ab eo arx.

Plures ex eccleſiæ ruinis aucti.

(i) Bonif. l. 3. pag. 395.

(k) S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 2.

Extant in Bonifacii regeſto ea edicta, (l) quibus Biordus anathemate atque infamia inuritur, omneſque ejus conſiliorum participes pœnis graviſſimis ſunt devincti:

(l) Bonif. l. 3. p. 397.



NOTÆ [1] FUndanus ille comes, quem ſuſcitatæ Romæ ſeditionis authorem accuſat hic annaliſta, non imperium civile tantummodo mutare, ſed & eccleſiaſticum nitebatur. Ablegatum enim agebat Benedicti antipapæ ad Romanos, ut a pontifice ſuo avertere urbem, & ad ſe convertere niteretur. Conſtat id ex epiſtola Galeatii de Petramala, qui ab Urbano VI. cardinalis renunciatus, ad ſchiſmaticos defecerat. In ea porro epiſtola vulgata a Martene Veter. mon. to. I. col. 1513. Romanos hortatur, ut longo XVII. annorum ſchiſmati fine tandem impoſito, ad Benedictum XIII. ſe convertant; cujus paternæ caritatis argumentum tenetis, ait *per chriſtianiſſimum Fundorum magnificum comitem ac per oratores, quos ad vos cum benigniſſimis epiſtolis ſuis mittit vobis & veſtro populo porrigendas.* His fautoribus concitatos animos ut mitigaret pontifex lenius palpandos illos ac beneficiis demulcendos cenſuit, qua de re in annalibus. MANSI

Lata a Bonif. in Biordum ſententia.

ctâ: tum ſacra in eum propoſitis indulgentiis, militia indicta, & in extrema ſententiæ calce hæc addita: *Quod ſi forte ipſe Biordus in mortis articulo ab alio quam a nobis vel ſucceſſore noſtro Romano Pontifice fuerit abſolutus, nihilominus decernimus & volumus, quod ipſe perpetuo careat eccleſiaſtica ſepultura: & ſi ſupervixerit volumus quod, quam cito commode poterit, coram nobis vel dictis ſucceſſoribus noſtris ſe perſonaliter repræſentet ſatisfacturus & recepturus prout juſtitia ſuadebit. Datum Romæ apud S. Petrum non. novembris pontificatus noſtri anno ſexto.*

XVIII. Vvicleffiſtarum immane facinus in Anglia.

In Anglia nonnulli nefarii viri Wicleffi erroribus infecti auctoritate aliquorum, qui nobilitatem fœderant impietate, freti libellos maledictis in ordinem eccleſiaſticum ac religioſos viros refertos Londini principum eccleſiarum valvis affigere auſi ſunt: quo ſcelere comperto pii quique exhorruerunt, ac Richardum Regem, qui in Hibernia ad componendas illius inſulæ res verſabatur, in Angliam revocarunt, ad religionis decus contra impios aſſerendum; quæ Walſinghamus his verbis deſcribit (a): *Eo tempore Lolardi cum ſuis fautoribus in omnem malitiam efferati fixerunt publice ſuper oſtia eccleſiæ S. Pauli Londoniis & Vveſtmonaſterii abominabiles cleri accuſationes, quibus nitebantur deſtruere perſonas eccleſiaſticas & eccleſiæ ſacramenta, animati, ut fertur, nimio favore quorundam procerum & militum Anglicorum, inter quos campi ductores fuerunt Richardus Stury, Ludovicus Clifford, Thomas Latynice, Joannes de Monte acuto, qui inſtigabant & confortabant hæreticos ad confundendum, ſi poſſe daretur, præcipue religioſos. Rex igitur ut præfertur conceptis Lolardorum malitiis feſtinavit in Angliam ut diſſiparet ejus intuitu tanta mala; quo cum perveniſſet feliciter quoſdam de proceribus objurgavit acriter, comminans eis terribiliter ſi de cætero Lolardis faverent, vel eos in aliquo confortarent. De Richardo quoque Stury accepit juramentum, quod de cætero opiniones hujuſmodi non teneret: quo facto dixit Rex: Et ego juro tibi, ſi tu unquam violaveris juramentum, morte turpiſſima morieris. Audientes cæteri tantum rugitum cornua retraxerunt, & hactenus delituerunt.*

(a) *Vvalſin. in Rich. 2. & in Ypodigm. Neuſtr.*

Favent iis nonnulli proceres.

Coerciti a Richardo Rege.

Deſcribit eaſdem Wicleffiſtarum graſſationes, & epiſcoporum in iis comprimendis ſtudia & labores Nicolaus Harpsfeldius (b) in hiſtoria Wicleffiana ex regeſto Herefordenſis eccleſiæ: *Adeo*, inquit, *ſecta ingraveſcebat, tantaſque clero moleſtias exhibebat, ut cogeretur ille Eboracenſem archiepiſcopum atque Londinenſem cum quibuſdam aliis in Hiberniam mittere, qui Regem ad maturum & celerem in Angliam reditum excitarent, ut laborantibus & pene deſperatis Eccleſiæ rebus ſubveniret. Quidam interim ex epiſcopis nihil operæ atque diligentiæ prætermittebant, ut diœceſes ſuas hac peſſima lue purgarent: inter quos Joannes Treſvantius Herefordenſis epiſcopus laude & præconio dignus eſt, in cujus diœceſi Guillelmus Suuynderbi ſacerdos & Vvalterus Brutus laicus perdita dogmata paſſim ex Vvicleffi diſciplina hauſta & quædam etiam alia de ſuo addita diſſeminabant: ille inter alios errores omni ſacerdotalis functionis poteſtate eum qui in mortali peccato verſaretur, carere, atque deſtitui; iſte non licere affirmabat ob ullam temporalem, ut appellant, atque civilem cauſam bellum gerere: revocavere uterque hæreſes ſuas, ſed ille omnem illam revocationem perdite poſtea reſcidit, atque ideo ut pertinax & obduratus hæreticus ab eodem epiſcopo damnatus eſt.*

(b) *Nicolaus Harpsf. in hiſt. Vvicleff. c. 16.*

Peccato amitti ſacerdotium contendunt. Bella juſta eſſe poſſe negabant.

XIX. Alienata a Vvenceſlao imperii jura.

Defecit ab ea Richardi laude Wenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex, cujus ignavia Wicleffi hæreſis in Anglia extincta revixit in Bohemia. Illum vero hoc anno imperii jura in Inſubria diſſipaſſe, ac Joanni Galeatio Vicecomiti ducales apices contuliſſe, refert Leonardus Aretinus (c), eoſque centum quinquaginta millium aureorum pretio comparatos, ſcribit Theodoricus e Niem (d): qua de re etiam meminit S. Antoninus (e) Corius (f) autem deſcribit ordinem & magnificentiam pompæ, qua die prima ſeptembris ducalibus inſignibus a Beneſio comite oratore cæſareo Mediolani Joannes Galeatius exornatus eſt: has vero cauſas, ob quas Wenceſlaus jura imperii abalienarit, tradit S. Antoninus (g), nimirum Wenceſlaum ſuperiori anno de recuperandis in Italia imperii juribus leviora aliqua conſilia agitaſſe, ac Florentinos & Mantuanum Patavinumque principes de fœdere adverſus Mediolanenſem faciendo, ad nimiam ejus potentiam comprimendam poſtulaſſe; ac primum Mantuanum & Patavinum aſſenſiſſe: ſed Florentinos imperialem vim magis veritos perviciſſe, ut legatis cæſareis reſponderetur, ſedata jam quæ cum Mediolanenſi intercedebant bella; quare Wenceſlaus res Italicas derelinquere conſtituit, & creato ut dicebam, Joanne Galeatio duce magnam Florentinis curarum materiem intulit; qui mox de fœdere cum Gallo Rege ineundo conſilia agitarunt.

(c) *Aretin. hiſt. Flor. l. 11.* (d) *Theod. e Niem. l. 2. c. 25.* (e) *S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 23.* (f) *Corius hiſt. Mediol. par. 4.*

Jo. Galeatius Vicecomes ducalibus inſignibus ornatus.

(g) *S. Anton. ſuper. cap. §. 21.*

Divina in Joannem Regem Aragon. ultio.

In Aragonia (b) editum eſt divinæ juſtitiæ exemplum in Joannem Regem, quem ipſis regni primordiis traxiſſe Aragones in ſchiſma vidimus: is enim inter venandum haud diſpari ac Rex Caſtellæ caſu ex equo ruens cervices illiſit, cum viſa immanis formæ lupa exhorruiſſet. Creditum a nonnullis conterritum fuiſſe a dæmone: *Joannes, Rex*, inquit Mariana, *in Foxano nemore, cum venationi operam daret, portentoſæ magnitudinis lupa excitata, ſive ſpectrum id fuit, ſive vera ſpecies, morbo repentino & lethali oppreſſus ad* XIV. *kal. julii deceſſit*. Ita additus eſt ille Regum & principum ſchiſmaticorum numero, qui funeſto lethi genere perierunt, nec Petri principis Minoritæ in ſchiſmaticos Reges minæ ad irritum cecidere. Exarſit inde de regni ſucceſſione contentio, Matthæus namque Fuxi comes Joannis gener uxoris jure ſceptrum ſibi debitum contendebat, contractiſque aliquot in Galliis copiis, cum ſibi Catalanos infeſtos putaret, jus armis perſequi conſtituit (a): ſed demum poſt aliquos ſecundos ſucceſſus ipſe Aragonia pulſus (b) ac Martinus Joannis poſtremi Regis frater ex Trinacriæ expeditione reverſus in regium ſolium evectus eſt (c).

(b) *Surit. indic. l. 3. & annal. lib. 3. Marian. l. 19. c. 15. & alii.*



(a) *Surit. annal. l. 10. c. 58. 59. 60.* (b) *Ib. c. 61.*

Martinus in regno ſuccedit.

(c) *Ib. c. 63.*

XX. B. Margaritæ Picenæ obitus. Ejus origo humilis.

Hoc anno (d) B. Margarita vidua multis miraculis illuſtris Septempede in Piceno ad felicem immortalitatem migravit. Ruſticis & pauperrimis nata parentibus eſt, atque ideo paſtorella dicta, ut tradunt vetera monumenta (e) italico ſermone conſcripta, quæ in latinum verſa a Pompilio Caccialupo, hæc habent: *Simplicitate, charitate, manſuetudine, & humilitate præcipua Deo grata extitit, illud ſibi præ oculis ſemper ponens Deo optimo maximo, ac proximis inſervire: ac opem ferre, dijudicans neminem; corpori tamen ſuo plagas infligere ac ipſum ſemper inedia macerare, ut pauperibus præſto eſſet, condignum putans; nec quidem immerito vel inſulſe, cum Deus bonorum omnium remunerator & elargitor, ad hujuſce laudem ac bene agentium exemplum miraculum hoc ediderit oſtenderitque. Exierat ſiquidem puellula hæc Margarita ſuæ pauperculæ matris juſſu ad paſcendum oves, & ut ex hiſtoriæ verbis quaſi dignoſcitur, ſatis tenellula, annoſque vix nata ſeptem, cum peregrinus quidam forma conſpicuus, fameque & itineris labore nimium languens ei occurrit, qui precibus, lacrymiſque effuſis ipſam ſic tandem alloquitur: Filia audi verba, quæ ego nunc dicturus ſum, ni ſuccurras jam fame pereo, atque ob hoc languens ad te veni. Si igitur panis fruſtulum tibi ſuperfuit, mihi Dei amore hoc elargire.*

(d) *Baron. in notis ad Martyrol. Rom. die 27. Auguſt. ex actis a Severinatibus Romam miſſis.* (e) *Ext. in MS. cod. bibl. Vallicell. ſign. lit. A. p. 415.*

Licet pauperrima in pauperes liberalis fuit.

Chriſtus ſub egeni ſpecie ab ea panem poſcit.

*Quibus vix dictis ita Dei noſtri amore Margarita exarſit, ut licet ipſa fame nimium laboraret, panem omnem, quem perpaucum tulerat ex ſacculo, quem ruſtici ſaccutellam vocitant, accipiens ipſi detulit: qui cum pane hoc virgunculæ hujus Margaritæ famem expuliſſet, lætus admodum ac jucundus ſurgens pedes, cum antea ſediſſet, charitatemque hujus admodum attollens, ipſam pluries propria manu benedixit, diſcedenſque ei viſus eſt non humanus vir, ſed divinus, præſertim cum odorem omnium maximum & ſuaviſſimum inibi reliquiſſet, tantaque Margaritam dulcedine affecit, ut in poſterum vanas mundi hujus delitias atque honores ſemper neglexerit, conſpicui peregrini jugiter memoria ardens atque conflagrans, illum Deum ſuum eſſe credendo, quo ut nec antea, nec tunc, nec poſtea dulcius quid ſibi viſum aut ſuavius umquam in vita fuit, dietimque mane & ſero gloriam hanc & odorem ſemper præſentem habere in poſterum ſibi viſa eſt; tandemque nec aliud die illo, quo miraculum hoc effulſit, egit quam preces, lachrymas & orationes ad dominum noſtrum Jeſum Deum ſuum effundere; ita enim Dei ſui amore exarſerat, quod diem hunc totum jejunum penitus atque intactum duxit; noctuque ut moris eſt, cum pecudibus Margarita rediens, cum jam fame afflicta eſſet, quam humillime matrem alloquens, panem poſtulat: quæ, cum paupercula admodum & inops eſſet, ſic filiæ ſubiraſcitur: Vidiſti, filia, hoc mane capſulam hanc noſtram pane penitus, frumento, & farina vacuam, tecumque quod inerat attuliſti, quomodo famem expellere de more potuiſti, tu autem modo nimis audax, & ante horam panem poſcis, matris tuæ & aliorum fame pene deficientium penitus oblita? nec ego panis penuriam in divitias, parvaſque menſuras in magnas vertere poſſum; converſaque ad eam Margarita pro pane inſtantius orat, in domino Jeſu confidens, qui numquam bonum irremuneratum dimiſit; idque ipſa confidentius faceret, cum ipſa ideo jejuna ſit, quæ panem omnem, quem tulerat, peregrino cuidam laboranti nimium præ fame dederat, nec quidem ſe ita egiſſe pœnitet, cum ille ſibi Jeſus Deus ſuus viſus ſit & cætera matri enarrans ut geſta erant. Patere igitur æquo animo famem, quam ſponte voluiſti, mater ait, & his dictis capſam aperiens panem magnum valde atque dulciſſimum inveniens accepit, fruſtulatimque diviſum Margaritæ primum, deinde domeſticis, conſanguineis, & vicinis tradens, qui tunc forte, ut magis miraculum innoteſceret, aderant. Tanta repente in dictorum omnium corporibus ſatietas & dulcedo exorta eſt, ut Margaritam tantum obſervarent, colerent, & venerarentur, & ut pro ipſis ad Deum preces funderet deprecabantur: quo ſit ut omnes inſimul charitate, benevolentia, & Dei amore compulſi fraterne jugiter in poſterum vitam degant.*

Petenti quem habebat dedit.

Ipſa fame afflicta domum redit.

Eſurienti panis ingens & dulciſſimus datus.

Plures miraculi teſtes fuere.

XXI. Connubio juncta filios in Dei amore educat.

Decreverat ipſa virginitatem perpetuo colere, at aliter Deo viſum ob filios filiaſque, quos in Chriſtiana pietate maximo ſtudio educavit, enituitque maxime conjugatis pudicitiæ & obſequii honeſti in virum laude; quo vita functo in eo curam omnem poſuit, ut filios a vitiorum lapſu præmuniret, ſeque vitæ auſteræ addixit: *Veſtibus*, inquit author, *juxta conditionem induta extrinſecus, intrinſecus vero aſperrima interula, quam concilium appellant, ſemper induta, chorda carnes ſuas cir-*

Vire mortuo aſperrime corpus macerat.

*circuiens, poſt ipſius mortem oſſa collidens & conſumptis carnibus eadem quaſi latens reperta ſit* : Memor etiam confixorum Chriſti pedum cruciabat ſe clavo pedi infixo, mortiſque imminentis a Virgine deipara præmonita eſt : *De inſtanti obitu quindecim ante diebus ab ipſa Virgine Dei matre fuit admonita ; & rogata a filia & quid moriens ſibi relinqueret, cum calceos relinquere ſe dixiſſet, quibus tamen uſa nunquam fuerat, filia matrem nihil temere loqui ſolitam ſciens, rem diligentius perſcrutata pedum ſolia ſic a reliquis partibus deprehendit ſejuncta, ut calceorum ſpeciem præſeferrent, affixo etiam alteri eorum clavo ferreo in calce quem illuc corporis gravius afficiendi gratia ſeverior adverſum ſe mulier intruſiſſe creditur. Servantur adhuc eadem calciamenta una cum clavo ipſo Septempedæ ad D. Dominici ædem ſeorſum a reliquo corpore in vitreo quodam vaſculo.* Claruit poſt mortem ingentibus miraculis, quæ in tabulario eccleſiæ Septempedanæ leguntur ; & licet ritu ſolemni nondum conſecrata ſit ejus memoria, in martyrologio tamen Romano authoritate apoſtolica ſcripta eſt.

Præmon. a Deipara de die obitus.

Vulnerum Chriſti memor pedem clavo transfixerat.

Miraculis fulget.

XXII. Hoc anno Margarita Norvvegiæ & Daniæ regnis Sueticum adjecit, ut tria florentiſſima ſceptra fœminea, ſed forti manu ſuſtentaret, de qua Olaus Magnus (*a*) : *Sueonum & Gothorum Regina deſignatur anno Chriſti MCCCXCV. qui ſeptimus erat ab Alberti captivitate : conditiones autem plurimæ & magnæ ac ſumme neceſſariæ in ejus aſſumptione per Sueonum proceres adjectæ fuerunt, quas illa promptius ſigillis & juramentis confirmat, quam proponi poterant aut nominari. Inter cætera autem cautum erat, ne publica regni officia ſive arces & caſtella aliis quam in regno natis committerentur, neque Danos in cauſis Sueonum judicandis præficere vellet : ſed Sueonum controverſias Sueticorum procerum judicio examinandas & terminandas eſſe : præterea nulla inſolita tributa aut onera incolis imponenda, niſi regni Suetiæ ſenatu conſentiente, cæteraque omnia de patriis legibus & conſuetudinibus obſervandis ita juravit, ut ſi effectus par juramento ſecutus fuiſſet, nunquam Sueticæ reipublicæ melius conſultum fuiſſet.*

(*a*) *Magn. l.2. de mira nat. rer. ſept. c.24.*

Fœderis leges.

XXIII. Oſtenſa cœlo hoc anno plura prodigia graviſſimum terrorem imminentium malorum intuliſſe feruntur. (*b*) In Aquitania nocte intempeſta volitantes cœlo equitum acies inſpectas, armorumque fragores auditos, inque diœceſi Magalonenſi ſtellam ingentis ſplendoris effulſiſſe in aere, in quam plures minores circumfuſæ impetus continuos impreſſerint, ac tum hominis ignei æneo equo inſidentis effigies lancea jaculante flammas ſtellam configere viſa. In Hiſpania (*c*) in agro Valentino terra cum horrendo mugitu movit, ædeſque evertit, tum fontes duo ſulphurei fluxere. In Wandalia etiam grandinem humanam effigiem præferentem decidiſſe, narrat Albertus Krantzius (*d*) : *Cecidit*, inquit, *per id tempus circa aſſumptionem D. Mariæ grando humanæ faciei præferens imaginem, quod prodigii habuere loco, qui ſuperſtitiones perſequuntur : diſcrevere in glacie faciem viri ac mulieris, barbati virorum, fœminarum vero criſpantibus involuta peplis imago in grandine cernebatur. Fidem fecere viri probati, qui manibus tenuere mirantes.*

(*b*) *Vvalſin. in Eduar. 1.*

Prodigia cœlo viſa.

(*c*) *Surit. l.3. Marian. l. 19. c.6.*

(*d*) *Krantzius. l.9. Vvand. c. 32.*

Grando portentoſa.

Viſa ſunt hæc triſtia fuiſſe præſagia ſecutæ proximo anno ad Neapolim maximæ cladis, qua Galli a Turcis fuſi ſunt. Circumferebat latius hoc tempore ferrum flammamque Bajazetes Turcarum Imperator, cum ſchiſmate diviſi principes Chriſtiani ferrum in mutua viſcera converterent, Hungarorumque Græciæ provincias atteri permittentium inertia inſoleſcens in Hungariæ fiduciaria regna penetravit, coegitque Sigiſmundum Regem, ut curas licet ſeras pro tuenda Pannonia ſuſciperet, quibus de rebus hæc Bonfinius (*e*) : *Bajazetes Turcorum Imperator Amorate patre longe audacior & acriore in rebus gerendis ingenio, brevi Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Bæotiam, & Atticam in poteſtatem ſuam redegit. In Myſios mox erupit, quos nunc Bulgaros vocamus, & ſub Hungarorum ditione eos eſſe noverat. Cum e ſociorum literis variiſque rumoribus Sigiſmundus accepiſſet Turcos Myſias invaſiſſe, in divina humanaque ſævire, omnia igne ferroque vaſtare, ad Bajazethem continuo legatum miſit, monens ut & provincia, in qua jus nullum ſe habere noverit, & alienis rebus manum abſtineret. Si quid fas, quid æquum foret, recte ſciret. Diſtulit ille reſponſum donec univerſam fere provinciam occupavit : deinde cum domos armis inſtruxiſſet accito legato ſat ſibi juris eſſe reſpondit, quando parietes etiam ſua jura præferrent. Cum hæc legatus continuo retuliſſet, Sigiſmundus huic jus omne in armis eſſe ſenſit, cum diro ſibi hoſte agendum eſſe ratus, haud parum timere cœperat ; decimo ſui regni anno expeditionem in Turcos ipſe ſuſcepit.* Confirmat Juvenalis Urſinus (*f*) Turcas Chriſtianum imperium ſubiicere meditatos : ac Sigiſmundum quinquaginta duo bellatorum millia coegiſſe, atque ingenti prælio Bajazetem fudiſſe, decretaſque in Galliis pro agendis Deo gratiis ſolemnes ſupplicationes. Cum vero Bajazetes ab opprimendis Chriſtianis non abſiſteret, Tamerlanem in eum conſurgere permiſit Deus.

(*e*) *Bonfin. dec.3. l.2.*

Bajazetis progreſſus.

(*f*) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI. hoc anno.*

Hoc porro anno irrupiſſe in Moſchoviam Tamerlanis duces, refert Sigiſmundus Liber (*g*) ex vetuſtis Moſchorum monumentis additque fuiſſe copiis maximis



(*g*) *Sigiſm. Lib. in comment. de Moſch. p.88.*

Tamerlanis irruptio in Moſchoviam.



ſuccinctos, adeo ut Moſchi terrore perculſi, deſperata victoria, niſi eam Deus miſericors conferret, ad Deiparam confugerint : cujus ope Tartaros propulſatos, refert : *Themiraſſack cum exercitum maximum in Retzan ad depopulandam Moſcoviam duxiſſet, tantum terrorem principibus Moſcoviæ injecit, ut deſperata victoria abjectis armis ad divorum tantum auxilium confugerent. In Vvolodimeriam ſtatim pro imagine quadam D. Mariæ Virginis, quæ multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt, quæ cum in Moſcoviam duceretur, princeps omni cum multitudine honorifice illi obviam procedit, eaque primum ut hoſtem averteret humillime implorata, maxima veneratione ac reverentia in civitatem deducit, quo cultu ſe impetraſſe dicunt, quod Tartari ultra Retzan non fuerint progreſſi : in cujus rei perpetuam memoriam eo loci, ubi imago expectabatur, ſuſceptaque fuit, templum exædificatum eſt, dieſque is, quem Rutheni Stretenne, id eſt obviationis diem vocant, XXVI. auguſti quotannis ſolemniter celebratur. Acta ſunt hæc ann. 6903.* nimirum Chriſti domini MCCCXCV. Ut vero in Lituaniam & Poloniam penetrarint Tartari, dicetur inferius.

Deiparæ imago in Vvolodimeria clara miraculis.

Propulſati divinitus Tartari.

I.

(a) Bonif. l.4.p. 54.

Peruſini ad eccleſ. obſequium reverſi.

Plures eorum exemplum ſecuti.

Biordus in gratiam receptus.

(b) Bonif. l.4. p.57.

ANno a virgineo partu nonageſimo ſexto ſupra milleſimum trecenteſimum indictione quarta Bonifacius pluribus Romanæ eccleſiæ hoſtibus ad Apoſtolicæ ſedis obſequium redeuntibus paternum ſinum explicuit (a), in primiſque Franciſco epiſcopo Narnienſi præcepit, ut Peruſinos ac finitimos nonnullos populos cenſuris ſolutos in priſtinam cum Eccleſia gratiam revocaret: *Populus*, inquit, *& commune ac ſingulares perſonæ civitatis noſtræ Peruſinæ ac univerſitatis, caſtrorum, terrarum, & villarum, comitatus, & diſtrictus civitatis ejuſdem, ac etiam terrarum & caſtrorum Gualdi captaniorum & Canarii ac Colliſmoncii; & Turriſcolis, Tudertinæ, & Aſſiſinatis diœceſis, qui dudum ſe ab obedientia & ſubjectione Romanæ eccleſiæ temere ſubtraxerant, & dictæ eccleſiæ rebelles fuerant, nuper ad cor redeuntes, & ſuos cognoſcentes errores ad noſtram & ejuſdem eccleſiæ devotionem & fidelitatem ac obedientiam ſint reverſi*, &c. Datæ etiam eidem epiſcopo partes fuere (b), ut Biordum defectionis authorem pœnitentemque in gratiam reciperet, ac legum ſeveritate ſoluta priſtinis juribus reſtitueret. Cum vero innuere videatur Theodoricus e Niem (c) illum, dum in humanis fuit, in perduellione & pertinacia obduruiſſe, Tudertumque ſpretis apoſtolicis imperiis ſuæ tyrannidis jugo attriviſſe, vel ſuperiora authorem latuiſſe putandum eſt, vel Biordum ficta demiſſione Pontificem deluſiſſe, ut ea ſpecie acies, quas ille in ipſum ab epiſcopo Fulginate concitari ineunte anno juſſerat (d), a ſe averteret, indictumque in eum bellum ſacrum retardaret. Addit Theodoricus (e), Biordum Peruſii ab abbate Suburbani monaſterii S. Petri ei familiaritate conjunctiſſimo, omniumque conſiliorum participe in thalamo trucidatum perduellionis pœnas luiſſe: illum vero abbatem, qui Biordi cæde cardinalitios honores adipiſci ſperaverat, ſpe & expectatione fruſtratum, proſcriptumque a Peruſinis fuiſſe. Meminit etiam de Biordi nece Leonardus Aretinus (f), quam in proximum annum conjicere videtur. At de infelici Biordo ſatis: nunc ad alios, qui ad officium felicius reducti fuerunt, redeamus.

(c) Theod. e Niem. l.2. c.15.

(d) Bonif. l.4. p. 27.

Trucidatus a ſocio.

(e) Theod. e Niem. l.2. c. 16.

(f) Aret. hiſt. Flor. l. 11.

II.

(g) Bonif. l.4. pag. 133.

Romani in geminas factiones diſtracti.

Sopiti etiam Pontificis (g) ſtudio & induſtria fuere maximi tumultus, qui Romanos proceres in geminas factiones divulſos in mutua odia cædeſque commoverant. Alterius factionis, quam Guelpham vocabant, ſigniferi erant Urſini, qui Tifernum, ac nonnulla alia loca munita una cum fœderatis militari firmarant præſidio, e quibus in Romanos in alteram factionem propenſiores infeſti excurrebant, de quibus conciliatis, ſancitiſque inter ipſos pacis legibus corroboratis a Bonifacio diploma (h) editum eſt.

(h) Ibid.

Petri e Luna doli ad turbandam Eccleſ.

(i) Vualſin. in Rich.2. & in Ypodigm. Neuſtr. Froſſ. to. 4. c.64. & 78. Juvenal. Urſin. in Carol. VI.

Francorum & Anglorum Reges juncti fœdere.

Sedatos urbis motus iterum concitare in Bonifacium niſi ſunt Petri e Luna antipapæ nuntii, dolis ab illo inſtructi, quæ res, ut illuſtretur, paulo altius repetenda eſt. Junxerant hoc anno (i) arctiſſima inter ſeſe fœdera Francorum & Anglorum Reges: ad quæ aſtringenda Carolus Iſabellam ſeptennem Richardo juniori deſponderat, receptis ab Anglo nonnullis arcibus, quas in Galliæ ora tenebat, ac refuſa in Anglum conſtituta auri vi induciæ in triginta annos extrahendæ, firmatæ fuerant. Qui Reges ita conciliati de redintegranda priſtina eccleſiarum ſub uno ſummo Pontifice & vero Chriſti vicario conjunctione mutua conſilia contulerunt, repudiatoque concilio œcumenico, quaſi tum ad ipſos monarchia eccleſiaſtica ſpectaret, ſanxere, tam antipapam quam verum Pontificem ad pontificia ornamenta abjicienda adigendos: nam politici fateri crimen ſchiſmatis, eaque ratione eccleſiarum conjunctionem inſtaurare abnuebat. Quamvis vero Richardus Rex ex Anglicanæ eccleſiæ conſilio miſſis oratoribus Gallo Regi expoſuiſſet non cogendum eſſe verum Pontificem ad deponendum pontificalem ornatum, ſed œcumenicam ſynodum congregandam, in eaque cognita cauſa antipapam exauthorandum, quod narrat Juvenalis Urſinus (k); tamen in colloquio cum Francorum Rege habito cum iidem politici ſtare juri detrectarent, ſed Pontificem parere ipſorum cupiditatibus vellent, a ſuſceptæ ſententiæ conſtantia deſcivit, ac Romanæ eccleſiæ patrocinium maximo ſuo dedecore, & damno abjecit: utque ſuis commodis inſerviret, ad conjungenda pro exauthorando Pontifice cum aliis conſilia ſubornari ſe ſivit, falſa ſpe adductus antipapam, uti ſacramento erat pollicitus, invaſo gradu deceſſurum. Popoſcit itaque a Bonifacio, ut pontificia dignitate ſua cum æmulo abiret, cui repulſam dedit Bonifacius.

Eccleſiæ cauſam prodit Richard.

(k) Juv. Urſin. in Car. VI.

Gallorum mendaciis ſe ſubornari ſinit.

III.

Miſſi a Petro e Luna impoſtores ad Urbem.

Exinde Petrus e Luna ſtruendi Bonifacio novos dolos occaſionem ſumpſit, miſitque meditati ſceleris adminiſtros, qui pacis univerſæ Eccleſiæ reſtituendæ ſpecie novas turbas miſcerent: quorum inſidias cum metueret Pontifex, venire ipſos in Urbem vetuit: qui ad Honoratum Fundorum comitem ſe contulere. Ad quos Bonifacius, ne concordiæ publicæ iter obſtruere videretur, Franciſcum epiſcopum Segobienſem interpretem miſit: ſed is patriæ ſtudium religioni prætulit in gratiam Hiſpani antipapæ, adeoque ſuo de-





ſcivit munere, ut ad ejuſdem antipapæ nuntios, quæ a Bonifacio non erant dicta, referret, daretque operam, ut in urbem irreperent inſcio vel invito Pontifice, conjurationeſque cum iis, quos ad ſcelus paratos comperirent, molirentur. Verum patefacto ſcelere Bonifacius in Franciſcum proditorem legum ſeveritatem a Conrado pontificii ærarii præfecto adhiberi (a) juſſit. [1]

(a) Bonif. l.4. ep. cur. pag. 53.

Eorum nomina.

*Venerabili fratri Conrado archiepiſcopo Nicoſienſi camerario noſtro, &c.*

*Ad audientiam noſtram pervenit, quod filius iniquitatis Franciſcus epiſcopus olim Segobienſis in Romana curia conſtitutus, dum viri ſeditioſi Bartholomæus, qui ſe epiſcopum Haunenſem nominat, Dominicus Maſchon legum doctor, Petrus Garſiæ, & Bartolinus de Ruſtigiis, prætendentes ſe ambaxiatores & nuncios maledictionis alumni Petri olim S. Mariæ in Coſmedin diaconi Cardinalis dicti de Luna nunc antipapæ, qui ſe Benedictum XIII. auſu ſacrilego nominat, ad civitatem Fundanam declinaſſent, & prætenderent ſe ab eodem Petro in mandatis habuiſſe ad noſtram præſentiam veniendi, & nobiſcum de modis tenendis circa remotionem inſtantis damnati ſchiſmatis colloquendi, nec a nobis certis rationalibus cauſis, quas ad præſens ſubticemus, veniendi ad nos potuiſſent licentiam obtinere; ac dicto Franciſco, qui eis notus erat, reſcripſiſſent, ut ad eos curaret accedere, noſque ipſi Franciſco ad eos accedendi, & audiendi, quæ illi dicere vellent, illaque nobis fideliter referendi licentiam tribuiſſemus: dictus, inquam, Franciſcus ſuæ ſalutis immemor & proprii prodigus honoris, noſtrorumque mandatorum, ſuique debiti prorſus oblitus, cum ad illos acceſſiſſet una vice rediens, diverſa, quæ ſe ab illis audiviſſe dicebat confingens, unum pro reliquo reportavit, & cum illis forſan eorum falſis pollicitationibus faſcinatus, diabolico ſpiritu inſtigante, ac Deo poſt tergum habito doloſe, malitioſe, ac penſate & deliberate cum illis tractavit & tractatum tenuit, quod illi etiam nobis in ſuis, vel ſi forte ſciremus contra voluntatem noſtram ad almam urbem venirent, & cum illis ex perſonis in prædicta urbe morantibus, quas ſuum iniquum propoſitum perficiendo in ſuam ſententiam allicere & attrahere poſſent, contra etiam perſonam noſtram ſtatumque noſtrum & eccleſiæ Romanæ, ac univerſalis reipublicæ in eadem urbe tumultum concitarent: & in ſubverſionem noſtram & ejuſdem eccleſiæ, ac reipublicæ cum talis tumultus favore & alias utcumque poſſent, omne illis poſſibile malum facerent & complerent; & ut præmiſſa ſic fierent dictus Franciſcus præbuit & ulterius ſe præbiturum obtulit conſilium, auxilium, & favorem: ac tandem cum ſibi ad eos redeundi pro tunc opportunitas non adeſſet, auſu temerario & præſumptione damnabili os in cœlum ponens, lingua ejus tranſeunte ſuper terram, illis de nobis propria manu ſcribere non erubuit quamdam literam nefandis & infamibus ignominiis, opprobriis, & conviciis repletam, per quam etiam eos ad perficiendum tractata quantum poterat, hortabatur hæreſis, apoſtaſiæ, læſæ majeſtatis, perjurii, & conſpirationis, ſeu conjurationis, & jam contra nos crimina damnabiliter incurrendo.* Et infra:

Arcentur aditu in Urbem a Bonif.

Miſſus ad eos epiſc. Segobien.

Faſcinari ſe ſinit ad prodend. Pontificem.

Factas coitiones ad excitan. tumultum.

Proditoris Hiſpani pro antipapa Hiſpano auſa.

*Veris exiſtentibus ſupradictis præfatus Franciſcus dignitate epiſcopali reddidit ſe indignum, eſtque pœnis multiplicibus affligendus, ne ſui tanti errores ſi tranſirent impune, aliis delinquendi præbeant incentivum, quin potius pœnæ meritæ ſubſecutæ alios a ſimilibus exterreant perpetrandis, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vocatis dicto Franciſco & aliis, qui fuerint evocandi ſuper præmiſſis etiam ex officio ſummarie ſimpliciter & de pleno & ſine ſtrepitu & figura judicii authoritate noſtra inquiras diligenter veritatem: & ſi per inquiſitionem hujuſmodi inveneris eumdem Franciſcum culpabilem de præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, eum punias juxta canonicas ſanctiones, &c. Datum Romæ apud S. Petrum VI. id. aprilis pontificatus noſtri anno VII.*

Inſtitutus in eum ordo judiciarius.

IV.

Studia a Bonif. adhibita quo Trinacriam ſchiſmate non irretiatur.

(b) Lib.4. ep. cur. p.86.

Intendendæ pariter Bonifacii curæ fuerunt ad retundendos ſchiſmaticorum conatus, qui Trinacriam a Chriſti vicarii obſequio abducere nitebantur. Confirmavit eorum audaciam Martinus Aragonius, qui Mariæ Reginæ nuptiis armiſque regnum illud magna ex parte ſubegerat, de quo & aliis ſchiſmatis præconibus ita queritur Pontifex (b): *Sicut accepimus, in dicto regno nonnulli S. Franciſci miniſtri & aliorum mendicantium ordinum priores, provinciales, & alii fratres & profeſſores or-*



NOTÆ [1] BEnedictus XIII. ablegatos quidem ſuos ad Romanorum animos tentandos miſit, ut annaliſta hic narrat, ſed legatio ſeu miſſio iſta ad annum ſuperiorem pertinet. In nota enim ad præcedentem annum prolata ſunt verba epiſtolæ Joannis e Petramala ad Romanos, in quibus miſſio hæc comitis Fundorum & aliorum a Benedicto XIII. ablegatorum commemoratur. In literis vero illis enunciatur annus a cœpto ſchiſmate XVII. qui ſane partim anno 1394. partim anno 1395. reſpondet. Si quis vero literas illas legat attentius, fortaſſe intelliget oratores illos ablegatos externa quidem ſpecie veniſſe, ut Romanos ad procurandam eccleſiarum conjunctionem inducerent; re autem ut Romanos ad Benedictum traherent. MANSI

*dinis prædicatorum, Dei timore poſtpoſito aſſerentes damnatæ memoriæ Robertum olim baſilicæ duodecim Apoſtolorum presbyterum Cardinalem tunc antipapam, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominabat, fuiſſe verum Papam; & iniquitatis filio Martino duci montis Albi publice & notorie adhærentes fore noſcuntur; ac eidem Martino, ejuſque ſequacibus & adhærentibus in tantum ſuis prædicationibus, & operibus favere, ipſoſque exaltare præſumant, quod fideles & obedientes noſtri in ſuarum præjudicium animarum penitus opprimuntur, &c.* Ad eos coercendos impoſtores dedit ampliſſimam Giliforti archiepiſcopo Panormitano provinciam, eundemque in Trinacria ſedis Apoſtolicæ nuncium creavit (*a*), ut civiles diſcordias, quas Martinus Aragonius commoverat, ſedaret, Trinacriamque contra ſchiſmaticorum impetus in Romanæ eccleſiæ fide contineret.

(*a*) *Ib. p.* 85.

*Venerabili fratri Giliforti archiepiſcopo Panormitano Apoſtolicæ ſedis nuntio.*

Trinacriorum diſcordiæ.

*Vidimus jam eſt diu, dolenterque videmus diviſiones, diſcordias, ſeditiones, diſſenſiones, confuſiones, rancores, & odia quæ magnas calamitates, grandia exterminia, & jacturas irreparabiles minabantur, ex quibus regnum Trinacriæ, quod eccleſiæ Romanæ juris & proprietatis exiſtit, ejuſque proceres & incolæ motibus vehementibus & indeſinentibus agitabantur: nam alter alteri diffidebat, alter alterum ſupplantare aut confundere nitebatur: alter exteras & barbaras & (de quo magis dolendum eſt) in regnum præfatum inimicas & ſchiſmaticas nationes (tanta animi concitatio ſanum conſilium ſupprimebat) in confuſionem propriam inducere nitebatur; alter mœnia, neſcius an foret ab hoſte an a proximo plus timendum, reparabat: alter tantos motus ſimulabat non cognoſcere vel videre, dumque hæc ibidem furiis infernalibus agitarentur, nos quem non prætereunt incommoda filiorum, per diverſos nuntios noſtros illuc tranſmiſſos cum paterna charitate & pia ſolicitudine eoſdem proceres & incolas per maxima imminentia pericula, quibus ſubjacebant, edocere & eos ad concordiam & unitatem, per quam non ſolum amplæ & magnificæ, ſed etiam parvæ res conſervantur & creſcunt, & per quam ſi nos (prout par eſt & æquum fuerat) exaudiviſſent, a quacumque iniqua, quacumque valida atque forti manu illæſas poterant ſe ſervare, inducere curavimus & dum labant, & in ambagibus tempus teritur, ecce inimicus homo cumulatis viribus regnum ipſum aggreditur, plenum utique diſcordiis & ſimultatibus, & concordia & ſincera charitate nudatum, & prout votis cedit, quod poteſt ſibi ſubigit, ſpoliat, & carcerat, ad longinqua tranſmittit, & perimit atque mutilat, virgines & matronas trahit ad inhoneſtos abuſus, cuncta exponit avaritiæ atque prædæ, nec ullo modo ſatiatur ſanguine vel rapinis: divina & humana permiſcet, fidem vel alias promiſſa non obſervans, etiam ſub fide receptos jugulat, vel atris carceribus duriſque vinculis tradit; nec ſatis enumerari poſſent inexcogitatarum miſeriarum genera, quibus pro poſſe totum regnum complet. Quibus non obſtantibus adhuc per alios noſtros nuntios reliquos proceres & incolas de dicto regno, qui inimicas manus evaſerant conati fuimus ad unitatem, pacem & concordiam revocare: ſed peccatis exigentibus parum auditi, minuſque exauditi fuimus, quæ etiam in noſtrum & eccleſiæ Romanæ jurium redundant non modicam læſionem.*

Spretæ Pontificis ad concordiam adhortantis voces.

Martini Aragonii irruptio.

Læſa ab eo Romanæ eccleſiæ jura.

*Et cum adhuc Deo votis bene favente, devoti & fideles dicti regni ad pacem & unitatem inſimul cum effectu intendere velint, & nulla bona remedia ſuperſint per quæ ſe non ſolum ab hoſtibus tueri, ſed etiam illos plurimum poterunt fatigare ac debilitare, tandemque propellere ad remota ac reſtaurationi eorundem, noſtrorum & ipſius eccleſiæ jurium utiliter providere, & cum vel anxie cogitaremus de viis & mediis idoneis ad præmiſſa, te tandem virum utique inſignem & ſingularium meritorum, ac multipliciter nobis fidum, & in multis & arduis comprobatum, maturo ſuper his, nec ſemel, conſilio præhabito, ac deliberatione excuſſa, ad partes illas providimus deſtinandum.*

V.

Miſſus in Trinacriam internuntius.

*Te igitur attente requirimus & hortamur, tibi nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ & ad æternæ vitæ præmium diſtrictius injungentes, quatenus ad partes prædictas te perſonaliter conferens, & habens præ oculis ſolum Deum, inter proceres & incolas ſupradictos nobis & eidem eccleſiæ devotos, pacem, unitatem, & concordiam reformare omnibus ingenii tui viribus enitaris, nihil de contingentibus omittendo: nos enim tibi omnia & ſingula, quæ ad pacem, concordiam, & unitatem hujuſmodi, necnon ad reſtaurationem jurium prædictorum, ac noſtrum & ipſius eccleſiæ honorem, & bonum publicum dicti regni neceſſaria & utilia videbuntur cum eiſdem procurandi & incolis ac univerſitatibus eorum tractandi, deducendi, concludendi, procurandi, faciendi & exequendi, & etiamſi Deo, prout ſperamus, volente partes ad optatam pacem te medio reducantur, in capitulis pacis ejuſdem noſtram authoritatem & decretum interponendi, illaque non alia, quæ rationabiliter per te in præmiſſis tractata & deducta fuerint & concluſa ſub quibuſvis cenſuris & honeſtis ſtipulationibus validari, & etiam quod ea, authore Domino, inviolabiliter obſervari faciemus promittendi; necnon quoſcumque prælatos regni prædicti, ipſiuſque proceres, incolas, & univerſitates prædictos pro executione præmiſſorum & non-*



*nonnullorum aliorum per nos tuæ ſolertiæ confidentius commiſſorum ad conſilium & parliamentum ubi & quoties tibi expedire videbitur convocandi, plenam & liberam concedimus harum ſerie poteſtatem. Quapropter vade in nomine Domini, frater amabilis, angeluſque Domini tecum adſit, & in hac parte vota ſecundet, ut prout ſumme cupimus & ſperamus, pax, concordia & unio, necnon vera proſperitas ad honorem, & ſtatum ejuſdem eccleſiæ in prædicto regno ſubſequantur, & exinde gratias Deo agere, teque dignis laudibus poſſimus non immerito commendare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. id. junii pontificatus noſtri anno* VII.

VI. Genuenſes mutuis ſeditionibus impliciti.

Dum porro a Martino Aragonio Trinacria ferro flammaque in partes antipapæ adigebatur, ingemuit Bonifacius Liguriam ab ſede Apoſtolica divelli; externis enim bellis liberi Genuenſes in mutuas cædes ſtrinxere, civilibuſque tandem malis feſſi ex ſenatus decreto Regi Carolo Genuæ imperium, exauctorato duce Adurnio, contulere (*a*), ſubjectis his legibus præcipuis: *Primo ut Rex Galliæ foret legitimus Genuæ dominus, ac totius Liguſticæ ditionis princeps, ſalvis tamen Romano imperio juribus feudatariis & beneficiariis. Ut Rex ſuo nomine præſidem Genuæ haberet ex Galliis oriundum, qui in decernendis reipublicæ muneribus duo haberet in ſenatu, prout ſuperiores duces habuerant, ſuffragia. Ut decuriones, quos ancianos vocant, deinceps partim ex nobilitate, partim vero ex popularibus æquali diſtributione eligerentur. Ut Regi non liceret reipublicæ aliqua nova vectigalia vel portoria imperare. Ut populus Genuenſis propter exortum ea tempeſtate inter principes Romanum ſchiſma neutrius partis ſtudia ſequeretur vel foveret.* Expavit Bonifacius, qui Gallos tunc ſchiſmate implicitos dolebat, ne ipſi, cum jam Neapolim Genuamque in ſuam redegiſſent poteſtatem [1] ad reliquam Italiam ſibi ſubiiciendam aſpirarent: ac Balthaſſarem Coſſam, qui poſtea pontificios apices, accepto Joannis XXIII. nomine, geſſit, & Joannem a Caputgallis nuntios ad principes Italos ſubmiſit (*b*), ut armorum fœdera cum iis ad vindicandam a Gallorum conatibus Italiam inirent.

(*a*) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI. Hector. Pignatel. in diar. MS. Neubrien. l. 4. Bizar. hiſt. Genuenſ. l. 8. Foliet. l. 9. & alii.* Gallico jugo ſe ſubjiciunt.

(*b*) *Lib. 4. ep. cur.* 167.



*Dilectis filiis Joanni de Caputgallis de urbe notario, ac Baldaſſari Coſſæ archidiacono Bononienſi decretorum doctori cubiculario, noſtris & Apoſtolicæ ſedis nuntiis.*

VII. Fert egerrime Bonif. Gallorum progreſſus.

*Inter cæteras mundi regiones, quæ ſuggerente & uſque nunc humani hoſtis prævalente verſutia, turbationibus fluctuent domeſticis & externis, eſt inclyta cæterarum quondam imperioſa domina ac Regina, nunc inteſtinis quaſſata diſcordiis Italia numeranda cum ſubjectis circumpoſitis illi partibus ferme cunctis; in cujus dolendam perniciem, niſi ſalubriter & quantocius occurratur [proh dolor!] nunc emergit occupatio deteſtanda, per Gallicos præſumpta, noviſſime de civitate imperiali & magnifica Januenſi: quare eo diligentius ſalutaria ſunt ibidem apponenda remedia, nec minus etiam præcavenda pericula, quæ in univerſos, & præſertim Italos, noſtroſque & eccleſiæ peculiares filios redundare luce clarius dignoſcuntur, quo plures & quotidie ex colligationibus cum quibuſdam Italicis jam firmatis, & quæ jugiter per eoſdem Gallicos procurantur morborum cauſas videtur pater ille malignantium ſeminare.*

Ad eos Italia depellendos intendit ſtudia.

*Cum itaque ob præmiſſa, necnon pro quibuſdam aliis arduis negotiis bonum publicum ſalutemque fidelium concernentibus undequaque ad nonnullas partes vos præſentialiter dirigamus, ut ſalus ac tempeſtiva defenſio ejuſdem Italiæ cæterorum fidelium ſub pacis pulchritudine, ſine qua nullius boni perfecta poteſt eſſe conditio, per ſaluberrimæ proviſionis remedia votivis affectibus conſervari ac fieri valeant adverſus malignantium ſtudia quovis caſu; & ne ſinceritatem eorumdem noſtrorum & Eccleſiæ filiorum ſub ſpecie boni, peſtiferam parituræ malitiam, aliquis ſeducere valeat præcipitabiliter in ruinam, devotioni veſtræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, mandandi & diſtrictius inhibendi univerſis & ſingulis officialibus ac regiminibus, & quibuſcumque noſtris & eccleſiæ Romanæ provinciis, comitatibus, terris, & locis pro nobis & eadem eccleſia vicariis, eorumque vices gerentibus conſtitutis, quatenus ſub pœna excommunicationis in perſonis, interdicti in civitatibus, terris, ac locis, & privationis, ſi mandatorum hujuſmodi fuerint quomodolibet contemptores,*

Incuſſæ cenſuræ inituris fœdus cum Gallis.



NOTÆ [1] HOc anno, die XXV. octobris, Genuenſes libertatis, quam civium ſeditiones duriorem effecerant, pertæſi, urbis ſuæ dominium Carolo Francorum Regi detulerunt. Conditiones novæ hujus ſervitutis recenſet annaliſta ex Bizaro; ſed ea quæ ad eccleſiæ ſchiſma pertinent vereor ne a Bizaro ſincere ſatis expreſſa ſit. Non enim inter Gallos Genuenſeſque conventum fuit, ut *propter exortum inter principes Romanos ſchiſma, Genuenſis populus neutrius partis ſtudia ſequeretur*, quæ verba ſunt Bizari apud Annaliſtam; ſed potius, *ne poſſet rex* [Francorum] *ipſos Januenſes aſtringere, occaſione ſchiſmatis eccleſiæ nunc vigentis, ut plus adhæreant uni parti, quam alteri*. Quæ verba ſunt Georgii Stellæ, rerum Genuenſium ſcriptoris coævi, Rer. Ital. to. XVII. col. 1152. Integrum ergo fuit Genuenſibus in obſequio Bonifacii perſiſtere, & civilis regiminis forma mutata, eccleſiaſtica jura manebant intacta. Sed res erat plena periculi, verebaturque merito Bonifacius ne alienus a ſe Rex Gallus ſubjectos ſibi Genuenſes alienaret. MANSI

*eo ipſo vicariatuum, officiorum, privilegiorum quorumlibet per nos aut prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, aut Apoſtolicæ ſedis legatos vel nuncios hactenus ipſis, aut eorum alicui quomodolibet conceſſorum, ne aliquam confœderationem, ligam, unionem, vel pactum ſeu fœdus cum dictis Gallicis, aut eis adhærentibus, ſequacibus, vel fautoribus, ſeu aliis quibuſcumque dominis, univerſitatibus, aut ſingularibus perſonis ſuper his, quæ eorumdem Gallorum, aut eis adhærentium adhæſionem, aſſiſtentiam, aut ſequelam concerneret, quovis modo inire, firmare, vel quomodolibet contrahere præſumant.* Et infra: *vobis & utrique veſtrum in ſolidum plenam & liberam authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem, &c.* reſcindit coitiones etiam ſacramento confirmatas, quæ cum Gallis conflatæ eſſent, & facti religionem abolet. *Datum Romæ apud S. Petrum xv. kal. januarii pontificatus noſtri anno VIII.*

VIII. Franciſcus Portarius novus hæreſiarcha.

Inter hos bellorum turbines & ſchiſmatis tenebras ſubmiſit dœmon novum hæreſiarcham Franciſcum Portarium, qui novas hæreſes ſimplicibus afflaret: iſque Bononiæ publice in templo S. Petronii, Eccleſiam catholicam leproſam affirmare non perhorruit, nec ſacramenta rite conferri, adeo ut nullus ſacra baptiſmatis gratia ornaretur: quem nefarium hæreſiarcham Pontifex a Bononienſi epiſcopo juſta pœna affici juſſit (*a*).

(*a*) *Lib.4. ep. cur. p. 114.*

*Venerabili fratri … epiſcopo Bononienſi ſalutem, &c.*

*Ad audientiam noſtram relatibus fidedignorum quamplurimis, non ſine magna mentis noſtræ diſplicentia, noviter eſt inductum, quod Franciſcus Petri portarii civis Senenſis mere laicus, ſed notiſſimæ temeritatis, lingua veneficus, & ſeductor perfidus in noſtra civitate Bononienſi, & ibidem inchoata eccleſia S. Petronii; etiam contra inhibitionem tuam in publica prædicatione, quam ad congregatum Dei populum faciebat, ore ſubdolo & polluto, totam ſanctam Dei Eccleſiam leproſam fore, aſſerere non expavit; adiiciens etiam quod modernis clericis decimæ, quas ſibi Dominus in ſpeciale peculium reſervavit, non erant dandæ, quin potius valde peccabant divina audientes officia præſentium clericorum, & quod nulli temporibus iſtis Chriſtiani erant legitime baptizati; & nonnullos alios patentes errores hæreſim ſapientes prædicare & dogmatizare auſu nefario præſumpſit, & quotidie præſumit in gravem divinæ majeſtatis offenſam, animæ ſuæ periculum, ſubverſionem fidei catholicæ, eccleſiaſtici ordinis confuſionem, & ſcandalum fidelis populi Chriſtiani.*

Leproſam eſſe Dei eccleſiam blaſphemat.

Baptiſmum non rite conferri.

*Nos igitur attendentes, quod noſtra præcipue intereſt ſuper iis de opportuno remedio providere, fraternitati tuæ, qui etiam es in partem paſtoralis ſolicitudinis evocatus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus receptis præſentibus authoritate noſtra ex officio diligenter inquiras an dictus Franciſcus, qui ad præſens Bononiæ, ut aſſeritur, moram trahit, ſit præmiſſis vel præmiſſorum aliquo publice diffamatus; & ſi per inquiſitionem hujuſmodi eumdem Franciſcum inveneris de præmiſſis vel præmiſſorum aliquo fore publice diffamatum, eum ne fugæ beneficio debitam, ſi non retrahat cautius pedem a lapſu, pœnam evadat, capias & facias carceribus mancipari ac diligentius cuſtodiri: & nihilominus vocatis ipſo Franciſco & aliis, qui fuerint evocandi ſuper præmiſſis, eadem authoritate inquiras diligentius veritatem. Nos enim tibi in & ſuper iis, procedendi ſummarie, ſimpliciter, & de plano ac ſine ſtrepitu & figura judicii, necnon contradictores quoſlibet & rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis exiſtant, etiamſi pontificali dignitate præfulgeant, quandocumque, & quotieſcumque expedierit, eadem authoritate per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi, & invocandi ad hoc, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis, plenam & liberam authoritate apoſtolica tenore præſentium concedimus poteſtatem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum VI. id. ſeptembris pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

Juſſus in vincula conjici.

IX. Anglia Rex ad excindendos Vvicleffiſtas ſolicitatus.

Pari Bonifacium pietatis ſtudio commotum fuiſſe adverſus Wicleffi ſectatores, qui Angliam inficere nitebantur, refert Walſinghamus (*b*) his verbis: *Hoc anno Papa ſcripſit Regi Angliæ, oravitque ut aſſiſteret prælatis Eccleſiæ in cauſa Dei, & ipſius Regis & regni contra Lollardos, quos declaravit non ſolum proditores Eccleſiæ, ſed & ipſius Regis; rogavitque obnixius, ut quos præſules declaraſſent hæreticos condemnaret.* Obtemperaſſe Regem pontificiis monitis ex ſubſecutis rebus colligitur. Solicitum præterea fuiſſe Bonifacium de jure eccleſiaſtico aſſerendo, ac Richardum oraſſe, ut regia edicta immunitati ordinis ſacri adverſantia reſcinderet, oſtendunt apoſtolici regeſti literæ. (*c*) Cæterum cum Willelmus Courtenejus archiepiſcopus Cantuarienſis e vivis ſublatus eſſet, Thomas Arundelius (*d*) ex Eboracenſi ad Cantuarienſem archiepiſcopatum traductus eſt a Bonifacio, de quo Nicolaus Harpsfeldius (*e*) in hiſtoria eccleſiaſtica Anglicana ex monumentis eccleſiæ Cantuarienſis hæc narrat: *In eo juramento, quod de obſervantia Romano Pontifici exhibenda, cum hoc munus ſuſciperet præſtabat, cautum eſt inter alia, ne eccleſiæ Cantuarienſis poſſeſſiones alienaret, neve venderet, nec pignori daret, ut ſingulis trienniis Romam inviſeret: ne denique Roberto pſeudopontifici aut ejus aſſeclis opem*

(*b*) *Vualſin. in Rich.2.*

(*c*) *Lib.4. p.156.*

(*d*) *Vualſin. ubi ſup.*

(*e*) *Harpſf. hiſt. eccl. Angl. in ſæc.15. cap.9. & alii.*



*opem aliquam aut auxilium præſtaret.* Ornatus etiam eſt (*a*) a Bonifacio legati Apoſtolicæ ſedis munere; qui, uti ſibi fuerat imperatum, mox inito archiepiſcopatu Cantuarienſi ad Wicleffiſticam hæreſim excindendam celebravit hoc anno Londini provincialem ſynodum, in qua octodecim peſtiferi articuli (*b*) Wicleffi damnati ſunt, atque imperio archiepiſcopi Willelmus Windefordus Minorita libellum edidit, quo argumenta firmiſſima, ob quæ damnati eſſent illi hæreſeos illuſtrata, & hæreſiarchæ ſophiſmata diſcuſſa fuere.

(*a*) *Vvidſor. in tit. tra.*

Synodus Londinenſis adverſus Vvicleffum.

(*b*) *Ext. apud Vvideford.*

X. Damnata hæreſis, quod maneat panis poſt conſecrationem.

Primus articulus hic erat, *quod manet panis ſubſtantia poſt ejus conſecrationem in altari, & non deſinit eſſe panis.* Hanc novi antichriſti vocem retundit Willelmus Windefordus conciliorum œcumenicorum, ſanctorum patrum, & theologorum authoritatibus, ſubditque: *Magna fuit temeritas Joannis Vvicleffi, qui contra tot doctores a tempore Apoſtolorum uſque ad tempora noſtra ſcribentes, & contra multa concilia generalia, ut prius eſt dictum, præſumpſit dicere, quod nec Berengarius, nec Fredenuardus, nec aliquis alius hæreticus auſus fuit dicere, ſcilicet quod hæreticum eſt ponere panis ſubſtantiam deſinere eſſe in conſecratione, & accidentia remanere ſine ſubjecto.* His adiicit author tunc Wicleffi hæreſim tum ab academia Pariſienſi, tum a Willelmo Cantuarienſi archiepiſcopo in concilio, ejuſque decretoriam ſententiam a Romana curia fuiſſe confirmatam. Affert deinde ſophiſticas Wicleffi argutias, ſcilicet in trialogo (*c*), demonſtratum fuiſſe panem a Chriſto, atque ideo manere panem effutiebat. Reſpondet Windefordus: *Falſum eſt quod Chriſtus, qui mentiri non potuit dixit panem, quem accepit in manibus, eſſe realiter Corpus ſuum, quia non demonſtravit panem, quem tenuit in manibus per pronomen hoc, ſed contentum ſub ſpeciebus panis tranſubſtantiati in Corpus ſuum demonſtravit per illum terminum, hoc.* Et infra: *Cum illa verba ſint factiva, converſiva, & tranſubſtantiativa, oportet quod verba ſumantur practice: & patet manifeſte quod argumentum non concludit quod ſubſtantia panis materialis manet, ſed totaliter concludit oppoſitum.*

Vvicleffi temeritas.

(*c*) *Trial. l.4. c.2.*

Non demonſtratur panis per pronomen *hoc*. *Hoc eſt Corpus meum*, eſt propoſitio practica.

II. Wicleffi ſophiſma petebatur ex æquivoco, quod ſacramentum dicatur panis. Hanc argutiolam ita diſſolvit Windefordus: *Quamvis Chriſtus, Apoſtolus, Eccleſia etiam, & doctores authentici nominaverunt hoc Sacramentum nomine panis, non ex hoc ſequitur, quod hoc Sacramentum ſit ſubſtantia panis materialis, quod patet primo, quia Scriptura ſacra aliquando vocat res aliquas nominibus illarum rerum ex quibus fiunt, & attribuit termino mutationis ad quem nomen termini mutationis a quo, unde homo dicitur in Scriptura terra, quia factus eſt de terra, & de ſuperbo ſubſtantialiter dicitur: Quid ſuperbis terra & cinis? iſto modo de ſerpentibus converſis in virgas dicit: Devoravit virga Aaron virgas magorum, ubi ſerpentes vocat virgas, quia virgæ in ſerpentes converſæ ſunt: & iſto modo dicit Scriptura de Eva, quod erat os & caro Adæ, quia de oſſibus & carne Adæ facta eſt.* Et infra: *Sic ergo quia panis convertitur in Corpus Chriſti dicitur panis, & eſt Corpus Chriſti terminus ad quem converſionis panis, ideo more Scripturæ Corpus Chriſti dicitur panis, licet non ſit panis materialis in natura & a proprietate, ſicut nec ſerpens virga. Tertio patet idem quia Scriptura vocat res illorum nominibus, in quorum ſimilitudinibus apparent exterius, quamvis ſecundum naturam tales non ſint, ſicut Scriptura dicit Abraham vidiſſe tres viros & unum adoraſſe, cum tamen eſſent angeli in ſpecie virorum. Sic in libro Judicum dixit mulier: Ecce vir Dei venit ad me, & poſt apparuit mihi vir, quem ante videram; & tamen angelus fuit qui apparuit ſpecie viri.* Et infra: *In alia ſua ſignificatione ſumitur panis pro ſpeciebus panis; unde magiſter ſententiarum in IV. & alii doctores cum eo dicunt, quod ſpecies tenent vocabula rerum, quarum antea fuerunt: & ſic ſpecies panis & vini dicuntur panis & vinum.*

Cur Euchar. vocetur interdum panis.

III. Sophiſma Wicleffi eliciebatur ex ſenſu hominum & brutorum, ſed ſenſum non eſſe rectum divinorum judicem, cum etiam in humanis ſæpe fallatur, reſponſum eſt a Windefordo. Mira autem fuit Wicleffi impudentia, qui cum conciliorum & ſanctorum patrum perſpicuas auctoritates temneret, auſus ſit aliqua eorum dicta in pravum ſenſum detorquere, ut iis ſuam impietatem affingeret. Ita abutebatur Hieronymi ad Ebidiam verbis: *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque diſcipulis ſuis manducandum corpus eſſe Salvatoris, ipſo dicente: Hoc eſt Corpus meum. Ergo*, infert hæreſiarcha, *manet panis in Sacramento & eſt Corpus Domini.* Reſpondit Windefordus non frumentaceum panem intelligi, ſed viventem, qui de cœlo deſcendit, ut ex Hieronymi ſequentibus verbis patet. Cæterum reliquæ Wicleffi blaſphemæ argutiæ adeo inſulſæ ſunt, ut indignæ relatu videantur.

SS. Patrum dictis abuſus Wicl.

XI. Impium hæreticorum principium.

Secundus articulus damnatus in concilio Anglicano is eſt: *Sicut Joannes fuit figurative Elias & non perſonaliter, ſic panis figurative eſt Corpus Chriſti & non naturaliter Corpus Chriſti, & quod abſque omni ambiguitate hæc eſt figurativa locutio: Hoc eſt Corpus meum; ſicut illa in verbis Chriſti: Joannes ipſe eſt Elias.* Adverſus hæc venena opponit Windefordus inter plura alia: *Guimundus 3. libro de Corpore & San-*

Sacramentariorum hæreſis damnata in ſynodo Epheſina.

*& Sanguine Domini notabiliter & ſufficienter oſtendit per dicta Auguſtini, Ambroſii, Leonis, Cyrilli, & ducentorum epiſcoporum in ſynodo Epheſina, Gregorii, Hilarii, & aliorum doctorum, quod illud Corpus Chriſti, quod pependit in cruce & natum eſt de virgine Maria eſt ſubſtantialiter in ſacramento ſecundum naturam ſuam propriam. Ergo hæc non eſt figurativa locutio, ſicut ille panis ipſe eſt Elias.* Adducit Windefordus alias authoritates, Hugonis, Ambroſii, Dionyſii Areopagitæ vocantis diviniſſimum panem, qui dividatur indiviſibilis, veletur & reveletur, ſcilicet indiviſibilis & velatus in ſe, dividatur & reveletur in ſymbolis: tum quod plures ſapientes a fide deſciverint: cum intelligere non poſſent totum corpus Chriſti, quod in cœlo eſt, eſſe in ſacramento, quod difficile non erat ſi tropice eſſe dictum fuiſſet; tum addit hoc validiſſimum argumentum; *Chriſtus inſtituendo ſacramentum dixit: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Ergo hoc idem Corpus naturaliter, quod pro diſcipulis fuit traditum ad crucifigendum, fuit eis traditum in ſacramento ad edendum, & per conſequens idem corpus quod fuit in cruce, identice eſt in ſacramento.* Et infra: *Ambroſius ponit iſtam converſionem panis in Corpus Chriſti eſſe præter ordinem naturæ ſicut & generationem, qua Virgo Chriſtum generavit eſſe præter ordinem naturæ, ex quo concludit, quod illa converſio eſt valde miraculoſa ſicut & generatio, qua virgo filium generavit, fuit valde miraculoſa & ſingulariter miraculoſa; & tamen non eſſet valde miraculoſa ſi eſſet ſolam converſio tropica & figurativa, & non ſubſtantialis & tranſubſtantiva.*

B. Dionyſii Areop. ſententia.

Argumentum ex verbis Chriſti, *quod pro vobis tradetur.*

XII.
Impudentiſſimum Vvicleffi mendacium.

Tertius Wicleffi articulus damnatus in ſynodo Londinenſi eſt impudentiſſimum hoc mendacium, *quod in capite ego Berengarius, curia Romana determinavit, quod ſacramentum Euchariſtiæ eſt naturaliter verus panis, loquendo conformiter, ut prius de pane materiali albo & rotundo.* Quis fidat homini tam proterve mentienti, cum non modo ex actis concilii, verum ex Berengarii ipſius verbis refellatur?

Baptiſm. impugnatus a Vvicleffo.

Quartus articulus damnatus ab Anglis præſulibus continetur cap. 14. quarti libri trialogi, ac neceſſitatem baptiſmi convellebat: *Definientes*, ajebat Wicleffus, *parvulus fidelium ſine baptiſmo ſacramentali decedentes non fore ſalvandos, in hoc ſunt præſumptuoſi & ſtolidi.* Refellitur a Windefordo hæc hæreſis non modo conciliorum & patrum dictis, ſed etiam verbo Chriſti Joannis III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* At expreſſam adeo Chriſti ſententiam eludere niſus eſt hæreſiarcha cap. 22. lib. quarti trialogi hoc figmento, ſcilicet intelligendam aquam, quæ fluxit de latere Chriſti; atque ita baptiſmum Chriſtianorum abolebat.

Error circa miniſtrum confirmationis.

Quintus articulus condemnatus ut erroneus, eſt, *quod collatio ſacramenti confirmationis non eſt epiſcopis reſervata*, nempe jure ordinario, nam ſacerdos ex Romani Pontificis imperio poteſt illud conferre. Excerpſerat hunc errorem ex Armachani libro XII. de quæſtionibus Armeniorum cap. I. quem tum in Armeniis, tum in Græcis damnatum vidimus.

Sacerdotes tantum & diaconos admiſit

Sextus articulus ut erroneus condemnatus eſt, *quod tempore Pauli ſufficiebant eccleſiæ duo ordines clericorum ſacerdos & diaconus, nec fuit tempore Apoſtolorum diſtinctio Papæ, patriarcharum, epiſcoporum: ſed ſufficit quod ſint presbyteri & diaconi ſecundum fidem Scripturæ, quia ſuperbia cæſarea alios gradus adinvenit.* Refellit impiam hanc calumniam & hæreſim Windefordus traditionum apoſtolicarum repetitione, quarum mentio in decretis Pontificum & in libris Dionyſii Areopagitæ de hierarchia eccleſiaſtica frequenter recurrit.

Deliramenta circa conjugia.

Septimus articulus condemnatus in univerſali ſuo intellectu eſt, *quod antiqui, qui ex cupiditate rerum temporalium, vel ſpe mutuorum juvaminum, aut ex cauſa excuſandæ libidinis, licet de prole deſperent, copulantur ad invicem, non vere matrimonialiter copulantur.* Opponit Windefordus contra Wicleffi novam legem univerſalis Eccleſiæ praxim, tum plura abſurda quæ ex eo ſequuntur illuſtrat.

Octavus articulus condemnatus ut hæreticus in ſuo univerſali intellectu eſt, *quod cauſæ divortii ratione conſanguinitatis vel affinitatis ſunt infundabiliter humanitus ordinatæ.* Adverſus novatorem illuſtrat Windefordus, ut eccleſia ferendarum legum authoritate polleat, ac juſtas ob cauſas gradus affinitatis & conſanguinitatis conſtituerit.

Nonus articulus condemnatus ut erroneus eſt, *quod hæc verba: Accipiam te in uxorem: eligibiliora ſunt pro contractu matrimonii, quam hæc verba: Accipio te in uxorem; & quod contrahendo cum una per hæc verba de futuro: Accipiam te in uxorem; & poſt cum alia per hæc verba de præſenti: Accipio te in uxorem; non debent fruſtrari verba prima propter verba ſecundaria de præſenti.* Afferebat Wicleffus pro confirmanda ſententia futiles argutias quas Windefordus in ipſum pariter retorquet.

Blaſphemiæ ejuſdem.

Decimus articulus a vero præcurſore antichriſti excogitatus damnatuſque a ſynodo Anglicana hic eſt, *quod iſti duodecim ſunt procuratores antichriſti ac diſcipuli antichriſti Papa, Cardinales, patriarchæ, archipræſules, epiſcopi, archidiaconi, officiales, & decani, monachi, & canonici bifurcati, pſeudofratres introducti jam ultimo, & quæſtores.*



XIII.
Sophiſma hæreſiarchæ.

Contra religioſos ordines abutebatur hæreſiarcha hoc ſophiſmate: *Sicut patronus ad patronum, ſic ordo ad ordinem. Sed Chriſtus patronus communis religionis eſt in infinitum perfectior patronis religionum privatarum Auguſtino, Benedicto, Dominico, & Franciſco. Ergo communis religio Chriſtiana quacumque religione privata eſt perfectior quodammodo infinite. Iſtam rationem ponit XXXII. cap. quarti: & iterum quinto cap. ſupplementi, & inculcat eam in diverſis capitibus tamquam aliquid magni.* Cujus argumenti fallaciam refellit pluribus exemplis Windefordus, ſequeretur enim materiam primam a Deo creatam, vel murem aut culicem productum a Deo, infinite quodammodo perfectiorem hominibus per generationem humanam propagatis, vel ipſa ſacra Chriſti humanitate; & pelliceam Adami tunicam, Regum purpura infinite pretioſiorem extitiſſe, & hoſtiam conſecratam a Chriſto ſanctiorem ea quam Petrus conſecravit, ſicut enim productor ad productorem, ſic productum ad productum a pari ſe haberet ex Wicleffi argutiis.

Confutatur.

Oppugnatæ opes eccleſiaſticæ.

Undecimus articulus pro hæreſi condemnatus eſt, *quod Numerorum XVIII. Ezechielis XLIV. præcipitur ſimpliciter negative, quod nec ſacerdotes Aaronitæ, nec Levitæ habeant partem hereditatis cum aliis tribubus, ſed quod pure vivent de decimis & oblationibus.* Arguit Windefordus hunc articulum hæreſeos ex Numerorum cap. XXXIV. & Joſue cap. XXI. & I. Eſdræ c. II. cum divino imperio & urbes & ſuburbana & agri ſacerdotibus fuerint attributa, adeo ut partim ex decimis, partim ex primitiis & oblationibus, partim ex prædiis & animalium propagatione & domorum poſſeſſionibus vitam ſuſtentarent.

Duodecimus articulus pro errore condemnatus eſt, *quod non eſt major hæreticus vel antichriſtus quam clericus, qui docet quod licitum eſt ſacerdotibus & levitis legis gratiæ dotari cum poſſeſſionibus temporalibus; & ſi aliqui ex prævaricatione in lege Dei ſunt hæretici, apoſtatæ, vel blaſphemi, ſunt illi clerici qui hæc docent.* Inſulſa adeo eſt hæc hæreſis, ut etiam recentiores novatores eam damnarint. Præcipuum Wicleffi ſophiſma ex depravatis Chriſti verbis Luc. XIV. petebatur: *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; quomodo autem Chriſtus intellexerit renunciationem in hoc verbo evangelico, ipſe & ejus Apoſtoli per converſationem pauperem ſatis docent: nam opera Chriſti & ſuorum diſcipulorum ſunt optimi interpretes legis ſuæ.* Opponit hæreſiarchæ Windefordus fuiſſe aliquos Chriſti diſcipulos divites, ut Joſephum ab Arimathia, Nicodemum, Zacchæum, & ſanctas mulieres, quæ illi neceſſarios ſumptus ſubminiſtrarunt; tum ſubdit: *Hæc auctoritas in argumento allegata ſic intellecta, ſicut adverſarius intelligit, fuit fundamentum,* & infra, *hæreſis Juliani apoſtatæ, qui propter illam auctoritatem ſic intellectam auferebat a Chriſtianis poſſeſſiones ſuas: fuit etiam fundamentum hæreſis Manichæi, ut patet per B. Auguſtinum in lib. de moribus Eccleſiæ expreſſe; unde non eſt hæreſis nova, quod hæc auctoritas debet ſic intelligi, ſed hæreſis valde antiqua.* Aliud Wicleffi ſophiſma priori affine eſt: *Servus* [*inquiebat*] *non eſt major domino ſuo, nec diſcipulus ſupra magiſtrum; ſed ſufficit diſcipulo quod ſit ſicut & magiſter ejus, ſicut Chriſtus Matthæi IV. dixit: Cum ergo Chriſtus ſit magiſter optimus, & Dominus dominorum, & omnes prælati Eccleſiæ debent eſſe ſervi hujus domini atque diſcipuli, patet quod non debent ſuper Chriſtum extolli in dominio ſæculari; ſed ipſe dixit Matth. VIII. quod filius hominis non habet ubi caput reclinet, hoc eſt non habet humanitas ſæculariter & proprietarie dominando; qua ergo fronte epiſcopi noſtri cæſarei audent ſic ſe extollere in dominio civili ſuper Chriſtum?* His argutiis dari pariter a Wicleffo leges Regibus, ut purpuram exuant, ſceptraque abiiciant, redarguit Windefordus, & hæreſiarchæ ineptias luculenter confutat: ideo vero tanquam canis rabidus latravit Wicleffus contra eccleſiaſticas opes, quod epiſcopatu Reyngorinenſi potiri non potuiſſet.

Hæreſis de renunciatione omnium reali inſtaurata a Vvicleffo.

Impoſtoris argutiæ qua omnes ad mendicitatem redigit.

XIV.
Imperata a Vvicl. latrocinia pietatis ſpecie.

Tertiusdecimus articulus ut hæreticus in ſuo univerſali intellectu condemnatus eſt, *quod non ſolum domini temporales poſſunt auferre bona fortunæ ab Eccleſia habitualiter delinquente, non ſolum eis hoc licet, ſed debent hoc facere ſub pœna damnationis æternæ.* Excipiebatur ſuaviſſime hæc vox a nobilibus viris, qui eccleſiarum bonis inhiabant; ſed pariter ex Wicleffi lege ipſis, cum aliquo crimine occulto habituali conſtricti eſſent, fiduciaria bona a Regibus eripi debere demonſtrat Windefordus.

Extrema unctio oppugnata a Vvicleffo.
Jacob. 5.

Quartus decimus illius articulus damnatus in ſynodo hic eſt: *Si corporalis unctio foret ſacramentum, ut modo fingitur, Chriſtus & ejus Apoſtoli ipſius promulgationem non tacuiſſent.* Arguitur Wicleffus Jacobi Apoſtoli auctoritate, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, &c. orent ſuper eum ungentes oleo ſancto in nomine Domini.* Subiicit deinde Windefordus; *Eſt hæreticus, quia ſupponit nihil eſſe catholicum, cujus promulgationem Chriſtus & Apoſtoli tacuerunt in ſacra Scriptura.*

Quintus decimus articulus hic erat, *quod*

Everſa ejus figmentis eccleſiaſtica Hierarchia.

*quicumque eſt humilior Eccleſiæ ſervitivior & in amore Chriſti quoad ſuam Eccleſiam amabilior, ille tam in Eccleſia militante major & proximus Chriſti vicarius eſt.* Damnatus eſt, cum anarchiam induceret, atque hierarchiam eccleſiaſticam funditus everteret, ac plura abſurda, quæ ex eo conſequuntur, recenſet Windefordus, veluti mulieres epiſcopatu & ſacerdotio fungi poſſe.

Axioma hæreticum pro evertendo ſtatu politico.

Decimus ſextus articulus pro hæreſi condemnatus eſt, *quod ad verum dominium ſæculare requiritur juſtitia dominantis ſic, quod nullus in peccato mortali eſt dominus alicujus rei.* Hauſerat Wicleffus hunc articulum ex Alcorano Mahumetis, ut ſectatores ſuos ad rapinas ac ſeditiones inflammaret: cumque inanem gloriolam captaret, quod crimen lethale immani odio proſequi videretur, in peccato lethali hæreſeos fœdiſſime volutabatur, ac ſe ſuoſque juſtos appellitabat.

Inductum ab eo ethnicorum fatum.

Decimus ſeptimus articulus pro hæreſi condemnatus eſt, *quod omnia quæ evenient abſolute neceſſario evenient.* Reſpondet Windefordus hunc articulum fuiſſe damnatum hæreſeos in concilio ſolemni ab Eccleſia in canone XXIII. qu. cap. 4. Nabuchodonoſor ex ſententia Auguſtini damnatum is Scripturæ oraculis: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*; & pluribus aliis tum ex hoc errore tanquam ex fœcundiſſimo hydræ utero innumeras hæreſes effundi.

XV. Fundamentum hæreſeon plurium.

Decimus octavus articulus & ultimus pro hæreſi condemnatus eſt, *quod quidquid Papa, vel Cardinales ſui ſciunt ex ſacra Scriptura deducere, clare illud dumtaxat eſt credendum, vel ad ſua monita faciendum; & quidquid ultra præſumpſerint, ſit tanquam hæreticum contemnendum. Quod ſit merito pro hæreſi condemnatus patet primo ex hoc, quod eſt contra ſacram Scripturam,* & infra: *Nam in ſacra Scriptura habetur quod multa ſunt vera & credenda, quæ in ipſa literaliter non continentur, nec poſſunt ex literali ſenſu Scripturæ deduci, quia de tali modo loquitur adverſarius, ut patet ex proceſſu; Unde in fine evangelii Joannis ad excludendam falſam opinionem, quod non plura fecerat Jeſus, quam ſint ſcripta, ſic dicit Evangeliſta: Sunt & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Ergo multa fuerunt facta Chriſti, quæ non ſunt ſcripta, & maxime in ſacra ſcriptura, & per conſequens multæ ſunt veritates etiam de Chriſto, quæ ex ſacra Scriptura minime poſſunt deduci; Apoſtolus etiam Paulus* II. *ad Theſſalonicenſes* II. *cap. in fine expreſſe diſtinguit inter traditiones, quas tradidit ſermone, & quas tradidit per ſcripturam, præcipiendo utraſque teneri, ſic dicens: Itaque fratres ſtate; & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram:* Ex ipſa *ergo patet Scriptura ſacra quod multæ ſunt traditiones tenendæ & credendæ, quæ ſolummodo ſermone ſunt traditæ per Apoſtolos, quæ non ſunt in ſacra Scriptura ad literam contentæ, unde iſtam authoritatem Apoſtoli tractat Damaſcenus* IV *ſententiarum ſuarum c.* VIII. *& totius lib. c.* XCVI. Demonſtrat pluribus author eo Wicleffi principio veteres inſtaurandas hæreſes Arianorum, quia vox conſubſtantialis non reperitur in ſacra Scriptura; Donatiſtarum, quia non reperitur in ea hæreticorum baptiſmum valere; Iconoclaſtarum, quia cultus ſacrarum imaginum in ea non præcipitur; tum ſubdit:

Joan. ult.

Traditiones ex Apoſtolo tenendæ.

XVI. Propoſitionum ambiguarum interpretatio petenda ab eccleſia.

*Principaliter eſt articulus pro hæreſi condemnatus, quia dato articulo non eſſent recipiendæ interpretationes ſanctorum doctorum de propoſitionibus ambiguis ſacræ Scripturæ, quæ non poſſent per Papam & Cardinales ex ipſa ſacra Scriptura deduci clare; patet enim ſequela. Et eſt hoc dictum occaſio & velamen diverſarum antiquarum hæreſum; nam propter hoc, quod Chriſtus dixit in evangelio, fures fuiſſe & latrones omnes quotquot ante ipſum venerunt, & propter quod Fauſtus noluit recipere interpretationes ſanctorum doctorum, ſed verba illa intelligere ſecundum quod grammaticaliter ſonabant, ideo incidit in hæreſim, quod non ſint a catholicis recipiendi Moyſes & prophetæ, quia fuerunt fures & latrones, ut aſſerebat, male intelligendo verba Chriſti contra interpretationem ſanctorum doctorum. Hæc patent per beatum Auguſtinum* XVI. *contra Fauſtum. Item propter hoc, quod æque negative ſecundum vocem dicitur: Non occides; ſicut dicitur: Non furaberis; dicebant hæretici, quod ſicut non eſt licitum furari hominem, bovem, aut ovem, ſic non eſt licitum occidere hominem, bovem, aut ovem: quam hæreſim deſtruit Auguſtinus in lib. de civit. Dei; In hanc hæreſim prolapſi ſunt, quia utrobique verba Scripturæ ſicut ſonabant prima facie & ad ſenſum grammaticalem, & non ſecundum interpretationem apoſtolicorum virorum intellexerunt. Ita dixerunt alii hæretici, quod non eſſet licitum jurare in aliquo caſu propter hoc quod Chriſtus dixit: Ego autem dixi vobis nolite jurare omnino; & propter hoc quod dixit Jacobus: Ante omnia fratres chariſſimi nolite jurare neque per cœlum, neque per terram; neque per aliud quodcumque; iſta ut ſonant grammaticaliter intelligentes, & non ſecundum ſenſum & interpretationes ſanctorum doctorum erraverunt. Conſimile eſt de multis aliis.* Pluribus interjectis urget Wicleffiſtas, ut ſua deliramenta probent ex Scripturæ ſacræ textu expreſſo, tum ſubjicit eo articulo, maxime ipſos deluſos fuiſſe.

*Æſti-*



*Æſtimo,* inquit, *quod iſtius articuli credulitas eſt magna cauſa & maxima doctrina Lollardorum: & æſtimo ſi eſſent curati de iſta mala credulitate, quod faciliter reduceretur in omnibus ad catholicam veritatem, & mirum eſt de iſtis hominibus qui credunt hunc articulum, qui multa valde docent quæ in ſacra Scriptura non continentur, & quæ nec ſciunt nec poſſunt ex ſacra Scriptura clare deducere,* & infra.

Credendæ multæ veritates quæ in Scriptura ſacra expreſſæ non ſunt.

*Dico ergo finaliter quod non ſolum debemus credere contentis in ſacra Scriptura, ſed etiam traditionibus apoſtolicis per ſucceſſiones Patrum a tempore Apoſtolorum uſque ad nos deſcendentibus, quamvis non ſcriptis, ſicut & illis quæ ſcribuntur in ſacra Scriptura. Debemus etiam credere multis veritatibus ab univerſali Eccleſia receptis, ſive ſcribantur ſive non. Debemus etiam credere multis veritatibus, quæ ex ſacra Scriptura non ſequuntur, nec ex traditionibus apoſtolicis, eo quod ex prædictis vel aliqua illorum & quibuſdam aliis, quæ in facto notorio conſiſtunt, ſic quod rationabiliter non poſſunt tergiverſari, ſecuntur: & tales ſunt veritates; ſymbolum Athanaſii eſt catholicum: ſymbolum Nicænum eſt catholicum: ſancta quatuor concilia generalia hæreſes condemnaverunt, fidem catholicam docuerunt, Ariani, Pelagiani, & Donatiſtæ fuerunt hæretici. Debemus etiam credere interpretationibus doctorum catholicorum approbatorum de propoſitionibus ambiguis ſacræ Scripturæ: debemus etiam credere determinationibus concilii generalis legitime & univerſaliter congregati, &c.* In fine opuſculi adiecta ſunt hæc verba: *finis tractatus magiſtri Vvindefordi de ordine Minorum contra errores Vvicleffi in trialogo qui damnatus eſt in concilio provinciali Londin. ſub D. Thoma Cantuarienſi archiepiſcopo anno Domini MCCCXCVI.*

XVII. Divino prodigio confirmata veritas Euchar.

Damnatis ejuſmodi articulis Thomas Arundelius Cantuarienſis archiepiſcopus judiciariam ſeveritatem adhibuit in eorum propugnatores. Inter alios quidam blaſphemus Badbejus nomine veſtiarius Euchariſtiæ præferre araneam Wicleffiſtico more non exhorruit in publico judicio; ac tum divina ultio, ut blaſphemum confunderet, & orthodoxos in dogmate ſacro confirmaret, teterrimam immiſit araneam in illius os, quæ vix a catholicis, qui Wicleffiſtam a corporis & animæ interitu vindicare cupiebant, ſperabantque ad fidem eo prodigio converſum iri, abigi potuit; quod prodigium ſuis ſpectaſſe oculis commemorat Thomas Waldenſis (a): *Videte,* inquit, *quid dicit,* ſcilicet Wicleffus, *quod corpus Chriſti eſt abjectiſſima ſubſtantia, immo & Deus, quia materia prima, & corpus Chriſti eſt pejus teſtudine: & quis coegit iſtum iſta fateri niſi deteſtabilis hæreſis propria? & numquid digni ſunt Lollardi tali ſacramento, quod ſit pejus teſtudine? numquid non digne tradidit eos Deus in reprobum ſenſum ut faciant ea, quæ non conveniunt?* Et infra: *Scias pro Vvicleffiſtis dictum, quidquid colunt idolum eſt; quia figura corporis Chriſti & non ipſum: corpus tropicum pejus teſtudine & ſanguis tropicus veneno deterior, iſtæ ſunt comparationes horridæ Lollardorum, quas contumelioſe objectant fidelibus: & in rei veritate ipſi concedunt. Hiſtoriam refero, quam ego præſens vidi oculis carnis meæ in cathedrali eccleſia S. Pauli Londoniæ, ubi venerandus Cantuarienſis antiſtes felicis recordationis Thomas Arundelli filius & frater comitum, pro loco judicii aſſiſtentibus ſibi Norvicenſis eccleſiæ tunc præſule Alexandro & aliis, in epiſcopali ſede verba quædam & interrogationes proponebat de fide Euchariſtiæ ad quemdam ſartorem de partibus Vvigorniæ deprehenſum in hæreſi; cum flecti ad fidem omnino non poſſet, nec aliud quam benedictum panem ſacratiſſimam hoſtiam volebat appellare, vel credere tandem juſſus facere reverentiam hoſtiæ, reſpondit blaſphemus: Vere, inquit, dignior aranea eſt revereri. At ſtatim de alto culmine tecti deſcendens ingens & horrida viſu aranea, ad os blaſphemi directo filo pervenit, & dum loqueretur, ut intraret per polluta labia ſolicite procuravit & multorum manibus vix potuit prohiberi. Aſtitit illuſtris princeps Thomas Exonienſis dux tunc cancellarius regni, & vidit prodigium: at prædictus archiepiſcopus ſtatim ſurgens cum aliis exponit omni populo ibi collecto quid ultrix manus Domini fecerat in blaſphemum: nec mora, qui pretioſiſſimæ carni agni præelegit araneam, peccatricem carnem ſuam flammis devorandam amiſit, ut eſſet favilla pejor aranea. Ecce doctrinam fœdam & amaram errantium, qui ſacramentum optimum ſic in figuram attenuant, & idolum faciunt pejus teſtudine & araneæ poſthabendum.* Narrat idem prodigium in hiſtoria Wicleffiana Nicolaus Harpsfeldius (b) ex geſtis dicti Thomæ Arundellii archiepiſcopi Cantuarienſis, primatis Angliæ ac ſedis Apoſtolicæ legati, quem etiam exercuiſſe teſtatur ſumma tum pietatis laude munus ſuum in excindenda hæreſi Wicleffiſtica, plures nimirum graviſſimas ſanctiones edidiſſe: tum etiam libros Wicleffi, in quibus trecentæ & eo amplius hæreticæ propoſitiones cenſura notatæ ſunt, igni publice concremaſſe.

Thomas Vvaldenſis oculatus teſtis. Blaſphemus araneam præferendo Euchar. ab aranea obſeſſus. Viſo prodigio non convertitur & flammis traditur.

Vvicleffi libri exuſti. Trecentas hæreſes continebant.

XVIII. Cæſi ad Nicopolim a Bajazete Chriſtiani.

Commiſſum hoc anno plerique authores (c) referunt prælium ad Nicopolim in Bulgaria, quo parta eſt a Bajazete Turcorum Rege cruenta de Chriſtianis victoria. Concitaſſe vidimus jam ante Pontificem, propoſitis indulgentiarum præmiis, ad ſacra arma fideles, ut Turcarum in Hungariam excurrentium conatus retunderet. Popoſcerat etiam Sigiſmundus a Ca-

(a) *Vvald. to. 2. c. 62. de ſacr. Euchar.*

(b) *Nicolaus Harpſf. in hiſt. Vvicleff. c. 18.*

(c) *Juv. Urſ. in Car. VI. hoc anno Froſſ. to. 4. c. 67. hiſt. Muſulm. l. 5. S. Anton. 3. p. tit. 22. c. 3. §. 22. Phrantz. l. 1. c. 19. Chalcond. lib. 2. Paul. Æmil. l. 10. Naucler. gener. 47. Aventin. lib. 4. Bonfin. dec. 3. l. 2. Boſ. hiſt. equit. Hieroſol. l. 4. & alii.*

Carolo Francorum Rege auxiliares contra barbaros copias, & Gallici proceres, quibus Nivernenſis comes ducis Burgundiæ filius præfuit, eo maximo numero concurrere. His igitur & Germanicis copiis ſuccinctus Sigiſmundus movit in hoſtes exercitum florentiſſimum, captiſque primis Turcarum munitionibus penetravit in Bulgariam ac Nicopolim obſidione cinxit: ad quam ſolvendam Bajazetes una cum ſuis eo progreſſus Gallos ab Hungaris ſociis deſertos profligavit delevitque. Memorabilem hanc pugnam ex veteribus monumentis Hungaricis narrat Bonfinius (a) his verbis.

(a) *Id, Bonfin, ibid.*

*Salutis anno nonageſimo ſexto ſupra trecies centenum, promulgata belli fama delectus maximus habetur; omnes dare nomina jubentur; quare tot legiones & auxilia coacta ſunt, ut ſine formidine cum profano hoſte pugnari poſſet. Advenere Burgundionum Gallorumque auxilia, quæ orthodoxæ fidei caritate commota gratis hæc ſacra ſtipendia faciebant, multi e Belgis ac Celtis eminentioris fortunæ viri nonnulli quoque reguli confluxere:* Et infra: *Coacto igitur exercitu, comparatiſque rebus omnibus, quæ bello uſui forent, ex Hungaria in Raſſiam quæ in ſuperiore Myſia continetur caſtra movet. Sigiſmundum in agmine quandoque dixiſſe ferunt; cum ampliſſimum ductaret exercitum, nimirum non ſolum Turcus nobis nequaquam formidandus eſt, ſed ne cœli quidem, ſi forte ruerent, quorum ruinam ſtantibus haſtis ſubire poſſemus Raſſia non ſine populatione tranſacta: at ubi in Bulgariam quæ in inferiore Myſia continetur, deſcenſum eſt, Oriſtum & Budinum, nonnullaque alia caſtella Turcorum firmata præſidiis multo ſanguine expugnata. Kal. octobris ad majorem Nicopolim Sigiſmundus caſtra movit: ab una Iſtri ripa major, ab altera minor Nicopolis eſt ſita: hæc Trajani, Hadriani illa victoriæ monumentum, ut quorundam eſt opinio. Sigiſmundo hinc nunquam ſtativa movere certum erat, donec Nicopolim expugnaret. Turcorum Cæſar, quem Bajazetem Hungarorum annales nominarunt, & Chalapinum plerique dixere, audito ingenti Chriſtianorum apparatu, ne Europa ejicerentur, univerſam Turcorum rempublicam ad arma ſuſcitavit:* Et infra:

Galli deſcendere ex equis imprudenter.

*Ubi ad congreſſum perventum eſt, hi Gallico more deſcendunt equo, ut pedibus congrediantur, equi dimiſſi inito prælio cum ingenti clamore in caſtra recurrunt. Turcis nil antiquius obtingere potuit, quam ut ab equo cum pedite dimicarent. Ab expedito hoſtium equitatu circumventi obteruntur Galli, miſerrimeque cæduntur, dum haſta ſecurive Turcum ferire ſtudent incurſu recurſuque hoſtili defatigantur, deluduntur que, dum audaciæ pœnitet a lateribus modo adverſi averſique telorum imbribus, aut falcatis enſibus lanceiſque læduntur. Subſidii ſpe firmati ad necem uſque dimicant: ſpe tandem ſua fruſtrantur, nam equi quos dimiſerant in caſtra præ tumultu fragoreque relati Hungarorum abſterruere animos, quippe qui hujuſce moris ignari ſociorum, hinc conflictum ſuſpicantur, metu perciti caſtra relinquunt, ad unum in fugam omnes plane vertuntur. In tanta rerum trepidatione nullum Imperatoris edictum, nullum imperium ſervare. Turcus cæſo Gallo a tergo inſtat: palantes Hungari fugiunt: magna in fuga cædes patrata: defatigatur e cæde hoſtis ad capturam & quæſtum ſe convertit: maximus captivorum fit numerus: quin etiam Sigiſmundus quoque, qui cœli ruinam paulo ante contempſerat, in manum hoſtium perveniſſet, niſi parva cymba Danubium trajeciſſet. In hoc prælio viginti millia Chriſtianorum cecidere: ex Turcis ſexaginta millia deſiderata. Trajecto Danubio reformidato Hungarorum impetu ob rem male geſtam in Thraciam Conſtantinopolim Rex effugit: inde navigavit Rhodum & Aegeum Joniumque pelagus emenſus in Dalmatiam, luſtrataque Dalmatiæ ora in Croatiam venit.*

Cæſorum numerus, Sigiſmundus Rhodum uſque fugit,

Verum ægre eſt reſtitutus regno, in quo cum ob geſtum male cum Turcis bellum obſoleviſſet ejus exiſtimatio, de illo exauctorando deinde agitatum ab Hungaris viſuri ſumus. Porro obſervat Phrantzes (b) eodem hoc anno nonnullos principes Aſiæ a Bajazete ſuis ſedibus pulſos, ad Temirem ſive Tamerlanem confugiſſe, ipſumque illum concitaſſe in Bajazetem; quem divina juſtitia ob religionem oppugnatam oppreſſum loco ſuo dicetur. Aſcriptam hanc cladem memorat Juvenalis Urſinus (c) Gallis arrogantiæ, qui Hungaro Regi non paruiſſent; tum divinæ iræ, cum in itinere plura ſcelera patraſſent, circumtuliſſent meretrices, ac ludo, ganeis, libidinibuſque ſe confeciſſent; ipſos tamen ob mortem pro religionis cauſa oppetitam, divinam miſericordiam commeruiſſe viſos non dubiis ſignis: nam Conciacus regulus cum nudus ante alios ſæviſſime diverberaretur, pallio ex ſepe proxima divinitus volitante coopertus eſt; trecenti equites coram Bajazete cæſorum in oppido Craco Turcarum vindictam ſatiaturo trucidati, cædem magna animi conſtantia ſe Chriſto commendantes, pertulerunt. Id etiam prodigium accidit, ut cum Turcæ ſævire ultra mortem meditati inſepulta manere corpora juſſiſſent, ut a feris avibuſque laniarentur, tredecim menſium flexu pura & integra remanſerint, nec feræ illa attingere ſint auſæ: nec tamen barbari Chriſti virtutem agnoſcere voluere; ſed ſtolide jactarunt, feras Chriſtianam carnem dedignari. Addit Juvenalis eodem anno in eccleſia S. Dionyſii edita nonnulla prodigia: toxico enim infectum, concepto voto convaluiſſe; ra-

(b) *Phrantz lib. 2. c. 9.*

Gallorum peccatis aſcripta cædes.

(c) *Juvenal. Urſin. in Carol. VI.*

Tolerata conſtanter ab iis mors.

Servata divinitus eorum corpora, qui Chriſtum negare abnuerant. Edita in eccleſia S. Dionyſii miracula.

bi-



bidum & amentem ſanæ menti reſtitutum; tertium fluxu ſanguinis, qui reſtringi nullis remediis humanis poterat, laborantem percuratum: nonnulla vero decreta a Rege adverſus blaſphemos facta, quæ aliquandiu impia ora compreſſerunt [1].



NOTÆ [1] SUecia hoc anno provincialem ſynodum Arbogenſem dedit, cujus e MS. codice acta vulgavit haud ita pridem Ericus Benzelius in ſuo Diario Vazſtenenſi quod Upſalenſibus typis juris publici fecit. *Ex eo* raro noſtris in regionibus occurrente libro ego in meum Conciliorum ſupplementum to. III. pag. 707. ſynodum hanc tranſtuli. Porro in ea vetantur nuptiæ tempore a jure prohibito celebrari ac benedici; irregularitatiſque nota inuſtus pronunciatur ſacerdos qui nuptiis illis coram adſtitiſſet. II. Nec excuſari ajunt illos qui apto tempore benedictionem nuptialem procurant, ſed nuptias ad tempus vetitum differunt. III. Anno biſſextili biduum interjaceat inter feſtum cathedræ S. Petri & S. Matthiæ. IV. Qui cædem hominis commiſerit die Dominica a carnibus, qui die veneris a piſcibus, qui ſabbatho a lacticiniis perpetuo abſtineat. V. Piratæ cæterique graſſatores ne loci ſacri ſepultura donentur, niſi forte eos palam pœnituerit & damni illati ſarcimentum pro viribus procurent. Tunc vero ſacramentis non priventur; ſed ſacro ſepulturæ officio nequaquam donentur. VI. Dies octobris ſexta Sanctæ Birgittæ memoriæ ſolemni ſacra ab omnibus habeatur. VII. Alienarum diœceſum presbyteri ne ad ſacra habenda admittantur abſque Ordinarii ſui permiſſione. VIII. Ne quis eccleſiaſticus ſacri juris miniſterium laico exercendum deleget. Reliquas ſanctiones utpote minori animadverſione dignas nihil moror. MANSI

QUam hic ſubiicimus Epiſtolam præmiſit Raynaldus tomo VI. operis ſui. Cum vero diſtributio editionis hujus alia ſit ab ea, quam ille dedit ſuo loco, inſeri non potuit. Ne igitur prætermitteretur, hic eam collocare viſum eſt.

# SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET DOMINO NOSTRO ALEXANDRO VII. PONTIFICI MAXIMO.

## ODORICUS RAYNALDUS CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTER SEMPITERNAM FELICITATEM.

*SUperioribus annis antequam Sanctitas Tua ad ſublime Pontificalis dignitatis faſtigium eveheretur, cum in Vallicellanis ædibus diem integrum nobiſcum ducere dedignata non eſſet, inter cætera, quæ magna cum pietatis laude, nec minori audientium voluptate ſuo more diſſeruit, illud mihi animo alte infixum hæſit, quod experimento ſibi compertum affirmabat, hiſtoriam Eccleſiaſticam a Cardinale Baronio ingenti Annalium opere expoſitam atque illuſtratam magno uſui Catholicis eſſe in hæreticis refellendis atque ab impietate revocandis: quod quidem me etſi tanto oneri ſuſtinendo viribus imparem, haud parum ad eandem hiſtoriam proſequendam confirmavit; ea nimirum affulgente ſpe, ut quemadmodum Baronianis Annalibus Centuriatores, qui veritatem Catholicam mendaciis ac maledictis perdere ſunt conati, impoſturæ & perfidiæ manifeſtiſſime arguuntur; ita his noſtris Novatorum technæ doloſæque machinationes, allata veterum ac probatiſſimorum monumentorum veritate, pateſiant atque evertantur. Cernent ii errores ſuos a perfidis hæreſiarchis Joanne Wicleffo ejuſque ſectatoribus Joanne Hus & Hieronymo Pragenſi diſſeminatos, jam tum a viris doctiſſimis confutatos & in Conciliis Romano, Conſtantienſi, Baſileenſi, ac Florentino, damnatos; & quantumvis perfrictæ frontis ſint, ingenti pudore afficientur. Cernent etiam Catholici Romanorum Pontificum ſeriem non interruptam; & quam nequiſſimi pſeudopontifices, ignarique rerum ſcriptores confuderant, hanc vetuſtis tabulis ac monumentis publica authoritate munitis, quæ ex tabulario Vaticano ſingulari Sedis Apoſtolicæ beneficio mihi communicata fuerunt, illuſtratam intuebuntur, ut nempe Gregorio XI. qui Sacroſanctum Solium in Urbem Avenione reduxit, Urbanus VI. Urbano Bonifacius IX. huic Innocentius VII. Innocentio Gregorius XII. ſucceſſerint; utque ipſorum poſtremus poſt inveteratas longo temporum decurſu controverſias, auctaſque demum in Piſano conventu, ut vix diſcerni poſſet, quinam ex tribus Pontificum nomen atque infulas gerentibus verus eſſet in terris Chriſti Vicarius, ſummo Pontificatu ſe abdicaverit in Concilio Conſtantiæ celebrato, in quo Martinus III. vulgo V. appellatus ingenti omnium approbatione Pontifex renunciatus eſt: ſicque Petri navicula diu magnis jactata fluctibus, placatis Chriſto jubente adverſis immanibuſque procellis, optatam tranquillitatem accepit. Cæterum exiles hoſce labores benignitate Sedis Apoſtolicæ pridem collectos, nunc autem in lucem prodituros, ad eandem ſacratiſſimam Sedem qua poſſum maxima animi demiſſione deferens, ejuſque judicio atque authoritati ſubiiciens, ad Beatitudinis Tuæ pedes provolutus te, Sanctiſſime Pater, ſupplex rogo, ut iiſdem Apoſtolicam benedictionem impartiri digneris, quo uberes fructus ad Omnipotentis Dei gloriam, & a Chriſto commiſſæ tibi ſponſæ uſum commodumque conferre poſſint. Interim Deum Optimum Maximum oro precorque, ut Sanctitatem Tuam ſalvam & incolumem eidem Eccleſiæ diutiſſime ſervet.*





FActa a nobis fuit anno Chriſti MCCCLXXVIII. num. XXXIX. mentio egregii commentarii a Baldo conſcripti pro aſſerendo Urbani pontificatu adverſus ſchiſmaticos, quem in appendice collocandum promiſimus; maxime cum typis excuſus inter alia ejus opera non fuerit, ac luce ſit digniſſimus ob argumentorum pondus, ſententiarum acumen, ſplendoremque ingenii: quo commentario adverſariorum fucos detergit. Cui adjungimus Joannis e Lignano opus eruditiſſimum & graviſſimum, quamvis non integrum, nonnulla enim ab ipſo allata, nihil prorſus ad rem ſpectantia, prætermiſimus.

*(a) Ext. to. 1. de ſchiſmate p. 52. & to. 20. p. 73. MS. arch. Vatic.*

## *BALDI DE PERUSIO ALLEGATIONES (a) SECUNDÆ PRO URBANO.*

I.

CIvitas Dei militans in terris ſuperborum faſtu vexatur, ſi ad ſanctiſſimam cathedram pauperis & humilis Piſcatoris non intratur per oſtium veritatis: & ideo cum de tanta ſede agitur veritas inquiratur, & ut ait doctor egregius Auguſtinus XIX. de civitate Dei c. XIX. a ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, & veritas non poteſt cognoſci niſi ex ſuis principiis, quia ignoratis principiis, etiam principiata ignorari neceſſe eſt ff. de juſti. & jur. l. 1. in principio, nam a principiis cuncta formantur C. de in pe. Juc. de ſcrip. l. p. lib. x. de ff. de fidejuſſ. tutor. & ff. de donat. quia id quod, in princ. Et quamquam ſcire proprie ſit veritatem viſu perceptam in mente tenere, quod de illo dici non poteſt, qui aliorum recitatione quid creditur legitur, ut not. ff. de aqua pluar. l. 11. §. idem Labeo: tamen, ſicut ait idem beatiſſimus Auguſtinus XI. de civit. Dei c. 11. *De viſibilibus*, inquit, *quæ non vidimus, eis credimus, qui viderunt*. Idcirco ego Baldus de Peruſio minimus inter utriuſque juris doctores acceſſi Romam ſtudio cognoſcendæ, & defendendæ veritatis domini noſtri Urbani Papæ VI. vicarii Jeſu Chriſti.

Baldus Romam excitus ab Urbano.

In primis ſupponam verum thema, quia etiam parva admixtio mendacii tanquam putridi fermenti, totam maſſam corrumpere conſuevit, ut C. de tranſac. III. ex formulis IX. d. c. ſi ad ſcripturas alias incipit: *Si ad*; & plene not. per Inno. extr. de hæretic. c. fraternitati. Unde Auguſtinus VII. de civitate Dei c. XXXIII. ait: *Solent res geſtæ aſperſione mendaciorum in fabulas verti*; cui conſonat ff. ſi pars heredi per. antiqui. & idem Auguſtinus XV. de civit. Dei c. III. dicit quod in apocryphis & ſi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica authoritas. Non ergo confingam thema, ut faciunt adverſarii domini noſtri Jeſu Chriſti, quia in vanum currere laborant teſte Auguſtino VII. de civitate Dei cap. XVIII. ubi ſic ait: *Iſta, quæ a veritate non veniunt, plerumque etiam nullo impellente ſe ipſa ſubvertunt*: nullus enim Chriſtianus in tanto negotio debet decipere ſe ipſum, ſed firmiter accurare pro ſtatu & ſalute animæ ſuæ, ut ad ſancta ſanctorum, non profanator, ſed venerator accedat.

Caſus ab ejus adverſariis corruptus variis mendaciis.

Tenebo autem hunc ordinem in dicendis, quia primo ponam thema, cujus ſubſtantiam arbitror eſſe veram. Secundo veniam ad tria themata adverſariorum, quæ inter ſe repugnant, & ob hoc conſcientia mea non eſt cum ipſis. Primum fuit thema domini Jacobi, ſecundum fuit domini de S. Euſtachio, tertium aliorum dominorum nuper traditum ſub ſigillis eorum, ut dicitur, magnificis dominis dominis ambaſiatoribus illuſtrium Regum Caſtellæ & Aragonum. Quæ themata inter ſe conflictantur, & ex ſui varietate & inconſtantia ſemetipſa deſtruunt, & conſcientiæ meæ & cujuſlibet, atrbitror eſſe conficta. Tertio veniam ad quæſtiones formatas in themate domini Jacobi, clare & dilucide oſtendendo dominum noſtrum Urbanum eſſe vicarium Jeſu Chriſti. Quarto oſtendam dilucide id eſſe ſecundum thema Cardinalis de S. Euſtachio. Quinto conſequenter apparebit quod thema noviſſimum illorum de Avinione ſecundum rationabilem conſcientiam eſt pluſquam confictum. Doleo loqui contra tantos, ut ff. de dolo l. non debet. Et per Dei gratiam finaliter oſtendetur ita dilucide quod dominus noſter Urbanus eſt vicarius Jeſu Chriſti, ſicut apparet lux meridiana nebulis reſolutis, ita quod nec palliari vel perſuaderi poſſit contrarium ullo modo, domino noſtro Jeſu Chriſto juvante.

Tria eorum themata inter ſe pugnantia.

Venio ad primum, videlicet ad thema verum, quod ſuccincte & ſummarie dignoſcitur eſſe tale. Felicis recordationis domino Gregorio Papa XI. in extremis laborante, domini Cardinales, qui erant in ſanctiſſima urbe, ubi idem dominus Gregorius in extremis laborabat, volentes providere futura, incœperunt tenere colloquium de ſucceſſore, ſi caſus dederit, quoniam ubi præcedit cogitatio, maturitas operationis adhibetur teſte Ambroſio in libro pſalmorum. Ad hoc l. diponde. c. de repu. dubium C. de legibus humanum de ſententiis & periculo recit. l. 2. ff. 50. via. 1. filiæ meæ: & pro tunc non potuerunt concordare in ullo, etiam Lemovicenſi vel Gallico, quia tripartiti erant in voluntatibus animorum ſecundum

II. Verum thema.

dum nationes, & quilibet ſe & nationem ſuam aliis præferebat, quoniam in alpibus ille perit, qui plus ſe diligit, illum C. de ſervit. & aqua l. præſes. Tandem dicto domino Gregorio tradito ſepulturæ, ante ingreſſum conclavis dicti domini Cardinales de eadem materia tunc inſtanti iterum & ſæpius tam ſingillatim, quam ſimul conſuluerunt: & quia cauſa diverſionis ſeminaria, videlicet patriæ contemplatio, quæ ſui ipſorum pectora angebat, in diſſenſione fuerunt firmius radicati: propter quæ Lemovicenſes Gallicis, aut Gallici Lemovicenſibus non cedebant, Italici vero curabant totis viribus ut eligeretur Italicus; hinc ſuadente Deo, Lemovicenſes videntes, quod non poterant ſe præferre, conſiderarunt de optimo viro, & perfecto, & qui inter cæteros vitæ claritate polleret, qui eſſet voluntatis & affectionis ipſorum, & conjunctus alias concretus & uſitatus eis; & cum hic eſſet bonus & expertus in factis Eccleſiæ ſanctæ Dei, & neminem ſecundum eorum opinionem invenerunt, qui non eſſet de præciſa natione eorum, quem ita crederent amicum, familiarem, & veriſimiliter benefactorem ipſorum, necnon in omnibus promotorem & Eccleſiæ directorem, ſicut dominum tunc Barenſem, nunc Apoſtolicum: propter quod nominaverunt eum, etiam ante introitum conclavis, & firmaverunt ſe in voluntate, quod eligeretur in Papam, attento etiam quia erat de terra ſubdita eccleſiæ & ſubditus dominæ Reginæ Siciliæ, quæ erat vaſſalla Romanæ eccleſiæ eis grata. Verum eſt tamen, quod quidam probi, diſcreti, venerabiles, & Deum timentes viri cives urbis in parvo numero acceſſerunt ad dictos dominos Cardinales, antequam intrarent conclave, & ſupplicarunt eorum dominationi humiliter & devote, quod dignarentur, & vellent condeſcendere propter bonum eccleſiæ ſanctæ Dei & totius Italiæ ad eligendum Papam Italicum, quia omnis eccleſiæ preſſura & omnis deſtructio civitatum eccleſiæ, ac etiam omnis pullulatio tyrannorum, & populorum calamitas non aliunde proceſſerat, niſi quia Italia fuerat longiſſimis temporibus Italici paſtoris fide, amicitia, & reſidentia viduata. Hæc certe ratio erat vera & notoria, & debebat movere animos & ſpiritus dominorum Cardinalium: dominos tamen reſpondiſſe fertur, ſe electuros in ſpiritu libertatis, nullo reſpectu habito ad aliquam nationem.

De precibus porrectis Cardinalibus.

Et poſt hoc (ſicut eſt de more & de jure) domini ſuo tempore intraverunt conclave. Et quamquam indiſcreti homines vocibus, ut prætenditur, exclamarent extra conclave: *Romanum volumus, vel Italicum*, tamen domini Cardinales finaliter libera & inconcuſſa & ſtabili mente, invocata Spiritus Sancti gratia, elegerunt fere omnes ultra & citra, audita miſſa, dictum dominum tunc Barenſem, nunc Urbanum, non ſolum ſemel, ſed iterato. Et ne mundus poſſet dubitare de eorum intentione, dixerunt: *Eligimus ea intentione, ut ſit verus Papa*. Et ſic in actu electionis concorditer concluſerunt. Et eſt verum, quod licet dicti indiſcreti clamarent: *Romanum volumus, vel ſaltem Italicum*; tamen intentio eorum non erat de alio Italico quam Romano quod apparet per opera ſubſecuta. Nam poſtquam fuit eis dictum, quod non erat Romanus, proceſſerunt ad impetus, ad quos non proceſſerunt per prius, & quidquid accidiſſe dicitur dominis Cardinalibus, ut etiam ipſi fatentur in eorum thematibus, fuit de poſt factum, & poſt ſolemnem electionem domini noſtri Urbani, & tunc fuit illuſum de domino S. Petri.

De inanibus tumultuantis vulgi vocibus.

Romanus ab his expetitus.

Tumultus excitatus poſt electionem Urbani eo quod non eſſet Romanus.

III.

In craſtina vero domini Cardinales, pro proprio motu repetita ad cautelam electione, præſentaverunt eandem domino electo, conſenſum ejus humiliter requirentes: qui electus, invocata Spiritus Sancti gratia, dictam electionem humiliter acceptavit; & ſic ſponſus Eccleſiæ catholicæ eſt effectus electione, præſentatione, & canonica acceptatione integrantibus & perficientibus hoc maximum & ſpirituale conjugium. Fuit profecto dicta electio pura, ex animo, ſincera, ex providentia gratuita, ſine pretio, immaculata, ſine dolo, inviolata, ſine metu XIII. diſt. in nomine Domini I. q. VI ſicut LXXIX. d. c. I. & c. ſi quis pecunia, & quod notatur in c. 2. de elect. lib. VI. in novella ex debito. Tandem acceſſit inthronizatio domini c. in nomine Domini, nominis impoſitio, ut in procem. ſexti & clem. impoſito ut dictum eſt in nomine Domini, annunciatio gaudii magni in populo, & poſt multas & varias ſolemnitates, feſtivitates, orationes & cæremonias, & poſt multos dierum diſcurſus fuit etiam, atteſtante themate domini Cardinalis de S. Euſtachio, ſine aliquo ſtrepitu vel tumultu ſolemniter coronatus, & poſtea legitime inveſtitus de poſſeſſione pacifica ſpiritualis & temporalis dominii in ſancta baſilica Lateranenſi de conſenſu & actu omnium Cardinalium, ſicut unquam fuerit aliquis vicarius Jeſu Chriſti cum tanta benevolentia, cum tanta ſinceritate cordis, cum quanta dici poteſt, audientibus & cernentibus cunctis, non ſolum Romanis, ſed etiam fere de omni natione Chriſtiana, quæ ſub cœlo eſt: & iſtud notorium eſt, actu permanens in ſubjecto, ita quod non poteſt negari, nec in dubium revocari; ſtructuram enim ſpiritualem permanentem ita videmus, palpamus, tangimus clariſſime, ſicut videtur quodlibet ædificium materiale, & quod omnis oculus videt, vidit, & videre poteſt. Ergo eſt notorium & viſibile, tangibile, palpabile ab omni oculo mundi; & negare ſenſum eſt carentia intellectus, & qui negat ſenſum, habet organa male diſpoſita, & eſt animal orbatum, & quod ca-

Canonica electio demonſtratur.

Sine ſtrepitu Cardd. ex eorum themate in poſſeſſionem Pontificatus inductus.

Ita de hoc conſtat ut negari non poſſit.



caret poteſtatibus ſenſitivis: porro nulla notitia certior ſenſu.

Item poſtea domini Cardinales propriis motibus ſcripſerunt fere omnibus principibus mundi, & amicis eorum, ſe per gratiam Spiritus Sancti (& ſic per libertatem arbitrii, quia ubi Spiritus ibi libertas) elegiſſe, & habere dictum dominum noſtrum in Papam, & ita informaverunt mundum. Et ultra hoc impetraverunt ab eo tanquam a vicario Jeſu Chriſti abſolutionem a pœna & culpa, ut vulgus loquitur, & diſpenſationem ab omni irregularitate: quibus indulgentiis inpoſterum uſi fuerunt, communicantes ſecum in Sacramento altaris, & receperunt ab eo Euchariſtiam tanquam a Papa, & coram dicto domino, & in capellis eorum in miſſa oraverunt & fecerunt orari pro ipſo tanquam pro vero Papa, etiam in Anagnia exiſtentes, ubi major pœnitentiarius auctoritate dicti domini Urbani, & ſubditus datum pontificatus ejuſdem domini, pleno officio utebatur: impetraverunt ab eo gratias & beneficia, ac etiam nonnulli eorum poſſederunt, & redditus perceperunt, & cum eo concorditer manſerunt menſibus fere tribus, uſquequo leviatan diſturbavit eorum conſcientias primitus rectiformes XIII. di. nervi. Per quaſdam ratiunculas & inanes cavillationes, immo ratiunculas hirſuti juris ut C. de adulteriis ita pudor. Suppoſito igitur vero themate, etiamſi non omnia quæ geſta narrantur alias ſignificent, tamen ex ſubſtantiali ſignificatione, nemo habens intellectum dubitare poteſt de dicto domini noſtri apoſtolatu quoniam verus eſt apoſtolicus, & vicarius Jeſu Chriſti.

Libertas electionis ab ipſis divulgata.

Expeditus de primo, venio ad ſecundum, & non narrabo themata per totam hiſtoriam, quia thematum diſcurſus & ſeries habetur per omnes, ſed contrarietates & vitia thematum detegamus qualiter ſibi ipſis inter ſe, & qualiter unum relatum ad aliud contradicat, ita quod ſuppoſitionibus thematum nulla ſit adhibenda fides per aliquem chriſtianum contra dominum noſtrum, & hoc oſtendam ex duplici genere contradictionis, ſcilicet per inveſtigationem intrinſecam & latentem & literalem, & patentem oculata fide, ita quod negari non poſſit. Et licet ego credam quod thema domini Jacobi fuit maſticatum cum pluribus, qui a domino noſtro diſceſſerant ex amara & carnali indignatione animorum, quæ unde proceſſerit ignoro; tamen ſupponere volo cum domino S. Euſtachii ſine præjudicio veritatis quod ſoli tres Italici Cardinales contraxerunt illud thema; nam ex quo dominus S. Euſtachii non confitetur illud thema eſſe verum loquendo in perſona omnium ultramontanorum, certe neceſſario aſſerit illud thema eſſe confictum: & ex hoc apparet prima oppoſitio thematum adinvicem in al. in urbe.

IV. Contradictorie ab adverſariis aſſerta.

De themate a Jacobo Card. propoſito.

Deſcendo ad ſpecialem domini Jacobi: dicit in principio ſui thematis, quod in conſiliis officialium Urbis fuit concluſum, quod prece, aut ſi non valerent preces, domini Cardinales cogerentur ad faciendum Papam Italicum vel Romanum. Ecce quod de ea deciſione prima erat ſupplicare: ſed alia themata dicunt, quod una tantum erat intentio, ſcilicet compellere, Hæc certe inter ſe non conveniunt ullo modo, quia ſi habeo intentionem inducendi Bertam precibus, ut me accipiat in ſponſum; & in hoc ponere totum bonum conatum meum, tamen ſi hoc non ſufficit, currere in ſubſidium ad impreſſuram, & dicta domina cedit primæ parti, ſcilicet precum, non eſt dubium quod matrimonium valet, metus enim efficere non poteſt, quia non habuit locum, ut ſi quis aliquem teſtari prohibuerit l. ſi. dolus enim in mente conceptus contra intentionem animæ nihil operatur, nec vitiat, ſi prima & bona intentio actum promeruit. Ad hoc facit quod expreſſe notatur in C. quod ſicut in novella III. q. quæ incipit: *Sed numquam hoc caſu in melius videtur, &c.* Ultramontani ergo ideo non fecerunt mentionem de precibus, ut non non pateret Chriſtianis quod preces potuiſſent movere conſcientias eorum, quorum conſcientiæ certe debebant moveri conſideratis conſiderandis pro ſtatu Eccleſiæ ſanctæ Dei: unum enim contrariorum cognoſcitur per reliquum, ſed per viduationem ſedis Apoſtolicæ libera urbe, quoad reſidentiam dico, non quoad eſſentiam, tamen quoad operationem erat quodammodo inconſutilis Dei tunica lacerata, & navicula Petri ſub undis, inter ſcopulos & procellas. Ergo neceſſe erat curare per contrarium, ideſt per reſidentiam veram & non fictam apud baſilicam beati Petri principis Apoſtolorum: omnis enim cura morbi fit per acceſſum remedii ad locum, in quo eſt dolor. Ecce primam diſſonantiam.

Feruntur Romani conſtituiſſe precibus primum agere, deinde vi.

Si precibus ceſſere juſta eſt electio.

Exemplum de ſponſa conſentiente.

Debuerant Cardd. moveri juſtis precibus.

Secunda diſſonantia eſt ex naturali conſideratione & ponderatione cujuſlibet thematis ad ſe ipſum: nam in themate dicitur, quod domini Cardinales erant ipſi de futuro periculo aviſati. Tunc arguo aut erant homines imbecilles, aut prudentes: non imbecilles, ut C. de crimine ſacrilegii l. inſtar. Ergo prudentes: ſi prudentes nullo modo eſt veriſimile, quod prætendunt, quia prudentes quando timent ſe redigunt in tutum, ut ff. ad Trebellianum l. de ætate, & dicto c. in nomine Domini, verbo quod ſi pravorum; quilibet enim, qui habet intellectum, hoc poteſt comprehendere ex naturali circumſpectione & innatæ tutelæ dictamine ff. de juſtitia & jure ut vincum ſi.

Secunda contradictio in eo quod dicuntur commoniti.

Iterum in utroque themate permiſcentur Cardinales ultramontani & citramontani, & tamen certum eſt, de citramontanis quod ipſi non poterant timere, nec um-

umquam cecidit in mentem eorum terror, ſed complacentia, quia nemo metuit inter ſuos ut C. de tranſact. & l. tranſactionem quæ. Ex iſta ergo permixtione non veri tota authoritas loquentium denigratur, quia in tantis & talibus non cadit error niſi notabilis quantitatis.

Tertia contradictio.

Tertia diſſonantia, quia in themate domini Jacobi dicitur quod quidam cives intraverunt, & cum diſplicentia dominorum Cardinalium; ſed in aliis thematibus dicitur, quod intraverunt propter timorem periculi perſonarum, &c. Aliud enim ſonat metus perſonalis periculi, aliud diſplicentia, nam metus ſignificat animi * paſſionem, diſplicentia factum, ut C. ad l. Jul. de. vi. l. quoniam multa facinora.

* impreſſionem.

V. Etſi tunc ſuſceptus metus non tenuit poſtea.

Quarta inconvenientia & contradictio, quia ſi tunc timuerunt, igitur non inceperunt timere in craſtinum, quia aliud eſt incipere, aliud eſt continuare ff. de furtis l. in faciendo §. infans, & vo. ff. de Jur. juran. eum, qui ſcilicet ff. de acq. poſſ. l. III. fac. ff. de capi. di. hodie. Illud enim dicitur incipere, quod prius non erat, ut in proœmio ff. §. in reliqua, & §. incipite igitur, &c. ut ac ab hæred. l. penult. Sed infra in themate dicitur, quod inceperunt timere in craſtinum poſt miſſas. Ergo ante nulla fuerat impreſſio, nec incœperat metus, & ſic eſt contradictio cujuſlibet thematis ad ſe ipſum intrinſecus; nam duo principia metus eſſe non poſſunt, niſi inter unum & reliquum eſſet interpellatio temporis, ſeu interruptio metus, ſicut in bona fide & mala dicimus ff. de uſu. ſequitur C. de illo, & iſtud eſt ſatis ponderandum; quia ſi uſque in craſtinum poſt miſſas non timuerunt, non ſupervenit nova cauſa, propter quam peramplius timere deberent: non præſumitur conſtantia animi fuiſſe mutata, cum non debuerit mutari non ſuperveniente nova cauſa: & ſimulata fuiſſet ſine cauſa circumſtantia, & ſua mutatio quæ actum non vitiat electivum; nullus enim actus magis impreſſivus quam per prius interveniſſe proponitur, unde non præſumitur mutata conſtantia voluntatis ff. de prob. l. quinquaginta.

Contradictio thematum Jacobi Card. & Card. e S. Euſtachio.

Quinta inconvenientia & contradictio, & in hoc eſt valde advertendum, quia multum eſt ad ſubſtantiam facti, quia in themate domini Jacobi dicitur, quo omnes Cardinales nominaverunt Bartholomæum tunc Barenſem archiepiſcopum in Papam animo & propoſito, prout tunc dixerunt, ut eſſet verus Papa duobus exceptis: ſed in themate domini S. Euſtachii dicitur, quod pauci dixerunt iſta verba, animo & propoſito, ut eſſet verus Papa eccleſiæ. In primo themate dicitur quod omnes, exceptis duobus, & ſuper hoc teſtificantur omnes Italici Cardinales etiam ſecundum aſſertionem domini de S. Euſtachio, qui dicit quod primum thema fuit Italicorum Cardinalium, & in ſecundo & tertio thematibus quod pauciores, iſta namque contradictoria ſunt, ut ff. de dubiis l. is q. eccl. §. utrum. ex his apparet quod aſſertio domini prædicti de S. Euſtachio de paucitate numeri in dicta expreſſione verborum eſt falſa; & hoc ut dixi, eſt multum ponderandum propter ea, quæ dicentur inferius.

An electus ex abrupto ſi probe notus.

Sexta contradictio quia in themate dicitur, quod nominaverunt quaſi ex abrupto ſine aliqua diſcuſſione perſonæ: & tamen apparet quod erat eis notus in factis curiæ expertus, unde non poterat eſſe niſi notus, ut ff. de confir. tu. l. ſi patronus, & C. de falſ. monet. l. I. in fin.

Varietas circa conſenſum explicanda.

Septima diverſitas eſt, quia in themate domini Jacobi eſt verbum conſenſerunt quod Italicus eligeretur. Sed in themate aliorum eſt verbum condeſcenderunt, quod verbum poſuerunt valde æquivoce, & tamen forte non minus ſignificat quam conſenſum, ſed magis condeſcendere eſt complacere, & ſe ad voluntatem alterius bona gratia flectere, quaſi ſimul cum aliis deſcendere in eadem voluntate, quæ habet ſignificare conſenſum verum.

VI.

Octava contradictio eſt in quolibet themate ad ſe ipſum, licet confictе hoc dicatur, quod nunquam Cardinales fecerunt aliquam proteſtationem nec æquipollens, quod propter evitandum periculum mortis, prout major pars dicit, & alias non facturi conſenſerunt, ſive condeſcenderunt accipere quomodocumque verbum vis: & poſtea ſubdit quod eligebant animo & propoſito, ut eſſet Papa; nam impoſſibile eſt quod prædixerant idem qui dicunt, quod eſt tantum dicere quantum dicere: Eligimus ea intentione, ne ſit Papa, & immediate poſtea dicere; Eligimus ea intentione, ut ſit Papa. Quis enim non perpendat hujuſmodi contradictionem, quod ex aperta natura verborum ſonat vim contradictoriam amplius prolata illa verba ea intentione ut ſit Papa, verba terminalia ſive finalia & concluſiva? ipſis ſtandum eſt, non prioribus, quia finis verborum debet attendi, ſicut attenditur finis factorum & cujuslibet rei ff. de ma. teſt. l. ſcitus & vo. tu. l. c. ff. ſi c. pe. cum ſign.

Faſſi adverſarii electum ut eſſet verus PP.

Nona variatio eſt, quod in themate domini Jacobi dicitur, quod inter ſe dixerunt aliqui de Cardinalibus facere, prout alias fuerat factum ut per chronicas apparet, ſcilicet quod quamprimum commode poſſent ſecederent ad locum tutum & ſecurum, & quod ipſe renuntiaret ad cautelam, & tunc quod ipſum de novo eligerent: & ita propter ſchiſma vitandum ſibi adinvicem dixerunt, & non exprimitur, ſi iſti erant duæ partes; unde dimittit nos ſub dubio numeri, ſed non dimittit nos ſub dubio conſenſus & finalis intentionis eorum, quæ erat quod ipſe omnino eſſet Papa propter ſchiſma vitandum. Ultramontani vero ſilent & ſupponunt: de ſchiſmate tamen apertius dicunt, quod domini Cardinales inter ſe dixerunt, quod volebant, & intentio eorum erat facere

ſicut



ſicut alias factum fuit, ut per chronicas apparet, ſcilicet quod quamprimo poſſent recederent ad locum tutum & ſecurum, & tunc alias ipſum ipſi reeligerent de novo, & non eſt hic Cardinalis particularis, ſed ſimpliciter dicitur, Cardinales, quod refertur ad omnes, ita quod numerus non indiget alio teſtimonio voluntatis & conſenſus, cum intrinſecus toto opere laborarent, quod eſſet finaliter & omnino Papa; licet ad omne dubium evitandum volebant, quod fieret reelectio, quæ etiam ſecundum veritatem fuit ad cautelam non de neceſſitate, quia ſufficit ſemel conſenſiſſe, ut ff. comn. l. comodato §. ſicut. Et ponderent hanc rationem omnes legentes.

Secunda electio ad cautelam celebrata.

VII. Spreta a Cardd. populi impreſſio.

Decima variatio, quia in themate domini Jacobi dicitur, quod domini Cardinales iterato reelegerunt eum, ſpretis, quæ citabantur & allegabantur de impreſſione: per quod verbum *ſpretis*; apparet quod ſpreverunt conatus populi, qui prætenduntur impreſſivi, ſpernere enim eſt non curare, ac vilipendere, ut non C. de condi. in ſel. l. II. ſicut dicimus ſpernitur prætor, ſpernitur ſuperior erecta cervice, contemnitur, vilipenditur, id eſt auſu quodam non curatur, ut ff. ſi quis juſt. di. no. obtemp. ſed in themate dominorum ultramontanorum ſubticetur illud verbum, *ſpretis*, quod eſt verbum libertatis & audaciæ, & notabiliter ponderandum, quia apparet aperte, quod omni metu ſpreto, ut ſola animi induſtria, libertate canonica proceſſit electio non ſolum ſemel, ſed ſæpius repetita.

Tres actus conſenſus ab adverſariis perſpicue ſuppoſiti vel expreſſi.

Undecima variatio eſt, quia in fine thematis domini Jacobi firmiter præſupponitur tacitus conſenſus omnium Cardinalium in tres actus proſiliens, electivum, inthronizativum, & coronativum: hæc autem ſupponuntur in themate aliorum Cardinalium, quamquam non poſſunt ſubticeri, quia dicti actus ſui natura habent conſenſum annexum, unde per neceſſariam rationem de ineſſe conſenſus apparet tacitus conſenſus, quia (ut dixi) ad actum facti procedens pro expreſſo debet haberi, ut C. de teſta. noſtram, & C. de lati. lib. col. l. I. ſed qui pileati & ff. loca l. quod ad tertium, & ff. d. R. nuper l. 3. libere.

Card. S. Euſtach. profeſſus Urbanum ſolemni ritu ſine ſtrepitu corona redimitum.

Duodecima variatio eſt inter dominum S. Euſtachii & alios Cardinales ultramontanos, & habet inter ſe magnum pondus facti & juris, quia in puncto domini S. Euſtachii ſunt hæc verba: *Et ipſum in Papam ſolemniter, & ſine ſtrepitu & tumultu coronaverunt*; quod quidem ad verbum ſolemniter dixit per ſe; ſed non ex Deo habet, ut veritas non poſſit confundi: iſtud enim adverbium, *ſolemniter* tantum eſt dicere, quam perfecte & ſtabiliter, ut inſtit. de ve. ob. in prin. & ſolemnis coronatio per ſe ſolam in Papam confert jus pontificatus, ut in inferioribus luce clarius demonſtrabo. Expeditus ſum de primo principali de thematibus confictis non tamen adeo, quod ratione intuentibus domino noſtro Urbano poſſit impingi, quin ſit verus, & apertus vicarius Jeſu Chriſti: eſt enim (velint nolint) nec poteſt contradici.

VIII. Quæſitum a Jacobo Cardin. an electio fuerit canonica & an potuerit per alios actus confirmari.

Nunc venio ad tertium principale; quærebatur enim in themate domini Jacobi, utrum electio domini noſtri fuerit canonica: ſecundo ſi a principio non fuit canonica, utrum tacitus conſenſus omnium Cardinalium præmiſſis tribus ſubſecutis ſufficiat, ita quod iſte ſit verus Apoſtolicus nec ne. Et antequam reſpondeam ad præmiſſa in perſonam domini noſtri præmitto certas concluſiones, quarum aliquæ maxime ſubſtantiales, ex quibus infertur dominum noſtrum eſſe ſummum Pontificem & ſecundum conficta themata, luce clarius probabitur.

Concluſiones XX. pro electione vera probanda.

Et prima concluſio talis eſt, quod electio Papæ dicitur & eſt omnis actus, per quem confertur jus pontificatus, qualitercumque expreſſus vel apparens.

Secunda concluſio eſt, quod electio Papæ dicitur canonica ex conſenſu duarum partium Cardinalium.

Tertia concluſio eſt, quod in electione Papæ, ſuppoſito conſenſu duarum partium, nihil eſt contra ſubſtantiam formæ.

Quarta concluſio eſt quod circumſcripta electione ſtricte ſumpto vocabulo, *jus* pontificatus poteſt conferri per factum Cardinalium, cui ineſt conſenſus deducendi pontificaturam in eſſe, vel ponendi in executione vel perfectione eſſe.

Quinta concluſio eſt, quod vanus ſeu injuſtus metus non vitiat electionem papalem.

Sexta concluſio eſt, quod ubi dubitatur de juſtitia metus, Cardinales non ſunt definitores juſtitiæ.

Septima concluſio eſt, quod impoſſibile eſt, quod Cardinalibus exiſtentibus in conclavi impreſſio ſit notoria.

Octava concluſio eſt, quod Cardinales allegantes impreſſionem notoriam, & ſuam allegationem volentes fundare per ſacramentum, ſibi ipſis neceſſario contradicunt.

Nona concluſio eſt, quod ex quo Cardinales ſunt in conclavi, illi qui non curant intereſſe electioni cum duabus partibus dicuntur contemnere, non contemni.

Decima concluſio eſt, quod recedentes de conclavi infecto negotio, abſque cauſa manifeſta perdunt jus eligendi, & accedit eligentibus, ita quod jus & actus eligendi poteſt hoc caſu reſidere penes unum, ne dum penes duas partes dominorum.

Undecima concluſio eſt, quod acceſſio habet locum in electione Papæ etiam ex intervallo, nec requirit eumdem contextum.

Duodecima concluſio eſt, quod in dicta acceſſione conſenſus eſt de ſubſtantia formæ.

Decimatertia concluſio eſt, quod vitium impreſſionis poteſt purgari per actus ſpontaneos conſecutivos.

Decimaquarta concluſio eſt, quod vitium impreſſionis poteſt purgari per conſenſum, qui ineſt actibus conſecutivis.

Decimaquinta concluſio eſt, quod c. ſi quis pecunia LXXIX. intelligitur in electione oppreſſiva vel impreſſiva, dum tamen impreſſio in actu electionis ſit notoria active & paſſive, alias non habet locum illud c.

Decimaſexta concluſio eſt, quod ubi impreſſio non eſt notoria active & paſſive, impoſſibile eſt, quod poſt primam electionem fiat ſecunda electio de alio ſubjecto.

Decimaſeptima concluſio eſt, quod in dubio in caſu non notorio eſt parendum primo electo, ſeu inveſtito de pontificatu.

Decimaoctava concluſio eſt, quod Cardinales non poſſunt teſtificari contra literas tam collegiales quàm ſingulares, quas miſerunt ad principes mundi.

Decimanona concluſio eſt, quod confictores, conſpiratores, & detractores ex omni dictamine rationis repelluntur a teſtimonio.

Vigeſima concluſio reſponſalis ad quæſita eſt, quod dominus noſter Urbanus eſt verus Apoſtolicus ex origine electionis, ex proceſſu inthronizationis, ex perfectione coronationis, & quod quilibet iſtorum actuum, etiam per ſe, eſt aptus natus ad conferendum jus pontificaturæ papalis.

IX. Electio eſt omnis actus per quem jus pontificatus confertur.

Redeo ad primam concluſionem, quæ dicebat, quod electio Papæ dicitur & eſt omnis actus per quem confertur jus pontificaturæ, qualitercumque expreſſus vel apparens, & hanc concluſionem probo pluribus rationibus & auctoritatibus, & incipio primo ab ipſa rerum natura: nam certum eſt per rationem intellectus, quod omnis actus moralis eſt actus electivus, ſicut patet per Ariſt. III. ethic. Sed omnis actus, per quem confertur jus pontificaturæ eſt actus moralis, ut ſatis patet, & probari poteſt per id quod no. in proh. decretal. in I. glo. Ergo omnis talis actus eſt actus moralis electivus, loquendo largo modo.

Parum intereſt quænam exprimantur verba.

Secundo probatur hoc, videlicet quod non ſit de forma, qualitercumque conſenſus appareat ſeu quibuſvis verbis, dum utatur per id quod le. & no. C. de conſt. l. II. ſuper verbo vacab. ubi glo. ſic ait: *Controverſia de nomine pertinacibus, &c.* Sic & in topica Marcus Tullius, cum enim res intelligatur, minus de nomine laborandum eſt.

Probationes variæ.

Tertio hoc probo, per omnes leges, quæ volunt ſenſum, non verba ſpectari, maxime per leges juris ſcriptas. C. de teſta. quoniam indign. ibidem dicit: *Si liquet voluntatis intentio, non ſunt neceſſaria monimenta verborum;* & in. dum dicit: *Quolibet loquendi genere formata in facto valeat;* & C. de li. pr. ſi quis filium in: *Dum manifeſtiſſimus eſt ſenſus verborum, interpretatio nunquàm tantum valeat, ut melior ſenſu exiſtat;* & C. fal. quotiens ff. ſi. c. pe. ſi ſibi in prin. ff. lo. ſi uno ff. de præſcrip. inſulam. Ubi igitur conſtat de conſenſu, non exigimus verba formalia, ut C. de teſta. in teſtimonio, ibi dum dicit: *Omnem formalem obſervationem penitus amputamus.*

Quarto hoc probatur per gloſ. ordi. LXIII. di. c. quanto, ubi glo. dicit, quod non refert quibus verbis quis electionalem vel conjugalem exprimat conſenſum.

Quinto probatur per dictum Jo. And. in cap. licet de evitand. ext. de elect. ubi dicit quod non refert utrum dicatur in electione Papæ conſentio, nomino, vel eligo; & licet Jo. An. faciat mentionem de illis tribus vocabulis, tamen in ſimilibus vocabulis eſt dicendum idem, cum ratio diverſitatis reddi non poſſit ff. ad l. Aquil illud C. de conſti. pet. l. fi. C. de condi. idem. l. I. in glo. cum ſimili, unde ſi Cardd. dicerent ita volumus, quod Bartholomæus ſit Papa, iſte Bartholomæus eſſet electus in Papam, quia iſtud verbum eſt diſpoſitivum, ut C. communia de le. l. II. C. de ſum. to. l. I. Item ſi domini Cardinales dicerent: *Ordinamus quod talis ſit Papa*, quia (ut dixi) non eſt vis in qualitate vocis, ſed in qualitate ſenſus & intellectu facti, quod no. in ſimili ff. de arbi. diem proferre. §. ſi plures, & l. quia tamen §. ſi arbiter & ff. falſarius puto §. I.

X. Ea electio probatur canonica quæ duabus partibus conſtat.

Venio ad ſecundam concluſionem, quæ dicit quod electio Papæ dicitur canonica ex conſenſu duarum partium Cardinalium: & præmitto per hoc verbum, *canonica;* in electione Papæ ſtat largo modo, ut no. Inno. ex. de elect. quod ſicut, id quod verificatur ex ſolo naturali eſſe, ideſt ex ſolo conſenſu, qui eſt de jure naturali: ſed in electionibus aliorum iſta dictio, *canonica*, ſtat pro ſubſtantia & forma, & dicitur canonica, id eſt regularis in aliis prælatis, ut. no. in c. II. de elect. li. VI. in novella, ſed electio Papæ eſt irregularis, quia non limitatur ſub regula aliarum electionum, eſt enim varie figurata & magis libera, quam aliæ electiones prælatorum; hoc igitur præmiſſo pro intellectu iſtius vocabuli, *canonica*, dico quod concluſio mea eſt vera pluribus rationibus.

Probatur quintuplici argumento.

Primo quia ita ſtatuit lator canonis in dicto cap. licet de vitanda ibi, dum dicitur. *Ille abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus electus fuerit & receptus;* unde verbis legis ſeu decretalis debemus eſſe contenti, & nihil ultra requirere. ff. qu. & aq. l. proſpexit & ff. de acq. hæred. l. ſi ſervum §. non dixit. & ff. de verb. ſign. l. verb. legis, & de pub. l. de pretio cum ſy.

Se-



Secundo probatur, nam (ſicut alibi dicitur) jus civile in venditione, additione, detractione ff. de juſti. & jure. l. jus civile, & no. inſti. de ac. ff. ſed iſte, & in inſti. de jure naturali §. ſed quoties, ita actus dicitur canonicus juris canonici inventione, vel probatione: ſed hujuſmodi electio eſt approbata a canone ex ſolo conſenſu duarum partium. Ergo hujuſmodi electio dicitur canonica, quia a canonibus canonicata & validata.

Tertio probatur quia ea dicuntur actum canonicare, quæ habent ipſum integrare & perficere, ſed conſenſus duarum partium perficit actum in extraneo electivo. Ergo concluſio vera.

Quarto ſicut non eſt dubium, quod conſenſus omnium dominorum reddit electionem canonicam, ſed duæ partes juris intellectu repræſentant totum collegium, quia in eis reſidet collegium, & omnes Cardinales in dicto c. licet. & ff. quod uni nomine l. nulli; nam duæ partes ordinis totius curiæ inſtar exhibent, ut C. de decurio l. nominationum forma. Ergo concluſio vera.

Quinto probatur formaliter per dictum Inno. in dicto C. licet in fi. ibi dum dicit: *Quocumque modo appareat duas partes conſentire in aliquem tamquam in electum, habet jus, & verus Papa eſt;* & dicit ibi Compo. ſub adverbio, *qualitercumque;* Non refert ergo quomodocunque vel qualitercumque.

XI. Suppoſito conſenſu duarum partium nihil defuit de ſubſtantia formæ.

Venio ad tertiam concluſionem, quæ dicit, quod in electione Papæ ſuppoſito conſenſu duarum partium, nihil eſt de ſubſtantia formæ, & præmitto quod quædam dicuntur de ſubſtantia formæ, quædam de ſubſtantia conſenſus: quid ſit de ſubſtantia formæ, in aliis electionibus habetur ex modo tradito in c. quia propter de elect. & glo. utitur hoc ſermone in C. cum in eccleſiis de præben. li. VI. Quid autem ſic vel dicatur de ſubſtantia conſenſus apparebit per ea, quæ dicta ſunt in XIII. concluſione. Hoc præmiſſo probo concluſionem eſſe veram ſic. Inter cætera, quæ ſunt de ſubſtantia formæ, ubi requiritur forma, eſt quod electio ſit communis & immota, alias canonica in c. ſicut de elect. li. IV. & in c. cum ab uno de re judi. & h. Sed hoc non requiritur in electione Papæ, quia iſta forma non eſt de jure naturali, ſed poſitivo tantum, ut no. Inno. in dicto c. quod ſicut, glo. magna, & I. An. ibidem, ubi dicitur expreſſe, quod a jure poſitivo tantum, & non de jure naturali eſt, quod communis interveniat electio; & dicit quod non intervenit communi electione, dummodo non deſit conſenſus, confirmatio ſuperioris facit verum prælatum ſolum ea ratione, quia non deficit jus naturale, ſed artificiale, quod ſuppletur auctoritate confirmatoris. Ergo concluſio vera, ſaltem quoad iſtam formalem particulam communis electionis. Ex quo concluditur quod ſubtilitas illius. C. in geneſi ext. de elect. non habet locum in elect. Papæ, ubi enim habemus naturalem veritatem, non conſideramus verborum ſubtilitatem C. de conſti. pec. LII. §. penult.



Secundo probo ſic. Quidquid poteſt operari ſuperioris confirmatio in electionibus inferioris, illud operatur in electione Papæ conſenſus dominorum, cum deinceps ibi per ſe nulla cadat confirmatio vel infirmatio, ut dicto c. licet in fi. & quia Deus eſt, qui confirmat VII. q. I. factus eſt Cornelius.

Tertio formaliter probo ex dicto Innocentio in dicto c. licet in vlt. gloſſ. ſua ubi dicitur: *Non eſt hic aliqua forma ex neceſſitate ſervanda*. Ergo concluſio vera.

Quarto hoc probo expreſſe per auctoritatem Speculatoris & Archidiaconi, qui refert dictum Speculatorem LXXIX. di. ſi tranſitus, ubi ſic formaliter dicit: *In hac electione*, ſcilicet Papæ, *non eſt de neceſſitate aliqua forma ſervanda, niſi ſolum concordia duarum partium ſecundum Guillelmum Durandi.*

Quinto hoc probatur tali ratione. Quæcumque aſſumunt totum ſuum eſſe conſenſu, nihil requirunt ad ſuum eſſe extra conſenſum ff. de act. & ob. l. conſenſu & ff. de pac. l. juris gen. in prio. Sed electio Papæ eſt hujuſmodi, ut probatum eſt. Ergo ſolo conſenſu veſtitur & ſolemnizatur; quare ſequitur quod concluſio eſt veriſſima.

XII. Pontificatus conferri poteſt per factum cui conſenſus annectitur.

Venio ad quintam concluſionem, quæ eſt quod circumſcripta electione ſtricte ſumpto vocabulo, *jus*, pontificatura poteſt conferri per factum Cardinalium cui inſit conſenſus deducendi pontificaturam ineſſe, vel ponendi in executione, vel perfectione eſſe: & audeo dicere quæ ſentio, quæ clare dico, quod nulla etiam præcedente electione, inthronizatus ut Papa, efficitur Papa; item coronatus, ut Papa ſecluſa electione & inthronizatione, efficitur Papa; & hoc probo pluribus rationibus; & primo hujuſmodi actibus ineſt conſenſus electivus, ideſt effectivus, quia qui facit actum vult ipſum ſortiri effectum, ut no. ff. de le. & l. hujuſmodi. in pr. & quod no. C. de condi. in l. II. in vult glo. quicumque enim dicit, vel facit aliquid, quod propoſuit dicere, vel facere propter finem ſcilicet, ut valeat & non pereat, ut l. quoties de ver. obl. & plene no. ff. de pac. utilibus. Qui ergo inthronizat vult inthronizationem valere; ſimiliter qui coronat. Ergo neceſſarie & tacite vult eligere ſeu conferre, quia qui vult aliquid, vult quidquid eſt ad illud neceſſarium, quia quod poſterius eſt, præſupponit principium & ordinem ſuum, cum poteſt ſola voluntate repræſentari ff. de jur. judi. l. cui juriſdictio cum ſua via communi & vulgari; unde recte conſiderantibus apparet electionem non eſſe, ſed tacite ineſſe; & tacitum eſt ita notum, quod habetur pro expreſſo, quia

Probationes multiplices.



vera

vera notitia ejus apparet nobis ex neceſſaria ratione, & natura in tuitura actus expreſſi, ff. ſatis pe. cum quid: Ad hoc facit quod no. ff. de pac. quia & l. Labeo facit, nam etiam factis expreſſe & evidenter conſentit, ut ibi notatur. Hoc certe poſſet apparere, ſi poſt morbum aliquis Cardinalium eſſet mutus, nam factis & ſignis poſſet eligere, & valeret electio cum juſtitia & ſubſtantia, ſcilicet conſenſu, ut prædixi: facit dele. in nutu cum ſy.

Secundo probatur ſic. Plures actus intellectus celeritate junguntur, quando unus eſt neceſſarius ad eſſe alterius, & poſſunt eodem loco, & tempore celebrari, nec per hoc dicitur aliquod omitti, ſed celeriter fieri ff. de acq. he. illud, & l. pro hærede §. cap. & l. gerit. & l. cui alias cum bonis, & inſti. de hæ. qli & diſt. §. ſi ff. ſi cert. pe. ſingularium ff. de dona. inter rer. & xv. l. III. §. ſciend. Sicut igitur in propoſito actus electivus executioni intellectus celeritate conjungitur, & nihil ex ſubſtantialibus omittitur, & in coronatione, tamquam in ultimo perfectivo repræſentantur omnes aliæ ejus perfectiones, ſicut in carbunculo inſunt omnes virtutes lapidum, ut ait Albertus: *Et in anima perfectiva hominis omnes animæ*; & quod coronatio ſit ultima perfectio probatur ex not. in 6. li. in glo. ord.

Tertio probatur expreſſe per dictum Innocentium in dicto c. licet, dum dicit quocumque III. & ſimiliter per dictum Archidiac. & Speculator. nam non refert quomodo conſentiatur, & per quos actus dummodo conſentiatur, quod ſit Papa. Ergo concluſio vera.

Quarto probatur, & ad hoc non poteſt reſponderi; olim enim quando Imperator eligebat, vel verius nominabat Papam, non conferebatur pontificatura per electionem, vel nominationem Imperatoris, quia non poteſt laicus conferre jura ſpiritualia, ut in c. ſacroſancta de elect. ſed inthronizatio dominorum Cardinalium erat illa, quæ conferebat jus pontificaturæ, hoc expreſſe no. Innoc. in d. cap. quod ſicut, & eſt expreſſus textus di. cap. Hadrianus, ibi per Archi. *Vides quod inthronizationi poteſt ineſſe omnis virtus tam electiva, quam inthronizativa.* Nec dicat aliquis hoc eſſe erroneum, quia virtuti Cardinalium, & naturæ actus nihil eſt detractum, licet Imperator ſit revocatus ab actu.

Quinto hoc probatur; & reſpondeat quicumque poteſt, quia dico, quod ſola coronatio ſolemniter facta, ſine ſtrepitu & tumultu confert jus pontificaturæ, quod ſic probo. Coronatio eſt ſolemnis, immo ſolemniſſima inveſtitura de pontificali dignitate. Sed certum eſt, quod inveſtitura de pontificatura confert jus pontificaturæ, quamquam nulla alia præceſſerat diſpoſitio vel electio; ut expreſſe no. Compoſt. & novella poſt eum ext. de ele. c. trai. quorum verba infra formaliter recitabo. Ergo concluſio mea eſt ipſa veritas.

XIII. Inanis vel injuſtus metus electionem non labefactant.

Sequitur quinta concluſio, quod inanis ſeu injuſtus metus non vitiat electionem papalem, & præmitto de evidentia, quod metus poteſt conſiderari dupliciter uno modo qualis eſt; ſecundo qualis eſſe debet: & ſiquidem talis eſt metus, qualis eſſe debet in conſtanti viro, illius qualitatis & conditionis, ille metus dicitur juſtus, & meticuloſitas patientis dicitur juſta; ſed non metum inferentis. Si autem non eſt qualis eſſe debet, quia cum debeat eſſe parvus metus, vel nullus prætenſa fragilitate metuentis, cum afferit tranſcendentem animi vires, in hoc non eſt aſſentiendum prætendenti metum, quia allegat fragilitatem, quæ non debet eſſe, ut præſumitur eſſe, ut ff. quod met. cauſa l. metum autem non vani hominis. Hoc ergo præmiſſo probo concluſionem pluribus rationibus. Et primo ratione personarum; nam metus verborum non debet cadere in Cardinalibus, præſertim in toto collegio ipſorum, præſumitur enim in eis & animi fortitudo, & debent eſſe audaciſſimi, ut no. in auth. de non alie. §. I. col. II. Si enim in militibus ſecularibus præſumitur animi magnitudo ff. de te. mi. l. I. item animi fortitudo, ſcilicet, quod non evitent mortem pro republica ff. ex q. comunis via l. plit. magis arbitrandum eſt de Cardinalibus, quod non fragiles, & quod inter quæcumque pericula libere eligant, quod credunt expedire Eccleſiæ ſanctæ Dei ff. de offi. præt. l. I. §. his cunabilis.

Probatur triplici ratione.

Secundo ratione actuum; quia actus non fuerant proprie impreſſivi; nam voces remotæ a patiente ſubjecto, parum vel nihil imprimunt in ipſo, ſi ſubjectum eſt conſtans, ut c. de pœnis decurionum.

Tertio quia ex perſonis dicta penſamus l. I. ff. de accet. & ob. l. ſi. ff. ad l. Juli. viri famoſi, ſed ratione, nec ex antea, nec ex poſt facto, aliquem dominorum læſerunt in aliquo, nec in aliquem familiarem eorum, nec eſt veriſimile quod haberent ſacrilegi animum manuum injectivum, cum nunquam habuerunt propoſitum, ſeu intentionem lædendi; ſed venerandi & exhortandi, & ſupplicandi, ſicut faciunt devoti filii erga patres ſpirituales. Ergo, &c. Et eſt iſta catholica & naturalis præſumptio: & poſito quod habuiſſent pravam intentionem inſtigatu quorundam ex poſt facto, & de poſt electionem domini noſtri contrariam; tamen habuerunt intentionem bonam, & non proceſſerunt ad aliquem actum proximum facto, quia aliud eſt tentare, & aliud imprimere, ut c. de epi. & cle. ſi quis non dicam: ubi ponitur per omnes doctores maxima differentia inter actum verbi, & actum facti, & ff. de ex ord. tri. l. I.

Revertor igitur ad propoſitum, & di-

co



Argumenta a ſimili in conjugio & Monachatu.

co quod levis metus non vitiat electionem papalem, & intelligo pro levi metu levitatem animi metuentis; hoc probatur per regulam generalem ff. quod me. cauſa; metum autem intelligi per regulam ſpecialem in actibus ſpiritualibus, ut in matrimonio, vel religione ex. q. cle. ult. mo. cap. inſinuante. §. nos igitur de ſpon. & ma. c. ad. id quod, & c. cum locum, ubi de hoc in glo. & ex. quod met. cauſ. cap. I. cum ſibi ſimilibus. Amplius hoc probo, quia tex. in c. ubi periculum utitur verbo, *adimitur*, & in c. finit. §. decet c. ti. utitur verbis *exterreat*, *abſorbeat*, *removeat*; iſta enim vocabula ſunt ablativa ſignificationis; parvus enim metus non dicitur adimire, nec abſorbere motivos impetus rationis, quia ſuperior pars rationis vincere debet iſtam debiliorem VII. di. in palea. ſed penſandi. Præterea hoc eſt determinatum expreſſe per glo. ord. formaliter habeat, decidentem in electione Papæ in c. ne Romani §. porro in glo. quæ incipit. *Sed qui*; dum dicit juſtitia metus &c. fruſtra enim gol. inquireret de juſtitia metus, ſi quilibet metus juſtificaret articulum ff. de acqu. her. quod ſi dubiter, non ob glo. in c. in ſummitate; quia iſta glo. loquitur de metu laici comparative reſpectu gravioris metus, ut de minis Imperatoris reſpectu flagellorum. XXIII. q. VIII. convenientior. Plus dico quod totum collegium non debet timere minas Imperatoris, & ſi timeret non eſſet juſtus metus in tanto collegio, ſed in uno ſacerdote bene eſſet metus juſtus fa. XXXI. q. II. Lotharius c. quod metus cauſa metu vero jactationibus: an ergo metus ſit juſtus debet conſiderari qualitas & pondus perſonarum, ut no. in dicto c. locum & ex. quod met. cauſa c. penult. & c. 7. 6. l. I. & quod no. per. Archid. XV. q. I. c. I. verum quia in iſta materia propter varietatem perſonarum & actuum non poteſt dari certa regula, ut ff. de uſuris mora; totum hoc arbitrio judicis relinquendum eſt, & videndum eſt, an verba vel minæ vel potentia hominis fuit cauſa timoris, ut ff. ex quo ca. ma. l. neque und. quandoque minæ regis non excuſant, ut dicto c. in ſum. late, ita dicit archid. hic autem non habemus ſuperiorem, qui poſſit inquirere & judicare, ut dicetur: quare vi ipſa cedendum eſt domino noſtro non ſolum ratione veritatis, ſed ratione dubii, ſi quod eſſet, ut poſtea dicetur; & ideo ſchiſmatici primo poſuerunt manus ad impoſſibile de jure.

XIV. Si controvertitur an juſtus fuerit metus Cardd. non poſſunt eſſe judices.

Sequitur ſexta concluſio, quod ubi dubitatur de juſtitia metus, Cardinales non ſunt definitores juſtitiæ metus: & præmitto ad evidentiam, quod idem dicitur dubium, quod poteſt recipere probationem pro & contra, v. quod ad l. procla. no. licet. l. ſi. c. de pert. l. I. Item præmitto quod ubi eſt quæſtio de metu, iſta cauſa ex natura ſua recipit probationes pro & contra, quia cauſa per veritatis probationem inquiritur, ut ff. ad turp. l. I. ſcilicet calumniatoribus, ubi vera, ut propria. fa. ex. de renunc. c. ſuper hoc. Revertor ad concluſionem probandam, quæ probatur de facili pluribus cauſis, alias rationibus. Et primo quia in propria cauſa Cardinales non poſſunt judicare, ut C. nequis in ſua cauſa l. I. ad hoc quia no. Inno. ex de verb. ſign. ex parte. in Chriſto, ubi ſic ait: *Si aliquis autem vellet Papæ crimen objicere, de hoc nullus poteſt cognoſcere.* IX. q. 3. facta aliorum, niſi de hæreſi. XL. di. ſi Papa: item ſi de proprietate ejus agitur vel ſuis nullus niſi ipſe ſolus cognoſcit IX. q. III. ne vio. & cap. ſequentibus.

Secundo quia ſunt ſuſpecti, eo quod deponunt contra ipſum, licet nulliter ar. C. de appo. caſ. in pu. nam nil tam eſt periculoſum, quam ſuſpecto judici ſubjacere, nec eſt aliquid, quod ita triſtiſſimos ſoleat ſortiri eventus, ut no. C. jud. apertiſſime.

Tertio quia nullo jure videbatur hoc eis concedi, & ipſi non habent aliam poteſtatem, quam a jure conceſſam, ut no. Archi. in c. ubi periculum: & iſta eſt bona argumentatio, non habent enim juriſdictionem, quia non eſt conceſſa a jure, ut ff. de offic. præt. l. II.

Quarto probatur, quia in caſu dubii ipſi tenentur habere electum pro Papa, ut expreſſe legitur & notatur LXXIX. di. c. ſi duo forte, & c. ſi quis pecunia.

Quinto hoc probatur expreſſe per glo. ord. I. quæ dicit, quod dubium de juſtitia metus in Papa non habet definitorem, ut notatur in dicta cle. ve. Romani in glo. ſuperius allegata ibi: *Quæritur quis de juſtitia metus cognoſcet*; & reſpondet, quod iſta non ſunt adhuc proviſa, neque deciſa; unde non habemus legem neque inſtrumentum legis in hoc caſu.

XV. Cardinalibus in conclavi agentibus impreſſio nota eſſe non potuit.

Sequitur ſeptima concluſio, quæ eſt, quod eſt quaſi impoſſibile, quod Cardinalibus exiſtentibus in conclavi, impreſſio ſit notoria: & ad hoc intelligendum, ſciendum quod impreſſio requirit duo extrema, ſcilicicet agens & patiens, & non poteſt probari impreſſio, quin probetur circa ultimum extremum, nam cum impreſſio non ſit aliud quam quædam violentia cum effectu, ita quod non ſolum ſit ibi conatus inferentis, ſed metus patientis, ut C. quod metus cauſa, ſi per impreſſionem, oportet quod conſtet non de extremo ſolum activo, verum de extremo paſſivo: conſtare autem dicitur de aliquo, dum probatur uno modo per generalem evidentiam facti, & hoc modo clamor & congregatio populi potuit dici notoria; alio modo per conjecturas, & conjecturæ ſemper præſupponunt incertum, veriſimile tamen, quia in incertis, non certis, locus eſt conjecturis de verb.

ob.

Probatur quia potuere ſpernere tumultum populi.

ob. continuis §. cum ita; & hoc modo non poteſt dici eſſe notorium, quia hoc magis intellectu percipitur, quam videatur, & quia de facili una conjectura poteſt removeri per conjecturam contrariam, ut ff. de le. licet Imperator ff. de r. integ. reſt. divus ff. de ri. imp. non ſolum, ſed de uno; & argumenta tunc inquirimus, cum veritatem non novimus ff. de re. naut. non omnis §. a barbaris. His ergo præmiſſis clare patet probatio quæſtionis, nam Cardinalibus exiſtentibus in conclavi populus, cujus viſio & aſpectus facit eſſe notorium qua trepidatione, qua conſtantia, in quo conſenſu vel diſſenſu, in qua opinione eſſent Cardinales, neque videre, neque introrſum potuit penetrare; unde impoſſibile eſt hoc caſu teſtificari de extremo paſſivo tamquam notorio propter naturæ reſiſtentiam, quia acies viſus non penetrat parietes, & ideo qui in domo fuerit introrſus dicitur eſſe latens, ut ex. de teſti. c. veniens in fin. & c. de repud. l. conſenſu §. ſuper, & ff. de ve. in ſpi. l. 1. §. inſpiciendo.

Secunda ratio talis eſt. Illud non dicitur notorium, quod probabiliter poteſt in dubium revocari, ſeu in quo cadit probatio contrarii ex theorica data per Inno. & alios in c. fi. de coha. cler. & anuli. de offi. dele. c. renuis judicem obtinere. Poſſet probari, quod Cardinales eſſent alias facturi, & ſic non propter metum, Ergo, &c.

Plus dico quod ex ſuppoſitis eorum liquet hoc: nam, ut ipſi dicunt, omnis intentio erat reeligendi ipſo renuntiante ad cautelam, & hanc electionem fixam habebant in mente. Modo ſupponamus ſine præjudicio veritatis, quod hoc quod deſtinarunt in craſtinum, vocibus populi fecerunt per prius, quam recepiſſent in mente, certe hoc conceſſo non poteſt dici, quod alias non erant facturi reſpectu, unde iſta impreſſio ſuppoſita pro vera, quamquam non ſit vera, tamen non eſt circa conſenſum in ſubſtantia conſenſus, ſed circa quædam extrinſeca, id eſt certa concomitativa loci & temporis; unde talis electio non eſt ſine conſenſu, quia alias erant facturi, licet ſuo tempore, & non nunc, quod no. ff. de excep. do. apud Celſum, & de re judi. ablatæ ſunt l. 6.

Tertio probatur prædicta concluſio naturali exemplo: ponamus quod Titius rapit Bertam coram populo, & eam includit in domo, & ibi eam carnaliter cognoſcit, certum eſt quod rapina eſt notoria, ſed non carnalis cognitio, quæ fit in occulto, unde cognitio carnalis hoc caſu magis dicitur probari ex conjecturis, quam ex aliqua notorietate: licet enim præambulum, id eſt rapina, ſit notoria, tamen carnalis cognitio eſt dubia; quia poſſibile eſt, quod cognoſcat & non cognoſcat ille qui rapuit: notorium autem proprie eſt quando ipſa veritas facti ſe ingerit oculis omnium videntium: unde ratio notorii debet reddi per ſenſum corporis immediate actui, non per diſſenſum rationis & intellectus, quia talis ratio eſt magis judicium, quam teſtificatio juxta no. per Inno. in ſimili ext. de teſti. c. contra cauſam.

Quarto hoc probatur ex ipſius animi inviſibili qualitate, ut expreſſe no. ff. de pat. jure gentium §. pactorum. Quamvis ergo conatus activus poſſit eſſe notorius, tamen animus paſſivorum quem non videmus, nobis notorius eſſe non poteſt.

Quinto hoc probatur ex eorum confeſſione, nam ipſi prætendunt conſcientiam, & ad ſacramentum conſcientiæ confugiunt: tale autem ſacramentum quaſi purgationis neceſſario ſupponit occultum, ut c. de pœna indi. qu. via. ant. novo jure. Concludamus ergo finaliter quod conatus impreſſivi poſſunt eſſe notorii, ſed non animus prætendentium ſe impreſſos: & quia impreſſio debet tranſire in ſubjectum ſuum, & non conſtat notorie quod tranſmittit in ipſum, neceſſario ſequitur quod impoſſibile eſt, quod impreſſio ſit notoria; tunc autem eſſet impreſſio notoria, quando populus caperet Cardinales, & ipſos urgeret invitos & notorie reclamantes.

XVI. Cardd. probant impreſſionem non eſſe notoriam dum eam probare volunt ſacramento.

Sequitur octava concluſio adhærens præcedenti, quæ eſt quod Cardinales allegantes impreſſionem notoriam, & ſuam allegationem volentes fundare per ſacramentum proprium, ſibi ipſis neceſſario contradicunt, & hoc probatur pluribus rationibus.

Primo quia confugiens ad ſacramentum dicit aliam probationem ſibi deficere, ut ff. de jure jurando. Sed allegans notorium, allegat evidentiam rei quaſi per ſeipſum. Ergo eſt evidenter ſibi ipſi contrarium.

Probandi onus ita excutiunt.

Secundo quia allegans notorium allegat probationem probatam ex aſpectu vulgi. Sed habens refugium ad juramentum petit ſe relevari ab onere probandi, ut ff. de jur. jur. eum qui.

Tertio quia probatio de animo hominis eſt probatio de inviſibili & ſuper re obſcura, ut no. in c. 11. de elec. VI. in novella fa. de ſy. tua nos.

Quarto probatur, quia non apparet aliquod factum notorium dominorum Cardinalium, cui poſſit inhærere animus meticuloſus per modum notorietatis quod appareat, quia de hoc ipſi carent omni teſte, & ideo petunt in ſubſidium credi ſibi ipſis. Allegant igitur duo contraria, ſcilicet tam per alios quam per ſe ipſos non poſſe probari de metu.

Quinta ratio eſt, quia illud quod non poteſt probari niſi per teſtes ſingulares, non poteſt eſſe notorium, ut c. de teſti. jurisjurandi. Sed metus in corde retentus non poteſt probari niſi ſingulariter per ſingulos, qui ita ſciunt conſcientiam ſuam, quod non alienam; ut not. Inno. de remi. c. ſuper hoc. & bene facit quod

no.



no. in c. cum ab uno de rer. jud. lib. VI.

XVII. Qui non acceſſere duabus partibus contempſere, non contempti fuere.

Sequitur nona concluſio, quæ talis eſt, quia ex quo Cardinales fuerunt in conclavi, illi qui non curant intereſſe electioni cum duabus partibus dicuntur contemnere & non contemni; & hoc probatur pluribus rationibus. Et primo quia monitus a lege vel ab homine, ut accedat ad certum locum apertum; debet offerre ſe actui & eſſe diligens & obſervans, ut ff. de excu. tu. l. ſcire oportet, & §. ſcire ante 1. reſp. & ff. de conſti. pec. iterum illa.

XVIII. Secunda ratio, quia qui eſt in conclavi dicitur præſens, ſicut, qui eſt in foro judicii; unde ſi non intereſt actui, eſt in culpa, quæ habetur locolatitationis juxta doctrinam Inno. ex. de exceſſ. præla. c. ex literis.

Tertio probatur quia ille, qui eſt præſens non citandus eſt, ut no. Jo. Andr. in ca. ult. de elec. li. VI. in nonnulla, & præſens eſt ille, qui voce alterius exaudire poteſt & debet, ut ff. ad Syllan. l. 1 §. occiſorum.

Quarta ratio eſt, quia non debet minor pars contemnere majorem, ut ff. de pac. reſcrip. & in l. cum in eo.

Quinta ratio eſt, quia Cardinales deberent ſe ingerere, nec expectare quod moneantur, ut no. in cle. ne Romani in glo. quæ incipit: *Juſtum fuit*. Primo monitio non eſt de ſubſtantia formæ, ut no. in c. cum in eccleſiis de præbend. di. 6. & in c. quia ſicut de elect. & eſt ſimul quia non ff. de bon. poſſ. l. 3. §. archi. ubi ſic formaliter ait: *Non, quod poſtquam duæ partes Cardinalium in aliquem conſenſerunt, aliquis Cardinalis abſens non poterit conqueri de contemptu*. Nam omnis exceptio excluditur hoc caſu, ut patet in prædicta decret. licet §. 1. & cui denegatur exceptio multo fortius denegatur actio c. de tranſac. nec. intentio: abſentem autem intelligo a loco vel ab actu, ut ff. de non. ob. l. 1. poſt princ.

XIX. Sequitur decima concluſio. Videtur quod illi qui recedunt de conclavi infecto negotio abſque cauſa manifeſta perdunt jus eligendi & voces accreſcunt eligentibus, ita quod jus & actus eligendi poteſt hoc caſu totaliter reſidere penes unum, nedum penes duas partes dominorum: iſta propoſitio probatur formaliter in electionibus Papæ in cle. ne Romani §. porro ſuper verbo: *omnes*, ubi glo. finaliter dicit, quod ſi omnes exirent conclave, debent compelli ad reintrandum conclave, ut in tex. ſed ſi aliquis, vel aliqui remanerent in conclavi in illos vel in illum reciderent jus eligendi. Ergo concluſio vera.

Recedentes e conclavi jus eligendi amittunt.

Secundo hoc probatur per regulam in jure civili traditam, quæ dicit, quod nolentes eligere, ſe ab electione faciunt alienos, & recidit in volentes ff. de fœder. l. ſi legat. §. 1.

Tertio hoc probatur, quia in jure communi melior eſt conditio utentis, quam uti nolentis. ff. com. diu. Sabin. ſed jus eligendi eſt deputatum ad uſum eligendi. Ergo concluſio vera.

Quarto probatur, quia in iſtis juribus in corporalibus & ſimilibus, ſæpe illud, quod eſt commune, reputatur proprium, quantum ad ejus uſum, ut ff. de neg. geſt. qui alienam §. finali.

Quinto probatur per id, quod expreſſe no. ex. de elec. quod ſicut, & c. eccleſia veſtra, & notatur per Archi. LXV. di. ſi forte: Ubi dicit ſecundum Vinc. quod ſi publicato ſcrutinio & collatione facta omnes de capitulo recedant, unus ſolus & ſingulariter in capitulo remanens eligere poterit; & facit quod notatur per eumdem Arch. XXXI. di Viicena.

Acceſſio habet locum in electione Papæ etiam ex intervallo.

Sequitur undecima concluſio, quod acceſſio habet locum in electione Papæ, etiam ex intervallo, nec requirit eundem contextum. Hoc dico propter dominos Cardinales Italicos; quia ſi electio Papæ procedere poteſt a Cardinalibus per intervalla actuum & temporis, & acceſſio eodem modo, ſuppoſito pro caſu, quia quantum ad propoſitum ſuper hoc non oportet inſiſtere, quod domini Cardinales Italici omnes, vel aliqui ex eis atteſtentur ſuper conſenſu a primordio quod fecerunt talem actum, circa quæ ſi fuiſſet neceſſaria habuiſſet locum acceſſio, ſcilicet regularis, & debet fieri ante ſcrutinium publicatum, ut in c. Eccleſia 11. no. de elec. & no. e. ti. cum expediat in VI. in novella. Item irregularitas, de qua loquitur cap. indemnitatibus e. ti. quæ habet locum in electionibus faciendis ſuo caſu, etiam publicato ſcrutinio. Ubi requiruntur duo, quod minor pars accedat majori, & quod antequam ad actus divertant extraneos. Tertia eſt acceſſio magis irregularis, ſcilicet in electione Papæ, & tunc dicit ibi glo. or. quod etiam poſtquam domini Cardinales diverterunt ad alios actus, & etiam publicato ſcrutinio, referendo glo. ad tex. poſſunt Cardinales Cardinalibus accedere, & de ſuo diſcordi voto recedere; qua glo. ſuppoſita tanquam vera, apparet quod ſeparatio & intervallum non vitiat in electione Papæ acceſſuum. Ex quo ſequitur, quod non requiritur idem contextus, nec eſt neceſſaria ſimultas; alioquin actus impertinens vitiaret eundem, ut c. de teſtam. cum antiquitas, & ff. de duo. re. duos reos, §. duo rei.

Electio Papæ poteſt celebrari per actus ſingulares modo Cardd. ad id ſint congregati.

Ex hoc ſequitur quædam concluſio, quod electio Papæ poteſt fundari ex actibus ſingularibus dummodo Cardinales ſint prius congregati ad tractandum de electione jux. c. in nomine Domini, &c. ſibi quis pecunia, quia Spiritus non deſcendit, niſi ſuper congregatos, ut notatur 63. di. quanto per Archid. Nec tamen ignoro, quod Jo. An. dicit ſuper dicta glo. in novella: & c. licet in novella, ubi reſtringit ſe ad intervallum pendente ſcrutinio; & ex hoc apparet, quod variavit,

quia

quia glo. ſua loquitur ſcrutinio publicato; & ſi eſt publicatum, ergo non pendet, quia concluſum eſt in ipſo ut in c. publicato de elec. & c. de fide. inſtru. contractus. Hic oportet inveſtigare utrum electio eſſet apud Cardinales, tanquam apud collegium ſub civili nomine; an vero ſub nomine numeri, quia duæ partes numero, non quia collegium; nam ſi partim ad eos habito reſpectu dumtaxat ad numerum ſufficiunt conſenſus etiam non collegiales, ſicut dicimus in patronis, ut notatur in dicto c. vicena per Arch. & ad hoc ff. com. pre. receptum: & de ſecundum Ruſti. præ. per fundum. Et poteſt hoc perſuaderi, quia collegium nihil aliud eſt quam perſonæ, ut notatur in l. ſicut §. penult. ff. quod cujuſque; de jure enim naturali, quod conſideratur in electione ſummi Pontificis, non videtur requiri iſta ſubtilitas, quod per modum collegii conſentiatur. Perſuadetur etiam hoc per dictum Innoc. in dicto c. licet, dum dicit: Quocumque modo; &c. Inno. enim non dicit collegiali vel non collegiali, ſed quocumque modo, & dici poteſt quod, aut negotium eſt inter eos collegialiter diſcuſſum, aut non. Primo caſu ſufficiunt ſingulares conſenſus, quia amodo incertum eſt an unus trahat alium ad ſuam opinionem, nec ne, argumento eorum quæ not. Innoc. ext. de teſta. c. Raynaldus; aut negotium electionis non eſt diſcuſſum, nec examinatum per præſens, & tunc non valet electio ſingularis, quia eſt nimis indiſcreta; cum unus potuiſſet alium trahere ad ſententiam ar. ff. de arbi. ſi in tres.

XX. Acceſſio ut jus ſingulare non eſt de ſubſtantia formæ electionis.

Sequitur duodecima concluſio, quod in dicta acceſſione nihil eſt de ſubſtantia formæ, & probatur ſic. In electione nihil eſt de ſubſtantia formæ. Ergo nec in acceſſione.

Secundo ſic. In iſta acceſſione vertitur jus ſingulare. Ergo contra jus commune ut ff. de leg. jus ſingulare.

Tertio per ea, quæ ſupra proxime dicta ſunt de temporis intervallo.

Quarto per dictum Inno.

Quinto per dictum Specul. & Archid. ut ſupra.

Impreſſionis vitium purgari poteſt per actus liberos conſequutos.

Sequitur decimatertia concluſio, quæ talis eſt, quod vitium impreſſionis poteſt purgari per actus ſpontaneos conſecutivos & hoc probatur pluribus rationibus.

Primo per regulam, quia ſublata turpitudinis cauſa, remanet actus ſine macula ff. de condi. ob turpem & C. quod met. cauſa l. II.

Secundo probo per theoricam magiſtralem, quia ubi eſt defectus ratione conſenſus, ibi ſtante poteſtate cauſæ efficientis conſenſus ſuperveniens firmat actum contra nullitatem, ut not. Inno. de offi. dele. prudentiam, & Archi. LXIII. di. Salomitane & Cy. c. de 60. qli. l. ſi. §. neceſſitatis ad hoc quod notatur Archi. XXVII. di. quod interrogaſti in ſi.

Tertio probo, quia actus qui dependet a conſenſu, licet alias ſit nullus, ſi retineatur poteſt valere, & valet, ut ex nunc legitur, & notatur C. commu. int. undi. l. II.

Quarto hoc probatur per id quod notatur ff. qu. ſatis dare cogu.

Quinto probatur per id. quod legitur & no. ff. de offi. præſul. l. obſervare §. ſi. & no. in l. I. c. qui pro ſua juriſdic. in IV. glo. Non obſtat ſi dicatur quod id, quod eſt nullum, non poteſt ratificari, ut notatur ext. de elec. auditis, quia id eſt verum ubi requiritur certa ſolemnitas, & illa non intervenerit, ſecus ubi requiritur ſimplex conſenſus quia ſaltem confirmatur, ut ex nunc ex natura tacitæ repetitionis actus, ut de le. I. legata inutiliter, & ff. de mili. te. tribunus §. ult. vel quia ceſſat cauſa impediens, & ſupervenit cauſa confirmans, ut ext. qui talit. vel. notatur c. inſinuante, & notatur per glo. & Cy. c. de nup. ſi contra. Et dicere quod actus conſecutivi laborant eodem morbo, iſtud eſt falſum quia cauſa morbi per conſenſum purgatur, ut dicta l. ſi ob turpem.

Nec dicat aliquis, eſſe differentiam inter actus electivos, & alios, ubi non requiritur forma; quia conſenſus omnia poteſt, non obſtante, quod notatur in c. quod ſicut de elec. per Jo. An. poſt Inn. ubi dicit quod ſequens conſenſus eligentium non purgat vitium, quin intruſus cedere teneatur, cum ingreſſus fuerit vitioſus, & intruſus fuerit doloſus, quia hoc eſt verum in inferioribus prælatis, in quibus electores non poſſunt purgare vitium, ſecus in Papa, quia Cardinales poſſunt omne vitium extinguere, & quantumlibet etiam criminoſum creare in Papam; nec certe ipſi de hoc dubitarunt ſecundum eorum confictum thema, dum inter ſe dixerunt, ſe iterato electuros dominum noſtrum pro evitando ſchiſmate; conſtat enim quod quicquid libet licet Cardinalibus in electione ſummi Pontificis. Caſus etiam ille ſecundum Innocentii & Joannis Andreæ nihil ad propoſitum, quia loquitur de per ſuum dolum intruſo, & de inhabilitato ſubjecto cum perpetua cauſa inhabilitationis, inhabilitatione perſeverante. Ubi ergo quis non doloſus, ſed in bona conſcientia, maxime orta ex clara aſſertione dominorum, ille talis non eſt ſubjectum inhabile; unde patet quod Innocentius & Joannes Andreas loquuntur de doloſo tantum. Facit quod notatur in ſci. de ſuſpectis tu. §. de ſuſpectis de in litem jurando in actionibus.

Repetita electio pro avertendo ſchiſmate.

XXI. Liberi actus conſenſum includentes purgant præteritam impreſſionem.

Quartadecima concluſio eſt, quod vitium impreſſionis poteſt purgari per actus non conſecutivos ex vi in eſſentia conſenſus: & hoc probatur quia tales actus ſunt præciſe liberi, quos quis facit ex ſe, non ex impulſu fac. ff. de mino. denique §. I. & §. ſcio.

Secundo, quia ſufficit qualitercumque con-



conſenſus declaretur, ut ff. de divor. l. ſi.

Tertio quia voluntas, & conſenſus declaratur ex quolibet actu etiam minus ſolemni ff. de re. eorum l. ſi.

Quarto probatur per id, quod dicitur de recepto ad oſculum, quod eo ipſo conſentit in prælatum, ut notatur, in c. II. de elec. li. VI. & in novella.

Impreſſio in actu electionis debet eſſe notoria.

Sequitur decima quinta concluſio; quia dicebam, quod c. ſi quis pecunia, intelligebatur in electione oppreſſiva, vel impreſſiva, dum tamen impreſſio in actu electionis ſit notoria active & paſſive: & ſi non eſt notoria active & paſſive non habet locum illud c. præſertim quoad poteſtatem Cardinalibus conceſſam; totum enim illud c. loquitur ſuppoſito eodem themate; & ideo ubi ceſſat qualiſcunque particula illius capituli, ceſſat tota lex ſubdiſtincta debet intelligi ſuppoſito eodem themate, ita quod non convenit fini neque convenit principio & e contra, ut ff. de jur. Et præmitto pro intellectu vocabulorum, quod oppreſſio ut plurimum ſignificat vim abſolutam, & eſt de corpore in corpus, ſicut opprimitur quæ invita patitur, ut Lucretia ff. de adul. vim paſſam ff. de poſtul. l. I. §. ſi quis di. VI. poſt domum. Et ſi de poſſibili eſſet, quod in electione caderet vis abſoluta, non eſt dubium, quod non valeret electio, quia vis abſoluta non incluſit conſenſum, ex. de baptiſ. c. majores. Sed Joannes Andreas tenet quod vis abſoluta non cadit in actu verbi, ut ipſe no. ext. quod me. ca. c. ſacris, & ext. de jur. jur. c. verum, in quibus locis expreſſe dicit, quod in emiſſione ſoli verbi, non poteſt coactio abſoluta intervenire, debuit allegare l. cum proponas cum ſua glo. c. de heredi in ſci. & ff. de quibus l I. §. quorum fidem: tamen ſecundum rei veritatem, tanta poteſt eſſe oppreſſio in emiſſione verbi, puta ſi impatiens torturæ exprimat verbum torturæ preſſura, ſicut fiſtula, quod talis actus magis accedit coactioni abſolute, quam in evidenti conſenſu, ut dicto §. qõi. Et ideo qui confitetur in tormento non conſentit. facit c. de ap. ſi quis provocation. ff. l. II. Impreſſio vero proprie ſignificat actum violentiæ tranſeuntis in paſſum; & iſta qualitas, prout eſt in patiente, appellatur metus, ideſt mentem tenens, ſeu mentis tenor. Si igitur domini Cardinales caperentur per cappas, vel unus ex numero neceſſario, & urgerentur ad eligendum vel inthronizandum, quia ab iſto actu conſenſus omnino eſt remotus, talis actus oppreſſivus non poſſet ratificari, ut ex retro; non tamen eſſet prohibitum Cardinalibus, quibus nihil eſt prohibitum præter hæreſim, in hoc actu uti ſuo jure, & ſua poteſtate in eodem ſubjecto; quia in eorum poteſtate & arbitrio eſt facere omne ſubjectum capax, præterquam ſi quis eſſet pertinax hæreticus, ut no. in dicto c. licet in novella, & in multis aliis locis. Si vero non eſt oppreſſio proprie loquendo, ſed metus, qui includit voluntatem (& ſuppono quod metus cadat in conſtantem) tamen ſi ex aperta natura facti non liquet mentis tenor, licet extrinſecæ cauſæ præſumendi metum interveniant; quia tamen omnis præſumptio hominis requirit diſputationem fieri, ut notatur c. de proba. præſup. ſive poſſidetis, & in tanto negotio non habeamus præſidem, neceſſe eſt ſimulare, quia hoc ſibi Deus reſervavit, ut in c. ult. LXXIX. di. & ideo domini Cardinales non poſſunt hoc caſu tanquam ex nulla electione, ad aliam procedere, quia quando de nullitate non poteſt liquere, nec diſcuti, illud quod etiam eſt nullum, habetur pro aliquo de ma. teſtõ. qui habebat §. ſi. o.

Comprehenſi vi non fuere Cardd. ut Urbanum eligerent.

Si quis metus fuit, erat mere præſumptus.

Cum non conſtet, an nulla fuerit electio non potuere Cardd. ad aliam procedere.

Secundo hoc probatur per glo. ord. in dicto c. ſi quis pecunia, &c. ſi duo fort.

Hac ratione quando liberet ſchiſma conſtarent.

Tertio hoc probatur, quia eſſet inconveniens dare Cardinalibus voluntatem delinquendi, & quandocumque vellent ponere mundum in ſchiſmate ff. ad carbo. l. I. §. ſed & ſi quis V. nam. ſi aliter.

Quarto probatur, quia non debet conferri in poteſtate adverſarii mei quod metum habet fac. ff. de jur. o. jud. ſi idem cum eodem §. I. & ibi notatur.

Quinto, quia omnis caſus, etiam latæ ſententiæ, in dubio indiget declaratione, ut ff. de jur. fiſci. ejus qui delatorem, & in c. pro humani de homic. li. VI. & quandocumque jus dependet ex alio præambulo, id præambulum probandum eſt per præſens ff de quæſt. l. I. §. ſi quis dicatur ff. de ſilla. in cognitione c. de advo. diu jud. l. I. & ex hoc venio ad ſequentem concluſionem.

XXII. Sequitur decima ſexta concluſio, quæ talis eſt, quod ubi impreſſio non eſt notoria active & paſſive, impoſſibile eſt quod poſt primam electionem fiat ſecunda electio de alio ſubjecto, & hoc probatur pluribus rationibus.

Primo, quia non conſtat de vacatione, nec enim ſufficit, ſi aliqui Cardinales dicant conſtare ſibi, quod debet conſtare generaliter, & quia eis non debet credi, & quia non dicunt verum; nam per dicta & facta eorum apparet contrarium. Arguo ergo ſic. Ignorans cauſam, non poteſt producere effectum, qui ex illa cauſa principaliter oritur ff. de codi. & de. multum intereſt. Sed Cardinales neceſſario ignorant cauſam, ut probabo. Ergo innovare non poſſunt. Probo minorem, quia niſi omnes, qui ſunt de ſubſtantia electionis ſciant vacationem, non poteſt fieri electio, ſed ad hanc ſcientiam non poteſt perveniri, niſi unus ſciat animum alterius, qualis retro fuerit, utrum ſpontaneus nec ne. Sed illud eſt impoſſibile ſcire, cum actus exteriores indicaverint conſenſum, ex de reſcrip. c. ab exco. & quod expreſſe no. ff. de pat. juris gen. §. præ-

Cum non conſtat an ſedes vacet Cardd. non poſſunt ad electionem procedere.

prætor. ff. de hæredi. inſti. ſi pr. fa. Titium.

Debuit eſſe liquida cauſa, cur removeretur primus.

Secundo quia antequam primus electus removeatur ab actu, debet eſſe liquida cauſa quare removeatur. Sed hic non eſt liquida, quia falſa, nec liquide poteſt ſine judice conſtare, ut c. de compeſc. l. fi. Ergo apparet quod electio antipapæ fuit nulla.

Tertio hoc patet, quia in themate præſupponitur, quod electio de ſecundo eſt ſchiſmatica, id eſt propter ſchiſma vitandum, &c. ut patet in themate domini Jacobi, & eſt in perniciem animarum, ſicut etiam apparet per effectum, unde qualis fuerit ſecunda electio, ipſa natura docet.

Quarto hoc probatur per id, quod no. Archid. LXI. di. ſtudii.

Quinto probatur quia dominus noſter Urbanus eſt Apoſtolicus. Ergo alius eſt nullus. Cum veritate loquor, & ideo reverenter loqui non poſſum VII. q. I. factus eſt Cornelius & c. ſer.

XXIII. In dubio obſequendum primo in Pontificatum inducto.

Sequitur XVII. concluſio quod in dubio parendum eſt primo inveſtito de pontificatura, & hoc probo pluribus rationibus.

Primo quia præſumitur pro eo, qui præſens habet titulum et poſſeſſionem ff. de public. ſin. aut §. ſi duobus, præſertim ab habentibus poteſtatem et authoritatem ff. de noxa et generaliter ff. de jure jurand. poſſeſſori ſufficit præſumptiva juſtificatio c. ne vx. per ma. ob maritorum C. de privil. fiſci. l. I. inſt. de interd. § commodum.

Secundo hoc probatur per regulam generalem quæ dicit, quod prior tempore, potior eſt in jure; immo in juribus, quæ non poſſunt eſſe niſi apud unum in ſolidum, ſecundus in tempore non dicitur ſecundus, ſed generis nullius, et primus non tam potior quam ſolus invenitur ff. qui po. in pig. ha. l. II. juſti. de cura §. interdum un. q. I. factus eſt Cornelius et c. nonaticunis.

Tertio hoc probatur, quia prærogativam habet, qui prior invenitur nedum tempore, ſed in ordine ſcripturæ ff. de uſufr. quoti. ff. de al. ſer. l. I. ff. de hæ. inſti. qui ſolvendo non erat ſervum primo loco.

Electio duarum partium fuit definitiva ſententia.

Quarto probatur, quia quoties plures veniunt ad conflictum, pro eo judicandum eſt, pro quo facit prima præſumptio de le. II. ſi quis ſervum §. certam et C. de edit. di. adri. l. I. C. qui po. inſig. h. l. aſſiduus.

Quinto hoc probatur quia in Papa talis datur regula: dubius Papa eſt verus Papa, nam electio duarum partium habetur pro definitiva ſententia, tamen poſt ipſam non ſpectetur alia, ut eleganter dicit tex. in dicto c. licet de vitanda in fi. et ſententia pro veritate habetur, præſertim ſententia tanti collegii. Dico de ſententia prima, quia per ipſam fuit functus officio ſuo juxta notata per Inno. de offi. dele. c. in literis: unde quidquid poteſt operari in inferioribus ſolemnis et diffinitiva confirmati, hoc et amplius valde operatur in perſona dominorum partim electiva collatio, proviſio, diſpoſitio, ſeu electio, ita quod ſtatim tranſit in rem judicatam, quia quod nihil expectat poſt ſe, illud neceſſario eſt terminus motus, & principium quietis, ut C. de fra. & liſ. exterminatio & ff. de arbi. quale ff. §. fi.

XXIV. Cardd. teſtimonium non valet contra literas miſſas ad principes.

Sequitur XVIII. concluſio, quod Cardinales non poſſunt teſtificari contra literas quas miſerunt ad principes mundi, & hoc ſic probatur. Contra ſigillum ſuum authenticum non poteſt quis teſtificari, ut ff. de off. ſliſ. eoſ. II. reſp. Ergo domini Cardinales non poſſunt teſtificari contra ſuas literas ſigillatas, & maxime ſigillatas per omnes dominos Cardinales.

Dilemma contra Cardd. inſolubile.

Secundo ſic. Aut literæ fuerunt veræ aut falſæ, ſi veræ habeo propoſitum; ſi falſæ (quod abſit a rerum natura in tam inclytis dominis) crimen primo loco commiſſum totam fidem derogaret in poſterum, ut ex. de teſti. c. teſtimon. c. nec video, nec credo quod per aliquem metum mundi Cardinales ſcriberent falſum, nec quod princeps tenebrarum harum ſuper tantos & tantas perſonas tantam poteſtatem haberet, quod poſſet imponere tantam tunc in ſinceritate maculam.

Aut falſæ fuere literæ aut veræ.

Si falſæ fide indigni ſunt.

Fide inſtabilis qui ſibi non credunt.

Tertio hoc probatur quia ibi nulla intervenit veritas: quomodo enim poſſumus credere inſtabili, qui ſibi ipſi non credit? ut no. ex. de teſti. co. c. præterea; nam etiam non falſum dictum varietas reddit incredibile, & nullius valoris, ut ff. de teſti. qui falſa facit, quod notatur extra de teſti c. cum cauſam in ult. glo. & dicta l. eoſ. §. imprudentiam.

Quarto probatur ex dicto Innoc. quia cogitur quis perſeverare in eo, quod ſemel confeſſus eſt, ut no. Inno. ex. de elec. c. per inquiſitionem, & ex de confeſſ. c. cum ſuper, id enim, quod apud principes publicatum eſt corrigi non poteſt, præſertim ex magno temporis intervallo ut l. rura, & ibi no. C. de omni ag. deſer. li. II cum certum factum ſit notorium ut C. de teſtam. cauſam.

Quinto & ultimo probatur per textum expreſſum C. de non. prin. pec. l. generaliter in fi. & ex. de proba. c. per tuas; immo tanta eſt virtus confeſſionis, quod per eam probatur contra præſumptionem juris & de jure, ut le. & no. in auth. de æquali do. §. illud & per Cyn. in auth. ſed jam neceſſe C. de dona. an. nupt. & fa. c. de fide. iſt. ſi adverſarius & ff. de adul. ſi maritus §. ſi negaverint in glo. ibi, &c. & ratio &c. & ff. de ædili. edit. quæro §. fi. et quia tollenda eſt materia vaga communis, ut ff. de ind. ſiquis intention. et no. in. c. indemnitatibus de elec. li. VI. in novella.

XXV.

Sequitur decimanona concluſio, quod conſpirator repellitur a teſtimonio, et multo fortius confictor & detractor in omni foro tam pœnitentiali quam cauſarum, & hoc probo pluribus rationibus et primo; quia iſti conſpiratores reputant ſe offenſos, et offenſus libenter vindicat ſe, et injuſte, ut no. Inno. ex. de reſcrip. quia nulli, facit. quod no. ff. de arbitrio licet.



Ut conſpiratores & detractores a teſtimonio repellendi.

Secundo probatur, quia conſpirator facit ſe adverſarium. Ergo repellitur a teſtimonio, ſicut inſtigator ff. de infami ob hæc verba ff. de verb. ſign. fori de offi. perf. VI l. I. § cum.

Tertio probatur, nam qui vult alicui conferre, ille eſt capitalis inimicus de excu. tu. l. propter ea l. a. clete §. dat remiſſionem C. de teſti. ant. ſi dicatur. Ergo non debet ei credi ff. de teſti. l. III. cum infinitis ſimilibus.

Quarto probatur, quia omnis conſpiratio præſumitur facta contra innocentem, & vere ut ita diximus monopolium & condictum, vel conjuratio, ut no. Archi. XXIII. di. illud & ibidem no. Archi. quod minus creditur conſpiratori quam excommunicato propter malam intentionem.

Quinto probatur, quia dicto vel judicio partialium credendum non eſt, ut ff. C. de aſſeſſ. l. ſi. in fi. & ff. de. jur. o. ſol. prætoris. Sed notorium eſt quod iſti Cardinales ſunt partiales & diviſi, quapropter non debet eis credi nec ad plenam, nec ſemiplenam probationem, nec certe ad ullum minimum indicium ut ff. de conſ. l. I. §. quæ ſunt, & ibi redditur ratio manifeſta & plurimæ concordantiæ ponuntur in glo.

Concluſio quod Urbanus ſit verus Papa.

Sequitur vigeſima concluſio reſponſalis formaliter ad quæſita, in qua dicebam, quod dominus noſter Urbanus etiam ſecundum confictum thema eſt verus Apoſtolicus & vicarius Jeſu Chriſti. Hanc autem concluſionem quaſi ſub epilogatione prædictorum multis rationibus confirmabo, arguendo ex ipſis actibus: & per ordinem primo ex actibus electivis, ſecundo ex conſentivis, tertio ex perſtantibus & impetrativis, deinde ex teſtificativis, quibus lux veritatis aſſiſtit, eo quod ipſis teſtificativis omnia conſonant, tam actus celebrati per prius, quam per poſterius, ideſt naturæ hujuſmodi negotii bene conveniunt, ut ff. de teſti. ob. carmen. §. ſi teſtes I. dum dicit: *Credendum eſt quod naturæ negotii convenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ ſuſpicione caret, confirmabitque judex motum animi ſui ex argumentis & teſtimoniis, & quæ rei aptiora & vero proximiora eſſe comperiet.*

Probatur ex triplici actuum genere.

XXVI. Electus in Papam canonice quamquam ſtrepat populus eſt verus Papa.

Redeo ad primos actus, ſcilicet electivos, & quod dominus noſter ſit verus Papa etiam cum prætenſa ſuppoſitione tumultus, ſic oſtendo. Electus in Papam a dominis Cardinalibus concorditer & canonice, quamquam obſtrepente populari, ſeu militari tumultu, eſt verus Apoſtolicus LXXIX. di. c. ſi quis pecunia, a contrario ſenſu illius dictionis excluſive, ſive ex quo contrario ſenſu, tanquam ex caſu legis eſt licitum arguere, ut ff. de teſta. q. teſt. §. mulier cum ſi. Sed dominus noſter fuit electus concorditer & canonice, ut probabo. Ergo exterior tumultus nihil obfuit electioni, quia ex uno ſeparatorum non infertur ad aliud C. de dona. inter vir. & uxor. ſi maritus in fi. & ff. de mino. pap. exuli. & ff. fa. habetur. iis conſequenter. §. I. & C. de teſta. non id certo modo, quod fuerit electus concorditer concordia verbali, illud præſupponitur in puncto; ſed ex concordia verbali præſumitur concordia mentalis ff. de uſuf. let. alii, & ff. de ſuppel. le. l. Labeo: nam ſententia in ſono vocis auditur, & quod ſonat exterius, ſonat interius x. de civi. Dei c. 13. & ſicut præſumitur ſcriptura vera, ita etiam & vivæ vocis actum prolatum, ut C. de fide inſtru. in exercendi & C. de probat. cum precibus tuis, ibi dum dicit: *Probare te oportet contra voluntatem tuam, &c.* Et quid plura nedum verum præſumitur, ſed etiam quod animus fuerit remotus ab actis eſt valde difficile probare, ut ex. de ſpon. tua nos, ibi dum dicit. *Quod ille nec propoſuit nec conſentit qualiter tibi conſtiterit, non videmus.* Apparet igitur quod ſubſtantialitas, ideſt conſenſus præſumitur adeſſe; facit ff. de verbor. ob ſci. & quod not. ff. de pac. Jur. gen. §. & quod no. Inno. ex. de eo, qui fur. ordi. c. innotuit: ſed ex concordia & communi conſenſu apparet quod canonica eſt electio. Ergo concluſio vera; & confirmatur per dictum Bartholi ff. de app. ſi conſtat, ubi ſic ait: *Notatur ex hac lege, quod vox populi eſt invalida, nec ſufficit ad electionem faciendam, niſi debita ſolemnitas ſervetur, ut extra de elec. c. II.* Apparet ergo quod ſi debita ſolemnitas ſervetur, clamor populi non curatur.

Ex concordia verbali arguitur mentalis.

Secundo ſic. Conſiderandum eſt quod in homine ratio quandoque animadvertit ſolum et dumtaxat ad conſervationem ſubjecti corporalis, ſicut etiam pecora faciunt: quandoque vero altius aſcendunt, et non tantum curat præſervare caducum ſubjectum, quantum curat ponderare utile et honeſtum: utile dico publice utile, circa quod charitas propenſior eſſe debet, ut ff. quod met. cau. iſti. quidem, et ff. de cap. et poſt li. I. en. l. poſt liminium. §. filius. Hoc ergo præmiſſo ſic arguo. Poſſibile poſito in eſſe nullum ſequitur impoſſibile, vel contrarium de neceſſitate, ut ex de teſti. c. cum tu fili. Sed poſſibile eſt quod voces populi, et quicumcumque tumultus exterior mentem Cardinalium non abſorbuit a propria et naturali libertate animi, quæ ſi fortiter reſiſtit, cogi non poteſt. 6. di. ſed penſandum. Ergo concluſio vera, de poſſibili. Sed dato poſſibili, illa pars contradictionis prævalet, quæ magis congruit animo ra-

Licet tumultus Cardd. animos commoverit, libertatem tamen non ademit.

*Credi non debet tot actibus voluiſſe Cardd. induci pſeudo-pontificem; ergo in eum vere conſenſere.*

ratione cernenti, ideſt bono & gravi viro, ut dicta l. ob carmen. §. ſi teſtes, quæ lex ſic deſcribit bonum Innocentem. ff. fa. her. certe §. mala. Quis autem innocens faceret tot eluſiones, & conſecutione fallacitatum decipiendo animas, & faciendo homines idolatores? nemo certe tam impius præſumendus eſt. Cum igitur non debeamus, nec poſſimus præſumere, quod domini Cardinales animas fidelium voluerint ſub aliqua diſſimulatione decipere, ideo merito concludendum eſt, quod de intrinſeco eorum judicio tales eorum actus vere, & non ſimulate proceſſerunt.

XXVII. Tertio ſic. Quod clamor ab extra locum conclavis inducat metum Cardinalibus exiſtentibus ſolis in firmato conclavi, nullo modo poteſt conſtare certa & neceſſaria probatione, cum ei viſus non atteſtetur; nam ut eleganter ait dominus Dinus in l. ii. §. penult. de aqua plu. ar. ad probandum verum hominis actum requiritur viſus, & idem notat. Cyn. C. de teſta. ſi non ſpeciali, & probatur C. de teſti. teſtium, & ff. de teſta. quæ iſta. §. ſi. Unde metus hoc caſu non poteſt probari niſi præſumptive, ſed talis præſumptio de facili tollitur per alias præſumptiones, ut eleganter no. Inno. extra de eo, qui furorem ſuſcepit c. innotuit in fi. ubi dicit: *Contra has probationes, quæ procedunt ex præſumptione, tamen facile admittitur in contrarium probatio*. Et certe hoc caſu non debet præſumi metus, quia ex qualitate perſonarum præſumendi ſunt motus animorum unde animi virorum fortium verba non timent, ſicut naturaliter exprimere facit ff. ad le. Tull. pecul. famoſi. & C. ſi quis impera. male dix. l. 1. ibi dum dicit: *Ex perſo-ſonis hominum dicta penſamus*. Amplius ſciendum eſt quod metus non vitiat, niſi intercеſſerit per præſens; nam nullum vitium, quod reſpiciat originem, actum vitiat, niſi præcedat, ita, quod habeat ſe ad actum per modum cauſæ impedientis, ut notat Archid. de exco. 63. di. c. nullius facit ext. de cli. ex miniſtrante propoſuit. Cum ergo hic non appareat, nec ſit verum, nec poſſit apparere, quod metus præceſſerit electionem domini noſtri Urbani, manifeſtum eſt, quod nec præſumptive, nec quoquomodo contra dictam electionem infertur, ut C. de proba. matrem tuam & ff. de negoc. geſt. cum actum.

*Non habent ii niſi præſumptiones leves quæ per fortiores docentur.*

*Præſumptus ille metus electionem non præceſſit.*

XXVIII. Quarto ſic. Præſupponamus quod habeamus loco judicis ipſam naturalem juſtitiam, ut ff. de excu. tu. ſcire oportet. §. ſufficit, nonne per naturalem juſtitiam credendum eſt, quod domini Cardinales non fuerint naturæ fragilis & caducæ? certe ſic propter eorum dignitatem, authoritatem, & expertam animoſitatem in rebus mundi; talis enim præſumitur quiſquis eſſe, qualis eſſe conſuevit ff. de re mili. non omnes §. a barbaris. & ff. commo. argentum. Si ergo Cardinales præſumentur tales, quales eſſe debent viri ſapientes, non effeminati, ſed viri dico ab omni vilitate alieni, quod dicit doctor egregius Auguſtinus IX. de civ. Dei c. IV. formaliter in hæc verba dicit. Hæc Stoicis placuiſſe, quod cum viſa, quæ appellat fantaſias, nec in poteſtate eſſe, utrum, & quando incidant animo, cum veniunt ex terribilibus & formidabilibus rebus, neceſſe eſt ſapienter animum moveant, ita ut pauliſper vel paveſcant metu, vel triſtitia contrahantur, tanquam iis paſſionibus prævenientibus mentem & rationis officium, nec ideo tamen in mente ferri opinionem mali; nec approbari ita eique conſentiri, hoc enim voluit eſſe in poteſtate iis, qui intereſſe cenſent inter animum ſapientis & ſtulti, quod ſtulti animus eiſdem paſſionibus cedit, atque accommodat aſſenſum; ſapientis autem, quamvis eas neceſſitate patiatur, retinet tamen de iis quæ appetere, vel fugere rationabiliter debet, veram & ſtabilem, & inconcuſſam mente *ſententiam*. Hæc ille. Sapientis igitur animus præſumitur inconcuſſus, & ex terribilibus & informidabilibus viribus verborum non propterea recidiſſe a propria libertate: & iſta authoritas B. Auguſtini eſt multum ponderanda a quolibet viro ſapiente, qui non dependeat in alterutram partem, ſed ponderet ſolam juſtitiam, & rationem naturalem.

*Non ita fragiles habendi ut haberi volunt.*

*Probatur ex natura ſapientis & ſtulti.*

XXIX. Quinto ſic. Ponderanda ſunt circa iſtam electionem tria, ſcilicet electio, expreſſio animi, & ratio electionis. Electio fuit expreſſa, iterum expreſſio animi de corde intrinſece proprio motu proſiliens, & ratio electionis juſtificativa; tunc arguo ſic. Ex ratione præſumitur animus, enunciatur autem ratio per quia, vel æquipollens, ut notatur de acqui. poſ. ſi is quæ animo, ſed domin. Urbanus fuit electus, quia vir bonus, quia notus, quia practicus. Cauſæ iſtæ ſunt attendendæ; nam l. cavetur in ſimili, quod donari poteſt filio ut extraneo, & militi ut pagano, & e contrario, prout meruerit quiſque & prout denominatur, accipitur hinc inde, interdum ut homo ſub conceptu generis generaliſſimi, quia homo, interdum quia filius, interdum quia amicus, ut ff. de pac. l. ſicut. §. ſi pactus ſi. ff. de caſtre. pe. ſi forte C. de colla. ſi donat. C. de inoffi. teſt. ant. unde etſi perſonas; in reſpectivis enim potius attenditur reſpectus quam natura, ut ff. de adop. ſi pat. §. qui duos ff. de vul. ſub. l. ſi plures §. in arrogato ff. de jure dot. profectia. Si ergo ex ratione præſumitur animus: item ſi in reſpectu variatur effectus: item ſi ex modo ponderatur affectus, quid dici poteſt in electione præſenti, ubi omnia correſpondent animi veritati? Quæro enim, & interrogo, & mihi opto reſponderi ad illuminandam conſcientiam meam; quare dixerunt omnes domini Cardinales, duobus exceptis, licet hoc Ultramontani negent

*Confirmatur ex tribus in electione perpendendis.*

*Argumentum inſolubile ex modo electionis & adjectione verbor. Elegimus ea intentione ut ſit Papa.*

gent



gent contra veritatem: *Eligimus ea intentione ut ſit Papa?* aut enim occurrit animo Cardinalium tunc aliqua juris conſideratio, aut non: ſi ſic, interrogo: juris conſideratio, eorum occurrit animo, ſi non locuti fuiſſent tamquam fatui, ſicut dicebat Placen. C. de peti. he. cogi. & certe non fuerunt fatui, niſi Spiritus Sanctus infatuaſſet humanam ſuperbiam, ſicut multoties facit, ut no. in c. 1. de renunc. li. 6. in novella; & tali caſu dato, talis electio fuiſſet inſpirativa, ſi autem non ſupponatur infatuatio, dicta electio fuit pro certo valitura, quia ſic verbum ſonat, ut ff. judi. ſol. judicatum ſolvi. ſtipul. & confirmatur conſcientia mea in hac opinione, quia hæc verba: *Ea intentione, &c.* Cardinales dixerunt per ſe & ex ſe, ſicut ille, qui a ſe ipſo exigit, ut ff. de neg. geſ. divortio, & l. ſi pup. §. ult. hoc enim voluntarium fuit dicere, nemo impellebat; ſed fecerunt ſicut ſcriptum eſt: *Loqui non audeo, & tacere non poſſum*. Nam de ipſo electo non audebant loqui, tamen in ipſo erant ita firmiter conſiderativi & volitivi, quod tacere non poterant; nam verbum conceptum tenere quis poterit? certe nemo. Quod autem non auderent, apparet, quia non fuerunt auſi publicare, uſque in craſtinum de poſt facto. Ex hoc namque amor perpenditur, & conſenſus, qui ſub ſilentio tranſibant, ne pareret offendiculum, ut inſti. de pup. ſubſti. poſt pr. dicitur de pupillo, cui ſit ſecreta ſubſtitutio, ne in publicum procedens, ſit eius mortis captio.

*Nemo adegit ut ea adderent.*

XXX. Concludo igitur, ſaltem conſcientiæ meæ, quia ab hac cogitatione conſcientia mea purificari non poteſt, quia in hac electione qualitercumque occaſionata fuit, pondus voluntatis & amoris fuit ratio conſiderantis collegii, non neceſſitatis titubantis, ſeu territi fuit per ſe ipſa mota voluntas, nec ponderavit prætenſum conatum ab extrinſecis, ſed intrinſecus lucis mentis apparuit actus iſte electivus ſub ſpecie boni. Porro ſimilitudo boni afficit intellectum ad conſentiendum ei, quod putat bonum; nemo enim naturaliter odit bonum, ſed diligit, & ut ait doctor egregius Ambroſius in libro pſalmorum, ſuper illum pſalmum: *Vide quoniam præcepta tua dilexi Domine; nemo poteſt nolle quod amat*. Et ſi dicatur, ſicut dicit quidam, qui ſe reputabat ſapientem ſapientiſſimum, cujus ſapientiæ non ſit finis, & tamen neſcit poteſtatem Dei, & altitudinem mentis ejus, & quod ipſe fabricat mentes hominum, & quod omnis qui reputat ſe ſcire, indiget in cerebro reformari, quoniam ille illuſtris philoſophus dicebat. *Hoc unum ſcio, quod neſcio*; videlicet quod iſta verba non operantur plus, quam confeſſio; reſpondeat, quæſo, contractus ſit metu, ſubſequitur confeſſio, immo materiæ voluntatis expreſſio ſponte: nonne iſte actus habet roboris firmitatem ex accedente conſenſu? nonne habet pro bonis claritatem ex confeſſionis legitimo actu? Certe non credo eſſe aliquem hominem tantæ dementiæ, qui poſſet hoc diffiteri, niſi neget principia naturæ, ſuper quibus fundatur dicta l. ſi ob turpem ff. de condit. ob turpem cauſam; nam juris contractus ibi non fuit poſitivus, ſed naturalis.

*Pondus voluntatis & amoris expreſſit eam vocem non animi titubantis neceſſitas.*

XXXI. Sexta ratio, ex themate domini Jacobi ſumpta, quod præſupponit tacitum conſenſum, ſed nullum tacitum violentum; nam quilibet experitur in mente ſua, quod tacite non vult niſi quod placet, quia nihil movet mentem intrinſecus motione finali, & perfectiva niſi amatum, & deſideratum, & hoc præſumitur actuum ſolemnitate, ut eleganter no. Inno. ext. de regular. c. vidua, & Archi. 27. di. c. quod interrogaſti.

Septima ratio, quia metus non vitiat, niſi ſit principalis cauſa ad eccleſiam obtinendam, ut not. Innoc. & Jo. Andr. c. quod ſicut de elect. Ergo ubi non eſt principalis cauſa, ſed aliud pro finali cauſa, talis metus non inficit titulum electivum. Sed in caſu noſtro conatus impreſſionis non imperavit ad actum electionis, ſed fuerunt aliæ rationes, & moventes, & conſcientialiter urgentes, et expreſſe per modum finalis, et veræ cauſæ. Nihil ergo obfuit injuria conatus, qui non fuit per mentes eligentium ponderatus, maxime quod cauſa finali quæ ſemper prævalet cauſæ impulſivæ. Item cauſa proxima ſicut eſt naturaliter ſe habens ad actum prævalet remotæ, quæ diſtat ab actu, ut notatur ff. re. amo. ſi mulier.

*Metus non vitiat, niſi ſit principalis cauſa electionis, atqui non fuit.*

Sequitur octava ratio, quæ fundatur ſaltem ſuper coronatione, nam certum eſt quod ſolemnitas coronationis ſupponit pro aliquo, non pro nihilo. Ergo ſaltem ſupponit pro inveſtitura, ſed inveſtitura, ſi quidem ſit poſt electionem, per eum, ad quem ſpectat confirmare, habetur loco confirmationis; ſi vero nulla præcedit electio vel titulus, dat ex ſe titulum, & habet vim collationis, dummodo inveſtiens poteſtatem habeat conferendi, ut formaliter not. Compoſt. et Jo. Andr. in c. tranſmiſſam de elect. Sed Cardinales habent poteſtatem conferendi pontificatum. Ergo concluſio vera; nam creatio Papæ ſpectat ad Cardinales non ſolum per formam electionis, ſed etiam proviſionis, quia Papam facit Cardinalium conſenſus, non modus, ut clare probatum eſt in ſuperioribus, et maxime ex dicto Innoc. qui dicit, quocunque modo huic accedit, quod qui facit aliquod, facit quidquid illud concernit, et validat quod ad eum eadem auctoritate et poteſtate pertinet; nam ſemper viam facit intellectus ad finem adipiſcendum, extra de conceſſi. p. c. propoſuit ff. de re judi. quid conſulebant, et quod notatur per Archid. LXIII. di. in ſynodo: & ſufficit ſemel voluiſſe VIII. q. I. dilectiſſimi per Archi. et in commutabi-

*Argumentum ex impoſitione thiaræ pontificalis.*

bi-

bilis iſtius actus ſubſtantia et veritas negari non poteſt; facit quod not. Archid. LX. di. c. ſicut. Nec poteſt reſponderi, et muſſit. et quicumque vult, quantum vult muſſitare. Unde tex. dicit quod dies coronationis eſt dies ortus imperii. C. de fer. l. fi. Unde ſi electores Alamanni venirent Romam, et ſine alia electione facerent per habentes poteſtatem coronandi Imperatorem in ſede ſua in hac ſanctiſſima urbe, non eſt dubium quod Imperator eſſet, quia nec actus, nec conſenſus deeſſet. Unum poteſt dici, quod talis actus ſumit circuitum; ſed hoc non nocet, ut ff. de condi. inde. Dominus teſt.

Probatur a ſimili ſi electores Imperatorem ſine alia electione coronarent.

XXXII. Sequitur nona ratio, quia dominus S. Euſtachii dicit quod fuit coronatus ſolemniter ſine ſtrepitu, & tumultu: illud thema eſt approbatum per ultramontanos. Tunc ergo ſi ſolemniter, ergo perfecte & juſte & legitime; ut not. ff. de teſta. l. 1. ſi ergo perfecte. Ergo conſtat ex omnibus ſuis partibus, ut ff. de ori. jur. l. 1. Et ſi ipſi dicant quod non habuerunt intentionem, fatuum eſt hoc dicere, ſalva eorum reverentia, ubi habuerunt in contrarium perfectionem: nam per operationem, & etiam ſi non habuerunt, debuerunt habere; & actus hujuſmodi non extimantur, ſecundum conſiderationem temerariam, ſed innatam eis virtutem, & datam authoritatem a lege, ut ff. de le. 1. nemo poteſt, & no. ff. de acq. her. qui ſe pupillum; & facit ext. de ſpon. c. ex literis.

Si ſolemniter ſecundum Cardd. ergo juſte & canonice.

Sequitur decima ratio: ex natura fictionis tranſlativæ, quæ conſenſum retro tranſmittit, & inferius infundit in ſuperius: hoc enim facit ratihabitio iterum & quidquid implet actus retro geſtum, ut C. de rerum permu. ex placito & ff. de nova. ſi ita §. ſi. cum l. ſe. ff. de fur. ſi vendidero. §. ſi Titius C. admate. l. fi. & ab extremo convalidatur principium poteſtate fictionis tranſlativæ. ut ff. de cap. & poſt in bello. §. codicilli. Sed non eſt dubium quod actus conſecutivi fuerunt ſui principii impletivi.

Ratihabitio ſupplet quod defuit actui.

Sequitur undecima ratio ex natura executionis; unde quod nudum eſt executione formatur, & ſumit effectum, ut ff. de pac. diviſionis placitum. Et ſi dicatur, electio nulla non convaleſcit; reſpondeo verum eſt ex eiſdem ſuppoſitis, ſed ex novis ſuppoſitis poteſt convaleſcere ſicut matrimonium, quia utrobique voluntas eſt domina, & quidquid libet licet in electione Papæ, facit C. de ne. ſerviſ. l. III. & C. coram dele. l. II. in fi. & facit quod not. Archi. in dicto c. quod interrogaſti XXVII. di. in fi. cum enim a cauſa efficiente non removetur authoritas, nec a ſubjecto removetur acceptabilitas conſenſus etiam id quod nullum erat ratificare poteſt. Facit quod no. ff. de le. I. tal. ſcriptura.

XXXIII. Sequitur duodecima ratio. Ponamus quod quædam electio pertinet ad Titium, & quod ille elegit terrore vel imbecillitate cerebri, poſtea ex certa ſcientia proſequitur actum electivum: certe nulli dubium eſt, quod talis proſecutio eſt actus vivificatio, & eſt ſicut anima, quæ advenit corpori organico. Et facit quod no. in ſimili ff. ſi c. pe. ſi a furioſo.

Electio facta per imbecillitatem per ſequentes actus poteſt confirmari.

Sequitur tertiadecima ratio ex natura ſupremæ potentiæ dominorum in ſubjectum, quod eligunt; nam quod volunt efficiunt, etiamſi electus eſſet excommunicatus, vel notorius concubinarius, vel notorius homicida, quia cathedra apoſtolica aut ſanctum facit aut ſanctum recipit, & per hoc non eſt dubium, quod Cardinales poſſunt purgare omne vitium excepto vitio hæretici pertinacis; & tamen de hoc vitio hæretici pertinacis, ſi eſt occultum, non debet credi Cardinalibus: ſed ſi communis opinio eſſet, quod electus laboraret tanta labe, eſſet caſus concilii tantum, ut notatur LXXIX. di. c. ſi duo forte, & XXII. d. qua traditione, & ibi datur regula in Papa, quod non tenetur ad concilium convocandum, niſi in caſibus expreſſis in jure, ubi de fide agitur ut le. & notatur XIX. di. Anaſtaſius: hoc enim ſolo caſu concilium poteſt judicare de Papa, quia de fide; catholica enim Eccleſia proprie eſt univerſalis Eccleſia, & in hac reſidet illa navicula Petri, quæ non poteſt omnino ſubmergi, licet fluctibus ſæpiſſime & validiſſime perturbetur; quia Eccleſia militans non eſſet bonus miles, niſi oporteret eam agitari frequenter, quia ſine hoſte marceſceret & virtus tabeſceret inexperta.

Cur Deus perturbari ſinat eccleſiam.

XXXIV. Sequitur decimaquarta ratio ex perſeverantia, quæ ratio probatur exe. q. cle. ult. no. c. inſinuante ff. de re. jur. quidquid. calore ff. de divor. l. II. quam. Perſeverantes præſumuntur voluntarii, & dicuntur perſeverare, qui non contradicunt confeſtim, ut ff. rem. ra. ha. quo. §. 1. & ff. ad Macedo. ſi filius, vel infra triduum C. de erro. ad no. l. 1. C. de judic. l. penult. l. decem dies C. de appell. aut hodie; vel ſi quæramus magis longum ſpatium infra ſexaginta ff. de edil. edic. quod ſi nolit §. fi. & c. de tempo. appl. l. 1. Et ſi dicatur quod non audebant contradicere, reſpondetur quod ſicut in ſecreto conſpiraverunt, ita animo eorum proteſtari potuerunt ſolemniter, & nolle proteſtari habet ſignificationem ſuper conſenſum, ut l. de pupillo §. ſi quis ipſi prætori, ff. de no. op. nunc. & C. de hiſ. qui per me ind. non app. l. II. cum ſimilibus.

Ex eo quod non ſunt conteſtati de contrario probatur noluiſſe conteſtari.

Sequitur decimaquinta ratio, quia non reperitur jure cautum, quod poſtquam Cardinales coronaverunt ſolemniter, poſſint coronam in dubium revocare, de inthronizatione reperitur, quia facilius quis inthronizatur, quam coronatur, nam poteſt quis inthronizari per vim abſolutam, ſed coronari non poteſt per vim abſolutam, quia coronatio habet in ſe multas ſolemnitates, & unuſquiſque Cardinalis ibi aliquid operatur, & loquitur, & ſecundum dicta ſuperius non cadit in actu verbi violentia ſimpliciter abſoluta. Si ergo Cardinales hoc dicant, quod poſſunt aliquid objicere poſt coronationem, vel hoc in dubium revocare, & quod ipſi ſint tantæ auctoritatis; oportet quod ad hoc adducant ſacros canones, eis permittentes hoc: ſed nunquam hoc invenient canonibus tantum, quod corona poſſit auferri de capite coronati per ipſos, niſi ut ſuperius eſt expreſſum propter errorem fidei, in quo Papa eſſet pertinax et incorrigibilis.

Jure cautum nunquam fuit, ut coronatum refutare poſſint.

Coronatio per vim fieri non potuit.



XXXV. Sequitur decimaſexta ratio, quia unuſquiſque Cardinalis de altero putabat quod elegiſſet vere conſentiendo; et ſibi invicem conſenſerunt (loquor ſecundum eorum thema confictum) et tunc dico quod per actus quaſi traditionis contulerunt pontificaturam ſicut transfertur dominium arg. ff. condi. ob cauſam l. III. §. ſubtilius non ob. c. 1. de re. jur. l. VI. quia traditio includit inſtitutionem canonicam, ubi non requiritur certa forma, ſed ſufficit ſolus conſenſus; et facit quod no. ff ſic. pe cum fundus §. ſervus tuus imprudens, et l. ejus qui in provincia, et ff. de offi. procu. ceſa. l. 1.

Ex caſu conficto quiſque conſenſit quia putabat ſocium conſenſiſſe, ergo conſenſerunt.

Sequitur decimaſeptima ratio, de conceſſione et conſolidatione, quia licet accedere, ut no. in c. indemnitatibus, & quia jus recedentium ab actu electionis imperfecto, accreſcit eligentibus ut in ſuperioribus probatum eſt, ut patet in dicta cle. ne Romani §. porro de elec.

Sequitur decima octava ratio, quæ fundatur in hoc, quod teſtimonium æquivalet electioni, nam teſtimonium alicui perhibentes eo ipſo conſenſerunt, ut expreſſe legitur & notatur LXII. di. c. nulla, & quia quod poſt prætenſi metus cauſas conſenſit, præſumitur habuiſſe retro conſenſum, & ſimulaſſe metum, & eſt quaſi præſumptio canonis & de canone, eo ipſo quod ſtetit per menſem perſeverans in actu, ut expreſſe legitur & notatur XVIII. di. pervenit, & de pœnitentiis di. III. Judas pœnituit.

Perhibitio teſtimonii conſenſum demonſtrat.

Sequitur decimanona ratio ex non præſumenda in Cardinales tam doloſa fictione, quæ inducat, vel inducere poſſit ſchiſma, & conſequens errorem circa cathedram, & vilipendium Chriſti et ſacramentorum, & quæ poſſit ponere neſcientiam in ſacramentis & ſacerdotibus, ſicut fuiſſet iſta fictio, & maxime circa actum coronationis: eſt enim allegare ſe eſſe confictores coronationis: eſt allegare ſe eſſe deſtructores, & ſubverſores cathedræ beati Petri, & animarum ſimplicium credentium in iis, quæ vident; nam opinionibus ſumptis a conſenſu uſque cælum laborare, ut ita dixerim, conſcientias hominum removere, & maxime ficto habitu, quem difficile eſt tranſmutare ſermone, nam homines magis oculis, quam actibus credunt, ut inſti. de gradi. §. ſed cum magis. Et ratio quia certe quicumque eorum optat conſilium ſuum, optat exicidium, quia ſi verum eſſet quod non eſſet, ut dicunt, nunquam in rerum natura fuerint inventi homines erroris auctores, cum per Dei gratiam confictoribus non debeat credi.

Non præſumenda eſt in Cardd. fictio quæ poſſit ſchiſma inducere.

Si ficte coronaſſe dicant ſunt artifices ſchiſmatis & everſores eccleſiæ.

XXXVI. Sequitur vigeſima & ultima ratio ex ordine; nam ex ordine factum deprehenditur facti pondus, & facientis affectus, ait Ambroſius ſuper illud pſalmi: *Adhæſit pavimento anima mea*. Item ſi diſplicebat, non debuerunt reverti, ut not. Archi. LXIII. di. quanto. Item contra notorios actus proprios non debent audiri, nec contra proprias literas; nam ſi primis literis creditur, ergo non ſecundis contrariis, ut ex. de teſti. co. c. præterea; & maxime quando ſunt munitæ authenticis ſigillis; quia eo ipſo, quod quis apponit ſigillum, conſentit, teſtificatur, roborat, & facit quicquid eſt in poteſtate ſua, ut actus valeat, ut notatur C. de re. ali. non ali. l. diſtrahente, ubi glo. dicit, quod ſi ſcienter apponet ſigillum, videtur habere omnia rata: & ſubdit glo. quod hoc eſt bene notandum.

Si diſplicebat Urbanus, non debuerant reverti & de eo ſcribere.

Concluſivum autem ſic dico, quod caſus iſte eſt ſui raritate mirabilis; nunquam enim in mundo legitur quod Cardinales fuerint ita contrarii ſibi ipſis, & tamen eſt dicere quod ipſi dicunt quantum dicere; *Non feci; ſed me feciſſe ſomniavi*. Porro non debita, ſed gratuita Dei bonitas vigilavit, ut electio inchoaretur ex ortu, inthronizatio progrederetur ex curſu, & coronatio apprehenderet debitos fines. Et non omitto quod retro ter fuit in mundo quæſtio de metu in ſummis Pontificibus, & ceſſit mundus cathedrato, et hæc fuit veterum obſervantia, qui habebant ſal in capite, et ſchiſmatis pericula concernebant, ii autem fuerunt Clemens ſecundus, Victorius ſecundus, & Benedictus decimus, ut patet in chronica Martiniana, quæ eſt ab omnibus approbata, quia vera. Et noviſſime cum beato Ambroſio loquar dicens; *Ponam cuſtodiam ori meo, ne forte, dum mens inflammatur ardore, lingua ſermone labatur*. Quidquid autem dico, vel dixi, ſub proteſtatione dico, ut in c. damnamus de ſum. Trinit.

Hic caſus nunquam antea auditus ut Cardinales adeo ſecum pugnarint.

---

### *TRACTATUS SECUNDUS JOANNIS DE LIGNANO PRO URBANO VI.*

*Ext. in to. 5. de ſchiſ. MS. arch. Vat. p. 92. &c.*

I. QUia poſt completum tractatum ſuper electione ſanctiſſimi patris & domini domini Urbani VI. quem publicavi MCCCLXXIX. de menſe auguſti, multi doctores egregii Gallici in contrarium ſcripſerunt, idcirco zelo fidei catholicæ & ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ pro veritate inveſtiganda, ut lucidentur tenebræ & veritas luceſcat, ultra ſcripta in alio tractatu ſubjungam quæſtiones

Galli doctores pro antipapa adverſus Joannem e Lignano ſcripſere.

ſtiones ad materiam pertinentem, & erit prima; an ſuppoſito themate præmiſſo in primo tractatu dominis Cardinalibus in Avinione exiſtentibus, aſſerentibus ſe non elegiſſe dominum Urbanum voluntate ſpontanea & libera, ſed metu impreſſivo populi Romani, & ſic poſt ſcribentibus juratis per univerſum orbem catholicum & munitum ſigillis publicis ſit credendum.

Proponitur an Cardinalibus ſit credendum contra Urbanum.

Secundo an denuntiatio ſive publicatio facta per dominos Cardinales contra dominum Urbanum in Avinione vel Anagnia ſuper impreſſione & electione ipſius, per conſequens nullitate, fuerit canonica.

An promulgatio de impreſſione populari fuerit canonica.

Tertio an procedere poterant ad novi Pontificis electionem.

Quarto propter dominum Æduenſem ſancti Euſtachii Cardinalem, Ebredunenſem Cardinalem, & alios qui impugnant tractatum per me ſcriptum, examinabuntur ſigillatim ſcripta per me, ut luceſcat veritas, proteſtans in hoc & aliis ſcriptis ſuper hac materia, me credere & firmiter aſſerere quidquid tenet ſancta mater Eccleſia, & me paratum ſtare omni determinationi militantis Eccleſiæ: & quidquid ſcripſi vel ſcribam totum ſubjicio judicio triumphantis & militantis Eccleſiæ.

An procedere potuerint ad novam electionem.

Circa primum quæſitum eſt attendendum quod in themate propoſito inſeruntur plura implicita.

Primum an ſtetur aſſertioni ſimplici.
Secundum an ſtetur literis ſimplicibus.
Tertium an ſtetur ſigillis.
Quartum an ſtetur juramentis.
Quintum an ſtetur omnibus aggregatis, & ſi non, ſingulis ſegregatis.

Circa primum videtur quod eorum aſſertioni ſimplici ſtetur primo ut aſſertioni teſtimoniali, nam teſtimonio plurium teſtium non reprobatorum ſtatur regulis ff. de teſtibus l. ubi numerus IV. q. III. §. ubi numerus & *l.* ob crimen §. teſtis eod. ti. de teſtibus, in præſentia & c. licet. & dico non reprobatorum, quia editum de teſtibus eſt prohibitorium certarum perſonarum ff. de teſtibus l. I.

Argumenta pro Cardd. quod iis credendum.

Secundo ubi agitur de actu interioris voluntatis ſive conſcientiæ teſtimoniis eorum ſtatur, quorum ſunt actus illi de homid. ſignificaſti, quæſ. VII. ſancimus de reſcriptis ſtatutum §. aſſeſſorem li. VI. de probat. tertio de elect. cum dilecti. ff. de dote prælegata *l.* Theopompus, & eſt ratio demonſtrativa, quod viam actuum interiorum voluntatis & conſcientiæ non expreſſorum per ſigna exteriora ſolus Deus eſt cognitor VI. q. I. ſi omnia XXXII. di. erubeſcant de ſimon. ſicut ut eccleſiaſtica beneficia c. unic. & illi, quorum ſunt actus illi illorum. Ergo dominorum Cardinalium, de quorum actu liberæ voluntatis agitur, ſtabitur, cum alii ſuper hoc atteſtari non poſſint.

Soli teſtari poſſunt de actu interno.

Tertio creditur aſſertioni Cardinalium attenta ſtatus dignitate veritatis aſſerendæ præſumptionem inducente; hoc probant textus de appe. cum parati ibi: *Creditur Cardinali aſſerenti, quod dum erat legatus excommunicaverat.* idem c. conſtitut. c. ti. ibi: *Intellectus aſſertioni Cardinalium, &c.* idem de privil. cum olim ibi: *Tam per depoſitiones teſtium, quam aſſertiones quorundam fratrum noſtrorum, &c.* idem de elect. innotuit ibi: *A fratribus noſtris, qui ipſum in ſcholis cognoverant.* Pro hoc facit. c. nobiliſſimus XCVII. di. hoc tenet. Goffr. in c. cum parati de appella. hoc tenet Innoc. in c. cum olim de privil. hoc tenet Archid. in c. ut eccleſia de electi. li. VI. hoc tenet Jo. XCVII. di. c. nobiliſſimus, & hoc, ut dixi, inſurgit propter ſtatus & dignitatis prærogativam: nam Cardinales habent ſtatum ſenatus XVI. q. I. habet. ſenatum ſive cœtum, & intelligit de eccleſia Romana, quæ habet ſenatum; licet Lact. intelligat de qualibet eccleſia quæ habet ſenatum ideſt collegium; primus intellectus verior, nam Cardinales ſunt veri ſenatores Romanæ eccleſiæ ut in palea Conſtantini XCVI. di. ibi: *Viris etiam diverſi ordinis reverendiſſimis clericis Romanæ eccleſiæ ſervientibus illud culmen ſingularis potentiæ & præcellentiæ habere cenſemus, quod ampliſſimus noſter ſenatus, &c.* Hic etiam operatur convictio eorum cum Papa, dicuntur enim pars corporis, immo verius capitis, de offi. lega. c. I. li. VI. facit c. requiſiſti de teſtamentis, & quod notavit Hoſti. de poſtu. præla. c. fin. ubi notatur quod magis jungitur Cardinalis Papæ, quam monachus abbati: propterea notavit idem Hoſti quod Papa non poteſt excommunicare Cardinal. nec facere præceptum ſine conſenſu Cardinalium, hoc notat in c. ex geſtis de clericis non reſidentibus allegat. c. irrefragabili §. I. de offi. ord. nam Cardinales ſunt Reges, quia Papa cum eis regit mundum, & eſt dominus orbis IX. q. III. cuncta per mundum, & C. per principalem. facit quod notat Joan. monach. de hæreticis ſuper eo *l.* VI. Manifeſte igitur demonſtratur dominis Cardinalibus ſic ſimpliciter aſſerentibus fore credendum, cum non præſumat lex, quod homines tantæ dignitatis & ſtatus a veritate declinarent, cum ſint lex animata in terris, vel pars legis animatæ, ſcilicet Papæ, qui eſt via & veritas Jo. I. ut viceſgerens Chriſti Matth. XXI. di. in. nono: & ſic nullatenus præſumendum quod domini Cardinales, qui ſunt ipſa veritas, vel pars divinæ veritatis præſentatæ per Papam declinent a veritate, nam foret contradictionis implicatio dicere veritatem mentiri, quod eſſet dicere veritatem non fore veritatem; quod implicat. Eorum ergo aſſertionibus credendum.

Præſumptio ob ſtatus dignitatem.

Cardinalitii gradus elogia.

III. Soli videntur teſtari poſſe de iis quæ per eos acta ſunt.

Quarto attenta natura ejus, quod probatur: nam atteſtantur Cardinales partim ſuper iis, quæ per eos agitata ſunt in conclavi circa electionem Romani Pontificis, ubi ſoli Cardinales admittuntur XXIII. di. in nomine Domini de elect. licet, & c. ubi periculum. e. ti. l. VI. Sed talia, quæ agitantur per aliquos aliis non admiſſis per illos ſolos probantur, cum in judicium deducuntur C. de repudiis l. conſenſum ff. ad Sylaniam l. I. §. ſi vir & l. ſi quis in gravi §. ſi pupilli & §. ſequenti de proba. tertio de elect. cum dilecti. Hic ergo cum atteſtentur domini Cardinales ſuper iis, quæ per eos agitata ſunt in conclavi, in quo nulli alii ad electionem admittuntur, neceſſario ſtabitur eorum aſſertioni.



Teſtantur de tumultu qui fuerit manifeſtus.

Quinto ex alio capite attenta natura ejus rei, ſuper qua atteſtantur: nam domini Cardinales in atteſtationibus eorum ſcriptis & juratis partim atteſtantur ſuper notorio; nam atteſtantur tumultum & & clamorem populi, & ipſius congregationem in platea poteſtate publica, & effractionem portarum conclavis a populo, & ingreſſum populi in conclave, quæ omnia ſunt notoria, quoniam notorium facti, quale hoc fuit, colligitur ex loco ff. de pœnis l. ant facta §. locus de homi. ſicut dignum juſtit. de injur. §. atrox. utpote quod ſit in loco publico, ut hoc in platea publica S. Petri, & in palatio publico colligitur etiam ex tempore, ut ff. de pœnis l. ant facta §. tempus XVIII. q. II. § pernicioſam de pœnit. di. V. conſideret de offi. dele. conſuluit; utpote quia ſit de die, ſicut fuit in propoſito: tertio colligitur ex perſonarum multitudine, utpote quæ præſentibus omnibus committitur, vel majori parte hominum illius loci II. q. I. zelus de purgat. canon conſtitutus ſicut fuit in propoſito, quoniam platea repleta populo clamante: *Volumus Romanum vel Italicum.* Sic ergo atteſtantur ſuper notorio. Sed in notorio ſtatur etiam duobus ſolis deponentibus ſuper qualitate, etiam non deponentibus ſuper facto; licet Inno. tenuerit in c. ſi. de cohabitat. clericor. & mulier. quod probari debeat factum; quod forte procederet ubi ad inſtantiam partis in judicio ordinario deduceretur, ut notat Spec. in c. de notorio ad finem: ſecus ſi ex officio, ubi ſufficit probare ſolam qualitatem circumſpecto facto & ſoli duo comprobare poſſunt jux. not. in c. veſtra de cohabit. cleric. & mulier. in c. manifeſta & c. de manifeſta II. quæſt. I. & in l. ea quidem C. de accuſ. multo fortius ſtabitur aſſertioni duodecim Cardinalium ſic aſſerentium.

Sexto de ſtylo & conſuetudine curiæ ſtatur aſſertioni etiam unius Cardinalis cui ſtylo ſtandum de crim. falſi c. 3. quam & de conſtit. ex literis: & conſuetudo etiam hoc induceret, de fide inſtrumentorum cum dilectus, & c. ſuper iis; & cum conſuetudo vim habeat legis, immo & deroget & di. conſuetudo XI. di. conſuetudinis ff. de legibus l. de quibus, & l. minime C. quam ſit longa conſu. l. XI. & ibi no. & c. ſi. de conſuetud. ſic ergo dominis Cardinalibus creditur attento ſtylo curiæ & generali conſuetudine generalis eccleſiæ, &c.

IV.

Septimo creditur dominis Cardinalibus ut denunciantibus juxta evangelicam authoritatem: *Si peccaverit, &c.* Matth. XVIII. II. q. I. ſi peccaverit de judiciis novit. Et ſive intelligatur illa authoritas de occulto, ſive manifeſto crimine, ſive prima pars de occulto, & ſecunda de manifeſto, ſecundum varietatem opinionum. Nam quidam intelligunt totam de occulto, & dicunt denunciandum eccleſiæ, ideſt ſacerdoti, qui oret pro eo, & ſic prodeſſe poteſt, & non obeſſe XXII. q. V. hoc videtur; & quod ſequitur: *Sit tibi ſicut ethnicus, &c.* intelligunt quantum ad privatam communionem, non publicam VI. q. II. ſi tamen &c. placuit; huic intellectui obſtat quod habetur XVI. di. ſed illud. XI. qu. III. cure. de judiciis novit. Et alii intelligunt totam de manifeſto: Huic contradicit Auguſtinus in c. multi c. cauſa quæſtione & ibi: *Tu ſolus noſti, &c.* Alii intelligunt principium de occulto, finem de manifeſto. Huic contradicit Auguſtinus, cum dicit: *Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas.* Jo. Faventinus intelligit de manifeſto, & de occulto, quod poteſt probari, & hæc eſt vera. Nec obſtat quod dicit Auguſtinus: *Tu ſolus noſti*; quia per hanc dictionem, *ſolus*, non intendit Auguſtinus excludere paucos, ſed multitudinem. Simile VIII. di. ſi ſolus, ibi: *Quomodo ſedet ſola civitas*; ideſt cum paucis: ſic intelligitur XV. q. VII. §. ſolus & II. q. VII. §. de iis. Et hæc authoritas evangelica: *Si peccaverit, &c.* ex capite, quo agitur ad pœnitentiam, & ſui correctionem, extenditur ad omnes catholicos, quoniam quilibet catholicus proximum ſuum ſicut ſe ipſum diligere debet de pe. di. II. charitas eſt, ut mihi videtur, & dicto c. ſi peccaverit II. q. I. quod ſit præceptum omnium. Facit II. q. VII. quapropter XI. q. III. præcipue XXIV. q. III. tam ſacerdos XLV. di. ſed illud: & fuit opinio Hug. Si autem agatur ad punitionem; conducit tamen illos, qui præſunt juriſdictioni qui habent poteſtatem coercendi XXIII. q. IV. duo iſta XVII. q. IV. de presbytero. Et fuit opinio Melendi Hiſpani, qui dicit quod ad alios eſt conſilium, licet circa peccatum committendum omnibus ſit præceptum XXII. q. V. hoc videtur. Ex his videtur, qualitercumque intelligatur illa authoritas applicata propoſito, ſurgit quæſtio noſtra; ſi enim intelligatur de manifeſto, hic denunciant manifeſtum, immo notorium tumultum popularem, & alia notoria per eos aſſerta. Si intelligatur de occulto, hic denunciant occultum, ſcilicet ſe non conſenſiſſe in dominum Urbanum niſi per metum, & ſunt hæc occulta, quæ pendent ex actu interiori voluntatis & conſcientiæ, quorum præter eos, quorum ſunt

De manifeſto & occulto monuere eccleſiam.

actus, ſolus Deus eſt cognitor. VI. q. I. ſi omnia XXXII. di. erubeſcant de ſimo. ſicut. & eccleſiaſtica un. cap. unico, ſive partim intelligatur de occulto, & partim de manifeſto; nam hic partim de manifeſto: nam hic partim denunciatur occultum & partim manifeſtum. Item ſi hæc authoritas eſt præceptum, quoad omnes, ergo quoad Cardinales, qui ſunt prælati, immo prælatorum ſummi, cum ſint ſenatores Romanæ eccleſiæ XVI. q. I. Eccleſia habet ſenatum & in palea Conſtantini XCVI. di. item ſive loquitur de timore commiſſo ſive committendo, nam hic denunciatur crimen commiſſum, ſcilicet impreſſionem notoriam commiſſam in electione Urbani, ut aſſerunt, denunciant crimen committendum, ſcilicet præſidentiam Urbani, quem dicunt intruſum, & quos magis aſtringere debet authoritas evangelica, quam dominos Cardinales, attento commiſſo, & committendo, quæ tangunt ſtatum fidei catholicæ; & ſtatum univerſalis Eccleſiæ, & ſpecialiter ſedis Apoſtolicæ; cujus domini Cardinales ſunt pars intrinſeca, ut ſupra monſtratum eſt; denunciando atteſtantur hæc toti orbi catholico, implicando clerum & populum, qui ſunt unum ovile in Chriſto Salvatore, ſi ad hoc tenetur, quivis de populo catholico, cum hæc ſit popularis nunciatio, quanto magis Cardinales, qui ſunt pars capitis principatus ſedis Apoſtolicæ & fidei catholicæ; & hæc procedunt attentis ſolis ſimplicibus aſſertionibus Cardinalium.

V.
Aliæ pro ſchiſmaticis Cardd. argutiæ.

Octavo creditur teſtibus ſynodalibus denunciantibus crimina publica ad correctionem criminum XXXV. q. VI. epiſcopus in ſynodo de teſti. cogen. præterea. de accu. ſicut; & hoc propter utilitatem publicam, cujus intereſt, ne crimina maxime notoria maneant impunita, ff. ad l. Aquil. l. ita vulneratus. I. reſp. ff. de ſolu. l. §. achum §. I. ff. de fidejuſſo. l. ſi areo. §. I. ff. de juc. l. ſi. longius C. de pœnis l. ne operis XXIV. eſt injuſta de ſen. ex. ut fame. Et hoc ut ſit tranquillitas ſtatus humani, ad quod tendit tota legalis diſpoſitio IV. di. factæ ſunt legeſ. XXII. q. V. ad fidem. Multo magis creditur dominis Cardinalibus denunciantibus notoriam, quam aſſerunt, apoſtatici intruſionem, ad purgationem erroris in capite fidei catholicæ, ad ſchiſma evitandum totius Chriſtianitatis ſubverſivum XXVI. q. I. loq. & c. ubi ſana, & c. ſchiſma, & c. quoniam verus, & c. quicumque. Quid enim expedientius ut denuncietur, quam periculum ſubverſionis naviculæ Petri, & totius ſtatus orbis catholici? XXIV. q. I. non turbatur & c. a recta & c. eſt aliud & c. hæc eſt fides. Et quibus in hoc magis creditur; quam Petri naviculam, una cum Petri legitimo ſucceſſore gubernantibus?

Aliæ petitæ a pari.

Nono creditur officialibus ſæcularibus referentibus & denunciantibus crimina publica præſidentibus provinciarum ad provincias purgandas, & tranquillum eorum ſtatum inducendum C. de accu. l. ea quidem C. de cuſtod. reor. l. II. ff de offi. præfecti verbis. l. I. §. ſane. c. de decu. l. I. & l. congruit ff. de offi. præſid. Ergo multo magis credendum dominis Cardinalibus denunciantibus crimina totius ſtatus orbis catholici deſtructiva. Tenet conſequentia, attentis perſonis referentibus, & criminum qualitatibus; nam ſtatus eccleſiaſticus dignior ſæculari de ma. & obe. ſolite. XCVI. di. bene quid. de conſti. eccleſia. ut lite. pen. eccleſiæ. Ergo principes eccleſiaſtici ſtatus, quales ſunt Cardinales, digniores principibus ſtatus ſæcularis; ergo ſine ulla comparatione miniſtris, & nunciis miniſtrantibus, dignitatibus, ſæcularibus præſidentibus, quales ſunt officiales referendarii. Si ergo illis creditur, multo magis dominis Cardinibus. Item attentis criminum qualitatibus, ſi enim creditur referenti crimina, ad evitandum turbationem provinciæ in ſtatu corporali, quanto magis referentibus crimina ad evitandam turbationem totius orbis; non tam in ſtatu temporali, ſed animarum & ſpirituali, cum anima ſit ſine comparatione pretioſior corpore? C. de ſacroſanctis eccleſiis l. ſancimus XII. q. I. præcipimus de pæni. & re. cum infirmitas. Ergo credendum eſt dominis Cardinalibus denunciantibus intruſionem notoriam, quam aſſerunt, & atteſtantur toti orbi catholico, ad quietem orbis & ſtatus Chriſtianitatis.

VI.
Ex literis ordinar. petitum aliud credendi argumentum.

Decimo attentis literis per dominos Cardinales directis, ſic arguitur. Literæ ordinariorum faciunt fidem, & eis ſtatur, donec contrarium probetur de proba. poſt ceſſionem XI. q. III. cure. et utrobique notatur de re. judic. ad. proband. de offi. or. ad reprimendam de treuga et pace c. de ſent. ex. c. I. lib. VI. de reſcript. c. I. Et ſi aliquis dicat quod hæc jura loquuntur in excommunicatione probanda propter periculum communionis; demonſtratur aperte, quod idem in aliis caſibus: quod probant tex. XIII. di. c. I. et c. ſi epiſcopus LXIII. di. c. I. et II. LXV. di. non debet. et c. ſequent. de t. or. nec epiſcopi LXXII. di. c. I & II. LXXIII. di. per totum IV. & V. quiſquis XIX. di. c. I. et II. de clericis pereg. c. I. et III. de elec. cum inter. de majo. et obe. cum in eccleſiis, de fide inſtrum. quod ſuper his, et c. cum dilectus de confir. utili. cum dilec. de ſolu. ſi quorundam de iis, quæ fiunt a præla. ea noſcitur de appe. ſignificavit de proba. tertio de exce. præla. dilecta C. de epi. & clericis l. ſi qua per calumniam. Hæc omnia jura probant, quod non ſolum literis epiſcoporum, ſed etiam inferiorum prælatorum creditur, & eis ſtatur, donec contrarium probetur: quanto magis ſtabitur literis dominorum Cardinalium, qui principatum obtinent ſuper ordinarios infra Papam? XCVI. di. Conſtantinus de offi. le. c. II. lib. VI.



VII.
Ex literis delegatorum.

Undecimo literis delegatorum creditur, & eis ſtatur, donec contrarium probetur. Ergo multo magis literis dominorum Cardinalium. Probatur antecedens per tex. apertos de offic. dele. cum olim. in fi. de dolo, & contu. veritatis de præſumptis cum juventute de confit. cum ſecundum in fine de conce. præben. accedens de fide perver. & c. inter dilectos de pur. canonica, & hæc procedunt ubi ſcribunt plures delegati, ut hic, & notatur de elect. c. I. l. VI. contrarium probatur; quoniam domini Cardinales ſunt majoris dignitatis & præeminentiæ, quam quicumque alii prælati infra Papam, ut ſupra monſtratur.

Ex hiſtoricis.

Duodecimo creditur literis librorum antiquorum imperſonaliter & narrative diſponentium. Ergo multo fortius de literis ſuper facto recenti, & notorio notorietate facti ſe omnibus confectis exhibenti. Antecedens probatur per c. ad audientiam de præſcriptis XVI. di. habeo librum. Probatur conſequentia, quoniam clarius, et facilius probantur quæ ſenſibus hominum præſentia literis hominum exhibentur, quam longis tractibus et remotis ad notitiam hominum inducunt ff. de proba. l. ſi arbiter. ff. de aqua plu. arcenda l. Labeo de ver. ſig. ſuper quibuſdam.

Ex archiviis.

Decimotertio creditur literis de archivio publico productis, & inter alios, & ſuper aliis confectis. Ergo multo fortius literis archivi publici viventis, ſuper quibus atteſtantur, & inter eos confectis. Probatur antecedens XXX. q. I. pervenit. in auth. de iis, qui ingrediuntur ad appellandum §. illud C. de fide inſtrum. auct. ad hæc de integ. reſti. cum ex literis ff. de proba. l. Celſus C. arbitrium tutelæ l. ſi. C. qui po. epig. habeantur. l. ſcriptura; contrarium tamen probatur, quoniam majoris efficaciæ eſt archivum animatum, quale archivum ſacri collegii dominorum Cardinalium, arcam divinæ & cœleſtis, ut pars capitis vicarii Dei gentium, quam ſint archiva profana, & ſæcularia de majo. & obe. ſolite. cum ſimilibus ſupra allatis.

Decimoquarto literis in lapide vel columna ſcultis ab incerto progeſſis creditur III. q. VII. poſtulatus XXIV. q. II. ſane, & notatur de proba. cum cauſam ſic & literis in albo prætoris ſculptis ff. de albo ſcribendo l. I. & ſupra l. ſi quis ad ff. de jur. omnium ju. ſic & literis ante oſtium poſitis ff. de inſtitoria l. I. §. præſcribere. Ergo multo fortius literis a certo actore progreſſis, et in albo divino, & ante portam Eccleſiæ militantis poſitis, quales ſunt literæ dominorum Cardinalium; illæ enim effluunt a certo & publico auctore, ſcilicet ſacro collegio dominorum Cardinalium, quo hic in terreſtribus nihil dignius, nihil auctorizabilius, ut in palea Conſtantini diſt. XCVI. hæ literæ ſunt ſculptæ in albo divino, & ante portam Eccleſiæ a Deo effluxæ ad fidem catholicam erroribus purgandam, & unitatem Eccleſiæ ſervandam XXIV. q. I. quam dignior. & c. quæcumque, & cap. ubi ſana cap. loquitur dominus ad Petrum, & c. quia ex ſola. Ergo his literis ſacrorum Cardinalium credetur.



Decimoquinto attentis eorum ſigillis notis, arguitur ſic. Statur ſigillo epiſcopi, immo & privatis, de proba. poſt. ceſſio. & c. tertio de fide inſtrum. cum dilectus de ſolut. ſi quorundam, quoniam in ſigillo eſt character, et literæ nominis de fide inſtrum. inter dilectos ff. de teſtam. l. ad teſtim. §. ſi quis ex teſtibus de pe. di. III. principium, et hoc maxime ubi apponantur literæ ſcriptæ. Ergo multo fortius ſigillo Cardinalium propter majorem prærogativam, de qua ſupra.

Decimoſexto ſtatur ſigillis epiſcoporum etiam ignotorum, de clericis pe. c. I. XIX. di. c. V. & quaſi per totum, et fuit opinio Hug. quod facilius falſatur ſigillum unius epiſcopi, quam plurium, licet Petrus notet XCVIII. di. I. quod nullis ſigillis non ſtaretur, niſi aliqua notitia ſuper hoc haberetur. Hoc etiam tenet Ho. in c. I. de clericis peregrinis; nam falſans unum ſigillum, ſic alia falſare poſſet. cap. de dolo et contu. cum olim. Dicit ergo ibi text. *Sigillis cum bono teſte, vel unius ex ſigilli notitia, vel aliquibus probabilibus conjecturis.* At hic in propoſito erant ſigilli multorum Cardinalium, quorum aliqui erant epiſcopi, aliqui presbyteri, et diaconi, et omnium ſigillorum notitia. Ergo ipſis ſtabitur.

VIII.
Præſumendum ita ex jure jurando.

Decimoſeptimo attento juramento ipſorum, nam juramento atteſtantur omnia, & ſingula per eos aſſerta, cui juramento ſtandum, cum non præſumatur ipſos fore immemores ſalutis æternæ, cum naturali præſumptione præſumatur quod ſint boni, de præſump. c. ſi. de ſcru. in ordine fat. cap. un. Et auget præſumptionem ſtatus eccleſiaſticus, & principatus in ſtatu eccleſiaſtico; nam pro dignitate præſumuntur, quanto enim quis melioribus præeſt, tanto major & ſanctior eſſe præſumitur, in. aut. de defenſoribus civitatum §. nos igitur colla. IV. LXI. di. miramur. l. III. di. metropolitano. XXIV. di. quando de magiſtris c. I. & c. ſuper ſpecula de præſump. cum juventute. Quis ergo præſumet tantos & tales patres, viros maturos ætate, pro qua præſumitur. de præſumpt. cum in juventute XXXIV. di. fraternitatis XX. di. de quibus. ff. de legat. 3. l. ſi chorus; viros peritiſſimos, pro quibus etiam præſumitur, XXVII. di. qui epiſcopus XXXVIII. di. qui epiſcopi, & c. omnes pſallentes de elec. innotuit. morum honeſtate & vitæ virtute, in toto orbe ad inſtar ſtellarum radiantium fulgentes, de magiſtris ſuper ſpecula. Ergo eorum aſſertionibus ſtabitur.



Deci-

Decimo octavo. Si ſimplicibus eorum aſſertionibus, ſi literis eorum ſimplicibus ſtatur, ſi ſigillis eorum ſtatur, ſi eorem juramento ſtatur, ergo aſſertionibus eorum ad ſcripturam redactis, ſigillis eorum ſigillatis, juramentis eorum firmatis, & aggregatis, ſtabitur arguendo aperte ſupra totum ff de rei. ven. l. quæ de toto. ff. de excep. l. ſi. cum totum de offi. dele. paſtoralis reg. in toto de regul. jur. li. vi.

IX. Comparationes variæ ad inducendam credibilitatem.

Decimonono revelationibus angelicis creditur. Aſſertiones dominorum Cardinalium ſunt revelationes angelicæ. Ergo, &c.

Vigeſimo prædicationibus propheticis creditur. Aſſertiones dominorum Cardinalium ſunt propheticæ. Ergo, &c.

Vigeſimo primo. Prædicationibus apoſtolicis creditur: Aſſertiones dominorum Cardinalium ſunt prædicationes apoſtolicæ. Ergo, &c.

Vigeſimoſecundo. Inſtitutionibus evangelicis creditur. Aſſertiones dominorum Cardinalium ſunt inſtructiones evangelicæ. Ergo, &c.

Vigeſimo tertio. Doctrinis ſanctorum doctorum creditur. Aſſertiones dominorum Cardinalium ſunt inſtructiones ſanctorum doctorum. Ergo. Quod domini Cardinales ſint angeli in terreſtribus revelantes perpetuæ ſalutis ſtatum, prædicantes fidei unitatem apoſtolicæ, prædicantes Salvatoris geſta, evangelizantes obſcura, doctrina ſalubri lucidantes, demonſtro ſubjiciendo ad contextum quandam collationem, quam pridie feci de Cardinalibus alloquens, ut aperte videant domini Cardinales, ad quos præſertim tractatum primum per me compoſitum direxi; me motum zelo fidei ad hæc omnia ſcribenda.

X. Argumenta contraria adverſus apoſtaſiam Cardd.

Sunt veri cardines, ſpirituales intelligentiæ, divinæ majeſtatis hierarchiæ ſpiritualiter miniſtrantes. Ezechielis xxxi. de pe. di. ii. §. quod erg. & c. ſcribitur: angeli in cœlo miniſtrantes Altiſſimo Mathæi xxii. Non ſunt veri cardines charitate denudati a ſolio Altiſſimi decidentes, Ezechielis xxx. di. aliqua. de pe. di. vi. c. ſic enim verſu: De cœlo cecidit lucifer. & c. princeps. Hi ſunt in terreſtribus pſeudoclericali militia decorati: hi ſunt, quidquid quid eligunt amplectuntur, quod moleſtum eſt fugiunt & aſpernantur, cum militaribus converſantur. Hic ſuperbia: hic faſtus: amplæ familiæ, nobilis apparatus equorum, phaleræ, & grandes apparatus, accipitres venatici, canes ornati collanis, balnea omnium mollitierum fœcunda, & veſtium gloria, ut a mulieribus non ſuperetur: hic epularum multiplicata fercula, ut per Nabuzardam regem coquorum muri Jeruſalem deſtruantur: hic divinorum cultus ad pompam & faſtum celebratur: præſidentium promotiones non meritis, ſed affectionibus carneis, aut pretio vænalitati exponuntur; unde multi paupertate depreſſi ut plurimum repulſam patiuntur: hinc eccleſiarum rectores ſuper laicorum, viduarum, & orphanorum cervicibus depaſcuntur, prætermiſſis divinis luxuriæ dediti mundialibus quæſtibus implicantur: horum ſanguis a prælatis ipſorum nequiter imburſatur, & ab eiſdem medullitus concutiuntur. Hos & cæteros perverſi cardines hydropicorum puteo cum piſcatore clavigero præſidentes involutionibus multiformiter burſaliter amplectuntur: hic ſacra religio confunditur, humiles & depreſſi religioſi ab eorum ſuperioribus tyrannice contrectantur: hic regularis ſtatus expilatur, mendicantium cœtus ambitionis cingulo decoratur, magiſtrorum turba effrænata bullis apoſtolicis elevatur: ii more ſerpentino cervice elata, hypocriſi velata, in eorum conventibus ſumptuoſe pergræcantur, ad dignitatum apices pretiis ſpiritualium vænalitate quæſitis, aut adulationibus tyrannicis promoveri conantur: eorum infructuoſa numeroſitas Eccleſiam Dei vituperat, hæreſes multiplices pullulant, ſacra pagina logicalibus garritibus, ſophiſmatibus juvenilibus cum arrogantia promulgatur: vera ſapientia, ſanctorum patrum doctrinis decorata, ut plurimum ignoratur: ignarorum numeroſitas ad pontificatum elevatur: vitiorum ſordities, ſcandalorum congeries multiformiter in Eccleſia repullulat, & pontificalis dignitas vituperatur. (His & aliis pluribus deſcribuntur vitia Cardinalium, qui ſchiſma conflarunt: quippe ex vitiis ſchiſmata & hæreſes pullulare conſueverunt. Nec mirum ſi his pingantur coloribus Cardinales illi, quos S. Catharina Senenſis dæmones humana carne indutos appellavit (a), ut ſuo loco diximus (b)). Pergit Joannes e Lignano.

Cardinalium qui ſchiſma conflarunt deſcriptio.

Maxima corruptio morum in ordine eccleſiaſtico.

(a) S. Cathar. ep. 31.

(b) A. C. 1378. n. 55.

XI. Cur non ſit credendum Cardinalibus.

In contrarium arguitur literis inferioris a Papa narratoriis non creditur, quia verba narratoria non probant C. de teſtamen. l. verba C. de militari teſtamento l. ex his ff. de donat. l. ex hac ſcriptura de privileg. ſi Papa li. vi. eſt enim ſpeciale in literis Papæ narrantis proprium factum, ſuper quo narratur ejus intentio, ut in clem. literis de probat. hæ autem literæ dominorum Cardinalium ſunt narrativæ præteriti facti alienæ partis, utpote tumultus popularis & impreſſionis notoriæ, ut aſſerunt. Ergo fidem non facient.

Secundo videatur textus de teſt. cum a nobis, ubi dicit textus literis judicum non ſtari, ſi non habent teſtium ſubſcriptionem: & ſic requiritur teſtium ſubſcriptio.

Tertio non creditur judicium, niſi appareat ex certis indiciis. xi. q. 3. quamvis xxx. q. 5. cap. ſi quis ſub § his ita vii. q. i. qualiter de teſtibus cum tu primo. Non creditur ſcripturæ tabellionis ſine teſtium ſubſcriptione in auth. de hære. et falc. §. ſi vero abſunt col. prima. Ergo multo minus creditur literis aliorum, quoniam officium tabellionis eſt ſcribere, et non judicis. de proba. quoniam contra de hæret. ſi adverſus et c. excommunicamus §. credentes; et ejus officium publicum conſiſtit in ſcribendo, ſive notando: propterea a jure ſuſcipit varia nomina tamen communi nomine d. cap. quoniam de probat. nominat eum publicam perſonam. Alibi vocatur ſervus publicus ff. rem pupilli ſalvam fore l. i. in fine. Alibi vocatur ſcriniarius, de præſcriptio. ad audientiam. Alibi tabellio, de fide inſtrumentum cum p. tabellio. Alibi vocatur notarius, de ſimonia. c. i. Alibi tabularius, C. qui. teſt am. facere poſſunt l. hac conſultiſſimum §. ſed tabulariorum, et habet manum publicam de fide inſtru. c. 2. et eſt ſpeciale et ſingulare miraculum legale, quod pellis mortua ejus manu ſcripta cum ſubſcriptione teſtium mortuis teſtibus, vel viventibus & non deponentibus facit fidem, quod introduxit authoritas principis ſibi conceſſa ſpecialiter ad perpetuas memorias eorum, quæ agitantur, quorum memoria perderetur propter brevitatem memoriæ hominum & memoriæ labilitatem. Hoc ergo ſpecialiter tabellioni indultum & non aliis. Ergo fortior eſt viva vox, quam mortua, in aut. inſtrum. fide & cautela §. ſi vero coll. vi. Sed non creditur vivæ voci ordinarii, ut vi. q. i. ſi tantum, & c. placuit. Ergo nec eorum literis in ſecundo colloquio, ſæpe enim ex malo zelo effluunt, de dolo, & contu. cum olim ff. de cuſto. & exhib. reorum l. divus nec de fide dicit quod in locis, in quibus eſt uſus tabellionum, per eos inſtrumenta conficiuntur tantum cum teſtium ſubſcriptione: ſed & locis, in quibus non eſt uſus tabellionum, quod tunc ſigillum authenticum apponatur in literis etiam cum teſtium ſubſcriptione. Non ergo aliter literæ ſigillatæ authentico ſigillo faciunt fidem, niſi habeant teſtium ſubſcriptionem, ut dicitur quæſtione de proba. Voluit duos viros idoneos aſſumi alios & veros ſine teſtium ſubſcriptione, dummodo rediganttur ad acta authoritate judiciaria. Ergo aliter non ſtatur literis niſi manu publica, & cum teſtium ſubſcriptione confectis. Quod ſi ſtaretur literis iſtis dominorum Cardinalium, aut ſtaretur literis eorum ut judicum in hoc negotio, ſuper quo ſcribunt; quod eſſe non poteſt, quoniam aut tempore confectionis literarum vacabat ſedes Apoſtolica, & tunc nullam juriſdictionem habent ſede vacante, niſi ut in cle. ne Romani de elect. aut non vacabat, & tunc multo minus eis creditur, ut teſtibus ſuper hoc teſtimonium perhibentibus: nec hoc procedit, quoniam aut eſt teſtimonium judiciale formatum, quod non eſt verum, quoniam hic nullum judicium formale inchoatum, quoniam hoc caſu forte recurſum haberetur ad concilium xvii. di. §. hinc. iii. q. vii. nos, ſi nec hic citatus eſt contra quem deponunt. de teſti. in nomine, nec ſervata forma teſtimonii judicialis ferendi, nec ſervata aliqua forma judicii, de qua de proba. quoniam ii. q. vi. §. definitiva. & de ſententiis v. i. Non poteſt dici quod dicta dominorum Cardinalium ſint ſcripta, ut dictis teſtium nondum inchoato negotio alias judicio juxta formam c quoniam frequenter in princ. ut lite non conte. quoniam ibi recipiuntur ſolum de quorum morte, vel abſentia dubitatur, & ad inſtantiam illius, qui dubitat ad judicium trahi, quæ non contingunt noſtro caſui.



Judiciarium ordinem exercere non potuere in Pontificem.

Si judicium exercendum fuit illud ſpectavit ad Concilium.

XII.

Nec poteſt dici quod dicta dominorum Cardinalium ſint redacta in ſcriptis ſecundum formam c. ſignificavit de teſti. & §. & hoc ſi vero vii. in auth. de teſti. collat. vii. quia non eſt ſervata forma illa, nec ad finem illum ſunt dicta eorum deſcripta, ut patet ex ſerie verborum & mentis; non enim domini Cardinales ſunt hic, ut teſtes ſecreto examinati & inquiſiti ſuper veritate dicenda ſuper iis per eos aſſertis primo. Ipſi primo ſcripſerunt literas aſſertorias horum omnium, quæ aſſerebant interveniſſe tempore electionis domini Urbani, & poſt temporis tranſcurſum fecerunt confici inſtrumentum ſuper eiſdem aſſertionibus, quæ in totum ſunt aliena a diſpoſitione §. & hoc ſi vere in auth. de teſt. & c. ſignificavit. eo. tit. Ergo in nulla forma aſſertionis teſtimonialis eorum aſſertionibus ſtatur.

Non fuere juridica Cardd. teſtimonia.

XIII. Ut adverſariis Urbani credi non debuit.

At dices eis credi ut adverſantibus domino Urbano, & partem facientibus contra eum: at illud dari non poteſt, quia in cauſa ſua judices eſſe non poſſunt c. ne quis in ſua cauſa l. unica, nec teſtes, C. de teſtibus l. omnibus ff. e. ti. nullus & ponuntur iiii. q. iii. Inſtrumentum confectum ſuper prætactis, quod nuncupatur inſtrumentum recitatorium, non facit fidem, quoniam confectio inſtrumenti concernit illud, ſuper quo tunc deponitur, nec teſtes inſcripti ſuper alio poſſunt atteſtari quam ſuper illo, quod tunc perceperunt ſenſibus ſuis corporeis: ſuper præteritis autem, pro tunc, de quibus tunc non diſponitur atteſtari non poſſunt. Hæc probantur de fide inſtrumentorum. cap. penult. & ibi per Inno. in c. cum Joannes eo. tit. notavit etiam in c. quoniam, & in c. poſt ceſſionem de probat. facit quod habetur iii. q. vi. hæc quippe & ibi notatur in pr. glo. probatur diſ. 100. contra morem, & ibi glo. de verb. ſig. abbate. & ibi glo. C. de edendo aut. ſi quis in aliquo inſtrumento. Cum ergo hoc inſtrumentum tabellionis ultimo confectum ſuper aſſertis per dominos Cardinales non ſit confectum ſuper aliquo actu, ſuper quo pro tunc diſponatur, ſed ſolum ſuper præteritis enarratis per dominos Cardinales, & ſic ſit ſolum recitatorium, & narratorium præteritorum, quibus atteſtari non poſſent in facto inſcripti; infertur illi iſtrumento non ſtandum.

Judices & teſtes eſſe non potuere.

Eorum narratio caret authoritate.

Ve-

Verum ut iſte articulus plane diſcutiatur omnibus doctorum opinionibus examinatis, qui in hoc multiformiter variarunt, eſt attendendum quod Hug. tenuit, quod literis ordinariorum ſtatur ſi ſigillatæ fuerint ſigillis eorum. Hoſt. ſequitur eandem: movetur per c. II. de fide inſtrumentorum & cap. penult. de purgatione canonica, dicens mirandum qualiter quis dicat contrarium; nam ſi officium tabellionis conceſſum forte vili perſonæ facit ſcripturam authenticam, quanto magis officium epiſcopi, vel alterius prælati, cum epiſcopus ſua conſecratione profiteatur ſe canones ſervaturum. Allegat etiam l. I. & II. C. de criminoſis li. XII. l. ſinguli C. de accuſat. l. in. ff. de teſti. ne clerici. vel mo. ſicut. Reſpondet ad cap. quoniam contra, quod loquitur, ubi judex dicebat viva voce, ſe ita proceſſiſſe, ſed non apparent literæ ſigillatæ. Secundum hanc opinionem fundari poſſent literæ dominorum Cardinalium: ſed hæc opinio communiter reprobatur per jura ſupra allegata. Nec obſtat ratio Ho. quia non eſt bona comparatio de tabellione ad epiſcopum: quoniam officium tabellionis eſt ſcribere, ſed non judicis; licet quandoque authoritatem præſtet. de fide inſtrumentorum cap. penult. & fi. Sed hæc ſunt diverſa aliquid facere, & facto authoritatem præſtare: nam in propoſito non poteſt quis authoritatem præſtare ff. de authoritate tu. l. I. & l. pupillus, & in cle. ſi una de rebus eccleſiæ non alienandis. Ad decretum penult. de purgatione canonica dicit, quod ibi ſtatur relationi ſuper illis, quæ ibi continentur, relationi contra producentem, & dictis cum a nobis de teſtibus, intelligendo cap. denotatur. Facit contra Ho. vel loquitur in caſibus ſpecialibus.

Fuit ſecunda opinio Bernardi Hiſpani, qui tenuit quod vulgariter non credatur literis epiſcoporum, nec aliorum prælatorum per l. IV. §. ſin autem in ſcriptura C. de arbitris, niſi illæ literæ ſint redactæ in actis per tabellionem C. de donat. l. in donationibus de fide inſtrum. inter dilectos, vel niſi habeant teſtium inſcriptionem XVI. q. III. cap. placuit verſ. is autem C. de annalibus excep. l. ut perfectius. Hanc opinionem ſequitur Vincentius in tribus caſibus, in quibus credatur ſi habent ſigillum per cap. ſtatuimus XIX. q. III. per c. cum inter de elect. vel quando apparent ſigilla multorum epiſcoporum.

XIV. Argumentum de epiſcopi teſtimonio non valet ſi ſit adverſarius.

Alia fuit opinio Goffr. & Petri, qui tenent quod epiſcopo aliquid dicenti contentioſe, & ſe partem conſtituenti non creditur. VI. q. II. ſi tamen & cap. placuit; ſcribenti autem, ut ordinario, creditur de his, quæ facta ſunt per eum & coram eo.

Alia fuit opinio Joannis, qui dixit quod in judicialibus non creditur, niſi habeant teſtium ſubſcriptionem, vel quatenus conſtat peracta. de probat. quoniam contra. in extra judicialibus creditur, ut cap. poſt ceſſionem de proba. XI. q. III. curæ, & præcipue in ſententia excomm. quæ etiam injuſta ligat. XI. q. I. c. I. & quæ eſt medicinalis II. q. I. multi. & cap. I. de ſent. excom. li. VI. licet Inno. dicat quod credatur ſuper excommunicatis, ut excommunicati vitentur in Eccleſ. ut cap. jure non autem ut vitentur in judicio. Hoſ. contra in hoc ultimo.

Joan. Andr. in cap. poſt ceſſionem, tenet quod ſi literæ epiſcoporum ſint pure teſtimoniales, ut quia ad petitionem alicujus, ſcribit judici, quod excommunicavit aliquem, ei non creditur, ut II. q. IX. teſtis: ſi autem ſit promulgatoria tunc ſtatur ei, & hæc placet Spec. in ti. de probat. §. fi. & dicit curiam ſe tenere, nec credi ſigillo, niſi ſit authenticum. de fide inſtrumentorum cap. II. & c. cum dilectus.

Inno. in c. I. & II. de fi. inſtrum. in principio magnæ glo. dicit quod ſcriptura authentica dicitur, quæ habet ſigillum authenticum, quæ facit fidem in levibus non multum præjudicialibus, ut in excommunicatis, de qua in cap. poſt ceſſionem, & in his, quæ habentur LXXII. diſ. per totum XCVII. diſ. nobiliſſimus XCVIII. diſ. per totum, XICX. diſ. c. I. & II. in medio autem ejuſdem glo. dicitur quod creditur literis abbatum, & archidiaconorum inferiorum prælatorum in extrajudicialibus: ſed ibi dicit, inter quos vel inquantum, vel ad quantam ſummam ſtandum conſuetudini, quia non eſt jure determinatio. de fide inſtrumentorum cum dilectus. C. de emancipat. liberorum l. I. & l. fin. de foro compe. cum contingat: & ad dictum cap. poſt ceſſionem dicit, quod eſt ſpeciale in excommunicatione propter periculum communionis. Alias dicit Innoc. epiſcopo, vel alteri narranti ſe aliud feciſſe non creditur, niſi aliter probetur. de proba. quoniam contra: in fine autem ejuſdem dicit, quod creditur literis cujuſcumque prælati in iis, quæ facere debent, vel poſſunt ratione ſui officii, ut archiepiſcopo vocanti ſuum ſuffraganeum ad concilium, vel ad alium conſecrandum XIX. di. ſi epiſcopus LXV. di. non debet; vel cum capitulum vocat canonicum ad electionem de elect. cum inter univerſas, & quandoque creditur, licet non expectet ad officium ſuum, ut literæ teſtimoniales de ordinibus & moribus: ſed idem Inno. in dicto cap. II. de fid. inſtrum. dicit quod ſinguli inferiorum ab epiſcopis non faciunt fidem, nec creditur eis, niſi hoc habeat conſuetudo, vel niſi habeant juriſdictionem, quia in his quæ ſunt ſuæ juriſdictionis inſtrumenta cujuſlibet ordinarii vel delegati ſunt authentica, allegat c. cum a nobis de teſtibus. Per hoc dicit Hoſtienſis Innocentium ſibi ipſi contrarium. & verum dicit Hoſtienſis, niſi intelligatur ſecundum de-





terminationem præcedentium, ſcilicet niſi habeant teſtium ſubſcriptionem.

Archidiaconus VII. q. II. placuit, & in c. ut circa de elect. li. VI. tenet, quod literæ epiſcoporum non faciunt fidem, niſi habeant teſtium ſubſcriptionem, vel niſi habeat conſuetudo. Idem tenet Joannes Andreas, qui dicit per hoc non plene proviſum, quia poſſet apponi ſigillum furtivum, inſcribere teſtes nunc mortuos, nunc viventes, niſi intelligentes ſubſcriptionem teſtium ſe ſubſcribentium.

XV. Alii dicunt quod literis epiſcoporum & aliorum, quantumcumque ſigillatis non credatur, niſi habeant teſtium ſubſcriptionem: ſed ſi habent auctoritatem, & teſtium ſubſcriptionem, tunc creditur, & hoc per jura et rationes ſupra inductas contra opinionem Hoſtienſis, et c. II. de fide inſtrum. Fallit tamen in quibuſdam caſibus, ut in caſibus non præjudicialibus, et teſtimonialibus de ordinibus, et moribus clericorum, et ſimilibus, ut juribus ſupra allegatis. In iis tamen diſcernat diſcretus judex, an ſint præjudicialia vel non, et an is, cujus eſſent literæ, ſit ſuſpenſus vel non, de teſti. præterea. et c. in noſtra. Item fallit in excommunicatione. ut c. poſt ceſſionem de proba. & cap. curæ XI. q. III. Fallit tertio, quia eis ſtatur contra producentem ff. de procur. l. ſi procur. ff. depoſiti. l. publica ff. de pigno. l. penult. & q. VII. quoties. Fallit quarto ubi hoc habet conſuetudo. de fide inſtru. cum dilect. alias nunquam literæ ordinariorum faciunt fidem ſine teſtium ſubſcriptione: probat aperte text. in dicto cap. II. de fide inſtrum. qui duas tradit diſpoſitiones, unam quod in locis, in quibus eſt uſus tabellionum, conficiantur inſtrumenta per manus eorum cum teſtium ſubſcriptione: aliam quod ubi non eſt uſus tabellionum, tunc ſigillum authenticum apponatur literis cum teſtium inſcriptione, quia alia proviſio prima non eſt poſſibilis; ſicut etiam provideri debet, quoniam contra de proba. quod ubi non poteſt haberi tabellio, ſumantur duo viri honeſti, & ſtabitur ſcriptis eorum etiam ſine teſtium ſubſcriptione, ſi redigantur in actis publicis. Et hæc opinio de juris rigore procedit.

Volui hæc omnia ſic extenſe examinare, ut radicitus quilibet concipiat an literis dominorum Cardinalium ſit credendum. Ubi attendendum quod duplices literæ publicæ emanarunt a dominis Cardinalibus; aliæ confectæ per tabellionem de eorum mandato ſuper aſſertis et narratis per eos contigiſſe circa electionem domini Urbani; ſed omnes ſunt narratoriæ, et recitatoriæ præteritorum, et in nullo diſpoſitoriæ, quoad illa præterita narrata, nec poſſent ſuper præteritis, diſpoſitive procedere, ut præterita ſunt dumtaxat. Et ſecundum hanc ultimam opinionem, quæ fuit Bernardi Hiſpani, Vincentii, Jo. licet diſtinguat Goffr. Inno. licet aliquantulum variaverit, Specul. Archidiaconus. Joan. Andreas, iſtis literis dominorum Cardinalium, ut ſic non ſtabitur, nec fidem faciunt.

In hoc tamen eſt diligenter attendendum quod in his, quæ aſſeruntur & narrantur per dominos Cardinales, & ſcribuntur in literis eorum, quædam ſunt, quæ concernunt proprium eorum factum: narrant enim domini Cardinales, &c. quædam ſunt, quæ concernunt factum alienum, narrant enim domini Cardinales mortem domini Gregorii, conventiones varias factas in populo & inter cives Romanos circa Romanum vel Italicum eligendum, & tumultus multiformes, & multa alia, quæ factum concernunt vel continent alienum. Narrant ſecundo principaliter quædam concernentia factum proprium; nimirum quod eligendo dominum Urbanum non conſenſerunt in eum animo & intentione, quod ipſum haberent in Romanum Pontificem; ſed ſic fecerunt ducti periculo mortis imminentis actualiter, & omnia quæ poſt fecerunt ipſum approbando fecerunt ducti eodem metu continuato. De primis, quæ concernunt factum alienum, licet ad eos relatum, nolo contra aliquem ſuper hoc articulo ſcribentem de viribus literarum, quoad effectum probationis diſputare ultra opiniones doctorum ſuper hoc articulo variantium, ut quilibet concipere poſſit quæ opinio prædictarum ſit magis juridica, quoniam de rigore juris non probatur: ſed volo confiteri de plano dominis meis Cardinalibus ſine præjudicio omnia per eos in literis eorum narrata factum alienum concernentia, quia omnia ſuppono pro veris in facto in tractatu, quem ante compoſui, ſuper electione præfata; et ſic circa fidem eorum ſic aſſertorum & narratorum in literis redactorum non inſiſto ulterius diſputando; ſed circa narrata, & aſſerta factum proprium eorum concernentia.

XVI.

Præcipuum conflati ſchiſmatis fundamentum.

Ubi attendendum, quod in tractatu præcedenti examinavi ſingulos actus, qui intervenerunt ante electionem, & tempore electionis, & poſt, ſuper quibus fundant impreſſionem, & mortis periculum, ſive alias metum juſtum & cadentem in conſtantem, & monſtrando quod nullus illorum actuum diviſim, nec omnes conjunctim inducere potuerunt impreſſionem ſive metum vitiantem electionem domini Urbani. Quod ſi verum eſt, quemadmodum verum eſt, & ſupra monſtratum eſt, aſſertio ſua, quod metu juſto cadente in conſtantem elegerunt, non relevat eos; nam ſi ex facto per eos narrato, non ſurgit metus cadens in conſtantem, ſtatim infertur quod aſſerentes ſe metu elegiſſe, ſolum vanum metum aſſerere poſſunt, qui non relevat ff. quod metus cauſa l. metum. quod metus cauſa cap. abbas, &c. ad audientiam. ſed iſte articulus, an ſci-

Singuli actus nec ſeorſim nec conjunctim impreſſionem potuerunt inducere.

Aſſerendo metum vanum metum aſſeruerunt.

licet factum aſſertum per eos inferat metum cadere in conſtantem in fine iterato examinabitur, quia per plures dominos ſuper hoc ad deſtructionem inductorum per me in primo tractatu eſt multum ex corde ſubtiliter, & extenſe examinando diſcuſſum, & maxime per dominum meum Eduenſem cum tractatu per eum ſolemniter & ſubtiliſſime editum contra dominum Urbanum de novo vidi.

XVII. Tempore electionis aſſeruerunt ſe eligere pure & libere; ergo de contrario iis credendum non eſt.

Secundo principaliter domini Cardinales tempore electionis, diſpoſitive aſſeruerunt, ſe eligere libere & pure & ſpontanea voluntate. Ergo poſt non ſtabitur eis contrarium aſſerentibus; & hoc quia aſſeruerunt in caſu, in quo metus non concernat, nec concernere poterat aſſertionem, ſive diſpoſitionem propriam per l. generaliter C. de non num. pec. & auth. qui propriam ibi ſignatam; & c. per tuas de proba. Sed probo antecedens tripliciter, & demonſtrative judiciario modo. Primo ex verbis prolatis in liminibus electionis. Secundo ex actu iteratæ electionis. Tertio ex actibus probatoriis poſt electionem ſecutis de neceſſario declarative inferentibus retro ſpontaneitatem liberæ electionis. Primo dixi ex verbis prolatis in liminibus electionis; domini Cardinales protulerunt ſinguli: *Eligo animo & intentione, quod ſit verus Papa*. Hoc apparet ex ſerie facti per dominos Cardinales narrati; pro cujus declaratione & evidentia præmitto, quod metus illatus ad aliquid exequendum, aliquando infertur ad exequendum actum nudi facti; qui nullam juris ſolemnitatem requirit, & tunc metus concernit ſolum factum, & actum facti; exemplum ff. quod me. cauſa l. nec timorem §. proinde, & l. iſti. quidem in principio & l. metum. §. idem ait. & l. Julianus §. ex hoc edicto. Metu enim compulſi, ut aliquid tradant, vel de loco excant vel ſimilia, nudi facti agant, ad nudum factum compelluntur, & metus nudum factum complectitur. Aliquando metus infertur ad executionem actus, qui requirit ſolemnitates juris, & tunc metus concernit actum & omnia jura ſolemnia, metu ſimpliciter illato ad actus expeditionem exemplum. ff. quod me. cauſa l. illud verum §. ſi metu a te. ſi metu creditor per acceptilationem abſolvat debitorem ſuum, quia acceptilatio eſt actus, qui requirit juris ſolemnia, concernit omnia juris ſolemnia, ut dicantur omnes ſolemnitates metu intervenisse, ſimile in l. ſed & portus. §. queri poterit verſ. quare ſi metu, ſic in metu compulſivo ad eligendum compellere ad executionem actus, qui requirit ſolemnia jur. de elec. noſti XXIII. di. in nomine Domini LXXIX. pi. cap. ſi quis pecunia. Si ergo aliqui compelluntur ad eligendum, metus ſimpliciter ad hoc illatus concernit actum, & omnia ſolemnia de neceſſario ad actum requiſita, ut omnia dicantur metu facta; metus autem non concernit ea, quæ ad actus executionis non requiruntur de neceſſario, niſi ſpecialiter metus ſuper illis inferatur.

XVIII. Non fuere adacti ut eligerent animo & intentione ut eſſet verus Papa.

Hæc applicando propoſito, ſuppoſito pro conſtanti, quod domini Cardinales compulſi fuerint ad eligendum ſimpliciter, metus non concernit prolationem illorum verborum: *Animo & intentione quod ſit verus Papa*; probatio illorum verborum non requiritur ad ſolemnizandum actum electionis, nullibi reperitur hoc jure cautum. de elec. quia propter. & c. licet, & c. ubi periculum, & in nomine Domini. Ideo hæc verborum prolatio in electione canonica & concordi eſſet ſuperflua, quia per prolationem verbi: *Eligimus te in prælatum*; declaratur animus & intentio, quod velint ipſum in verum prælatum; hoc enim venit ex ſignificato verborum, cui ſtandum, ut l. non aliter ff. de leg. III. & l. I. §. is qui navem ff. de exercitoria & l. proſpexit ff. qui & a quibus & c. ſi Papa de privile. li. VI. Iſta igitur verborum prolatio non effluit ex metu illato, metum inferentis, ut eligant: aliud non quærunt niſi ut fiat electio, alias cum ſolemnitatibus requiſitis. Ut ergo aliquid operentur hæc verba (quæ debent ſemper aliquid operari, ut l. ſi quando ff. de legat. I. & cap. ſi Papa de privi. l. VI. & c. inter dilectos de fide inſtrum.) operabuntur, quod non attento metu illato, ut eligant ſpontanea voluntate, non ducti metu, ſed ex meræ voluntatis propriæ arbitrio eligant, & hoc quilibet concipere poteſt apparenter ex aſſertis, quod metus inferatur alicui ad actum exequendum, & quod ille, cui metus infertur, non attenta inductione meticuloſa illud mera voluntate exequi poteſt: poſſum ex mera voluntate deliberare nunc ire ad eccleſiam, & tu mihi potes inferre metum, niſi vadam: & ire poſſum ex viribus primæ deliberationis, non metus illationis.

Sponte ad electionem proceſſere.

Audio tamen cauſam prolationis verborum, quæ mentem horum declarat; fuit enim per aliquos dominos Cardinales in conclavi tempore electionis dictum: *Bonum eſt quod eligamus unum Romanum, vel Italicum ſimultate, ut applaudamus voluntati populi, & poſtea cum receſſerimus ad locum liberum, tunc eligemus alium*. Et per alios fuit dictum: *Non utamur hic aliqua ſimulatione, ſed realiter eligamus*; & propterea domini Cardinales poſt eligendo protulerunt illa verba: *Animo & intentione, quod ſit verus Papa*; quæ verborum prolatio declarat, quod licet antea fuerint intentionis & voluntatis eligendi ultramontanum; quod nunc recedunt ab illa intentione, & aliter nunc deliberant & declarant, quod licet fieret impreſſio violenta, ut talem eligerent, non attenta illa violenta, ſive meticuloſa inductione, ſed mera & libera voluntate eligunt. Loquor materialiter ex prolatione verborum relata, & ibi aſſerta.

Addita ea verba quia aliqui dixerant Romanum vel Italum fictione deligendum.

Sed



Sed nunc reſtat videndum an iſta verborum prolatio: *Eligo animo & propoſito, quod ſit verus Papa*, ex ſuo ſignificato hoc ſignificet, ſcilicet libertatem ſpontaneam, & receſſum a deliberatione præcedenti contraria, et receſſum ab inductione meticuloſa; et hic expedit quod aliquid tractetur de natura et actibus deliberationis humanæ.

XIX. Expenditur in quo conſiſtat libertas actus voluntatis.

Ubi eſt attendendum quod actus voluntatis ſunt multiplices; ſunt enim quidam actus voluntatis nullam habentes libertatem, immo neceſſitatur voluntas in ipſis, ſicut quælibet agentia et poſſibilia naturalia neceſſitantur in operationibus ſuis: ſicut enim activa gravium et levium primo generant in ſuis paſſivis caliditatem aut frigiditatem, mediantibus quibus poſſunt tranſire in gravitatem et levitatem, quæ gravitas et levitas ſunt inclinationes actuales ad motum, ad quas inclinationes grave non impeditum tendit deorſum, et leve non impeditum tendit ſurſum, et neceſſario ſic moventur, et cum ſunt in locis propriis ibi quieſcunt, ut ſcribitur phyſicorum lib. ſecundo c. ſecundo; ita judicum, vel omnia informata judicio de bonitate vel malitia objecti, primo generat in ipſa voluntate quandam complacentiam vel diſplicentiam, quibus mediantibus ipſa voluntas poteſt acceptare vel confutare objectum eidem præſentatum; quæ acceptatio vel refutatio ſunt actuales inclinationes, ad quas ſequitur motus, ſi non fuerit impedimentum. Poſt quem motum voluntas figitur et quieſcit in bono adepto, quæ quies et fixio dicitur delectatio, vel ſi non fuerit impedita a proſecutione boni vel fuga mali fiet in ipſa voluntate triſtitia. Dicitur ergo quod, ſi objectum fuerit præſentatum voluntati ſub ratione boni, tunc neceſſario cauſabitur in ipſa voluntate actu complacentiæ, & ſi ſub ratione mali, cauſabitur actus diſplicentiæ; & ſi præſentetur ſimul ſub ratione boni & mali, cauſabuntur ſimul actus complacentiæ & actus diſplicentiæ. Exemplum: præſentatur voluntati adulterium, voluntas judicat in adulterio magnam delectationem, judicat in eo magnam turpitudinem; Ratione delectationis ſurgit complacentia; ratione turpitudinis ſurgit diſplicentia. Nec iſta repugnant, ſicut dicimus de illo, qui tempore tempeſtatis proiicit merces in mari propter ſalutem perſonæ: nam habet diſplicentiam in projectione mercium; habet complacentiam in ſalvatione perſonæ. Sed quia accepatio & refutatio ſunt impetus ad actum proſequendum & fugiendum olim præſentatum, & iſti motus, ſcilicet proſecutio & fuga, propter eorum contrarietatem ſunt incompoſſibiles in eodem, ideo non poſſunt eſſe in voluntate acceptatio & refutatio: ſed voluntas libere poteſt acceptare opus ſine refutatione, & refutare ſine acceptatione; alias etiam nec acceptare, nec refutare, ſed utrumque actum ſuſpendere, & differre.

Voluntas poteſt admittere vel reſpuere, vel utrumque ſuſpendere.

Ex iis ergo apparet qualiter actus complacentiæ neceſſario cauſatur in voluntate, ſi præſentetur aliquod objectum ſub ratione boni et delectabilis, nec poteſt voluntas facere quo minus id placeat; ſic neceſſario cauſatur diſplicentia ſi aliquid præſentetur voluntati ſub ratione mali & triſtabilis, nec poteſt facere voluntas, quo minus diſpliceat. In iis ergo actibus voluntas non eſt libera. Hæc colliguntur ex dictis Ariſtotelis 3. ethicorum facit quod habetur VI. diſ. teſtamentum, & palea, ſed penſandum XXVI. di. ſexta die de pe. diſ. III. In ſalicibus de conſec. di. V. quinque modis nos gulæ.

XX.

Applicando hæc propoſito attentis iſtis actibus voluntatis, præſentato voluntati eorum objecto electionis fiendæ de Romano Pontifice, ſi metus & periculum imminebat, ut aſſerunt, in voluntate eorum ſaltem fuit impreſſa complacentia & diſplicentia, quia volebant ultramontanum, & ſic, ut aſſerunt, deliberaverant, & complacentia, quia citramontanum eligendo mortis periculum, ut aſſerunt, evitabant. In actibus iſtis nulla voluntatis libertas, nec coactio. Iſti ſunt motus primi, qui non ſunt in poteſtate noſtra ut juribus ſupra allegatis. Facit c. non concupiſcentia, & quod ibi notatur de conſtit. In iſtis nulla poteſt allegari violentia, quia ſunt qualitates, quæ naturaliter inſurgunt.

Actus primi complacentiæ & diſplicentiæ non ſunt in noſtra poteſtate.

Sunt & alii actus voluntatis, in quibus verſatur libertas, & iſti ſunt duplices: quidam ſunt actus imperantes & interiores: quidam ſunt actus imperati & exteriores: & actus imperantes ſunt actus interiores voluntatis ſive acceptatio, ſive electio; refutatio ſive repudiatio; actus autem imperati ſunt actus exteriores executivi. Applicando propoſito præſentato objecto electionis fiendæ de Romano Pontifice dominis Cardinalibus, neceſſario introducta eſt ſimul complacentia & diſplicentia in voluntatibus eorum, ſuppoſitis metu & periculis per eos allatis, ut aſſerunt, in electione Pontificis Italici: diſplicentia, quia volebant ultramontanum; complacentia quia ſe ipſos ſalvabant a periculo mortis, ut aſſerebant. Non poterant ſimul eligere citramontanum & ultramontanum, in cujus electione diſplicentia, quia deliberaverant de ultramontano, & citramontanum refutare, quia iſti actus ſunt incompoſſibiles. In hoc ergo voluntas erat libera, quia potuerunt eligere citramontanum, ſicut elegerant, & evitare periculum. Potuit etiam voluntas refutare citramontanum, & eligere ultramontanum, & incidere periculum: potuit etiam eorum libertas nullum eligere & differre: & in iis actibus eſt libertas voluntatis. Hæc ſumuntur ex dictis philoſophi III. ethicor. probantur XXIII. qu. IV. vaſis iræ & c. Nabucodono-

Diſtinctio actuum imperantium & imperatorum.

Contrarii voluntatum motus fuere initio in Cardd.

Poterant eligere tranſalpinum vel ſuſpendere electionem.





no-

noſor. de pen. di. II. ſic enim XV. q. I. in principio.

XXI. Sed hic eſt ponderandum in quo conſiſtat hæc libertas arbitrii voluntatis humanæ. Ubi attendendum quod circa hunc articulum variarunt doctores in moralibus & divinis ſcribentes. Sunt enim qui dicunt voluntati ineſſe libertatem non reſpectu objecti præſentati, quoniam ſi præſentetur aliquid ſub ratione boni, neceſſario illud vult; ſed dicunt eam liberam, quia poteſt movere alias potentias ad præſentandum ſibi hoc objectum, aut illud. In hoc ergo conſiſtit ejus libertas, ſcilicet in movendo alias potentias ad præſentandum hoc vel illud: ſed præſentato objecto ſub ratione boni, neceſſario illud acceptat. Iſta opinio non eſt vera: ſed ſi voluntas non eſſet libera in actibus interioribus acceptationis et refutationis, tunc nullum meritum, vel demeritum conſequeretur, ut c. ſi enim de pœn. diſt. II. et c. Nabucodonoſor XXIII. q. IV.

Alii dicunt libertatem ineſſe voluntati circa ſuſpenſionem actus volitionis, ut ſi præſentetur voluntati aliquid ſub ratione boni, ſi id eſt bonum, ſub quo nihil latere poteſt mali, neceſſario illud acceptat voluntas, nec ibi eſt libertas, ut circa volitionem eſſentiæ divinæ, in qua nihil mali poteſt latere. Si autem aliquid præſentetur voluntati ſub ratione boni, in quo poteſt latere malum, neceſſario feretur voluntas in illud ut acceptet, ſed propter dubium latentis malitiæ poteſt voluntas non acceptare nec refutare, ſed ſuſpendere actum voluntatis, ut dicat nec volo acceptare, nec volo repudiare, ſed volo ſuſpendere donec intellectus diſcuſſerit malitiam, ſi qua latet. Et hoc diſcuſſo, ſi nullam malitiam reperit, neceſſario illud acceptabit. Sed hæc opinio non conſonat veritati, dicendo quod libertas arbitrii non inſit voluntati circa actus ipſius intrinſecos.

Alia opinio quod voluntas ſit mere libera circa actum volitionis, & nolitionis, ut a nullo neceſſitetur objecto ut acceptet vel refutet. Et hæc opinio eſt catholica magis, & juri conſona, ut c. vaſis iræ XXIII. q. IV. & c. ſic enim de pe. di. II. & XV. q. I. in prin. Iſti tamen actus poſſunt occaſionaliter cogi et violentari; directe et principaliter nunquam.

Definitio coactæ voluntatis.

Dici occaſionaliter, ut ſi metus vel imminens periculum immineat circa illud, ad cujus oppoſitum voluntas ſe determinaret, tunc propter periculum evitandum voluntas acceptabit quod alias refutaſſet, et refutabit quod alias acceptaſſet, et iſta vocatur coacta voluntas, quæ tamen eſt voluntas, XV. q. I. merito quæritur et l. ſi mulier ff. quod me. cauſa. Abſolute autem cogi non poteſt quoad actus interiores, ſed quoad actus exteriores, qui dicuntur actus imperati, poteſt abſolute cogi, de iis, quæ vi met. cauſa c. ſacris & c. penult. de conſecrat. diſt. IV. eos. Quo autem ad actus interiores voluntatis, nulla poteſt violentia inferri, quoniam voluntas eſt quædam forma abſtracta, ſicut intelligentia humana.

Actui interiori voluntatis, vis inferri non poteſt.

XXII. Actus autem exteriores & imperati poſſunt violentiam pati; ubi attendendum quod operatio contraria dicitur violenta paſſio, ut ſi grave moveatur ſurſum: & dicitur violenta agenti, ſcilicet quando operatio eſt contraria ei ad quam inclinat agens paſſum, ut ſi ego nitor trahere navem ad unam partem, & tu fortior trahis ad aliam, tu me violentas. Sic ergo cum voluntas imperat alii potentiæ, quod trahat ad unam partem, & alter fortior trahat ad partem oppoſitam, iſte actus imperatus tractus violentatur; actus autem interior non violentatur, niſi per accidens, videlicet cum voluntas ex ſuo libertatis imperio inclinatur ad aliquid conſequendum, & tu incutis metum, ſive periculum, per quod voluntas inclinatur in oppoſitum, ſicut de mercibus projectis mari tempore tempeſtatis, ubi ex imperio voluntatis libere merces retinentur in navi, ſed propter periculum ſubmerſionis navis & perſonarum voluntas inclinatur in projectionem. Sic voluntas dominorum Cardinalium ex imperio ſuæ libertatis inclinabatur ad electionem ultramontani, ſed propter periculum illatum a populo voluntas inclinatur ad electionem Italici, ut aſſerunt: ſed pendente metu illato voluntas poteſt inclinari in electionem Italici, ad quod etiam impellunt inferentes, & inclinare poterant libere non ducti metu, quia ut ſupra monſtratum eſt, actus interiores voluntatis ſunt liberi, nec in eiſdem per ſe cadere poteſt aliqua violentia, ſed hic voluntas eorum in liminibus electionis inclinavit libere, non metus inductione, ad electionem Italici electi.

Inſtar nautæ projicientis merces pontificatum Italo detuliſſe ajebant.

Probatur, nam actus, qui effluunt a voluntate, diſtinguuntur ex propoſito & intentione operantis, ff. de furtis l. qui injur. in princ. XV. q. VI. c. I. XIV. q. III. ſi quod de ſent. excom. cum voluntate. Sed iſti eligunt animo & intentione quod ſit verus Papa, ſed electus electione impreſſiva & violenta non eſt verus Papa, immo eſt apoſtaticus ut c. in nomine Domini XXII. di. & c. ſi qua pecunia LXXIX. di. Ergo illorum verborum prolatio excludit in liminibus electionis inductionem coactivam, & infert electionem liberam, cum iſta verba ſint prolata ex imperio liberæ voluntatis eorum, non neceſſitate electionis, quia illa verba non ſunt formalia electionis, ut ſupra monſtratum eſt; ſunt ergo prolata ad declarationem mentis & voluntatis eorum, qui eligebant, non inducti ullo metu, & potuit voluntas prius velle ultramontanum, & tempore electionis Italicum, quolibet metu circumſcripto, cum voluntas ſit mere libera & habeat libertatem innatam ad utrumlibet XXIII. q. IV. Nabuchodonoſor de pe. di. II. ſic enim ver. liberi arbitrii XV. I. in prin.

Verba addita ut ſit verus Papa pronuntiata libere demonſtrantur.



XXIII. Et quod hanc intentionem habuerint demonſtratur, nam inter Italicos noluerunt Romanum, de quo inſtabant Romani clamantes, ut aſſerunt, licet alternative Romanum, vel ad minus Italicum, præmittentes tamen Romanum, ut ſic eſſet alternativa ut l. cum pater §. a te ff. de leg. II. quia Romanum prætuliſſent & prævolebant, & ſic in hoc non fuerunt aſſecuti affectionem, & imprimentium intentionem, & clamantium, quod veriſimile feciſſent, ſi non intendiſſent electum habere Romanum Pontificem, quia ex quo non erat impreſſio de certa perſona, ſed alternativa inter genera, ſi ſecuti fuiſſent impreſſionem, elegiſſent juxta affectionem & intentionem imprimentium, & ſic Romanum.

Non facta eſt impreſſio ſi Romanum excluſere.

Romanum magis expetebat populus.

Ergo vis impreſſionis eluſa eſt.

Item pendente illa impreſſione, quam aſſerunt, deliberarunt de non eligendo Romanum, & ſic non aſſecuti in hoc extremo alternativi clamoris mentem imprimentium, ſed de alio Italico tamen eligendo, nec paſſim Italicum aſſumpſerunt, ſed mature, & cum diſcurſu grandi rationis inveſtigarunt inter eos de meliori eis noto pro utilitate eccleſiæ Romanæ, & dominum tunc Barenſem, ut aſſerunt, notum & in negotiis curiæ expertum, utpote vicecancellarium elegerunt.

Deliberatio de non eligendo Romano fuit maxime libera.

Ex his aperte demonſtratur, quod intendebant eligere verum Papam; nam ſi voluiſſent tantum eligere ad nutum imprimentium ad mortis periculum evitandum, nec intendiſſent electum habere pro vero Papa, non erat opus his diſcuſſionibus, ſed ſtatim Romanum, vel indifferenter Italicum ſine alia diſtinctione aſſumpſiſſent. Per prædicta patet ſolutio ad inducta ſuper hoc articulo.

Si voluiſſent eligere ad nutum imprimentium non deliberaſſent.

XXIV. In contrarium dicunt adverſantes, quod ſtatur teſtimonio plurium omni exceptione majorum. Hic vellem edoceri, ex quo locuntur de teſtimonio, quis iſtos dominos induxit in teſtes, & in quo judicio, & coram quo judice, ipſi enim ſe ipſos induxerunt in teſtes contra ff. de teſti. l. nullus & l. omnibus C. e. tit. & ponuntur IV. q. III. Ipſi ſe ipſos fecerunt, partem, teſtes, & judices, ut in eodem negotio aſſumerent vices actorum, Romanum Pontificem impetendo, teſtium teſtimonium contra eum perhibendo, judicum ipſum intruſum declarando, & advocatorum contra eum juris allegationes deducendo. Facit c. forus de verb. ſign. l. ult. ff. de teſti. c. Romani e. tit. li. IV. & c. indicantem XXX. q. V. l. judices C. de judiciis, novum juris ordinem inducendo, hic contra non requiſitum nec contumacem teſtimonium producendo, in auth. de teſti. §. & hic vero de teſti. in nomine Domini.

Diſcutitur an Cardd. ſint teſtes omni exceptione majores. Queritur in quo judicio & coram quo judice ſint teſtes inducti. Ipſi actoris, teſtium, judicis, Advocati partes egere. Omnem judiciorum ordinem pervertere.

XXV. Subdunt adverſantes quod notoria erat impreſſio, & non opus accuſatore. Negavi impreſſionem vitiantem actum electionis, & ſic infertur negatio notorietatis, quia ubi deſiſtentia ſubjecti, per conſequens qualitatis ff. ſi certum petatur l. ejus quæ in provincia. Sed ſuppoſito pro vero quod ſubfuerit impreſſio & notoria, licet ſubſit notoria, niſi ſit notorium judici, neceſſaria eſt probatio, cui non eſt notorium II. q. I. §. quando vera & §. quem autem, & notatur in c. veſtra de cohabit. cleri. & muli. Et tunc probari debet factum & qualitas facti. Item notatur in c. ſi. eod. tit. vel ad minus qualitas, ut in c. manifeſta II. q. I. & ſufficiunt duo teſtes ad qualitatem probandam, ſed debent teſtes deponere ſecundum formam juris, quæ hic nulla, cum hic ipſi teſtes, actores, ipſi judices, ipſi advocati.

Notoria impreſſio aſtruitur a ſchiſmaticis, negatur a Catholicis.

Subdunt adverſantes quod teſtificantur ad utilitatem publicam, quod habeant verum caput & unum. Ego non poſſum concipere quo jure hoc ſit conceſſum, de quacumque utilitate etiam publiciſſima agatur, quod idem ſit teſtis, pars, judex, & advocatus, ex quo tranſeunt adverſantes ad actum denunciationis, aſſerentes quod fuerint denunciatores: volentes dicere quod in denunciatione perſonæ, quis actor, teſtis, et judex XI. q. III. præcipue de teſti. in omni.

Falſum aliud Gallorum fundamentum quod teſtentur ad utilitatem publicam.

Hic attendendum quod loqui contingit de multiplici denunciatione; loquimur enim aliquando de denunciatione evangelica, quæ tendit ad correctionem meram de judic. novit. II. q. I. ſi peccaverit c. multi, ad quam tenetur quilibet, ſicut ad alia opera charitatis XXIII. q. IV. duo iſta. Si adverſantes locuntur de iſta, videant ſi formam ſervarunt; hanc enim præcedere debet duplex monitio, prima probatur per monentem, ſecunda per monentem & alium de teſti. in omni, & iſta tendit ad pœnitentiam, non ad infamiam, nec ad dimiſſionem officii vel beneficii, niſi in vim conſequentiæ, ſcilicet cum aliter pœnitere non poſſent de renun. niſi, de accuſa. inquiſitionis in prin. Hic autem non eſt ſervata hæc forma, ut notorie patet ex geſtis, nec ad finem hunc proceſſum eſt.

Debuit præire juridica monitio.

Loquimur aliquando de judiciali publica, quæ fit per teſtes ſynodales XXXV. q. VI. epiſcopus in ſynodo de teſti. cogen. c. præterea de accuſat. ſicut olim. Sic non fuit in propoſito, tunc enim judex ex mero officio procedit: hic nulli tales deputati, qui judicibus denunciaverint. De hac etiam loquitur l. ea quidem C. de accu.

Non fuere judices deputati.

Loquimur aliter de judiciali privata, quæ competit ad privatum intereſſe læſo etiam in foro civili ff. de offi. proconſu. & lega. l. nec quicquam §. de plano ff. de. offi. præfec. urb. l. I. §. quod autem inſti. de iis, qui ſunt ſui vel alieni juris §. penul. ſic etiam in foro canonico iſta fit judici ad conſecutionem intereſſe proprii, & requiritur trina monitio, & plena probatio, quorum nihil intervenit in propoſito. Loquimur aliquando de canonica, & hæc fit

fit aliquando propter privatum intereſſe, ut cum petit canonicus amoveri prælatum, quia intereſt ſua habere bonum prælatum, et hoc requirit ternam monitionem, ſicut judicialis : aliquando publica ut circa matrimonia diſiungenda, vel eorum impedimenta de clandeſ. deſpon. cum inhibitio : aliquando regulari: quæ variatur ſecundum conſuetudines regularium : nullam harum ſervatis formis debitis fuerint ingreſſi et c. in omni de teſti. loquitur de probatione monitionis primæ, quam probat ſolus monens, quia fit per ipſum ſolum ſecreto juxta regulam evangelicam, non autem loquitur de probatione criminis, quæ denunciat ſecundum vim.

XXVI. Quod nullo jure licere poteſt, ſibi arrogarunt Cardd.

Hic autem finis hujus teſtimonii ſive denunciationis, fuit declaratio nullitatis tituli, quam aſſerunt domini Cardinales, & proceſſus ad electionem ſecundi, quod qualiter de jure fieri poteſt, quod ipſi, ut pars ipſum impetunt, contra eum ut teſtes teſtimonium perhibuerunt, vel advocati juris allegationes induxerunt, ipſum ut judicis titulo carere declaraverunt, nulli videri poteſt. Subjungunt adverſantes, quod credere aſſertioni unius Cardinalis de ſtricto rigore non creditur, niſi forte in levibus, non multum præjudicialibus, ut juribus ſupra alleg. ſicut dictum fuit de literis epiſcoporum, ut ſupra deductum eſt : et hoc ſalvo ſtylo curiæ, quo creditur Cardinalibus in iis, quæ agitant ratione officii, ut cancellario in ſpectantibus ad officium cancellariæ, pœnitentiario, et ſimilibus officiis. Subjungunt de ſigillis mortuis : ſolutum eſt ſupra. Subjungunt de literis epiſcoporum ; ſupra ſolutum eſt. Patet ſolutio omnium ſimilium inductionum per ſupra oſtenſa. Subjungunt adverſarii quod Cardinales hoc caſu ſunt judices XXIII. di. in nomine Domini ibi : *Cardinales Metropolitani ;* ubi non dicit quod Cardinales ſunt judices, ſed dicit textus : *Quia ſedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur eccleſiis, atque ideo non poteſt habere metropolitanum ſuper ſe, Cardinales epiſcopi vice metropolitani funguntur, qui electum antiſtitem ad apoſtolici culminis apicem provebant.* Vult textus quod Cardinales vice metropolitani conſecrare debeant Papam, quia non habent ſuperiores. Illo igitur caſu gerit vicem. Inducunt c. ſi quis pecunia LXXIX. di. ubi & clerici anathematizant intruſum. Ille textus cui, ſi daret poteſtatem judiciariam Cardinalibus & aliis clericis, ſimiliter daret et laicis; nam dicit textus: *Liceatque Cardinalibus, & aliis clericis & laicis invaſorem illum anathematizare ;* ſic alii clerici et laici forent judices hujus negotii, quod eſt abſonum. & clementina ne Romani de elect tempore vacationis ſedis nullam juriſdictionem dat Cardinalibus. Et ſi Cardinales forent judices, ad quid opus concilio ? contra primum XVII. di. §. hinc etiam. Et ipſimet concilium non requirunt, & adverſantes ponentes ſe ipſos judices, ponunt eoſdem teſtes ſive partem impetentem dominum Urbanum, & ſic in eodem præſuppoſito, eodem reſpectu concurrit officium judicandi, & teſtificandi, & ut pars impetendi, quod nunquam auditum.

Falſum fundamentum Gallorum quod Cardd. ſint judices Pontificis.

Si vacat ſedes ergo nullam habent juriſdictionem.

XXVII. Argutiola fallax quod hæc cauſa non ſit cauſa Cardd. ſed Eccleſiæ.

Subjungunt adverſantes, quod iſta non eſt cauſa ſua, ſed cauſa eccleſiæ Romanæ, vel univerſalis Eccleſiæ, in qua admittuntur clerici ejuſdem Eccleſiæ cap inſuper & cap. cum nuncius de teſti. Illud procederet ubi per alios cauſa ageretur & coram aliis, ſed ipſi faciunt hos judices partem impetentes, & teſtes, quod nulli de jure uſquam viſum eſt, ut ſupra monſtratum. Subdunt adverſantes, quod non erat opus citatione in hoc facto notorio. Communis opinio quod in notorio requiritur citatio, ne denegetur defenſa, quam natura non negat, ut in clem. paſtoralis de re jud. notatur in c. veſtra de cohabitat. cler. & mul. nec probari poteſt quin fiat in probando notorio non notorio judici. II. q. I. §. quod autem, quod vere debeat fieri citatio de teſti. in nomine Domini. Et licet ſuper hoc fuerint opiniones, nam aliqui dixerunt citationem non requiri, ſed monitorium quod nihil eſt dicere, quia monitio vim habet citationis XII. q. II. indigne XXIV. q. III. de illicita. Alii quod ſi procedat delegatus, tunc requiritur citatio ad perpetuandam juriſdictionem de offi. deleg. gratum, & c. licet, quod nihil eſt, quia non ponderamus hic juriſdictionem perpetuam, ſed naturam notorii de quo agitur, an ex natura requirat, vel renuat juris ordinem. Nec eſt verum quod citatio præciſe requiratur ad juriſdictionem perpetuandam, immo etiam per actum citeriorem ut etiam notatur in c. licet de offi. deleg. ut ibi per Hoſtie. Io. II. qu. I. de manifeſta, dixit, quod in notorio requiritur forte citatio, & dicit, *forte* pro quo forte facit quod notarunt Vincen. & Ber. de divor. porro ubi notat quod in notoriis non eſt opus niſi ſententia, quæ poteſt fieri in notoriis parre non citata de tranſla. epiſc. cap. quinto §. ne autem, & de re jud. cum olim, & utrobique notatur. notavit ipſe Jo. & Lau. II. q. §. fi. & ideo dixit Jo. *forte*. Contrarium notatur de jur. jur. ad noſtram III. ubi notatur, quod in omni notorio requiritur citatio.

Non citarunt Urbanum, utque ſe defenderet denegarunt.

Alii diſtinguunt an ſit tale factum, in quo certa perſona ſit condemnanda, & tunc citatio neceſſaria : an ſit tantum inhibitio, vel ordinatio fienda & non requiritur. Ratio primi, quia * condemnato non eſt neganda defenſio ; poſſet enim abſens multas habere defenſiones, propter quas abſolveretur, quibus omiſſis condemnabitur ; ſecundo caſu non eſt neceſſaria. Exempl. gra. in aliqua civitate eſt ſtatutum, quod ſi aliquid fiat contra libertatem Eccleſiæ, ſi id eſt notorium, judex illud tollere poteſt, & mandare non ſervari, ſi illud notorie fiat, judex nulla ci-



tatione præmiſſa tollere, & inhibere poterit, & decernere illud non tenere. Pro hoc facit ff. de ſervis fugi. l. divus & ff. de offi. procur. cæſar. l. fi. Ita not. Archidiac. II. q. I. de manifeſta. Et eſt opinio veriſſima ne denegetur defenſa jure naturali conceſſa, ut in clem. paſtoralis de re jud. Hic autem agebatur contra certam perſonam, immo & contra Romanum Pontificem per eoſmet electum & inthronizatum, & per actus infinitos ſpontaneos approbatum. Si ergo millies forent judices, & impreſſio interveniſſet, & notoria, in judicium tamen deducenda tempore probationis qualitatis ſive notorietatis, & tempore ſententiæ erat neceſſaria citatio & ſententia eſt neceſſaria ſuper notorio, ut notat Innoc. de verb. ſig. ex parte I. in glo. ſed dices in princ. non tamen requiritur ſententia in ſcriptis & ſolemniter proferenda : ſic notatur in aut. ut judices ſine quoque ſuffrag. §. neceſſitatem. Et ſic nimis prompte locutus eſt dominus loquens contra Urbanum aſſerens ſic ſimpliciter, quod in notorio non requiritur citatio, & procedunt quæ dixi.

Defenſio erat jure naturali debita Urbano.

XXVIII. Per tyrannidem omnia officia judicum, teſtium, partis, & advocatorum uſurparunt.

Et ſuppoſito quod domini Cardinales forent judices in hoc negotio, & interveniſſet impreſſio, & notoria in judicio coram eis deducenda, quæ omnia negantur, quia nec ipſi judices, hujus negotii, quod ipſi facere videntur, quia res iſta requirit concilium, quod ante electionem ſecundi requirere debuerunt; ſed ipſi non ex corde procedentes aſſumpſerunt officium judicum, & teſtium, & partis, & advocatorum ad inſtar Cæſaris, de quo ſcribit Lucanus, quod cum uſurpavit urbem, omnia officia aſſumpſit, dicens de eo : *Omnia Cæſar erat ipſe conſul, ipſe dictator, ipſe prætor, ipſe omnia.* Sic iſti domini omnia faciunt. Et quia domini ſcribentes contra dominum Urbanum ſe fundant ſuper notorietate impreſſa, & maxime unus ſcribentium, qui format duos articulos ſuper hoc notorio ; primus an notoria fuerit hæc impreſſio, & concludit quod ſic : ſecundus an Eccleſia, ideſt collectio catholicorum debeat iſtam impreſſionem habere notoriam in partibus remotis, ut Alamania, & Francia & ſimilibus ; & terminat quod ſic. Hic diligenter attendendum circa actus, qui intervenerunt domini Urbani, quos adverſarii dicunt impreſſivos, an illi actus fuerint notorii ; nam ſi actus non fuerint notorii, etiamſi fuiſſent impreſſivi, fruſtra laborant ſcribentes ſic aſſertive, primo enim ante electionem intervenit actus officialium populi ſupplicantis dominis Cardinalibus de Romano vel Italico eligendo cum comminatione dubietatis periculi ex parte populi.

Diſcutitur an fuerit notoria impreſſio.

XXIX. Videamus ſi actus fuit notorius : ubi advertendum quod hic non agitur de notorio juris inſurgente ex ſententia, confeſſione, vel neceſſaria probatione; nec agitur de notorio præſumpto, de quibus not. II. q. I. manifeſta c. de manifeſta. & c. ſcelus de coha. clericorum & mul. tua & c. veſtra, quia hic nec confeſſio, nec condemnatio, nec legitima probatio, nec juris ex facto publico orta præſumptio. Hic igitur de notorio facti, quod nulla poteſt tergiverſatione celari, ſive ſit factum continuum & immanens, ſive tranſiens : & notorietas talis facti habet ortum a tribus, ſcilicet loco, tempore & perſonarum multitudine : habet locum ex loco, ſcilicet quod fiat in loco publico ff. de pœnis, l. aut facta §. locus de homicidio ſicut inſti. de injur. § atrox. Habet locum ex tempore, ſcilicet quod fiat tempore diurno & aperto XVIII. di. §. II. c. quam pernicioſam de pe. di. II. conſideret. de offi. del. cap. conſuluit. Habet ortum ex multitudine perſonarum, ut quod fiat præſente toto populo illius loci, vel majori parte II. q. I. ſcelus de purg. can. conſtitutus. Ex his enim inſurgit notorium facti, ſic ſe exhibens in ejus commiſſione, quod nulla poteſt ibi tergiverſatione celari. Applicando hæc propoſito : iſte actus ſupplicationis propoſitæ per officiales populi dominis Cardinalibus, non fuit executus, vel commiſſus præſente populo, nec in loco tunc publico, immo ſolis Cardinalibus ſecrete & honeſte, & in loco ſecreto, in quo congregati ad deliberandum circa negotium ſic arduum. Secundus actus interveniens ante ingreſſum conclavis fuit conventio aliquorum popularium aſſerentium, & inter ſe tractantium ; quod expediebat eligi Romanum, vel Italicum, quæ conventio & tractatus fuerunt dominis Cardinalibus nunciati. Iſte actus non commiſſus præſente multitudine : immo fuerunt ſecretæ, & occultæ conventiones, & tractatus facti narratione. Tertius actus fuit, verborum prolatorum per aliquos officiales dominis Cardinalibus in conclavi ante electionem, quæ prolatio fuit facta in ſecreto loco, ſcilicet conclavi, ubi ſoli Cardinales, & non præſente multitudine, quia ibi ſoli Cardinales. Ego non poſſum concipere qualis notorietas fuerit in iſtis actibus. Dicere quod actus commiſſi in locis ſecretis excluſa multitudine, ſint actus notorii, eſt dicere occultum fore notorium. Fateor quod clamor populi in platea ſi interveniſſet, fuiſſet notorius, ingreſſus popularium in palatium S. Petri fuit notorius : ſed ille clamor in platea diſtanti a loco electionis non fuit impreſſivus, nec mora contracta per populares in palatio ſuppoſita cuſtodia conclavis juxta formam concilii, ubi periculum de elect li. VI. & ſupra monſtratum fuit in præcedenti tractatu, quod iſti actus ex ſui natura nullam impreſſionem inducere potuerunt in liminibus electi, nullus actus intervenit extrinſecus : poſt electionem intervenit ingreſſus in conclave, electione jam perfecta & conſummata : & ſic de illo actu, poſt

Notorietas facti a quibus pendeat.

Actus commiſſi in locis ſecretis excluſa multitudine ſunt occulti, non notorii.

Clamor in platea diſtanti non fuit impreſſivus.

Irruptio facta poſt electionem impreſſionem non fecit.

Ergo nullus actus impreſſionis fuit notorius.

Ergo fundamentum ſchiſmatis falſum.

Aliud fundamentum de fama publica etiam falſum.

poſt jus quæſitum, electio non eſt diſputanda. Curialiter ergo domini ſcribentes diſputare poſſunt de notorio, ex quo nullus actus intervenit notorius, qui impreſſionis potuerit eſſe inductivus pro clamore populi, & ingreſſu palatii. Videantur ſcripta in præcedenti tractatu. Per hoc quieſcunt illi duo articuli unius ſcribentis contra dictum Urbanum, qui fundantur ſuper notoria electione. Subjungit ille ſcribens, quod fama publica eſt per univerſum orbem, quod in electione illa fuerit notoria impreſſio. Ego credo quod fama publica habeat per totum orbem, & per omnes fideles populos, quod electio domini Urbani fuerit legitima & canonica, & quod Urbanus ſit verus & legitimus pontifex.

XXX. Diſcutitur an Cardinalibus Gallis ſit credendum.

Redeundo ad principale propoſitum, unde incidenter fui digreſſus, an Cardinalibus ſit credendum, inducebam quod angelicis revelationibus eſt credendum, prædictionibus propheticis, prædicationibus apoſtolicis, aſſertionibus evangelicis, ſanctorum doctorum doctrinis; ergo aſſertionibus dominorum Cardinalium, qui in eorum locum ſucceſſerunt, ad quod probandum interſerui collationem per me factam ad exaltationem Cardinalium; reſpondeo remittendo eorum conſcientiis ſi angelice vivunt, ſi prophetice degunt, ſi apoſtolice prædicant, ſi evangelice clamant, ſi doctrinis ſanctis realiter inſudant: dubito propterea, non omnibus credo, quia colloquia ſæpe ex mala fide procedunt ff. de cuſto. reorum l. divus, nolo prætermittere, quia dicit ille ſcribens, quod hoc caſu ſufficit ſola fama. Hic attendendum quod ſuper articulo, an ſcilicet operetur effectum probationis, variantur glo. juris civilis; nam alicubi dicunt quod fama plene probat: ita notatur in l. ac q. nam §. fi. ff. de nego. geſt. et l. IV. C. de probat. l. veri C. de jure do. Alibi tenent quod ſemiplene probat. ita notatur ff. de jur. jur. l. admonendi, et l. in bonæ fidei C. eod. tit. et in l. III. §. ejuſdem ff. de teſti. Dy. not. in l. II. ff. de excuſat. tut. et notatur de teſti. veniens. I. & de appe. c. I. & IV. q. III. cap. ſi teſtes. §. ſæpe ſine. Alii tenent quod fama per ſe non probat, ſed probatis alias coadiuvat; hæc tenent Jaco. de Are. & An. de Piſis, & Jaco. Vu. præterquam in cauſis levibus & brevibus, ut in authen. niſi breviores. C. de ſententiis ex periculo recitandi. Ubi attendendum quod quidam ſunt actus, in quibus ſufficit fama, licet non ſubſit veritatis exiſtentia, ut l. Barbarius ff. de officio prætoris, & l. I. C. de teſtamen. & III. ff. ad Macedonianum, & de verbo. ſig. ſuper quibuſdam, & cap. veniens eod. tit. l. VI. quod ſemper intelligas ante probatam veritatis exiſtentiam. In contrarium, & tunc ſufficit probatio per famam, ſicut intelliguntur illæ glo. quidam ſunt actus, in quibus fama & communis opinio effectum operatur. Tunc etiam ſufficit probatio famæ, ut in l. I. ff. de flu. & l. Labeo ff. de ſupellecti. legat. & l. cum de laionis §. aſinam, ff. de fundo inſtructo & inſtrumento legato. Alii ſunt actus in quibus fama & communis opinio non inducit veritatis effectum; ſi fama inſurgat ex ſola voce populi, non eſt attendenda, ut l. decurionum C. de pœnis, et c. Oſius de elect. Si autem oriatur ex legitimis circumſtantiis, tunc in civilibus & levibus & brevibus facit fidem, ubi de nullo, vel modico præjudicio alterius agitur. Sic concor. glo. In criminalibus autem, ubi requiruntur probationes legitimæ alias clariſſimæ, nunquam ſufficit, ut l. fi. C. de probat. & c. Epiphanium V. q. VI.

Negatur credendum quia colloquia ex mala fide procedunt

An ſufficiat fama.

XXXI. Negatur ex fama rebellandum adverſus Pontificem toto orbe agnitum.

Hæc fama a ſolis adverſariis manavit.

Dicere autem quod in tanto negotio, ubi impetitur ſummus pontifex concorditer, etiam ſervata forma concilii electionis, & poſt conſecratus, & per totum orbem talis reputatus, et per nunc contradicentes quiete et ſine contradictione approbatus, ſola fama vulgariter inducta a ſolis contradicentibus procedit, et quod illa ſola ſufficiat hoc caſu ad ſubverſionem fidei, et totius populi Chriſtiani, vellem ab aliis ſaniori doctrina ductis edoceri. Miror qualiter ſic animoſe moventur in cauſa fidei, et ſtatus Eccleſiæ Dei, ubi debet tendi ad ſolam veritatem enucleandam. c. ſi quis pecuniam c. in nomine Domini, & ſimilia jura loquuntur de intruſo auctoritate & potentia violenta, omni carente titulo, nunquam approbato. Hic autem concorditer electus, concorditer conſecratus, per totum orbem ut verus Pontifex reputatus, & approbatus per electores: nunc contradicentes extra locum urbis, & in loco libero, ubi contradixerunt, & contradicere potuerunt, ut verus approbatus, & talis nominatus, & per eos ſcriptus. Et quod dicant notoriam carentiam tituli ſui, & per ſolam famam ab eis nunc in contrarium inductam, ipſum ad aſſertionem eorum amovendum, vellem maternaliter conſcientiam meam ſuper his informari a tantis patribus, qui vices Apoſtolorum gerere debent. Pareant igitur ſalva reverentia, ſic ſuper notorio fimbrias ſuas extendentis, fundando notorietatem ſuper non exiſtentia, ſive ſuper contrario exiſtentiæ, & vigore fictæ notorietatis judicare Papam concorditer electum, conſecratum, & inthronizatum, & a toto corpore collegii dominorum Cardinalium ſic per tempus habitum & reputatum, ſuper totum orbem catholicum ab eis ſcribendo prædicatum, & a toto populo catholico ſic firmiter habitum, & reputatum, cum nec minimus clericus, qui judicem et ſuperiorem habet niſi ſervato juris ordine debito, et cum cauſæ exiſtentia privari non poſſit II. q. I. nos in quemquam: licet dicant Iono. et Hoſt. quod Papa privare poſſit epiſcopum propter notorietatem criminum juxta notata de co-

Per electores etiam extra urbem in loco libero fuit approbatus in quo contradixere.

Ad ſolam famam contrariam ab iis inductam placari conſcientia non poteſt.

Falſa de notoria impreſſione jactarunt.

Exauctorare volunt Pontificem toto orbe cultum ea ratione qua clericus exauctorari non poteſt.

ha-



habita. cler. veſtra. Quod autem Papa talis, qualis non habes ſuperiorem, ficta notorietate exiſtentia carente, damnatus ſit a Cardinalibus ſimpliciter, qui ſimul aſſumpſerunt officium partis impetentis, judicis, advocati, et teſtis, nuſquam auditum, nec ſcriptum eſt.

XXXII. Nunquam auditum ex ficta notorietate impreſſionis exauctoratum Pontificem.

Ipſi tamen ad defenſam eorum fundari nituntur ſuper cap. ſi quis pecunia LXXIX. diſ. ubi permittit textus Cardinalibus & aliis clericis Deum timentibus, et laicis invaſorem illum anathematizare, et humano auxilio a ſede Apoſtolica pellere, et ſic concludunt licuiſſe dominis Cardinalibus dominum Urbanum nullo ſervato juris ordine eiicere. Hic eſt diligenter attendendum, quod allegat c. ſi quis pecunia pro caſu et ſuper eo fundat totum proceſſum eorum. Et primo dico quod de iſta electione eſt caſus in c. licet de electione, et cap. ubi periculum e. tit. lib. VI. juncta clem. ne Romani eo. tit. ut ſi dicitur hanc electionem celebratam ſervata forma omnium conciliorum de hac electione diſponentium. Secundo dico quod c. ſi quis pecunia in nullo contingit caſum noſtrum; hæc omnia probantur: ubi attendendum quod circa electionem Romani Pontificis jura antiqua emanarunt cap. in nomine Domini XXIII. diſ. ubi ſtatuit Nicolaus in hæc verba: *Statuimus, ut obeunte hujuſmodi Romanæ univerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Cardinales epiſcopi diligentiſſima ſimul delectione tractantes, mox Chriſti famulos clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus, & populus ad conſenſum novæ electionis accedant; nimirum præcaventes, ne vanitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat: religioſiſſimi viri præduces ſint in promovendo Pontificis electionem, reliqui autem ſequaces.* Subditur parum poſt, et fuerunt verba Leonis Papæ: *Nulla ratio ſinit, ut inter epiſcopos habeantur, qui nec a clericis ſint electi, nec a plebibus expoſiti, nec a comprovincialibus epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati: quia ſedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſiis, atque ideo ſuper ſe metropolitanum habere non poteſt; Cardinales epiſcopi proculdubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antiſtitem ad apoſtolici culminis apicem promoveant.* Subditur quod juxta morem inthronizetur, & pœna aliter aſſumptis & ſectatoribus: *Nam aliter aſſumptus abiiciatur perpetuo anathemate a liminibus Eccleſiæ ſicut antichriſtus, & invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis*, & ſubduntur pœnæ aliæ: *Talis etiam inthronizatus ſine canonica & concordi electione Cardinalium non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur* LXXIX. diſ. c. I.

Contendere ſchiſmatici Urbanum nullo ſervato juris ordine ejici potuiſſe.

XXXIII. Concors electio conſecratio & inthronizatio obſerſervatæ in Urbano.

Hæc ſunt tradita jure antiquo canonum cum aliis diſpoſitionibus, quæ habentur LXXIX. diſ. per totum. Quæ omnia ſi ponderentur in electione Romani Pontificis, requiritur conſenſus purus & concors electorum, & quod electus ſic poſt conſecretur, & inthronizetur: quæ omnia ſervata in aſſumptione domini Urbani; nam concors conſenſus dominorum Cardinalium in electione, concors conſenſus eorum in ipſius conſecratione, concors eorum conſenſus in ipſius inthronizatione facta in urbe, in loco vero ſedis Apoſtolicæ, in quo juſſit Salvator ſedem fundari. Fuit enim primo ſedes apud eccleſiam Antiochenam XXII. d. c. II. verſ. tertia XXIV. q. I rogamus verſ. ſi vero; poſtea fuit tranſlata ad eccleſiam Romanam jubente Chriſto ſalvatore noſtro, actuum c. XI. XXV. q. I. rogamus XXII. diſ. ſacroſancta verſ. prima, et verſ. tertia. illam cum ſacro ſanguine conſecrarunt ſacratiſſimi Apoſtoli Petrus et Paulus. II. q. VII. beati. *Et infra*.

XXXIV. Narratio veriſſima tradita Joanni e Lignano.

Ex his ergo aperte demonſtratur electionem domini Urbani fuiſſe celebratam ſervata diſpoſitione antiquorum canonum, ſecundum quam procedit tractatus ſive deliberatio, ſive ex puro & libero conſenſu Cardinalium & aliorum clericorum ſi evocari voluerint, concors electio, & ipſius ex eodem conſenſu conſecratio & inthronizatio: accepto enim primo themate mihi tradito in urbe, quod continet narrationem geſtorum veriſſimam, ut mihi tunc fuit narratum per curiales, qui interfuerunt, & illam narrationem ex ordine deſcripſerunt, narrando quod agitata fuerunt, cum dominus Gregorius laborabat in extremis, & quæ agitata fuerunt poſt mortem ante ingreſſum conclavis, & quæ poſt ingreſſum ante electionem, & tempore electionis, & poſt electionem ante conſecrationem, & quæ poſt conſecrationem. Et ſic attenta facti narratione veriſſima, ut aſſerunt curiales, qui fuerunt præſentes, in totum ſervata fuit diſpoſitio antiquorum canonum: & attenta illa narratione. cap. ſi quis pecunia in nullo contingit caſum noſtrum, dicit enim ibi textus: *Si quis pecunia vel gratia humana, aut populari, ſeu militari tumultu ſine concordi & canonica electione Cardinalium, ac ſequentium religioſorum clericorum, fuerit Apoſtolicæ ſedi inthronizatus, non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur;* at in caſu, attenta illa facti narratione, nulla pecuniæ interventio, nulla humana gratia, nullo populari tumultu, cum plena concordia & electione canonica electus eſt, conſecratus, inthronizatus: & ſufficiebat ſecundum antiquos canones electionem fore factam a majori parte Cardinalium LXXIX. diſ. ſi tranſitus, quod hodie innovatum in cap. licet de electio. Attenta. Ergo de illa narratione nullus ſani capitis dubitare poteſt.

A teſtibus oculatis.

XXXV. Leves ſchiſmaticorum objectiones.

Sed hic objicitur attenta illa facti narratione. Vivente domino Gregorio habitus fuit tractatus de electione ſucceſſoris, cujus tractatus primi vigore electus dominus Urbanus. Ergo electio nulla LXXIX. diſ. nullus. de elect. bonæ II. Item objiciunt. Illa attenta facti narratione preces

lai-

laicorum intervenerunt. Ergo electio nulla LXXIX. diſ. ſi quis pecunia, vel gratia humana, &c.

Diſſolutæ.

Pro ſolutione primæ objectionis eſt attendendum, quod tractatus de electione fienda fieri poteſt multipliciter: poteſt enim tractari ordinarie, & definitorie de certa perſona eligenda, & ille tractatus faceret caſſari electum, ut cap. bonæ II. de electione. & cap. nullus. II. LXXIX. diſt. & notatur in cap. ſi tranſitus eadem. Secundo poteſt fieri tractatus generalis de electione fienda, &c. nulla certa perſona expreſſa: cum tractatur ordinarie, & definitorie, ut cum ſit vocatio electorum, ſtatuitur dies electionis celebrandæ, & locus, & ille tractatus ſimiliter facit caſſari electionem, ut juribus ſupra allegatis: ſi tamen ab illo tractatu recederent, & poſt mortem novum tractatum facerent, & eligerent, non vitiaretur electio. Tertio poſt tractatum non definitorie, utpote cum non ſit tractatus antecedens, ſed ſinguli ut ſinguli ad invicem colloquium habent de bono eligendo, vel ſit tractatus communis non definitorius, ſed conſultorius & deliberatorius circa ea, quæ evenire poſſent poſt mortem ad electionem impediendam, vel circa occurrentia, & iſte tractatus non vitiat electionem, hic enim fuit habitus, et tractatus fuit conſultorius, qui non vitiat: Item ſi fuit definitorius fuit receſſum ab illo poſt mortem et innovatus tractatus; quod probat ſeries facti in illa narratione contenti, et ſic non obſtat tractatus ſic habitus: notarunt hoc Innoc. et Compoſt. in c. bonæ II. de elect.

XXXVI. Porrectæ a Romanis preces reverentiæ pro eligendo Italico.

Pro ſolutione ſecundæ quæſtionis eſt attendendum, quod Romani reverenter et humiliter rogarunt dominos Cardinales, quod eligerent Romanum, vel ad minus Italicum, qui curiam teneret in Italia, aſſignantes precum ſuarum multas probabiles rationes concernentes utilitatem publici ſtatus Eccleſiæ generalis Dei, ut patet ex ſerie narrationis illius facti: et circa illum articulum eſt conſiderandum, quod in hoc variarunt antiqui patres juriſtæ, dicunt enim aliqui quod preces porrectæ per promotum indiſtincte vitiant electionem. Fuit opinio Hugonis, pro qua facit VIII. q. I. in ſcripturis I. q. I. Sicut et cap. ordinationes de jure patronat. per noſtras, et dicit Hugo: *Etiam ſi porrigens ſit dignus*; tamen ſe opponunt Hugoni, ſi porrigens ſit dignus, Gof. et Bernar. Si autem ſit dignus, et porrigat preces propter neceſſitatem, utpote quia dicit ſuperiori, qui indiget, tunc non præſumitur ambitioſus, ſed propter neceſſitatem exemplo Petri, qui dixit: *Domine quid nobis eſt, ſi ſecuti ſumus te Matth.* XVIII. Lucæ XVIII. alias autem porrigendo preces pro ſe ambitioſe, ut promoveatur, committit ſimoniam, & vitiabitur promotio I. qu. I. cap. filium §. non itaque quorumlibet I. q. I. nullus horum caſuum intervenit hic, quia dominus Urbanus nullatenus ſuper hoc porrexit, ut patet ex ſerie facti narrati, nam hic intervenerunt alienæ preces: ubi attendendum quod ſi fiant preces carnales pro indigno, ſimonia committitur. I. q. I. de ordinationibus. nam ſic cedunt loco pretii I. qu. I. quibuſdam: ſi autem fuerint ſpirituales illæ admittuntur. I. q. I. latorem. Idem ſi fiant carnales pro digno, ſed promoventes non contemplantur preces, ſed merita eligendi I. q. I. quibuſdam, & ibi notatur in ultima glo & in hoc differunt preces a pretio, ut ibi notatur: ſicut in obſequio diſtinguitur utrum ſit honeſtum, vel non eſſet honeſtum, utrum deducatur in pactum quod ſerviat ſibi, & propterea conferatur, & tunc vitiat, alias non, ut notatur LIX. diſ. hoc ad nos, LXI. di. quid prodierit, de ſimonia cum eſſent, I. q. I. ſunt nonnulli, hoc plene VIII. qu. II. in ſumma VIII. q. I. Moyſes di. clerico, de ſimonia tua de ætate & qualiter cap. tua, & per ſummiſtas Hoſti. & Goff. & Roff. & Ray.

Urbanus non ſe ingeſſit, ut eligeretur.

XXXVII. Honeſtæ fuerunt Romanorum preces.

Sed applicando hæc propoſito pro domino Urbano ſpecialiter & nominatim, nullæ preces fuerunt porrectæ, & ſic quieſcunt omnia prædicta, quæ repugnare viderentur. Sed hic ſunt porrectæ preces ſi ponderentur verba, & mens precantium, quæ ſonare videntur ſtatum publicum Eccleſiæ generalis Dei, quas preces debet porrigere quilibet verus fidelis & catholicus; nam rogabant, ut eligerent Italicum, & ultra progreſſi fuerunt aſſignantes rationes precum, quæ tendunt ad ſalutem ſtatus Eccleſiæ Dei: nam primo hoc ſupplicabant, ut ſedes firmaretur in urbe, ubi eſſe debet: hoc concernit ſtatum ſedis; rogabant enim, ut ſervarent juſſum Salvatoris, qui juſſit ibi eſſe & firmari actuum XI. XXIV. q. I. rogamus, & ibi etiam notatur, ut ſuperius tactum fuit. Supplicarunt ergo dominis Cardinalibus, ut exequerentur juſſum Chriſti Salvatoris noſtri. Item adjecerunt quod propter abſentiam Romanorum Pontificum a vera ſede patrum Apoſtolorum, & tota Italia ſequebantur inconvenientia continentia inhoneſtatem & damnum ſtatus generalis Eccleſiæ, ruina ſedium Romanorum Pontificum & eccleſiarum, titulorum dominorum Cardinalium, & indeſervientia divinorum, & diſſipatio ſive extinctio temporalium, quæ omnia concernunt inhoneſtatem & damnum ſtatus generalis Eccleſiæ XII. q. II. quatuor & c. cognovimus c. XVI. di. c. ſi. de eccleſiis ædificandis c. primo. & c. de iis de conſe. di. I. quaſi per totum, de celebr. miſſ. I. q. III. ſiquis objecerit cum multis ſimilibus C. quinta. Miſerabilis inhoneſtas, quod templa rutilante martyrum ſanguine conſecrata zelo fidei per catholicos viros ad fidei augumentum conſtructa, neglectu Chriſti vicarii & gubernatoris totius populi Chriſtiani ſunt ruinæ tradita, & velut latro-

Expoſitæ rationes juſtiſſimæ pro eligendo Italico.

Ob Pontificum abſentiam vetuſta martyrum monumenta collapſa.





num ſpeluncæ viſitata, & ubi fuit fons ſanctitatis & fomentum totius Chriſtianæ religionis, propter abſentiam & neglectum miniſtrorum, & maxime ſummorum Pontificum & mundi cardinum invaluerit puteus malignitatis: horrenda eſt hæc miſerabilis impietas, clamavit hic aſina contra prophetam num. XXII. q. VII. C. item cum Balaam, conqueſtus eſt filius de duro patre II. q. VII. queritur. Subjunxerunt ſupplicantes alias cauſas rationabiles utilitatem ſtatus Eccleſiæ & honorem concernentes, immo & charitativæ reductionis evitandæ tantæ deviationis miniſterium ſapientes. Hæ ergo preces favorem perſonarum non concernunt, ſed ſtatum eccleſiæ publicum in totius populi catholici ſtabilimentum & fidei augmentum.

Quid reſponſum ſit a Cardd.

Quid plura? Domini Cardinales eruditis precibus Romanorum ſancte & honeſte dedere reſponſum, aſſerentes quod non attentis precibus eorum providerent Eccleſiæ Dei de Pontifice, qui utilis foret & conveniens toti populo Chriſtiano, nec in hoc attenderent favorem partium, nec perſonarum. Et ſic concluditur, quod iſtæ preces in nullo vitiant, immo juſtificant; ad has enim tenebatur quilibet verus catholicus.

XXXVIII.

Poteſt ergo ex præmiſſis demonſtrari quod electio domini Urbani attenta vera facti narratione, de qua ſupra, eſt in totum conſona diſpoſitioni antiquorum canonum, et in nullo diſſona. Attenta autem narratione facti per adverſarios propoſita eadem quæſtio demonſtrata eſt in primo tractatu, et inferius iterato examinabitur reſpondendo ſingillatim objectis & deſcriptis per dominos ſcribentes contra dominum Urbanum, qui primum tractatum impugnare nituntur, & principaliter ſupervenit c. licet de elect. quod ultima diſpoſitione antiquorum canonum diſpoſuit ſpecialiter, & quædam ſingularia tradit circa electionem Romani Pontificis & diſponitur ibi, quod electus a duabus partibus Cardinalium concordantium abſque ulla exceptione ab univerſali Eccleſia habeatur Romanus Pontifex: olim tamen habebamus extravagantem Innocentii IV. quæ incipiebat: *Quia frequenter*; in qua diſponebatur, quod univerſalis paſtor & epiſcopus habeatur, qui a duabus partibus fratrum præſentium eligitur, electo minime in duabus partibus computato. *Et infra*: Hic attende quod contra ſic electum non competit exceptio, quia per electionem plenum jus conſecutus eſt XXIII. di. in nomine Domini & in c. licet de electione; Ergo contra eum non competit exceptio de conceſ. præben. poſt electionem de appell. conſtitutis, quia exceptio eſt actus excluſio ff. de excep. l. I. et II. relinquitur ergo conſcientia de monacho dic. glo. in c. quam ſit XVIII. q. II. quod debet redire ad monaſterium, et ſeipſum compellere, quia debet juſtitiam miniſtrare. Hæc opinio glo. non procedit in electo per inſpirationem, quia ubi Spiritus, ibi libertas XIX. q. II. duæ. de regularibus licet: et ſi aliter fiat, adhuc non procedit glo. quia invito abbate poteſt ſuperior monachum aſſumere VII. q. I. cap. paſtoralis ubi notatur de accuſatio. nulli, nec contra ſic electum admittetur exceptio hæreſis ſecundum motum, licet accuſari poſſit de hæreſi XL. diſ. ſi Papa et ſi ſpeciale, quod de illo crimine tantum accuſari poſſet et hoc non vult corrigi, alias non XXIV. q. I. aperte et c. ait et XXIV. q. III. dixit Apoſtolus. et notatur XI. d. c. tunc autem licet notet Jo. quod de quolibet crimine notorio, de quo eccleſia ſcandalizatur accuſari poſſit et deponi, quoniam contumacia dicitur hæreſis LXXXI. di. ſi qui ſunt, et contumax dicitur infidelis XXVIII. di. nullum ſpirituale tamen eſt in vera hæreſi, quia de ipſa etiamſi occulta ſit Papa accuſari poteſt: Gof. tamen tenet quod de hæreſi excipi poteſt, primum verius ſecundum Innocentium, Bernardum, et Compoſt. ut notarunt in c. licet pro allegato Archidia. notat. XL. di. ſi Papa: eſt ergo ſummus Pontifex ſic electus a duabus partibus. Hæc procedunt ſecundum Hoſti. quando Cardinales procedunt ſecundum formam ſcrutinii vel ſine forma; ſecus ſecundum formam compromiſſi mixti, de quo de elect. ſi tui li. VI. quia tunc valet electio facta a compromiſſariis de conſenſu majoris partis, ut notatur in. c. ſi tui de election. li. VI. et licet canonice electus a nullo accuſari poſſit, niſi fiat hæreticus, ut ſupra tactum fuit; tamen uſurpans paparum contra hanc conſtitutionem eſt excommunicatus cum ſuis adhærentibus, idem in electo per ſeditionem XXIII. di. in nomine Domini, ibi: *Si quis contra hoc noſtrum decretum ſynodali ſententia promulgatum per ſeditionem, vel præſumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit, auctoritate divina, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum ſuis fautoribus ſequacibuſque a liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ſeparatus ſit, antichriſtus, & invaſor, & deſtructor totius Chriſtianitatis, nec aliqua ſuper ei audientia aliquando reſervetur, ſed ab omni eccleſiaſtico gradu in quocumque fuerat prius ſine detrectatione deponatur, &c.* Aſſumpta hæc verba, quæ adverſantes inducunt contra dominum Urbanum, ut patenter dignoſcatur eorum error, ut inferius declarabitur.

Non fuit per ſeditionem electus vel in ſolio collocatus.

XXXIX. Libera & concors electio Cardinalium extitit.

Attenta enim narratione facti veriſſima de qua ſupra, nihil eorum penitus intervenit, immo pura, libera, concors electio canonica dominorum Cardinalium, ut demonſtrat ſeries facti ſupra enarrati. Attenta etiam naratione facti per adverſarios propoſita, nihil horum penitus intervenit, immo pura, libera, concors, & canonica electio dominorum Cardinalium nullo extrinſeco vitiante interveniente, ut demonſtratum eſt in primo tractatu, & inſe-

ſerius repetetur. Si autem quis electus a minori quam a duabus partibus papatum uſurpaverit, ſuccedunt in concilio expreſſe quæ ſecundum Innocentium non habent locum, nimirum quando poſt electionem factam a duabus partibus canonice quis eligitur a tertia, vel a minori; alias non procedunt illæ pœnæ, quin alii poſſint accedere, quod fieri non poſſet, ſi electio foret nulla, & electores eſſent excommunicati, & ſi electus ab eis ſtatim gereret ſe pro electo & Pontifice, locus eſſet pœnis prædictis. Hoſti. dicit quod ſive ante, ſive poſt fiat electio a minore parte, quam a duabus partibus, non haberent locum hæ pœnæ ſi ulterius non procedatur: ſed ſi electus conſentiat, & ſe pro Romano Pontifice gerat, locum habent pœnæ: nec valet tunc ſuperveniens concordia, cum in excommunicatum nequeant conſentire, & ipſi ligantur cum eis, niſi pœnituiſſet & reconciliatus fuiſſet per omnes, qui non adhæſerunt, & fiet electio per Cardinales, quoniam ipſi faciunt collegium XXIII. di. in nomine Domini de electio. ubi periculum l. VI. Et ſi duo ſoli ſint præſentes eligent: idem ſi unus ſolus: & ſi nullus ſit, dicunt quidam quod clerus Romanus. Pro hac opinione facit c. I. XIII. d. LXXXIX. d. c. I. & II. & c. Si quis pecunia. Alii quod concilium generale. Pro hac opinione facit LXV. di. cap. I. & II. cap. fin. Hic attendendum quod non vendicat ſibi locum proviſio, quæ vendicat ſibi locum in aliis, in quibus deficiente collegio providet ſuperior XVI. q. VII. omnes baſilicæ. Dicitur ergo quod deficiente collegio Cardinalium ſuccedat clerus Romanus, ſicut in electione Imperatoris deficientibus ſenatoribus eligit populus Romanus cap. XIII. di. legimus, nam Cardinales habent ſenatum XVI. q. I. Eccleſia habet c. XVI. di. ſtatuimus. Tamen non credo hoc procedere, quoniam clerus Romanus nullam poteſtatem habet ſupra alium clerum orbis, ſed Papa, qui recipit poteſtatem a Deo XXI. di. in nono. Non ergo ad clerum urbis ſed orbis: ſed populus habet poteſtatem in alios populos, quam tranſtulit in Imperatorem, & ſic non eſt ſimile.

Narravi mentem hujuſmodi concilii diſponentis circa electionem Romani Pontificis & notata doctorum ut lucide pateat cunctis catholicis in electione domini Urbani ſervatam diſpoſitionem jurium ſuper hoc diſponentium, & in nullo contraventum, ut de hoc concilio concludatur, quod attenta narratione facti veriſſima, ſervata eſt totaliter diſpoſitio concilii, aut in nullo violata. Hoc patenter demonſtrat ſeries narrationis: attenta autem narratione facti tradita per adverſarios eadem diſpoſitio eſt ſervata, & in nullo violata, & hoc demonſtratum eſt in primo tractatu, & inferius repetetur cum in hoc articulo contra ſcribentes contrarium diſputabitur.

Ex narratione tradita per ſchiſmaticos, Urbanum rite electum conſtat.

XL. A duabus partibus electus fuit.

Tertio ſupervenit extravagans domini Innocentii quarti, quæ incipit: *Quia frequenter*, qui diſponit, quod electus a duabus partibus Cardinalium præſentium electo minime in duabus partibus computato habeatur pro vero Pontifice: hæc diſpoſitio hic ſervata, attenta veriſſima facti narratione, ut demonſtrat ſeries narrationis facti; attenta etiam narratione per adverſarios tradita demonſtratum eſt in primo tractatu & inferius repetetur. Ergo electio domini Urbani huic tertiæ juris diſpoſitioni conſona, & in nullo diſſona, & ſupervenit concilium ubi periculum de electione li. VI. & fuit concilium Gregorii X. in quo traditur, qualiter fiat electio Romani Pontificis cum moritur in loco, in quo degebat cum curia ſua; ſicut & cum moritur extra locum illum, dat executores illius conſtitutionis cum pœnis: obteſtatur & admonet Cardinales circa electionem: monet omnes fideles audita morte ad intercedendum erroribus pro futuro bono ſucceſſore & paulo poſt. Surgunt multa ſingularia in electione Romani Pontificis. Primum quod præficitur electus a duabus partibus omni exceptione excluſa, ut c. licet, alias contra formam & perſonas de elect. cap. cum in cunctis cap. innotuit, cum nobis olim & c. quia propter, & c. primo & c. ut circa I. c. cupientes cum authenticis ſuis eo. tit. l. VI. Secundum quia nulla ſit collatio niſi caſus, ſtatus vero facti, & non ficti ut in clement. ne Romani, quod fuit aliud concilium in quinta & ultima juris diſpoſitione: quod etiam in quibuſdam aliis electionibus procedit, ut in cap. quorundam de elect l. VI. c. indemnitatibus eod. tit. & clement, ut certa, quæ declarat eodem tit. Tertium quia hic nulli vocantur abſentes, ſed expectantur in aliis, aut vocantur: licet in hoc ſtetur conſuetis ac vocentur & de quo loco, de elect. quia propter & c. cum inter univerſas, & c. cum in eccleſiis de præbendis l. VI. Quartum quia expectantur abſentes decem diebus, ideſt quia pendente ſcrutinio ſemper poſſunt accedere vin. Quintum de clauſura conclavis. Primum quia ſi accedant ad formam ſcrutinii, eliguntur tres ſcrutatores de collegio, unus epiſcopus, alter ſacerdos, alter diaconus, & primo tres de extra collegium, qui ſcrutantur ſcrutatores de collegio. Secundum quia quilibet Cardinalis poteſt nominare quem vult, & non eſt vis ſive dicat nomino, ſive dicat eligo. Alia colliguntur ex textu capituli ubi periculum, & clement. in Romani de electio. & clara illa clementina ne Romani fuit ultima diſpoſitio circa electione Romani Pontificis, ubi determinatur nomine territorii intelligi diœceſim, ſtatuens, Papa moriente extra curiam, ipſius electionem fieri debere in loco, in quo erat cauſarum audientia, licet ſuſpenſa, niſi prius ordinatum fuiſſet de curia transferenda:

Non adverſantur Urbano variæ conſtitutiones d electionec Pontificis.

pro-



providet caſui, quo contingeret Cardinales omnes exire conclave, ſtatuens Cardinales non repelli ab electione per exceptionem excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti. Hæc ſunt omnia jura, quæ diſpoſuerunt circa electionem Romani Pontificis: quæ omnia concluſive & ſuccincte exprimere volui, ut patenter demonſtretur toti populo Chriſtiano veritas vicarii Chriſti, ut concluſum diviſim & conjunctim ſic ſit in electione domini Urbani, inſpecta narratione facti mihi tradita in Urbe a curialibus, qui præſentes fuerunt tempore electionis, ad unguem & punctualiter eſt ſervata diſpoſitio antiquorum canonum, & in nullo contraventum.

XLI.

Item in electione domini Urbani ſervata eſt diſpoſitio concilii Lateranenſis, quæ fuit Alexandri tertii de elect. licet, & in nullo contraventum attenta eadem narratione. Item in electione domini Urbani ſervata eſt diſpoſitio extravagantis domini Innocentii IV. attenta eadem facti narratione, & in nullo contraventum. Item in electione domini Urbani ſervata eſt diſpoſitio concilii generalis, quæ fuit domini Gregorii X. & in nullo contraventum attenta eadem facti narratione. Item in electione domini Urbani ſervata eſt diſpoſitio Viennenſis concilii, quod fuit Clementis V. & in nullo contraventum attenta eadem facti narratione. Et quod dixi in nullo contraventum in ſingulis intelligo, niſi in quantum poſterior immutet vires prioris diſpoſitionis. Statim infertur ergo de electione domini Urbani, attenta narratione, de qua ſupra, eſt caſus expreſſus in omnibus diſpoſitionibus canonicis de electione Romani Pontificis tractantibus ſimul junctis. Antecedens probat ſeries narrationis facti relata ad diſponens jurium ſupra enarratorum. Conſequentia eſt per ſe nota; & ſic patere poteſt attenta illa facti narratione toti populo Chriſtiano electionem domini Urbani fuiſſe legitimam, nec de ipſa dubitandum. Nec concipere poſſum quod adverſarii negare poſſint hanc deductionem pluſquam demonſtrationem. Sed dicunt adverſarii quod ego, attenta & ſuppoſita illa facti narratione pro vera, in vanum laboraverim, & verba ventoſa protulerim; quoniam illam facti narrationem in totum negant, & aliam multum ab ea diſtantem & in multis contradicentem in medium producunt, quam ſacramentis ſingulorum dominorum Cardinalium atteſtantur & affirmant; & ſic negata facti narratione inferent per evidentiam antecedentis, & ſic totum demonſtratum eluderent: & ſuper facti narratione per eos aſſerta & jurata fundantur, & tractatus multiplices contra dominum Urbanum conficere nituntur, & proceſſus multiformes aggrediuntur.

Servata etiam in electione Urbani ſanctio Innocentii IV.

Et Viennenſis Concilii.

Schiſmaticorum objectio contra veram narrationem facti.

Cum ſcripſi tractatum primum, nolui ſcribere ſuper illa facti narratione, credens non expedire, quoniam nihil habet dubii, & habens de certo quod illa facti narratio, per adverſarios in totum negaretur, & propterea illa facti narratione pro veriſſima ſuppoſita, fundavi tractatum primum ſuper illa facti narratione per adverſarios propoſita, & ſuper illa cum adverſantibus diſputavi, & libellos commentarios compoſui, ut inter illos, & me foret ſola juris diſputatio, non ſuper facto diſceptatio.

Joannes e Lignano in primo tractatu ex hypotheſi facti narrati a ſchiſm. diſceptavit.

XLII. Narratio alia ab aulicis excepta qualis fuit.

Sed inſiſtendo huic narrationi per curiales verbis tradita ut defendatur demonſtratio mea ſuper illa fundata, expedit juſtificare, & verificare facti narrationem. Ubi attendendum quod, ut ſupra dixi, illa facti narratio habet duo membra principalia, unum eſt eorum quæ concernunt geſta in urbe tempore electionis domini Urbani, ſuper quibus atteſtari poſſunt quicumque ibidem præſentes & geſta ſingula percipientes, utpote geſta per populum & officiales & alios populares & Cardinales in conſpectu popularium, aliqua agitantes: aliud eſt membrum eorum, ſuper quibus ſoli Cardinales atteſtari poſſunt, utpote eorum, qui ſoli Cardinales in conclavi, & ſecreto ſoli extra conclave agitarunt. De primis eſt examinandum, an ſolis Cardinalibus aſſerentibus jurantibus ſit credendum, an etiam aliis de perceptis per eos atteſtantibus, & contrarium aſſerentibus. Hic attendendum quod ſuper his in urbe geſtis publice in conſpectu plurimorum non ſolum ſtaretur teſtimoniis dominorum Cardinalium, immo admitteretur, teſtimonium quorumcumque aliorum, alias a teſtimonio non repellendorum. Hoc probat dictum de teſtibus, ubi eſt prohibitorium certarum perſonarum ff. de teſtib. l. I. Ergo quilibet admittetur, niſi ſpecialiter ſit propter inhabilitatem lege inhibitum. Item admittuntur ad teſtimonium, qui veritatem perceperunt ſenſu corporeo proportionali aſtruere ſenſum corporeum: dixi, quia veritas teſtimoniorum inde ſumit fomentum, ſenſu ſcilicet viſus in authen. de heredibus & falc. §. ſi vero abſunt ff. de probat. l. ſi arbiter. ibi: *Per viſum percepta mente tenentur* ff. de aqua plu. ar. l. II. §. idem Labeo ſic de proprio audita circa objectum proportionale ff. de offic. præſid. l. ſæpe ff. de re militar. l. divus ibi: *Audiviſſe ſe militem*; inſtit. de teſtamen. mili. §. I. ſic de teſtimonio guſtus ff. de contrahenda emp. l. ſi quis empt. ſic de teſtimonio tactus ff. de libero homine exhibendo l. III. licet viſus prolatum a lege ſit generale verbum ſe extendens ad intellectum C. de rei uxo. ac l. unic. §. videamus ff. de legat. XI. ſi quis Titio. & in ff. de injur. l. item apud Labeonem x. d. vides XVI. q. II. viſus. Hic igitur in geſtis ſic publice in urbe tempore mortis domini Gregorii & electionis domini Urbani multa fuerunt viſu perceptibilia, multa auditu: admittuntur ergo teſtimonia quorumcumque percipientium, & ſic non ſtabitur ſolis do-

An ſolis Cardinalibus fides adhibenda ſit.

Concluditur non ſolis credendum.



minis

minis Cardinalibus; immo credetur & aliis præſentibus & percipientibus.

XLIII. Et licet non agatur de teſtimonio formali in judicio exhibito, quia hic nullum Judicium ordinarium fundatum, tamen in his aſſertionibus extrajudicialibus attendentur numerus & dignitas, & alia de quibus in c. præſentia de teſti. Et bene fateor quod aſſertio dominorum Cardinalium cæteris paribus eſt majoris efficaciæ & authoritatis, quam aliorum, maxime privatorum, & maxime ſecularium: tamen hoc caſu, quia domini Cardinales aſſumpſerunt vices partis impugnantis, vices judicis, vices teſtium, & advocatorum, videat quilibet ſani capitis ſi hoc caſu, in cauſa ſua, ſit eorum aſſertioni credendum, contra aſſertionem aliorum fide dignorum, quos negotium non tangit, niſi ratione popularis intereſſe, ſcilicet fidei catholicæ: domini autem Cardinales aſſumpſerunt vices partis. Ergo eorum teſtimonium invalidum l. omnibus c. de teſti. & l. nullus ff. e. ti. IV. q. III. Item aſſumpſerunt vices judicis; Ergo teſtimonium eorum invalidum de teſtibus licet ff. e. t. l. fi. & c. Romana e. ti l. VI. Et ſi dicatur: Iſta non eſt cauſa dominorum Cardinalium, immo Eccleſiæ, vel Romanæ eccleſiæ, & ſic quilibet de collegio poteſt teſtificari alio proſequente cauſam, proſequens autem teſtificare non poteſt; prælatus enim proſequens cauſam non teſtificatur de teſtibus inſuper, ſed alio proſequente teſtificatur, ut ibi, & ibi per Innocentium & Hoſti. & modernos.

*Immo nec illis ut adverſariis adhibendam fidem.*

XLIV. Hic autem domini Cardinales ſunt proſequentes factum contra dominum Urbanum, ut patet ex ſerie proceſſus eorum. Sed & ſuppoſito ſine præjudicio, non eſt dicendum quod ſtetur dicto & aſſertioni eorum inconvincibili; quin reprobari poſſit dictum eorum VI. q. II. ſi tantum & c. placuit de teſti. cum a nobis de probatio. quoniam contra: hic ergo ſi alii prælati & nobiles viri, de quibus non eſt veriſimile quod ſint immemores ſalutis ſuæ, qui fuerunt præſentes & perceperunt ſenſibus corporeis propriis geſta publice in urbe tempore, de quo ſupra; ſtabitur ergo aſſertioni in judicio, & extra, & ſuppoſito, ſine præjudicio, quod credatur aſſertionibus Cardinalium & juramentis eorum, non ſtabitur aſſertionibus eorum irreprobabiliter et inconvincibiliter; immo audietur contraria probatio; hæc enim tantum procedit cum legis auctoritate ſurgit præſumptio, & lex ſtatuit ſuper alias præſumpto, ut de ipſo judicetur, ut exiſtente, etiam ſi revera non exiſteret, ut c. veritas & c. is qui de ſpon. & l. unica in principio C. de rei uxo. act. & l. ſi arrogator. ff. de adopt. Hoc autem nil ibi reperitur jure cautum quod ex aſſertionibus Cardinalium juratorum oriatur præſumptio, ſuper qua diſponat lex, quod illa habeatur pro veritate, etiamſi de contrario conſtaret. Si ergo facti narratio in urbe deſcripta per curiales, & eos qui ibi præſentes erant tempore, de quo ex capite de quo continet, geſta publice in urbe fuerit roborata teſtimoniis prælatorum, & notabilium virorum fide dignorum, & jurata & ſigillata ſigillis publicis authenticis, faciet fidem de geſtis in eorum præſentia, & perceptis per ſenſus corporeos eorum.

*Fuere plurimi teſtes graviſſimi electionis celebratæ.*

Hic tamen attendendum quod inſpectis narrationibus ambabus, videlicet dominorum Cardinalium & curialium, quædam ſunt, ex contentis & narratis, in eis in quibus concordant, & de illis nullum dubium, quoniam ſtabitur utrique, quantum ad ea, in quibus concordant; quædam ſunt, in quibus contradicunt; in illis crederem ſtandum diſpoſitioni tertii in præſentia, licet loquatur in teſtimonio judiciali, dicere & procedere in hoc extrajudiciali; ſalvo quod jam domini Cardinales in hoc caſu aſſumpſerunt vices judicis, partis, vices teſtis ut ſupra monſtratum eſt: quod non modicum derogaret fidei ſuarum aſſertionum, maxime ubi numero plures prælati, & nobiles et honeſti viri, qui fuerunt præſentes, et ſenſibus propriis corporeis percipientes, quos negotium non tangit niſi propter publicum intereſſe fidei, et generalis Eccleſiæ Dei, aſſerent contrarium jurati, concipiat quilibet ſani capitis ſi potius his, quam illis, ſuperpoſito ſine præjudicio, quod literis dominorum Cardinalium ſtetur, quem articulum pleniſſime examinavi; et quod literis aliorum ſic juratorum, hunc articulum ſupra plene examinavi.

*De iis in quibus Cardinales & pars contraria conſentiunt ambigi non poteſt.*

*In quibus diſſentiunt tertiæ parti deferendum eſt teſtimonium.*

*Plures prælati & viri nobiles fuere teſtes oculati.*

XLV. Sed pro nunc ſuppoſito quod fidem faciat in hoc concurſu contradictionis aſſertionum, conſideret quilibet catholicus ex dictamine ſanæ rationis & intelligentiæ quibus magis credendum, an literis dominorum Cardinalium, vices judicum contra c. quoniam de probation. de teſti. cum a nobis, contra c. de teſtibus l. omnibus ff. eadem l. nullus teſtis advocati, contra ff. de teſti. l. fi. & c. Romana eo. tit. li. VI. & ponuntur IV. q. III. in hoc caſu aſſumentium & per ſe ipſos, & ſolo teſtificantium; an literis honeſtorum prælatorum & nobilium virorum, non Romanorum, ut excludat ſuſpicionem urbis, qui præſentes, & percipientes fuerunt ſingula geſta tunc in urbe & melius & plenius, quam domini Cardinales, quoniam diſcurrebant per vicos & regiones urbis, & domini Cardinales ſtabant ſinguli in hoſpitiis eorum, vel congregabantur alicubi, non diſcurrendo per urbem, quos hoc negotium non tangit ratione alicujus privati intereſſe, ſed ſolum ratione publici, utpote zelo fidei & vicarii Salvatoris noſtri, qui in hoc caſu, nec vices judicis, nec partis, nec advocati aſſumpſerunt, hunc articulum remitto conſcientiæ quorumcumque in jure peritorum, nec non & conſcientiæ quorumcumque bonorum & fidelium catholicorum Deum timentium, & ſtatum generalis Eccleſiæ Dei diligentium. Non intendo in hoc, nec in aliis derogare ſtatui, & authoritati ſacrorum dominorum Cardinalium, immo eorum ſtatum, & prærogativam exaltavi quantum potui juxta imbecillitatem intellectus mei: propterea ſupra inſerui collationem quamdam, quam compoſueram ad eorum ſtatum, & exaltationem, & hoc de iis, de quibus in utraque facti narratione ſit mentio, & contradicunt, ſed quædam ſunt, de quibus ſit mentio in narratione facti dominorum Cardinalium: de iis alio non aſſerto in contrarium: per dominos Cardinales ſtabitur aſſertioni prælatorum et nobilium virorum, qui fuerunt præſentes, et percipientes ſingula geſta in urbe illo tempore, de quo ſupra; tamen adjecto, quod judicis auctoritate eorum dicta ad perpetuam rei memoriam recipiantur, in ſcripturam publicam redigantur, juxta formam c. ſignificavit, et c. Albericus de teſti. in authen. eodem §. quia vero, ut ſcripta illa habeant vim et robur publici inſtrumenti, et hoc intelligo ſemper repetitum, cum loquor de aſſertionibus prælatorum et nobilium virorum ſuper iis atteſtatis: ſtabitur ergo talibus eorum teſtimoniis ſuper iis aſſertis, de quibus nihil aſſeritur in narratione facti dominorum Cardinalium; nam, ut ſuperius dixi, multa poterunt videre, et aliis ſenſibus corporeis percipere prælati et alii nobiles viri diſcurrentes per vicos et regiones in urbe, et ad talia attendentes et notantes, quæ non viderunt nec percipere potuerunt domini Cardinales in ſingulorum hoſpitiis ſinguli commorantes, nec per vicos et regiones diſcurrentes: et ſic de non perceptis atteſtari non poterant C. de teſti. l. teſtium ff. de probatio. l. ſi arbiter. in authen. de heredibus et falc. §. ſi vero abſunt. ff. de aq. pluo. arcen. l. II. §. idem Labeo, niſi de auditu auditus, quod non concludit niſi in certis caſibus, ut c. quid per novale, et c. ſuper quibuſdam, de verbo. ſign. et c. veniens et tit. li. VI. et l. in ſumma ff. de aqua plu. arc. in iis aſſertis per curiales non expreſſis per dominos, ſtabitur aſſertioni curialium publicatæ & authenticatæ ut ſupra, (quod ſemper intelligatur repetitum,) & hæc de narratione per curiales non expreſſis per dominos Cardinales, ſed ſunt quædam aſſerta, per dominos Cardinales, de quibus nihil aſſeritur per curiales.

*Prælati & nobiles qui diſcurrebant per vicos melius teſtari poſſunt de ſeditione quam incluſi Cardd.*



*Potuere multa videre ſenſibus quæ non videre Cardinales.*

XLVI. Et hic attendendum quod quædam aſſumuntur per dominos Cardinales, de quibus alii præter eos teſtificari non poſſunt, utpote cum aſſerunt de conſcientiis eorum, quarum ſolus Deus eſt judex VI. q. I. ſi omnia XXXII. di. erubeſcant de ſimoni. ſicut tuis ut eccleſiaſtica beneficia c. unic. & ipſi ſoli ſciunt, utpote cum dicunt quod nunquam in conſcientiis eorum intendebant eligere dominum Urbanum in Papam, ſed metu illato protulerunt verbum electionis: ſuper hoc nullus atteſtari poteſt præter eos, nec unus Cardinalis atteſtari poteſt de conſcientia alterius, ſed ſolus ipſe eſt conſcius, & Deus ſciens & cognitor. Quædam aſſeruntur de quibus ſoli Cardinales atteſtari poſſunt, & omnes Cardinales qui præſentes erant ſimul, & diviſim, atteſtari poſſunt, & nulli alii, utpote cum aſſerunt aliqua per eos congregatos ſecreta tractata & deliberata, nullis aliis præter eos præſentibus, ſic & de agitatis per eos ſolos in conclavi, nullis aliis ibidem exiſtentibus, de juramentis, & atteſtationibus poſſunt domini Cardinales, & nulli alii, C. de repudiis l. conſenſu §. ſuper plagis ff. de quæſtionibus l. interroga. ff. ad Sill. l. ſi quis in gravi ff. fin. pupillus & c. ſequen. & l. prima §. ſi vir, aut reor. e. tit. de teſti. veniens II. de accuſa. cum dilecti; quædam ſunt narrata & aſſerta per dominos Cardinales, quæ per alios exiſtentes in urbe potuerunt percipi, utpote cum narrant clamorem populi in platea ipſis exiſtentibus in conclavi, de hoc poterunt et poſſunt melius atteſtari; nam ipſi atteſtantur de ſola prolatione verborum, et non de viſu conclamantium. Alii atteſtari potuerunt et de viſu et auditu; utpote qui ibi præſentes erant, & hoc fortius teſtimonium C. de teſti. l. teſtium de teſti. cum cauſam, & utrobique not. immo poſſibile eſt quod vocem audiverint aliquorum conclamantium, nec platea S. Petri erat plena populo conclamante, ut aſſerunt: nam aliud ſit a quibuſdam, ut ſingulis, aliud ſit a corpore, ut corpore ff. de rerum diviſione l. in tantum §. univerſitatis XII. q. II. qui manumittitur de conſtit. cum omnis & ibi notatur; ſicut & id, quod aſſerunt de clamore populi tota nocte in palatio illis exiſtentibus incluſis in conclavi: nam alii præter illos atteſtari ſuper hoc poſſunt, & melius quam ipſi, quia ipſi de ſolo auditu, alii de auditu & viſu, & ſic validius teſtimonium: ſic & de illo, quod aſſerunt, de fractione portarum & feneſtrarum palatii ipſis exiſtentibus incluſis in conclavi, ipſi atteſtari non poterunt, quia hoc eſt perceptibile viſu: ſic & de verbis eis prolatis pluries in conclavi, & extra conclavim a popularibus alii præter illos atteſtari poterunt de iſtis ultimis, ſi domini Cardinales ſoli hoc aſſerunt, & in narratione curialium nihil de his, nec de horum contrario aſſeratur, an ſit ſtandum eorum aſſertionibus ſupra fuit plene examinatum, & fuit unus articulus hujus novi tractatus & ibi recurrendum.

*Quædam aſſerunt Cardinales de quibus nemo teſtari queat.*

*An ex metu electus ſit Urbanus unus Cardinalis de alio teſtari non poteſt.*

*Circa clamores populi alii melius teſtari poſſunt.*

*Et circa fractionem portarum & feneſtrarum.*

XLVII. Sed ſuppoſito quod ſint vera per dominos Cardinales omnia narrata, an præjudicent electioni domini Urbani, pleniſſime demonſtravi quod non in primo tractatu, & ſuper hoc principaliter fundatus eſt tractatus primus; de iis autem, quæ concludunt interiorem actum conſcien-

*Licet forent vera quæ narrantur a Cardd. ſtaret Urbani electio.*

entiæ ſingulorum dominorum Cardinalium, de quibus quilibet ſolus de conſcientia propria atteſtari poteſt, utpote quia dicit quilibet, quod in conſcientia ſua non intendebat eligere dominum Urbanum in Papam, ſed metu illato contra conſcientiam & actum voluntatis libere interiorem protulit verbum electionis, ut periculum mortis evaderet. Et hic attendendum, quod hujuſmodi interioris actus conſcientiæ ſolus Deus eſt cognitor, VI. q. I. ſi omnia XXXII. di. erubeſcant, ut eccleſiaſtica beneficia ſine diminut. c. unic. Nec de hoc judicat militans Eccleſia, niſi quando per exteriora illius actus conſcientiæ interioris expreſſiva percipere poterit: idcirco pondero judicium militantis Eccleſiæ & judicium triumphantis Eccleſiæ, quæ dico judicia in multis diſcrepare poſſunt: nam judicium triumphantis Eccleſiæ neminem fallit, & a nemine falli poteſt XXIV. q. III. Deus de. conſecr. e. d. II. pacem & ibi not. I. q. Spiritus Sanct. c. de ſen. excom. a nobis. Judicium autem militantis ſæpe fallitur, quia ſæpe opinio hominum fallitur, de re. judi. lator. & c. conſanguinei de frigid. & malef. cap. fraternitatis XXIV. q. III. ſi quis non recte. In hoc caſu attento judicio Eccleſiæ militantis ponderandi ſunt actus exteriores per judicium militantis Eccleſiæ perceptibiles conſcientiæ interioris explicabiles, & hi fuerunt actus electionis domini Urbani præcedentes, utpote tractatus dominorum Cardinalium conſultorii ante ingreſſum conclavis & deliberatorii circa negotium electionis celebrandæ, & actus, qui geſti fuerunt tempore electionis, cum domini Cardinales elegerunt dominum Urbanum: & actus approbatorii ſequuntur electionem conſecrationis, coronationis, & alii plurimi actus ſubſequentes, quibus actibus attentis, nullis extrinſecis intervenientibus, quæ vitiare poſſent factum, neceſſario habet quilibet catholicus ſani capitis apud judicium militantis Eccleſiæ electionem domini Urbani fore legitimam & canonicam, immo & domini Cardinales hoc de plano fatentur, quandoquidem ſervata fuit forma omnium diſpoſitionum canonicarum, quæ ſervari debuit, ut ſupra monſtratum fuit.

De interiore actu an voluerint eligere non judicare poteſt eccleſia.

Actus exteriores judicantur ab eccleſia.

Attentis illis cenſenda eſt vera Urbani electio.

XLVIII. Sed quia aſſeritur per dominos Cardinales actus extrinſecos interveniſſe, utpote tumultum popularem, ſeditionem, impreſſionem, quæ omnia vitiant, ut c. ſi quis pecunia LXXIX. di. in nomine Domini de electione, quare aſſerunt electionem nullam apud judicium militantis: & iſtud eſt illud, in quo pendent leges & prophetæ, an videlicet illa extrinſeca, quæ narrant, intervenerint nec ne, & hoc eſt quærere, an credatur dominis Cardinalibus hoc aſſerentibus & hoc plene diſcuſſum fuit, & fuit unus articulus hujus novi tractatus, & ibi recurrendum. Secundo principaliter an ſuppoſitis pro veris quæ aſſerunt domini Cardinales, illa per eos narrata vitient electionem domini Urbani, ut ſic militans Eccleſia judicare habeat illam validam, vel invalidam: & iſte articulus fuit examinatus in primo tractatu, ubi fuit concluſum, quod ſi etiam forent quæ narrant, & aſſerunt domini Cardinales, quod illis non obſtantibus militans Eccleſia judicare debet electionem validiſſimam, & ſuper hoc demonſtrando fundatus eſt principaliter primus tractatus, & inferius repetetur reſpondendo dominis ſcribentibus contra primum tractatum: in foro autem & judicio militantis Eccleſiæ mirandum eſt, & eſſe debet apud quemlibet ſani capitis, quod ipſi fuerint habendi, non elegiſſe dominum Urbanum in verum Papam, ſed ſimulate elegerint ad pericula evitanda, & ipſi, & eorum quilibet in actu electionis protulerit hæc verba: *Eligo animo & propoſito quod ſit verus Papa*. Ad quæ proferenda non compellebant impreſſores & metum inferentes ad hoc ſolum tendebant, ut fieret electio canonica attenta forma juris. Sed ſi ponderentur jura ſuper hoc diſponentia, nullibi reperitur cautum, quo iſta verba: *Animo & propoſito*, requirantur. Videatur textus in c. in nomine Domini c. licet de electione XXIII. di. extravag. Innoc. IV. quia frequen. concilium Gregorii X. ubi periculum de electione l. VI. concil. Vienn. in Clem. ne Romani & c. nullibi cautum reperietur. Hæc autem verba: *Animo & propoſito*; ſunt excluſoria ſimulationis, fit enim ſimulatio cum aliud mente geritur, & aliud verbo vel ſcripto exprimitur C. plus valere, quod agitur per totum ti. de pignorib. c. illo vos de emptione, & venditione cap. ad noſtram. de ſpon. tuam. Hic autem hæc verba ſpecifice excludunt ſimulationem, cum verbis enim generalibus expreſſivis conſenſus requiſiti ad naturam contractus venditionis, & quod agatur cum verbis re vera quod ſit pignus, ſed conjiciatur quod ſic ſcribatur figuratus conſenſus venditionis ad cautelam creditoris, ut cap. illos vos de pignor. & cap. ad cap. noſtram de empt. & vend. ſed ſi exprimo, quod vendo animo & propoſito, quod ſit verus conſenſus venditionis, non concipio, quod cum his verbis ſe compatiatur ſimulatio conſenſus, quoniam talia verba non ſunt ſubſtantifica contractus de directo, & contradicunt ſimulationi; hoc enim eſſet dicere gero mente quod ſit contractus venditionis, quæ apertam implicant contradictionem, cum a radice voluntatis procedant actus ff. de pactis l. I. ff. depoſit. l. I. §. ſi conveniat ſic & maleficia XV. qu. I. in principio de ſen. exco. cum voluntate & ibi concordantiæ.

Si voluiſſent quod non eſſet verus Papa, non dixiſſent animo & propoſito quod ſit verus Papa.

Non requirebantur ea verba. Quis exegit?

XLIX. Admirandum eſt ergo mihi qualiter illa verba prolata fuerint, ſi mente ſimulabant, nec ipſum in verum Papam habere intendebant, cum ad prolationem illorum verborum metum allegare non poſſint, etiamſi

Si animo ſimularunt quomodo hæc verba protulere.



etiamſi metum allegare poſſint, ut eligere poſſint Romanum vel Italicum, cum hæc verba non concernant ſubſtantifice electionem, ſi diſcurrantur gradus omnium juris diſpoſitionum, ut ſupra oſtenſum: non poſſum ergo mihi ipſi ſatisfacere, quod licet domini Cardinales protulerint hæc verba gerentes in mente ipſum nolle eligere in Papam verum. Nec dicatur quod protulerunt hæc verba credentes illa verba fore ſubſtantifica electionis, ut ſatisfacerent metum inferentibus ad pericula evitanda: et vere ſi domini Cardinales eſſent idiotæ ignari juris, non excuſaret illa juris ignorantia in totum C. de juris et facti igno. l. I. qu. IV. §. notandum in textu, et glo. XXXVIII. diſ. in ſum. et plen. in reg. ignorantia de regulis juris li. VI. ſed domini Cardinales ſunt doctores, et patres utriuſque juris, hoc allegare ſapit in eis grande abſurdum. Scribo ut clarificari poſſim in conſcientia mea, ut credere poſſim, quod credere debet quilibet catholicus paratus ſemper, ut proteſtatus ſum pluries, etiam cum juramento, cum ad aliud non tendam niſi ad veritatem eliciendam, credens ſemper quod demonſtrabitur judicio divino, revelatione, vel aliter definitive, & quod ſtatutum fuerit per ſanctam matrem Eccleſiam catholicam, in cujus fide renatus ſum et moriturus ut verus catholicus: ſed licet iſtum articulum ſupra pluries diſcuſſerim, repeto ut domini ſcribentes contrarium ſuper hoc me clarificent.

LIX. Non poſſum concipere qualiter gerentes in mente non eligere dominum Urbanum in verum Papam, nec ipſum velle habere pro vero Papa, proceſſerunt ad ſecundam electionem per temporis intervallum; nam ut ipſi narrant ex eorum themate de mane fuit celebrata una electio a duabus partibus & majori quam duabus; poſt prandium fuit propoſitum per unum ex dominis Cardinalibus: *Nunc nullus eſt rumor, celebremus aliam electionem;* & proceſſum fuit ad dictam electionem; & per primos, qui elegerunt dominum Urbanum, fuit idem electus uniformiter, & per eadem verba. Hic credo multum attendendum: ſuppoſita impreſſione, dicunt impreſſores ſecundum eos tendebant ut eligerent Romanum, vel ad minus Italicum, & unica electione ſatisfit voluntati, & menti eorum, non enim poteſt de jure quis uti duabus electionibus, de elect. ut quis duas l. VI. eſt enim poſſibile quod ex utraque ſurgat titulus, ſed debet alteram proſequi, altera incompaſſibiliter rejecta. de poſtu. præ. ca. unic. l. VI. ff. de leg. II. l. cum filius § variis C. de furtis. l. I. C. ſi ſervus extero. l. unic. de appell. ſolicitudinem. Intendebant ergo imprimentes, & metum inferentes ad unam ſolam electionem, & ſic ſufficiebat prima, ad pericula, quæ allegabant, evitanda. Hæc ergo ſecunda electio ad quam non tendebant imprimentes, proceſſit a ſola & libera voluntate eligentium, quod demonſtrant verba propoſita, ut fieret ſecunda electio; propoſitum enim fuit: *Nunc nullus rumor ſic eligamus iterato*, quæ verba ſapiunt mentaliter: *Ne impugnari electio noſtra prætextu tumultus popularis valeat, nunc illo ceſſante eligamus*. Neſcio videre aliam mentem verborum, & illa verba præcedentia qualificant actum electionis ſtatim ſubſecutum ff. de lega. I. l. talis ſcriptura in fi. ff. de verbo oblig. l. doli clauſula de app. ſecundo requiris. Actus ergo electionis ſecutus per propoſitionem illorum verborum videtur proceſſiſſe ex mente & libera voluntate eligentium; & ſi impreſſio maculaſſet electionem primam, purgatum videbatur vitium illud per ſecundam electionem C. quod metus cauſa l. II. not. Innoc. de reſti. ſpo. ſolicite. Item hæc ſecunda electio demonſtrat libertatem ſpontaneæ voluntatis, & excluſionem meticuloſæ titubationis: nam actus iteratus declarat amplioris conſenſus expreſſionem, & ampliorem deliberationem C. ad verb. l. ſi mulier. II. C. ad l. falc. l fi.

Si proceſſit ex metu electio, cur illa iterum celebrata.

Si vis inferebatur ſufficiebat inferentibus prima electio.

LI. Hæc ergo iterata electio ejuſdem ab eiſdem, et ad idem notat et demonſtrat apertiſſimam expreſſionem voluntatis & libertatis. Poteſt enim elici ſpontaneus voluntatis actus, quantumcumque ſubſit extrinſeca impreſſio, actus enim interior voluntatis per extrinſeca imprimentia directe & immediate conſtringi non poteſt, cum ſit actus virtutis ſive potentiæ ſpiritualis & abſtractæ non paſſibilis ab extrinſecis corporeis, ut ſcribitur ethic. 3. Auguſt. in lib. ſuo de libero arbit. XXIII. q. 4. Nabuchodonoſor de pe. di. II. ſi enim inquit. Hic vellem doceri unde hoc provenerit, quod gerentes in mente dominum Urbanum non habuere pro vero Papa, nec ipſum ut verum Papam elegere, ſed ſimulate ſecundo ipſum elegerint, & maxime poſt propoſitionem illorum: *Immo ceſſat rumor, intanto eligamus*. Supplico declarari, ne procedam erroneus in fide, a qua, et determinatione ſanctæ matris Eccleſiæ nunquam intendo recedere, ſed cum ea mori et vivere; declarent mei domini ſcribentes, et ego credam ſicut docuerint, ſi videro ſane doceri. Non peto dignitates nec beneficia: ſum laicus idiota, peto doceri ut catholice vivam, & in unitate veræ Eccleſiæ. In hoc autem concurſu dominorum, dominus meus Elnens? ut vidi in ſcriptis per eum contra meum tractatum primum velle videri concludere per ſecundum receſſum a prima, & ſecundam fore nullam prima non caſſata, & ſic deſtruit utrumque. In hoc concurſu dubito quod habui corruptum tranſcriptum mihi traditum tractatum. Non poſſum concipere quod hæc fuerint verba ſua: quia in tractatu ſuo ſibi ipſi contradiceret: quia ipſemet in eodem tractatu ſuo nititur demonſtrare, quod prima electio ſit nulla ipſo jure propter impreſſionem, nec ſit hominis mi-

Secunda electio apertiſſimam expreſſionem voluntatis demonſtrat.

Cur hæc cauſa illius celebrandæ addita, *Jam ceſſat rumor.*

Inepta Elnenſis ſecundam electionem fatentis argutia.

miniſterio invalidanda : et in hac deductione dicit eam validam, ſed per ſententiam invalidam : & propterea infert nullitatem ſecundæ celebratæ prima non caſſata; & ſic non credo quod fuerit formaliter vera ſua, ſed potius credo quod habui corruptum tranſcriptum.

LII. Pro evidentia hujus concurſus eſt attendendum, quod in concurſu duarum electionum celebratarum ab eiſdem de eodem ad idem ſucceſſive, traditur regula: ſi prima eſt valida, non tenet ſecunda, quia titulus ejuſdem beneficii in eodem ſuppoſito duplicari non poteſt, meum enim ex una cauſa, amplius meum fieri non poteſt ex alia inſti. de act. §. ſic itaque ff. de acquir. poſſ. l. poſſideri. §. ex pluribus inſti. de lega. §. ſed ſi C. de contrahen. emp. l. cum res, & l. ſi mater ff. de cotrah. emp. l. rei ſuæ, & l. avia C. de jur. do. de fide inſtrum. dilectos probat: tex. in propoſito de elect. ut quis duas li. VI. Si autem prima nulla, & electores primæ electionis ſunt privati poteſtate eligendi, quia elegerunt ſcienter indignum etiam ſecunda nulla; ſi autem non ſunt privati poteſtate eligendi, tunc ſecunda valida, prima exiſtente nulla. Circumſcribo concurſum duarum electionum factarum de diverſis, ab eiſdem vel diverſis, de quo plene de elect. conſideravimus, & cap. auditis, & c. inter de exce. præla. hæc autem. In hoc concurſu credo electionem primam fuiſſe validam, & ſecundam non fuiſſe validam in vim electionis; ſed ſecunda venit ad declarationem liberæ voluntatis & liberi conſenſus primæ, quoniam inductoria novi juris. Attenta ergo hac iterata & ſecunda electione, eſt mihi pluſquam mirandum, qualiter ſecundo eligentes ad hoc non compellebantur per imprimentes, & aſſeritur quod in eorum conſcientiis non gerebant dominum Urbanum eligere in verum Papam, ſed intendebant ſimulare, ut pericula evitarent, cum ſecunda impreſſione ducta fuerit. Si ergo prima fuit ſimulata & nulla, valet ſecunda, quæ non potuit eſſe ſimulata: ſi autem prima fuit valida, venit ſecunda, ut liberi conſenſus primæ declarativa. Neſcio ſatisfacere conſcientiæ meæ in hoc paſſu. Ut verus catholicus ſcribo, ut declarer, ut viam lucis agnoſcere poſſim, & ut in unitate veræ Eccleſiæ Salvatoris noſtri, qui ſacratiſſimo ſuo Sanguine ipſam fundavit, ambulare poſſim excluſis tenebris.

Quænam electio fuerit valida.

Si prima non valuit, valet ſecunda.

Si valuit prima, ſecunda libertatem declarat.

LIII. Ulterius tranſeundo ad alios actus conſecutivos poſt electionem, volo accedere conſecrationi ac coronationi: ſi domini Cardinales non habuerunt liberam facultatem exitus de urbe, quoniam ſi habuiſſent ſtatim exire debuiſſent, juxta illud: *Effuge cum poteris, ne conſenſiſſe puteris*. de ſpon. ad id. & quod ibi notatur, ſi non habuerunt liberam facultatem exitus, volo fateri de plano, quod continuatio metus concernebat actum conſecrationis & coronationis, ſive inthronizationis, quoniam ſi Romani metum intulerant, ut haberent Papam Romanum, vel Italicum, iſte metus concernebat electionem, conſecrationem, & inthronizationem, licet ſola electio faciat Papam, quoad facultatem adminiſtrandi, ut c. licet de evitanda de elect. & ibi notatur ſic & c. Imperatorem XCIII. di. legimus. C. de quadri. præſcrip. l. bene a zenone, & notatur; tamen requiruntur iſtæ ſolemnitates conſecrationis & inthronizationis ad plenitudinem pontificatus, & c. in nomine Domini LXXVIII. di. ſi quis pecunia. & c. ſi tranſitus. Metus ergo Romanorum ſi ſubfuit, ut allegatur per partem adverſam continuatus, præſumitur in iis actibus conſecutivis, quia de mente legis, qui aliquid principaliter intendit, omnia neceſſaria conſecutiva intendit. de offi. deleg. cap. I. c. præterea & cap. prudentiam §. ſexta ff. de procur. l. ad legatum, & l. ad rem mobilem. In his igitur fatebor intentionem adverſariorum, ſuppoſito pro vero, quod narrant, videlicet Italicum eligendum, cujus tamen contrarium demonſtravi in primo tractatu, examinando ſigillatim ſingulos actus per eos enarratos ipſorum aſſertione.

Si noluerunt eligere cur actus conſecrationis & coronationis celebrarunt?

LIV. Sed tranſeo ad ulteriores actus ſubſequentes: aſſeritur enim quod domini Cardinales manibus propriis ſcripſerunt ad mundi principes, ſe elegiſſe dominum Urbanum in verum Papam: aſſeritur quod rotulos porrexerunt pro familiaribus, & pro amicis eorum, & ſignati procuraverint, et ſignatos ſuſceperint de manu domini Urbani, & ſignati beneficia aſſecuti fuerint, ſi vacaverint: aſſeritur, quod præter rotulos, beneficia & dignitates pro eorum familiaribus & amicis petierunt a domino Urbano, & obtinuerunt: aſſeritur quod dominus Gebennenſis, nunc ſecundo electus, & Cardinalis Minorum ſuper titulo Oſtienſis epiſcopatus contenderint, & eorum uterque illud procuraverint; & Cardinalis Minorum obtinuerit, & per manus domini Urbani conſecratus fuerit: aſſeritur quod exiſtentes in Anagnia in loco libero, in quo contradixerunt domino Urbano, miſerunt Tiburim, ubi erat dominus Urbanus cum curia ſua ad conſiſtoria publica & ſecreta vota ſua. Non pondero conſiſtoria in Urbe celebrata, ubi allegare poterant continuationem metus, ſi metus ſubfuit, cujus contrarium demonſtratum in primo tractatu; redeundo ad ſingulos enarrantes, quæro a dominis Cardinalibus, ſi populus Romanus compulit eos ad ſcribendum diverſis mundi principibus, ſe elegiſſe Urbanum in verum Papam canonice, & concorditer: quæro ſi populus Romanus compulit eos ad rotulos porrigendos, & ad eos procurandos, & ſignatos recipiendos, quæro ſi populus Romanus compulit eos: vel ſi metu continuato populi Romani, petierunt a domino Urbano beneficia & dignitates pro ſervitoribus & amicis eorum

Quis coegit Cardinales ut ſcriberent principibus elegiſſe Urbanum in verum Papam?



rum, & ipſa procurarunt, & obtinuerunt: quæro ſi metu continuato populi Romani petierunt a domino Urbano dignitates & beneficia in commendam & obtinuerunt, & poſſeſſionem aſſecuti fuerunt: quæro ſi continuato metu populi Romani Cardinalis Minorum procuravit titulum Oſtienſem & obtinuit: quæro ſi metu populi Romani per manus Urbani titulum illum conſecutus fuit: quæro ſi metu continuato populi Romani degentes in Anagnia, in loco tuto & libero, populo Romano non ſubdito, in quo contradixerunt domino Urbano, miſerunt vota ſua Tiburim ad conſiſtoria publica & privata ſuper actibus enarratis. Nolo inſiſtere allegationibus, ſed volo relinquere dictamini rectæ rationis cujuſlibet ſani capitis.

Quis coegit ut Tybur mitterent ſua ſuffragia ad conciſtoria.

LV. Quantum eſt ex dictamine meæ modicæ intelligentiæ, neſcio, nec poſſum concipere quod metus continuatus populi, etiamſi ſubfuit, concernat actus iſtos: volebant enim Romani metum inferentes habere Papam Romanum vel Italicum, & ſic volebant electionem, conſecrationem, & inthronizationem, quæ requiruntur in Papa. XXIII. di. in nomine Domini LXXI. di. ſi quis pecunia. volebant in vim conſequentiæ actus neceſſario conſecutivos, ſcilicet actum obedientiæ, actum conſiſtorialem, & conſimiles; non intendebat populus Romanus metum inferens, quod Cardinales peterent pro his & illis familiaribus & amicis hæc, vel illa beneficia, erat enim in eorum libero arbitrio petere & non petere, hæc vel illa petere: ſic non intendebat populus Romanus quod Cardinalis Minorum ſuſciperet titulum Oſtienſem, vel illum procuraret, vel ad illum conſecraretur: ſic nec populus Romanus compulit, nec compellere potuit Cardinales in Anagnia exiſtentes, ut vota mitterent Tiburim, ut lege extr. territorium ff. de jurisd. omn. judi. Vellem ſuper his certificari in conſcientia mea materialiter ſine jurium conflictu, ut poſſem ambulare recto calle cum unitate veræ Eccleſiæ Dei, cum qua intendo & vivere & mori, & ſtare ſemper ipſius definitioni: non poſſum mihi ipſi ſatisfacere, nec ſcribentes contra dominum Urbanum, in nullo ſatisfaciunt conſcientiæ, niſi quia in omnibus actibus allegant continuationem metus, quod non conſonat dictamini rationis; ſed quilibet ſani capitis, & verus catholicus ſingula diſcutiat.

Allegatio continuati metus conſcientiæ non ſatisfacit.

Sed dicunt domini ſcribentes: Ecce, ſuppoſitis his etiam meræ voluntatis arbitrio progredientibus, quod negare non poſſunt, non debet inferri quod horum actuum in ſubſequentia etiam progredientium a libera voluntate faciat dominum Urbanum verum Papam, & retrofaciat electionem validam, quæ a principio fuerat nulla; quod a principio nullum, tractu temporis non convaleſcit. ff. de re. jur. regula quod initio, & regula non firmatur de re. jur. l. VI. de elect. auditis, maxime cum electio requirat formam ſuam, in nomine Domini de elect. licet et cap. ubi periculum cap. tit. l. VI. juncta clem. ne Romani e. ti. Non ſufficit igitur tacita approbatio, ubi deficiat exiſtentia tituli. Hic eſt attendendum quod iſti actus ſubſecutivi, de quibus ſupra, duplicem reſpectum habere poſſunt ad electionem præcedentem; unus eſt reſpectus, quod iſti actus veniunt in modum ratificationis prioris conſenſus et voluntatis, videlicet per iſtos actus ſpontaneos; alii vero voluntatis arbitrio progreſſi declarant primos conſenſus electivos fuiſſe ſpontaneos et canonicos: et iſte ſenſus intellectus non recipit aliquam contrarietatem; non enim per iſtos actus ſubſequentes infero purgationem violentiæ, ut l. II. C. quod me cauſa, et l. ſi ob turpem. ff. de condi. ob turpem cauſam not. Inno. in cap. ſollicite de reſti. ſpo. ſed per iſtos actus ſubſequentes (qui, ſi legitime progrediuntur, neceſſario ſupponunt titulum canonum; non enim legitime pro beneficiis ſupplicatur non vero Apoſtolico, et ſic de aliis actibus ſupra enarratis) infero conſenſus in electione præſtitos fuiſſe ſpontaneos, non impreſſivos, et ſic ex iſtis actibus ſubſequentibus declaretur electionem fuiſſe validam, et canonicam, non impreſſivam.

Tot actus ſubſequuti aut ratam habent electionem vel oſtendunt liberam fuiſſe.

Si non erat verus Papa cur illi ſupplices libellos porrigebant.

LVI. Et iſte verus intellectus procedit ſine dubio contrarietatis ſecundum primum intellectum videlicet... in modum ratificationis, prout examinavi in primo tractatu. Et ſuper his vellem per adverſarios ſatisfieri conſcientiæ meæ materialiter ſine ſubtilitatibus noxiis, quia hic agitur de ſimplicitate fidei, et veritate veræ Eccleſiæ, quam Salvator noſter ſuo rubricante ſanguine fundavit, et ſacro ſanguine beatorum Apoſtolorum, et aliorum ſanctorum martyrum ampliavit pro ſalute humani generis. Non ergo hoc caſu agendum ſophiſmatibus, non diſputationibus, non lanceis, vel bellorum ſtrepitibus, non pecuniariis corruptionibus, vel principum ſæcularium favoribus, ſed veris planis inductionibus ad veritatem progredientibus, ſpiritualibus clericorum armis, fletibus videlicet et orationibus: ego enim ſimplex laicus idiota non beneficia, vel dignitates, nec mundiales promotiones vivens de ſudoribus meis, quos præter merita mihi fructificavit Altiſſimus cum modicitate intellectus mei, miſi manum ad calamum, ſcripſi, ut inſtruerer et ædificarer a patribus: & pariter ſubmittens me, ſicut pluries proteſtatus fui veritati, & determinationi ſacroſanctæ militantis Eccleſiæ, nullius favore hic attento, hic enim agitur de cœleſti patria non terreſtri; ſupplicans a quibuſcumque correctionem, inſtructionem, & declarationem, & me ſubiiciens correctioni etiam amiculi me ſuper his inſtruentis.

Argutatiunculis tantum agunt adverſarii.

Decernere quis verus Pontifex ſpectat ad concil. non ad Cardd.

# INDEX
## IN TOMUM VIGESIMUM SEXTUM
## ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

## A


ABdicatio. Abdicationis ſeu ceſſionis via inducta a Petro e Luna pſeudolegato antipapæ, 1393. I. Commendata ab ipſo plurimum, VI. Ad eam ſolicitatur a Sorbonicis, VII. Pariſienſes cœtus eamdem ſequendam decernunt, IX. Si controverſia decidatur a concilio, ſchiſma non extinctum iri opinantur, XI. Sententiam decretoriam a pluribus oppugnatum iri, *ibid.* Abdicatio oppugnata ſcriptis ab aſſentatoribus Petri e Luna antipapæ, 1395. V. Is illam ut ſcandaloſam, & in offenſam Dei vergentem damnat, X.

Abſtinentia ab eſu carnium indicta eccleſiaſticis in adventu Domini, 1370. XXI.

Academia Florentiæ condita, 1357. XIII. De Viennenſi condenda agitatum a Rudolpho Duce Auſtriæ, 1364. XIII. Cracovienſis a Caſimiro Rege excitata, *ibid.*

Acephalitas ſpecies hæreſis, 1382. XIV. Joannes Rex Caſtellæ ſubditos cogit eſſe acephalos, deinde ad antipapam deficit, XV.

Achaja: Ejus jura morte Jacobi e Baucio devoluta ad Ladiſlaum Regem Neapolitanum, 1387. VIII. Ab Urbano VI. judiciaria in Ladiſlaum acerbitate occupata, *ibidem*. Eam Ludovicus Andegavenſis divendit Rhodiis equitibus, *ibid.* Infeſtata a Turcis, 1394. XXIII.

Acutus Anglus ſociarum turmarum dux detrectat arma vertere in Turcas, 1369. VI. A Bernabone Vicecomite concitatur in Florentinos, VII. Cum Anglicis copiis in Neapolitanum regnum adverſus Gallos ſubmiſſus, 1382. VII. *& ſeqq.*

Adam Cardinalis Anglus ſubjectus tormentis, 1385. I. Fatetur ſe vidiſſe articulos de dando curatore Urbano, ut Eccleſiam in diſcrimen conjicienti, ſed non aſſenſiſſe, *ibid.* Carcere incluſus cum ſociis ob rem non patefactam eidem Urbano, 115. Clam necatis illis ab Urbano vita & libertate donatus, 1386. XI. Cardinalatus priſtino gradui a Bonifacio IX. reſtitutus, 1389. XIII.

Adolphus Archiep. Moguntinus creatus Cardinalis ab Urbano VI. cum paulo ante mortuus eſſet, 1385. II.

Adriana arx, *Vid.* Hadriana moles.

Adrianopolis capta ab Amurate, 1361. VIII.

Adventus Domini. Abſtinentia ab eſu carnium in eo indicta eccleſiaſticis, 1370. XXI.

Adurnius Dux Genuenſium. *Vid.* Gabriel Adurnius

Ægidius Albornotius Archiep. Toletanus tentat Bononiam Eccleſiæ reſtituere, inita cum Joanne Olegiano pactione, 1356. XXX. Ceſenam expugnat, 1357. V. Ciam Franciſci Ordelaffi tyranni uxorem capit, *ibid.* Caſtrumnovum & Britenorianam arcem expugnat, VI. In Ordelaffum cruceſignatam expeditionem urget, *ibid.* Forumlivium obſidet, *ibid.* Decernitur legatus ad regni Neapolitani ſtatum componendum, 1359. V. Prædonum exercitum auro placat, VI. Forumlivium deditione accipit, *ibid.* Cum Franciſco Ordelaffo paciſcitur, *ibid.* Gratulatoriæ ad eum de victoria Innocentii Papæ literæ, *ibid.* Imolæ ſolemnes ordinum Æmiliæ conventus celebrat, *ib.* Bononiam a Joanne Olegiano recipit, 1360. VI. Petitur bello a Bernabone Vicecomite, *ibid.* In Ungariam ad Ludovicum Regem in Bernabonem concitandum proficiſcitur, 1361. I. Cardinalium ad eum literæ de morte Innocentii VI. 1362. IV. Iter Urbano V. munit in Italiam, 1365. IX. Appetitus calumniis parat Italia abcedere, X Excitatur a Pontifice ad cœpta egregia urgenda, *ibid.* Demandata ei Sicula legatio, *ibid.* Joannam Reginam Siciliæ fidei ſacramento adigit, *ibid.* Ad componendam Siciliam leges ab eo editæ male ſervatæ, 1366. XXVIII. Urbanum Papam venientem in Cornetano portu excipit, 1367. IV. Illius mors, XV. Ejuſdem elogium, *ibid.*

Ægidius Aiſellini de Monteacuto Epiſc. Morinenſis creatur Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

Ægidius Card. legatus miſſus ad Ludovicum Andegavenſem de regni Balearici jure certantem & Aragonium conciliandos, 1376. XIX.

Ægroti a medicis, exceptis duabus vicibus, nonniſi vocato ſacerdote adeundi, 1357. XIII.

Afri Siciliam infeſtant, 1388. I. In eos indicta ab Urbano ſacra militia, *ibid.* Gerbas inſulas amittunt, 1389. VI. In eos a Gallis & Anglis ac Genuenſibus & a Venetis ſuſcepta expeditio, 1390. XXI. Liberatis captivis diſſoluta, *ibid.*

Agapitus Epiſc. Brixienſis ad Caſtellæ ſedandos motus ab Urbano V. legatus, 1370. XVII.

Albanenſes. Albani principes ad Romanæ Eccleſiæ obſequium reverſi, 1368. XIX.

S. Albanus martyr miraculis claret, 1389. XIX.

Albericus comes Barbiani copiarum Urbani ductor excitatur a S. Catharina Senenſi ad pugnam in ſchiſmaticos, 1379. XXIV. Vaſcones & Britones cædit, *ibid.* Eodem die Romam redit & arcem Adrianam ad deditionem compellit, XXV.

Albertus dux Auſtriæ pro conciliando Eccleſiæ Ludovico Brandeburgenſi interpretem agit, 1357. IV. Ad ulciſcendam mortem fratris Leopoldi cæſi in prælio ab Helvetiis, expeditionem inſtruit, 1386. VIII. Inducias cum iis init, *ibid.*

Albertus Dux Bavariæ de ſecuta paterna factione veniam poſcit, 1362. XVI.

Albertus dux Magnopolenſis, Magno Rege ob tyrannidem pulſo, ad ſolium evectus, 1363. XIII. Partem regni ex pactione magno avunculo reſtituit, *ibid.* Petitus bello Magnum fundit, capitque, *ibid.*

Albertus Epiſc. Alberſtadenſis hæreſiarcha fatum aſſerit, 1372. XXXIII. Tollit liberum arbitrium, merita, & demerita, *ibid.* Publice jubetur hæreſim damnare, *ibid.*

Albertus Sueciæ Rex pro regno propagando bellum





lum gerit, 1388. XI. In acie captus regno & libertate privatur, *ibid.*

Albertus Ateſtinus marchio, Ferrariæ præfectura donatus a Bonifacio IX. 1390. XVIII.

Alea ſcelerum fœcunda radix, 1383. X. Alcatoris ſacrilegi funeſtum facinus, divinæque in eum ultionis exemplum, *ibid.*

Alexandria Ægypti capta a cruceſignato exercitu, 1365. XX. Nonnullorum ignavia deſerta, XXI.

Alfonſus Luſitaniæ Rex. Ejus mors, 1357. XI. Petrus filius illi ſuccedit, *ibid.*

Alfonſus Exericæ princeps pia ſtudia in convertendis Mahumetanis mancipiis collocat, 1373. XVII.

Alfonſus olim Epiſc. Giennenſis pius eremita Petrum e Luna præmonuit, ne Anagniam ſe conferret cum Cardinalibus, 1378. XXIX. Edit eximium commentarium pro Hiſpanis in Urbani veri Pontificis obſequio confirmandis, 1379. VIII. S. Birgitta cum eo divina ſibi patefacta communicaverat, X. Vocatus a Gregorio XI. fuit de iiſdem divinis rebus cum eo collaturus, X. Obtulit eidem Gregorio cœleſte oraculum datum S. Birgittæ, quo Gregorius jubebatur ſedem Romam transferre, Cardinales divinis rebus deditos ſibi aſciſcere, excindere vitia, diſciplinam inſtaurare, *ibid.* Edoctus Gregorium meditari Avenionenſem reditum, prædixit quidquid molirentur Cardinales, ſedem Apoſtolicam Romæ defigendam, XI. Teſtatur ſe antequam Cardinales conclave ingrederentur, certo accepiſſe Barenſem futurum Pontificem, XIV. Monuiſſe S. Catharinam Suecam, ut Barenſi pro Sancta Birgitta in ſanctarum mulierum album referenda preces porrigeret, *ibid.* Eamdem cauſam promovebat ipſe, *ibid.* Coram teſtibus denunciat non perruptum conclave niſi poſtquam Urbani electio celebrata fuiſſet, XIX.

Ambitio. Ambitioſi latronis in Jaquæorum Rege fictitio, 1359. I.

Amedeus Sabaudiæ comes in auxilium Græcorum maritimum exercitum ducit, 1366. XII. Gallipolim expugnat, *ibid.* Urbanum convenit, ſpondetque Palæologum ad Eccleſiæ gremium rediturum, 1367. V. & VII. Ut Gallipolim expugnarit, *ibid.* Gebennenſem principatum Epiſcopo adimit, 1371. VI. Monitus a Gregorio ut jura vetera ipſa reſtituat, *ibid.* Ad ulciſcendam cenſorum fidei cædem excitatus, 1375. XXVI.

Amedeus Dux Sabaudiæ pacem Taurini inter Genuenſes & Venetos componit, 1381. XXXVII. Ludovicum Andegavenſem in Nepolitana expeditione ſequitur, 1382. IV. Defigitur ab Urbano anathemate, V. Notatur infamia, *ibid.* Juſſi fideles in eundem conſurgere, VI. Morbo miſere extinctus, 1383. IV. Schiſmatis flagitium morti proximus planxit, *ibid.*

Amicitia inter Sanctos non morte extincta. Dum Tordo epiſcopus Stengrenenſis exequias S. Catharinæ Suecæ celebraturus ejus manum comprehendiſſet, viciſſim manum ſuam ab illius manu premi ſenſit, 1381. XLVI.

Amor in conſanguineos divino amore victus. Conſanguineos, ſuos paucis contentos eſſe juſſit Urbanus V. 1370. XXII. Mundanam amplitudinem in iis odit, *ibid.*

Amor divinus. Fingit Chriſtus ſe egenum, & panem a B. Margareta virguncula paupercula poſcit, 1395. XX. Eam ſacra prece luſtrat, *ibid.* Eſurienti panem dulciſſimum præbet, *ibid.*

Amurates Turcarum princeps latius in Europam propagat victorias, 1365. XXII. Zagoriam & Iſchebolem expugnat, *ibid.* Quintum quemque Chriſtianum puerum ejurata fide Genizaris ablegit, XXIII. Orientem ſibi ſubjicit, 1371. VIII. Italiæ minatur exitium, *ibid.* Solicitatus in eum fruſtra Anglus, *ibid.* In ipſum Genuenſes claſſem inſtruere parant, 1372. XXIII. Maximos in Græciam progreſſus facit, 1372. XXVIII. Raſciam, Valachiam, Thraciam, Albaniam invadit, *ibid.* Solicitatus in eum Ungariæ Rex, *ibid.* Solemnes conventus in Amuratem Thebis indicti, XXIX. Palæologus, ac principes Latini in eum concitati, *ibid.* Græciam affligit, 1373. II. In eum claſſem ſubſidiariam immittere Gregorius XI. meditatur, *ibid.* Tartaros in Ungarum concitare nititur Amurates, III. Indicta adverſus illum propoſitis indulgentiis duceque Ludovico Rege, ſacra expeditio, *ib.* Solicitatus Germanus ad jungenda in Amuratem arma VI. Palæologum Imperatorem Conſtantinopolitanum vectigalem, ac ſtipendiarium conſtituit, 1374. IV. Rebellantem filium Sauzem opprimit, *ibid.* Cogit Palæologum ut filio Andronico oculos adurat, *ibid.* Emanuelem Peloponeſi deſpotam ad ſequenda Signa Turcica adigit, V. Plures finitimos principes chriſtianos debellat, *ibid.* Parat in eum Romanus Pontifex claſſem, ne ex Aſia in Europam copias trajiciat, VI. Solicitat Ungarum, ut Ungariæ periclitaturæ conſulturus in eum ſigna attollat, *ibid.* Emanuelem Palæol. Theſſalonicæ principem opprimit Amurates, 1375. V. Confugientem ad ſe venia donat, illiuſque opera ad domandos Græcos utitur, *ibid.* Ejus progreſſus ingentes, 1375. IX. Ut Conſtantinopolitanum imperium ferme everterit, *ibid.* Palæologum vectigalem ſibi ſubjecerit, *ibid.* Bulgariam Serviamque concuſſerit, *ibid.* Indicta in eum Hoſpitalariorum expeditio, *ibid.* Genuenſes, Veneti, Siculi ad jungenda in illum arma a Gregorio Papa ſolicitati, *ibid.* In Græcos excurſiones facit, 1388. III. In eum Urbanus ſacram militiam indicit, IV. Propoſito in eum arma correpturis peccatorum venia, *ibid.* Conſtantinopolim obſidet, ſed repellitur, 1394. XXIII. Schiſmatis occaſione uſus profert tyrannidem, *ibid.* Irrumpit in Pannoniam, Dalmatiam, Serviam, & Achajam, *ibid.* Indicta in eum a Bonifacio IX. Sacra militia, *ibidem*, & XXIV.

Anconitani in ſinum Eccleſiæ reverſi, 1393. I.

Andreas Contarenus Venetorum dux ad ſchiſmatis fibras e Creta evellendas ſolicitatus, 1368. XVIII. Rogatus ab Urbano, ut ferat opem Palæologo Imperatori, 1369. V. Solicitatus, ut arma in Amuratem vertat, 1371. VIII.

Andreas Camaldulenſis Caſſinenſi monaſterio religioſæ diſciplinæ ſplendorem reſtituit, 1370. XVI.

B. Andreas Corſinus: Pia ejus mors, 1373. XXVII. De illius hora fit certior a B. Virgine, *ib.* Pie fidei ſymbolum profitetur, XXVIII. Ejus corpus ſacrum odorem ſpirat, *ibid.* Claret miraculis, *ibid.* Sanctorum catalogo poſtea adſcriptus, *ibid.*

Andreas Claromontius creatus a Bonifacio IX. tetrarcha in Siciliæ inſula, donec Maria Regina in Eccleſiæ ſinum redierit, 1391. IX. Sacramenti ab eo nuncupati formula, LXX. Cæſus a Martino Rege, 1392. III.

Andronicus Imperator, Calojoanne reſtituto a Venetis pulſus, 1379. LIV.

Andruynus Abbas Cluniacenſis ab Innocentio VI. miſſus pro pace Gallum inter & Anglum concilianda, 1360. I. Ambos Reges ſacramento ad illam adigit, admotis eorum Euchariſtiæ manibus, III. Flagitant ab Innocentio ambo Reges ut ille ſacra purpura donetur,

netur, *ibid.* Eam adipiſcitur, 1361. IV. Diſceptatur, an ſuffragium laturus ſit in deſignando Pontifice cum nondum os ipſi apertum eſſet, 1362. V.

Angelus e Vico præfectus Urbis tyrannus Viterbii ob navatam ſchiſmati operam percuſſus anathemate, 1378. CXI. Nova molitur in Urbanum VI. 1380. I. Repetita in eum ſententia in fruſta conciſus, 1387. XII.

Angelus Paloſius Epiſc. Tudertinus creatus presbyter Cardinalis tit. S. Marcelli, 1385. III.

Angelus de Anna de Summaripa creatus diaconus Cardinalis S. Luciæ in ſeptem ſoliis, 1385. III.

Angelus Acciajolus Epiſc. Florentinus creatus presbyter Cardinal. tit. S. Laurentii in Damaſo, 1385. III. Pilei pſeudolegati conatus elidit, 1389. IX. Urbani VI. partes amicorum opera tuetur, *ibid.* Mittitur Legatus a Bonifacio IX. in Neapolitanum regnum, 1390. X. Ipſi regni procuratio commiſſa adjuncta Regina Margareta, *ibid.* Ladiſlaum corona cingit, XI. Sacramento in verba Bonifacii adigit, *ibid.* Raymundum Archiepiſcopum Arelatenſem ob tentatum veneno Ladiſlaum in carcerem trudit, XVI. Adhibendæ in reos judiciariæ ſeveritatis authoritate inſtructus, *ibid.* Plura eccleſiaſtica prædia diſtrahere juſſus ad ferendam Ladiſlao opem, *ibid.* Et indicere ſingulis familiis aurei unius vectigal, *ibid.*

Anglia. Angliæ & Hiberniæ cenſum poſtulat Urbanus V. a Rege Anglo, 1365. XIII. Alia de Anglia. *Vide* Eduardus.

Angli Gallorum Cardinalium Schiſma execrantur, 1379. LI. Arguunt eos jactatæ muliebris formidinis, cum ad Sanguinem fundendum ſe paratos pileis rubeis glorientur, *ibid.* Non labefactatam eorum libertatem, quod petitus Italicus fuerit, *ibid.* Decernunt in Solemnibus conventibus Urbanum ut verum Pontificem colendum, 1379. XLII. Richardi Regis de eo ad Aragonum Regem literæ, *ibid.* Pium bellum ſuſceptum ab Anglis in Gallos, ſed impio conſilio, LIII. Ob patrata Sacrilegia divina vindicta percuſſi, *ibid.* Expeditionem in Gallos Schiſmaticos redintegrant duce Thoma Leceſtriæ, IX. Graviter eos atterunt, *ibid.* Anglicæ copiæ duce Acuto in Regnum Neapolitanum contra Gallos admiſſæ. VIII. Adverſus Caſtellæ Regem Schiſmaticum propoſitis indulgentiis excitati, 1382. VIII. In Gallos exercitum cruceſignatum in expeditionem educunt, ſed male avertunt in Belgas, IX. A B. Ethelreda admonentur, ut divinas iras precibus leniant, 1389. XIX. Duobus inſignibus miraculis confirmatum cæleſte viſum, *ib.* Denegant pacem ſe daturos Gallis niſi Pontifici pacem ipſi dederint, 1391. XXIV.

Anglicus Grimoardus Card. Urbani V. frater, creatus Epiſcopus Avenionenſis, 1362. XIX. Cardinalitia purpura donatus, 1366. XXXIII. Præfectus Bononiæ, 1367. XVII. Frater Urbani V. 1370. XX. Refelluntur qui ipſum nepotem illius fuiſſe tradunt, *ibid.* De morte Urbani fit certior, *ibid.*

Anima. Cœleſte viſum de Salvandarum animarum paucitate, 1356. XLII. Animas duas finxit in homine Wicleffus, 1380. XXIII. Animam dixit eſſe completum hominem, *ibid.* Animam tantum ſuſceptam a verbo, *ibid.* Animas intuitive vidit S. Catharina Seneſis, XXV. Earum pulchritudinem intuebatur, *ibid.* Ajebat eum, qui animæ rationalis pulchritudinem viderit, centies vitam pro unius ſalute expoſiturum, *ibid.* Anima S. Catharinæ defunctæ locuta Raymundo Capuano confeſſario ſuo Genuæ omnia, quæ ipſi dicenda præceperat. XXVII.

Annatæ. Eas ſolvi Pontifici vetat Joannes Wicleffus, 1382. Eripi cœptæ a Gallis Petro e Luna antipapæ pontificalia inſignia ponere, renuenti, 1395. XIV.

Antipapa. Pſeudopapam habuere Fraticelli hæretici, 1374. XV.

Antonius Maſſanus Epiſc. a Gregorio XI. in Delphinatum miſſus Waldenſes in carceres conjicit, 1375. XXVI.

Antonius Salvianenſis fidei cenſor ab hæreticis cæſus, 1375. XXVI.

S. Antonius. Ejus imago percuſſa flammas in ſacrilegum jaculatur, 1376. IX.

Antonius comes Montisferetri Urbini toparchia donatus a Bonifacio IX. 1390. XVIII.

Antonius e Vintimilio Gulifani comes creatus tetrarcha a Bonifacio IX. in Siciliæ inſula donec Regina Maria damnaſſet ſchiſma, 1391. IX.

Antuerpienſes ad antipapam deficiunt, 1391. I. Plures catholicos Sacerdotes contrucidant, *ibid.* Ad eos in Eccleſiæ gremium revocandos Guillelmus Epiſcopus Anconitanus miſſus, *ibid.*

Apoſtolica Sedes transferri Romam divinitus juſſa, 1379. VIII. Id ſignificatum a S. Birgitta Chriſti juſſu Clementi VI. *ib.* Eidem, quia non paruerat, divinam iram intentarat, *ib.* Urbano etiam V. divina revelatio de ea re oblata a Petro Aragoniæ principe Minorita, IX. Prædicta a S. Brigitta eidem mors, ſi Avenionem rediret, *ibid.* Mandata etiam a Chriſto Gregorio XI. Ut ſedem Romam transferret per S. Birgittam expoſita, X. Gregorius dum Avenionem transferre iterum meditatur, extinctus, XI. Urbano VI. Expeditionem Neapolitanam ducenti denuntiatum in urbem etiam invitum rediturum, 1388. VIII. S. Petrus eidem iter verſus Urbem commonſtrat, *ibid.* Apoſtolica ſedes infidelium Chriſtianos opprimentium terras in piorum imperium transferre poteſt, 1389. VI. Manfredus Claromontius Gerbarum & Cherchinarum inſularum jus fiduciarium ab Urbano VI. accepit, *ibid.* Carolus III. Rex Neapolitanus dum coluit Urbanum feliciſſimus, 1381. XXV. Ubi eum injuriis affecit cæditur proditione, 1386. I. Ejus filius Regno Neapolitano dejectus, 1387. I. Dividit Bonifacius IX. Trinacriam in Tetrachias donec Maria Regina damnarit ſchiſma & cenſus intermiſſos perſolverit, 1391. IX. Apoſtolicæ Sedis authoritatem novis hæreſibus convellere aliqui nituntur in Galliis, 1394. XVIII. Ad Apoſtolicam ſedem adeundam ſingulis triennis Cantuarienſis Archiepiſcopus obſtrictus, 1396. IX.

Aqua. Baptiſmo omnes ablui ea aqua, quæ fluxit e Chriſti latere delirat Joannes Wicleff, 1396. XII.

Aquenſes Urbano VI. ſtudent, ſed multo ſanguine fuſo oppreſſi, 1381. XXVI.

Aquila rebellat in Urbanum VI. & Carolum Dyrrachinum, 1382. II.

Aquilejenſis Eccleſia de reſtituendis illi priſtinis juribus a finitimis principibus actum ab Innocentio VI. 1359. XIV.

Aquitani & Aquitania. Aquitania multis aucta provinciis principem nanciſcitur, 1360. III. Aquitani gravioribus imperiis ab Eduardo Anglo fatigati ſupremum principem agnoſcunt Gallum Regem, 1369. XI.

Aragones, Schiſmatis tempore decernunt neutri parti adhæreſcere, 1379. XLII. Richardi Angliæ Regis ad Petrum Aragonum Regem de vero Urbani VI. Pontificatu literæ, *ibid.* Melendus Epiſcopus Cordubenſis miſſis in Aragoniam internuntius pro collocanda in luce ſchiſmaticorum perfidia, XLIII. Intercipitur a Petro e Luna, *bid.* Monitus Petrus Rex Aragonum, ne ejuſdem mendaciis ſubornari ſe patiatur, *ibid.* Admoniti neutralitatem genus ſchiſmatis eſſe, XLV. Graviſſima mala in Aragones redundarunt ex legati pſeudopontificis in Aragoniam ingreſſu, XLVII. Deficiunt ad Antipapam a Joanne Rege impulſi, 1387. X. Magna pars cleri & populi tenuit latam inique a Rege ſententiam, 1394. XI. Seducuntur a Petro e Luna Gallos nullum Pontificem niſi ſui generis pati poſſe, XIII.

Aranea Wicleffiſtæ blaſphemantis in Euchariſtiam impium os obſidet, 1396. XVII.

Arbores infeſſæ dæmonibus cultæ a Lithuanis, 1386. V. Exercita a dæmonibus ſævitia in idololatras, qui eas tetigiſſent, 1387. XV.

Archiepiſcopus Toletanus ſcribit commentarium in controverſia ſchiſmatis, 1380. XIV. *Vid.* Petrus Tenorius.

Argos adjuncta Venetæ ditioni, 1388. V.

Armenia & Armenii. Armenii ad excutiendum Saracenorum jugum ab Urbano V. ſolicitati, 1365. XXI. Ut Livonem Regem agnoſcant, *ibid.* Armenia vaſtata a Mahometanis, 1366. XIII. & 1372. XXX. 1375. IX. Philippus Tarentinus ad opem illi ferendam ſolicitatus, 1372. XXX. Armenia a Saracenis occupata, 1381. XLIX. Leo Rex in Gallias ad Regem & antipapam auxilia petiturus profugit, 1381. XLIX.

Arnaldus e Servola ſocialium prædonum dux, 1365. V. Propulſatus Alſatia, *ibid.* A ſuis trucidatur, *ibid.*

Arnaldus Montanerius pſeudominorita damnatus hæreſeos, 1373. XIX.

Arnoldus Leodienſis Epiſcopus jam defunctus renuntiatur Card. ab Urbano VI. 1385. III.

Artalis de Alagona Trinacriam aſſerit Aragoniis, 1375. VIII.

Aſtorgius e Manfredis Faventina præfectura ornatus a Bonifacio IX. 1390 XVIII.

Aſtra adorata a Canariis, 1366. XIV. Miſſi ad eos præcones evangelici, *ibid.*

Athenarum ducatus infeſtatus ab Amurate, 1394. XXIII.

Atheus Bernabos Vicecomes, 1362. XII. *& ſeq.*

Avaritia. Ob mercatorum avaritiam infideles in Chriſtianos potentia aucti, 1359. XVI.

Avenio. Clemens VI. a Chriſto juſſus interprete S. Birgitta Sedem Apoſtolicam Avenione Romam transferre, 1379. VIII. Juſſus pariter a Chriſto Urbanus V. & de ſchiſmate imminente avertendo præmonitus, tranſlata Romam ſede, IX. Intentata eidem mors ſi Avenionem rediret, *ibid.* Intentata iterum a S. Birgitta, *ibid.* Gregorius XI. Chriſti imperio per S. Birgittam expoſito Avenione Romam ſedem tranſtulit, X. Id teſtatur Alfonſus cremita olim Epiſc. Giennenſis, qui divinum hujuſmodi imperium S. Birgittæ nomine attulit eidem Gregorio, *ibid.* Dum Avenionem transferre ſedem molitur Gregorius extinctus, XI. Prædictum quidquid moliantur Cardinales, ſedem Roma non tranſlatum iri, *ibid.*

Avenionenſes Cardinales certiores facti de libera Urbani VI. electione a Gallis Cardinalibus publicis literis, 1378. XIX. Urbano obſequia, ut vero Pontifici deferunt, XX. Præfectum arcis Hadrianæ reſtituere jubent Urbano arcis imperium, XXIV. Antipapæ ſe conjungunt, 1379. XXX. Avenionenſes adhærent pſeudocardinalibus adverſus Papam, 1379. XXX.

Auſtria ſchiſmate infecta, 1386. VIII.



# B

BAcchantes a dæmonibus agitati, 1374. XIII.

Bajazetes Turcarum princeps ad Nicopolim cruentam victoriam refert amiſſis ſexaginta Turcarum millibus, 1396. XVIII.

Baldus juriſperitus conſultus ex ficto ſchiſmaticorum themate an valeret Urbani electio, 1378. XXXVI. Ex falſa hypotheſi non electum libere Urbanum ut Italum, ut Barenſem tamen libere electum demonſtrat, *ibidem*. Probat ex eo, quod tumultuans populus nullius nomen expreſſerit, *ibid.* Adverſariorum proponit argutias adverſus Urbanum, *ibid.* Celebratam electionem ante tumultum oſtendit, XXXVII. Poſt tumultum ut purgaretur metus cauſa repetitam, *ibid.* Expreſſas fuiſſe cauſas cur eligeretur, *ibid.* Conſenſum per ſcripta fuiſſe expreſſum, *ibid.* Populum non compuliſſe ad iterandam electionem, ergo eam fuiſſe liberam, *ibid.* Conſtantiam in agnoſcendo tuendoque Urbani pontificatu ex veritate, non ex metu fluxiſſe, 1378. XXXVII. Intentionem eligentium verbis expreſſam, *ibid.* Obiicientibus Gallis conſpiratum fuiſſe de Gallo eligendo, reſpondet divinitus eam conſpirationem diſſolutam, *ibid.* Si aliquod vitium in prima electione fingatur, in ſecunda fingi non poſſe, *ibid.* Tumultum etſi occaſionem dare potuerit, non tamen coegiſſe, *ibid.* Objectionem de jactatis periculi rumoribus elidit, *ibid.* Non coegiſſe populum ad eligendum ut eſſet verus Papa, *ibid.* Conſenſum Cardinalium ex eorumdem confeſſione demonſtrat, XXXVIII. Quid ſine eo tumultu facturi eſſent ipſos Cardinales vaticinari non poſſe, *ibid.* Concludit pro Urbano ex pluribus argumentis, *ibid.* Peruſio Romam ab Urbano evocatur, XXXIX. Pro eo iterum ſcribit adverſus ſchiſmaticos *ibid.* Allegationes Baldi in append. I. Arguit tria Cardinalium themata eſſe inter ſe pugnantia, *ibid.* uſque ad VIII. Viginti ejuſdem concluſiones adverſus ſchiſmaticos, VIII. Probat veram fuiſſe Urbani electionem ex dictis adverſariorum, IX. *& ſeqq.* Si controvertitur, an juſtus fuerit metus, Cardinales controverſiæ judices eſſe non poſſe contendit, XXIV. Cardinalibus in conclavi agentibus impreſſionem non eſſe, notam, XV. Potuiſſe ſperni popularem tumultum, *ibid.* Non probare eſſe notoriam impreſſionem dum probare volunt ſacramento, XVI. Diſceptat impreſſionis vitium purgari potuiſſe per liberos actus conſecutos, XX. Repetitam fuiſſe electionem pro avertendo ſchiſmate, *ibid.* Comprehenſos non fuiſſe Cardinales, ut Urbanum deligerent, XXI. Si quis metus fuerit, eum fuiſſe præſumptivum, *ibid.* Cum non conſtet, an nulla fuerit electio, non potuiſſe Cardinales ad aliam procedere, *ibid.* Ita cum liberet ſchiſma conflaturos, *ibid.* Cum non conſtat an ſedes vacet, Cardinales celebrare electionem non poſſe, XXII. Debuiſſe eſſe illuſtrem cauſam, cur removeretur primus, *ibid.* In dubio obſequendum primo in Pontificatum inducto, XXIII. Electio duarum partium eſt definitiva ſententia quod ſit verus Papa, *ibid.* Cardinalium teſtimonium non valet contra literas miſſas ad principes, XXIV. Aut eæ falſæ fuere, aut veræ: ſi falſæ, ſunt fide indigni & inſtabiles: ſi veræ, ergo ſtat Urbani Pontificatus, *ibid.* Ut conſpiratores & detractores a teſtimonio repellendi, XXV. Concorditer & canonice, quamvis obſtreperet populus, elegerunt, XXVI. Ex concordia verbali mentalis

talis arguitur, *ibid.* Etſi tumultus Cardinalium animos commoverit, libertatem tamen non ademit, *ibid.* Credi non poteſt Cardinales tot actibus voluiſſe pſeudopontificem inducere: ergo in eum vere conſenſere, *ibid.* Non habent ii niſi præſumptiones leves quæ per fortiores delentur, XXVII. Non præſumi debent ita fragiles, ut præſumi volunt, XXVIII. Argumentum inſolubile ex modo electionis, & adjectione vocis ut eſſet verus Papa, XXIX. Pondus voluntatis & amoris expreſſit eam vocem non animi titubantis neceſſitas, XXX. Metus non vitiat niſi ſit principalis cauſa electionis, XXXI. Argumentum ex impoſitione thiaræ pontificalis, *ibid.* Probatur a ſimili, ſi electores Imperatorem ſine alia electione coronarent, *ibid.* Si ſolemniter, ut ajunt Cardinales; ergo juſte & canonice, XXXII. Ratihabitio ſupplet quod defuit actui, ex eo quod non ſunt conteſtati de contrario, probatur noluiſſe conteſtari; XXXIV. Ex caſu conficto quiſque conſenſit; quia putabat ſocium conſenſiſſe: ergo conſenſerunt, XXXV. Non præſumenda eſt in Cardinalibus fictio, quæ poſſit ſchiſma inducere, *ibid.* Si ficte coronaſſe dicant, ſunt ſchiſmatis artifices, & everſores Eccleſiæ, XXXV. Si diſplicebat Urbanus, non debuere reverti; nec de eo ſcribere, XXXVI. Numquam antea auditum, ut Cardinales adeo pugnantia ſecum dicerent, *ibid.*

Baptiſmus. Baptiſmi ſub conditione conferendi formula, 1374. VIII. Triginta millia Lithuanorum uno die baptiſmo abluta, 1387. XV. Judæi ex variis partibus ad ſuſcipiendum baptiſma ſe in Italiam conferunt, 1388. X. Negat illum ad ſalutem neceſſarium Wicleffus, 1384. XI. Fœtus ſine baptiſmo extinctus ad vitam revocatus precibus S. Birgittæ, ut Baptiſmo luſtraretur, 1391. XXXII. Et alius eamdem ob cauſam S. Martini precibus ad vitam excitatus, 1393. VII. Baptiſmum rite in Eccleſia conferri negat Franciſcus Portarius, 1396. VIII. Baptiſmus parvulorum a Wicleffo impugnatus, 1396. XII. Adultorum etiam inani figmento oppugnatus, *ibid.*

Bartolinus Placentinus juriſconſultus, de procuratore dando Urbano VI. ut furioſo Eccleſiam in diſcrimen coniicienti controverſiam agitat, 1385. I. Ingentium malorum author extitit, *ibid.* Ejus propoſitiones, *ibid.*

Baſilicæ Urbis quotidie luſtratæ a S. Birgitta, 1391. XXX.

Baſſarath ſchiſmaticus Bulgariæ tyrannus Bodonio potitur, 1368. XVIII. Minoritas interceptos martyrio afficit, *ibid.*

Begardi ab Urbano V. legibus ſubiici juſſi, 1365. XVII. Hollandiam Germaniamque inficiunt, 1372. XXXIV. Diſtricta in eos judicia, *ibid.*

Bellum. Bella juſta geri poſſe negant aliqui Wicleffiſtæ, 1395. XVIII.

S. Benedictus. Reliquiarum illius portio Montempeſſulanum tranſlata, 1367. I. Conditum in illius honorem monaſterium ab Urbano, *ibid. Vid.* Caſſinenſe monaſterium.

Benedictus XIII. *Vid.* Petrus e Luna.

Beneficium eccleſiaſticum, *Vid.* Sacerdotium.

Beneventum juri ſedis Apoſtolicæ reſervatum in conceſſione Regni Neapolitani, 1381. II. & XV. Circumſcribendorum ejus agri limitum authoritas ad Pontificem ſpectat, XV. De eorumdem privilegiis non infringendis a Regibus Neapolitanis II. & XV. Reſervatum etiam a Bonifacio IX. cum regnum Ladiſlao collatum eſt, 1390. XII.

Bernabos dux Mediolanenſis edictis & armis a Cæſareo legato petitus, 1356. XXX. Novariam Aſtamque amittit, *ibid.* Genua ab eo deficit, *ibid.* Monitus a Pontifice, ut divinas iras placet, *ibid.* Cæſareum legatum fundit capitque, *ibid.* Ob receptam a Joanne Olegiano Bononiam bellum legato intendit, 1360. VI. In Bernabonem ſolicitati a Pontifice principes, *ibid.* Incitati Imperator & Ungarus, *ibid.* Intendit litem Bernabos legato, cauſaque excidit, *ibid.* Oblata illi auri vis ut cœpta abiiciat, *ibid.* Pacis formulam reiicit, X. & 1360. VI. Bononiæ obſidione propulſatus, *ibid.* Inſtaurat pacis colloquia, *ibid.* Bellum poſtea magis urget, 1361. I. Pontificiis cæſareiſque edictis ob affectatam Bononiam defigitur, *ibid.* Adhibet Joannem Regem Francorum concordiæ interpretem, 1360. XII. Datum ab Urbano V. reſponſum, ut cœpto ſcelere abſiſtat, *ibid.* Pontificio edicto defigitur; *ibid.* Ut faverit Ordelaffo tyranno, *ibid.* Indigniſſime archiepiſcopum Mediolanenſem habuerit, *ibid.* Atheum ſe profeſſus ſit, *ibid.* Contulerit eccleſiarum adminiſtrationem, *ibid.* Horrendam exercuerit tyrannidem, XIII. Judicium hæreſeos ei fuerit intentatum, *ibid.* Parata in ipſum arma, XIV. De pace colloquium ficte redintegrat, 1363. I. Damnatur hæreſeos, II. A marchione Ateſtino profligatur, III. Indicta in illum cruceſignata expeditio, IV. Bellum Aſiaticum dilatum, donec ipſe redigatur ad officium, *ibid.* Convincitur Galliæ & Cypri Regibus illuſiſſe, V. De eo communibus armis obruendo agitatum, V. Venetos in Patavinum principem concitat, *ibid.* In ipſum Imperator, Ungarus, aliique principes arma jungere comminantur, 1364. I. *& ſeq.* Ad pacem adigunt, *ibid.* Quibus legibus eam iniverit, III. *& ſeqq.* Vocatur in belli ſocietatem a Piſanis, VII. Ejus metu Florentini cum Piſanis fœdus percutiunt, *ibid.* Prædones fœderatos in eccleſiaſticam ditionem immittit, 1366. XX. Ex Imperatoris in Italiam adventu terrorem concipit, XXVII. Illum inter & Genuenſes concordiæ interpretem agit Urbanus Papa, 1367. IV. Diſtrictæ ab Urbano in ipſum leges, 1368. I. Expoſita ejus ſcelera, II. Vocatus in auxilium Eccleſiæ Imperator, III. A Pontifice Cæſaris metu pacem expetit, VIII. Bellum in Eccleſiam redintegrat, 1369. VII. In Florentinos prædonum Anglicorum turmas immittit, *ibid.* Eos cædit, *ibid.* In eum Ludovicus Rex Ungariæ ſigna attollere parat, IX. Etruriam infeſtat, 1370. XIV. In eum principes Itali, Carolus Imp. Ungaruſque Rex ſolicitati, *ibid.* & 1371. VII. Pacem cum Pontifice ac fœderatis, redintegrat, *ibid.* Judiciariis edictis a Gregorio ob jus eccleſiaſticum violatum defigitur, 1372. I. Marchionem Ateſtinum profligat ad Herberiam, III. Damnatus perfidiæ a Gregorio XI. 1373. X. Immania illius in ſacerdotes aliquos facinora, *ibid. & ſeqq.* Ut eccleſiaſtica munera pro libidine contulerit, XI. Pontificiam oppugnarit authoritatem, XII. Judicio hæreſeos poſtulatur, *ibid.* Implorata in ipſum principum auxilia, XIII. Ejus copiæ profligatæ, *ibid.* Pacem expetit, *ibid.* Ob inſignem perfidiam non fidendum videri reſponſum, *ibid.* Severa in eum edicta promulgat Imperator, 1374. XV. Permittit Pontifici, ut Inſubriæ urbes in clientelam Eccleſiæ recipiat, *ibid.* Aculeatis verbis pungit Gregorium, quodve illi datum ſit reſponſum, *ibid.* Plura ditionis ſuæ loca amittit, *ibid.* Expetit inducias, *ibid.* Quibus pactionibus fœdus ſanxerit cum Gregorio, 1375. XVI. Proditus a Joanne Galeatio, 1485. XII. Ejus opes ceſſere in premium proditoribus, *ibid.* Veneno perimitur, *ibid.*

Bernardus e Sala antipapæ copiarum dux extrema internecione divinitus cæſus, 1379. XXIV.



XXIV. Collectis latronum copiis patrimonium B. Petri vexat, 1389. VIII.

Bertrandus Epiſc. Convenarum pro Regibus Caſtellæ & Aragonum ad pacem revocandis miſſus ab Innocentio VI. 1356. XXXVIII. Ad ſedandos Caſtellæ motus internuntius miſſus, 1370. XVII.

Bertrandus Guſelinus Petrum Regem Caſtellæ bello profligat, 1369. XI. Obſidet, promiſſaque dantem allicit in tentorium, & Henrico trucidandum obiicit, *ibid.*

Bertrandus Latigni creatus Card. a Gregorio XI. 1371. X.

Bertrandus de Canaco creatus Cardinalis ab eodem Gregorio XI. *ibid.*

Biordus Peruſium vexat, 1393. III. Corripit Peruſii tyrannidem, 1395. XVII. Tudertum occupat, *ibid.* Perculſus anathemate, *ibid.* Trucidatus a ſocio, 1396. I.

S. Birgitta prædicit Urbano V. ipſum moriturum ſi Avenionem repetat, 1370. XIX. Chriſtus illi mortem prædicit, 1373. XXV. Sacramentis rite munitur, XXVI. Oſtenſa viro pio felix immortalitas illi parata, *ibid.* Coruſcat miraculis, *ibid.* Repoſita in cœlitum catalogo a Bonifacio IX. *ibid.* S. Birgittæ vaticinium de Græcorum ob ſchiſma everſione, 1374. IV. Chriſti juſſu Clementem VI. admonuit, ut pacem inter Galliæ & Angliæ Reges componeret, rediret Romam, diſciplinam eccleſiaſticam inſtauraret, jubileum annum indiceret, 1379. VIII. Intentavit eidem divinam iram quia omnino non paruerat, *ibid.* De Innocentio VI. Divinam revelationem etiam accepit, *ibid.* Urbanum V. divino juſſu monuit, ne Italia diſcederet, citoque moriturum, ſi Avenionem rediret, IX. Illius filia S. Catharina urget in curia Romana cauſam referendæ matris in cœlitum ordinem, 1379. XIV. Ob ſchiſmatis difficultates retardata ejus conſecratio, 1381. XLV. Decretus B. Birgittæ a Bonifacio IX. Sanctarum Viduarum cultus, 1391. XXIX. Auſterius vitæ genus ab ea in viduitate ſuſceptum, XXIX. Quotidie Baſilicas urbis luſtrabat, XXX. Summa illius in præſules obſervantia, *ibid.* Exomologeſim diebus ſingulis repetiit, *ibid.* Sæpius dum oraret, vultu radioſo ſublimis e terra conſpecta, XXXI. Puerum ad vitam revocavit, XXXII. De pia jus morte, XXX. §. Cum

Bituricenſis dux ſe conjungit Petro e Luna pſeudolegato adverſus ſorbonicos ſchiſmati abolendo operam dantes, 1394. III. Fruſtra orat Petrum e Luna antipapam ut honore abeat abdicante ſe Pontifice, 1395. X.

Blanca Regina Caſtellæ a viro deſerta, 1356. XXXIX. Ab eodem necata, 1361. VI.

Blaſphemi. Divina in blaſphemum hominem ultio, 1383. X. E ſacris imaginibus ab eo conciſis cruor manat, 1383. X. In blaſphemum divinæ ultionis exemplum, 1396. XVII.

Boemiæ Rex: Illi ſeptemviratus dignitas aſſerta, 1356. XIII.

Bonifacius IX. ante pontificatum dictus Petrus vulgo Perinus Thomacellus Neapolitanus Cardinalis, creatur Pontifex, 1389. XII. Die S. Martini ſolemni pompa corona redimitus, *ibid.* Caſtitatis laude excelluit, *ibid.* Tria poſtrema Urbani VI. decreta de anno jubilæo ad trigeſimum tertium annum redacto, de feſto viſitationis Virginis Deiparæ, de indulgentiis collatis ſociaturis Corpus Chriſti, confirmat, XIII. Adamum Anglicum exauthoratum ab Urbano VI. reſtituit cardinalatui, *idid.* Pileum quoque Ravennatem ſchiſmaticum venia & priſtino gradu donat, *ibid.* Inſtaurat Adrianam arcem, *ibid.* Summum in Romanos exercet imperium, *ibid.* In cum antipapa ferre auſus impiam ſententiam, XIV. Annum jubileum celebrat, 1390. I. Animadverti jubet in pſeudomonachos falſas indulgentias divendentes, II. Venceſlai Cæſaris ad eum literæ, III. Pacta pro redintegranda eccleſiarum conjunctione fœdera, IV. Eccleſiaſticas decumas Venceſlao pro Italicæ expeditionis ſumptibus tribuit, V. Bavariæ ducem concordiæ interpretem adhibet, VI. Cardinalatus honorem anticardinalibus, & antipapæ legationem etiam Gallicam & Caſtellanam offert ſi reſipiſcant, VII. Solicitat Reges, ut pro eccleſiaſtico fœdere inſtaurando conjungant ſtudia, VIII. Internuntium in Trinacriam decernit pro reconciliandis iis, qui ab Eccleſia, defecerant, IX. Damnandi ſchiſmatis formulam proponit, *ib.* Ladiſlaum admittit in gratiam, X. Cenſuris ſolvit, *ibid.* Regia dignitate exornat, *ibid.* Cardinalem Accajolum ad conferenda illi regia ornamenta decernit, *ibid.* Regni procurationem eidem Cardinali legato committit, & Reginæ Margaretæ, *ib.* Publicis literis acceptum ejus beneficentiæ regnum Ladiſlaus refert, XI. Archiepiſcopum Arelatenſem Ladiſlai proditorem forenſi ſatellitio tradi jubet, XVI. Submittit auxilia Ladiſlao adverſus Ludovicum Andegavenſem, XVII. Eaque de cauſa indicit unius aurei vectigal familiis ſingulis, *ibid.* Eccleſiaſtica bona oppignerat vel diſtrahit, XVIII. Plurium urbium toparchias jure fiduciario proceribus confert, XVI. Ferrariam Alberto Ateſtino *ibid.* Ab eo ad antipapam deficit Carolus Rex Navarræ, XX. Decernit in Caſtellam legatos pro revocandis in Eccleſiæ ſinum Hiſpanis, 1391. I. Contracti ſchiſmatis dolorem ob Joannis Regis triſtem caſum præſeferebant, II. Cenſuras omnes diſſolvendas & clero priſtinas dignitates aſſerendas offert, *ibid.* Authoritate redintegrat connubium Henrici Regis cum Catharina Leceſtrienſi dummodo ſchiſmata execrentur, III. Diſcuſſa ab Archiepiſcopo Toletano Caſtellanorum converſio, IV. Pœnitentiam publicam ſacerdotum interfectoribus imponit, *ibid.* Ad Trinacrios inter ſe conciliandos mittit internuntium, XV. Mariam Reginam ob vectigal non perſolutum Trinacriæ jure excidiſſe pronuntiat, *ibid.* Viro catholico non nupſerat coutra pactionem, VII. Trinacriam in quatuor tetrarchias dividit, IX. Imperat ſingulis tetrarchis cenſum, *ibid.* Sacramenti ab iis nuncupandi formulam præſcribit, X. Ludovicum Andegavenſem ſolemni ritu anathemate damnatum promulgari jubet, XII. Raymundum e Baucio Romanæ Eccleſiæ ſigniferum creat, *ibid.* Neapolitanos proceres ſolicitat, ut antipapæ, & Ludovici partes deſerant, *ibid.* Edicta Urbani in illum & ſectatores inſtaurat, XIII. Cum Florentinis fœdus iniit adverſus Joannem Galeatium Vicecomitem, *ibid.* Eccleſiaſticam libertatem a Richardo Rege Angliæ obtritam aſſerit, XV. A ſacrilegis ſubornatum pronuntiat, XVII. Non ſpectare ad laicos ſacrarum rerum adminiſtrationem decernit, XVIII. Regia edicta de conferendis ſacerdotiis reſcindit, *ibid.* Anathemate percellit ſacerdotiorum invaſores, XIX. Inſtaurat Caroli IV. edictum de libertate eccleſiaſtica, *ibid.* Aperit Anglo Gallorum Regis & antipapæ coitiones, XXIII. Ne fœdus cum Gallo ineat niſi paci Italiæ conſulat, *ibid.* Dyrrachium recuperare tentat, XXVII. Concedit illud Stratimiro Raſciæ Principi, XXVIII. Macedones & Dalmatas conjungere in Turcas nititur, *ibid.* Reponit Birgittam in ſanctarum viduarum numero, XXIX. Joannem Thomacellum cum exercitu in auxilium Ladiſlai ſubmittit, 1392. I. Vacantium ſacerdotiorum dimidium vectigal

ob

ob ſchiſmaticorum bella ſibi reſervat, *ibid.* Mittit internuntios ad exigendum a Maria Regina Trinacriæ fidei ſacramentum, *ib.* Eccleſiarum varias poſſeſſiones ob bellorum tumultus diſtrahit, IV. Proceres ac diſſentientes conciliare tentat, *ibid.* In Malateſtam e Malateſtis adhibet judiciariam ſeveritatem ob Tudertum occupatum, *ibid.* Franciſco Mantuæ domino Gonzagæ oppidum tradit, *ibid.* Bononienſes ad obſequium redeuntes admittit, V. Clementiam in Peruſinos explicat, *ibid.* Urbis imperium recipit, *ibid.* Anconitanos ad officium revertentes excipit, 1393. I. Viterbium revocat in Romanæ Eccleſiæ gremium, II. Joannem e Vico ad officium redigit, *ibid.* Occupatarum urbium tyrannos præfectos inſtituit, *ibid.* Rogatur & a Romanis, ut in urbem redeat, V. Pactiones cum iis conficit pro afferenda Sedis Apoſtolicæ dignitate, *ibid.* Decernit ad Gallorum Regem & anticardinales oratores, 1394. XV. Proponit veniam redituris, XVI. Præſcribit formulam damnandi ſchiſmatis, XVII. Archiepiſcopum Burdegalenſem collega defuncto in Hiſpanicæ legationis munere confirmat, XVIII. Sacram militiam in Ludovicum Andegavenſem promulgat, XX. Anathematis ſententiam fert in Pandulphum Malateſtam perduellem aliiſque pœnis afficit, XXI. Ferrarienſem præfecturam Nicolao notho principis Ateſtini confert, *ibid.* Novam & in aliquibus juri pontificio adverſam Sacramenti formulam a Richardo Rege exactam ab eccleſiaſticis reſcindit, XXII. Sacram militiam indicit adverſus Amuratem, XXIII. Joannem Dominicum ordinis Prædicatorum ad Germanos concitandos in Turcas mittit, XXIV. Venetos ad ſacrorum armorum fœdus ſolicitat, XXV. Omnes conatus collocat ad Ladiſlaum in Neapolitano Regno confirmandum, 1395. XVI. Romani magiſtratus in eum arma ſumunt, ſed reprimuntur a Ladiſlao, XVII. Arcem Hadrianam & Capitolium communit, XVI. Malateſtam e Malateſtis perduellem & Biordum Peruſii tyrannum cenſuris percellit, *ibid.* Peruſinos ad ipſius obſequium redeuntes admittit, 1396. I. Joannem e Vico in gratiam recipit, II. Subornatos ab internuntiis Petri e Luna Romanos placat, II. In eum conjurat Richardus Rex Anglorum ut ipſum ad abdicandum ſe pontificatu cogat, cum falſo ſponderet antipapa tunc ſe antipapatu abiturum, II. Bonifacius prohibet aditu in urbem Petri e Luna oratores, *ibid.* & III. Mittit ad eos Segobienſem Epiſcopum, atque ab ipſo proditur, *ibid.* Pro Trinacriis in obſequio continendis laborat, IV. Fœdere eos conjungere nititur in Martinum Regem Aragonum Schiſmaticum, V. Gallos Italia pellere nititur, VI. Cenſuras incutit ſocietatem cum illis inituris, *ibid.* Novum hæreſiarcham comparentem Bononiæ comprimit, VIII. Richardum Anglorum Regem ad Wicleffiſtas abolendos urget, IX. Orat, ut Epiſcopos regia authoritate in illos armet, *ibid.*

Bononia. Joannes Olegianus de Bononia Pontifici reſtituenda paciſcitur, 1356. XXX. & 1360. VI. *& ſeq.*

Bononienſes pontificium jugum excutiunt, affectantque libertatem, 1379. XXXV. Tentantur ab Antipapa, *ibid.* Eo repudiato Urbanum Pontificem colunt, *ibid.* Affectat eorum dominatum Joannes Galeatius vicecomes, 1391. XIII. Fœdus ineunt authore Bonifacio cum Florentinis, *ibid.* Profitentur Bononiam juris eſſe pontificii, 1392. V.

Borbugenſis Eccleſia divinitus adverſus ſacrilegos defenſa, 1382. XI. Miraculis illuſtrata, *ibid.*

Boſnia. Amplificata in ea fides, 1368. XVIII. Infecta impietate, 1369. XII. In ea Minoritæ plures ad fidem convertunt, 1372. XXXII. Infeſtata ab Amurate, 1394. XXIII.

Bothnia. Illius pars ſeptentrionalis ethnica ſuperſtitione merſa, 1387. XVIII.

Brandeburgenſis marchia adjuncta regno Boemiæ a Carolo IV. 1374. XIV.

S. Brigitta. *Vid.* S. Birgitta

Britones & Vaſcones ſchiſmatici magna clade deleti divinitus, 1379. XXIV.

Bruxella Belgii urbs inſignis ob edita prodigia divinitus ab Euchariſtia, quæ a Judæis tranſfoſſa ſanguine manavit, 1379. LIX.

Bulgaria a Ludovico Rege Ungariæ domita, 1366. XI. Propagata in ea fides catholica, *ibid.* Amplificata eadem fides a Ludovico Rege Ungariæ, 1368. XVIII. Ungari Regis jugum excutit Bulgaria, *ibid.* Bulgari ſchiſmatici minoritas martyrio afficiunt, *ibid.* Bulgariæ Regina ad fidem converſa, 1370. V.

# C

CAlojoannes reſtitutus Conſtantinopolitano imperio a Venetis, 1379. LIV.

Canarii aſtra adorant, 1369. XIV. Decreti ad eos evangelio colluſtrandos ſacerdotes Aragonenſes, *ibid.*

Canonizatio Sanctorum. Objurgati ab Urbano V. qui ſine Apoſtolicæ Sedis judicio ſanctorum honores cuiquam conferunt, 1368. XI. *& ſeq.*

Cantus eccleſiaſticus damnatus a Wicleffiſtis hæreticis, 1382. XXXIV.

Cardinales creati ab Innocentio VI. 1356. XLI. De tranſmittendo pileo rubeo novo Cardinali agitatum, 1357. II. Cur ea in re difficultas oborta, *ibid.* Tranſmiſſum poſtea, *ibid.* Novi Cardinales creati ab Innocentio, 1361. IV. Orta lis, an Cardinalis, cui os nondum apertum ſit, conclave ingredi debeat, 1362. V. Decretum, ut ferat ſuffragium in creando Pontifice, *ibid.* Cardinales creati ab Urbano V. 1366. XXXIII. & 1367. II. Cardinales Galli repugnant Urbano ne ſedem Apoſtolicam Romam revehat, II. & ſeq. Eorum intemperantior a Deo caſtigatus, *ibid.* Alii Cardinales creati ab eodem Urbano, 1368. IX. 1370. XX. A Gregorio XI. 1371. X. 1375. XXXI. Cardinales a reſidentia excepti, 1375. XXIV. Quid de Cardinalibus creandis ſcripſerit S. Catharina Senenſis ad Gregorium, 1375. XXXI.

Cardinales Galli in factiones diſciſſi de Gallo ad Pontificatum evehendo conſentire nequeunt, 1378. II. De Barenſi Archiepiſcopo ad pontificatum evehendo conſentiunt, *ibid.* Antequam conclave ingrederentur eum creare decreverant, III. *& ſeq.* Denuntiatum iis in conclavi Romanos non tantum Italum, ſed Romanum Pontificem expetere, IV. Intentatæ minæ ni Romanum crearent, *ibid.* Repellunt Cardinales petita Romanorum, *ibid.* Decernunt non eligendum Romanum, ne extorta electio putetur, *ibid.* Ob quas cauſas Barenſem elegerint, *ibid.* Ante Romanorum ſeditionem electionem Urbani celebrant, *ibid.* Cur ſibi invicem obſtiterint, ne quiſpiam ex ipſis promoveretur ad Pontificatum, 1378. V. Proponente Cardinale Urſino, ut Romanum Minoritam pontificiis inſignibus per jocum induant & electionem extra Urbem celebrent, rejiciunt conſilium metu ſchiſmatis, *ibid.* Romanorum clamores ſpernunt, VI. Eorundum iras veriti non auſi electionem Urbani promulgare, VII. Cardinalem S. Petri metu perfuſi ad carpendum fugam pontificiis inſignibus exornant, IX. Electionis vere decretum Urbano coram teſtibus deferunt, X. & XIII. Aliqui ex iis retracti e fuga ad Romanum deligendum, X. Negant conſtanter priorem electionem reſcindi poſſe, *ibid.* Partim in arcem, partim in alia loca diffugiunt, *ibid.* Urbani ſalutis curam gerunt, *ibid.* De eo in ſacro ſolio collocando deliberant, XIII. Sopito tumultu ex arce Hadriana Urbanum adeunt, *ibid.* In ſolio ſacroſancto collocant, *ibid.* Hymnum *Te Deum*, concinunt, *ibid.* Aliæ ejus rei circumſtantiæ, *ibid.* Nulla vi ad hæc ab Urbano, qui nullis opibus authoritateque valebat, cogi poterant, XV. Eo in ſede collocato exultant, *ibid.* Magnas de ejus pontificatu ſpes jactant, *ibid.* Solemni ritu thiaram pontificalem illi imponunt, *ib.* Cum eo equeſtrem pompam per urbem agitant, *ib.* Qui ex urbe fugerant populi metu, reverſi Urbanum colunt, XV. Nullam ambiguitatem de ejus pontificatu movent, *ibid.* Ad plures principes de ipſius electione ſummo conſenſu facta ſcribunt, *ibid.* Eorum literæ ad Cæſarem XVIII. Et ad Cardinales Avenionenſes, XIX. Celebrant cum Urbano conſiſtoria, XX. Omnia obſequiorum genera illi deferunt, *ibid.* Ferenti anathematis ſententiam in hæreticos die cœnæ aſſiſtunt, *ibid.* Aliquot menſibus læta pace potiti fœdera inter Florentinos & Urbanum faciunt, XXI. Pacato externo bello, inteſtinum excitare moliuntur, XXII. Prædictum eorum ſchiſma triennio ante fuerat a S. Catharina Senenſi, *ibid.* Deſignata cauſa, nimirum illos non toleraturos diſciplinæ eccleſiaſticæ ſeveritatem, *ibid.* Quid virgo ipſa de eodem ſchiſmate ſenſerit, *ibidem.* Prædicta ab eadem mala ingentia inde ſecutura, *ibid.* Robertus Gebennenſis ad ſchiſma conflandum maximus author extitit, *ibidem.* Ob quas cauſas in Urbanum conceperint odia, XXIII. Acerbius eorum mores ab eo correpti, *ibid.* Confirmati in perduellione cum Gallicum præſidium arcem Hadrianam teneret, XXIV. Præfectum ſubornant ne arcem reſtitutat Urbano, *ibid.* Caſtigata nonnullis ſanctionibus nimia eorum licentia, XXV. Simoniacæ ſordes & penſiones iis inhibitæ, *ibid.* Solicitant Urbanum, ut Avenionem ſedem transferat, & repulſam paſſi, *ibid.* Jactant numquam Italiam pontificio ſolio potituram, *ib.* Ægre ferunt conciliari Urbano Romanos, *ibid.* Anagniam ſecedunt conjurationem in Urbanum facturi, *ibid.* Parant illi inferre necem, *ibid.* Vocati ſe conferre Tybur abnegant, *ibid.* In receſſu tamen Anagnino Urbanum in actis publicis ut Pontificem colunt, 1378. XXIV. Tranſmittunt libellos ſupplices, *ibid.* Tentant in eam urbem, atque inſtructas inſidias eum allicere, *ibid.* Non ſuccedentibus dolis Gallicas copias evocant. XXVII. Vaſconum & Britonum armis Urbanum poſſe opprimere opinantur, *ibid.* Eorum inconſtantia in negando & agnoſcendo Urbani pontificatu, *ibid.* Supplices libellos ad Urbanum mittunt, XXVIII. Inter ſacra preces pro Urbano fundunt, *ibid.* In pœnitentiali foro omnia ejus nomine expediunt, *ibid.* Joannem e Lignano conſulunt miſſo ficto themate reſponſumque ipſos publico ludibrio expoſitum iri, XXX. Ex eodem ficto themate reſponſum Urbani electionem valere, XXXI. *& ſeq.* Non fuiſſe metum cadentem in viros conſtantes, neque jure ſuffultum, XXXII. Etſi præceſſiſſet metus in actu electionis, libertatem fuiſſe, *ibid.* Probari ex duabus electionibus, *ibid.* Id ipſos conteſtatos addita etiam voce diſtinctiva, ut eſſet verus Papa, *ibid.* Sedato tumultu repetitam electionem, *ibid.* Si prima fuiſſet irrita, ſecundam valere, *ibid.* Suffeciſſe inferentibus vim primam electionem, *ibid.* In ſecunda electione cuilibet fuiſſe liberum velle, *ibid.* Si qua vis in prima fuerit, in ſecunda purgatam, *ibid.* Vim ſubſequentem ſecundam electionem eam labefactare non poſſe, *ibid.* Liberum etiam fuiſſe actum coronationis, XXXIII. Probari id ex iis, qui ex arce egreſſi ſunt, *ibid.* Non potuiſſe coronare, niſi canonice electum, ergo canonice elegerant, *ibid.* Objecere Cardinales irritam eſſe coronationem, quod nulla fuiſſet electio, *ibid.* Contra demonſtratur veram ab iis celebratam electionem: ergo veram fuiſſe coronationem, XXXIV. Actus poſt coronationem conſecutos in petendis ſacerdotiis non fuiſſe extortos, *ibid.* Objecere illi hæc errore facta, *ibid.* Non erratum demonſtratur, *ibid.* Libertatem præcedentis electionis ex ſubſequenti recognitione illuſtrari, XXXV. Standum juxta forum externum ex parte Urbani, *ibid.* Qualis interna Cardinalium voluntas foret, a mortalibus inſpici non poſſe, *ibid.* Spernunt Cardinales Joannis e Lignano conſilium, XXXVI. Baldus in eoſdem concludit, *ibid.* Objecere Romanorum tumultum, *ibid.* Reſponſum quod ſi ex falſa hypotheſi, ut Italus non fuiſſet libere electus, ut Barenſem electum libere, *ibid.* Ejus nomen a nemine fuiſſe expreſſum, *ibid.* Obiiciunt Cardinales non potuiſſe magis a populo deſignari nationem, quam perſonam, *ibid.* Non potuiſſe dare formam eligendi Papæ, *ibid.* Demonſtratur ab iis electionem celebratam ante tumultum, 1378. XXXVII. Poſt tumultum repetitam, *ibidem.* Expreſſam cauſam cur eligeretur, *ibid.* Conſenſum ſcripto fuiſſe expreſſum, *ibid.* Populum non compuliſſe ad iterandam electionem, ergo eam fuiſſe liberam, *ibid.* Conſtantiam in agnoſcendo Urbano ex veritate, non ex metu fluxiſſe, *ibid.* Obiiciunt conſpirationem inter Gallos de Gallo eligendo, *ibid.* Reſponſum eam divinitus diſſolutam, *ibid.* Licet tumultus impulſiva cauſa electionis celebratæ, non tamen coactiva extitit, multum autem inter utramque cauſam differre, *ibid.* Obiiciunt jactatos imminentis gravioris periculi rumores, *ibid.* Refelluntur, cum populus non coegerit, ut in eligendo adderent, ut eſſet verus Papa, *ibid.* Cardinalium conſenſus ex eorum confeſſione oſtenditur conſpicuus, XXXVIII. Quid ſine tumultu facturi eſſent ipſos etiam latere Cardinales, *ibid.* Nihil fuiſſe facilius, quam ut de vi conteſtarentur, *ibid.* Diſſenſum interiorem in quo fundantur ab iis probari non poſſe, *ibid.* §. II. Spreta a Cardinalibus garrulitas Romanorum, *ibid.* §. IV. Controverſiam in concilio œcumenico per poſſeſſorem papatus congregando dirimendam, *ibid.* §. V. Conſecuta facta tam illuſtraſſe conſenſum, quam verba, *ibid.* §. VII. Confirmant id delata obſequia, §. VIII. Illuſas ſpes conſenſum non deſtruere, §. IX. Conſenſum ſcripto & verbo patuiſſe, §. X. Internum numquam patere, nec valere, *ibid.* Imperfectum eſſe niſi exeat, *ibid.* §. XI. Adfuiſſe conſenſum humanum in ea electione, §. XII. Ab externo probari internum adfuiſſe, *ibid.* Obiiciunt Cardinales diſſenſum fuiſſe conjunctum cum conſenſu, *ibid.* §. XIII. Probatur contrarium ex eorum verbis, *ibid.* Et ſubſcriptionibus, §. XIV. Et ex ſecunda deliberatione, §. XV. Si impreſſio populi fuit cauſa univerſalis, non tamen fuit ſpecifica & individua, *ibid.* Ex parte Cardinalium fuit diſcreta electio, *ibid.* §. XVI. Confirmatur conſenſus ex gratiarum petione, *ibid.* Augetur præſumptio ex reditu eorum qui fugerant, §. XVIII. Populus expetierat Ro-

manum & ex Urbani electione indoluit, §. XIX. Diſſentientes inter ſe Cardinales ſibi obſtitere, *ibid.* Urbanus potius Gallus quam Italus cenſebatur, §. XX. Utriuſque nationis particeps, utrique placuit, *ibid.* Baldus adverſus Cardinales concludit, §. XXI. Cardinales nullam illuſtrem probationem, ſed inextricabiles pectorum æſtuantium ambages attulere pro ipſorum cauſa, XXXIX. Non potuere ſecundam electionem celebrare, *ibid.* In ambiguo obſequi debuerunt primum electo, *ibid.* Probare non poſſunt voluiſſe pſeudopontificem inducere, & Eccleſiam evertere, ergo vere conſenſerunt, *ibid.* Faſſi ſunt quemque conſenſiſſe cum quiſque putaret conſentire collegas, ergo vere conſenſerunt, *ibid.* Solicitant Galli Cardinales Italicos, ut Anagniam ſe conferant, 1378. XL. Eorum literæ, *ibid.* Queruntur ſibi vim adhibitam a Romanis, *ibid.* Præcipitatam electionem contra ſuſcepta decreta, *ibid.* Cardinalis S. Petri morti proximus ſcriptis tabulis profeſſus, ſe poſtulatum a Gallis Cardinalibus fuiſſe ante ingreſſum conclavis, ut ſuffragium pro Urbano conferret, XLI. Actum de iis in concordiam cum Urbano revocandis, XLII. Offert iis Urbanus concilium œcumenicum pro dirimenda lite, *ibid.* & XLIV. Cardinales Itali viam concilii inculcant, XLIII. Tergiverſantur Galli & fraudibus ſuis Italos nituntur irretire, *ibid.* Pronuntiant concilium exitiale futurum eorum cauſæ, XLIII. Faſſi ſe obnoxios eſſe errori judicium concilio œcumenico permittere debuerunt, *ibid.* Repudiato concilii judicio fuere pure ſchiſmatici, *ibid.* Ex eo quod ad Cardinales electum oſtendere, ſemel oſtenſo eo & ſuſcepta ab orbe Chriſtiano, alium oſtendere, & priorem exauthorare non licet, *ibid.* Judicis partes inique invadunt, *ibid.* Inanes eorum argutiæ pro reſpuendo concilio œcumenico, *ibid.* Ad diſcindendam Eccleſiam præcipiti furore conjurant, XLIII. & XLV. A quibus impulſi fuerint ad flagitium, & quibus de cauſis, *ibid.* & XLVI. Urgentur a Carolo Rege Francorum ad ſchiſma in Urbanum creandum, *ibid.* Promiſſæ illis a Joanna regni Neapolitani vires, *ibid.* Horum viribus fulti conquirunt Judiciarios in Urbanum fucos, XLVII. Promulgant Urbanum intruſum, *ibid.* Violant omnia jura, *ibid.* Suadere nituntur Pontifici, ut pontificatu ſe abdicet, *ibid.* Obtendunt ſibi vim per ſeditionem allatam, *ibid.* Mendaciis fideles circumvenire moliuntur, XLVIII. Falſo jactant, ſe mortis declinandæ cauſa Urbanum elegiſſe, XLIX. Refelluntur, *ibid.* Crimen ſuum in eum transferunt, *ibid.* Effutiunt ne illaqueentur conſcientia deficere ab Urbano, & ita hæreticorum more animas illaqueant, L. Labuntur quaſi in hæreſim, dum fere ſacramenta deficere mentiuntur, *ibid.* Fideles ſibi potius, quam Pontifici parere jubent, *ib.* Rei in judicem judicium ſibi arrogant, *ibid.* Confutatæ egregiæ eorum literæ a Joanne e Monteſono, *ibid.* Angli eorum ſcelus execrantur, XCI. Arguuntur jactatæ muliebris formidinis, cum ad ſanguinem fundendum ſe paratos pileis rubeis glorientur, 1378. XCI. Non fractam eorum libertatem, quod ab ipſis petitus fuerit Italicus, *ibid.* Rogaſſe Urbanum, ut electionem admitteret; ergo libere conſenſiſſe, *ibid.* Delegiſſe ipſum ante ingreſſum conclavis, *ibid.* Ter repetiiſſe electionem, ne controverteretur, *ibid.* Rediiſſe ad eum ſponte; ergo libere elegiſſe, *ibid.* Exercenti pontificale munus obſequia præſtitiſſe, *ibid.* Scripſiſſe pro eo literas, *ibid.* Dilemmate inſolubili premuntur prius, vel poſterius Eccleſiam decepiſſe, apoſtatas eſſe & omni indignos fide, *ibid.* Non poſtulaſſe Romanos ab iis publica inſtrumenta; ergo libere illum elegiſſe, *ibid.* Seditione non labefactari electionem ſi conſenſus Cardinalium fuerit unanimis, *ibid.* Oſtenſum divinitus eremitæ Auguſtiniano, dum Sacram hoſtiam, inter Sacra adorabat; Urbanum eſſe verum Pontificem, *ibid.* Triplex Cardinalium defectionis cauſa extitit, *ibid.* Orbis pars maxima Cardinalium damnavit perfidiam, LII. Arguuntur flagitii a Pierio cancellario Florentino, *ib.* Electum & corona papali per Cardinales redimitum colendum ut Pontificem, donec ab œcumenica ſynodo lis dirempta ſit, *ibid.* Cardinales tantæ litis non eſſe idoneos judices, *ibid.* Secundam electionem non valere, ſi prima juridice non fuit reſciſſa, *ibid.* Si Urbanus, quem ipſi creavere, antichriſtus eſt, quo tandem loco ipſi habendi ſint? LIII. Perpendant an futili aſſertioni metus jam credendum ſit, *ibid.* Perſtringuntur nolle litem judicio univerſalis Eccleſiæ, ſed Britonum & Vaſconum ferro dirimi, *ibid.* Si præfidunt cauſæ, cur ſynodi judicium exhorreſcant? LIV. Utinam Gallum delegiſſent, illi cervices ſubmiſiſſet Italia, *ibid.* Objurgantur nimiæ inſolentiæ pontificatum hæreditarium ſibi arrogare voluiſſe, *ibid.* Inani pſeudopontificatus ſpe Cardinales Italos Anagniam pelliciunt, LV. Robertum Gebennenſem ob bellicos mores & conſanguineorum potentiam deligunt, *ibid.* Ob facinoris gravitatem dæmones humana carne induti appellantur a S. Catharina virgine Senenſi, *ibid.* Increpantur ferendæ correptionis impatientia ſchiſma conflaſſe, *ibid.* Vigeſima ſeptembris antipapam creant, LVI. Arguuntur tres pontificiis inſignibus exornaſſe, & unius tantum deligendi poteſtatem habuiſſe, LVII. Putaſſe principes ipſis ob Gebennenſis ampliſſimam affinitatem conciliatum iri, *ibid.* Eccleſiam armis Britonum & Vaſconum opprimere poſſe, *ibid.* Cur non admittant œcumenicam, vel provincialem ſynodum, *ibid.* Si metu elegerint, errorem reparari potuiſſe, LVIII. Clamorem popularem nedum Cardinalibus, ſed ne mulierculis quidem libertatem adimere potuiſſe, 1378. LVIII. Multiplices eorum expoſiti errores, *ibid.* Monentur a Carolo Imperatore & Ludovico Hungariæ Rege, ut ob ingentia ſecutura mala ſchiſma ſopiant, LIX. Nefanda pervertendi orbis Chriſtiani ſpe deluſi ſtupent, *ibid.* Abjecti omnino ab omnibus fuiſſent niſi Carolus V. Rex Gallos in antipapæ ſervitutem adegiſſet, LX. Galli in liberis conventibus pro Urbano adverſus Cardinales ſtandum decernunt, *ibidem*. Non illos eſſe motæ controverſiæ veros judices, ſed partem, *ibidem*, Teſtium partis & judicum officia invaſiſſe, *ibidem*. Concilium eſſe verum judicem, *ibidem*. Illius congregandi auctoritatem ſpectare ad poſſeſſorem pontificatus, *ibidem*, Conſultum Gallo Regi, ne Cardinalibus adhæreat, *ibidem*. Approbat concilium, ut extremum præſidium quo Urbanus & Cardinales judicentur, LXI. Provocati ad concilium œcumenicum ab Urbano Cardinales, *ibid.* Sorbonica academia quandiu libertate potita Urbani cauſam adverſus ſchiſmaticos Cardinales tutata eſt, *ib.* Actæ illi ab Urbano gratiæ, *ib.* Novis literis Cardinales ſchiſmatici fideles ſubornare moliuntur, LXIII. & *ſeq.* Objurgantur quaſi non ſuffeciſſet Græcanicum Schiſma, aliud ad perdendas animas addidiſſe, LXXI. Eorum caſus etſi mendaciis pluribus obſcuratus maximas difficultates continere ab ipſis ſchiſmaticis agnoſcitur, LXXII. Fundarunt ſe in actu voluntatis inviſibili, *ibid.* Ab iiſdem ſæpe variatus caſus, LXXIII. Eorum nomina, *ibid.* Rei geſtæ narratio ab Urbano expoſita dictis teſtium conſentiens, *ibid.*



*ibid.* LXXIII. uſque ad CIV. Decretoria ſententia deſiguntur una cum antipapa & præcipuis ſchiſmatis adminiſtris, CV. Sacræ indulgentiæ iis propoſitæ, qui arma in illos acceperint, CXI. Servatus in ipſos ordo judiciarius, CXII. Damnati contumaciæ, CXIII. Wicleffo ſpargendarum hæreſeon occaſionem dant, CXVIII. Denegant congregandum concilium œcumenicum, 1379. III. Non dandam a Regibus operam, ut congregetur, *ibid.* Urgent Cardinales Italos, ut ipſis adhæreant, *ibid.* Falſo opinantur ita univerſos ipſis adhæſuros, *ibid.* Contendunt tum non debere celebrari nec etiam poſſe concilium, *ibid.* Quod ab ipſis definitum eſt adverſus Urbanum negant in controverſiam adduci poſſe, & excuti a concilio œcumenico, *ibid.* Judicandi de ea re authoritatem ad ſe, non ad concilium ſpectare falſo effutiunt, *ibid.* Inepte arguunt, ſi credendum ſit ipſis, quando dicunt electionem eſſe legitimam, pariter credendum quando dicunt illegitimam, *ibid.* Refelluntur, *ibid.* Negant excutiendum in concilio an Clemens ſit antipapa, 1379. IV. Falſas ſchiſmatis cauſas confingunt, *ibid.* Obdureſcunt in ſuſcepta reſpuendæ ſynodi œcumenicæ pervicacia, V. Petrus Aragonius princeps in ſuis vaticiniis oblatis Urbano VI. contendit eos in apocalypſi myſtice deſignatos per Nicolaitas, qui Eccleſiam ſponſo jam traditam iterum adultero antipapæ tradiderint, VI. Quantumvis ſe dicant Cardinales non tamen eſſe, cum ſchiſmatici non poſſint eſſe Cardinales, ſicut Nicolaitæ illi qui ſe dicebant Apoſtolos & non erant, *ibid.* Perſtricti a Petro principe minorita traducunt ejus revelationes, *ibid.* Ob ſtudia carnalia honore pontificatus exuti, XI. Moniti a Chriſto per ſanctam Birgittam & Petrum principem minoritam contempſerant divina imperia, *ibid.* Flexerant Gregorium, ut Avenionem redire moliretur, *ibid.* Prædictum ut Cardinalis Ambianenſis falſis ſuggeſtionibus & Robertus Gebennenſis ambitione papatus adipiſcendi æſtuans Cardinales erant ſubornaturi, XII. Prædictum ut ſophiſmatibus phantaſticis electionem canonicam veri Pontificis erant impugnaturi, *ibid.* Quomodo cum Urbano contraxerint jurgia, XVI. Intentarint defectionem, *ibid.* Sancta Catharina Sueca conteſtatur ſe accepiſſe a Cardinalibus Gallis, Urbanum communi conſenſu electum fuiſſe, XX. Seditionem excitatam poſt electionem Urbani a Romanis dolentibus non creatum patria Romanum, *ibid.* Expaviſſe ad tumultus rumorem Cardinales, quod Romanum non delegiſſent, *ibid.* Actos fuiſſe in furias ob nimiam Urbani acerbitatem, *ibid.* S. Catharina Senenſis eoſdem execratur, ut dæmones & impoſtores, qui dæmonem & impoſtorem ſibi præfecerint, *ibid.* Eorum exercitus extrema internecione divinitus conciſus, XXIV. Arguuntur ſtulte prætexere ex metu egreſſos ex arce Hadriana pro coronando Urbano, cum integro anno arx Hadriana expugnari non potuerit, XXV. Eorum copiæ, quibus præſidebant divinitus deletæ, XXIV. Neapolim fugiunt, XXV. Excitato in arma populo Fundos redeunt, XXVII. Sacra militia in eos ab Urbano promulgata, XXVIII. Maritimam fugam arripiunt, XXX. Excipiuntur a Cardinalibus Avenionenſibus, *ibid.* Eorum mendacia expoſita a Wenceſlao Romanorum Rege Richardo Anglorum Regi, XL. Eorum literæ de canonica Urbani electione in Cæſareis ſcriniis recconditæ, *ibid.* Maxima Chriſtiani orbis pars eorumdem impudentiam & impietatem execrata, XLI. Traducta eorum ſcelera a S. Catharina Senenſi, 1380. V. Arguuntur non potuiſſe ullo metu adigi, ut pontificios honores toties totieſque Urbano deferrent niſi illum verum eſſe Pontificem credidiſſent, 1380. V. Jactare ſe inſanos & apoſtatas, qui toties ad pedes antipapæ accidiſſent, *ibidem*. Ad mentionem Concilii œcumenici a Gallis piis expetiti exhorreſcunt, XIII. Scribunt commentarios non eſſe congregandum concilium œcumenicum, *ibid.* Impudentiſſimo mendacio fundant ſchiſma, ſemper metu cadente in viros conſtantes fuiſſe pereitos quandiu Romæ egerunt, XIV. Obiicit iis Toletanus Archiep. cum Urbanus id neget proponatque contraria, probaturum, etiamſi diabolus inferni foret, dandum locum judicio, litemque decidendam a Concilio, *ib.* Non deſerendum fuiſſe Pontificem accuſatum antequam de objectis conſtaret, *ibid.* Electores, qui peccarant non potuiſſe ſecundam electionem celebrare, *ibid.* Vacante ſede nulla judicandi pollere poteſtate Cardinales, XV. Poſſeſſorem pontificatus non vocatum, non convictum damnaſſe per nefas, *ibid.* Excuſant invaſam ab ipſis authoritatem judicandi Urbani impudentiſſimo mendacio, quod ſit evidenter intruſus: at non eſt evidens illud orbi ſi orbis pars maxima ipſi adhæreat, XVI. Si qua in tumultu fuerit impreſſio, eo ſedato notam fuiſſe Cardinalium conſenſionem, *ibid.* Non collocatum in ſolio a militibus, ſed a Cardinalibus, *ibid.* Ut repudiarint oblatum concilium œcumenicum, *ibid.* Hanc cauſam tangere univerſalem Eccleſiam: ergo judicium ad eam ſpectare, XVII. Ut maximos æſtus infidelium mentibus concitarint, *ibid.* Inde infideles deriſere chriſtianos, inque ipſos cœperunt inſultare, *ibid.* Ad eos opprimendos armari audacia, *ibid.* Exponit Hiſpanos, exiſtimare ex odio in Urbanum rebellaſſe, *ibid.* Diffidentes cauſæ concilium defugiſſe, *ibid.* Concilio ſolo curari Eccleſiæ vulnus poſſe, *ibid.* Perſtant Cardinales in neganda via concilii, XVIII. Nituntur falſo principio, nimirum Pontificem controverſum eſſe ſuperiorem concilio œcumenico, a quo judicari non poſſit, tamen ipſi in eum non vocatum, non convictum, judicium ſibi arrogant, *ibid.* Conceperant ideo in Urbanum odia, quod ille iis denuntiaſſet, ut parem famulorum numerum univerſi tenerent, unico ferculo uterentur, reſiderent ſinguli in titularibus eccleſiis, eas labentes reficerent, tum aperuiſſet ex omnibus gentibus pari numero in Cardinalium collegium a ſe cooptandos, ne pontificatus in unius, vel duarum nationum poteſtate conſiſteret, XIX. Convincuntur a Luſitanis præſulibus eorum prius teſtimonium poſteriori infringi non poſſe, 1381. XXXIV. Si credendum iis poſterius foret poſſe exauthorari juſtum Pontificem quoties rebellarent, 1381. XXXIV. Repellendos a teſtimonio cum ſibi contradicant, XXXIX. Si non crediderant electum Urbanum, cur addidere, ut eſſet verus Papa? Qua religione eum in ſolio collocavere cur promulgarunt orbi eſſe Pontificem, *ibid.* Creatis duobus Pontificibus jus cardinalitium ob ſchiſma conflatum in Eccleſia amiſiſſe, quod etiam omnibus excarnificati ſuppliciis conflare non debuerant, *ibid.* Joannem Regem Caſtellæ ſubornant, 1381. XXIX. Obiiciunt catholicis, non eſſe veriſimile ipſos velle ſe, & univerſos perdere, 1382. XXIII. Immo id demonſtratur evidens ex facto, duobus Pontificibus ab ipſis adoratis, *ibid.* Ex ipſorum confeſſione demonſtrantur ſchiſmatici & fide indigni, *ibid.* Obcœcati fuere amore patriæ, & diſciplinam oderunt, XXIV. Eorum lapſus cum Luciferi & Angelorum lapſu comparatur, XXV. Demonſtratur non eſſe incredibile labi potuiſſe, *ibid.* Carolus V. Gallorum

rum Rex obtulit iis armorum potentiam pro ſchiſmate conflando, *ibid.* Probatum ex ejuſdem literis, *ibid.* Joannes e Monteſono in eos ſcribit, ac demonſtrat fideles non teneri ad fidem iis adhibendam, 1389. XV. Electo Urbano non debuiſſe alium eligi, *ibid.* Ex dictis Cardinalium in fundamentali epiſtola veritatem pontificatus Urbani demonſtrat, XVII. Cardinales non potuiſſe eſſe judices, *ibid.* Non pullulaſſe errores, niſi in ipſis & ſectatoribus, *ibidem.* Indigniſſimi fide oſtenduntur, *ib.* Bonifacius iis cardinalatum offert, ſi a ſchiſmate reſipuerint, & antipapæ Gallicam & Caſtellanam legationem, 1390. VII. Leodienſium literæ ad Burgundiæ & Belgii principem de conflato ab iis ſchiſmate, XIX. Sine judicio Eccleſiæ non debuiſſe ab Urbani obſequio diſcedere, *ibid.* Se teſtes & partes & judices contra jura conſtituiſſe, *ibid.* Si valeant eorum acta nullius principis, nullius Epiſcopi electionem firmam futuram, *ibid.* Inſtaurata in eos a Bonifacio IX. Urbani VI. edicta, 1391. XIII. Joannes e Monteſono ipſis objicit Anagniæ deliberaſſe an conflandum eſſet ſchiſma, XXIV. Et decreviſſe conflandum, *ibid.* Poſt Urbanum in poſſeſſione pontificatus conſtitutum oſtenditur non magis valere eorum teſtimonium de diſſenſu, quam ſponſi, qui conſummato matrimonio teſtetur ſe non aſſenſiſſe, XXVI. Poſt primam denuntiationem non ipſis credendum, cum ſe impoſtores fuiſſe profiteantur, *ibid.* Percuſſa mania Carolo VI. Rege, qui in Bonifacii exitium cum antipapa conjurat, fingunt ideo flagello divino percuſſum, quod promiſſa de evertendo Bonifacio non compleviſſet, 1392. VII. Mahometanorum ludibriis & furori Eccleſiam Dei exponunt, 1393. I. Invito & fremente antipapa ſuo de modis abolendi ſchiſmatis agunt, IV. Rogantur a Gallis ne novum antipapam creent, ſublato Clemente, VI. Promiſſa redituris a ſchiſmate dignitas Cardinalitia, *ibid.* Ne viderentur erraſſe creandum novum pſeudopapam decernunt, *ibid.* Aſtringunt ſe ſacramento, ſi eligantur, pontificatu ſe abdicaturos, *ibid.* Confuſa contrario exitu conſilia, VII. Petri e Luna aſtutia circumventi, *ibid.* Argumenta, quæ ipſos torſere, ut ſuſpectum Clementem haberent, ne antipapa eſſet, X. Quæ ad abdicationem amplectendam impulerint, XI. Decreti a Bonifacio ad eos oratores, ut redeant in ſinum Eccleſiæ. XV. Rogati a Gallis principibus, ut ſententiam ſuam promant, abdicationem pro ſchiſmate abolendo præferunt, 1395. VIII. Intentat iis cenſuras antipapa, ſi viam ceſſionis urgeant, XI. Cardinalium ſchiſmaticorum argutiæ expoſitæ a Joanne de Lignano *in append.* tract. II. a n. I. ad X. Argumenta contraria exponuntur adverſus apoſtaſiam, X. *& ſeq.* Deſcribuntur eorum ſtudia, moreſque, *ibid.* Ajunt detuliſſe Italo pontificatum inſtar nautæ proiicientis merces, XXII. Refelluntur, *ibid.* Omnem judiciorum ordinem pervertiſſe demonſtrantur, XXIV. Per tyrannidem officia judicum, teſtium, partium, & advocatorum uſurpaſſe, XXVIII. Fama qua nituntur adverſus Urbanum ab ipſis in hoſtes converſis inducta fuit, XXXI. Nec ſolis, neque illis fidem adhibendam eſſe demonſtratur, XLII. Teſtantur ea de re, de qua nemo teſtari poteſt, XLVI. Revincuntur ſuis verbis ipſos voluiſſe eligere, XLVIII. Allegationes metus conſcientias non placant, LV. *Vid. titulos* Joannes de Lignano. Baldus. Urbanus VI.

Cardinales Itali Cardinalibus Gallis concilium œcumenicum nomine Urbani proponunt, ne ſchiſma conflent, 1378. XLII. Pſeudopontificatus ſpe titillati Fundos accedunt, LV. Electo antipapa recedunt, *ibid.* Gerunt ſe velut neutrius partis ſtudioſos, ac neutralium factionem conſtituunt, 1379. I. & II.

Cardinales Urbani VI. Eos ſtipendia a principibus accipere vetuit Urbanus VI. 1378. CI. Cardinales ab eo creati, *ibid.* & CIV. 1379. XXXIX. Alii, 1381. XXVI. Alii, 1385. III. Sex Cardinales de curatore dando Urbano, ut Eccleſiam in diſcrimen conjicienti, agitant clam conſilia, 1385. I. Detenti eorum quinque ab Urbano nepote tormentis ſubjiciuntur, II. Exauctorantur, III. In ciſterna vincti tenentur, *ibid.* Trahuntur vincti ab Urbano per terras, & maria, IX. De iis liberandis in Urbanum fit conjuratio, 1386. IX. Quinque clam necati Urbani juſſu, XI.

Cardinales creati a Bonifacio IX. 1388. XIII.

Carolus IV. Imperator prius Marchio Moraviæ rogatus ab Innocentio VI. ut pacem inter Gallum & Anglum agitandam promoveat, 1356. I. Repetitæ apud eum pontificiæ preces, capto jam Gallo Rege, X. Ad eum Carolus Delphinus Metis accedit, XII. Fruſtra de concordia Gallos inter & Anglos agit, *ibid.* Brabantinum inter ac Belgam pacem conficit, *ibid.* Metenſes conventus celebrat, pluresque in iis leges edit, XIII. Vetat electorum principatus diſtrahi, & divelli, *ibid.* Latinam, Italicam, & Sclavicam linguas a principum filiis diſci jubet, *ibid.* Plures aliæ leges ab eodem in Nuremburgenſibus conventibus editæ, XIV. Circa creationem Regis Romanorum quæ agenda a ſeptemviris, *ibid.* Circa ordinem inter electores, XIX. Implorat ejus auxilium Innocentius Papa adverſus fœderatos prædones circum Avenionem frementes, 1357. III. *& ſeq.* Nonnulli illum a Pontifice abalienare ſtudent, 1359. XI. Inſtillant, Henrici avi ſententias injuria a Clemente V. revocatas, *ibid.* Pietatis ſtudio clerum cæſarea auctoritate coercendum ſuſcipit, *ibid.* Monetur ab Innocentio, ut regiam potentiam intra ſuos limites contineat, *ibid.* Non defuturam ſuo muneri Sedem Apoſtolicam, *ibid.* Pro libertate eccleſiaſtica ampliſſimum edictum promulgat, XIII. Rogatur, ub ab Auſtriacis Eccleſiæ Aquilejenſis jura reſtituenda curet, XIV. Bernabonem edictis urget, 1361. I. Maximam pompam in filii Wenceſlai baptiſmo celebrat, II. Oſtendit ſacras reliquias, *ibid.* Diſcordia eum inter & Regem Ungariæ pontificio ſtudio ſopita, 1363. XI. Rogatus de bello ſacro in Saracenos vertendo, XX. Suſcipit Eccleſiæ patrocinium adverſus Bernabonem, 1364. I. Illum ad pacem adigit, IV. Fœdus init cum Ludovico Rege Ungariæ, X. Cracoviæ ſolemnibus Regum conventibus intereſt, *ibid.* Pollicetur ſe Pontificem redeuntem in Italiam ſtipaturum, *ibid.* & XI. Urbanum V. Avenione adit, 1365. I. De re Chriſtiana tuenda colloquia cum eo miſcet, *ibid.* Imperiali cultu celebranti ſacra Pontifici aſſiſtit, *ibid.* Commeatum per Germaniam vagis turmis in Turcas ituris ſpondet, *ibid.* Si neget iter Ungarus, conducturum ſe claſſem, II. Solicitatur a B. Petro Thoma, ut religionem in Syria reſtituendam ſuſcipiat, XX. In Francofurtenſi conventu ſociales prædonum turmas diſſipandas vi decernit, 1366. XXI. Iterum pollicetur Urbano ſtipaturum ſe illum in Italiam venientem, XXVI. Ad ejuſdem Pontificem legatio, *ibid.* Rogatus, ut Pedemontio invaſo a Vicecomitibus ſuccurrat, XXVIII. In auxilium Eccleſiæ adverſus Bernabonem vocatur, 1368. III. Ingreſſurus Italiam, miſſo oratore, armorum potentiam Urbano offert, IV. Inſtaurat privilegia Romanæ Eccleſiæ, V. *& ſeq.* Ingreditur Italiam ejuſque geſta, VIII. Illius metu Bernabos pacis conſilia init, *ibid.* Carolus cum Florentinis concordiam paciſcitur, *ibid.* Urbanum convenit Viterbii, *ibid.* Ingredienti Romam Pontifici ſtratoris munus exhibet, *idid.* Pars Crucis dominicæ ad illum a Gregorio XI. dono tranſmiſſa, 1372. XXVI. Solicitatus a Gregorio ad jungenda cum Ludovico Rege Ungariæ adverſus Amuratem Germanica arma, 1373. VI. De principatu Brandeburgenſi cum Bavaris certat, *ibid.* Solicitatus ad Milleczium hæreſiarcham comprimendum, 1374. XI. Ad abolendum ſpeculum Saxonum, XII. Ad ipſius gratiam Ludovicus Epiſc. Bambergenſis ad Moguntinum Archiepiſcopatum tranſlatus, XIV. Marchiam Brandeburgenſem adjungit Boemiæ, *ibid.* Edicta in Bernabonem ad Pontificis gratiam pronuntiat, XVI. Permittit Pontifici, ut Inſubriæ urbes juris Cæſarei in clientelam Eccleſiæ recipiat, *ibid.* Lucam & nonnullas imperialis juris urbes tradit Eccleſiæ; ſed donatio ab Eccleſia non admiſſa, 1375. XIV. A Gregorio Papa celebrandorum comitiorum pro Wenceſlao creando Cæſare facultatem poſtulat, 1376. XIII. De eo creato certiorem facit, XIV. Rogat ut ipſum confirmet, XVI. Paterno amori indulgens, prodit imperii majeſtatem, XVIII. Decretum de libertate eccleſiaſtica inſtaurat, 1377. VII. Decernit pro Urbano VI. ſtandum donec cauſa a Concilio œcumenico cognita fuerit, 1378. LIX. Magno Eccleſiæ damno obit, CXX. Labefactavit eximias laudes, quod Wenceſlaum filium ſuum coemptis ſeptemvirorum ſuffragiis promoverit, *ibid.* Abalienatis imperii vectigalibus ejus vires eliſerit, *ibid.* Moriturus filios præclaris præceptis informat, *ibid.* Succedit illi in imperio & regno Bohemiæ Wenceſlaus, *ibidem.*

Carolus V. Francorum Rex ſchiſmati adverſus Urbanum conflando favit, 1378. XLVI. Niſi Gallos ab Urbani obſequio divulſiſſet, ſchiſma convaleſcere non poterat, LX. Decreverant Galli in priori conventu pro Urbano ſtandum, *ibid.* Datum Carolo conſilium, ne Cardinalibus adhæreat, *ibid.* Pariſienſis academia, dum illius permiſſu libertate potita eſt, pro Urbano ſtetit, LXI. Opprimit Carolus Gallos, atque ab Eccleſia catholica divellit, ob politicorum argutias, LXII. Ipſe promulgatur a Cardinalibus ſchiſmatis author maximus, *ibid.* Pellicere annititur ad ſchiſma principes univerſos, *ibid.* Belgæ, Britones, Aquitani, eo contempto, Urbanum coluere, *ibid.* Quanto malo Gallicanæ Eccleſiæ antipapam exceperit, 1379. XXX. Sibi extremum eo flagitio exitium peperit, *ibid.* Germanos miſſis oratoribus illaqueare ſchiſmate fruſtra nititur, XXXVIII. Queritur Anglorum Rex apud Aragonium, ſuſceptam a Carolo antipapæ clientelam, *ibid.* Monitus Rex Aragonum, ſi juri ſteterit, Gallum Regem ad officium redactum iri; neque enim adverſus omnes reges tueri antipapam poſſe, XLV. Germania, Anglia, & Flandria in Gallos pararunt arma ad repetendam de ſchiſmate vindictam, XLVI. Cur Urbanus diſtulerit in eos ultionem, *ibid.* Monetur ab avunculo Petro Aragoniæ regiæ principe Minorita, ut Urbanum ſequatur, XLVIII. Graviſſima Gallis impendere mala ſi ab eo deſciverint, *ib.* Monetur etiam a S. Catharina Senenſi, ut Urbano adhæreat, XLIX. Spernendas eſſe Cardinalium conjurationes, *ib.* Abjiciendum proprii amoris pondus, *ibid.* Internuntii Urbani ad Carolum Regem, Galliarum ingreſſu prohibiti, L. Pilei Ravennatis Cardinalis ad eum de ſchiſmaticorum Cardinalium impoſturis literæ, LI. Admonitus jactaſſe ipſos conflatum ejus imperio ſchiſma ac ab eodem propugnandum, *ibid.* Regiam exercet potentiam pro ſchiſmate amplificando, LII. Graviſſima Gallis bella parit, *ibid.* Ab Anglis bello premitur, 1380. IX. Plures provincias evaſtari videt, *ibid.* Diffidit ſuis, *ibid.* Percuſſus divina ultione exareſcit, *ibid.* Præmonitus fuerat a Petro avunculo Minorita de divina ira impendente ſchiſmaticis Regibus, *ibid.* Rodericus Ruizius prophetiæ dono clarus teſtatur illum ob ſchiſmatis ſcelus periiſſe, *ibid.* Conflati ſchiſmatis imminente morte ipſum pœnituit, *ibidem.* Profeſſus eſt eum ſe velle colere Pontificem, qui a Concilio œcumenico agnoſceretur, *ib.* Editæ ea de re publicæ tabulæ, *ibidem.* Antequam e vivis diſcederet, ſubduxit ſe ab antipapæ obſequio, *ibidem.* Regnum filio Carolo VI. tranſmittit, *ibid.* A laudato Ruizio prophetiæ dono claro gravibus exerceri pœnis ob excitatum, auctumque ſchiſma dicitur, 1381. XXXIII. Demonſtratur ex ejuſdem literis obtuliſſe Gallis Cardinalibus armorum potentiam pro conflando ſchiſmate, 1382. XXV.

Carolus VI. patri Carolo V. in Gallico regno ſuccedit, 1378. I. Rogatur ab Hungariæ & Caſtellæ Regum oratoribus de tollendo ſchiſmate, XII. A patruo Ludovico Andegavenſi in antipapæ obſequio confirmatur, *ibid.* Agentibus catholicis de concilio œcumenico congregando pſeudocardinales ad eum ſcribunt, non eſſe congregandum, 1378. XIII. Joannem Caſtellæ Regem inducit ad ferendam pro antipapa ſententiam, 1381. XXIX. Sexaginta millia bellatorum duce Ludovico Andegavenſi mittit adverſus Urbanum, 1382. IV. Auxiliarem exercitum ſubmittit in Caſtellam adverſus Ducem Leceſtriæ regnum affectantem, 1386. XIV. Parat claſſem ad Angliam invadendam, XV. Contrariis ventis claſſis prohibita, *ibid.* Solicitatur a Leone Rege Armeniæ ad vertenda in Saracenos arma, *ibid.* Adverſus Ducem Geldriæ exercitum in expeditionem ducit, ut morem gerat antipapæ, 1388. VIII. Magnis affectus damnis redit Rhemos, regnique adminiſtrationem a patruis recipit, *ibid.* Adducit ad antipapam Ludovicum Andegavenſem, 1389. XIV. Ejuſdem antipapæ manibus aquam fundit, *ibid.* Conjurat cum eo de evertendo Pontifice & Italia inter Gallos principes dividenda, 1391. XXIII. Subdolo conſilio pacem ab Anglo petit, XXIV. Denegata illi, ni pacem Italiæ daret, *ibid.* Percuſſus divinitus amentia, 1392. VII. Recuperat per aliquot intervalla mentem, *ibid.* Eccleſiarum conjunctionis redintegrandæ conſilia ſapientiſſima demum ſuſcipit, *ibid.* Dum choreas, & inanes ludos agitat vix e flammis ereptus, *ibid.* Urgetur a Sorbonicis doctoribus, ut Schiſma abolendum curet, 1394. III. Expoſita illi ſchiſmatis mala, VI. Rogat pſeudocardinales, ne ſublato Clemente alium in ejus locum ſubrogent, *ibid.* Spretum ejus conſilium, *ibid.* Ad eum a Benedicto XIII. antipapa decreti legati, IX. Conventus agitat pro unione, *ib.* Viam ceſſionis amplectitur, *ibid.* Argumenta quæ ſchiſmaticos Gallos torſere, X. Excitatur, ut ad redintegrandam Eccleſiarum conjunctionem incumbat, XIII. Ad eum decreti a Bonifacio IX. legati, 1394. XV. Mittit principes ad antipapam, qui eum urgeant ad abdicationem, 1395. I. Deluditur ab eo, II. *& ſeq.* Solicitat Germanos, Anglos, & Italos ut deſerant Pontificem, cum ipſi antipapam deſerturi forent, IV. Intereſt ſynodo Pariſienſi pro cogendo Petro e Luna ad ponendos pontificios apices, XIV. Sacerdotiorum collationes eripit antipapæ, *ibid.* Eripit annatas, *ibid.*

*ibid.* Affinitatem cum Richardo Rege Angliæ jungit, II. Ad deferendum Pontificis veri patrocinium impellit, *ibid.* Cum eo ad Papam cum antipapa evertendum conjurat, *ibidem*. Genuæ imperium civibus ſe ultro dedentibus accipit. VI. Intentatum a Bonifacio anathema ſocietatem cum ipſo inituris, XVII. Subſidiarium exercitum mittit in Pannoniam adverſus Turcas 1396. XVIII. Is cæſus a Turcis, *ib.*

Carolus III. Primum Dyrrachii princeps poſtea Rex Neapolitanus, Hungarici in Venetos exercitus dux ad capeſſendum Neapolitanum ſceptrum excitus ab Urbano VI. 1380. IV. Neapolitani ab Urbano illi ſtudere juſſi, *ib.* Ejus uxor Margareta cum filiis in munitiſſimam arcem ſe ſubducit, *ibid.* A. S. Catharina Senenſi in Joannam inſtigatus, V. Cum exercitu ad urbem accedit, 1381. I. In eum Urbanus apoſtolico diplomate regnum Neapolitanum ad ſedem Apoſt. devolutum confert exceptis principatibus, quos Franciſco nepoti contulerat, *ibid.* Admittit propoſitas ab Urbano leges, III. Regiis confirmat literis, *ibid.* & *ſeqq.* Fiduciariæ ab eo præſtitæ ſponſionis formula, *ibid.* Denuntiat Eccleſiæ hoſtibus hoſtem ſe illorum futurum, IV. Indicit Joannæ & antipapæ anticardinalibus bellum, *ibid.* Si violarit fœdera regnum ad Eccleſiam devolvendum paciſcitur, V. Non conjunctum iri regnum Neapolitanum cum imperio, vel majori Etruriæ vel Inſubriæ parte ſpondet. VIII. & XIII. Annuum vectigal octo millium unciarum auri promittit, *ibid.* Et aliud militare, XIV. Numquam a ſe vel ab heredibus Romanæ Eccleſiæ jura occupatum iri, XVI. Si contra tendat pœnas de amittendo regno ſuſcipit, *ib.* Eccleſiaſtica jura a ſe reſtitutum iri pollicetur, XVII. Electiones præſulum permiſſurum, XVIII. Ab illis ſacramenta fidei ex vetuſta tantum formula exactum iri, *ibid.* Capuæ principatum, Amalphim, Cajetam, Averſam, & plures alias arces agroſque Franciſco nepoti ab Urbano collatos aſſerturum ſancit, XX. Duodecim dierum flexu expeditionem initurum, XXI. Fidem ſolemni ritu Urbano obſtringit, XXII. De perſequendis antipapa & anticardinalibus ſacramentum nuncupat, XXIII. Urbani beneficentiæ regnum acceptum refert, *ibid.* Cingitur pontificia manu regio diademate, XXIV. Certatim populi in illius fidem ac poteſtatem veniunt, *ibid.* Excipitur Neapoli, *ibid.* Joannam obſidione cingit, *ibid.* Othonem in bellico congreſſu capit, *ibid.* Joannam ad deditionem allicit, *ibid.* Divina vi potius quam humana regno potitus, *ibid.* Capuæ poſſeſſionem ab eo exigit Franciſcus Prignanus Urbani nepos, XXVI. Repulſam illi dat, pactionem injuria extortam ab Urbano queſtus, *ibid.* Natæ inde odiorum & malorum cauſæ, *ibid.* Provinciales ad eum inclinant, *ibid.* Cum plures ab eo deficerent Joannæ Reginæ ſtudio & Ludovici Andegavenſis expectatione, Joannam ipſam præfocari jubet, 1382. I. In ejus auxilium ſubmiſſus Acutus cum Anglicis copiis, VII. Neapolitanus clerus ad aurum ſubſidiarium pendendum ei ab Urbano imperatus, VIII. Cunctatione Ludovici Andegavenſis impetus frangit, X. Commeatus & pabula illi ſubducit, *ibid.* Gallorum exercitus penuria morbo, frigore attritus, X. Ab eo Urbanus adverſus hoſtes trecentorum cataphractorum equitum militare vectigal exigit, 1383. II. Venienti in Neapolitanum regnum Urbano occurrit, III. Stratoris munere fungitur, *ibid.* In arcem Averſanam officii ſpecie, eum compingit, *ibid.* Concordia inſtaurata, ingenti pompa Neapoli iterum Pontificem excipit, IV. In cuſtodiam iterum tradit, *ib.* Redintegrat cum eo pacem, *ibid.* Imitatus Henrici IV. in Paſchalem II. exemplum ſimilis pœnæ immunis non fuit, *ibid.* Vexillum Romanæ Eccleſiæ ab Urbano Neapoli inter ſacra adverſus Ludovicum Andegavenſem accipit, 1384. I. Perit miſere ejus æmulus Ludovicus, II. Priores adverſus Urbanum exercet inimicitias, IV. Conjurationis a Cardinalibus in Urbanum cœptæ fit particeps, 1385. III. Ab Urbano regio honore exuitur, *ibid.* Urbanum Luceriæ obſidet præfecto exercitus Cardinale Reatino, *ibid.* Quater in die ab Urbano anathemate defixus, *ibid.* Auxiliaris exercitus ab Urbano exciti duces ſubornat ad prodendum ſibi Urbanum, V. Pileus Cardinalis de concordia redintegranda agit, *ibid.* Caroli exercitus fuſus a Gallis, VII. Agit de concordia cum Urbano Beneventum ingreſſo, *ibidem*. Ab Urbano ex ejus vi & inſidiis lapſo exauctoratur, *ibid.* Vocatur ab Ungaris ad capeſſendum regnum, IX. Suadet ipſi Margareta ut potius recuperandæ Provinciæ & firmando Neapolitano regno det operam, *ibid.* Fugato Sigiſmundo, exceptus ab Ungaris, *ibid.* Regio diademate inſignitur, *ibid.* Vim pontificii anathematis ſentit, 1386. I. Proditione cæſus, *ibid.* Tot regnorum dominus ſacra terra, qua tegeretur, caruit, *ibid.* Non defuere calamitatis præſagia, II. Dum celebrabantur feſti apparatus de ſuſcepta Hungarica corona allatus cædis nuntius, *ibid.*

Carolus Zenus Venetæ claſſis præfectus reſtituit Calojoanni Conſtantinopolitanum Imperium, Andronico pulſo, 1379. LIV.

Carolus cognomento malus Navarræ Rex Gallias bello civili miſcet, 1358. II. & *ſeq.* Sentit cum Eduardo Angliæ Rege, *ibid.* De Burgundia cum Joanne Gallorum Rege certat, 1364. XV. Et cum Carolo V. XVIII. Caſtellam ex fœdere cum Aragonio & Henrico expugnandam partitur, *ibid.* Delectus Pontifex arbiter controverſiarum inter Henricum Caſtellæ & Navarræ Reges, 1371. IV. Pontificem convenit Avenione, *ibid.* Controverſias cum Carolo Rege Gallorum componit, accepto Montiſpeſſulani principatu, *ibid.* Cum Henrico Rege Caſtellæ pacem init, & quibus legibus, 1373. XXIV. Vocatur in ſuſpicionem ſublati veneno legati Cardinalis, *ibid.* Accuſatur paraſſe Venenum Regi Francorum, *ibid.* Multis ab eo urbibus ſpoliatur, *ibid.* Dum fractus libidinibus vires reficit, exuſtus fertur, 1387. X. Succedit illi filius cognomine Nobilis, *ibid.*

Carolus cognomento Nobilis Rex Navarræ ſuccedit patri, 1387. X. Ferendæ in controverſia pontificatus ſententiæ authoritatem ad concilium ſpectantem uſurpat, 1390. XX. Fert ſententiam pro antipapa, *ibid.* Impulſus ad flagitium ab Epiſcopo Pampilonenſi, *ibid.*

Carolus Dux Normanniæ poſtea Rex Francorum eo nomine V. ab Innocentio VI. ad conſtantiam in rebus aſperis poſt Pictavienſem cladem excitatus, 1356. VII. Exagitatur a plebe, XIII. Confert ſe ad Carolum avunculum Imperatorem, *ibid.* Cum Navarræ Rege bellum gerit, 1358. II. Solicitatur ad pacem, *ibid.* Jaquæorum fictum Regem candenti tripode coronari jubet a carnifice, 1359. I. Regiam coronam ſuſcipit, *ibid.* Pacem cum Anglis jurejurando ſancit, 1360. III. Patri in Gallico regno ſuccedit, 1364. XVI. Excitatur a Pont. ad regias virtutes ſectandas, XVII. De Burgundiæ ducatu cum Rege Navarræ certat, XVIII. Ad ſubſidia orienti impertienda ſolicitatus ab Urbano V. 1366. XV. Transfugiunt ad eum Aquitani, ſupremumque dominum agnoſcunt, 1369. XI. Grave bellum cum Eduardo Anglo ſuſcipit, *ibid.* Partem Aquitaniæ recipit, *ibid.* Ad eum duo Cardinales pro pace Anglica legati a Gregorio XI. 1371. I. Cunctando, Anglorum frangit impetus, II. Apud Rupellam Caſtellani fœderati ope Anglum mari vincit, *ibid.* Solicitatur ad pacem conficiendam cum Anglo, *ibid.* Illi eripit Rupellam & alias urbes, *ibid.* Pias oblationes ad Eccleſias urbis tranſmittit, 1373. XV. Solicitatus a Gregorio ad excindendos Turlupinos, 1373. XIX. Et Waldenſes e Delphinatu, XX. Flammis abolet Turlupinos, *ibid.* Ad pacem cum Anglo ſolicitatur, XXII. Tentatur veneno a Rege Navarræ, XXIV. Iterum ſolicitatus ad pacem, 1374. XXI. Et ad expeditionem in Saracenos ſuſcipiendam, 1375. X. Et rurſus ad conficiendam cum Anglo pacem, XI. Queritur Gregorium Italiam repetere, & quid ipſi reſponſum, 1375. XXII. Indictis Brugenſibus conventibus retardatum pontificium iter, *ibid.* Urgetur ad Waldenſes e Delphinatu excindendos, XXVI. Illos carceribus mancipari jubet, *ibid.* Monitus, ut pœnitentiæ ſacramentum reis afficiendis ſupplicio permittendum curet, 1375. XXVIII. Det operam ut delphinatus præfectus illius partis, quæ ſedis Apoſt. beneficiaria eſt, fidei ſacramentum Romanæ Eccleſiæ nuncupet, 1375. XXIX. Rothomagenſem Archiep. veteri urbis imperio reſtituendum ſtudeat, *ibid.*

Carolus Alenconius comes Prædicatorum ordinem ingreditur, 1359. I. Illius conſtantia a Pontifice tentari juſſa, *ibid.*

Carolus e Bleſis a Joanne Duce Britanniæ cæſus, 1368. XI. Sanctitatis opinione a nonnullis celebratur, *ibid.* Objurgantur qui ſine judicio Sedis Apoſt. illi ſanctorum honores contulerant, *ibid.*

Carrarienſes Patavini dum ad Scaligeros perdendos cum Galeatio Vicecomite conſpirant, ſibi exitium pariunt, 1387. XIII.

Caſimirus Rex Poloniæ infelicem expeditionem conficit in Moldavos, 1359. XV. Solicitatur ab Urbano V. ut ex adulterii volutabro emergat, 1362. XII. Vexatur ab infidelibus, *ibid.* Propoſita veniæ ſpes Polonis in bello contra barbaros morituris, *ibid.* Solemnes Regum conventus Cracoviæ celebrat, 1364. X. Dat operam, ut Cracovienſis academia ab Urbano Papa excitetur, XIII. Corripitur de adulteriis, 1365. XIV. Intentatæ illi cenſuræ, *ibid.* Plures e Lithuanis urbes terraſque recuperat, 1366. XXIX. Illius mors, 1370. XXVII. Rite ſacramentis munitur, *ibid.* In Eccleſias munificus, *ibid.* Regnum Polonicum in Ludovicum Regem Ungariæ transfundit, *ibid.*

Caſſinenſe monaſterium ampliſſimis juribus a veteribus Regibus auctum, 1370. XIV. Quo die Carolus I. jus imperii in vitam necemque clientum ademit, in eum Siciliæ inſula rebellavit, XV. Monita de eo Joanna I. juſſaque monaſterio illi vetera jura reſtituere, *ibid.* Epiſcopatus Caſſinenſis abrogatus, XVI. Priſtinus religionis nitor monaſterio illi reſtitutus, *ibid.*

Caſtella, cæſo Petro Rege a pluribus principibus affectata, 1370. XVII. A Mauris bello appetita, *ibid.* Ad ſedandos civiles motus miſſi internuntii, *ibid.*

Caſtellani in oppido Ylieſcas ſolemnes cœtus in cauſa ſchiſmatis celebrant, 1379. V. In iis ſtatuerunt, ſi quod in electione vitium impreſſionis fuerit, in libera electione purgatum, *ibid.* Secundos iterum conventus Toleti agunt, ac decernunt in ea controverſia, excipiendam concilii œcumenici ſententiam, *ibid.* Fiunt certiores a Petro regiæ Aragoniæ principe, ſibi divinitus oſtenſum ſchiſmaticos Cardinales deſignatos per Nicolaitas, qui Eccleſiam ſponſam traditam vero ſponſo nimirum Urbano Papæ, iterum adultero, ſcilicet antipapæ, tradiderint, VI. Petrum e Luna non ut antipapæ legatum, ſed ut Hiſpanum excipiunt. VII. Ad eos in Urbani obſequio confirmandos ſcribit commentarium Alphonſus eremita olim Epiſcopus Giennenſis, VIII. & *ſeq.* Expetunt concilium œcumenicum, 1380. XIV. Opinantur Cardinales ex odio in Urbanum rebellaſſe, XVII. Diffidentes cauſæ, concilium œcumenicum averſati, *ibid.* Transmiſſi ad Caſtellanos ab Urbano commentarii de veritate electionis, XVII. Data eorum oratoribus poteſtas, ut Romæ dicta teſtium excipiant, *ibid.* A Joanne Rege ſubornato trahuntur in ſchiſma, 1381. XXIX. Seducti ea argutia, quod non eſſet veriſimile Cardinales velle ſe & univerſos male perdere, 1382. XXIII. Eadem argutia refellitur ex evidentia facti in creandis duobus Pontificibus, *ibid.* Bello petuntur ab Anglis, 1386. XIV. Fuſi aliquot præliis eos arcium poſſeſſione prohibent, *ibid.* Percuſſus repentina ultione Joannes Rex, 1390. XX. Præferunt Caſtellani abrumpendi ſchiſmatis ſpes, 1391. I. & *ſeq.* Miſſi ad eos a Bonifacio IX. legati ampliſſimis mandatis pro ſolvendis cenſuris & aſſerenda omnium dignitate inſtructi, *ibid.* Petrus Archiep. Toletanus concordiam Caſtellæ cum Eccleſia diſcutit, IV. Maxima pars cleri & populi tenuit ſemper Urbanum fuiſſe verum Pontificem, 1394. XI.

Caſtrum S. Angeli. *Vid.* Hadriana arx.

Cataluſius: *Vid.* Franciſcus Cataluſius.

Catharenſes a ſchiſmaticis vexati, 1367. XIII. Rogati Veneti ad ferendam ipſis opem, *ibidem*.

S. Catharina Senenſis Gregorium monet, creandos Cardinales ſanctitate conſpicuos; alias periclitaturam Eccleſiam, 1375. XXXI. Adhibita interpres concordiæ inter Pontificem ac Florentinos, 1376. VI. A Florentinis ſibi illuſum conqueritur, *ibid.* Ad Florentinos miſſa a Gregorio XI. pro concilianda pace, 1377. II. Intentatam mortem ſpernit, III. Pacem inter Florentinos & Pontificem ſanciendam ſua opera prædicit, 1378. XXI. Ea promulgata redit Senas, *ibid.* Ut ſchiſma triennio antequam conflaretur, prædixerit, XXII. Deſignat clericos futuros ejus authores, *ibid.* Ejuſdem de futuro ſchiſmate ſententia, *ibid.* Prædicit bella in agro Romano & regno Neapolitano exorienda, *ibid.* Monet Italos Cardinales celebrandam ſynodum, avertendaque in Turcas arma ſacro bello indicto, XLIV. Cardinales Italos qui fallaci pſeudopontificatus ſpe titillati Fundos acceſſerant, ignaviæ & ſuperbiæ carpit, LV. Cardinales Gallos dæmones humana carne indutos, & antipapam dæmonium appellat, *ibid.* Conflatum ſchiſma ob ferendæ correptionis impatientiam ait; *ibid.* Urbanum ad conſtantiam contra adverſarios excitat, LV. Eumdem verum Chriſti vicarium profitetur, *ibid.* Præſules ac principes literis hortatur, ut Urbanum colant, 1379. XXI. Romam ab eo vocatur, *ibid.* Cardinales præſente Urbano ad conſtantiam excitat, *ibid.* De ea mittenda cum S. Catharina Sueca ad Reginam Neapolitanam Urbanus deliberat, XXII. Sed a religioſo viro Raymundo Capuano revocatur ab ea mente, XXII. S. Catharinæ eximia conſtantia & fiducia in Chriſto, *ibid.* Denunciat Urbanum eſſe verum Chriſti vicarium, quidquid effutiant Galli Cardinales, *ibid.* Hortatur Raymundum Capuanum, ut omnes labores pro Urbani cauſa ſubeat, *ibid.* Joannam Reginam

nam literis admonet, ut ad Urbani veri Pontificis obſequium redeat, XXIII. Execratur Cardinales Gallos ut dæmones & impoſtores, *ibid.* Prædicit Joannæ populos ipſi fidos non futuros, *ib.* Divinas iras ei intentat, *ib.* Albericum comitem ad bellicam virtutem contra ſchiſmaticos cohortatur, XXIV. Promittit Moyſis exemplo preces pro pugnantibus ſe facturam, *ibidem*. Florentiſſimam victoriam catholicis impetrat, *ibid.* Conſulit Urbano, ut parta arce Hadriana ſolemnem ſupplicationem a S. Mariæ Tranſtyberinæ æde ad Baſilicam S. Petri nudis pedibus ducat, *ibid.* Videt cælitus colluſtrata Romanos a dæmonibus concitari adverſus Urbanum, XXXIV. Sacras preces fundit, *ibid.* Debitas illis pœnas in ſe ſuſcipit, *ib.* Romani divinitus ſola Urbani voce coerciti, *ibid.* Admonet Gallorum Regem, ut Urbano adhæreat, XLIX. Spernendas Cardinalium conjurationes, *ibid.* Abjiciendum proprii amoris pondus, *ibid.* Romani plures a Joannæ Reginæ exercitu capti implorata B. Catharinæ Senenſis ope vinculis divinitus ſoluti, 1380. II. Hungariæ Regem ſolicitat, ut compoſito cum Venetis bello arma in ſchiſmaticos vertat, III. Robertum Gebennenſem antichriſtum & membrum diaboli vocat, *ibid.* Conqueritur Reges non obſiſtere ſchiſmaticorum impietati, *ibid.* Carolum Dyrrachinum ad ſacrum in Joannam bellum accendit, V. Senenſes & Florentinos hortatur, ut una cum Urbano adverſus ſchiſmaticos armorum ſocietatem coeant, VI. Prophetiæ dono fuit clariſſima, XXIV. Alios admirandoſque mentis exceſſus ſæpius paſſa, *ibid.* Divina humanis verbis poſſe explicari negat, *ibid.* Chriſti ſtigmatibus inſignita, *ibid.* Illa primum dolorem, deinde robur attulere, *ibid.* Chriſtus eam, tradito annulo, ſibi deſponderat, *ibid.* Animas intuitive vidit, XXV. Tetrum e peccatoribus fœtorem halare ſenſit, *ibid.* Pulchritudinem animarum ſanctarum intuebatur, *ibid.* Monuerat Gregorium XI. ſenſiſſe ſe in curia Romana graviſſimum fœtorem criminum, *ibid.* Coacta vultum avertere præ fœtoris magnitudine dum formoſa concubina eam alloquebatur, *ibid.* Diu ſola Euchariſtia contenta vixit, XXVI. Chriſtum in manibus ſacerdotis ſæpe vidit, *ibid.* Incredibili lætitia delibuta cor ſalire ſenſit, *ib.* Extremum Joannæ Reginæ exitium impendens prævidit, *ibid.* Læta & pia ejus mors, XXVII. Vitam ſe dare pro Eccleſia teſtatur, *ibid.* Indulgentiam in extremo vitæ actu a Pontificibus ſibi conceſſam efflagitat, *ibid.* Certat cum dæmonibus, deque illis triumphat, *ibid.* Digna gloria non propter gloriam ſe geſſiſſe teſtatur, *ibid.* Tempus ejus mortis, *ibid.* Hora qua deceſſit Raymundo Capuano interne locuta, *ibid.* Claret miraculis, & ſacrum pignus Romæ in Eccleſia Prædicatorum tumulo conditum, *ibid.* Recurrente anno quinquageſimo celebrata reliquiarum tranſlatio, *ibid.* A Pio II. in Sanctarum virginum ordinem repoſita, *ib.* Completum ejus vaticinium, 1381. XXIV. & 1382. I.

S. Catharina Sueca urget cauſam decernendi a Pontifice ſanctorum honoris matri ſuæ S. Birgittæ, 1379. XIV. Admonita Barenſem Archiep. futurum Pontificem, eidem cauſam ſuam commendat, *ibid.* Pro Urbano coram judice & teſtibus interrogata reſpondet, ſe a Gallis Cardinalibus accepiſſe Urbanum communi conſenſu delectum, XX. Seditionem concitatam poſt electionem Urbani a Romanis expetentibus Pontificem patria Romanum, *ibid.* Concepti a Cardinalibus metus cauſam fuiſſe quod Romanum non elegiſſent, *ibid.* Cenſere Urbanum nimia ſeveritate Cardinales egiſſe in rabiem, *ibid.* Rediture in Germaniam Urbanus VI. Magnæ authoritatis virum ad eam in alpes uſque ſociandam tradit, 1381. XLV. Per Germaniam ob literas Urbani commendatitias ubique magnifice excepta, *ibid.* Colliſum hominem in itinere ſanat, *ibid.* Alium ſaxorum & lignorum ſtrue oppreſſum curat, *ibid.* Exomologeſim bis terve quotidie repetit, XLVI. Stella divinitus illius exequias illuſtrare viſa, *ibid.* Ericus Regis Sueciæ filius ſuppoſuit collum ejus feretro, *ibid.* Defunctæ manus compreſſit manum Tordonis Epiſcopi Stengrenenſis, qui amicitiæ ſtudio eandem manum preſſerat, *ibid.* Claret miraculis, *ib.*

Catholica Eccleſia. Declarat Palæologus Græcorum Imperator, illam eſſe catholicam Eccleſiam cui Romanus Pont. in occidente præſit, 1370. I. *Vid.* Eccleſia.

Cenſores fidei trucidati in Sabaudia, 1375. XXVI.

Ceſſio: *Vid.* Abdicatio.

Cham Tartarorum ad fidem chriſtianam amplectendam ſolicitatus, 1370. IX. *& ſeq.*

Chelmenſis Epiſcopatus inſtitutus in Ruſſia, 1375. XXVIII.

Cherchinæ inſulæ ſive Hircanum. Traditum ab Urbano VI. Earum jus fiduciarium Manfredo Claromontio, 1389. VI. Subactæ Genuenſium & Venetorum ope, *ibid.*

Chorea. Choreæ funeſtæ dæmonum arte agitatæ, 1374. XIII. Ex chorea ad divinum tribunal rapitur Ludovicus Magdeburgenſis Archiep. 1382. XLVII. Dum in chorea muliercula manu tenet ignis divinitus accenſus omnes terrore complevit, *ibid.* Ductæ a Carolo VI. Gallorum Rege choreæ triſtes exitus, 1392. VIII.

Chriſtus admonet Clementem VI. interprete S. Birgitta, ut componat pacem inter Angliæ & Galliæ Reges, ſedem transferat Romam, annum jubileum indicat, diſciplinæ eccleſiaſticæ ſplendorem reſtituat, 1379. VIII. Urbanum V. etiam monet interprete Petro principe Aragonio Minorita de crudeliſſimo imminente ſchiſmate, præcipit ut in Italiam ſedem transferat, mortemque ei intentat, ſi Avenionem redierit, IX. Eidem S. Birgittæ opera mortem ſimiliter comminatur, ſi Avenionem redierit. IX. Gregorio XI. imperat ejuſdem ſanctæ viduæ opera, ut ſedem Apoſtolicam reſtituat Italiæ, X. Charitatem & demiſſionem colat & conſultores malos abiiciat, *ibid.* Excindat ſimoniam pietatemque inſtauret, *ibid.* Prædixerat ob tardiorem adventum Gregorii perduelliones excitatum iri, XI. Invitis Gallis Cardinalibus Romæ ſedem Apoſtolicam ſtabilit, *ibid.* Se in Euchariſtia latere ſacerdotibus ipſam geſtantibus pondere oſtendit, 1389. XXII. Judæi Euchariſtiam e qua manat cruor cultris tranſverberant Bruxellæ, LIX. *Vid.* Euchariſtia. Carnem aſſumptam a Verbo negavit Wicleffus, 1380. XXIII. Humanitatem ſeparatam a Verbo adorandam contendit, *ibid.* Ea veluti Regis corona dicitur a S. Auguſtino, quæ ſeparata a Rege non adoratur, *ibid.* Viſus ſæpe a S. Catharina Senenſi in manibus ſacerdotis, XXVI. Chriſti e cruce pendentis imago a ſacrilego vulnerata cruore manat, ac ſi ipſe percuſſus eſſet, 1383. X. Perit divina ultione ſacrilegus, *ibid.* Chriſtus e cruce pendens in aere ſe videndum obiicit Petro Lucemburgenſi, 1387. XI. Samagitas & Lithuanos ab ignis, ſerpentum, & arborum cultu ad ſuum obſequium, reducit, 1387. XV. Chriſtus ſub egeni ſpecie panem poſcit a B. Margareta virguncula, eamque ſacra prece luſtrat, 1395. XX. Eſurienti panem dulciſſimum dat, *ibid.* Non vult omnia a nobis geri quæ geſſit ipſe, 1396. XIII.





Cilicium: In cilicio & cinere mori vult B. Petrus Thomas, 1366. XVIII.

Cinis in cinere & Cilicio mori vult B. Petrus Thomas, 1266. XVIII.

Claſſis ſacra prece luſtrata a B. Petro Thoma in expeditione Ægyptia, 1365. XVIII.

Clemens VI. monitus eſt Chriſti juſſu a S. Birgitta, ut pacem inter Galliæ & Angliæ Reges componeret, rediret Romam, & in Eccleſia univerſo diſciplinam priſtinam inſtauraret, jubileum annum gentibus indiceret, 1379. VIII. Intentatæ ipſi ab eadem ſancta divinæ minæ ni pareat, *ibid.*

Clemens VII. antipapa antea Cardinalis Baſilicæ XII. Apoſtolorum dictus Robertus Gebennenſis factionis adverſus Lemovicenſes princeps, 1378. II. Prædicit Barenſem Archiep. futurum pontificem, *ibid.* Ubi accipit Urbanum reſpondiſſe non ceſſurum pontificio gradu etiamſi Romani jugulo admoverent gladios, triumphat gaudio, XI. Aperit amico præſuli veram Urbani electionem, XII. Angitur metu conjurationis popularis in Urbanum, *ibid.* Ex fuga reverſus Urbanum colit, IV. Scribit ad Cæſarem Belgarum principem & Britanniæ Comitem de Urbani libera creatione, XVII. Propterea conflato ſchiſmate ab his ſpretus, *ibid.* Scripſit idem iterum una cum aliis ad Cæſarem, XVIII. Et ad Cardinales qui Avenione ſubſtiterant, XIX. Omnia obſequii genera Urbano ut Pontifici defert, XX. Aliquot menſibus paret, dein diſſidere incipit ab eo, XXI. Prædictum ſchiſma a S. Catharina Senenſi, XXII. Deſignata cauſa, *ibid.* Quid de eodem eadem diva ſenſerit, *ibid.* Quæ prædicta mala, *ibid.* Prædictum etiam a Petro Aragonio principe, *ibid.* Illius conflandi author maximus Robertus extitit, *ibid.* Ex receſſu Anagnino etiam ſupplicem libellum ad Urbanum miſit, XXVIII. Conſultus ex ficto a Cardinalibus themate reſpondet Joannes e Lignano Cardinales contemptum iri ab orbe Chriſtiano, XXX. Concludit pro Urbano graviſſimis ex cauſis, XXXI. *& ſeqq.* Pro eodem concludit Baldus conſultus ex falſo Cardinalium themate, XXXVI. Oblatum ab Urbano Cardinalibus pro dirimenda controverſia concilium œcumenicum, XLII. Ab iiſdem repudiatum, *ibid.* Cauſæ ob quas ab Urbano defecerint, XLVI. Objectum ab Anglis Robertum Gebennenſem, ut multarum cædium inique commiſſarum rerum pontificatu indignum, LI. Ut Robertus antipapa delectus ſit, LV. Ejuſdem mores & genus, *ib.* Dæmonium appellatur a S. Catharina Senenſi, LVI. Celebrata XX. Septembris ejus prophanatio, LVI. Cur cæteris prælatus ſit, *ibid.* De ejuſdem audacia & arrogantia, *ibid.* Britones & Vaſcones ſibi addictos habebat, *ibid.* Attingebat conſanguinitate plures principes, *ibid.* Crudeliſſima Cæſenatium ſtrage antipapatui præluſerat, LVII. Appellatur antichriſtus a S. Catharina Senenſi, LIX. Omnibus fidelibus futurus erat ludibrio ni Carolus Rex Gallos ut ſervirent antipapæ oppreſſiſſet, LX. *& ſeq.* Galli ſtetere pro Urbano contra Clementem antipapam quandiu libertate potiti fuerunt, *ibid.* Doctores Sorbonici publicas concluſiones pro Urbani Pontificatu tuentur, *ibid.* Urbani ad eos literæ, LXI. Solicitantur ad tuendam Eccleſiæ cauſam, *ibid.* Clemens antipapa Gallos Caroli V. Regis opera opprimit, *ibid.* Illum ſchiſmatis propugnatorem nanciſcitur, *ibid.* Cur Britanniæ, & Belgii principes Roberto parere detrectarint, LXII. Scripſerat ad eos ante pſeudopontificatum, Urbanum eſſe verum Pontificem, *ibid.* Ex conficto a Cardinalibus caſu & ſchiſmaticorum judicio Roberti cauſa admodum anceps & intricatiſſima exiſtimata eſt, ex Urbani vero caſu perſpicue iniqua LXXII. Rei geſtæ hiſtoria pure & ſine fuco ab Urbano recenſita, LXXIII. Deſigitur Robertus ab Urbano decretoria ſententia, CVII. Plures anticardinales creat, CXV. Plures pſeudolegatos ad Reges decipiendos mittit, *ibid.* Negant ſchiſmatici diſcutiendum in concilio œcumenico an Clemens ſit Papa, vel antipapa, 1379. IV. Teſtatur Petrus Aragoniæ princeps ſchiſma divinitus ſibi ante oſtenſum, & ſecundo electum eſſe adulterum virum Eccleſiæ, & Cardinales deſignatos per Nicolaitas qui Eccleſiam traditam ſponſo, nempe primo electo Papæ rurſum viro adultero ſcilicet antipapæ Clementi tradiderint, VI. Illum eſſe Herodem ſibi divinitus oſtenſum ſub cujus tanquam diriſſimi ſpiculatoris gladio millia, & millia Innocentium ſint peritura, *ibid.* Illius legatus in Hiſpania ut legatus repudiatus ab Henrico Caſtellæ Rege, ſed ut regnicola toleratus, VII. Henricus Rex ob eum non ejectum morte divinitus inflicta percuſſus, *ibid.* Prædictum a Joanne e Rupeſciſſa ut Robertus Gebennenſis ambitione æſtuans Cardinales erat ſubornaturus, XII. Ut ſophiſmatibus phantaſticis impugnanda erat veri Pontificis electio, *ibid.* Cur & qua ratione Urbanum ad Pontificatum promovit, XIV. Ut Urbano miſcenti jurgia minas intentarit Cardinales ab eo defecturos, XVI. S. Catharinæ Suecæ pro Urbano adverſus antipapam publica conteſtatio, XX. S. Catharina Senenſis eundem Robertum ut dæmonem & impoſtorem execrata, XXIII. Victoria florentiſſima conceſſa cælo catholicis de antipapæ exercitu, XXIV. Arcem Hadrianam amittit, XXV. Latebras quærit, XXVI. Neapolim contendit, *ibid.* Illum Cajetani & Neapolitani averſantur, *ibid.* Mota in eum & Joannam Reginam Neapoli ſeditio, XXVII. Subducit ſe in arcem, *ibid.* Ex ea diſcedere cogitur, *ibid.* Cinctum ſe periculis expaveſcit, *ibid.* Fundos revertitur, *ibid.* Renovata in eum & ſequaces ſchiſmaticos ab Urbano edicta, *ibid.* Propoſita noxarum venia militiam in eum profeſſuris, XXIX. Maritimam fugam arripit, XXX. Maſſiliam applicat, *ibid.* Avenionem petit, *ibid.* A Cardinalibus Avenionenſibus excipitur, *ibid.* Gallis exitium affert, *ibid.* Perſequtionem in Urbanum & catholicos indicit, XXXIII. A Cæſare & principibus imperii damnatur, XXXVI. Ejus literæ & Gallorum Cardinalium de canonica Urbani electione in ſcriniis cæſareis reconditæ, XL. Sub Gallorum Regis impia clientela deliteſcit, XLII. Carolus V. Gallorum Rex ob antipapam defenſum divina ultione percuſſus, 1380. IX. In extremo vitæ actu profeſſus eum ſe velle agnoſcere Pontificem, quem concilium agnoſceret, X. Subduxit ſe a Clementis antipapæ, obſequio, *ibid.* Ludovicum Andegavenſem regni Neapolitani pollicitatione ſchiſmatis laqueis irretit, XI. Permittit Joannæ ut contra veterum Pontificum ſancita regnum in Ludovicum cooptatum in filium transferre poſſit, *ibid.* Cæſarea jura ſibi arrogat ac Provinciæ & Folkarquerii & Pedemontii comitatus, quorum ſupremum jus ſpectabat ad imperium, devolvendos ad Ludovicum ſancit, XVII. Ludovici opera Gallos ne ſchiſmatis laqueos diſrumpant opprimit, *ibid.* Indictum illi & anticardinalibus bellum a Carolo Dyrrachino, 1381. IV. Nuncupatum de iis perſequendis ſacramentum, XXIII. Joanna ob ſequutum ſchiſma in hoſtium manus cum viro lapſa, XXV. Giffonius anticardinalis profeſſus Clementem eſſe antipapam

pam inſignia cardinalitia exurit, XXVI. Aquenſem Archiep. ob trucidatos catholicos Aquenſes ficte expiat, *ibid.* Henricus Caſtellæ Rex ad illum deficit, XXIX. Quas inierit cum eo pactiones, XXXIII. Repellitur ejus pſeudolegatus a Luſitanis, XXXIV. Demonſtratum prius Cardinalium teſtimonium poſteriore infringi non poſſe, *ibid.* Repellendos fuiſſe a teſtimonio Cardinales cum ſibi contradixere, XXXV. Creatis duobus Pontificibus jus electionis amiſſum, *ibid.* Petrus S. Euſtachii anticardinalis infeliciter divulgat Clementem eſſe verum Papam, XLVII. Anticardinales ad eum tuendum ſacramento ſe devinciunt, *ibid.* Agit de referendo ob Gallorum preces in ſanctorum numerum Urbano V. XLVIII. Ludovicum Andegavenſem exercitus antipapalis ducem creat, 1382. II. Thomam e Caſſano pſeudocardinalem creat, *ibid.* Tuetur contra ejus impetus Urbanum VI. divina providentia, *ibid.* Defigitur anathemate & infamia, V. Juſſi fideles propoſitis indulgentiis in eum conſurgere, VI. Illius exercitus egeſtate, morbo, frigore attritus, X. Infeliciter ipſe demum perit, 1384. II. *& ſeq.* Neapolitanum regnum ipſius filio Ludovico a Clemente antipapa collatum, *ibid.* Leopoldus Dux Auſtriæ pro ejus cauſa in prælio Helvetico cæſus, 1386. VIII. Guilelmum de Agrifolio pſeudolegatum ad corrumpendos Germanos mittit, *ibid.* Decernit pſeudoeremitam impoſtorem ad Urbanum, ut illum ad ceſſionem hortetur, IX. At is interrogatus tormentis Clementem eſſe antipapam profitetur, IX. Rhodus deficit ad antipapam X. Othonem Brunſvicenſem e carcere lapſum excipit, XIII. Conſilia cum eo de regno Neapolitano ſubiiciendo confert, *ibid.* Othonis Brunſvicenſis opera Neapolim ſibi & Ludovico Andegavenſi ſubiicit, 1387. I. Sacra Eccleſiarum vaſa pro ſtipendio militi perſolvendo conflari jubet, II. In eum ab Urbano indicta cruceata militia, II. Neapolitanorum oratores ipſi ſacramento devincti, VII. Elatus faſtu propter contracta ab Urbano ob clam necatos quinque Cardinales publica odia Florentinos ad ſe tentat allicere, IX. Provocat ad concilium œcumenicum pro diſcutienda controverſia, *ibidem*. Ad eum deficit Joannes Rex Aragonum lata contra Urbanum iniqua ſententia, X. Pileum pſeudolegatum ad Florentinos corrumpendos mittit, 1389. IX. Patrimonium D. Petri latrociniis vexat, *ibid.* In Bonifacium IX. ſceleratas cenſuras exercere auſus, XIV. Ludovicum XI. Andegavenſem Regem Neapolitanum inungit, *ibid.* Carolus VI. Francorum Rex illius manibus aquam fudit, non antipapam, ſed Papam eſſe arbitratus, *ibid.* Joannes e Monteſono adverſus antipapam & anticardinales ſcribit, 1389. XV. Demonſtrat fideles non teneri ad adhibendam fidem Cardinalibus ſibi contradicentibus, *ibid.* Electo Urbano non debuiſſe alium eligi, XVI. Indigniſſimos fide oſtendit, XVII. Oblata illi legatio Gallica & Caſtellana a Bonifacio ſi antipapatu ceſſerit, 1390. VII. Oblatæ anticardinalibus & cæteris priſtinæ dignitates, *ibid.* Dux Bavariæ interpres concordiæ adhibitus, *ibid.* Immittit antipapa Ludovicum, XI. Andegavenſem ad Neapolitanam expeditionem, XVII. Adjungit Petrum e Turejo pſeudolegatum, *ib.* Leodienſium literæ ad Ducem Burgundiæ & Flandriæ comitem non fuiſſe diſcedendum ab Urbano ſine Eccleſiæ judicio, XIX. Si aliquorum canonicorum collegium ita ſe geſſerit, ludibrio publico propoſitum iri, *ib.* Carolus Rex Navarræ ad eum deficit, XX. Martinum e Sylva Epiſc. Pampilonenſem creat pſeudocardinalem in præmium ſceleris, *ibid.* Ad eum Morinos & Antuerpienſes traducit Joannes Belgii & Burgundiæ princeps, 1391. IV. Inſtaurata a Bonifacio in eum Urbani VI. edicta, XIII. Cum Gallo Rege de Italia inter Gallicos principes dividenda coitiones init, XXIII. Eccleſiaſticam ditionem duci Turonenſi pollicetur, *ibid.* Joannes e Monteſono edit in ejus pſeudopontificatum commentarium, XXIV. Demonſtratum omnes populos aliquando paruiſſe Urbano, *ibid.* Secundam electionem traxiſſe minorem partem populi, *ibid.* Gallos & Hiſpanos vi arreptos ad obſequium antipapæ, *ibid.* Urbani hoſtes divina ultione periiſſe, XXV. Regem Caſtellæ ob traditum cuſtodiæ Toletanum Archiep. anathemate percellit, 1393. Petrum Ferdinandum e Medina Hiſpanum Epiſcopum Exonienſem in anticardinalium numerum adſciſcit, 1394. I. Raymundi Rogerii graſſationibus divexatur, *ibid.* Apoplexia percuſſus contabeſcit, IV. Confecit illum ira & dolore denuntiatio Petri e Luna cedendum eſſe gradu, *ibid.* Significarat Pariſienſis doctor non poſſe ejus cauſam defendi, *ibid.* Cardinales eo invito de modo abolendi ſchiſmatis agunt, *ibid.* Anguſtiis undique premebatur, *ibid.* Epiſcopatus, & Sacerdotia omnia divendebat, *ibid.* Laſcivos juvenes promovebat ad dignitates, *ibid.* Aſſentandi Principibus ſtudio Eccleſiaſticos iis diripiendos exponebat, V. Eccleſiarum & monaſteriorum prædia transferebat ad ſæculares, *ibid.* Gebennenſium principum ſtirps exciſa eſt, cum aſſurgere ex antipapatu putaret, *ibid.* Majeſtatem pontificiam corrupit laſcivia, *ibid.* Ejus ceſſio commendata fuerat a Petro e Luna, VI. Jactarat, ſe modis omnibus diſciſſas Eccleſias conjuncturum, ſi eum Clementi deceſſuro ſuccedere contingeret, *ibid.* Eo ſublato Gallorum Rex orat anticardinales ne antipapam novum creent, *ibid.* Subrogatus in illius locum Petrus e Luna, VII. Argumenta quæ torſere Gallos ut Clementem veluti antipapam haberent ſuſpectum. X.

Clerici. Eorum luxus corrigendus, 1365. XVI. *Vid.* Eccleſiaſtici. Eccleſiæ immunitas. Ordo.

Colutius Pierius Florentinæ Reipublicæ cancellarius ad Cardinales in Urbani obſequio continendos ſcribit, 1378. LII. Proponit electum & coronatum per Cardinales donec ſecus judicatum ſit per Concilium colendum ut Pontificem, *ibid.* Non eſſe idoneos judices Cardinales, *ibid.* Secundam electionem irritam eſſe niſi prima judicio Eccleſiæ reſciſſa ſit, *ibid.* Ex eo quod ex metu ornamentis pontificiis induerint Cardinalem S. Petri, alium tamen elegerint, hunc ex metu non fuiſſe electum arguit. LIII. Arguit quod litem non judicio univerſalis Eccleſiæ, ſed Britonum & Vaſconum ferro dirimi velint, *ibid.* Si præfidunt cauſæ, cur judicium Synodi exhorreſcant, LIV. Objurgat de inſolentia quod pontificatum ſibi hæreditarium arrogent, *ibid* Demonſtrat unius tantum Pontificis eligendi poteſtatem habuiſſe cur tres eligant, LVII. Tyrannorum more Eccleſiam Britonum & Vaſconum armis poſſe opprimi ſtulte credidiſſe, *ibidem*. Cur reſpuant univerſalem, vel particularem Synodum ſi de juſtitia ſibi præfidunt, *ibid.* Si metu elegerint errorem reparari poſſe, LVII. Clamorem popularem non modo Cardinalibus, ſed ne mulierculis quidem libertatem adimere potuiſſe, LVIII. Electum vere Urbanum ſpreto metu, at Cradinalem S. Petri ficte ad ſecuritatem, *ibid.*

Conceptio Deiparæ: dum concionator Virginem peccati originalis labe non caruiſſe declamat





repente moritur, 1361. III. Conceptionem Deiparæ in Galliis oppugnantes publica odia incurrunt, 1387. XIV.

Concilium: Concilia provincialia indicta ab Urbano V. 1364. XXIII. & 1365. XVI. Ad concilium provocati Cardinales Galli ab Urbano VI. antequam eligeretur antipapa pro dirimenda controverſia, 1378. XLII. Galli denegant ſtare Eccleſiæ judicio, hæreticorumque more diſturbare decernunt concilium œcumenicum ab Urbano VI. meditatum, ne ejus authoritas in illo aſſeratur, XLIII. Inſanæ eorum argutiæ adverſus concilium, *ibid.* Repudiato concilio fuere ſchiſmatici, *ibid.* Carolus Imperator decernit ſtandum pro Urbano, donec concilium contrarium decreverit, LX. Sancitum in ampliſſimo Gallorum libero conventu concilium eſſe verum controverſiæ inter Urbanum & Cardinales judicem, *ibid.* Illud extremum in tantis erroribus perfugium, LXI. Provocati ad concilium œcumenicum ab Urbano Cardinales, *ibid.* Cardinales Itali negant redire ad Urbanum, contendentes neceſſarium eſſe pro inſtauranda Eccleſiarum conjunctione concilium œcumenicum, 1379. I. Jacobus Urſinus imminente morte publice denunciat neceſſarium eſſe concilium œcumenicum pro avertendis imminentibus malis, II. Verum quidem Pontificem Urbanum eſſe, ſed ſine concilio œcumenico Eccleſiarum conjunctionem inſtaurari non poſſe, *ibid.* Optante Urbano concilium negant ſchiſmatici Cardinales debere celebrari, nec poſſe, III. Negant quod ab ipſis fuit adverſus Urbanum definitum in controverſiam adducendum in concilio œcumenico, *ibid.* Judicium ejus cauſæ ad ſe, non ad concilium œcumenicum ſpectare falſo contendunt, *ibid.* Contendunt non diſceptandum in concilio, an Clemens ſit Papa vel antipapa, IV. Caſtellani in conventibus Toletanis decernunt excipiendam in ea controverſia concilii œcumenici ſententiam, V. Carolus V. Gallorum Rex ſchiſmatis author præcipuus morti proximus publicis tabulis eſt profeſſus, eum ſe agnoſcere Pontificem, quem œcumenicum concilium agnoſceret, 1380. X. Piis Gallis expetentibus concilium œcumenicum ſchiſmatici Cardinales & antipapa obſiſtunt, XIII. Pſeudocardinalis commentarium ſcribit ad Carolum VI. non eſſe congregandum concilium, *ibid.* Reſpondet Petrus Toletanus Archiep. ad Petrum S. Euſtachii ſchiſmaticum, qui ſcripſerat de eo non congregando, cum Urbanus neget objecta a Cardinalibus, & proponat contraria ſe probaturum dandum locum judicio, & in concilio audiendum, etiamſi diabolus inferni foret, XIV. Nulla judicandi poteſtate pollere Cardinales vacante ſede, *ibid.* Hanc cauſam tangere univerſalem Eccleſiam: ergo ad eam ſpectare, 1380. XVII. Exiſtimare Hiſpanos propterea Cardinales diffugere concilium, quod diffidant cauſæ, *ibid.* Concilio ſolo Eccleſiæ vulnus curari poſſe, *ibid.* Perſtant Cardinales ſchiſmatici in neganda via concilii œcumenici, XVIII. Nituntur falſo principio, Pontificem controverſum eſſe ſuperiorem concilio, a quo judicari non poſſit: & tamen ipſi in eum non auditum, non convictum, ſibi judicium uſurpant, *ibid.* Caſtellæ Rex ſententiam judiciariam ferendo in cauſa ſchiſmatis, ſibi authoritatem ſpectantem ad concilium univerſale arrogat, 1381. XXIX. Germani concilium œcumenicum pro redintegranda Eccleſiarum conjunctione efflagitant ab Urbano, 1387. IX. Schiſmatici, facto multis inviſo Urbano ob necatos Cardinales, agunt de celebrando concilio œcumenico, in quo controverſia dirimatur, *ibid.* Joannes e Monteſono, edito libro, oſtendit concilium œcumenicum pro inſtaurando Eccleſiarum fœdere celebrandum, 1391. XXVI. Concilium ipſum œcumenicum recuſant, 1394. XI. Suſpectum habent concilium ſchiſmatici, & conciliabulum expetunt, 1395. V. Falſo ſupponunt antipapam, vel ambiguum Pontificem non poſſe cogi a concilio, *ibid.* A Petro e Luna ad concilium provocant Pariſienſes doctores, 1395. X.

Concilium Epheſinum decernit Corpus Chriſti non eſſe in figura ſimpliciter in Euchariſtia, 1396. XI.

Concilium Londinenſe celebratum a Willelmo Cantuarienſi Archiep. adverſus Joannem Wicleffum, 1382. XXXVI. In eo illius hæreſes damnatæ, *ibid.* Solemnis ſupplicatio ab his, qui illud celebrarant, nudis pedibus facta, *ib.* Veritas de præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia in ea ſynodo aſſerta, confirmata inſigni miraculo, *ibid.* Ejus acta corroborata ab Urbano VI. XXXVIII. Dum ea celebrabatur terræ motus admodum rarus in Anglia accidit; illius cauſam pro ſe interpretatur Wicleffus, *ibid.* Admoniti potius Rex & præſules de Wicleffiſticæ hæreſeos periculis, *ibid.*

Concilium Londinenſe celebratum a Thoma Arundelio, 1396. IX. In eo octodecim articuli Wicleffi damnati, *ibid.* Willelmus Windefordus pro ſynodo ſcribit in Wicleffiſtas, *ib.* &c.

Concilium Pariſienſe. *Vid.* Pariſienſe concilium.

Conclave: Cardinales in contrarias ſententias diſtracti Urbanum V. antea non Cardinalem Pontificem renuntiant, 1362. VI. Gregorii XI. conſtitutio de proximis Cardinalium comitiis pro deligendo ſucceſſore, 1378. II. *Vid.* Cardinales.

Confeſſionis ſacramentum: Pia lex, ne medici adirent, duabus exceptis vicibus, ægrotos niſi prius vocato ſacerdote, 1357. XIII. Eam apud parochum repetendam, licet apud religioſos viros peractam contendit Richardus Armachanus Epiſc. 1358. VI. Ut a Joanne Poliaco diſcreparit, & quæ ejus fuerint argumenta, *ibid.* Richardi morte lis conſenuit, *ibid.* Corruptela in Galliis, ut ultimo ſupplicio afficiendis negetur confeſſio, 1375. XXVIII. Sublata a Gregorio XI. *ibid.* Eam impie propalari jubent Florentini Romanæ Eccleſiæ hoſtes, 1376. III. S. Catharina Sueca quotidie bis terve pœnitentiæ ſacramentum obibat, 1381. XLVI. Diebus ſingulis eam repetebat S. Birgitta ipſius mater, 1391. XXX. Wicleffiſta qui eam oppugnarat ſanus, in morte eam fruſtra expetit, 1387. XIX. Inſigne Wicleffiſtarum eam ab Innoc. III. inventam jactantium mendacium, *ibid.*

Confirmationis ſacramentum a ſimplicibus ſacerdotibus conferri poſſe delirat Wicleffus, 1396. XII.

Conſtantia B. Petri Thomæ, 1364. VI. S. Catharinæ Senenſis, 1377. III.

Continentia aliquibus ſacerdotibus ajunt impoſſibilem Wicleffiſtæ, iiſque nubendi facultatem tribuunt, 1382. XXXV. Refellitur eorum argutiola, *ibid.*

Contritio: vis ejus ingens pœnitenti mulieri mortem affert, 1359. LVIII. Contritio mira Cardinalis morti proximi, 1367. III. *Vid.* Pœnitentia.

Cor: Præ lætitia ſæpius ſalit in S. Catharina præſente Euchariſtia, nec mortis, ſed vitæ index, & cauſa ea palpitatio fuit, 1380. XXVI.

Corcyra a Venetis adempta Margaretæ Reginæ Neapolis, 1385. IX. & 1386. VI.

Cornelius Cloune eques Wicleffiſta videt Euchariſtiam in carnem verſam, & nomen Jeſu

cruentis literis in particula ſacramentales ſpecies referente, 1382. XXXVII. Convertitur, *ibid.*

Corporis Chriſti feſtum. Sublatum ab Urbano VI. eccleſiaſticum interdictum die illius feſto, 1389. IV.

Corſica. A Genuenſibus Pontifex pro Corſicæ parte ſacramentum exigit, 1360. XI.

Cracovienſis academia inſtituta ab Urbano V. ad preces Caſimiri Regis Poloniæ, 1364. XIII.

Creta. Cretenſes. Nova hæreſis in ea a B. Petro Thoma extincta, 1359. XIX. Rebellant Cretenſes in Venetos, 1364. VIII. Auxilia a Genuenſibus poſcunt, *ibid.* Brevi a Venetis perdomiti, *ibid.* Infecta Creta ſchiſmaticis, 1368. XX. Jubet Urbanus, ad ordines promovendos fidem catholicam profiteri, *ibid.* Induci ritum Latinum, *ibid.* Schiſmatici ſacerdotes e Creta ejecti Venetorum edicto, 1373. XVIII. Id poſtea male ſervatum, *ibid.* Cretenſes ſchiſmatici ad damnandum ſchiſma provocati, 1375. XXV.

Cruceata, ſive Crucеſignata expeditio indicta ab Innocentio VI. in Raſcios, 1356. XXVII. In prædones graſſatores, 1361. VI. In Bernabonem Vicecomitem ab Urbano V. 1363. IV. In Saracenos, XIV. XXVI. & 1364. XXIV. *&c.* In Turcas 1373. III. *&c.*

Cruciferi Lithuanos magna clade fundunt, 1360. XII.

Crucifixus. Ex imagine Chriſti e cruce pendentis a Sacrilego aleatore ferro conſciſſa cruor manat, 1383. IX. §. Confirmavit. *Vid.* etiam Chriſtus, & crux.

Crudelitas. Franciſci Ordelaffi ſævitia in Sacerdotes, & in filios, 1357. VI. Petri Caſtellæ Regis immane facinus, 1361. XVIII. *Vid.* Petrus Caſtellæ Rex. Immanitas Eduardi Angliæ principis, 1369. XII. Florentinorum in Monachum, 1375. XV. & 1376. II. Britonum barbara ſævitia Cæſenæ exercita, IX. Bernabonis Vicecomitis. *Vid.* Bernabos; *Vid. etiam* Saraceni. Tartari. Turcæ.

Crux. Sanguinea Crux oſtenſa e cælo, 1361. V. Æſtuoſum mare, projecta in ipſum Cruce, a B. Petro Thoma ſedatur, X. Idem morti proximus dæmones Cruce abigit, 1366. XVIII. Dominicæ Crucis particula ab infidelibus cæleſti prodigio avehi non poteſt, 1370. XXVII. Dominicæ Crucis pars a Gregorio XI. tranſmiſſa Carolo IV. Imp. 1372. XXVI. S. Crucis officium inſtitutum ab eodem Pontifice, 1377. VII. Crucis cultus confirmatus miraculis, 1389. XVIII.

Cumani ad Chriſti fidem revocati a Ludovico Hungariæ Rege, 1382. XXVI.

Cuno alias Simon Treverenſis Archiep. creatus Cardinalis ab Urbano VI. cum nondum mortis illius famam Romam perlata eſſet, 1385. III.

Cyprus adducta in periculum, 1370. XIII.

# D

DÆmones. Dæmon Cruce fugatus, 1366. XVIII. Dæmones in choreas funeſtas agunt eos quorum corpore poſſederant, 1364. XIII. Pulſi ſacris exorciſmis, *ibid.* Dæmones populum in Urbani necem incitare viſi a S. Catharina Senenſi, 1379. XXXIV. In eam Deo permittente, pœnas populo Romano debitas exercent, *ibid.* In ejus morte eam accuſant, & vincuntur, 1380. XXVII. Se in igne, in fulmine, in arboribus, in ſerpentibus coli jubent a Samagitis & Lithuanis, 1386. V. Crudelitate adverſus Paganos utuntur, *ibid.* Homines dæmonibus immolati, *ibid.* Chriſtianis ſuccidentibus lucos, & idola vertentibus nocere nequeunt, 1387. XV. Ex igne edebant oracula, XVI. Fingebant in eodem umbras, *ib.* Illudunt præſtigiis barbaros, *ib.* In remotis ſeptentrionalibus oris adhuc ſe coli jubent in arboribus & ſerpentibus, XVII. Coluntur ab hæreticis in idolis hæreſeon, 1389. XXI. In aere exercitus, & armorum fragores fingunt, 1395. XXIII.

Dalmatia infeſtata ab Amurate, 1394. XXIII.

B. Dalphina Virgo miraculis clara, 1363. XXVI. De iis ab Urbano V. inquiri juſſum, *ibid.*

David Rex Scotiæ libertati reſtituitur, & quibus legibus, 1358. IV. Ejus mors, 1370. XXVII. Roberto Stuarto ex ſorore nepoti ſceptrum Scoticum tranſmittit, *ibid.*

Deipara. Illius ope Moſcovitarum exercitus Torpathenſi obſidione pulſus, 1381. L. Joannes Luſitaniæ Rex, qui Deiparæ Guadalupenſis templum expilarat, funeſta clade accepta regnum Luſitanum amittit, 1385. X. Ejus viſitationis dies feſtus inſtituitur, 1389. III. Hannonius vir divinitus ex aquis virginis ope liberatus, 1390. XXII. Sacerdotem ſibi addictum liberat ſcrupulis, 1392. IX. Præmonuit B. Margaretam viduam de obitus die, 1395. XXI.

Delphinatus. Pars ejus ſedis Apoſtolicæ beneficiaria, 1375. XXIX. Miſſo apoſtolico internuntio, ac Waldenſibus in carcere conjectis, hæreſi repurgatur a Gregorio XI. 1375. XXVI.

Demetrius Archiep. Strigonienſis creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Quatuor Coronatorum, 1379. XXXIX.

Deprædatores, *Vid.* Prædonum ſociales turmæ.

Deus. Quamlibet creaturam dixit Deum eſſe impius Wiclef, 1378. CXVIII. & 1380. XXI. Dei omnipotentia & libertas ab eodem oppugnata, *ibid.* Divina arcana quæ viderat S. Catharina humanis verbis explicari non potuere, XXIV. Humanitas Chriſti ſuſcepta a verbo Divino eſt veluti Regis corona & purpura, quæ ſeparata a Rege non adoratur, XXIII. Miraculis refellit hæreſim Wicleffiſticam in Anglia, 1389. XVIII.

Diabolus *Vid.* Dæmones.

Dignitates. Gregorius XI. invitus ſummus Pontifex creatur, 1370. XV. *Vid.* Sacerdotia.

Dilia Schidamenſis, quæ videtur eſſe B. Liduvina vitam ſola Euchariſtia annis quatuordecim vel amplius ſuſtentat, 1381. XLIII.

Dionyſius Soulechat Minorita errores circa paupertatem ejurare ab Urbano V. juſſus, 1368. XVI. Qui fuerint ii, XVII.

S. Dionyſius. Egregia ejus de Euchariſtia ſententia, 1396. XI. In Eccleſia ipſius nomini ſacra divinitus miracula edita, XVIII.

S. Dominicus. Stella tranſlationem capitis ipſius Bononiæ factam illuſtravit, 1382. X.

Donatus e Ruſicino Minorita Jeroſolymis affectus martyrio, 1391. XXXIII.

Draco ardens viſus in pluribus Angliæ locis, dum Wicleffi hæreſis in ea graſſatur, 1388. XII.

Dyrrachium a Gregorio Dyrrachin cive factionem Andegavenſem ſecuto occupatum, 1391. XXVII. Transfertur a Bonifacio IX. in ditionem Stratimiri catholici, *ibid.*

# E

ECcleſia. Declarat publicis literis Palæologus Imp. quæ ſit Eccleſia catholica, 1370. I. Eccleſia ſchiſmate diſciſſa a Gallis Cardinalibus, 1378. II. Oppugnata a Wicleffo hæreſiarca 1378. III. A ſchiſmaticis Moſcovitis, quorum trecentum millia divinitus Torpatho propulſata, 1381. L. *Vid.* Schiſma. Eccleſia Samagitas & Lithuanos a dæmonum cultu ad Chriſtum traductos excipit, 1386. V. & 1387. LXXV. Una die triginta Lithuanorum millia Chriſti Sanguine abluta, 1387. XV. Eccleſia ab Afris & Turcis oppugnata, 1388. I. & III. Eccleſiæ unionem non curantium præſulum multitudo magna morte punitur, 1394. XIV. Eccleſiam leproſam eſſe blaſphemat Franciſcus Portarius, 1396. VIII. In ea rite Baptiſmum conferri negat, *ibid.* Eccleſiæ opes adimit Wicleffus, 1396. XIII.

Eccleſiæ ſive Templa immunitate donatæ ab Vladiſlao Poloniæ Rege, 1387. XV. Cum earum pinnas eminus cerneret detecto flexoque capite Deum adorabat, *ibidem.* Viſa Eccleſia a puella quadrima ſplendore compleri, 1392. IX.

Eccleſiæ immunitas ſeu libertas. Laicorum in clericos coercita licentia, 1359. XIII. Gregorius XI. immunitatem Eccleſiaſticam ab Anglo læſam tuetur, 1374. XXI. & ab Aragonio, XXII. De ea inſtaurata decretum Caroli IV. Imp. 1377. VII.

Eccleſiaſticæ opes in propinquos ad faſtum derivatæ, ſunt iis exitio, 1389. XI. Lugubre exemplum in Franciſco Prignano Urbani VI. nepote, *ibid.* Parta ex patrimonio crucifixi facile pereunt, *ib.*

Eccleſiaſtici non a principibus, ſed a Pontifice coercendi, 1359. XI. Luxus & haſtiludia eccleſiaſticis prohibita, XII. Caroli VI. Imperatoris edictum pro tuenda eccleſiaſticorum dignitate, *ibid.*

Eduardus III. Rex Angliæ: miſſi ad eum Legati Cardinales, 1356. I. Ut paci ſe accommodet, IV. Illius filius Joannem Francorum Regem fundit, capitque, VII. Non feſtos ignes excitat, ſed ſacrificia diebus octo pro iis, qui occubuerant in prælio, peragi jubet, *ibid.* Cum Gallis init inducias, 1357. I. Concordiæ ſpecie Joannem Regem in Anglicum carcerem avehit, *ibid.* Monetur ab Innocentio Papa, ut arma vertat in Saracenos, *ibid.* Simulate pacem cum Joanne Rege percutit, 1358. III. Clam civilia Gallorum bella accendit, *ibid.* Rogatus a Cardinalibus legatis ut obſiſtat, eorum preces eludit, *ibid.* Davidem Regem Scotiæ libertati reſtituit, & quibus legibus, IV. Maximam expeditionem educit in Gallias, 1359. I. Objicit dolo Gallos, eos initi fœderis leges infregiſſe, *ibid.* Rhemos ad ſuſcipiendum in ea Urbe Gallicum inſigne obſidet, *ibid.* Irrito conatu obſidionem ſolvit, 1360. I. Plures provincias populatur, *ibid.* Immiſſa cœlo tempeſtate debellatus pacem ſe initurum Deo vovet, *ibid.* Solicitatur ab Innocentio, ut pactiones fœderis impleat, II. Quo ſacro ritu pacem Sacramento ſanxerit, III. Quas urbes & provincias eo fœdere ſibi peperit, *ibid.* Rogatus de bello ſacro promovendo, 1363. XXIII. Angliæ & Hiberniæ cenſum ab eo repoſcit Urbanus V. 1365. XIII. Ad eum duo Cardinales pro pace concilianda a Gregorio miſſi, 1371. I. Pacis conſilia reſpuit, II. Frangitur illius impetus cunctatione Galli, *ibid.* Apud Rupellam illius claſſis a Caſtellana victa, *ibid.* Attributa ea clades divinæ vindictæ ob direptas opes eccleſiaſticas, *ibid.* Parat claſſem, ſed a ventis repellitur, *ibid.* De Belgis parit navalem victoriam, *ibid.* Solicitatur a Pontifice ad pacem, III. Ut arma in Amuratem principem Turcarum vertat, VIII. Diſſoluta pacis cum Gallo conſilia, 1372. XXVI. Plures urbes illi a Gallo ereptæ, *ibid.* Iterum ad pacem ſolicitatus, 1374. XXI. De jure patronatus & regaliis controvertit cum Pontifice, *ibid.* Quæ concordiæ leges propoſitæ a Greg. XI. *ibid.* Ad vertenda in Saracenos arma ſolicitatus, 1375. X. *& ſeq.* De Gregorii in Italiam receſſu, XXII. Monitus a Gregorio ut Wicleffum hæreſiarcham comprimendum curet, 1377. IV. Malum graſſari patitur, VI. Scorti familiaritatem in extremo morbo non deſerit, *ibid.* Fallaci vitæ ſpe lactatus, amiſſa voce, annulo pretioſſimo ab ea ſpoliatur, *ibid.* Deficientibus jam ſenſibus, a ſacerdote de ſalutis cura admonetur, *ibid.* Fertur aliqua pœnitentiæ ſigna dediſſe, *ibid.* Richardum ex Eduardo filio jam defuncto nepotem ſucceſſorem ſceptri relinquit, *ibidem.*

Eduardus junior ſenis filius Valliæ princeps finitimas Aquitaniæ provincias vaſtat, 1356. VII. In anguſtias a Joanne Rege conjectus, *ibid.* Legatis apoſtolicis pacis interpretibus facilem ſe præbet, *ibid.* Irruentem in ſe Gallum Regem fundit, capitque, *ibid.* Victoriam aſcribit Numini, *ibid.* In Joannem Regem clementia utitur, *ibid.* Excitatur ad eam laudem ab Innocentio VI. VIII. Quas urbes & provincias ex pacis cum Gallo Rege fœdere ſibi pepererit, 1360. III. Mutato Ducis nomine, principem Aquitaniæ ſe dicit, *ibid.* Ad eum Petrus Rex Caſtellæ profugit, 1366. XXXII. Eundem Regem profugum excipit, 1367. XVIII. Caſtellæ Regnum affectat, 1369. XI. Aquitanos acerbioribus urget imperiis, *ibid.* Eoſdem in ſe concitat, ut ſupremum Galli imperium expetant, *ibidem.* Partem amittit Aquitaniæ *ibidem.* Lemovicum urbem cruore complet, *ibidem.* Illius filius Richardus præteritis patruis Anglicæ coronæ ſuccedit, 1377. VI.

Electi pauci. Viſum cæleſte ea de re, 1356. XLII.

Electores imperii. Statutæ in illos, qui conjurarint adverſum electores pœnæ, 1356. XIII. Ut erudiendi ſint electorum filii, *ibid.* Quæ obſervanda ab electoribus in creando Romanorum Rege, XIV. Quod ſacramentum ab iis nuncupandum, XVI. Quis ordo inter electores ſervandus, XIX. De illorum officiis, XX. De ſucceſſione in electoratu, XXI. De eo vacante Imperator providere, debet, *ibid.* Ut non ſit dividendus, XXII. Ordo in electorum inceſſu, XXIII.

Eleemoſynæ. B. Margarita vidua ſeptempedana, quamvis pauperrima, in pauperes liberalis fuit, 1395. XX. Chriſtus ſub egeni ſpecie ab ea panem petit: petenti quem habebat, dedit, & fame afflicta domum redit, *ibid.* Eſurienti panis ingens & dulciſſimus divinitus datus, *ibid.*

Elias e S. Atelio Epiſc. Uticenſis creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1356. XLI.

Eliſabetha Regina Ludovici Regis Hungariæ vidua Sigiſmundum pro nuptiis cum Maria filia celebrandis evocat, 1385. IX. Dejecta regni adminiſtratione a Carolo Rege Neapolitano, *ibid.* Inſidiis Carolum trucidari jubet, 1386. II. Comprehenſa ab adverſa factione flumine merſa fertur, III. Non exprimitur ab aliis hoc genus mortis, *ibid.* Vindicata ejus mors a Sigiſmundo, *ibid.*

Emanuel deſpota Peloponeſi ad ſchiſma ejurandum paratum ſe offert, 1374. V.

Emanuel Palæologi filius & collega imperii auxiliorum ſpe erigitur a Pontifice, 1375. IV. Oppreſſus ab Amurate, V. Sub eo ſtipendia in chriſtianos facit, *ibid.*

Epiſcopatus plures inſtituti in Ruſſia, 1375. XXVIII. Epiſcopatus Caſſinenſis in abbatiam redactus, 1370. XVI. Ceretenſis in Moldavia, 1370. VI.

Epiſcopi ad regum preces nonniſi probato crimine exauthorandi transferendive ad ſedem aliam, 1363. XIII. Epiſcopi deſignati in Po-

Polonia obſtricti ad adeundam Apoſtolicam, ſedem, 1365. XV. Epiſcopi ſuffraganei præſticum apud ſedem Apoſtolicam ſacramentum apud Metropolitanum repetere debent, 1370. XX. Divinæ vindictæ exemplum in laſcivum Epiſcopum, 1381. XLVII. Divina ultione percuſſus Epiſc. Cracovienſis laſcivus, 1382. XXVII. Extincto inſultare viſi dœmones, *ibid.* Exemplum aliud triſte in Magdeburgenſi Archiepiſcopo, *ibid.* XXVIII. Epiſcopos non Pontifici, ſed Regi voluit ſubiici impius Wicleffus, 1382. XXX. Epiſcopis diœceſanis ſubjecti ab Urbano omnes religioſi convulſis omnibus immunitatibus, 1384. V. Epiſcoporum poteſtatem in conſecrandis ſacerdotibus ſibi uſurpant ſacerdotes, Wicleffiſtæ, 1389. XXIII. S. Birgitta in Epiſcopos præ obſervantia non attollebat, niſi juſſa oculos, 1391. XXX. Epiſcopalem ordinem tollit Wicleffus, 1399. XII. Epiſcopi ſi annatas Pontifici denegent, pari jure ipſis denegandas decumas oſtenditur, *ibid.*

Ericus Regis Sueciæ filius ferendo S. Catharinæ Suecæ feretro collum ſupponit, 1381. XLVI. In acie capitur cum patre Alberto a Margareta Regina Daniæ, 1388. XI.

S. Ethelreda. Sacro illius die recurrente victa claſſis Anglica, quæ Eccleſiæ S. Ethelredæ direptis poſſeſſionibus partim comparata fuerat, 1371. II.

Etruria. Major illius pars cum regno Neapolitano conjungi vetita, 1381. VIII.

Euchariſtia. Francorum & Anglorum Reges admota Euchariſtiæ manu pacem firmant, 1360. III. Milites omnes Euchariſtia communiti opera B. Petri Thomæ in expeditione Alexandrina, 1365. XVIII. Exorti in Hiſpania errores circa Euchariſtiam, 1371. XI. Damnatus error, quod Corpus Chriſti deſinat, nondum ſpeciebus conſumptis, ſi in turpem locum incidat, vel ab animali, vel a peccatore ſumatur, *ibid.* Wicleffus mentitur Euchariſtiam tantum eſſe figuram Chriſti, 1377. V. Euchariſtia a Romanis Pontificibus in itinere deferri ſolita, VII. Dicti Wicleffi hæreſis circa Euchariſtiam, 1378. V. Euchariſtia a Judæis confoſſa cruore manat, 1379. LVI. Bruxellæ in templo repoſita pluribus miraculis coruſcat, *ibid.* Diu vixit S. Catharina Senenſis ſola contenta Euchariſtia, 1380. XXVI. Vidit ſæpius Chriſtum in manibus ſacerdotis, *ibid.* Saliebat illi cor in pectore præ lætitia, *ibid.* Odorem ſuaviſſimum in ea ſentiebat, *ibid.* Valeramnus Epiſc. Medburgenſis Chriſtum in Euchariſtia impanantium hæreſeos author, 1381. XLIII. Aliud Pariſienſis theologi circa illud delirium, *ibid.* Wicleffus inconſtans modo una cum pane, modo figurate Chriſtum in Euchariſtia eſſe dixit, *ibid.* Propoſitio: *Hoc eſt Corpus meum*: non theorica, ſed practica eſt, *ibid.* Joanna Metles in Anglia ſola Euchariſtia vixit, XLIV. Dilia Schidamenſis in Hollandia pluribus annis ſola Euchariſtia contenta vitam duxit, *ibid.* Willelmus Wicleffiſta ajebat eſſe verum panem & verum Chriſti corpus, 1382. XXXIII. Wicleffi hæreſis negans Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia, damnata in ſynodo Londinenſi, XXXVI. Eques Wicleffiſta videt veram carnem in manu ſacerdotis & in alia particula nomen Jeſu cruentis literis exaratum, & convertitur, XXXVII. Euchariſtiæ veritas prodigio inſigni in Wandalia illuſtrata, 1384. XIII. Secuta in eodem Wilſenaci loco plures cœleſtes virtutes, *ibid.* Divinæ ultionis exemplum in ſacrilegum Euchariſtiam indigne ſumentem, XIV. Aliud in alios ſacrilegos, 1386. VII. Euchariſtia in mediis flammis ardente templo & pixide conſumpta illæſa, *ibid.* Sublatum ab Urbano VI. eccleſiaſticum interdictum die feſto Corporis Chriſti, 1389. IV. Indulgentiæ Euchariſtiam ſociaturis propoſitæ, V. Confirmatum a Bonifacio IX. XIII. Chriſti majeſtatem latere in Euchariſtia præclaro miraculo in ſolemni ſupplicatione demonſtratum, 1389. XXII. Euchariſtiam Wicleffiſta deridens repentina ultione percuſſus, *ibid.* Inſigni miraculo Chriſti præſentia in Euchariſtia comprobata, 1392. IX. Viſus puer a virguncula in manibus ſacerdotis Euchariſtiam attollentis, *ibid.* Pluribus diebus objecta eidem cæleſtis ea ſpecies, *ibid.* Diviſa hoſtia duos ſibi ſimillimos vidit, *ibid.* Explorata accuratiſſime rei veritas, *ibid.* Eadem virgo conſecratam particulam a non conſecrata diſtingit, *ibid.* Cernit oſculum porrigi a Chriſto Euchariſtiam adoranti, *ibid.* Novo experimento compertum ab illa Chriſtum conſpici, *ibid.* Damnata in concilio Londinenſi Wicleffi hæreſis, quod panis maneat poſt conſecrationem, 1396. IX. *& ſeq.* Per pronomen, *Hoc* non demonſtratur panis, ſed individuum ſubſtantiæ, *ibid.* Propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, non eſt theorica, ſed practica, *ibid.* Cur Euchariſtia vocetur interdum panis, *ibid.* Non par eſt ratio hujus ſententiæ, *Hoc eſt Corpus meum*, cum hac figurata de Joanne: *Hic eſt Elias*, *ibid.* Probatur ex ſanctis patribus, quod Euchariſtia non ſit mera figura Chriſti, XI. Epheſina ſynodus conteſtatur, Chriſti Corpus non eſſe tantum figurate in Euchariſtia, *ibid.* S. Dionyſii Areopagitæ inſignis ſententia, *ibid.* Confirmatur ex verbis Chriſti, quod non mere in figura paſſus ſit pro nobis Chriſtus, *ibid.* Blaſphemus Euchariſtiæ præferens araneam ab aranea impium os ingreſſura vix liberatus, 1396. XVII. Converti negans flammis exuſtus, *ibid.*

Exempti. Exemptiones omnes religioſorum ordinum reſciſſe ab Urbano VI. 1384. V.

Exomologeſis, *Vid.* Confeſſio.

Extremæ Unctionis ſacramentum a Joanne Wicleffo oppugnatum, 1396. XIV.

# F

FAmaguſta a Genuenſibus deditione expugnata 1373. VIII.

Fatum ab Alberto Epiſcopo Alberſtadenſi aſſertum, 1372. XXXIII. Et a Wicleffo, 1377. V.

Felicitatis humanæ inconſtantia. Dum celebratur lætitia de Carolo III. Rege Neapolitano, corona Hungarica donato lata fuit de ipſo cæſo fama, 1386. II.

Ferdinandus Petri Regis Aragonum frater, ab eo cæſus, 1363. X.

Ferdinandus Rex Luſitaniæ Petro parenti in regno ſuccedit, 1367. XIX. Ad virtutes ſectandas ſolicitatur ab Urbano V. *ibid.* Caſtellam ſibi jure debitam contendit, 1370. XVII. Pacem cum Caſtellano init, quæ mox abrupta, 1371. IV. Bracharenſi Archiep. liberum urbis imperium eripit, VI. A Caſtellæ Rege magno appetitur bello, 1373. XXIII. Cum eo pacem conficit, *ibid.* In Mauros ſacram expeditionem ſuſcipit, 1376. XIX. Subſidia ei decreta a Gregorio XI. *ibidem.* Quæ leges impoſitæ de augendo Chriſti cultu, XX. Excepto antipapæ pſeudolegato divinitus ſublatus, 1381. XXXVI. Ejus mors, 1383. VI.

Fernandus Hiſpalenſis præfectus arcis Anconitanæ rebellat in Urbanum VI. 1382. X.

Ferraria: Præfectura Ferrarienſis a Gregorio Ateſtinis ad vitam conceſſa, 1372. III. Toparchia Ferrariæ conceſſa a Bonifacio IX. Alberto Marchioni Areſtino, 1390. XVIII. Poſtea Nicolao Ateſtino ad decennium, 1394. XXI.





Feſtum. Feſtis diebus nundinæ vetitæ, 1375. XXVIII.

Fidentia quid ſit, 1381. XV.

Fides. Epiſcopi & ſacerdotes miſſi ab Urbano ad gentes pro fide amplificanda, 1364. XXIII. Fides in Bulgaria propagata, 1366. XI. Fides orthodoxa cœleſtibus prodigiis confirmata, 1368. XVIII. Fides amplificata in Armenia majori, 1374. VIII. Et in Valachia, IX. Pro fide necati *Vid.* martyres.

Figura. Chriſtus non eſt mere, ut in figura in ſacramento, 1396. XI. Probatur ex ſanctis patribus, *ibid.* Damnatus is error in Epheſino concilio, *ibid.* Argumentum validiſſimum ex verbis Chiſti, quod ipſius corpus non traditum pro nobis eſt in figura, ſed vere, & realiter crucifixum, *ibid.*

Flagellantes ſeu Flagellatores ſacramenta negant, 1372. XXXIII. Repreſſi a Gregorio XI. 1372. XXXIII.

Florentini piam legem edunt, ut ægri a medicis non adeantur, exceptis duabus vicibus niſi vocato prius Sacerdote, 1357. XIII. Solicitati ad pacem cum Piſanis ineundam, 1363. VII. & 1364. VII. Laceſſiti a Bernabone, 1369. VIII. Cæſi ab Anglicis prædonibus, *ibid.* Gregorio XI. impingunt calumniam de affectata Etruria, 1371. VII. Ægre ferunt recuperatum Peruſium, *ibid.* Calumniis & iniquis ſuſpicionibus eundem Pontificem appetunt, 1375. XIII. Quid ipſis a Gregorio reſponſum, *ibid.* Crudeliter monachum vivum terra obruunt, XV. Cur illi a Pontifice abalienati, *ibid.* Solicitantur ad pacem, XVII. Clientes Eccleſiæ ad defectionem variis artibus inſtigant, vocantque ad libertatem, *ibid.* Geraldum Cardinalem Legatum Peruſii obſidendum curant, *ibid.* Poſtulati judicio a Gregorio XI. 1376. I. Objecta illis nefaria decreta adverſus fidei cenſores, *ibid.* Jus eccleſiaſticum violatum, *ibid.* Exercitam in Monachum carnificinam, II. Motas in imperio eccleſiaſtico ſeditiones, *ibid.* Arcana ſacræ exomologeſeos vi patefacta, III. Geraldum Cardinalem legatum petitum bello, IV. Quæ inflictæ iis pœnæ, V. Adhibent concordiæ interpretem S. Catharinam, VI. Deſunt poſtea promiſſis, *ibid.* De iis conqueritur eadem ſancta, *ibid.* Pacem cum Pontifice ſuadentem ad mortem quærunt, 1377. III. Divinitus placati eam dimittunt, *ibid.* Conventus pro inſtauranda pace celebrant, 1378. I. Cum Urbano fœdus ſanciunt, 1378. XXI. In ſacrorum communionem admiſſi, *ib.* Solicitati a S. Catharina Senenſi ut Urbano opem præbeant, 1380. VII. Tentantur a Schiſmaticis, ut eccleſiaſticos cenſus reſervent, donec in concilio œcumenico controverſia dirempta ſit, IX. Reſpondent nil novaturos donec concilium de controverſia tuliſſet ſententiam, *ibid.* Tentati iterum a Pileo pſeudolegato ejus conatus eludunt, 1389. IX. Petuntur bello a Joanne Galeatio Etruriam affectante, 1391. XIII. Cum Bononienſibus & Senenſibus fœdus ineunt, *ibid.*

Fœdus. Sacer ritus in eo pangendo inter Gallum & Anglum ſervatus, 1360. III.

Fortanerius Patriarcha Gradenſis creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

S. Fortunatus martyr: Ejus reliquiæ ad Gradenſem Eccleſiam referri juſſæ, 1359. XIV.

Forumlivium ab Ægidio Card. Legato recuperatum, 1359. VI.

Franciſcus Ordelaffus: Cæſena illi erepta ab Ægidio Card. 1357. VI. Reſpuit concordiæ pactiones cum legato, *ib.* Ejus crudelitas, *ibid.* Filium filiamque orantes, ut deditionem faceret, trucidat, *ibid.* Vocat in auxilium prædonum exercitum, 1359. VI. Eo abeunte, paciſcitur cum Ægidio legato, *ibid.* Donatus venia, *ibid.* Et Foripompilii præfectura, *ibid.*

Franciſcus Cataluſius egregie in Turcas pugnat, 1374. VII.

Franciſcus e Tuderto Epiſc. Florentinus creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1356. XLI.

Franciſcus a Chriſto Minorita Damiatæ martyrio affectus, 1369. XIV.

Franciſcus e Baucio cum Philippo principe Tarentino bellum gerit, 1367. XVI.

Franciſcus e Cecchano Campaniam vexat, 1368. VIII.

Franciſcus Auguſtinianus. Delati ei ſine judicio ſedis Apoſtolicæ, Sanctorum honores, 1368. XII. Id vetitum a Pont. *ibid.*

Franciſcus e Roſato Minorita ſectus ob fidem a Saracenis, 1369. XIV.

Franciſcus e Podio Minorita ad gentes miſſus, 1374. X.

Franciſcus Card. tit. S. Sabinæ vulgo dictus S. Petri creatus legatus in Italia a Gregorio XI. 1376. VIII. Propoſitus ut deligeretur in Pontificem, ſed excluſus, 1378. VI. Moto tumultu a Cardinalibus trepidantibus in pontificia ſede ficte collocatur, IX. Dum vixit penes Urbanum hæſit, *ibid.* Ut diffracta ſint a populo illius adorandi ſtudio conclavis repagula, *ibid.* Dum pedes laborantes podagra durius attrectari ſentit, ſe non electum exclamat, X. Ejus famuli parant Urbano vim inferre, ut de dignitatis gradu decedat, XI. Repreſſi a Maceratenſi Epiſcopo, *ibid.* Queritur ſe ut theatralem Pontificem illuſum, *ibid.* Profitetur Urbanum concordibus votis electum XII. Imminente ſibi morte publicis tabulis idem confirmat, XLI. Figmenta a Gallis obtrudi conteſtatur, *ibid.* Perpenſis omnibus ante ingreſſum conclavis & in egreſſu Urbanum fuiſſe rite electum, *ibid.* Poſtulatum ſe a Gallis fuiſſe ante conclavis ingreſſum, ut ſuffragia in Urbanum conferret, *ibid.* Franciſcus e Vico in Gregorium turbas concitat, 1377. II. Pacem cum eo init, VII.

Franciſcus Epiſcopus Faventinus Urbani internuntius in Caſtellam decretus, 1380. XVIII. Commentarium ſeptendecim veritates continentem edit pto Urbano, *ibid.* Obiicientibus ſchiſmaticis, non eſſe veriſimile Cardinales velle ſe & univerſos perdere, id eſſe evidens demonſtrat, 1382. XXIII. *& ſeq.*

Franciſcus Prignanus Urbani VI. nepos donatur a patruo ſanciente regnum Neapolitanum ad Sedem Apoſtolicam devolutum ampliſſima illius regni parte, 1381. I. Carolus III. Rex Neapolitanus ſpondet Urbano aſſerturum ſe illi conceſſum a patruo principatum Capuæ, ducatus Amalphis, Caſertæ Fundorum, Minerbini Altemare, tum Averſam, Cajetam, Caſtrum maris de ſtabia, Surrentum, Nuceriam Summam, eorumque arces, oppida, & & agros, XX. Poſtulat Capuæ poſſeſſionem a Carolo, ſed repellitur, XXVI. Inde inter Urbanum & Carolum odiorum, & malorum ingentium enatæ cauſæ, *ibid.* Capuæ principatum maximis Urbani laboribus & probris recipit, 1383. V. Ejus ſorores viris principibus nuptæ, *ibid.* Luceria potitur ejuſque cauſa Urbanus in maxima bella conjectus, 1384. I. Cardinales ſex ſibi ab Urbano commiſſos tormentis cruciat, 1385. II. Proditus in arce Scaphati a Rege Carolo in carcerem truditur, V. Dimiſſus a Margareta Regina pro placando fruſtra Urbano, 1387. VII. Ob res adverſas ſibi conſciſcere necem conatus, 1395. XVI. Cum matre & prole univerſa mari merſus, *ib.*

Franciſcus Carbonus Epiſc. Monopolitanus creatur presbyter Cardinalis tit. S. Suſannæ, 1385. III.

Franciſcus Caſtagnola creatus Cardinalis ſine titulo, 1385. III.

Franciſcus Carraria ad Scaligeros principatu exuendos conjurat, 1387. XIII. A Venetis & Joanne Galeatio duce Mediolanenſi principatu exuitur, 1388. V.

Franciſcus Archiep. Burdegalenſis miſſus a Bonifacio IX. legatus in Hiſpaniam pro Hiſpanis a ſchiſmate revocandis, 1391. Exaratæ eo argumento literæ, II.

Franciſcus Epiſc. Segobienſis miſſus a Bonifacio IX. ad colloquendum cum antipapæ oratoribus Pontificem ipſum prodit, 1396. III. In eum adhibita judiciaria ſeveritas, *ibid.*

Franciſcus Portarius hæreſiarcha blaſphemat Eccleſiam Dei eſſe leproſam, 1396. VIII. Negat decumas pendendas, nec audienda divina officia, *ibid.* Baptiſmum non rite conferri mentitur, *ibid.* Juſſus in vincula coniici, *ibid.*

Fraticelli ſive Pſeudominoritæ: Eorum caput Thomas exepiſcopus Aquinas ordinis Franciſcani, 1357. XII. In eum & ſocios animadverti juſſum, *ibid.* Errores diſſeminant, 1368. XVI. & XVII. Reprimuntur, *ibid.* Antipapam inter ſe conſtituunt & Cardinales, 1374. XIV. Negant catholicos ſacerdotes Euchariſtiæ conficiendæ poteſtate præditos, *ibid.*

Fridericus Junior Rex Trinacriæ apud Cataniam obſeſſus, 1357. VIII. Catalanorum ope liberatus, *ibid.* Cum Joanna Regina Siciliæ fœdus init, 1372. V. Quibus legibus, *ibid* Joannæ fiduciarum ſe futurum ſpondet, *ibid.* Pontificis ſententiam circa pacis leges admiſſurum profitetur, VI. Sacrorum uſum Trinacriis reſtitui poſcit, *ibid.* Quas illi Gregorius XI. leges indixerit, VII. *& ſeqq.* Quæ ſacramenti Eccleſiæ nuncupandi formula illi imperata, *ibid.* Ad Eccleſiaſticum jus reſtituendum obſtrictus, X. Aſpirare ad imperium vetitus, XII. Nullum fœdus cum ullo contra Rom. Eccleſiam initurum decernitur, XVII. Ut Joannæ beneficentiæ acceptam Trinacriam relaturus ſit, XX. Et vectigal militare ſoluturus, *ibid.* Quem titulum ſit correpturus, XXIV. Inſula Liparis ad eum poſt Joannæ obitum, devolvenda, *ibid.* Creatur Rex Trinacriæ, *ibid.* Liberatur onere adeundæ Sedis Apoſtolicæ ad clientelarem ſponſionem præſtandam, XXV. Publicis tabulis initam cum Joanna pacem confirmat, 1374. XIX. Coram internuntio Apoſtolico Pontificem ſupremum Trinacriæ principem profitetur, *ibid.* & XX. Regio diademate redimiri flagitat a Gregorio papa, 1375. XIX. Aſſenſum, modo prius fidei ſacramentum nuncuparit, *ibid.* Relicta Maria filia ſuperſtite, moritur, 1377. VII.

Fridericus Colonienſis Archiep. creatus Card. ab Urbano VI. 1385. III. Non admittit dignitatem, *ib.*

Fridericus Epiſc, Trajectenſis collega adjunctus Wernero Ardhiepiſcopo Treverenſi, 1394. XII.

Fulchetus e Saltu Provinciæ præfectus Ludovicum Andegavenſem in expeditione Italica ſequutus, 1382. IV. Defixus anathemate, VI.

Fulmen cultum pro Deo a Lituanis, 1386. V. In Germanos qui Suecos crudeliſſime trucidarant fulminibus vindicatum, 1389. XXIII.

Fundi: Sub Honorati Cajetani comitis patrocinio creatus Fundis antipapa, 1378. LV. *Vid.* Hpnoratus Cajetanus Fundorum comitatus ab Urbano cum principatu Capuæ, & aliis traditus Franciſco Prignano, 1381. XX.

# G

Gabriel Adurnius dux Genuenſium rogatus de inſtauranda claſſe in Saracenos, 1363. XXIII. Utque Palæologo contra Turcas ferat opem, 1369. VI.

Galeatius Vicecomes Pedemontium occupat, 1366. XXVIII. Ob tyrannidem a Gregorio XI. judiciaria defixus ſententia, 1372. II.

Galeottus e Petramala Cardinalis ab Urbano ob ejus ſævitiam ad antipapam transfugit, 1386. XI.

Galli: iis oppreſſis cœlum fert ſuppetias, 1360. I. In prioribus celeberrimis conventibus pro Urbano decernunt, 1378. LX. A Carolo V. per ſummum nefas in ſchiſmatis laqueos abreptis LXII. Gallicæ copiæ ex Britonibus & Vaſconibus conflatæ concitatæ in Urbanum a Cardinalibus, 1379. XXVII. Protritis Romanis ad Pontem milvium, Anagniam pergunt ad confirmandos in ſchiſmate Cardinales, *ibid.* Florentiſſima victoria divinitus ceduntur, dum ad pellendum Urbanum provolant, 1379. XXIV. Dum nituntur ſchiſma excindere oppreſſi a Ludovico Andegavenſi regiæ procuratore, 1380. XII. Expetunt concilium œcumenicum, ſed anticardinales ſcribunt ad Carolum VI. Regem concilium non congregandum, XIII. Exercitum florentiſſimum adverſus Urbanum duce Ludovico Andegavenſi educunt, 1382. II. & IV. Eluſa eorum molimina, X. Egeſtate, morbo, frigore confecti, *ibid.* Galli Cardinales amore patriæ occœcati conflarunt ſchiſma, 1382. XXIV. Una cum Anglis & Genuenſibus Galli Tunetanos oppugnant, 1390. II. De divendis inter ſe Italiæ provinciis conſilia agitant, 1391. XXIII. Conſpirant in Pontificem cum antipapa, *ibid.* Anglos de his monitos fruſtra de pace ſolicitant, XXIV. Dum in Britonem Anglorum fœderatum bellum movent, percutitur mania eorum Rex, 1392. VII. In mutuum exitium arma quæ ſtringenda in Eccleſiam decreverant, vertunt, *ibid.* Percuſſo amentia Rege de redintegranda Eccleſiarum conjunctione, agunt, 1394. III. Orant anticardinales ne Clementi alium ſubrogent, VI. Graviſſimis argumentis torti ſuſpicantur ſe ſchiſmaticos eſſe X. Conflatum ab ipſis ſchiſma, nec ad eorum opinionem verſari orbem poſſe dolent, *ibid.* Ex Urbani caſu expoſito evidentem eſſe illius juſtitiam at ex Cardinalium caſu Clementis jus ambiguum, & controverſum fatentur, *ibid.* Magna Gallorum pars ſenſit inique conflatum ſchiſma & Urbanum fuiſſe pontificem, XI. Detrectant expiato ſchiſmatis crimine redire ad Pontificis obſequium, ſed illi ceſſionem imperant, XII. Ad eos decernit legatos Bonifacius, XV. Proponit redituris veniam, XVI. Proponit ſchiſmatis damnandi formulam, XVII. Detrectant fateri errorem, XVIII. Graves conſcientiarum æſtus patiuntur, *ibid.* Adverſus pontificiam poteſtatem nonnulli cudunt hæreſes, *ibid.* Urgent ad ceſſionem antipapam, 1395. X. Antipapæ ipſis reſiſtenti ſacerdotiorum collationem & annatas adimunt, 1395. XV. & poſtea veris Pontificibus eripere auſi, *ibid.*

Galli Cardinales. *Vid.* Cardinales Galli.

Gallipolis ab Amedeo duce Sabaudiæ Amurati erepta, 1366. XII. & 1367. VII.

Gandavenſes rebellant in Ludovicum Belgii comitem, 1383. IX. Auxiliaria iis arma jungunt Angli, *ibid.*

Gaſpertus Epiſc. Cenetenſis: De ſua ad Conſtantipolitanos legatione commentarios edit, 1374. I. Eos ad ſe deferri jubet Gregorius, *ibid.*

Gebennenſium principnm ſtirps exciſa cum exantipapatu amplificanda putaretur, 1394. V.



Geneva: Illius principatus ad Epiſcopum ſpectat, 1371. VI. De illo contentio, *ibid.* Sedatur a Pontifice, *ibid.* Geneva pium expectat Regem, qui impios reprimat, *ibid.*

Genizari. Adoleſcentes Chriſtiani Græcorum filii iis aſcripti, 1365. XXII.

Genuenſes Mediolanenſe jugum excutiunt, 1356. XXX. Admoniti ab Innocentio Papa, ut damnato Turcico fœdere ſtudeant Joanni Palæologo, 1356. XXXVI. Exactum ab iis ſacramentum pro ea Corſicæ parte, quam tenebant, 1360. XI. Turcas in Ponto Euxino profligant, 1361. VIII. De Sardinia certant cum Aragonio, 1363. X. Poſtulati de pace, *ibid.* Cretenſes, mota in Venetos perduellione, eorum opem implorant, 1364. VIII. Lites cum Petro Cypri Rege componunt, 1365. XVIII. Urbanum V. honorifice excipiunt, 1367. IV. Cum Bernabone Vicecomite certant, *ibid.* Amuratis in oriente funeſtos progreſſus exponunt, 1371. VIII. Claſſem inſtruunt in Cyprios, 1372. XXXI. Moniti, ut placent iras, *ibid.* In Amuratem ſacram expeditionem ſuſcipere meditantur, 1372. XXIII. Moniti ne bellum Cypro inferant, 1373. VIII. Thomas Gradenſis patriarcha ad eos miſſus, *ibid.* Cyprum invadunt, *ibid.* Famaguſtam ſibi ſubiiciunt, *ibid.* Petrum Regem ad iniquas pacis leges compellunt, 1373. VIII. Principes, qui Petrum ſeniorem trucidarant, capite plectunt, *ibid.* De pactionum ſuperiorum temperanda acerbitate a Petro Rege Cypri poſtulati, 1374. VII. & 1375. XII. Bellum gerunt cum Venetis, 1378. CXIX. Aliquot damnis affecti, *ibid.* Graviſſima clade proterunt Venetos, 1379. LIV. Poſtulati eam dare abnuunt, *ibid.* Percuſſi divina ultione, *ib.* Vitam pacti Clodiam Venetis reſtituunt, 1380. XXVIII. Pacem cum Venetis inſtaurant, 1381. XXXVII. Decem triremes ſubſidiarias ad liberandum Urbanum ſubmittunt, 1385. VII. Illum in Tranenſi portu excipiunt, *ibid.* Cornetum pro ſumptibus claſſicis ab Urbano accipiunt oppigneratum, VIII. Eundem devehunt Genuam, *ibid.* Illum, qui par erat, honorem ipſi non deferunt, 1386. XII. Ex nimio imperandi faſtu in ſervitutem cecidere, *ibid.* Gallos & Anglos ad Tunetanam expeditionem concitant, 1391. XXI. Se ultro Carolo Gallorum Regi dedunt, 1396. VI.

Georgius civis Dyrrachinus principatum Dyrrachinum Ludovici Andegavenſis factionem ſecutus occupat, 1391. XXVII.

Georgius Stratimirus principatu Dyrrachino donatur a Bonifacio IX. 1391. XXVIII.

Geraldus e Podio creatus Cardinalis a Gregorio XI. 1375. XXXI. Obſeſſus Peruſii a Florentinis, 1376. IV.

Geraldus Cardinalis camerarius Urbani VI. odio ipſius electionem vituperat, 1378. XII. A Cardinale Lemovicenſi reprehenſus, *ib.* In eum Urbanus judiciariam ſeveritatem adhibere parat, CIII. Una cum Joanne Ambianenſi, & Roberto Gebennenſi conjurationes & ſchima in Urbanum conflavit, 1381. V.

Gerardus conditor congregationis vitæ communis, ſeu fratrum bonæ voluntatis pie obiit, 1384. VI. Primis ſacerdotii annis faſtum ſecutus & delitias, *ibid.* Demiſſionem poſtea & corporis macerationem ſectatus eſt, *ibid.* Prælium inter Daventrienſes & eorum hoſtes divina virtute diremit, *ibid.* Sepulchrale ejus elogium, VII.

Gerbæ: Gerbarum & Cherchinarum imperium a Bonifacio traditum Manfredo Claromontio, 1389. VI.

Germani ſolemnes conventus pro diſcutienda ſchiſmatis cauſa ineunt, 1379. XXXVI. Pro Urbano ſententiam ferunt, *ibid. & ſeq.* Oratores Regis Francorum & antipapæ repellunt, XXXVIII. A pſeudopontifice Gebennenſi miſſo Guillelmo de Agrifolio pſeudolegato concordiæ ſpecie ad defectionem ſolicitati, 1386. VIII. Urbanum VI. ſolicitant, ut una cum antipapa ad redintegrandam Eccleſiarum conjunctionem incumbat, 1387. IX. Celebret in ea cauſa œcumenicum concilium, *ibid.*

S. Germanus. Reliquiarum illius portio Montempeſſulanum tranſlata, 1367. I.

S. Gertrudes pie moritur, 1358. VII.

Giſonius anticardinalis profitetur Neapoli in Templo S. Claræ Clementem non eſſe verum Papam, ſed creatum vitio, 1381. XXVI. Ejus purpura ac pileus in flammas conjecta, *ibid.* In carcerem miſſus, *ibid.*

Gloria cœleſtis; Similia iis quæ dixit Apoſtolus: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui*; affirmavit S. Catharina Senenſis poſt altum mentis exceſſum, 1380. XXIV.

Gloria; Digna gloria non propter gloriam agenda, 1380. XXVII.

Gonzagæ caſtrum jure beneficiario traditum principi Mantuano a Bonifacio IX. 1392. IV.

Gradenſis Eccleſia: Ad eam SS. Hermagoræ & Fortunati martyrum reliquiæ referri juſſæ, 1359. XIV.

Græci: Joannes Palæologus Imp. ad gremium Eccleſiæ reverſus de iis ad Romanæ Eccleſiæ obſequium revocandis agit cum Innocentio VI. 1356. XXX. & XXXV. *Vid.* Joannes Palæologus. Patriarcha Græcorum ad eam conjunctionem firmandam ſolicitatus a Pontifice, 1356. XXXV. Græci Turcarum graſſationibus atrociſſime vexati, XXXVI. Plures Græci conciliati Eccleſiæ a B. Petro Thoma, 1360. XVI. Turcico terrore oppreſſi Didymoticum deferunt, 1361. VIII. Græci ab Amurate gravibus afflicti cladibus, XXII. Zagoriam & Iſchebolem amittunt, *ibid.* Quintum quemque puerum, ut Chriſtum ejuret Gezariſque aſcribatur, dare juſſi, *ibid.* Ad conjunctionem eccleſiarum provocati ab Urbano V. *ibid.* & 1366. I. *& ſeqq.* Promiſſi ipſis terreſtres maritimique exercitus, ſi ad Eccleſiæ conjunctionem redierint, 1366. III. Retardatus Ungarus ab expeditione Tartarica ni prius Græci ad Apoſtolicæ ſedis obſequia fuerint reverſi, *ibid.* Græcorum in Latinos infanda odia, XXV. Petrarchæ conſilium de Græcis ſubiiciendis, *ibid.* Actum de Græcorum ad Romanam Eccleſiam reditu, 1367. VII. Albaniæ principes ad Romanæ Eccleſiæ obſequium, ejurato Græcorum ſchiſmate, reverſi, 1368. XIX. Græci in Creta ſchiſma confirmant, XX. Græcorum Imperator Joannes Palæologus Romæ Urbanum V. convenit, fidemque orthodoxam profitetur, 1369. I. Profitentur etiam, illam veram Eccleſiam catholicam, cui Romanus Pontifex in occidente præſidet, 1370. I. Græcorum clerus ad ejurationem ſchiſmatis ſolicitatus ab Urbano, II. Et ejurationis formula propoſita, IV. Plures Græci comparatos ſe ad ſchiſma damnandum profitentur, *ibid.* Graves clades ab Amurate accipiunt, 1371. VIII. & 1373. II. Græci a Gregorio XI. ſolicitati, ut in Thebanis conventibus arctiſſimum cum Latinis fœdus ſanciant in Turcas, 1372. XXIX. Græcorum Imperator Amuratis ſtipendiarius eſſe cogitur, 1373. II. Græcorum imperium ab Amurate ferme everſum, *ibid.* Decreta a Gregorio XI. ad eos reconciliandos legatio, III. &c. Cauſas exquirit idem Pontifex, cur Græci nondum ad Eccleſiam redierint, 1374. I. Religioſos viros ad eos legat, *ibid. & ſeqq.* Monentur, in Turcarum ſervitutem ipſos redactum iri, niſi Romanæ Eccleſiæ ſe conjungant, 1374. II. S. Birgittæ vaticinium de Græ-

Græcorum ob ſchiſma everſione, IV. Emanuel deſpota Peloponeſi ad ejurandum ſchiſma paratum ſe eſſe profitetur, V. Græci aliqui ad fidem catholicam traducti, 1375. I. Vexantur a ſchiſmaticis, IV. Cantacuzenus olim Imperator Græcorum primatum Romani Pontificis agnoſcit, III. Græci ſpondent, auxiliis acceptis ab occidentalibus principibus, ſe ad ſinum Eccleſiæ redituros, VIII. Amuratis in Græcia progreſſus, IX.

Grando portentoſa in Wandalia decidit humanam effigiem referens, 1395. XXIII.

Gregorius XI. Aperit illi S. Birgitta, Urbanum V. moriturum, ſi Avenionem redeat, 1370. XIX. Detrectat ipſe rem Pontifici narrare, *ibid.* Urbano ſubrogatur, 1370. XXV. Ejus patria, primitiæ, & ſtudia, *ibid.* Encicliçæ ejuſdem de parto pontificatu literæ, XXVI. Duos Cardinales ad Gallum, Anglumque conciliandos mittit, 1371. I. Eduardum Regem ad pacem ſolicitat, III. A Caſtellano litis, quæ ipſi cum Rege Navarræ intercedebat, arbiter deligitur, IV. Ornatur ab eo muneribus, *ibid.* Convenitur Avenione a Navarræ Rege, *ibid.* Sardiniam & Corſicam ſolemni ritu acceptas illi refert Aragonum Rex V. Eundem monet Gregorius ne jus eccleſiaſticum opprimat, VI. Et Sabaudum ut Genevenſem principatum reſtituat Epiſcopo, *ib.* Adverſus Bernabonem principum implorat auxilia, VII. Vocatur in invidiam affectatæ Etruriæ *ibid.* Recuperat Peruſium, *ibid.* Angliæ Regem ad vertenda in Turcas arma ſolicitat, VIII. Smyrnam Rhodiis equitibus commendat, IX. Eorumdem Principem Cypro adminiſtrandæ præficit, *ibid.* Salubribus præceptis Cyprium Regem imbuit, *ibid.* Auget Cardinalium collegium, *ibid.* Sparſos in Hiſpania circa Euchariſtiam novos errores damnat, XI. Judiciaria in Bernabonem Vicecom. acta exercet, 1372. I. Et in Galeatium, II. Solatur marchionem Ateſtinum de accepta clade, III. Tradit illi ad vitam Ferrarienſem præfecturam, *ib.* A Joanna Regina Siciliæ fidei ſacramentum exigit, IV. Fridericum inter & Joannam fœderis leges imperat, & quæ eæ fuerint, VII. & *ſeqq.* Fridericum Regem adeundæ Sedis Apoſtolicæ onere liberat, ſed ſucceſſores obſtringit, XXV. Carolum IV. Imp. particula crucis dominicæ exornat, XXVI. Pacem inter Gallos & Anglos fruſtra urget, *ibid.* Iniquas Aragonum leges emendat, XXVII. Ungarum ad vertenda in Turcas arma excitat, XXVIII. Græcos ac Latinos mutuo fœdere in Thebanis conventibus conjungere annititur, XXIX. Ad ferenda Armeniæ laboranti auxilia ſtudia convertit, XXX. Petrum Regem Cypri ad virtutes amplectendas ſolicitat, XXX. Genuenſes admonet, ne iras in Cyprios exerceant, *ididem.* Convertendis ſchiſmaticis & infidelibus dat operam, XXXI. Leskoni duci Moldaviæ de ſuſcepta fide gratulatur, *ibid.* Hæreſes excindere conatur, XXXIV. Alberſtadenſem Epiſcopum, negantem liberum arbitrium, judicio poſtulat, *ibid.* Beghardos inſectatur, XXXIV. Et apoſtatas ad Mahumetem deſciſcentes, *ibid.* Et Waldenſes, *ib.* Obortam Toloſæ hæreſim præfocandam curat, XXXV. Vetat contra fidem diſceptari, *ibid.* In doctrinam Raymundi Lulli inquirit, *ibid.* Fraticellos, fingentes ipſorum ſectarios ſanctos eſſe, coerceri jubet, XXXVI. Imperatoris Conſtantinopolitani legationem excipit, 1373. I. Ejuſdem reſponſum ad Palæologum, II. De claſſe paranda agit, *ibid.* Solicitat Græcos, ut veterem pertinaciam exuant, *ibid.* Indicit ſacram Ungarorum expeditionem in Turcas, III. Deplorat, Bulgariam & Raſciam vaſtatas, *ibid.* Cruce inſigniri fideles ad Ludovicum Ungariæ Regem ſequendum jubet, IV. Solemnes preces indicit V. Imperat Ungaro, ut Turcas Europa eiiciat, *ibid.* Solicitat Germanum ut vires conjungat in barbaros, VI. Mittit internuntium ad bellum Brandeburgenſe ſopiendum, VII. Genuenſes a bello inferendo Cypro revocare nititur, VIII. Jeroſolymitanos equites transferre ſtatuit in Aſiam ad domandos Turcas, IX. Damnat Bernabonem Vicecom. perfidiæ, X. Et immanitatis in ſacerdotalem ordinem, *ibid.* Eccleſiaſticæ libertatis violatæ, XI. Pontificii juris oppugnati, XII. Plures Bernaboni urbes arceſque eripit, XIII. Percuſſis peſte noxarum veniam impertitur, XIV. Decernit baſilicam S. Mariæ Majoris anno jubilæo luſtrandam a piis, XV. Minoritis ſacramenta conferendi in Boſnia & Ruſſia jus tribuit, XVI. Lithuanos principes ad fidem nititur allicere, *ibid.* Internuntium ad eos decernit, ſeque ſacerdotes miſſurum pollicetur, *ibid.* Ad Græcorum ſchiſma in Creta abolendum incumbit, XVIII. Venetum ducem ſolicitat, ut decretum contra ſchiſmaticos ſacerdotes inſtauret, *ibidem.* Arnaldum Montanerium pſeudominoritam ob hæreſeos crimen comprehendi jubet, XIX. Begardos ſeu Turlupinos in Galliis gliſcentes reprimendos curat, *ibid.* Et Waldenſes, qui Delphinatum infecerant, XX. Francorum & Anglorum Reges ad pacem urget, XXII. Auctas ex eorum mutuo bello infidelium vires exponit, *ibid.* Inter Caſtellanum ac Luſitanum pacem inſtaurat, XXIII. Et inter Navarræ & Caſtellæ Reges, XXIV. Solicitat Caſtellanum ut cum Aragonio jungat fœdus, *ibid.* Exquirit cauſas cur nondum Græci ad Romanæ Eccleſiæ ſinum redierint, 1374. I. Ejus ad Conſtantinopolitanos legatio, *ibid.* & II. Legatos ad ſolvendos cenſuris Græcos auctoritate inſtruit, III. Palæologum monet, ut caveat ſibi a Turcico fœdere, IV. Evadere Græcos non poſſe Turcicam ſervitutem, niſi Romanæ Eccleſiæ arctiſſimo fœdere ſe conjunxerint, IV. Emanuelem deſpotam commendat, quod paratus ſit ad ſchiſma ejurandum, V. Claſſem parat ad Turcas trajectu arcendos, VI. Rogat Ungarum, ut in Turcas arma moveat, quo periclitanti Ungariæ conſulat, *ib.* Smyrnam Rhodiis equitibus ad quinquennium tradit, VII. Genuenſes cum Cypriis ad pacem redigere nititur *ibid.* Ad propagandam in Armenia majori fidem ſubmittendoſque præcones evangelicos incumbit, VIII. Ampliſſima hos inſtruit auctoritate, *ibid.* Conferendi ſub conditione baptiſmi ordiniſve formulas præſcribit, *ibid.* Minoritas ad orientis & aquilonis infideles mittit, IX. De epiſcopali ſede in Valachia erigenda ad religionem amplificandam agitat, *ibid.* Milleczium hæreſiarcam, Boemiam Poloniamque inficientem, inſectatur, X. Carolum Imp. ad eum reprimendum excitat, *ibid.* Speculum Saxonum erroribus inquinatum jubet aboleri, XII. Magicæ artis crimen a cenſoribus fidei cognoſcendum decernit, *ibid.* Pios a Beguinis hæreticis jubet diſcerni, XIV. Ludovicum Bambergenſem ejecto Adolpho ad Caroli Imp. gratiam in Moguntino Archiepiſcopatu confirmat, *ibid.* Gratulatur Imperatori de comparata ab eo marchia Brandeburgenſi, *ibid.* Permittit ipſi Cæſar, ut Inſubriæ urbes Vicecomitibus tyrannis ereptas in clientelam Eccleſiæ recipiat, XV. Bernabonis calumnias reſponſo graviſſimo refringit, *ibid.* Plures illi urbes eripit, *ibid.* Ad poſcendam pacem adigit, *ibid.* Flagitat ab eo Ludovicus Ungariæ Rex, ut principatus hereditarios Salernitanum ac S. Angeli, Pro-



vinciam, Pedemontium, & Folkalquerium a Joanna Regina reſtituenda judicio curet, XVI. Promulgat Ludovici Ungari literas, quibus Siculi regni obtenſo jure abſceſſerat, *ibid.* Fridericus Rex Trinacriæ ſupremum inſulæ principem agnoſcit Pontificem, XXIX. Sacramento fidei coram illius internuntio ſe obſtringit, *ibid.* & XX. Anglum inter Gallumque pacem promovere ſtudet, XXI. Quas concordiæ leges cum Anglo in controverſiis de jure eccleſiaſtico propoſuerit, *ibid.* Aragonium admonet, ne Tarraconenſis Eccleſiæ jura in Tarraconenſem urbem occupet, XXII. Hieronymitis formulam monaſticæ diſciplinæ præſcriptam a S. Auguſtino tradit, *ib.* Promulgat ſe Apoſtolicam ſedem Romæ reſtituere decreviſſe, XXIII. Epiſcopis in majorem Armeniam miſſis de ſacris concionibus magno cum fructu habitis Conſtantinopoli gratulatur, 1375. I. Commendat Joannem Cantacuzenum de primatu Romani Pontificis agnito, II. Stimulat, ut reconciliationem orientalis Eccleſiæ promoveat, III. Monet Palæologum, ne calojeros catholicos a ſchiſmaticis vexari ſinat, IV. Ne Turcas Conſtantinopolim patiatur ingredi, *ib.* Spondet illius filio Emanueli collegæ imperii auxilia in Turcas, ſi Græci ad Eccleſiæ gremium redierint, IV. Ludovicum Regem Ungariæ ad ferendam Græcis opem ſolicitat, VI. Exponit Palæologi querelas, illum promiſſis defuiſſe, *ibid.* Obnoxiam diſcrimini eſſe rem catholicam, *ibid.* Repetit idem aliis literis, VII. Palæologum Amuratis vectigalem eſſe inculcat, *ibid.* Acceptis auxiliis ad ſinum Eccleſiæ Romanæ Græcos redituros *ibid.* Hoſpitalarios in Aſiam contra Turcas jubet traiicere, IX. Deplorat Amuratis in Græcia progreſſus, *ibid.* Chriſtianorum multitudinem in ſervitutem abductam, *ibid.* Armeniam pene univerſam occuparam a Saracenis, *ibid.* Genuenſes, Veneti, Siculi ad ferendam Græciæ opem ſtimulati, X. Francorum & Anglorum Reges ad vertenda in barbaros] arma ſolicitat, XI. Genuenſes cum Cypriis conciliare nititur, XII. Florentinos, ſiniſtras ſuſpiciones de affectata Etruria concipientes, placare nititur, XIII. Calumniam refellit, XIV. & *ſeq.* Quibus legibus inducias cum Bernabone pepigerit, XVI. Queritur, Geraldum legatum a Florentinis obſeſſum, XVII. Friderico Trinacrio, flagitanti regio diademate redimiri, annuit, XIX. Regem Aragonum ad pacem cum Sardis & Caſtellanis ſolicitat, XX. Henrico Caſtellæ Regi gratulatur, fœdus cum Aragonio ipſum junxiſſe, *ibid.* Condolenti Caſtellano de reditu pontificio in Italiam, divino ad id inſtinctu agi ait, XXI. Idem Gallo aliiſque Regibus reſpondet, XXII. Profectionem conciliandæ Gallos inter & Anglos pacis ſtudio extrahit, *ibid.* Edicit, ut Eccleſiarum paſtores ad ſuos greges pergant, XXIII. Ad excindendum e Cretæ inſula ſchiſma incumbit, XXV. Waldenſium reliquias e Delphinatu excindere molitur, XXVI. Internuntium Apoſtolicum mittit, qui hæreticos conjicit in carceres, *ibid.* Decernit, eos eccleſiaſticis vectigalibus in vinculis ſuſtentandos, *ibid.* Sabaudiæ comitem excitat ad hæreticos, qui fidei cenſores necarant excindendos, *ibid.* Apoſtatas, qui ad Mahometem in Syria defecerant ad Chriſtum rédituros jubet abſolvi, XXVII. Halicienſem Archiepiſcopatum conſtituit, & Priſmilienſem, Laudimirienſem, & Chelmenſem Eccleſias cathedrales eſſe juſſas veluti ſuffraganeas ſubiicit, XXVIII. Nundinas diebus ſacris fieri vetat, *ibid.* Gallo Regi imperat, ne reis ſacræ exomologeſeos facultatem adimi permittat, *ibid.* Eundem monet, ut Delphinatus præfectum fidem delphini nomine ſedi Apoſtolicæ addicere jubeat pro ea parte, quæ Eccleſiæ beneficiaria, eſt XXIX. Ne permittat Archiepiſcopum Rothomagenſem vetere in urbem ſimperio pelli, *ibid.* Ludovicum Regem Ungariæ monet, ſacerdotia ad ipſius arbitrium conferri a ſede Apoſtolica non debere, XXX. Auget Cardinalium collegium, XXXI. Ut monitus ſit a S. Catharina, ut tanto muneri viros ornatiſſimos virtutibus admoveret, *ibid.* Florentinos poſtulat judicio, 1376. I. Nefaria decreta adverſus fidei cenſores objicit, *ibid.* Jus eccleſiaſticum violatum, *ibid.* Pellectos ad defectionem clientes Eccleſiæ, II. & *ſeq.* Varias iis pœnas irrogat, V. Miſſam a Florentinis S. Catharinam Senenſem ad orandum pacem benevole excipit, VI. Duos Cardinales legatos in Italiam decernit, VIII. Ineundæ pacis cum Vicecomitibus poteſtatem confert, *ibid.* Conſtituit petere Italiam ad eam pacandam, X. Romani Urbis imperium ei reſtituunt, XI. Permittit Carolo Imperatori, ut electorum comitia ad Wenceſlaum evehendum ad imperium celebret, XIII. Rogatur ab eodem ut Wenceſlai auſpiciis faveat, XIV. Ludovicum Andegavenſem cum Aragonio conciliare nititur, XIX. Differt Wenceſlaum confirmare Gregorius, XVIII. Regis Luſitaniæ oratores de inferendo Saracenis bello excipit, *ib.* Subſidia eccleſiaſtica illi attribuit, *ibid.* Nonnullas imperat leges, XX. Annua ſacra a religioſis prædicatoribus pro ſe & patruo Clemente peragenda conſtituit, XXIV. Illius in urbem adventus, 1377. I. Urbi ſedem reſtituit die cathedræ S. Petri, *ibid.* Romanorum illum excipientium magnificentia, *ibid.* S. Catharinam ad Florentinos pacis interpretem mittit, II. Wicleffum, Marſilii Janduniique hæreſes inſtaurantem novaſque cumulantem, judicio jubet comprimi, IV. Regem Aragonum Trinacriam poſtulantem coronam repellit, VII. Anagniam proficiſcitur, *ibid.* In itinere Euchariſtiam præferri jubet, *ibid.* Officium ſanctæ Crucis inſtituit, *ibid.* De pace cum Florentinis agitat, 1378. I. Avenionem redire cogitat, II. De proximis Cardinalium comitiis & loco conclavis mutando conſtitutionem edit, *ibid.* Sacramentis rite munitus obit, III. Illius virtutes, *ibidem.* Illi ante pontificatum dum Cardinalatum gerebat prædixit S. Birgitta, ſi rediret Avenionem morte puniendum, 1379. IX. Parto pontificatu monitus a Chriſti interprete S. Birgitta, ut ſedem Romam transferat, X. Negligenter complere divinum imperium diſtulit, *ibid.* Juſſus etiam a Chriſto, ut charitatem & demiſſionem coleret, & carnales conſultores abiiceret, ſimoniam excinderet, ac pietatem inſtauraret, *ibid.* Intentata ni pareret divina ira, *ibid.* Robertum Gebennenſem præcurſorem ſanguinarium miſit ad perduelles trucidandos, XI. Excitatæ fuerant ex prædictione divina perduelliones ob tardiorem ejus adventum, *ibid.* Redire Avenionem cogitat, *ibid.* Monitus a S. Catharina Senenſi in curia Romana graviſſimum peccatorum fœtorem ſentiri, XXV.

Guido e Bolonia in Hiſpanias ad Aragonem Caſtellanumque conciliandos miſſus, 1359. II. Petrum Regem Caſtellæ ob violatam pacem anathemate percutit, 1362. XVIII. Ad Hiſpanos Reges conciliandos legatus, 1372. XXVI. 1373. XXIII. In Hiſpania inter Luſitanum & Caſtellanum pacem conciliat, *ibid.* Et inter poſtremum & Navarræ Regem, XXIV. Illius mors *ibid.* Sublatus veneno a nonnullis creditus, *ibidem.*

Guido Hugonis Regis Cyprii major natu filius ante patrem extinctus, 1360. XV. Ejus filius Hu-

Hugo avito ſceptro non ſucceſſit, *ibid.*

Guido e Maleſico creatus Card. a Gregorio XI. 1375. XXXI.

Guillelmus Card. S. Mariæ in Coſmedin juſſus incumbere ad redintegrandam inter Caſtellanum & Aragonium pacem, 1356. XXXVII. Adjunctus illi Bertrandus Epiſcopus Convenarum, *ibid.* Inducias init inter Caſtellæ & Aragonum Reges, *ibid.* Pactis ſtare detrectantem Caſtellanum ferit anathemate, *ibid.*

Guillelmus Epiſc. Siſopolitanus ad Græcos internuntius ab Innocentio VI. miſſus, 1356. XXXIV.

Guillemus Farinerii Minorita creatus Cardinalis, 1356. XLI.

Guilelmus electus Vabrenſis creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

Guillelmus Grimaldus Abbas S. Victoris; *Vid.* Urbanus V.

Guillelmus dux filius Ludovici Bavari de ſecuta paterna factione veniam popoſcit, 1362. XVI.

Guillelmus de Agrifolio junior creatus Cardinalis ab Urbano V. 1367. II. Sacratur Epiſcopus Sabinenſis, XV. Sicula legatio illi demandata, XVI.

Guillelmus de Agrifolio pſeudolegatus decretus ab antipapa pro ſubornandis Germanis, 1386. VIII.

Guillelmus Archiep. Cambalienſis creatus Archiep. ab Urbano V. miſſus ad Tartaros, 1370. IX.

Guillelmus Noelletti creatus Card. a Gregorio XI. 1371. X.

Guillelmus de Canhaco creatus Card. a Gregorio XI. 1371. X.

Guillelmus Bartonus Oxomienſis academiæ princeps Wicleffi hæreſes damnat, 1380. XXI.

Guillelmus Albus Wicleffiſta ſacerdos contendit aliquibus impoſſibilem continentiam, 1382. XXXV. Conjugii ſpecie ſcortum ſibi thoro jungit, *ibid.* Ejus argutiola & confutatio, *ibid.* Blaſphemo libello idololatriæ calumniam catholicis impingit, 1389. XXI. Redarguitur colere dæmonem in idolo hæreſeos, *ibid.*

Guillelmus Epiſcop. Anconitanus miſſus in Belgium legatus ad Morinos & Antuerpienſes a ſchiſmate revocandos, 1391. IV. Data facultas interfectores ſacerdotum peracta pœnitentia publica abſolvendi, *ibid.*

Guillelmus Archiep. Cantuarienſis Richardo Regi ſacerdotiorum conferendorum authoritatem ſibi uſurpanti reſiſtit, 1391. XIV. Reſciſſa iniqua Richardi decreta a Bonifacio IX. XV. *&* *ſeqq.*

Guillelmus a Peralta Siciliam inſulæ adverſus Aragonios commovet, 1392. III.

Gutterius Epiſc. Palentinus Cardinalitium honorem ab Urbano acceptum abiicit & anticardinalatum ab antipapa accipit, 1381. XXXII.

## H

HAdriana arx: In eam confugiunt Cardinales tumultantibus Romanis quod Romanus patria Pontifex creatus non eſſet, 1378. XIII. Ex ea egreſſi Cardinales ad coronandum Urbanum, *ibid.* Gallico præſidio munita erat, XXIV. Illius præfectus rebellat Urbano, *ibid.* Poſt annuam obſidionem cæſis Gallis ad deditionem vix cogi potuit, 1379 XXV. Ex eo arguuntur Cardinales falſo jactare ad vocis unius terrorem ex munitiſſima ea arce pro coronando Urbano exiiſſe, *ibid.* Supplicationem nudis pedibus Urbanus arce obtenta a S. Maria tranſtiberina ad Baſilicam S. Petri ducit, *ibidem.* Inſtaurata a Bonifacio IX. 1389. XIII.

Hæreſes & Hæretici: Nova hæreſis in Creta extincta a B. Petro Thoma, 1359. XIX. Ejus in hæreticos ſeveritas, *ibid.* Boſnia ab hæreſi purgata, 1368. XIX. Cenſuræ objectæ commercium cum Boſnenſibus hæreticis inituris, 1369. XIII. Flagellatores ſacramenta negant, 1372. XXXIII. Libri hæretici exuri juſſi a Gregorio XI. *ibid.* Albertus Epiſcop. Alberſtadenſis fatum aſſerit, *ibidem.* Negat liberum arbitrium, *ibidem.* Et merita & derita, *ibid.* Begardi Germaniam Hollandiamque inficiunt, XXXIV. *Vid.* Begardi. Waldenſes Sabaudiam, Delphinatum, ac Provinciam contaminant, *ibid.* *Vid.* Waldenſes. Nova hæreſis Toloſæ oboriens præfocata, XXV. Raimundi Lulli libri hæreſibus contaminati exuri juſſi, *ibid.* *Vid.* Raimundus Lullus. Fraticelli ſuos obtrudunt ut Sanctos, XXXVI. *Vid.* Fraticelli. Hæreſes ſerpunt in Galliis, 1373. XIX. Milleciſus hæreſiarcha Poloniam ac Boemiam inficit, 1374. IX. *&* *ſeq.* A Gregorio IX. repreſſus, *ibid.* Delphinatus hæreſi infectus, 1375. XXVI. Solicitatur Francorum Rex, ut leges diſtringat in hæreticos, *ibid.* Miſſus internuntius apoſtolicus ad eos comprimendos, *ibid.* Sabaudus ad hæreticos excindendos ſolicitatus, *ibid.* Panormitanorum egregia in hæreticos ſtudia, XXVII. Hæreſes a Wicleffo confictæ, 1377. V. Idem contendit hæreticos judicio non poſtulandos, *ibid.* *Vid.* Armenii. Græci. Hæretici, deſciſcere a Pontificibus cœpere, cum illos ſuis erroribus adverſantes ſenſere, 1378. CXVII. Malunt ſua adorare mendacia, quam ſummo Eccleſiæ judici parere, *ibid.* Triumphant de ſchiſmate in Eccleſia exorto, CXVIII. Non quilibet Scripturæ ſenſus, ſed quem ab Apoſtolis accepit Eccleſia, amplectendus eſt, 1381. XLIII. Draco ardens viſus in pluribus Angliæ locis dum in ea Wicleffi hæreſis graſſatur, 1388. XII. Hæreticus blaſphemans in Euchariſtiam ab aranea impium os ingreſſura vix liberatus, 1396. XVII. Hæreſes trecentæ in libris Wicleffi contentæ, *ibid.*

Haliczienſis Archiepiſcopatus in Ruſſia a Gregorio XI. inſtitutus, 1375. XXVIII. Quæ Eccleſiæ illius ſuffraganeæ, *ibid.*

Haquinus Rex Norvvegiæ ad Magnum patrem olim Regem Sueciæ carcere liberandum in Sueciam expeditionem ducit, 1363. XIII. Ad Stokolmiam pervadens ferro, illum liberat, *ibid.*

Haſtiludia clericis vetita, 1359. XIII.

Heduviges filia Ludovici Hungariæ & Poloniæ Regis ſuccedit in regno Poloniæ, 1382. XXVI. Jagello dux Lithuaniæ illi a Polonis junctus matrimonio, *ibid.* & 1386. Hujus matrimonii beneficio Samagitæ & Lithuani a dæmonum cultu ad Chriſtum traducti, V. & 1387. XV.

Helvetii tuentur Eccleſiam adverſus Auſtriacum ſchiſmaticum, 1386. VIII. Leopoldum maxima clade fundunt, cæduntque in prælio, *ibid.*

Henricus Spenſerius Anglorum in Gallos cruceſignatorum dux arma in Belgas avertit, 1383. IX.

Henricus Rex Caſtellæ prius comes Traſtamaræ Caſtellam cum fœderatis Regibus Petro fratri eripiendam partitur, 1364. XVIII. Eductis in Caſtellam Gallicis copiis, Caſtellæ Regem ſe dicit, 1366. XXXI. Fugat regno Petrum Regem, XXXII. & 1367. XVIII. Gallicis auxiliis juvatur, XVIII. Jacobum Balearem capit, *ibid.* Profligat dictum Petrum Caſtellæ Regem fratrem ſuum, 1369. XI. Pugione illum confodit, regnoque Caſtellæ potitur, *ibid.* Cum Fernando Rege Luſitaniæ certat, 1370. XVII. Illius claſſis in Gallorum opem ſubmiſſa Anglicam profligat, 1371. II. Cum Luſitano pacem agitat, IV. Arbitrum Pontificem deligit pro conciliandis controverſiis cum Rege Navarræ, IV. Munera & officia verborum Pontifici defert, *ibid.* Controverſiæ cum Aragonio Pontificem interpretem deligit, 1372. XXVII. Irrumpit in Luſitaniam, 1373. XXIII. Urgetur ad pacem, *ibidem.* Eam interprete Guidone Cardinale legato ſancit, *ibidem.* Et cum Navarræ Rege, XXIV. De pace inita gratulatur illi Gregorius Papa, 1373. XXIV. Solicitatur ad pacem cum Aragonio jungendam, *ibid.* Flagitat a Gregorio ut fœdera cum Navarro & Luſitano inita confirmet, 1374. XXII. Nova Hieronymitarum familia illi commendata, *ibid.* Cum Aragonio pacem ſancit, 1375. XX. Dolet de Gregorii in Italiam receſſu, XXI. Reſponſum ipſi, divino inſtinctu ad id agi, *ibid.*

Henricus Rex Caſtellæ Joanni patri ſuccedit, 1390. XX. Toletanum Archiep. turbas moventem in vincula coniicit, 1393. VI. Cenſuris ab antipapa percuſſus eum liberat, *ibid.* Pacem redintegrat cum Rege Luſitaniæ, *ibid.*

SS. Hermagoras & Fortunatus: Eorum reliquiæ ad Eccleſiam Gradenſem referri juſſæ, 1359. XIV.

Hetruria. *Vid.* Etruria.

Hibernia: cenſum pro Hibernia repoſcit Urbanus V. ab Eduardo Angliæ Rege, 1365. XIII.

Hieronymitarum familia in Caſtella efflorcſcere cœpta, 1374. XXII. Auguſtiniana inſtituta illi præſcripta, *ibid.* Ipſius conditor, *ibid.*

Hieronymus Camaldulenſis fidem Chriſtianam in Lihtuania propagat, 1387. XV.

Honoratus Cajetanus Fundorum comes rebellat in Urbanum VI. quod Campaniæ præfecturam Thomæ e S. Severino tradere juſſus eſſet, 1378. L. & 1380. XIX. Commendatur a Cardinalibus ob ſchiſmatis ſumptum patrocinium, *ibid.* Ab Urbano decretoria ſententia damnatus, 1378. CVI. Repetita in eum ſententia, 1380. I. S. Catharinæ monita reſpuit, & cum Joanna Regina Neapolitana adverſus Urbanum bellum gerit, *ibid.* Fundorum comitatus jura cum aliis pluribus principatibus in Franciſcum Prignanum pontificium nepotem tranſlata, 1381. XX. Cum Arimini & Caſertæ comitibus ſe adverſus Carolum Regem Neapolitanum ægre tuetur, XXIV.

Horæ canonicæ damnatæ ab hæreticis Wicleffiſtis, 1382. XXXIV.

Hoſpitalarii equites Turcas vincunt in Græcia, 1359. XV. In Aſiam adverſus Turcas a Gregorio XI. quoque ſedes transferre juſſi, 1373. IX. Moniti, ut ad Smyrnæ cuſtodiam incumbant, *ibid.* Smyrna illis ad quinquennium a Gregorio tradita, 1374. VII. In Turciam adverſus Amuratem rurſus traiicere juſſi, 1375. IX.

Hugo Rex Cypri ſolicitatus de ſociali claſſe in Turcas conjungenda, 1356. XXXVI. Moriens Petrum filium ſucceſſorem relinquit, 1360. XIII. Hugo præmortui Guidonis majoris natu filii non ſucceſſit, *ibid.*

Hugo Liſinianus Guidonis filii natu majoris Hugonis Regis Cypri filius, præmortuo patre, avo non ſucceſſit, 1360. XV. Patruo Petro litem apud Sedem Apoſtolicam intendit, *ibid.*

Hugo e S. Martiale creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

Hugo de Monario creatus Card. a Gregorio XI. 1375. XXXI.

Humana ſacrificia edi ſolita a Lithuanis antequam ad Chriſtum traducerentur, 1386. V.

Humanitas Chriſti qualiter adoranda, 1380. XXIII.

Hungaria a Turcis infeſtata, 1394. XXIII. A Polonia divulſa extincto Rege utriuſque Ludovico, 1382. XXVI. Civilibus factionibus laniata Carolum Regem, exauthorata Maria Regina evocat, 1385. IX. Cæſo Rege Carolo in priores tumultus relapſa, 1386. II. Sigiſmundi reditu pacata, III.

Hypocriſis: Eremita hypocrita, 1386. IX. *Vid.* Impoſtor.

Hypocritæ: Fraticelli ſuos obtrudunt ut ſanctos, 1372. XXXVI. Pontificio juſſu repreſſi, *ibid.*

## I

JAcobus Balearis junior monitus ab Urbano ut pactiones cum Joanna Regina Siciliæ ſervare velit, 1363. VIII. Intentat litem Aragonio apud Sedem Apoſt. de regno Balearico, *ibid.* Captus in Caſtellano bello, 1367. XVIII. Redemptus a Joanna uxore, *ibid.*

Jacobus Rex Aragonum: Ejus munificentia in Vaticanam baſilicam, cum Sardica corona fuit redimitus, 1369. XVI.

Jacobus Urſinus creatus Card. a Gregorio XI. 1371. X. Hortatur Gallos Cardinales, ut Minoritam Romanum dolo inſignibus papalibus induant, ut extra urbem celebretur pontificis electio, 1378. V. Rejectum ejus conſilium metu ſchiſmatis, *ibid.* Concilium œcumenicum proponit Gallis ne ſchiſma conſlent, XLII. Pſeudopontificatus ſpe titillatus Fundos a Gallis pellectus accedit una cum Cardinalibus Florentino & Mediolanenſi pariter illuſis, LV. Objurgatus ignaviæ & ſuperbiæ a S. Catharina Senenſi, *ibid.* Oſtenſa illi veniæ ſpes ab Urbano, CXIV. Vocatus ab Urbano redire annuit dicens neceſſarium eſſe pro dirimenda controverſia œcumenicum concilium, 1379. I. Imminente morte conteſtatur Chriſtiano orbi ſe œcumenicum concilium congregandum ſentire, II. *&* *ſeq.* Adhortatur Reges ut illi cogendo faveant, *ibid.* Eum Pontificem colere profitetur, quem Eccleſia admiſſura ſit, *ibid.* Non his Urbani pontificatu detrahi ait, ſed vere illum agnoſcendum Pontificem, ac licet ſit verus Pontifex tamen concilium pro abolendo ſchiſmate neceſſarium prænunciat, *ibid.*

Jacobus Ynanyes propagator familiæ Hieronymitarum, 1374. XXII.

Jacobus e Baucio Achajæ princeps moriens Achajæ principatus jura Ladiſlao Regi Neapolitano tranſmittit, 1387. VIII.

Jaquæi. Eorum principis ſupplicium, 1359. I.

Jeſu nomen a B. Joanne Columbino & ſodalibus per vicos conclamari ſolitum, 1367. IV.

Ignis: Ignis perpetuus cultus pro Deo a Lithuanis, 1386. V. In eo dæmones fingebant umbras, & dabant oracula Lithuanis, 1387. XVI. In ignibus mediis illæſa Euchariſtia, *Vid.* Euchariſtia.

Imagines ſacræ: Fluxit cruor ex vulnerata Chriſti imagine, 1383. X. Servatus hactenus Moguntiæ & ſacrilegus flammis addictus, *ibid.* Sacram imaginem rapere tentans furore correptus ſeipſum dilaniat, XI. Imago raptori divinitus dorſum obvertit, *ibid.* Imagines a Wicleffiſtis deturbatæ, *ibid.* Hæreticorum in ſacras imagines argutiæ ſolvuntur, *ibid.* Idololatria impacta catholicis ab hæreticis ob cultum ſacrarum imaginum, 1383. XII. Solutæ eorum calumniæ & argutiæ, *ibid.* Cultus ſacrarum imaginum confirmatus miraculis in Anglia, 1389. XVIII. Ope imaginis B. Virginis propulſant Tamerlanis exercitum Moſchovitæ, 1345. XXIII. Templum illi exædificatum ab ipſis, *ibid.* Imago Chriſti ad Heduvigem Reginam Poloniæ divinas voces edidiſſe fertur, 1395. VIII.

Im-

Immortalitas animæ miraculis Sanctorum confirmata, *Vid.* Miracula.

Impanatio a Valeranno Medburgenſi Epiſcopo conficta, 1381. XLIII. A Wicleffo & a Luthero propugnata, *ib.* Alia impanatio conficta a pſeudotheologo Pariſienſi, *ibid.*

Impatientia: Ex nimia ferendæ correptionis & acerbitatis Urbani VI. impatientia conflatum ſchiſma a Cardinalibus Gallis, 1378. XXIII.

Imperator: Imperium: Leges editæ a Carolo IV. in Nurembergenſibus conventibus circa creationem Regis Romanorum, 1356. XIV. De vacante electoratu, Cæſar, providet, XXI. Ingredienti Urbem Pontifici Carolus IV. ſtratoris munus exhibet, 1368. VIII. Celebrandorum comitiorum facultas petita a Pontifice pro creando Cæſare, 1376. XIII. Imperium a Carolo IV. vectigalibus ad electores derivatis nudatum, 1376. XVIII. Imperium cum Regno Neapolitano conjungi vetitum, 1381. VIII. Datæ ab Urbano VI. leges ſi Rex Neapolitanus in Cæſarem eligi contigerit, IX.

Impoſtor pſeudoeremita illius a dæmone fingit ſe divinitus accepiſſe Clementem eſſe verum Papam, 1386. IX. Interrogatus de ſigno, ut revelationem probet, provocat ad tolerantiam tormentorum, *ibid.* Impoſitus equleo fatetur eſſe diabolicam ſuggeſtionem, & Urbanum eſſe verum Papam, *ibid.*

Incendium: Deformatæ eo Urbes, 1361. III. Exuſta baſilica Lateranenſis, *ibid.*

Inclementia: Urbanus VI. nimia inclementia & acerbitate Cardinales Gallos in deſperationem ad conflandum ſchiſma adigit, 1378. LV. & 1379. XX. Duos Italos Cardinales nimia acerbitate a ſe ad antipapam transfugientes abalienat, 1386. XI. In Ladiſlaum puerum inclementia Neapolitanum Regnum ſchiſmaticorum & antipapæ furori obiicit, 1387. II. & VII. Nec emiſſo e carcere nepote placari potuit, *ibid.*

Indulgentiarii impoſtores Sacramentum pœnitentiæ prophanant, 1390. II. Vota caſtitatis & peregrinationum ſolvere fingunt, *ib.* Offendunt authoritatem ſedis Apoſtolicæ, *ibid.* Coerceri juſſi a Bonifacio, *ibid.* & III.

Infernus: Cæleſte viſum de ingenti animarum numero, quæ ad inferos præcipites ruunt, 1356. XLII.

Innocentius VI. Pontifex Talayrandum & Nicolaum Cardd. ad Gallum & Anglum conciliandos mittit, 1356. I. Carolum Imp. pacis interpretem adhibet, *ib.* Joannem Regem ad pacis leges amplectendos hortatur, II. & III. Et Eduardum, IV. Calumniam propenſioris in Gallum ſtudii abſtergit, *ibid.* Arguit Joannem Regem de ſævitia in expilandis Gallorum opibus, V. Et a majorum exemplis defeciſſe, VI. Pacis colloquium redintegrari a legatis jubet, VIII. Eduardum Walliæ principem ad clementiam in Joannem Regem bello captum hortatur, *ibid.* De legato honorifice excepto gratias agit, IX. Imperatorem urget, ut ad funeſtiſſimum bellum ſopiendum incumbat, X. *& ſeq.* Ad Brabantinum & Belgam conciliandos Petrum Epiſc. Cameracenſem mittit, XII. Obfringit ſe Innocentio Ungarus ſchiſmaticos finitimos ad Eccleſiæ obſequium ſe compulſurum, XXIV. Ludovicum Regem Ungariæ ſigniferum Eccleſiæ in Raſcios creat, XXVII. Preces indicit pro impetranda prole ipſi Regi Ungariæ, *ibidem.* Eundem corripit ob toleratos in Boſnia hæreticos, XXVIII. Hæreticis & ſchiſmaticis locantes militarem operam percellit anathemate, XXIX. Arguit Ungarum arma contra Venetos diſtrahere, *ibid.* Eundem ſolicitat, ut Eccleſiæ ferat opem contra tyrannos, XXX. Ludovici Regis Neapolitani pro recuperanda Trinacria res promovet, XXXI. De redintegrando bello in Turcas agit, 1356. XXXII. Joannis Palæologi Imp. ad Eccleſiæ obſequium redeuntis, oratores excipit, XXXIII. Ad conjunctionem Eccleſiarum perficiendam ſtimulos addit, XXXIV. Patriarcham Conſtantinopolitanum ad id ſolicitat, *ibidem.* Genuenſes & Aragonum ad pacem redigere annititur, XXXVII. Guillelmum Cardinalem Caſtellano cum Aragone conciliando ſtudere jubet, *ibidem.* Caſtellanum ex adulterii cœno excitare nititur, XXXVIII. Cenſuras eccleſiaſticas pertinaci intentat, XXXIX. Ob ſacerdotalia vectigalia occupata corripit, XL. Cardinalium collegium auget, XLI. Carthuſianos beneficiis afficit, & qua de cauſa, XLII. Ad pacem Gallos inter & Anglos conficiendam incumbit, 1357. I. Eduardum Regem rogat, ut in Saracenos arma convertat, *ibid.* Circumſidetur Avenione a vago prædonum exercitu, III. Caroli Cæſaris implorat auxilium, *ibid.* Gallo Regi mala a ſuis patrata exponit, IV. Rudolphus dux Auſtriæ ſuam illi operam defert, *ibid.* Ludovici Bavari marchionis Brandeburgenſis Eccleſiæ conciliandi Gurcenſi Epiſcopo provinciam imponit, V. Tyrannos Italicos legati opera contundit, VI. Hiſpanos Reges ad pacem ſolicitat, IX. Caſtellanum commonet, ut uxorem recipiat, X. Luſitaniæ Regem ad virtutes principe dignas hortatur, *ib.* Fraticellos inſectatur XII. Delphinum ac Navarræ Regem ad mutuam pacem ſolicitat, 1358. II. Cardinales legatos ad eos conciliandos jubet incumbere, *III.* Religioſorum mendicantium cauſam contra eorum adverſarios tuetur, V. Caroli Alenconii Prædicatorum ordinem ingreſſuri conſtantiam tentari jubet, 1359. I. Guidonem Cardinalem legatum in Hiſpanias mittit, II. Caſtellæ Regem admonet, ut uxorem reſtituat thoro, ex eaque hæredem ſuſcipiat, *ibid.* Taraconenſis Eccleſiæ privilegia inſtaurat, III. Salubribus præceptis inſtruit Ludovicum Siciliæ Regem, IV. Ægidio Cardinali legationem in Regno Neapolitano committit, V. Jubet regni ſtatum componere, *ibid.* De ſubacto Forolivio illi gratulatur, VI. Parcit Ordelaffo tyranno, *ibid.* Ludovicus marchio Brandeburgenſis cum Margareta Carinthiaca ad Innocentii obſequium reverſus, VII. Clerum non cæſarea, ſed pontificia auctoritate coercendum, admonet Carolum Imp. XI. Eccleſiaſticam diſciplinam in Germania inſtaurat, XII. Luxum & haſtiludia prohibet clericis, *ibid.* Solutiores mores aſtringit, *ib.* Monet Imperatorem, ut jus eccleſiaſticum tueatur, *ibid.* Auſtriacum & Goritiæ comitem, ut erepta Aquilejenſi Eccleſiæ jura reſtituant, XIV. Ludovicum Patriarcham, ut SS. Hermagoræ & Fortunati martyrum reliquias ad Gradenſem Eccleſiam referat, *ibid.* B. Petrum Thomam Epiſc. Coronenſem legatum ad coercendas Turcarum graſſationes creat, XVI. Infidelium portubus merces invehi prohibet, *ibid.* Mittit internuntios ad firmandam pacem inter Gallos & Anglos, 1360. I. Eduardum ad implendas pactiones ſtimulat, II. Gallum Regem præceptis ſalutaribus imbuit ad probe adminiſtrandum regnum, IV. *& ſeq.* Bononiam cum Joanne Olegiano pactus recuperat, VI. Adverſus Bernabonem principum arma implorat, *ibid.* Rogat Imperatorem, ut illum compeſcat, *ibid.* Et Regem Ungariæ, *ibid.* & VII. Movente litem Bernabone, pronuntiat Bononiam jure recuperatam, IX. Auri vim ad redimendam pacem Bernaboni ſpondet, *ibid.* Ejuſdem conatus infringit, X. Internuntium mittit ad Genuenſium ducem in pontificia verba adigendum, XI. Petrum Cypri Regem paternis ſceptris ſuccedentem ad regias virtutes hortatur, XIII. Intendi ipſi de regno litem apud ſedem Apoſtolicam ab Hugone Luſiniano ſignificat, XV. Auget Cardinalium numerum, 1361. IV. Religioſam militiam adverſus vagas turmas prædonum indicit, V. Bernabonem judiciaria ſententia percellit, 1362. I. Romani ad illius obſequium redeunt, II. Grimoaldum abbatem legat Neapolim, *ib.* Moritur, & ſepelitur apud Carthuſianos, *ibid.* Sedis illius tempus, *ibid.* Ejus elogium, III. Ut Avenionem muris cinxerit, *ib.* Carthuſianorum monaſterium condiderit, *ibid.* Et collegium pauperum, *ibid.* Literas coluerit, *ibid.* Sontes repreſſerit, *ibid.* De illius morte Cardinalium literæ, *ibid.* Succedit illi dictus Grimoaldus abbas, Urbani V. accepto nomine, VI.

Inſubria conjungi cum regno Neapolitano vetita, 1381. VIII.

Joanna Regina Siciliæ: Ad ejus obſequium Meſſanenſes, Panormitani, Agrigentini, & alii Siciliæ Inſulæ populi redeunt, 1356. LXI. Fridericum Aragonium apud Cataniam ducum opera obſidet, 1357. VIII. Diſſipatus ejus exercitus, *ibid.* Ob ſolutionem cenſus intermiſſam cenſuris devincta, 1359. V. Ad componendum illius regni ſtatum Ægidius Card. Legatus decretus, *ibid.* A Ludovico vidua relinquitur, 1361. II. Author illi eſt Urbanus Papa, ut virum ex Gallica ſtirpe regia accipiat, 1362. X. Repudiato ejus conſilio, Jacobum Balearem accipit, *ibid.* Quæ conventa cum ipſo iniverit, XI. Soluto cenſu, liberata cenſuris, 1363. VIII. Monitus illius vir, ut conventis ſtare velit, *ibid.* Ægidio A. S. L. regnum Rom. Pontificis beneficentia acceptum refert, 1365. X. Monita, ne Palæologum Imperatorem ulla afficiat injuria, 1367. VII. Jacobum virum ex carcere Caſtellano redimit, 1367. XVIII. Urbanum V. Romæ adit, 1368. X. Præſente Cyprio Rege, roſa aurea donata, *ibid.* Attributa a Carolo I. & Carolo II. vectigalia Baſilicæ Vaticanæ confirmat, augetque, 1369. XVI. De reſtituendis Caſſinenſis monaſterii juribus admonita, 1370. XV. Siciliam pontificia beneficentia acceptam Gregorio XI. refert, 1372. IV. Pacem init cum Friderico Trinacrio, & quibus legibus, V. Obſtringit illum vectigalem futurum *ibid.* Profitetur ad ſummi Pontificis ſententiam fœderis leges referendas, *ibid.* Sacramenti a Friderico Joannæ præſtandi formula, XXI. Joannæ ſucceſſorum juri eo fœdere non detrectatum iri decernitur, XXIV. Dictas a Pontifice leges Joanna admittit, XXV. Ludovicus Rex Ungariæ in eam exacerbatus, *ibid.* Intentatum illi a Ludovico Rege Ungariæ de Provincia, Pedemontio, Folkalquerio, principatu Salernitano, & Honore montis S. Angeli judicium, 1374. XVI.

Joanna I. Regina Neapolis: Prædicta triennio ante a S. Catharina Senenſi bella, quibus involvenda foret, 1378. XLII. Schiſmati conflando favet, XLVI. Initio multis officiis Urbanum erat proſecuta, *ibid.* A Nicolao Spinello ipſius oratore in iras efferata eſt, *ibid.* Ad eam mittere S. Catharinam Senenſem, & S. Catharinam Suecam Urbanus VI. deliberat, 1379. XXII. A Raymundo Capuano ab ea mente revocatur, *ibid.* Joannam admonet literis S. Catharina Senenſis, ut ad Urbani obſequium redeat, 1379. XXIII. Prædicit populos ab ejus fide, defecturos, *ibid.* Divinæ iræ illi intentatæ, *ibid.* Decepta Joanna a ſuſurronibus ſpernit S. Catharinæ monita, XXIV. Fugientem antipapam poſt Britones & Vaſcones cæſos honorifice excipit, XXVI. *& ſeq.* Concitata in eam ſeditio Neapoli, *ibid.* Ne ſibi conflaret exitium dimittere antipapam cogitur, *ibid.* Edicta ab Urbano in Reges faventes ſchiſmati lata promulgata in regno Neapolitano, XXVIII. Maſſiliæ excipi jubet antipapam, XXX. Præſefert exoptare Urbani Papæ gratiam damnato ſchiſmate, XXXI. Decernit ad eum oratores, XXXII. Eoſdem revocat poſt adventum ducis Brunſvicenſis, *ibid.* Urbani amicos bonis exuit, *ibid.* Poſtulatur ab Urbano crimine perduellionis, XXXII. Regnum bellis miſcet, *ibid.* Ab eodem exauthorata, 1380. I. *& ſeq.* Raynaldum Urſinum ad capiendum Urbanum immittit, ſed irrito conatu Romanis Urbanum defendentibus II. Neapolitani fidei ſacramento, quo Joannæ obſtricti erant, ſoluti, *ibid.* Apoſtolicæ Sedis partes tueri juſſi, *ibid.* Extracta in Joannam ultio, ut reſipiſceret, III. Ludovicus Hungariæ Rex a S. Catharina Senenſi contra Joannam ſchiſmaticam ſolicitatus, *ibid.* Carolus Dyrrachii princeps in eam miſſus, IV. Juſſi Neapolitani proceres Carolo ſtudere, *ibid.* Margareta Caroli uxor cum filiis Joannæ cuſtodiam fallit, ſeque in arcem munitiſſimam recipit, XXV. Excitatus Carolus contra Joannam, *ibid.* Inſignis Joannæ error in transferendo ad Andegavenſes regno, 1380. XI. Ludov. Andegavenſem cooptat in filium, atque ex antipapæ venia hæredem decernit, *ib.* Ex ejuſdem antipapæ cæſarea jura invadentis venia Provinciæ Pedemontii & Folkalquerii jura hereditaria in eumdem transfundit, *ibid.* Concepit in Urbanum odia, cum ipſi falſo ſuggeſtum eſſet, regno ab Urbano privandam eſſe, XIX. Præviſum illius exitium a S. Catharina, XXVI. Ab ea regnum ad Sedem Apoſtolicam devolutum pronuntiat Urbanus, 1381. I. Transfertur in Carolum Dyrrachinum II. Indictum illi a Carolo bellum, IV. Expeditionis tempus deſignatum, *XXI.* Deficientibus certatim ad Carolum populis S. Catharinæ vaticinium completum, XXIV. & 1382. I. Obſidione cingitur, *ibid.* Otho Brunſvicenſis ejus vir captus, 1381. XXIV. Se dedit Carolo imprudenter, *ibid.* Auxiliares provincialium triremes ſerius applicuere, *ibid.* E ſolio in carcerem conjecta, poſtea ſpolianda vita, quæ falſis ſuſurris ſubornata, ne exueretur regno, ab Urbano rebellarat, *ibid.* Præfocatur Caroli Dyrrachini juſſu, ſeu laqueo ſeu pulvino ori injecto, 1382. I. Ipſius exitii cauſa fuit Ludovicus Andegavenſis, a quo liberari ſperaverat, *ibid.* Ejus corpus octiduo expoſitum, ne quis illius deſiderio rebellaret, *ibid.* Ob ſchiſmatis ſcelus juſto Dei judicio periit, *ibid.*

Joanna II. poſtea Regina Neapolis cenſuris ab Urbano in Ladiſlaum & ipſam latis ſoluta a Bonifacio IX. 1390. X.

Joanna Metles in Anglia ſola Euchariſtia vitam ſuſtentat, 1381. XLIII. *Vide ſimilia exempla in voce* Euchariſtia.

Joannes Cantacuzenus Imp. Conſtantinopolitanus ad conjunctionem eccleſiarum promovendam excitatus, 1367. IX. Profitetur divina attributa ratione tantum diſtingui, XII. Deinde ſcriptis diſtinctionem realem cum hæreticis viſus aſtruere, *ibid.* Thaborium lumen increatum eſſe effutit, *ibid.* Primatum Romanæ Eccleſiæ profitetur, 1375. II. Pro ea veritate defendenda ad mortem obeundam paratum ſe offert, *ibid.* Solicitatur a Gregorio XI. ut conjunctionem eccleſiarum promoveat, III. Commendati illi internuntii Apoſtolici ad Græcos in obſequium Eccleſiæ revocandos, 1374. II.

Jo-

Joannes Palæologus Imp. Conſtantinop. mittit oratores ad Innocentium Papam, 1356. XXXII. Pontificiæ ad eum literæ, XXXIII. Miſſi ad ipſum Apoſtolici internuntii, XXXIV. Socialia in Turcas arma Urbano V. ſpondet, 1364. XXVII. Expoſcit a Pontifice, ut Latinos Græcis arma inferre vetet, *ibid.* Annuit illi Pontifex, *ibid.* Solicitatur ad redintegrandum orientalis cum Romana Eccleſia fœdus, 1365. XXII. & 1366. I. Promiſſa illi ab Urbano Papa Ungarica auxilia, *ibid.* Cyprium ac Sabaudum mari ituros, *ibid.* Proficiſcitur Budam ad Ungarum, IV. Propoſita illi fidei orthodoxæ formula, VI. Liberum commeatum ad conveniendum Pontificem poſcit, VII. Monita Joanna Regina Siciliæ, ne illa eum afficiat injuria, *ibid.* Moniti alii principes, *ibidem*. Ad Urbanum in Italiam venientem legatos mittit, 1367. V. Rediturum ſe ad Eccleſiæ obſequium ſpondet, *ibid.* Ut Gallipolim recuperarit, *ibid.* Romam ad Urbanum accedit, 1369. I. Magnis excipitur honoribus, *ibid.* Promulgat Urbanus, illum eſſe catholicum, II. Fidei formula, quam Palæologus coram Urbano V. Romæ eſt profeſſus, 1369. II. Speratis auxiliis non potitur, 1369. VI. Declarat, illam eſſe catholicam Eccleſiam, cui Pontifex Romanus in occidente præſidet, 1370. I. Græci ad ſchiſma illius exemplo damnandum ſolicitati, II. Commendatur principibus, IV. Permiſſa illi ara ſubductilis, *ibid.* Admonitus a Gregorio XI. ut copias cum Latinis adverſus Amuratem Turcarum principem jungat, 1372. XXIX. Joannem Laſcarim principem ad Gregorium mittit, 1373. I. Claſſem illi ſe ſubmiſſurum ſpondet Pontifex, II. Urgetur ad conjunctionem orientalis Eccleſiæ cum Romana, *ib.* Amuratis ſtipendiarius fit, 1374. IV. Turpe fœdus excuſat, *ib.* Monetur de impendente a Turcis periculo, *ib.* Ne illis liberum aditum in Conſtantinopolitanam urbem permittat, *ibid.* Cogitur ab Amurate ad Andronicum filium obcœcandum, *ibid.* Emanuel Palæologi filius ad redeundum in ſinum Eccleſiæ excitatus, 1375. V. Pherras Amurati fruſtra eripere tentat, *ibid.* Oppreſſus a Turcis in Amuratis obſequium procumbit, *ibid.* Secutus illius caſtra, plures poſtea Chriſtianis clades infert, *ibid.* Monitus Palæologus ne Græcos catholicos a Schiſmaticis vexari patiatur, 1375. IV. Queritur ſe deſertum contra ſpem a Ludovico Ungaro, 1375. VI. Pollicetur, Conſtantinopolitanos, acceptis ab eo auxiliis, ad ſinum Eccleſiæ reverſuros, 1375. VII.

Joannes Rex Francorum monitus ab Innoc. VI. ut pacis conſilia cum Anglo amplectatur, 1356. II. Propoſita illi pacis commoda, & bellorum mala, *ibid.* Condolendum afflictæ plebi, III. Sævitiam in ſuos ad exugendas eorum opes exercet, V. Sceleris admonitus a Pontifice, *ibid.* A Navarræ Regis affinibus bello appetitur, VII. Vincendi patientia illi deeſt, *ibid.* Legatum apoſtolicum faceſſere arroganter jubet. *ib.* Fuſus ab Eduardo juniore captuſque, *ib.* Aſcripta divinæ vindictæ illius clades *ibid.* Anglus in eum clementia utitur, *ibid.* Burdegalam abducitur in vincula, VIII. Concordiæ ſpecie deluſus ex Burdegalenſi carcere in Anglicum avehitur, 1357. I. Duo Cardinales pro eo liberando deſudant, *ibidem*. Gallorum diſſenſiones illi nocent, III. Monetur ab Innocentio Papa ut vagæ palanteſque Gallorum turmæ univerſa depaſcant, IV. Ejus filius regiam coronam ſuſcipit, 1359. I. Pacem Euchariſtiæ admota manu, jurat, 1360. III. Gratulatur illi Pontifex de confecta pace, IV. Excitat ad regnum probe temperandum, V. Anglico carcere liberatur, VII. Convenit Urbanum V. apud Avenionem, 1362. X. Poſcit, ut Philippus filius Joannæ Reginæ Siciliæ nubat, *ibid.* Favet Urbanus, ſed Joanna Jacobum Balearem præfert, *ibid.* De Bernabone in Sedis Apoſtolicæ gratiam reſtituendo agit, XII. Bello ſacro ſe devovet, 1363. XV. Crucis ſymbolum accipit, *ibid.* Dux cruceſignatorum creatus, proximo biennio ſe transfretaturum ſpondet, *ibid.* Decretum, ut Cyprius Rex illi præiret, *ibid.* Concordiæ interpretem agit Pontificem inter ac Bernabonem, 1364. III. De Burgundia cum Navarræ Rege certat, XV. In Angliam pergit ad liberandos obſides, 1364. XVI. Moritur, ſucceditque illi Carolus filius natu maximus, *ibid.*

Joannes e Vico tyrannus reconciliatus Gregorio XI. 1378. I.

Joannes Gradenicus cum Pontifice armorum fœdus in Turcas inſtaurat, 1356. XXXII.

Joannes Olegianus Bononiam Eccleſiæ reſtituit accepta Firmana præfectura, 1356. XXX. & 1360. VI.

Joannes de Blandiacho Epiſc. Nemauſenſis creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

B. Joannes Columbinus Urbano in Italiam venienti obvius occurrit, 1367. IV. Jeſu nomen ab eo & ſodalibus inclamari ſolitum, *ib.* Illius mors, *ibid.*

Joannes tit. SS. IV. Coronatorum presbyter Card. cum Simone tit. S. Sixti a Gregorio XI. legatus ad pacem Anglicam conficiendam, 1371. I. Fruſtra deſudat, II.

Joannes, Fabri creatus Card. a Greg. XI. 1371. X.

Joannes de Turre creatus Card. a Greg. XI. 1371. X.

Joannes de Groſſo creatus Card. a Greg. XI. 1371. X.

Joannes Epiſc. Tauriſienſis cum Cantacuzeno diſputans ad profitendum Romanæ Eccleſiæ primatum eum adducit, 1375. II.

Joannes e Grangia creatus Cardinalis a Gregorio XI. 1375. XXXI.

Joannes e Buxeria creatus Card. ad Greg. XI. 1375. XXXI.

Joannes dux Lancaſtriæ Wicleffum tegit ſua clientela, 1377. V.

Joannes tit. S. Marcelli Cardinalis Ambianenſis, ab Etruſca legatione reverſus Urbanum adorat, 1378. XX. Correptus ab Urbano in eum iras implacabiles concipit, XLV. Schiſmatis magnus author extitit, *ibid.* Decretoria ſententia defixus ab Urbano, ut magnus ſchiſmatis artifex, CV. Una cum Geraldo majoris monaſterii & Roberto illud conflavit, *ib.*

Joannes e Lignano fit certior a Petro e Luna electionem Urbani concordem fuiſſe, 1378. XXX. Prænunciat Cardinalium dolos in conflando ſchiſmate orbi Chriſtiano in ludibrium & publicum odium verſum iri, *ibid.* Ex themate a Petro e Luna & aliis Gallis tranſmiſſo demonſtrat electionem Urbani valere, XXXI. Subſtantialia & ſolemnia in ea fuiſſe adhibita, *ibid.* Non probata impreſſione actum electionis liberum præſumendum, *ibid.* Non fuiſſe metum cadentem in conſtantem neque jure ſuffultum, XXXII. Et ſi præceſſiſſet metus in actu electionis, libertatem non defuiſſe, *ibid.* Probari id ex duabus electionibus fuiſſe alteram liberam, alteram coactam, *ibid.* Additam conteſtationem, ut eſſet verus Papa, probare liberam electionem, *ibid.* Tam potuiſſe addere ut non verus, vel ex metu foret, *ibid.* Potuiſſe præmitti de vi illata conteſtationem, *ibid.* Repetitam fuiſſe Urbani electionem ſedato tumultu, *ibid.* Si prima fuiſſet



irrita, ſecundam valere, *ibid.* Suffeciſſe vim inferentibus primam electionem, *ibid.* In ſecunda electione cuilibet fuiſſe liberum velle, vel non velle, *ibid.* Si qua vis fuerit in prima electione a ſecunda purgatam, *ibid.* A vi ſubſequente labefactari non poſſe, *ibid.* Confirmari id ex libero actu coronationis ſine vi, ſine metu peracto, XXXIII. Non potuiſſe coronari niſi electum canonice, ergo Cardinales voluiſſe Urbanum canonice eligere, *ibid.* Reſpondet ad præcipuum Cardinalium argumentum obiicientium non fuiſſe veram coronationem ſi non fuerit vera electio, 1378. XXXIV. Veram ex circumſtantiis electionem fuiſſe, ergo veram coronationem, *ibid.* Actus poſt coronationem conſequutos non fuiſſe extortos, *ibid.* Non metu a Cardinalibus poſtulata ſacerdotia, *ibid.* Oſtienſem non promotum metu Romanorum, *ibid.* Obiicientibus Cardinalibus hæc errore facta, reſpondet, *ibid.* Non erratum demonſtrat, cum ſecunda electio priorem purgaverit, *ibid.* Libertatem præcedentis electionis ex conſecuta recognitione illuſtrari, XXXV. In foro exteriori Urbano ſtandum, *ibid.* Qualis interna Cardinalium, dum eligerent, voluntas foret a nemine inſpici poſſe, *ibid.* Sapiens Lignani reſponſum a Petro e Luna & aliis Cardinalibus ſpretum, XXXV. Joannes e Lignano ſecundum tractatum edit pro Urbano VI. *In append.* I. Expedit an Cardinalibus credendum ſit adverſus Urbanum, *ibid.* An promulgatio de impreſſione populari fuerit canonica, *ibid.* An procedere potuerint ad novam electionem, *ibid.* Exponuntur ſchiſmaticorum argumenta, *ibid.* *uſque ad* X. Proponit argumenta contraria adverſus apoſtaſiam Cardinalium, *ibid.* Deſcribuntur eorum ſtudia & mores, *ibid.* Cur non ſit iis credendum, XI. Judiciarium ordinem exercere non potuerunt, *ibid.* Is ſpectabat ad concilium, *ibid.* Caret auctoritate eorum narratio, *ibid.* Præcipuum eorum argumetum expenditur, XVI. Refellitur, *ibid.* Demonſtrat ipſos pervertiſſe omnem judiciorum ordinem, XXIV. *& ſeq.* Per tyrannidem omnia officia judicum, teſtium, partis, & advocatorum uſurpaſſe, XXVIII. Expendit an ſit credendum Cardinalibus, & demonſtrat non credendum, XXX. Fama qua nituntur ab ipſis in hoſtes converſis fuit inducta, XXXI. Veram narrationem rei geſtæ exponit, XXXIII. Probat electionem veram ex conſtitutionibus pontificiis, XL. Expendit, an ſolis Cardinalibus fides ſit adhibenda, XLII. Demonſtrat nec ſolis adhibendam, neque illis ut adverſariis, XLIII. Oſtendit illos teſtari de iis, de quibus nemo teſtari queat, XLVI. An ſit electus metu Urbanus, nullum Cardinalem de alio teſtari poſſe, *ibid.* Licet eſſet vera, quæ narrant, ſtare Urbani electionem oſtendit, XLVII. De interiore actu, an voluerint eligere, judicare non poteſt Eccleſia, XLVII. Revincuntur propriis verbis, ipſos voluiſſe eligere Urbanum, XLVIII. Si ex metu elegere, cur iterum elegere, L. In ſecunda electione apertiſſimam expreſſionem voluntatis patere demonſtrat, LI. Si noluerunt eligere, cur coronaverunt, LIII. Cur ſcripſere principibus? LIV. Cur interfuere, conſiſtoriis, *ibid.* Allegatione metus conſcientiam non placari concludit, LV.

Joannes Wiclef judicum ſeveritatem ſubdola errorum interpretatione eludit, 1378. CXVI. Proponit ex Pontificis nutu errores ſuos emendaturum, *ibid.* Urbanum VI. verum Chriſti vicarium agnoſcit, *ibid.* Exultat de ſchiſmate tamquam per illud Eccleſia evertenda ſit, CXVIII. Idem blaſphemus Pontificem antichriſtum appellat, cui ſe ſubiicere erat profeſſus, *ibid.* Horrendæ ejus blaſphemæ voces, *ibid.* Adverſus univerſos Eccleſiæ ordines debacchatur, *ibid.* Quidlibet dicit eſſe Deum inſana hæc bellua, *ibid.* Negat Divinam Omnipotentiam, *ibid.* Sacramenta tollit, *ibid.* Ejus hæreſes damnatæ in Oxonienſi academia, 1380. XXI. A Papa ad Regem provocare molitur, *ibid.* Regio deſtitutus patrocinio in molliorem interpretationem errores flectit, *ibid.* Atheus potius quam hæreſiarcha extitit, Quamlibet creaturam Deum dixit, *ibid.* Æternitatem mundi cum Apulejo aſſeruit, *ibid.* Omnipotentiam Deo ademit cum Petro Abellardo, nec creari alia poſſe quam quæ creata ſint, *ibid.* Invidiæ crimine Deum blaſphemus perſtringit, ſi mundum perfectiorem creare potuerit, & non crearit, II. Negavit Deum redigere poſſe in nihilum creaturas, *ibid.* Libertatem Deo, angelis, & hominibus ademit, induxitque fatuum veterum fatum, *ibid.* Ex divina præſcientia, quam objecti operatricem eſſe ſanxit, collegit male abſolutam neceſſitatem, *ibid.* Duas in homine finxit animas, XXIII. Separatam animam dixit eſſe completum hominem, *ibid.* Negavit, cum Manete carnem a Verbo aſſumptam, *ibid.* Humanitatem a Verbo ſeparatam cultu latriæ adorandam contendit, *ibid.* Senſit male de gratia cum Pelagio, *ibid.* Immerito cultus a recentioribus Novatoribus, *ibid.* Cantuarienſis Archiepiſcopus in eo plectendo ſegnior ſegnitiem cruore luit, *ibid.* Non minus politicum ordinem, quam ſacrum evertere voluit Wiclef, 1381. XXXVIII. Ad conciliandam plebeculam omnia debere eſſe communia aſſeruit, *ibid.* Principes & magiſtratus interdum damnavit, interdum negavit a Deo eſſe inſtitutos, *ibid.* Mutavit pro commodo ſua dogmata, *ibid.* Peſtiferi illius doctrinæ fructus, XL. Hierarchiam eccleſiaſticam molitus confundere, 1381. XLI. Berengarianam hæreſim adverſus Euchariſtiam inſtauravit, XLII. In ſuis dogmatibus inſtabilis modo Chriſtum impanatum, modo in Signo tantum eſſe effudit, XLIII. Inepta Wicleffi argutia, *ibid* Contra Chriſti oracula provocavit ad ſenſum, XLIV. Miraculis ſenſu perceptis convictus, *ibid.* Suos ut juſtos commendavit, catholicos ut impios damnavit, *ibid.* Tentat Angliæ proceres politicis argutiis corrumpere, 1382. XXIX. Inſuſurrat ut Pontificis & Epiſcoporum jugum excutiatur, *ibid.* Nulla pendenda ſtipendia pro diplomatibus pontificiis contendit ſolvendaſve annatas, XXX. Præſules non Pontifici, ſed Regi Subditos effutiit, *ib.* Jactavit eccleſiaſticos regni proditores eſſe, Eccleſiam altis immerſam tenebris ſe & ſuos vera luce colluſtrari, *ibidem*. Regem populumque ad rapinam eccleſiaſticarum opum ſolicitavit, *ibidem*. Eccleſiaſticos regia procuratione ſubmovendos diſceptavit, *ibidem*. Neminem puniendum propter contemptum anathema, *ibid.* Ejus propoſitiones in Londinenſibus comitiis repudiatæ, XXXI. Horrendæ aliæ ejuſdem hæreſes in Euchariſtiam, *ibid.* Negat quempiam peccato lethali devinctum vel ſacerdotium, vel ſceptrum vel magiſtratum quempiam gerere poſſe, *ibid.* Populum concitando adverſus clericos ſcortatores plures decipit, XXXII. Fingit ſacramenta non poſſe confici vel adminiſtrari a peccatore ſacerdote, *ibid.* Damnavit horas canonicas, XXXIV. Aſſerendæ libertatis ſpecie omnia ſacra convulſit, *ibid.* Poſt ſimulatam auſteriorem vitam, libertatem ſcortorum induxit, XXXV. In judicium vocatus damnat hæreſim, XXXVIII. Terræmotum, qui tunc accidit, pro ſuæ cauſæ patrocinio divinitus concitatum fingit, *ibid.*

*ibid.* Iterum in Oxonienſi academia damnat hæreſim, XXXIX. Iterum relapſus in ſpæleis vel abditis locis poſt hæc hæreſes ſuis inſtillat, XLI. Iconomachiam induxit, 1383. XI. Dum blaſphemas hæreſes evomere pro concione meditatur; divina ultione percellitur, 1384. VIII. Morti proximus de animæ ſuæ ſalute deſperat; *ibid.* Declamare ſolitus in S. Thomam Archiep. & S. Silveſtrum Pontificem iis diebus eorum memoriæ ſacris divinam iram prægustavit; *ibid.* Traditionibus Eccleſiæ philoſophicas nænias oppoſuerat, IX. Sanctorum Patrum dicta auſus impudenter corrumpere; *ibid.* Scripturam ſacram hæretico ſenſu profanatam venditabat, X. Jactabat; ſe non admittere decreta Eccleſiæ; ſed divina oracula, *ibid.* Provocavit ad divinas revelationes fictas, XI. Negavit Baptiſmi neceſſitatem; *ibid.* Et Eccleſiam viſibilem, *ibid.* Effutiit S. Petrum numquam fuiſſe Romæ, XII. Sacerdotium mulieribus & mulieres ſacerdotibus tradidit, *ibid.* Ejus ſcripta Richardi Regis juſſu cremata, 1388. XII. Significatur dracone ardenti qui viſus eſt in pluribus Angliæ locis, XII. Wicleffi octodecim articuli damnati in Londinenſi ſynodo celebrata a Thoma Arundelio, 1396. IX. Willelmus Windefordus adverſus Wicleffi ſophiſmata ſcribit commentarium, *ibid.* Improbata ejus hæreſis, quod panis maneat poſt conſecrationem, XI. & *ſeq.* Mentitur impudentiſſime Eccleſiam Romanam ſanxiſſe Corpus Chriſti non eſſe realiter in Euchariſtia, XII. Baptiſmum parvulorum impugnat, XII. Et adultorum, *ibid.* Conferri poſſe a ſimplicibus ſacerdotibus confirmationem ſomniat, *ibid.* Sacerdotes tantum & diaconos, rejectis reliquis ordinibus, admittit, XII. Ejuſdem blaſphemiæ in monaſticum & eccleſiaſticum ordines, *ibid.* Inepta ejuſdem ſophiſmata adverſus monachos *ibid.* Eccleſiaſticos cenſus ineptis paralogiſmis tollit, XIII. Waldionis Lugdunenſis hæreſim de renuntiatione colit; *ibid.* Chriſtianos omnes ad mendicitatem redigit; *ibid.* Latrocinia imperat pietatis ſpecie XIV. Sacramentum extremæ unctionis oppugnat, *ibid.* Evertit eccleſiaſticam hierarchiam; *ibid.* Suos inſtigat ad rapinam catholicorum, *ib.* Omnia fato fieri ſomniat, *ibid.* Id tantum credendum quod nitide continetur in ſcriptura ſacra, XV. Exuſti ejus libri in quibus contentæ trecentæ hæreſes, XVII.

Joannes e Rupeſciſſa divinitus de ſchiſmate imminente edoctus, 1379. XII. Prædicta ab eo Genuenſium & Venetorum crudelia, & exitioſa bella vacante ſede, *ibid.* Prædictus etiam ſchiſmatis conflandi modus per Cardinalis Ambianenſis ſuggeſtiones, & Roberti Gebennenſis ambitionem; qui Cardinales alios ſeducturi erant; *ibid.*

Joannes Brydlinctonienſis Anglus canonicus regularis maximis miraculis illuſtris obit, 1379. LV. Illius in exorando divino numine fervor admirandus, *ibid.* Poſt mortem pluribus magniſque a Deo illuſtratus miraculis, *ib.* & 1389. XVIII.

Joannes Urſinus ob Joannæ Reginæ partes adverſus Urbanum ſuſceptas decretoria ſententia damnatus, 1380. I.

Joannes Britanniæ comes gravi bello preſſus a Gallis ſchiſmaticis quod Urbanum coleret, 1380. IX. Se conjungit Anglis, *ibid.* Edoctus fuerat ab ipſis Cardinalibus de juſta Urbani electione, *ibid.*

Joannes Rex Caſtellæ celebrat in Caſtella conciliabulum, 1381. XXIX. Ferendæ in ſchiſmatis cauſa ſententiæ auctoritatem ſpectantem ad concilium œcumenicum ſibi arrogat, *ibid.* Corruptus a Gallis politicis fert ſententiam pro antipapa, *ibid.* & *ſeq.* Tempeſtate divinitus immiſſa prohibitus ne in Minoritarum templo eam promulget, XXXI. Schiſma auget confirmatque, XXXII. Deflexit ab æquitate ob privata commoda, *ibid.* Conſuluit Rodericum Robicium prophetiæ dono clarum, ſed reſponſum non expectavit, *ibid.* Prædicta illi divina ultio, *ibid.* Ejus conventa cum antipapa XXXIII. Urbani in eum ſententia, 1382. XII. Objectum illi agnoviſſe primum Urbanum Pontificem, XIV. Dein ab eo defeciſſe quaſi neutri ſtuderet, *ibid.* Compuliſſe catholicos ut fierent acephali, *ibid.* Eccleſias & earum bona ſchiſmaticis tradidiſſe, *ibid.* Garrulitate blaſphema ſeductum ſeduxiſſe alios, XV. Præſules ad obſequium antipapæ adegiſſe, XV. Dicta illi dies, ut de criminibus reſpondeat, XVI. Non comparens in judicio ſchiſmatis & hæreſeos damnatur, XVII. Regnorum jure exauctoratur, *ibid.* Notatur infamia, *ibid.* Libertate, & bonis, & fidelium commercio mulctatur, *ibid.* Juſſi Caſtellani ad eum comprehendendum inſurgere, XVIII. Soluti fidei ſacramento, XIX. Perculſi anathemate, qui illi paruerint, *ibid.* Indicta in eum cruceſignata militia, XX. Eum diebus feſtis reum anathematis promulgari, & regnorum jure exauctoratum jubet Pontifex, *ibid.* Joannes dux Leceſtriæ in eum ſolicitatus, XXII. Schiſmatis odio Luſitaniæ regno privatur, XVI. Ex equo lapſus cervices poſtea fregit, *ibid.* Ejus expeditio ad Luſitaniam Caſtellæ conjungendam, 1383. VI. Uliſſiponem obſidet ac fugatur amiſſo exercitu, *ibid.* Ob ſchiſma Luſitaniæ regno non potitur, *ibid.* In eum Urbanus creat Joannem ducem Leyceſtriæ vexilliferum Romanæ Eccleſiæ ad ipſum Caſtellæ regno deturbandum, VII. Luſitaniam invadit Joannes, 1385. X. A catholicis magna clade cæſus, *ibid.* Non obſcuræ fuere divinæ ultionis cauſæ, XI. Ingenti bello petitus a Joanne Leceſtriæ duce & a Luſitano Rege, 1386. XIV. Nonnullis præliis fuſus commeatuum inopia Anglos premit, XV. Cum hoſte concordiam redintegrat, *ibid.* Luſitanos ſibi conciliare fruſtra tentat, 1390. XX. Equo in terram alliſus infeliciter, ac repente perit, *ibid.* Monitus a pio eremita fuerat ut tollendo ſchiſmati operam navaret, illum in carcerem conjecit, *ibid.* Ejus mors oſtenſa divinitus eidem eremitæ in carcere, *ibid.* Succedit illi in Regno Henricus, *ibid.*

Joannes Rex Aragonum in ſchiſmatis controverſia auctoritatem ad concilium ſpectantem ſibi arrogat, 1387. X. Fert ſententiam contra Urbanum pro antipapa, *ibidem.* Uſurpatas obventionum Eccleſiaſticarum primitias nuncupato ſolemni ſacramento reſtituit Ecclecleſiis, 1391. XII. Schiſmatis pœnas luit fractis cervicibus, cum ex equo in terram dejectus eſſet, 1395. XIX. Succedit illi Martinus frater in regno, *ibid.*

Joannes Baleus Wicleffiſticæ hæreſeos propagator in decimas & oblationes declamat, 1381. XXXIX. Plebem ad delendam nobilitatem concitat, *ibid.* Perſuadet ſublatis magiſtratibus omnes æqua libertate potituros, *ibid.* Affectat Archiepiſcopatum Cantuarienſem, *ibid.* Illius ſpes mutatæ ſupplicio, XL.

Joannes Aſthon Wicleffiſta judicio poſtulatus in Synodo Londinenſi inſurgit convitiis in Archiepiſcopum Cantuarienſem, 1382. XXXVIII. Iterum Oxonii vocatus in judicium, XXXIX. Iterum relapſus, XL. Ejus ſcripta a Richardo Rege comburi juſſa, 1388. XII.

Joannes Rex Luſitaniæ adverſus Joannem Regem Caſtellæ poſt Ferdinandi Regis mortem ad ſceptrum vocatus, 1383. VI. Caſtellanum Oliſiponenſi obſidione depellit funditque ejus exercitum, *ibid.* Plus nocuit Caſtellano ſchiſmatis labes quam Luſitano natalium vitio pro capeſſendo ſceptro, *ibid.* & VIII. Iterum a Joanne Rege, Caſtellanorum Gallorumque copiis florentiſſimis ſuccincto invaditur, 1385. X. Non ſine divina vi cum exiguis copiis eum fundit, *ibid.* Jungit arma cum Leceſtriæ duce adverſus Caſtellæ Regem & auxiliares Gallos, 1386. XIV. Pacem componit cum Henrico Rege Caſtellæ, 1393. VI.

Joannes dux Leceſtriæ ab Urbano ad deturbandum regno Joannem Caſtellæ Regem creatus vexillifer Romanæ Eccleſiæ, 1383. VII. Plures ſacræ prærogativæ illius ſigna ſecuturis propoſitæ, VIII. Exercitum in expeditionem ducit in Caſtellam, 1386. XIV. Victorias pluribus præliis refert, ſed regno potiri nequit, *ibid.* Commeatuum inopia laborans concordiam cum Caſtellano redintegrat, *ibid.*

Joannes Galeatius Vicecomes Bernabonem ducem Mediolanenſem prodit, 1385. XII. Veneno perimit, *ibid.* Auctus principatu regiam dignitatem affectat, *ibid.* Patavium & Veronam occupat. *ibid.* In Urbanum odia concipit ob denegatos ſibi regios titulos, *ibid.* & 1386. XI. Coram ſe a Pileo transfuga Cardinalitium Pileum ab Urbano acceptum exuri impie patitur, *ibid.* Scaligeros Veronenſi principatu pellit, 1387. XIII. Carrarienſes fœderatos, occupata Vicentia, decipit, *ibid.* Partitur cum Venetis Carrarienſium principatum Patavinum, 1388. V. Bononiam & Etruriam affectat, 1391. XIV. In eum arma jungunt Etruſci & Æmilii, *ibid.* Ducales apices a Wenceſlai Cæſaris oratoribus accipit, 1395. XIX.

Joannes e Monteſono ordinis Prædic. oppugnat Virginis conceptionem immaculatam, 1387. XIV. Scribit adverſus antipapam & anticardinales, 1389. XV. Fideles non teneri ad fidem iis adhibendam demonſtrat, *ibid.* Electo Urbano alium eligere non debuiſſe, XVI. Scribit correptorium adverſus fundamentum ſchiſmatis, XVII. Cardinales non potuiſſe eſſe judices, *ibid.* Indigniſſimos eſſe fide, *ibid.* Scribit in ſchiſmaticos novum commentarium, 1391. XXIV. Objicit Cardinales deliberaſſe an conflandum eſſet ſchiſma, & perdite conflandum cenſuiſſe, *ibid.* Divinæ in Schiſmaticos principes ultionis exempla recenſet, XXV. Non credendum Cardinalibus profitentibus ſe impoſtores fuiſſe demonſtrat, XXVI. Concludit dirimendam litem in concilio œcumenico, *ibid.*

Joannes dux Burgundiæ & Belgii comes tum Reges tum Leodienſes ad antipapam traducere tentat, 1390. XIX. Monetur Cardinales ſine judicio non potuiſſe deficere, *ib.* Ita nullas Epiſcoporum vel principum electiones firmas futuras, *ibid.* Antuerpienſes & Morinos trahit in ſchiſma, 1391. IV. Plures Sacerdotes catholici contrucidati a ſchiſmaticis, quibus ille favebat, *ibid.*

Joannes Windefordus ſcribit pro concilio Londinenſi adverſus Wicleffum, 1396. X.

Joannes Guterius Epiſcopus Aquenſis a Bonifacio IX. Miſſus in Hiſpanias legatus pro Hiſpanis a ſchiſmate revocandis, 1391. I. & *ſeq.*

Joannes Thomacellus ſubmiſſus in auxilium Ladiſlai a Bonifacio IX. 1392. I.

Joannes e Vico in Bonifacii IX. fidem & poteſtatem revocatus, 1393. II. Cum defeciſſet iterum in gratiam admiſſus, 1396. XX.

Joannes Dominici ordinis Prædicatorum miſſus a Bonifacio IX. ad reprimendas Turcicas graſſationes, 1394. XXIV.

Joannes Sagus pſeudopropheta pollicens victorias de Mauris ſimplices ad lanienam adducit, 1394. XXVI.

Joannes Azo ordinis Prædicatorum pro antipapa Petro e Luna viam ceſſionis detrectante, ſcribit, 1395. XII. Negat impie Petrum e Luna, quod ſe Papam eſſe diceret, habere judicem, XIII.

Jordanus Urſinus ad Urbanum deſerto antipapa reverſus, 1378. XXXI.

Iſabella Montis ferrati Marchioniſſa Balearici regni jura in Ludovicum Andegavenſem tranſfert, 1376. XIX.

Jubileus annus: Anno quinquageſimo indictus a Clemente VI. Chriſti id revelantis S. Birgittæ imperio, 1379. VIII. Ab Urbano VI. a quinquageſimo anno ad trigeſimum tertium redactus, 1389. I. Inſtituti ratio ab annorum Chriſti numero ducta, *ibid.* Redactus a Paulo II. ad breviorem annorum periodum ob fugacem hominum vitam, *ibid.* Celebratur a Bonifacio IX. 1390. I.

Judæi Bruxellæ ſacram Euchariſtiam cultris confodiunt, 1379. LIX. Illa cruore manat, & pluribus coruſcat miraculis, *ibid.* Ex variis partibus in Italiam ad Chriſtum profitendum confluunt, 1388. X. Seditione populari trucidati, 1391. XXVIII.

Juramentum: Juramenti a Ladiſlao Rege nuncupati formula, 1390. XII.

Juſtitiæ Divinæ exempla: Henricus Caſtellæ Rex ob non ejectum Petrum e Luna ſchiſmatis propagatorem morte divinitus percuſſus, 1379. VII. Exemplum intentatæ juſſu Dei minæ Clementi VI. ni ſedem Romam reducat, VIII. Intentata mors Urbano V. redituro Avenionem, IX. §. *Tranſactis.* Morbo ibi oppreſſus pœnituit eum reditus, *ibid.* Gregorius XI. cum Avenionem repetere meditaretur extinctus eſt, *ibid.* & II. Divina in Petrum Aragonum Regem ob ſchiſma vindicta, XLVII. Et in Carolum Francorum Regem, 1380. IX. In Joannam Siciliæ Reginam, 1382. I. Divina in ſacrilegum blaſphemum ultio, 1383. X. Et in ſacrilegum Euchariſtiam indigne ſumentem, 1384. I. In Carolum Siciliæ Regem, 1386. I. In milites ſacrilegos Euchariſtiam indigne attrectantes, 1386. VII. In Petrum Aragonum Regem vexantem eccleſiam Tarraconenſem, 1387. X. Et in Wicleffiſtam Euchariſtiam deridentem, 1389. XXII. In Germanos qui Suecos crudeliſſime trucidarant, *ibid.* Divinæ ultionis exempla in Reges ac principes Pontificis hoſtes, 1391. XXV. Carolus VI. Rex Francorum cum ad evertendum Pontificem cum antipapa conjuraſſet mania percuſſus, 1392. VII. Robertus Gebennenſis antipapa preſſus undique anguſtiis ex iræ & doloris magnitudine apoplexia moritur, 1394. IV. Divinæ vindictæ exemplum in Urbani nepotes, 1395. XVI. Joannes Rex Aragonum ob latam in Pontificem pro antipapa ſententiam cervices ſibi frangit, 1395. XIX.

Juſtorum hominum mors, *Vid.* Mors pia Juſtorum.

## K

KEiſtutus Lithuanorum dux in acie captus, 1360. XII. Redditis ab eo captivis Chriſtianis, liberatur, *ibid.* Profligatus, 1370. XXVII.

## L

LAdiſlaus Caroli III. Regis filius poſtea Rex Neapolitanus una cum matre Joannæ cuſtodia lapſus, 1380. IV. Servatus a matre ne

ne a patre proditione cædendo abduceretur in Pannoniam, 1385. IX. Cæſo patre Carolo Neapolitani ejus matri urbis imperium adimunt, II. Neapoli a factione Andegavenſi pulſus, 1387. I. Cajetam profugit, *ibid.* Urbanus Neapolitanum regnum illi eripere tentat, III. Nimia in eundem Urbani inclementia Neapolitanæ cladis cauſa, VII. Flectere illum nequit ad miſericordiam, *ibid.* Achajæ ad eum devolutis juribus ſpoliatur ab Urbano, VIII. Et Calabria, 1388. VI. Cenſuris & pœnis, quibus ab Urbano affectus erat Bonifacii IX. indulgentia ſolvitur, 1390. X. Reſtituta illi priſtina in regnum Neapolitanum jura, *ibid.* Cardinalis Acciajolus ad regia illi conferenda ornamenta miſſus, XI. Regnum Neapolitanum pontificiæ beneficientiæ acceptum refert publicis literis, *ibid.* Ex pontificiis ſanctionibus inſectaturum ſe ſchiſmaticos ſpondet, ni paruerit, regnum ad Romanam Eccleſiam devolutum iri paciſcitur, XIV. Anathematis pœnam, ſi promiſſa violarit, admittit, XV. Tentatur veneno ab Archiepiſcopo Arelatenſi, XVI. In eum Ludovicus Andegavenſis expeditionem conficit, XVII. Arces ovi & S. Hermi amittit, *ibid.* Copiis ſtipendiiſque juvatur a Bonifacio Papa, *ibidem*. Solicitati Trinacriæ proceres ad revocandam in illius fidem Neapolim, 1391. XII. Dyrrachium illi ereptum a Georgio cive Dyrrachino, 1391. XXVII. Joannes Thomacellus in Ladiſlai opem ſubmiſſus a Bonifacio, 1392. VII. Sacra militia pro eo adverſus Ludovicum Andegavenſem a Bonifacio promulgata, XX. Averſam & Capuam recuperat, 1395. XVI. Sorano comitatu donat Bonifacii nepotes, *ib.* Neapolim fruſtra tentat, *ibid.* Fert opem periclitanti Bonifacio Pontifici, XVII. Ab eo corona redimitus, *ibid.*

Ladiſlaus dux Opulienſis: Ad illius preces, epiſcopatus in Ruſſia inſtituti, 1375. XXVIII.

Lætitia ſpiritualis carnalem longe ſuperat exemplum in S. Catharina Senenſi cujus cor præ lætitia ſaliebat, 1380. XXVI.

Lando comes ſocialium turmarum rapto viventium dux, 1357. VI.

Landulphus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus creatus, 1381. XXVI.

Lasko princeps Moldaviæ ad Eccleſiæ catholicæ ſinum ſe confert, 1370. VII. & 1372. XXXII. Epiſcopatum in Cerecenſi oppido condi flagitat, 1370. VI.

Lateranenſis Baſilica crematur, 1361. III.

Latiſlaus Valachiæ princeps ad fidem orthodoxam amplectendam ſolicitatus, 1370. VI. Contra Turcas ſtrenue decertat, *ibid.*

Latronum exercitus: *Vid.* Prædonum ſociales turmæ.

Laurentius Celſus dux Venetorum rogatus ab Urbano V. ut pacem cum Patavino iniret, 1363. VI. Utque claſſem ad tranſportandos in Aſiam crucesignatos pareret, XXIII. De Cretentibus perdomitis gratulatur ipſi Pontifex, IX.

Lemovicenſes Cardinales patria Lemovicenſem Pontificem exambiunt, 1378. II. Robertus, Gebennenſis cum ſua factione iis adverſatur, *ib.*

Leo Armeniæ Rex novem menſibus obſidione preſſus ad mures & alia fœda edenda coactus Saracenis ſe dedit, 1381. XLIX. Abductus in ſervitutem annis quinque tentus ab hoſtibus, *ibid.* Opem ab antipapa poſcit, *ibid.* Accedit ad Urbanum liberatus e carcere, 1383. X. Gallos & Anglos conciliare ad vertenda in Saracenos arma tentat, 1386. XV.

Leodienſes tentantur a Joanne Burgundiæ & Belgii principe ut deficiant ad antipapam, 1390. XIX. Reſpondent Cardinales ab eo quem in pontificatus poſſeſſionem induxere teſte Univerſa Eccleſia ſine Eccleſiæ judicio deficere non poſſe, *ibid.* Si valeant eorum acta, nullas Epiſcoporum vel principum electiones firmas futuras, *ibid.* Si quid ſimili canonici audeant omnium ludibriis proſciſſum iri, *ibidem*.

Leonardus e Giffono Minoritarum præfectus Cardinalatum ab Urbano recipit, 1378. CIV. Reſpuit oblatum, admittit oblatum ab antipapa, CXV.

Leopoldus dux Auſtriæ Schiſmaticus Helvetios bello tentat opprimere, 1386. VIII. In prælio cæſus ingenti ſuorum clade, *ibid.* Ejus necem ulciſci parat Albertus frater, *ibid.*

Leudimirenſis Epiſcopatus inſtitutus in Ruſſia, 1375. XXVIII.

Liberalitas Petri: Regis Luſitaniæ inſignis vox, 1367. XIX.

Libertas: in quo conſiſtat libertas actus voluntatis, *in tract. Jo: e Lignano in appendice poſito*, XIX. Voluntas poteſt admittere, vel reſpuere aſſenſum, vel diſſenſum, vel utrumque ſuſpendere, *ibid.* Actus primi complacentiæ, vel diſplicentiæ non ſunt in noſtra poteſtate, XX. Libertatis Chriſtianæ aſſerendæ ſpecie Wicleffus omnia ſacra convulſit, 1382. XXXIV. Libertas ſcortorum inducta a Wicleſiſtis, XXXV.

Libertas Eccleſiaſtica oppreſſa a Richardo Anglorum Rege iniquis legibus quibus Sacerdotiorum conferendorum authoritatem invaſit, 1391. XIV. Reſcindit ejus leges Bonifacius IX. XV. & *ſeq.* Juſſæ eradi e codicibus, XVIII. Intentatum anathema iis, qui non paruerint, XIX. Inſtaurata ab eodem edicta Caroli IV. de libertate eccleſiaſtica, *ibidem*. Libertas eccleſiaſtica a Wicleffo violata, 1377. V.

Liberum arbitrium negatum ab Alberto Epiſcopo Alberſtadenſi, 1372. XXXIII.

Libido: Scorti familiaritatem in extremo morbo non deſerit Eduardus Angliæ Rex, 1377. VI. *Vid.* Luxuria.

Liparis inſula poſt mortem Joannæ ad Fridericum Trinacriæ Rege devolvenda 1372. XXIV.

Lithuania juncta Poloniæ Jagellone Reginam Poloniæ Heduvigem uxorem ducente, 1361. XXVI. & 1386. IV. Ad Chriſtum ab ignis, lucorum, ſerpentumque cultu revocata, V. Lituaniæ Epiſc. Romani tantum Pontificis obſequio addictus, VI. Lithuani Vilne de amplectenda Chriſti religione cœtus ineunt, 1387. XV. Mirantur Chriſtianos non lædi a dæmonibus, 1387. XV. Nobiles alba veſte in baptiſmo donati, *ibid.* Una die ad triginta millia Chriſti Sanguine abluti, *ibid.* Vilnenſis & Meduicenſis Epiſcopatus in ea conditi, *ibid.*

Lithuani a cruciferis vexati, 1357. VI. Profligati, 1360. XII. Eorum dux captus, *ibid.* Magnis cladibus affecti a Chriſtianis, 1366. XXIX. Crucis dominicæ partem avehere divinitus non poſſunt, 1370. XXVII. A Vinricho cruciferorum principe profligati, *ibid.* Ad fidem Chriſti amplectendam ſolicitati a Gregorio XI. 1373. XVI.

Lolardi: *Vid.* Wicleffiſtæ.

Londinenſis Synodus: *Vid.* Concilium Londinenſe.

Lubecenſis Epiſcopatus. Ab ejus imperio divulſa Ruſſia a Gregorio XI. 1373. XXVIII.

Luca Eccleſiæ a Carolo IV. data, ſed donatio non admiſſa, 1375. XIV.

Ludovicus Trinacrius: Ab eo ad Joannæ I. & Ludovici obſequium transfugiunt Siculi, 1356. XXXI.

Ludovicus Bavarus junior marchio Brandeburgenſis ſermonum interprete Alberto Duce Auſtriæ, in gratiam cum Eccleſia reſtitui poſcit,

1357.



1357. V. Omnia adverſus Eccleſiam geſta publicis literis revocat, 1359. VII. Veniam poſcit, quod patrem Imperatorem appellarit, *ibid.* Ipſi adhæſerit, *ibid.* Occuparit Tridentum, VIII. Erepta Eccleſiæ reſtituiſſe profitetur, *ibid.* Contra fas Margaretam Charinthiacam duxiſſe, *ibid.* Læſiſſe inque Eccleſiam, *ibid.* Juſte cenſuris devinctum fuiſſe *ibid.* Negat Pontificem a Cæſare exauthorari poſſe, IX. Damnat ſchiſma, *ibid.* Ad crimina expianda paratum ſe offert, *ibid.* Ad reſtituenda erepta eccleſiis viriſque eccleſiaſticis, *ibid.* Ad inſectandos hæreticos damnatos ab Eccleſia Romana, *ibid.* Obſequium ſpondet Pontifici, *ibid.* Mulctæ ergo equitum cataphractorum centuriam contra hoſtes Eccleſiæ ſe ſubmiſſurum, X. Alii ejuſdem Ludovici fratres ſenioris Ludovici Bavari filii Guillelmus, Albertus Otho, & Stephanus paterna geſta damnarunt, deque ejus partibus defenſis veniam a Pontifice popoſcere, 1362. XV. & *ſeq.* Extinctæ ejus ſchiſmatis reliquiæ, *ibid.*

Ludovicus Belgii comes Urbano adhæret, quia ab antipapa literas acceperat antea Urbanum eſſe juſtum Pontificem, 1378. XVII. In eum Gandavenſes rebellant, 1383. IX. Provocati in eum Angli, *ibid.* Juvatur a Gallis, *ibid.*

Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex decernit expeditionem in Raſcios, 1356. XXIV. Illius ad Innocentium VI. literæ de ſchiſmaticis debellandis, *ibid.* Quibus pactionibus ſe devinxerit, XXV. Signifer Romanæ Eccleſiæ creatus, XXXII. Decretæ pro comparanda illi victoria preces, *ibid.* Et impetranda prole, *ibid.* Corripitur ob toleratos in Boſnia hæreticos, XXVIII. Monetur, ne arma cum Venetis exerceat, ſed vertat in fidei hoſtes, XXIX. Implorata illius arma adverſus tyrannos ditionem eccleſiaſticam labefactantes, XXX. Ejuſdem elogium, *ibid.* Auxiliarem equitatum Cardinali legato adverſus Eccleſiæ hoſtes ſubmittit, 1357. VI. De Dalmatia certat cum Venetis, VII. Eam ſubigit, *ibid.* Cum iis pacem init, & quibus legibus, 1358. I. Felicem expeditionem conficit in Raſcios, 1359. XV. Expetita adverſus Bernabonem a Pontifice illius auxilia, VII. Nata eum inter & Carolum Imp. diſcordia, 1363. XI. Rogatus de bello ſacro promovendo in Turcas, XXIII. & *ſeq.* Paratum ſe offert Pontifici ad debellandum illius hoſtem Bernabonem, *ibid.* Ad pacem tyrannum adigit. *ibid.* Decernit in auxilium Græcorum contra Turcas expeditionem ducere, 1366. I. Retardatur, ni prius Græci Eccleſiæ Romanæ ſe conjunxerint, *ibid.* Ad ipſum proficiſcenti Palæologo ingentia promittit auxilia, IV. Additi Ungaro ſtimuli, X. Illius in Bulgariam victoriæ, XI. Fœdus ſancit cum principibus Italis ad tuenda Romanæ Eccleſiæ jura, 1367. XVII. Imperii vicarius creatus in Marchia Tarviſina a Carolo IV. rogat Urbanum V. ut ſuis hæredumque in Siciliam & provinciam juribus conſulat, 1368. X. In Bulgaria, Boſnia, & Raſcia fidem amplificat, XVIII. Actæ illi ab Urbano gratiæ, *ibid.* Bindim Bulgariæ Urbem principem poſtea amittit, *ibid.* Offert Pontifici ſe Bernabonem, Eccleſiæ bellum inferentem, domiturum, 1369. IX. Armorum terrore Bernabonem a bello Pontifici inferendo revocat, 1370. XIV. Caſimiro Regi in Polonico ſceptro ſuccedit, XXVII. A Gregorio XI. in Bernabonem ſolicitatus, 1371. VII. Iras in Joannam concipit ob Trinacriam a Neapolitano regno divulſam, 1372. XXV. Solicitatus ad reprimendos Amuratis progreſſus, XXIX. Et ad ferendam Armeniæ afflictæ opem, XXX. Adverſus Amuratem ſacram expeditionem parat, 1373. III. Solicitatus Carolus Imperator ad jungenda cum eo arma, VI. Negat partem ſumpturum contribuere pro paranda claſſe ad arcendos Helleſpontiaco trajectu Turcas, 1374. VI. Monitus ut Ungariæ periclitaturæ conſulat, *ibid.* Valachos a ſchiſmate revocat, IX. Intendit apud Pontificem Joannæ Reginæ judicium, repetitque Provinciam, Pedemontium, Folkalquerium, Salernum, & Honorem montis S. Angeli, tanquam hæreditarios principatus, 1374. XVI. Paciſcitur de altera filia Ludovico Andegavenſi nuptui danda, *ibid.* Promulgat Gregorius illius literas de pace cum Joanna inita, *ib.* Solicitatur ad Græcos contra Amuratem defendendos, 1375. VI. Palæologus Imp. queritur, deluſum ſe promiſſis ab eo auxiliis, *ibid.* Creatus Ludovicus expeditionis in Amuratem dux bellum conficere negligit, VII. Propoſitum illi Conſtantinopolitanos, acceptis auxiliis, ad ſinum Romanæ Eccleſiæ reverſuros, *ibid.* Ingeminatæ a Gregorio preces, VIII. Ea negligentia Ungariæ exitialis fuit, *ibid.* Ad illius preces conditi in Ruſſia Epiſcopatus XXVIII. Conſtantinopolitani, acceptis ab Ungaro auxiliis, ad Romanæ Eccleſiæ ſinum ſe reverſuros ſpondent, 1375. VII. Monitus, ne acerbe ferat ſacerdotia ad illius voluntatem non conferri, 1375. XXX. Pro Urbano VI. ſtandum decernit donec cauſa a concilio œcumenico fuerit cognita, 1378. LIX. Mittit ad Urbanum munera, *ibid.* Illius ſtudio extracta in Joannam ſchiſmaticam ultio, 1380. III. Solicitatur a S. Catharina Senenſi, ut pacem componat cum Venetis, *ibid.* Vertat arma in ſchiſmaticos, *ibid.* Cum Venetis fœdus ſancire ſtatuit, IV. Carolum Dyrrachii principem miſſurum pollicetur, *ibid.* Mittit, 1381. I. Obit relictis duabus filiabus, duobus regnis, 1382. XXVI. Cumanos ad fidem Chriſtianam adduxerat, *ibid.* Inſigni amore plebem proſequebatur, *ibid.* Qui populi ab eo domiti, *ibid.*

Ludovicus comes Andegavenſis Provinciam affectat, 1368. X. Promittit illi Ludovicus Rex Ungariæ filiam in conjugem, 1374. XVI. Cum duce Lancaſtriæ certat in Aquitania, XXI. Balearici regni jura ab Iſabella Montisferrati Marchioniſſa accipit, 1376. XIX. Cum Petro Aragonum Rege bellum ſuſcipit, *ibid.* Ad eos conciliandos legatus Card. miſſus, *ibid.* Spe regni Neapolitani ab antipapa ſchiſmatis laqueis conſtrictus, 1380. XI. Cooptatur in filium a Joanna Regina, *ibid.* Ex antipapæ venia ipſius heres decernitur, *ibid.* Ex antipapæ ſibi cæſarea jura arrogantis authoritate provinciæ, Pedemontii, & Folkalquerii jura in eum transfuſa, XII. Veneficiis potius quam beneficiis antipapæ corruptus Eccleſiam catholicam oppugnat, *ibid.* Sorbonicos doctores opprimit, *ibid.* Decumas ſacerdotiorum rapit, *ibid.* Eruditos viros Urbano adhærentes in fugam Lutetia pellit, *ib.* Catholicorum Regum oratores de ſchiſmate abolendo perorantes repellit, *ibid.* Dum ad Joannam Reginam liberandam provolat, illi mortem violentam accerſit, 1382. I. Ab antipapa ſchiſmatici exercitus dux creatus, II. Aquila ad eum deficit, *ibid.* Divinitus ab Urbis oppugnatione avertitur, *ibid.* Indicta in eum ab Urbano ſacra militia, III. Sexaginta bellatorum millia ducit, IV. Schiſmaticus & apoſtata pronuntiatur, V. Expoſitum ejus flagitium, VI. Juſſus anathemate ſolemni ritu percelli, *ib.* Acutus Anglorum dux in eum conductus, IX. Ejus impetus a Carolo Dyrrachino cunctatione fracti, X. Illius exercitus inopia victus, frigore, morbo attritus, *ibid.*

*ibid.* In eum ab Urbani manu Carolus Rex vexillum Romanæ Eccleſiæ accipit, 1384. I. Ludovicus ipſe infeliciſſime perit, II. Ante ſchiſma in Saracenos arma movere optarat, *ibid.* Parta inique jura Ludovico filio reliquit III.

Ludovicus II. Andegavenſis Neapolitanus Rex ſchiſmaticus Ludovico I. ſuccedit, 1384. III. Provincia potitur, *ibid.* Ab antipapa fallacia Regni Neapolitani jura accipit, *ibid.* Cæſo in Pannonia Carolo III. ejus factio aucta in Regno Neapolitano, 1386. II. Eam Otho Brunſvicenſis & Thomas Sanſeverinas tutati *ibid.* Horum ducum opera Neapolis in illius imperium redacta, II. Achajam Jacobi e Baucio principis obitu ad ſe devolutam contendens, eam equitibus Rhodiis vendit, VIII. Ejus ſectatores tentant Ladiſlaum veneno necare, 1390. XVI. Gravi bello eumdem appetit, XVII. Arces S. Hermi & Ovi illi eripit, *ibid.* Puteolos expugnat, *ibid.* Ejus vexillum procella disjectum e turri, *ibd.* Dum miles illud reſtituere molitur fulmine percuſſus, *ibid.* Graves de Ludovico antipapæ ſignifero querelæ Bonifacii Pontificis, *ibid.* Promulgari juſſus a Bonifacio ipſo anathemate devinctus una cum omnibus ejus ſociis, 1391. XII. In eum Raymundus e Baucio creatus ſignifer Romanæ Eccleſiæ, *ibid.* Solicitati Trinacriæ proceres ad illum Neapoli depellendum, *ibid.* In eum Bonifacius ſacram militiam promulgat, 1394. XX. Averſam & Capuam amittit, 1395. XVI. Ægre Neapolim tuetur, *ibid.*

Ludovicus Tarentinus Rex Siciliæ: Ad illius & Joannæ obſequium Meſſanenſes, Panormitani, Agrigentini redeunt, 1356. XXXI. Cataniam obſidet, 1357. VIII. A Catalanis fugatur, *ibid.* Ob intermiſſam ſolutionem cenſus cenſuris irretitus, 1359. IV. Correptus reſipiſcit, *ibid.* Inſtruitur ſalutaribus præceptis, *ibid.* Vexatur a Trinacriis principibus, V. Et a fœderatis prædonibus, *ibid.* Ægidius Cardinalis ad componendum illius regni ſtatum legatus decernitur, *ibid.* Ludovici mors, 1361. II.

Ludovicus Flandriæ comes Wenceſlaum Brabantiæ comitem pellit principatu, 1356. XII. Cum eo a Brabantinis excito pacem init, *ibidem.*

Ludovicus Patriarcha Aquilejenſis SS. Hermagoræ & Fortunati reliquias Gradenſi Eccleſiæ reſtituere juſſus, 1359. XIV.

Ludovicus Bambergenſis ad Archiepiſcopatum Moguntinum evectus, 1374. XIV. Succeſſit illi Adolphus Spirenſis, *ibid.*

Ludovicus Epiſc. Magdeburgenſis e chorea ad divinum tribunal fractis cervicibus raptus, 1382. XXVIII.

Ludovicus de Fliſco Epiſcopus Vercellenſis creatus Card. S. Adriani, 1385. III.

Ludovicus Borbonius Chriſtiani in Tunetanos exercitus dux, 1390. XXI. Liberatis captivis Chriſtianis pacem componit, *ibid.*

Luſitani repudiato antipapa adhærent Urbano VI. 1381. XXXIV. Graviſſima eorum argumenta, *ibid.* & *ſeq.* Cum Anglis adverſus Caſtellæ Regem arma jungunt, 1386. XIV.

Luxuria: Zaviſſias Epiſcopus Cracovienſis in ſtupri conatu extinctus, 1382. XXVII. Mortuo inſultant dæmones, *ibid.* Ludovicus Archiep. Magdeburgenſis dum choream ducit cum fœmina divina ultione percuſſus, XXVIII. Carolus Rex Navarræ dum fractus libidinibus corporis vires ſpiritu vini reficit, miſere flammis torretur, 1387. X. Libertatem ſcortorum induxere Wicleffiſtæ, XXXV.

# M

MAffiolus Archiep. Meſſanenſis ſacram militiam in Afros promulgare ab Urbano VI. juſſus, 1388. II.

Magnus Rex Sueciæ accuſat apud Urbanum V. Nicolaum Epiſc. Lincopenſem, ut eum exauthoret, 1363. XIII. Ab eo ſolio evertitur, *ibid.* Ex pactione regni partem deinde adipiſcitur, *ibid.* Recuperare regnum tentat, *ibid.* Prælio deletus carceri addicitur, *ibid.* Liberatus a filio aquis perit, *ibid.*

Mahometus: de vetandis ritibus Mahometicis imperia Regi Luſitaniæ data a Pont. 1376. XXII.

Malateſtæ Fani, Arimini, Fori Sempronii & aliorum oppidorum præfectura donati a Bonifacio, 1390. XVIII. Tudertum occupant, 1392. IV. Cenſuris defixi, *ib.* Conciliati Bonifacio, *ibid.*

Manfredus Claromontius bellum in Afros Siciliam infeſtantes ſuſcipit, 1388. II. & *ſeq.* Gerbarum inſulam iis eripit, *ibid.* Gerbarum & Cherchinarum inſularum principatum jure fiduciario ab Urbano VI. accipit, VI. Genuenſium & Venetorum ope Cherchinas ſubigit, *ibid.*

Manfredus Alagona junctus Andreæ Claromontio adverſus Antonium e Vintimilio & Guillelmum e Peralta bellum gerit, 1391. V. Creatur a Bonifacio IX. tetrarcha in Siciliæ inſula donec Maria Regina damnarit ſchiſma, 1391. IX.

Manichæi ad fidem converſi, 1366. XI.

Manuel Imperator: *Vid.* Emmanuel.

Marcus Cornelius dux Venetus monitus ab Urbano V. ne pacem cum Soldano Babylonico percutiat, 1366. XII.

Margareta comitiſſa Tirolenſem comitatum ad Auſtriacum transfert, 1364. XII.

Margareta Dyrrachii principis uxor ſubodorata expeditionem viri ſui in Joannam Siciliæ Reginam, ſe cum filiis in arcem munitiſſimam ſubducit, 1380. IV. Potito regno viro regia corona redimita, 1381. XXVI. Fit Particeps conjurationum a Cardinalibus adverſus Urbanum initarum, 1385. III. Exauctoratur regia dignitate, *ibid.* Carolo viro in Pannoniam ad ſceptrum capeſſendum abituro ſuadet, ut firmando regno Neapolitano, Provinciæque recuperandæ det operam, IX. Infeſtatur a Caſertano comite, *ib.* Inique Venetam navem expilat, & Dyrrachium, Corcyramque poſtea amittit, *ib.* Dum viri Hungarica corona redimiti lætitiam celebrat, ejus cædis nuntium accipit, 1386. II. In eam Andegavenſis factio erigit animos, *ibid.* Neapolitani illi, correpto urbis imperio, edicunt ne Reginæ, ſed tutricis munus exerceat, *ibid.* Corcyra a Venetis illi erepta, *ibid.* Ab Othone Brunſvicenſi & factione Andegavenſi Neapoli pellitur, 1387. I. Cum Ladiſlao ac Joanna filiis Cajetam profugit, II. Urbanum fruſtra exorare tentat, VII. Dimiſſo e carcere ejus nepote flectere inexorabilem nequit, *ibid.* Othonem Brunſvicenſem ſibi conciliat, 1388. V. A Bonifacio cenſuris, quibus ab Urbano erat affecta, ſolvitur, 1390. X. Regni procurationem ab eodem accipit, *ibid.*

Margarita Regina Daniæ petita bello ab Alberto Rege Sueciæ illum in acie capit, 1388. XI. Sueciam Daniæ, & Norvegiæ conjungit, 1395. XXIV.

B. Margarita Picens vidua ex pauperrimis parentibus orta, 1395. XX. Licet pauperrima in pauperes tamen liberalis fuit, *ibid.* Chriſto egeni ſpecie ſibi apparenti panem, quem habebat, dedit, *ibid.* Ab eo prece luſtrata, *ibid.*



*ibid.* Eſurienti divinitus dulciſſimus & ingens panis datus, *ibid.* Acerbe macerabat corpus, *ibid.* De die obitus a B. Virgine præmonita, *ibid.* Vulnerum Chriſti memor pedem clavo transfixum gerebat, *ibid.* Inclareſcit miraculis, *ibid.*

B. Maria Virgo Deipara: Dum concionator Virginem peccati originali labe non caruiſſe declamat repente extinguitur, 1361. III. Ejus ope fugat dæmones B. Petrus Thomas morti proximus, 1366. XVIII. Prædicit horam mortis B. Andræ Corſino, 1373. XXVIII. *Vid.* Deipara.

S. Mariæ majoris Eccleſia anno Jubileo luſtranda decernitur a Gregorio. XI. 1373. XV.

Maria Friderici Regis Trinacriæ filia ſceptro ſuccedit, 1377. VII. In Aragoniam adducta contra pacta nupſit Martino principi ſchiſmatico, 1391. VI. Sedi Apoſtolicæ cenſum non perſolvit, *ibid.* Excidit jure regni, *ibid.* Reſervata illi a Bonifacio in priſtinum jus reſtitutio, ſi damnato ſchiſmate, cenſum pendat, IX. Ejus interea regnum diviſum in tetrarchias, *ibid.* Adverſus eam & Martinum ſchiſmaticos initum a Tetrarchis armorum fœdus, XII. Decreti ad eum a Bonifacio oratores, qui ſacramentum fidei ab ea exigant, 1392. II. Poſt delatum Bonifacio obſequium ad antipapam deficit, III. In eam commoti Trinacrii, *ibid.*

Maria Hungariæ Regina Ludovico Regi parenti ſuccedit, 1382. XXVI. Sigiſmundum virum accipit, & Rex in diplomatibus appellatur, *ib.* In eam rebellant Hungari, 1385. IX. Regno a Carolo Rege Neapolitano exuitur, *ib.* Cæſo proditione Carolo recuperat regnum, 1386. II. Comprehenditur ab adverſa factione & velut inſons addicta carceri matre aquis merſa, III. Liberatur a Sigiſmundo, qui dotale regnum adeptus eſt, *ibid.* & 1387. XIV.

Marinus de Judice Archiepiſc. Tarentinus creatus ab Urb. XI. Cardinalis presbyter S. Pudentianæ tit. Paſtoris, 1381. XXVI.

Marinus Bulcanus abbas creatus Card. diaconus S. Mariæ novæ, 1385. III.

Marquardus Epiſc. Auguſtenſis edictis armiſque Vicecomites petit, 1356. XXX. Fuſus, captuſque, *ibid.*

Martinus e Silva Epiſcopus Pampilonenſis Carolum Regem Navarræ in ſchiſma impellit, 1390. XX. Sceleris præmium accipit pſeudo-cardinalatum, *ibid.*

Martinus Junior Momblanci dux, poſtea Trinacriæ & Aragoniæ Rex ducta in uxorem Maria Regina Trinacriæ parat expeditionem in Trinacriam, 1391. VI. Diviſa eſt a Bonifacio IX. ob ſchiſma, & intermiſſum cenſum, in Tetrarchias Trinacria, IX. Tetrarchæ in eum jungunt armorum fœdus, XII. Fœderatos tetrarchas vincit, 1392. III. Bonifacio vovet obſequium, ut potiatur regno, *ibid.* Eo potitus ad antipapam deficit, & in ſe Trinacrios commovet, *ibid.*

S. Martinus: In Eccleſia ſacra ejus nomini puer extinctus ad vitam revocatus, ut baptiſmo initiaretur, 1393. VII.

Martinus Barbuda Alcantaræ magiſter deceptus a pſeudopropheta victorias de Mauris pollicente, 1394. XXVI. Cæſus cum ſuis a Mauris, *ibid.* Ejus temeritas in tentando Deo, *ibid.* Vanitas ejuſdem deriſa a Carolo V. *ibid.*

Martinus ſenior Rex Aragonum ſuccedit Joanni fratri Regi, 1395. XIX. Matthæum Fuxi comitem uxoris jure regnum affectantem pellit, *ibid.*

Martyres: Thomas Ungarus pro fide a Mahometanis cæſus, 1358. VII. Tres Minoritæ una cum eo martyrio affecti, *ibid.*

Matthæus Fuxi comes Joannis Regis Aragonum gener functo vita ſocero regnum affectat uxoris jure, 1395. XIX. Pellitur a Martino defuncti fratre, *ibid.*

Maynardus Goritiæ dux Aquilejenſis Eccleſiæ jura reſtituere juſſus, 1359. XIV.

Maynardus dux Bavariæ, & Carinthiæ nepos Ludovici Bavari, 1364. XII. De ejus ſucceſſione certatum inter Bavaros & Auſtriacos, *ibid.*

Medici exceptis duabus vicibus, ægros adire vetiti, niſi vocato ſacerdote, 1357. XIII.

Mendicantes Religioſi vexantur ab Angliæ clero, 1358. V. & *ſeq.* Apologia pro ipſis, VI. Confirmata eorum privilegia, *ibid.*

Menendus Epiſc. Cordubenſis miſſus in Aragoniam ab Urbano pro collocanda in luce canonica ſua electione, 1379. XLIII. Interceptus a Petro e Luna, *ibid.* Evadit ex carcere, *ibid.* Ejus literæ ad Regem Aragonum, XLIV. Monet ipſum, ſi jure ſteterit, facile ſchiſma ſedatum iri, XLV. Gallum Regem non poſſe tueri antipapam adverſus omnes Reges, *ibid.* Metum inviſibilem prætendi a ſchiſmaticis Cardinalibus, ſed externis ſignis ſummam libertatem prætuliſſe, *ibid.* Literis verbiſque eoſdem mendaciſſimos deprehenſos, *ibidem.*

Merita bonorum operum: Merita, & demerita negata ab Alberto Epiſcopo Alberſtadenſi, 1372. XXXIII.

Meſſanenſes ad Gallici generis principum obſequium redeunt, 1356. XXXI.

Metenſes conventus a Carolo IV. Imperatore celebrati, 1356. XIII. Quæ in iis decreta fuerint, *ibid.*

Militum vagorum exercitus. *Vid.* Prædonum ſociales turmæ.

Milleczius hæreſiarcha præsybter Pragenſis Polonia, Boemiam, ac Sileſiam inficit, 1374. X. Præſules ad eum & ſequaces reprimendos a Greg. XI. concitati, *ibid.* Solicitatus Carolus Imp. ad coercendum illum auctoritate cæſarea, XI.

Minoritæ tres affecti martirio a Mahometanis, 1358. VII. Plura Bulgarorum millia ad fidem convertunt, 1366. XI. Fidem in Boſnia, Bulgaria, & Raſcia amplificant, 1368. XVIII. Quinque Bodonii martyrio affecti, *ibid.* Clarent prodigiis cœleſtibus, *ibid.* Minoritæ ad gentes miſſi, 1369. XIV. Fidem in Moldavia amplificant, 1370. VII. Et in Lithuania, aliiſque partibus, VIII. Et in Tartaria, XX. In Boſnia & Raſcia, conferendi ſacrameta converſis auctoritate inſtructi, 1373. XVI. Iterum ad gentes miſſi, 1374. VIII. & *ſeq.* Minoritæ quatuor Hieroſolymis affecti martyrio, 1391. XXXIII. Eorum corpora in flammis illæſa, *ibid.*

Miracula: Miraculis confirmati in fide Angli, 1389. XVIII. Joannes Bridlingtonienſis miraculorum magnitudine Anglis admirationem maximam movet, 1389. XVIII. Miracula edita precibus B. Etelredæ, XIX. Alia precibus Albani martyris, XX. Spreta a Wicffiſtis miracula, *ibid.* Miraculum in Euchariſtia inſigne, XXI. Divino miraculo Wicleffiſta caſtigatus, *ibid.* Ex mediis aquis Virginis ope implorata vir liberatus, 1390. XXII. *Vid.* Deipara. Miracula in S. Birgitta edita, 1391. XXIX. Ejus precibus, vel meritis patrata in aliis, XXXI. A S. Thoma Apoſtolo reliquiarum illius parte donata, XXXI. & *ſeq.* B. Margarita Picens panem Chriſto egenum fingenti cum dediſſet, éſuriens candidiſſimo pane donata, 1395. XX. Miraculis clareſcit, XXI. Corpora cæſorum, qui Chriſtum negare abnuerant, divinitus ſervata, 1396. XVIII. miracula edicta in Eccleſia S. Dionyſii, 1396. XVIII.

Miſſa

Miſſa celebranda ante creationem Regis Romanorum, 1356. XVI.

Moldavi Polonos propulſant, 1359. XV.

Moldavia ad Eccleſiæ obſequium reverſa, 1370. VI.

Monachi : Vetat Urbanus V. quidquam a monaſticam diſciplinam profeſſuris ſeu maribus ſeu fœminis, exigi, 1369. XV. Vetitum item opipara convivia inſtrui, *ibid.*

Monaſtici ordines : Eos excindere molitur Joannes Wicleffus, 1396. XIII.

Monſpeſſulanus Navarræ Regi traditus pro ditione, quam in Normannia obtinebat, 1371. IV.

Monzoia nepos Roberti Gebennenſis antipapæ cum copiis magnam cladem accipit, 1379. XXIV. Prorex Neapolitanus ab eodem antipapa miſſus Othonem Brunſvicenſem Neapolis poſſeſſione pellit, 1388. V.

Morini deficiunt ad antipapam, 1391. IV.

Mors pia Juſtorum : B. Gertrudis *pia mors*, 1358. VII. Et B. Petri Thomæ, *1366.* XVII. *& ſeq.* In cinere & cilicio mori vult, XVIII. Et S. Birgittæ, 1373. XXV. Et S. Andreæ Corſini, XXVII. Et Joannis Brydlingtonienſis canonici regularis, 1379. LV. Pius S. Catharinæ Senenſis obitus, 1380. XXIV. Ejus in morte lætitia, *ibid.* & XXVII. Felix mors S. Catharinæ Suecæ, 1381. XLV. Gerardi Magni conditoris ordinis congregationis vitæ communis, 1384. VI. B. Margaritæ viduæ Septempedanæ, 1395. XX. & XXII.

Mors infelix impiorum : Cracovienſis Epiſcopi miſerenda mors, 1382. XXVII. Inſultant illi dæmones, *ibid.* Triſtis exitus Ludovici Archiep. Magdeburgenſis, XXVIII. Infeliciſſima mors Joannis Wicleffi, 1382. VIII. Joannis Caſtellæ Regis ſchiſmatici, 1390. II. Joannis Regis Aragonum ex equo excuſſi, 1395. XIX. Moſchovitarum dux tercentum millibus ſuccinctus in Torpathenſi obſidione divinitus telo tranfixus, 1381. L. *Vid.* Juſtitia Dei.

Moſcovitæ a Tamerlanis exercitu obteruntur, 1395. XXIII. In extremo diſcrimine confugiunt ad Deiparam, & imaginis illius ope propulſant Tartaros, *ibid.*

Mulieres : Mulier Wicleffiſta ſacerdotium invadit, 1391. XX.

Myrrha : Myrrhæ Chriſto a Regibus oblatæ portio in Eccleſia Ravennate aſſervata, 1365. XXII.

# N

NAvarri ad antipapam abducti, 1390. XX. Pars magna Navarreorum in Pontificis obſequio perſtat, 1394. XI.

Neapolitani Clementem antipapam averſantur, 1379. XXVI. In eum & Reginam Joannam ſeditionem concitant, XXVII. Cogunt Reginam ut antipapam dimittat, *ibid.* Decernat oratores ad Urbanum pro pace redintegranda, XXXII. In eos a Regina excitus Otho Brunſvicenſis cum exercitu, *ib.* Pugnam cum Othone conferunt ac funduntur, *ibid.* Neapolitanum regnum inteſtino bello ob ſchiſma ardet, XXXIII. Fidei ſacramento Joannæ præſtito ſoluti ab Urbano Neapolitani, 1380. II. Partes Romanæ Eccleſiæ adverſus Joannam tueri juſſi, *ibid.* Excitus Carolus Dyrrachinus ad accipiendum regnum Neapolitanum, illique Neapolitani ſtudere juſſi, IV. Carolum excipiunt, & Joannam obſident, 1381. XXIV. Completum S. Catharinæ vaticinium, nimirum non futuros Joannæ fidos quæ eos ad perfidiam abduceret, *ibid.* Rebellant in Margaritam Reginam, 1386. IV. Reginæ munus ei eripiunt, ſed tutricis deferunt, *ibid.* Inducunt Ludovici Andegavenſis ſectatores in urbem, 1387. I. In tres factiones diſciſſi, *ibid.* A ſchiſmaticis miſere attriti, II. In exilium fuga ſe proripere coacti, *ibid.* Proſcripti qui Urbano favere, VII. Reſidui antipapæ jugum coacti recipere, *ibid.* Nimia Urbani in Ladiſlaum inclementia Neapoli exitium peperit, *ibid.* Miſera ſors Neapolitanorum, 1388. V. Angelus Cardinalis Acciajolus Legatus a Bonifacio miſſus, 1390. X. Neapolitani ad præſtanda Ladiſlao obſequia obſtricti a Pontifice, *ibid.* Neapolitani regni familiis ſingulis indictum a Pontifice contra ſchiſmaticos unius aurei vectigal, XVII.

Neapolitanum regnum : Prædicta a S. Catharina aliquot ante annis bella quibus conflagraturum erat, 1378. XXII. Excitus ad capeſſendum illud ab Urbano princeps Dyrrachinus, 1380. IV. Vocatus etiam a Joanna ad illud capeſſendum poſt ipſius mortem Ludovicus Andium comes, XI. Decernitur ob Joannæ perduellionem ad Sedem Apoſtolicam devolutum, 1381. II. Transfertur certis legibus in Carolum, Dyrrachinum *ibid. & ſeq.* Si Carolus violarit fœdera ad Sedem Apoſtolicam devolvendum pronuntiatur, V. Conjungi cum imperio vel prohibetur, vel cum majori parte Etruriæ, vel Inſubriæ, VIII. & XIII. Ni monitus Cæſar ſemeſtri flexu ceſſerit imperio, regnum ad Romanam Eccleſiam devolutum pronuntiatur, IX. Neapolitanis Regibus annis octodecim minoribus regni adminiſtratio ad Pontificem ſpectat, XII. Octo millium unciarum auri vectigal annuum pendere juſſum Pontifici, XIII. Tum aliud vectigal militare, XV. Cenſentur idem regnum confertur a Clemente antipapa Ludovico II. Andegavenſi, 1384. III. Ab Urbano VI. interdicto percuſſum, 1385. III. Illius poſſeſſionem affectat Urbanus exauthorato Rege Carolo, *ibid.* Cæſo Carolo Rege in Ungaria in priſtinos tumultus relapſum, 1386. II. Ad antipapæ & Ludovici Andegavenſis imperium redactum, II. Urbanus ſibi illud ſubjicere meditatur, III. Nimia in Ladiſlaum puerum inclementia patriæ exitium parit, VII. Suſcepta ab eo expeditio ad ſubjiciendum regnum Neapolitanum, 1388. VIII. Irrito exitu diſſoluta, *ibid.* Neapolitani Regni jura a Bonifacio IX. collata Ladiſlao Caroli, III. filio, 1390. XI. Paciſcitur Ladiſlaus regnum devolvendum ad Romanam Eccleſiam ſi pontifici non paruerit, XIV. Ludovici II. exercitus in Regnum Neapolitanum conflatus, XVII. Ferro flammaque a duobus Regibus dividitur, XX.

Neceſſitas : Omnia ex neceſſitate mera fieri delirat Wicleffus, *1396.* XIV. Refellitur, *ibid.*

Neutralium factio a Cardinalibus Italis inſtituta, 1379. I. Obtendunt non poſſe ad Urbanum redire, quod œcumenicum concilium pro redintegranda Eccleſiarum conjunctione ſit neceſſarium, *ibid.* Aragonum Rex neutri parte adhærere deliberat, *1379.* XLII. Monitus a Menendo Urbani internuntio neutralitatem ſchiſmatis genus eſſe XLV. Joannes Rex Caſtellæ deſcivit ab Urbano, ut neutralem factionem ſequeretur, 1382. XIV. Dein ad ſchiſmaticos deſcivit, XV.

Nicolaus Patriarcha Aquilejenſis ſanctorum Fortunati & Hermagoræ martyrum corpora ad Eccleſiam Aquilejenſem e Gradenſi transfert, 1356. XXXI. Monitus a Pontifice ut ea Gradenſi Eccleſiæ reſtituat, *ibid.*

Nicolaus Capociæ Epiſc. Urgellenſis moritur, 1368. IX. Illius in pauperes benignitas *ibid.*

Nicolaus tit. S. Vitalis presbyter Card. ad pacem inter Joannem Francorum, & Eduardum





Anglorum Reges conciliandam miſſus, 1356. I. Pro liberando Joanne Rege deſudat, 1357. I. Irrito exitu ex Anglia redit, *ibid.* Ad Navarræ Regem ac delphinum conciliandos juſſus incumbere, 1358. II.

Nicolaus Roſſelli creatus Card. ab Innocentio VI. *1356.* XLI.

Nicolaus Turrianus patriarcha Aquilejenſis dolo captus ab Auſtriaco, 1361. I. Clientes ad ditionem patriarchalem defendendam animat, *ibid.*

Nicolaus marchio Ateſtinus vicecomitem Mediolanenſem profligat, *1363.* III. Gratulatur victori Urbanus V. a Bernabone ad Herberiam profligatus, 1372. III. Ferrarienſem præfecturam ad vitam accipit, *ibid.*

Nicolaus Epiſc. Lincopenſis Magnum Regem Sueciæ ſolio evertit, 1363. XIII.

Nicolaus Spinellus Joannam Reginam in Urbanum inflammat ad conflandum ſchiſma, 1378. XLVI. Rabidi hominis blaſphema vox, *ibid.* Decretoria ſententia ab Urbano percellitur, CVII.

Nicolaus Herefordenſis Wicleffiſta provocans ad Urbanum ab eodem damnatur, 1383. XII. Elapſus e carcere hæreſim diſſeminat, *ibid.* Ejus ſcripta proſcripta a Richardo Anglorum Rege, 1388. XII.

Nicolaus vir pius Urbano familiaris obſeſſo Luceriæ divinum auxilium ſpondet, 1385. V.

Nicolaus Urſinus in Urbanum VI. rebellat, 1387. XII. Pronuntiatur hoſtis ab Urbano, *ibid.* Urbanum ad fratrem Cardinalem liberandum carcere adigit, *ibid.*

Nicolaus comes Cathanzarii : illi Calabriæ præfectura ab Urb. tradita, 1388. VI.

Nicolaus e Summaripa internuntius ad Trinacrios inter ſe conciliandos miſſus, 1391. XV. Trinacriæ in tetrarchias dividendæ & limitum circumſcribendorum data illi poteſtas, IX.

Nicolaus e Taulicis Minorita affectus martyrio Hieroſolymis, 1391. XXXII. Nicolaus filius nothus principis Ateſtini Ferrarienſem præfecturam ad decennium accipit, 1394. XXI.

Nicopolis : Ad Nicopolim cruento prælio cæſi Galli, 1396. LXXVIII.

Nundinæ diebus *ſacris vetitæ*, 1375. XXVIII.

# O

OCko Epiſc. Olomucenſis tuetur Urbani cauſam, *1379.* XXXIX. Creatur Card. presbyter tit. baſilicæ XII. Apoſtolorum, *ibid.*

Oleum ex S. Walpurgis oſſibus manat, 1359. XIV.

Olgerdus dux Lithuaniæ ad fidem Chriſti amplectendam excitatus a Gregorio XI. 1373. XVI.

Orchanes Turcarum Imp. Didytychum capit, 1361. VIII.

Ordelaffi toparchia Forlivienſi donati a Bonifacio IX. 1390. XVIII.

Ordinis ſacramentum : formula conferendi conditionaliter ordines, 1374. VIII.

Oriens : Chriſtiani Reges ad ſubſidia *orienti* periclitanti ſubmittenda ſolicitati, *1366.* XV. *Vid.* in ſingulis Romanis Pontificibus.

*Ornamenta* ſacra : eorum mos vetus, 1360. XVII.

S. Oluvinus Rex & martyr : Feſto ejus die prodigium inſigne contigit, cum nonnulli nautæ feſti celebritatem labore ſervili profanarent, 1384. XIII.

Otho Ludovici Bavari filius de paterna factione ſecuta veniam poſcit, 1362. XIV.

Otho dux Brunſvicenſis propoſitus ad ducendum in Armeniam exercitum jungendamque ſibi thoro Joannam Reginam, 1372. XXX. Favet ſchiſmati, & cur ab Urbano abalienatus, 1378. XLVI. Reginam Joannam de pace cum Urbano agitantem confirmat in ſchiſmate, *1379.* XXXII. Cum Neapolitanis Urbani partes tuentibus pugnam conſerit, eoſque fundit, *ibid.* Cur in Urbanum conjurarit, *ibid.* Fugatur a Carolo, 1381. XXVI. Dum exercitu refecto prælium init, capitur, *ibid.* Lapſus carcere ad antipapam ſe confert, *1386.* XII. De Neapoli intercipienda conſilia agitat, *ibid.* Eam capit, 1387. I. Margaritam Reginam & filios pellit, *ibid.* In Neapolitanos animadvertit, II. A Ludovico Andegavenſi & antipapa deluſus ſe in Margaretæ Reginæ partes transfert nuptiarum illius ſpe, V. Neapolim fruſtra tentat, *ibid.* Tarentum ſe recipit, ac moritur, *ibid.*

Oxonienſis academia Wicleffi hæreſes damnat, 1380. XXI. Conſulta a Richardo Rege an deſerendus eſſet Bonifacius IX. negat deſerendum, IV. Eorundem aliud reſponſum, 1398. XXXII. Committi grave peccatum ab iis, qui ſe ſubtrahunt a Pontificis obſequio, XXXIII. Præferendam concilii œcumenici ſententiam, *ibid.* Si filii ſint lucis Galli, cur lucem oderunt, *ibid.* Sacra canonum ſequantur imperia, *ibid.* Admonent Richardum ne ſchiſmaticorum ſuſurris ſe ſubornari ſinat, XXXIV. Turbato ſacerdotio turbandam rempublicam, *ib.* Indicendum concilium a Bonifacio & citandum antipapam, XXXV. Orant, ut Bonifacium tueatur, *ibid.*

# P

PAlatinus Rheni vacuo cæſareo ſolio, in Rhenanis provinciis, Suevia aliiſque locis leges adminiſtrat, *1356.* XXI.

Pandulphus Malateſta rebellat. in Bonifacium IX. 1394. XXI. Cenſuris perculſus, *ibid.*

Panormitani ad Gallici generis principum obſequium redeunt, 1356. XXXI. Confirmati in officio ab Innocentio VI. *ibid.* Hæreticos magna laude *inſectantur*, 1375. XXVII.

Papienſes ad imperium eccleſiaſticum traducti, 1375. XVI.

Pariſienſe concilium acephalorum contra antipapam, 1395. XIV. In eo collationes ſacerdotiorum illi eripiuntur, *ibid.* Et pragmatica inſtituitur, XV.

Pariſienſis academia dum libertate potita eſt Urbani VI. partes defendit, 1378. LXI. Actæ illi ab Urbano gratiæ, *ibid.* Excitata ad conſtantiam, *ibid.* A Carolo Rege antipapæ ſervire cogitur, LXII. Poſt Caroli V. mortem Urbani cauſam defendendam ſuſcipit, ſed opprimitur a Ludovico Andegavenſi antipapæ ſtudioſiſſimo, 1380. XIII. Plura eruditorum millia Pariſiis fugiunt, *ibidem*. Percuſſo mania divinitus Rege Pariſienſis academia de redintegranda Eccleſiarum conjunctione agit, 1393. I. Diſturbati ejus conatus a Petro e Luna pſeudolegato, *ibid.* Iterum urget Carolum Regem de Schiſmate abolendo, 1394. III. Exponit Schiſmatis mala, *ibid.* Benedictum hortatur ad abdicationem, quam ſpoponderat, VII. Ne moras trahat, ne prædeceſſoris pertinaciam imitetur, *ibid.* A Petro e Luna provocat ad concilium, 1395. X. Joannes Azo Dominicanus in eam ſcribit, XI.

Parochus : De parochialibus juribus litem intendit religioſis mendicantibus Hiberniæ primas, 1358. V.

Parvulorum baptiſmus impugnatus a Joanne Wicleffo, *1396.* XII.

Paſſio Chriſti : S. Crucis officium inſtitutum a Greg. XI. 1377. VII. *Vid.* Crux.

Patareni ad fidem converſi, *1366.* XI.

Patracenſes inteſtinis diſcordiis exagitati, 1359. XVI.

Patria : Amor erga eam amore Dei ejiciendus, 1366. XXV. Reditum in patriam expoſcenti Cardinali morti proximo datum ab Urbano V. reſponſum, 1367. III.

Paulus Archiep. Smyrnæ dein Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Imperatore Conſtantinopolitano ad Innocentium IV. pro orientalis Eccleſiæ cum Romana conjunctione promovenda miſſus, 1356. XXXIII. Urbanum V. convenit nomine Palæologi, 1367. V. Ejus literæ de concertationibus habitis cum Cantacuzeno XII.

Paulus ordinis Prædicatorum dum Deiparam peccati originalis labe non caruiſſe declamat, repente extinctus, 1361. III.

Paulus Patracenſis Archiep. Achajæ adminiſtrationi ab Urbano ut præfectus, 1387. VIII.

Paupertas : Dionyſius Minorita effutit, legem amoris omnem proprietatem, & dominium auferre, 1368. XVII. Alii ejuſdem errores, *ibid. Vid.* Fraticelli.

Pax quo ritu ſacro firmata inter Anglorum Francorumque Reges, 1360. III.

Peccata punit Deus : divina in eos, qui Alexandriam deſeruerant, ultio, 1366. XVI. Cardinalis a Deo caſtigatus, 1367. III. Divinæ juſtitiæ exemplum inſigne, XVIII. Sacro S. Ethelredæ die recurrente victa claſſis Anglica, quæ direptis Eccleſiæ ejuſdem ſanctæ poſſeſſionibus partim comparata fuerat, 1371. II. Divina in ſacrilegum ultio, 1376. IX. *Vid.* Mors.

Peccatum : Illius fœtorem ſentiebat S. Catharina Senenſis, 1380. XXV. ſepius avertere vultum ab impudicis propter nimium fœtorem cogebatur, *ibid.* In ſtupri conatu extinctus Epſcopus Cracovienſis & mortuo inſultant dæmones, 1382. XXVII. *Vid.* Juſtitia Dei.

Perſecutores Eccleſiæ, *Vid.* Juſtitia Dei, & Peccatorum mors.

Peruſini rebellant in Urbanum V. 1370. XIV. Redacti ad officium, *ibid.* Ad Eccleſiæ obſequia revocati, 1371. VII. Dum libertatem affectant ſe tyrannis ſubiiciunt, 1392. VI. Communi conſenſu urbis imperium reſtituunt Pontifici, *ibid.* Inteſtinis diſcordiis laniati, 1393. III. Ad Bonifacii obſequium reverſi, 1396. II.

Peſtilentia : Peſtis plura occidentis & orientis regna depaſcitur, 1361. III. *& ſeq.* Plures Cardinales ac præſules ea extincti, IV. B. Petri Thomæ in Cyprios peſte laborantes charitas, IX. Ut precibus eam averterit, *ibid.* Epidemia Etruriam vexat, 1363. VII. Vexata peſtilentia Italia, 1373. XIV. Peſte affectis noxarum venia gratuita propoſita ab eodem Gregorio, 1372. XXXVI. & 1373. XIV.

Petrarcha Urbanum ad reſtituendam Urbi ſedem Apoſtolicam hortatoria oratione ſolicitat, 1366. XXII.

S. Petrus Apoſtolus : Petri & Pauli Apoſtolorum capita magna pompa oſtenſa populo, 1368. XIII. Argenteis ſignis ab Urbano V. incluſa, *ib.* Conſtitutio in earum reliquiarum direptores, XIV. S. Petrus Urbano VI. copias in Neapolitanum Regnum ducenti commonſtrat urbis iter, 1388. VIII.

Petrus Rex Aragonum: Ad eum Genuenſibus conciliandum incumbit Innocentius VI. 1356. XXXVII. Et ad pacem cum Rege Caſtellæ redigendum, *ibid.* Miſſus ea de cauſa Cardinalis Legatus, *ibid.* Certant cum eo de Sardinia Ligures, 1357. VIII. A Petro Rege Caſtellæ maximo bello petitur, pluraque amittit, IX. Inducias legati apoſtolici opera cum eo firmat, *ibid.* Ad eum cum Caſtellano conciliandum Guido Card. miſſus, 1359. II. Contra initam pacem petitur bello a Petro Rege Caſtellæ, 1362. XVIII. Catalajubam amittit, quam hoſtis civium ſanguine complet, *ibid.* Concitat in Caſtellanum Henricum Traſtamaræ comitem & vagas Gallorum turmas, *ibid.* Intentat illi litem Jacobus nepos de regno Balearico, 1363. VIII. Monetur a Pontifice, ut litem componat, *ibid.* Illum Urbanus V. Genuenſibus conciliare nititur, *ibid.* Atroci bello a Rege Caſtellæ vexatur, *ibid.* Ferdinandum fratrem ad hoſtem placandum occidit, X. In eum redintegrat bellum Caſtellanus, 1364. XVIII. Caſtellam cum Henrico & Navarræ Regibus partitur ex fœdere, *ibid.* Vocatur in judicium ob Eccleſiaſticos cenſus occupatos, XIX. Urbani Papæ in eum ſententia ob intermiſſum Sardiniæ cenſum, XX. Sardi in eum rebellant, XVII. Pactiones ab avo initas cum Eccleſia inſtaurat, *ibid.* Vocatus in jus ob non præſtitam ſponſionem clientelarem, cenſumque Sardicum intermiſſum, 1365. XI. Intentata illi regni Sardici privatio, *ib.* Mittit oratorem ad ſacramentum pontificii addicendum, XII. Ad pacem cum Caſtellano ſolicitatus, 1366. XXX. Henricum comitem Traſtamaræ in Caſtellanum immittit, XXXI. Momento recuperat, quæ pluribus bellis amiſerat, *ibid.* De proſperis gratulatur illi Urbanus, *ibid.* Mittit oratores ad Sardiniam & Corſicam pontificiæ beneficientiæ referendas, 1371. V. Veteres pactiones inſtaurat, *ibid.* Monetur, ne jus, eccleſiaſticum opprimat, VI. Monitus a Gregorio XI. ut contrarias juri eccleſiaſtico leges emendet, 1372. XXII. Controverſiæ cum Caſtellano interpretem Pontificem deligit, *ibid.* Monitus, ut Tarraconæ imperium reſtituat Archiepiſcopo, 1374. XXII. Pacem cum Caſtellano ſancit, 1375. XX. Trinacriæ regnum affectat, 1377. VII. Repellitur a Gregorio Papa, *ibid.* A Richardo Rege Anglorum admonitus de Gallorum Cardinalium impoſturis, de quo ſuſcepta a Gallo Rege antipapæ clientela, 1379. XLII. Commonitus etiam ab Urbano internuntium ad ipſum decretum captum fuiſſe a ſchiſmaticis, XLIII. Ne mendaciis Petri e Luna ſe circumveniri patiatur, *ibid.* Monitus ab internuntio non debere abblandiri modo Papæ, modo antipapæ, XLV. Facile ſedatum iri ſchiſma ſi juri ſteterit, nec Gallum adverſus omnes tueri antipapam poſſe, *ibid.* Oſtenſa divinitus Petro principi Minoritæ imminentia mala ejus nepoti ob exceptum Petrum e Luna, XLVII. Regni heredem amittit in ipſo pſeudolegati ingreſſu, *ibid.* Intentatæ illi graves minæ niſi Urbano paruerit, *ibid.* Poſcit ab Urbano fiduciario jure Neapolitanum Regnum auxiliaria in antipapam arma pollicitus, 1383. IV. Repulſus neutri ſtudet, *ibidem.* Senſit controverſiam concilio permittendam, 1387. X. Vexat Tarraconenſem Eccleſiam, *ibid.* A S. Tecla percuſſus alapa moritur, *ibidem.* Joanni Duci Gerundenſi ſceptrum relinquit, *ibid.*

Petrus princeps regiæ Aragoniæ Minorita ſchiſma prædixit, 1378. XXII. & 1379. VI. Conſultus ab Henrico Rege Caſtellæ, reſpondet ſibi ante ſchiſma divinitus oſtenſum & Cardinales myſtice deſignatos in apocalypſi per Nicolaitas, qui Eccleſiam uni ſponſo, ſcilicet Urbano Papæ, traditam, iterum adultero, ſcilicet Roberto Gebennenſi antipapæ, tradiderint, *ibid.* Prædixit Henrico Regi Caſtellæ exitium ni pro Urbano ſtaret, 1379. VII. Teſtatur Henricum Regem divina ira percuſſum obiiſſe ob Petrum e Luna non ejectum Caſtella, ſed pœnitentem deceſſiſſe, *ibid.* De ejuſdem revelationibus Urbano V. patefactis, IX. Ut a Chriſto edoctus ſit, Urbanum eſſe verum Pontificem, atque Aragonum, Caſtellæ, & Galliæ Reges, quos conſanguinitate attingebat ſerio admonuerit, XII. Petrum Regem Aragonum nepotem ſuum præmonuit, ne Petrum e Luna antipapæ legatum exciperet, XLVIII. Regni Aragonii heredem ob eum exceptum ingrediente Petro e Luna e vivis ſublatum teſtatur, *ibid.* Graviora alia mala in Aragoniam a Petro e Luna illata, *ibid.* Francorum Regem nepotem admonet, revelatum ſibi a Chriſto Urbanum eſſe verum Pontificem, XLVIII. Prædicit mala Gallis impendentia ni Urbanum ut verum Chriſti vicarium colant, *ibid.*

Petrus Rex Caſtellæ bello ſe implicat cum Aragonum Rege, 1356. XXXVII. Guillelmus Card. & Bertrandus Convenarum Epiſcopus pro iis conciliandis miſſi, *ibid.* Admonetur, ut ex adulterii cœno ſeſe erigat, XXXVIII. Sceptrorum heredem ex uxore ſuſcipere annitatur, XXXIX. Intentatæ illi cenſuræ, *ibidem.* Sibi & Hiſpaniæ criminibus ſuis exitium parit, *ibid.* Sævitiam & rapinas in ſuos exercet, XL. Corripitur ab Innocentio Papa de expilatis cleri opibus, *ibid.* Tiraſonam Regi Aragonum eripit, 1357. IX. Crudelitatem in captos exercet, *ibid.* Interprete, legato pontificio inducias, init, *ibid.* Pactis dein ſtare detrectat, *ibid.* Percellitur anathemate, *ibid.* monitus, ut Reginam uxorem recipiat, X. Diſtrictæ propterea in eum cenſuræ *ib.* Ad ipſum cum Aragone conciliandum Guido Card. miſſus, 1359. II. Monitus Petrus ab Innocentio, ut uxorem recipiat, *ibid.* Heredem ex ea ad firmandum ſolium ſuſcipiat, *ibid.* Oſtenſa cœlo prodigia illius cladis prænuntia, 1361. V. Uxorem necat, VI. Monetur imminentis exitii a paſtore incognito, *ibid.* Cladem a Mauris accipit, 1362. XVIII. Eam ulturus inſignem exercitum ducit in Granatenſem tyrannum, *ibid.* Venientem ad ſe officioſe accipit, theſauroque ſpoliatum crudeliter necat cum ſuis, *ib.* Mahomadem fiduciarium ſe profitentem reſtituit regno, XVIII. Pacem cum Aragonio initam violat, *ibidem.* Capta Calatajuba, carnificinam exercet in in inſontes, *ibid.* In eum vagæ Gallorum turmæ veteranæ concitatæ ab Aragonio, *ibidem.* Et a Guidone Legato ob violatam pacem diſtrictæ cenſuræ, *ibidem.* Cum Aragonio pacem ea lege ſancit, ut Henricus frater ſpurius ac Ferdinandus Aragonii frater dederentur neci, X. Henrico lapſo ex inſidiis bellum inſtaurat, *ibidem.* Illius hoſtes Caſtellam ex fœdere inter ſe partiuntur, 1364. XVIII. Ad pacem Solicitatus a Pontifice, *ibid.* Circumſeſſo a fœderatis prædonibus Urbano V. ſuam operam defert, 1365. VII. Actæ illi gratiæ, *ibid.* Ab eodem Pontifice de crudelitate corripitur, 1365. XIV. Ad pacem cum Aragonio ſolicitatus, 1366. XXX. Eam reſpuit, *ibid.* Ab Henrico fratre ſpurio bello appetitus momento deſerit, quæ pluribus bellis Aragoniæ eripuerat, XXXI. Pulſus regno fugit, XXXII. In fuga crudelitatem exercet, *ibid.* Ad Aquitaniæ principem perfugit, 1367. XVIII. Profligatus tumultuario prælio, 1369. XI. Tentata fuga confoſſus a Fratre Henrico, qui regno potitur, *ibid.*

B. Petrus Thomas Carmelita Epiſc. Pactenſis, poſtea Patriarcha Conſtantinop. A. S. L. ad Eccleſiæ orientalis cum Romana conjunctionem adſtringendam miſſus, 1356. XXXII, XXXIV. & 1367. VII. Creatus Epiſc. Coronenſis, decernitur Legatus ad coercendas Turcarum graſſationes, 1359. XVI. Data eidem promovendæ crucefignatæ expeditionis mandata, *ibid.* Sanctitas ejus comprobata prodigiis, XVII. Altiloci principem Turcam vectigalem eſſe cogit, *ibid.* Inquirendi in ſchiſmaticos & hæreticos poteſtate inſtructus, XVIII. Nova hæreſis ab eo in Creta extincta, XIX. Legationem Apoſtolicam in oriente gerit, 1360. XVI. Petrum Regem Cypri regia inunctione linit, *ibid.* Divinitus valetudinem recuperat, *ibid.* Schiſmaticos ad Eccleſiæ ſinum revocare nititur, *ibid.* Ejus conſtantia in ſpernendis periculis, *ibid.* Plures a ſchiſmate revocat, *ibid.* Creatur Legatus Apoſtolicus ad Amuratis progreſſus frenandos, 1361. IX. Sataliæ religionis Chriſtianæ cultum inſtituit, *ibid.* Precibus ſuis peſtilentiam a Cypriis divinitus propulſat, *ib.* Æſtuans procellis mare, injecta cruce, placat, *ibid.* Author eſt Petro Regi Cypri ſuſcipiendæ ad liberandam Palæſtinam ſacræ expeditionis, 1362. XVII. Una cum eo ad Urbanum V. accedit, *ibid.* E Coronenſi epiſcopatu ad Archiepiſcopatum Cretenſem transfertur, *ibid.* In Italiam ad pacanda bella civilia mittitur, 1364. XI. Quanti ab eo ſuſcepti labores, *ibid.* Circumfuſus a ſicariis, eos ſola voce fugat, *ibidem.* Conficiendæ ſacræ expeditionis pandit iter, *ib.* Creatur Conſtantinopolitanus Patriarcha, XXIV. Subrogatur Talayrando Cardinali, defuncto ad legationem in crucefignato exercitu gerendam, XXIV. De variis ejus legationibus, *ibid.* Diploma de legatione orientali ad eum datum, *ibid.* Miſſus ad Genuenſes, ut eos Cyprio Regi conciliaret, feliciter votis potitur, 1365. XVIII. Rhodum applicat, *ib.* Pia ejus opera in crucefignando exercitu, *ibid.* Milites Euchariſtia reficit, *ibid.* Sacra prece claſſem in Ægyptum vela facturam luſtrat *ib.* Cum Rege Cypri in Ægyptum invenitur, XIX. Suſcepti ab eo in exercitu labores, *ibid.* Crucem in ſumma puppi noſtris pugnantibus præfert, *ibid.* Pius illius ardor ad pugnandum in Saracenos, XIX. Pugnaturis, victoriam e cœlo obtinet, *ibid.* Alexandriam deſerentes retinere annititur, *ibid.* Ingentia mala exercitui deſertori prædicit, *ibid.* In medio procellæ furore epiſtolam ad Pontificem & Imperatorem ſcribit hortatoriam, ad redintegrandam rem chriſtianam, XX. Exponit Alexandriam partam divinitus, *ibid.* Barbaros faſſos, Mahometem a Chriſto victum, *ibid.* Anathema commercium habituris cum Ægyptio intentat, 1366. XVI. Illud ſpernentium infelices caſus, *ibid.* Ejus pietas in ſacra re peragenda, VII. Inſignis demiſſio chriſtiana, *ibid.* Cruce dæmonem fugat, XVIII. In cinere & cilicio mori vult, *ibid.* Felicis immortalitatis certam ſpem prægustat, XIX. Claret miraculis, *ibid.* Relicta ab eo ingenii monumenta, *ibid.*

Petrus Epiſcopus Cameracenſis ad pacem inter Brabantinum Belgamque revocandam miſſus, 1356. XII.

Petrus de Foreſta creatus Cardinalis presbyter ab Innocentio VI. 1356. XLI.

Petrus e Monturco Innocentii VI. ex ſorore nepos creatus Cardinalis, 1356. XLI.

Petrus Rex Luſitaniæ Alfonſo patri ſuccedit, 1357. XI. A Pontifice ad ſectandas regias virtutes excitatur, *ibid.* Ejus obitus, 1367. XIX. Ferdinandum filium ſucceſſorem relinquit, *ibid.*

Petrus Ripacurtiæ princeps Minoritis ſe aggregat, 1359. I. Cyprum, Rege nepotæ impubere, moderatur, 1371. IX.

Petrus Rex Cypri patri Hugoni ſuccedit, 1360. XIII. Defert Pontifici regia obſequia, *ibid.* Hugo Liſinianus ex fratre Guidone majore natu nepos, litem de regno intendit, XV. Sataliam Turcarum urbem opulentam expugnat, 1361. VIII. Candelorii tyrannum ve-

ſtigalem efficit, *ibid.* Ejus ad Urbanum V. adventus, 1362. XVII. Pontificem ac Joannem Regem Francorum ad expeditionem in Saracenos inſtruendam ſolicitat, 1363. XIV. *& ſeq.* Ut Sataliam expugnarit, *ibid.* Imminentia Chriſtianæ Reipublicæ a Turcis pericula expoſuerit, *ibid.* Crucis ſymbolum de Pontificis manu accipit, XVI. Decreta illi ab Urbano V. auxilia, ut ſecuturo exercitui iter muniat, XIX. Imperator, aliique Reges, ac principes, & Veneti, ut illi auxilia darent, ſolicitati, *ibid.* Sataliam oppugnant Saraceni, eo in occidente agente, XXIV. Ab Urbano ſolicitatus, ut redeat in orientem, *ibid.* Reges adit, eos ad bellum ſacrum accenſurus, *ibid.* Pacem inter Pontificem ac Bernabonem conciliat, 1364. IV. Solemnibus Regum conventibus Cracoviæ habitis intereſt, X. Solicitatur ab Urbano ut in regnum redeat, XXVI. Pacem init cum Genuenſibus, 1365. XVIII. Monetur, ut iter in orientem paret, *ibid.* Crucesignatam expeditionem ad divinam gloriam referat, XVI. Alexandriam Ægypti regiam capit, XIX. *& ſeq.* Nonnullorum ignavia eam deſerere cogitur, *ibid.* & XXI. Subſidia ab Urbano petit, 1366. XIII. Pontificiæ ad eum literæ de Alexandria ab ipſo infeliciter dimiſſa, *ibid.* Arguitur ab Urbano, adulterio ſe contaminare, 1367. XIV. Vetatur inire monomachiam cum Spartæ regulo, *ibid.* Urbanum Romæ convenit, 1368. X. Cæſus a fratribus, 1369. VII. Succedit illi filius Petrinus, *ibid.* Necis ipſi illatæ authores capite truncati, 1373. VIII.

Petrus Iterel Epiſc. Aquenſis creatus Cardinalis ab Innocentio VI. 1361. IV.

Petrus Epiſc. Cameracenſis Guillelmum Albertum & Othonem Ludovici Bavari filios, veniam de paterna factione ſecuta poſcentes, abſolvit, 1362. XVI.

Petrus Patriarcha Conſtantinopol. creatus in exercitu orientis crucesignato legatus ab Urbano V. 1364. XXIV.

Petrus junior Rex Cypri ereptus ex inſidiis, Petro parenti ſuccedit, 1369. VII. Qui illius moderatores fuerint, 1371. IX. Optimis a Pontifice conſiliis inſtruitur, *ibid.* Ad regias virtutes a Gregorio excitatus, 1372. XXXI. In illius regiæ inunctionis ſolemnibus funeſtum inter Genuenſes & Venetos exortum diſſidium, *ibid.* Genuenſes in Cyprios claſſem inſtruunt, *ibib.* In eum Genuenſes parant arma, 1373. VIII. Turcæ Sataliam illi eripiunt, *ibid.* Et Famaguſtam Genuenſes, *ib.* Paternæ necis auctores capite cæſi, *ibid.* Ad iniquas pacis leges coactus, *ibid.* Ad Genuenſes oratorem mittit pro impetrandis mollioribus pacis legibus, 1374. VII. Genuenſes iterum poſtulat de temperandis acerbioribus pacis legibus, quas ipſi impoſuerant, 1375. XII.

Petrus Corſinus Epiſc. Florentinus creatus ab Urbano V. Cardinalis, 1370. XX.

Petrus de Stagno creatus Cardinalis ab Urbano V. 1370. XX.

Petrus de Vernhio creatus Cardinalis a Greg. XI. 1371. X.

Petrus Flandri creatus Cardinalis a Greg. XI. 1371. X.

Petrus Gomeſius creatus Cardinalis a Greg. XI. 1371. X.

Petrus Fulgoſus Cyprum invadit, & Famaguſtam Genuenſi imperio adjungit, 1373. VIII.

Petrus Judicis creatus Cardinalis a Gregorio XI. 1375. XXXI.

Petrus e Cortenaco creatus Cardinalis a Greg. XI. 1375. XXXI.

Petrus e Luna creatus Cardinalis a Greg. XI. 1375. XXXI. Poſtea antipapa accepto Benedicti XIII. nomine, *ibid.* Conteſtatur canonicam fuiſſe Urbani VI. electionem, 1378. XIII. Una cum aliis Urbanum in pontificio ſolio collocat, XIV. Scribit una cum aliis ad Regem Romanorum Urbanum libere creatum, XVIII. Et ad Cardinales, qui Avenione ſubſtiterant, XIX. Conſiſtoria cum Urbano celebrat, XX. Omnia obſequia ei defert, *ibid.* Cardinales Gallos deficientes in Urbani obſequio confirmare nititur, XXIX. Ab iis ſubornatur, *ibid.* Præmonitus fuerat a viro ſancto ne Anagniam ſe conferret, 1378. XXIX. Nimia ſui præfidentia periit, *ibid.* Blaſphema ejus vox in Deum apoſtaſiæ index, XXX. Ut ſignificarit Joanni e Lignano inſigni juriſperito concordem Urbani electionem, *ibid.* Monetur ipſius & Cardinalium perduellionem orbi Chriſtiano ludibrio futuram, *ibid.* Reſponſum illi datum ab eodem Joanne e Lignano, XXXI. *uſque ad* XXXVI. Spernit Petrus e Luna ſapientiſſimum illius conſultum, XXXVI. Mittitur in Hiſpanias ab antipapa, foveturque a Caſtellæ Rege, ut Hiſpanus, non ut Legatus antipapæ, 1379. VII. Ob eum non ejectum Henricus Rex morte percuſſus divinitus, uti a Petro principe Minorita prædictum fuerat, *ib.* Pluribus annis non ut legatus, ſed ut regnicola agit in Caſtella donec Hiſpanos corrupit, *ibid.* Ut Petrus e Luna deliberarit ante ingreſſum conclavis de ferendo pro Urbano ſuffragio, XIV. Deluſerit Romanos quaſi Cardinalis S. Petri creatus foret Pontifex, *ibid.* Intimis amicis electionem Urbani aperuerit, *ibid.* Conſilia arcana pro Urbano liberando a Romanorum furere agitaverit, XVI. Aperit ut contraxerit Urbanus cum Cardinalibus jurgia, XVI. Ut ob repudiatos libellos ſupplices in Urbanum fuere cœperit, XVII. Blaſphemam in Deum vocem, omnia ad ſe ut finem ultimum referendo, protulerit, *ibid.* Ut perverterint eum Cardinales, dum eos a cœpto ſcelere revocare moliretur, *ibid.* Ut conſuluerit Urbanum colendum, donec concilium adverſus eum ſententiam tuliſſet, XIX. Melendum Epiſc. Cordubenſem miſſum in Aragoniam ab Urbano pro collocanda in luce ſchiſmaticorum perfidia, intercipit, XLIII. Sed is divina ope effugit, XLIV. Rex Aragonum ob Petrum e Luna Roberti Gebennenſis antipapæ Legatum exceptum regni herede privatus XLVII. Pluribus aliis domeſticis calamitatibus etiam implicitus, *ib.* Subornat ſuis mendaciis Henricum Caſtellæ Regem ad ferendam pro antipapa ſententiam, 1381. XXIX. Quas pactiones inſtituerit cum Caſtellæ Rege, XXXIII. Irrepit in Luſitaniam, XXXIV. Ejus argutiæ confutatæ, *ibid.* Convincitur poſteriore Cardinalium teſtimonio prius infringi non poſſe, *ibid.* Repellendos, a teſtimonio cum ſibi contradixere, XXXV. Abſcedit Luſitania cum adventu ſuo mortem Regi Ferdinando accerſiviſſet, XXXVI. Redintegrandæ conjunctionis Eccleſiarum actionem diſturbat, 1393. I. Adjungit ſibi ducem Bituricenſem adverſus Sorbonicos de ſchiſmate abolendo diſceptantes, 1394. III. Victus ratione nequit tueri antipapam, IV. Cenſet antipapam debere gradu cedere, 1394. IV. Viam abdicationis plurimum laudat, VI. Sacramento ſe aſtringit ſi ipſe in Roberti locum ſubrogetur, pontificales apices depoſiturum, VI. Fingit ſe ad id faciendum paratiſſimum fore ſi ſubrogetur, *ibid.* Benedicti XIII. nomen in pſeudopontificatu accipit, *ibid.* Solicitatur a Sorbonica Academia ut ceſſionem amplectatur, VII. Obſtruat aures aſſentatoribus, *ibid.* Ne pium opus procraſtinet, *ibid.* Simulat ſe omni ſtudio Eccleſiarum conjunctionem redintegraturum, IX. Legatos decernit ad Gallum Regem, *ibid.* Decreta in ſolemnibus comitiis abdicationis via aſtute difficultates adverſus eam movet, XII. Fingit Eccleſiam poſſe eſſe ſine vero Papa per utriuſque ceſſionem *ib.* Vocat in crimen Gallos nullum Pontificem niſi ſui generis pati velle, XIII. Decreti ad eum principes a Gallo Rege orant, ut pacem Eccleſiæ cupiditati ſuæ præferat, 1395. I. Pertinaciæ ſuæ culpam derivat in pontificem, II. Obtendit conſcientiam ſuam rectam eſſe, *ibid.* Mendaciſſime denunciat ſe ad Eccleſiarum conjunctionem perficiendam paratiſſimum eſſe, *ibid.* Jactat pariturum ſe arbitris ad nectendos dolos, cum ne quidem œcumenico concilio pariturus, eſſet, *ibid.* Petrum Blavi anticardinalem S. Angeli creat, ut illius eloquentia abutatur, IV. Poſcit juſtitiam fraudulenter ad oſtentationem, & concilii œcumenici judicium aſpernatur, VI. Contendit ſe non ſubjectum concilio ut ab eo an ſit verus Pontifex judicetur, VII. Provocant pſeudocardinales ab ipſo ad concilium œcumenicum, quod antea ab Urbano oblatum contempſerant, IX. Negavit unquam ſe abdicaturum quamvis abdicaret ſe Bonifacius, X. Sacramentum detortis interpretationibus infringit, XII. Abdicationis viam ut ſcandaloſam & in Dei injuriam vergentem damnat, X. Detecta ejus in propagando ſchiſmate nequitia, XI. Pſeudocardinales ſuos in ſuam ſententiam trahere nititur, *ibid.* Contendunt ejus aſſentatores conſcientiam ejus a ſolo Deo judicandam, XII. Joannis Azonis pro eo concluſiones erroneæ ſupponentes falſum principium, *ibid.* In ipſum celebrata Pariſiis Synodus, XIV. Ejus hypocriſis, *ibid.* Qui mille pontificatuum honores pro unione ſe abjecturum jactaverat, pſeudopontificatum abjicere reſpuit, *ibid.* Annatas ipſi denegant Galli, & collationes Sacerdotiorum eripiunt, *ibid.* Falſo ſpondet honore ſe abiturum ſi abierit Pontifex, ut in eum catholicos concitet, & ita ipſum opprimere molitur, 1396. II. Mittit ad Bonifacium oratores, ut pacis ſpecie in eum incitet Romanos, III. Illi urbis aditu prohibiti a Bonifacio, *ibid.* Tumultum ciere adverſus Bonifacium ipſum moliuntur, *ibid.* Trinacriam Martini Aragonii opera ſibi ſubjicit, IV.

Petrus Epiſc. Portuenſis Florentinus una cum Cardinalibus Simone Mediolanenſi & Jacobo Urſino concilium offert Gallis Cardinalibus, 1378. XLII. Solicitatur a S. Catharina Senenſi, ut Urbanum urgeat, ut indicat crucesignatam expeditionem adverſus Mahometanos pro inteſtinis bellis imminentibus avertendis, *ibid.* Pſeudopontificatus ſpe falſa illectus a Gallis Fundos accedit, XCV. Illuſus ſpernitur, *ibid.* Objurgatur a S. Catharina Senenſi ignaviæ & ſuperbiæ, *ibid.* Oſtenſa illi veniæ ſpes ab Urbano, CXIV. Una cum Simone Mediolanenſi metuens Urbani ſeveritatem deficit ad antipapam, XX. Obſcurat mendaciis veritatem electionis Urbani, *ibid.*

Petrus Guntelinus arcis Hadrianæ præfectus deficit ab Urbano, 1378. XXIV. Jubetur a Cardinalibus Avenionenſibus arcem reſtituere, ſed clam in perduellione a Gallis Cardinalibus confirmatur, *ibid.* Poſtea in Avenionenſi cataſta ulciſcente numine cæſus, *ibid.* Arcem Hadrianam poſt annuam obſidionem cæſis Gallis Urbano pactione militari dedit, 1379. XXIX. Petrus S. Euſtachii diaconus Cardinalis ſchiſmatis promotor ſcribit adverſus Urbanum non congregandum eſſe in ea lite concilium œcumenicum, 1378. XLIII. & 1380. XIII. Ad eum ſcribit Toletanus archiep. pro concilio congregando, XIV. Contendit, cum Urbanus dicta neget a Cardinalibus, & proponat contraria probaturum, etiam ſi inferni diabolus eſſet, dandum locum judicio, *ibidem*. Reſpondet Toletano viam concilii exitialem exiſtimatum, nec poſſe ad exitum perduci, XVIII. Accuſat Urbanum dolo obtrudere rationem concilii in regnis inclinantibus in partem adverſam, at in iis, quæ ipſi parent ab ea abhorrere, *ibid.* Inanes ejuſdem argutiæ pro diſturbando concilio, *ibidem*. Negat cognitionem Papæ ſpectare ad concilium cum ſit ſuperior concilio, *ibid.* Imminente morte ad confirmandum ſchiſma divulgat publicis tabulis Urbanum factione Romanorum falſo creatum, 1381. XLVII. Infelici ejus exemplo animati anticardinales ad tuendam antipapæ cauſam ſacramento ſe obſtringunt; *ib.*

Petrus Arelatenſis Archiep. camerarius gazam pontificiam diripit ſchiſma meditatus adverſus Urbanum VI. 1378. CVII. Percellitur anathemate ab Urbano, *ibid.*

Petrus de Roſemberg Bohemus creatus Card. ab Urbano VI. 1379. IX. Dignitatem non admittit, *ibid.*

Petrus Auria Genuenſis claſſis præfectus Venetos graviſſimis cladibus afficit, 1379. LIV. Poſtulatus de pace eam ſuperbe dare abnuit, *ibid.* In prælio cruento cæditur, *ibid.*

Petrus Tenorius Archiep. Toletanus ſcribit commentarium de ſchiſmate, 1380. XIV. Obiicit ſchiſmaticis Cardinalibus cum Urbanus neget eorum dicta, proponatque probaturum contraria, audiendum in judicio etiamſi diabolus inferni foret, *ibid.* Non deferendum fuiſſe accuſatum Pontificem, antequam de obiectis conſtaret, *ibid.* Electores, qui peccaſſe ajebant intruſo antipapa non potuiſſe ſecundam electionem celebrare, 1380. XIV. Vacante ſede nulla judicandi poteſtate pollere Cardinales, XV. Poſſeſſorem pontificatus non convictum damnaſſe per nefas, *ibid.* Non eſſe evidens orbi Urbanum intruſum eſſe, ſi maxima pars orbis illi adhæreat, XVI. Hanc cauſam tangere univerſalem Eccleſiam; ergo ad eam judicium ſpectare, XVII. Deplorat pias mentes in maximos æſtus conjectas, *ibid.* Infideles diſſidentibus Chriſtianis inſultare, *ibid.* Opinari Hiſpanos rebellaſſe Cardinales ex odio in Urbanum, *ibidem*. Diffidentes cauſæ concilium averſari, *ibid.* Concilio ſolo Eccleſiæ vulnus curari poſſe, *ibid.* Reſpondet illi Petrus S. Euſtachii ſchiſmaticus viam concilii non exitialem modo, ſed ne quidem mandari operi poſſe, XVIII. Futiles propoſitæ argutiæ, *ibid.* Succumbit ſub metu regio prodita veritate, atque antipapam colit, *ibid.* Cum eccleſiaſticis conventibus præeſſe deberet, in cauſa ſchiſmatis Regem ferre ſententiam ſinit, 1381. XXIX. Caſtellanos in ſchiſmate retinet, 1391. IV. Ob excitatas turbas in vincula conjectus, 1393. VI. Percuſſo ab antipapa cenſuris Rege ſolutus, *ibid.*

Petrus ſive Perinus Thomacellus poſtea in pontificatu dictus Bonifacius IX. creatus diaconus S. Georgii in velabro, 1381. XXVI. *Vid.* Bonifacius IX.

Petrus Gebennæ princeps Ludovicum Andegavenſem in expeditione contra Urbanum ſecutus, 1382. IV. Percellitur ab eodem Pontifice anathemate, V. Notatur infamia, *ibid.* Juſſi in eum fideles conſurgere, VI. Una cum ſtirpe exciſus, 1394. IV.

Petrus Lucemburgenſis pſeudocardinalis pie moritur, 1387. XI. Claruit miraculis, *ibid.* Invincibilem habuit ſchiſmatis ignorantiam, & catholicum animum geſſit, *ibid.* Potuit ante mortem a Deo illuſtratus ſchiſmaticam partem damnare, *ibid.* Jeſum in cruce pendentem corporeis oculis vidit, *ibid.*

Petrus Pureshul pſeudoauguſtinianus apoſtata damnat religioſa inſtituta, 1387. XIX.




Pe-

Petrus Tartarus Reatinus Cardinalis agitat cum Cardinalibus de curatore dando Urbano veluti furioſo, 1389. I. Novas in eum conjurationes cum Rege Carolo Neapolitano facit, III. Urbanum in Lucerina arce obſidet ad liberandos ſocios Cardinales in ciſterna vinctos, VII. Ejus exercitus fuſus, *ibid.*

Petrus Narbonenſis Minorita Jeroſolymis affectus martyrio, 1391. XXXIII.

Petrus Ferdinandus e Medina anticardinalium numero adjectus a Clemente antipapa, 1394. I.

Petrus Blavi creatus anticardinalis S. Angeli a Petro e Luna, 1395. V. Propugnat ſcriptis ejus pertinaciam in propagando ſchiſmate. *ib.* Damnat concilium œcumenicum, ut ſuſpectum, illique conciliabulum paucorum præfert, *ib.*

Petrus e Duenna Minorita affectus martyrio Granatæ, 1397. XVII.

Philippus e Mazeriis Cyprii ſcrinii magiſter una cum B. Petro Thoma in Italiam miſſus, reſtituendæ paci operam navat, 1364. VI. Contendit retinendam a Chriſtianis Alexandriam, 1365. XX. B. Petrus Thomas moriens extremam illi voluntatem ſuam commendat, 1366. XVIII. Scripſit ejuſdem ſancti vitam, *ibid.* & *ſup.* XVII.

Philippus Imp. Conſtantinopol. dictus monitus ne Palæologo ad ſedem Apoſtolicam accedenti ullam inferat injuriam, 1367. VIII. Bellum gerit cum Franciſco e Baucio, XVI. Ad ferendam opem Armeniæ ſolicitatus, 1372. XXX.

Philippus de Alenconio creatus Card. ab Urbano VI. 1378. CIV.

Philippus Ripindon ita hæreſim Wicleffiſticam ejurat, ut parto Lincolnienſi Epiſcopatu Wicleffiſtas ardentiſſime ſit inſectatus, 1382. XL.

Philoteus Heracleæ Epiſc. ad conjunctionem Eccleſiarum ſolicitatus, 1367. XI.

Pileus Ravenna Cardinalis: Ejus literæ ad Carolum V. Francorum Regem de vera Urbani electione, 1379. LI. Admonet jactare Cardinales ejus imperio conflatum ſchiſma, *ibid.* Audita Cardinalium in Urbanum conjuratione pro redintegranda inter Carolum Regem & Urbanum concordia agit interpretem, 1385. V. Exauctoratum Carolum, & anathemate defixum conſuetis afficit honoribus, *ibid.* Urbanum veritus poſcit ab eo obſides, ut Luceriæ conveniat, *ib.* His poſtulatis ſuſpicionem de ſe concitat, *ibid.* Perſtrictus ſuſpicione de parandis Urbano inſidiis, 1386. X. Sævitiæ Urbani odio deficit ad antipapam, XI. Pileum Cardinalitium ab Urbano acceptum Ticini flammis injicit, *ibid.* Nititur Germanos pervertere, *ibid.* Defixus anathemate ab Urbano, *ibid.* Ab antipapa in Etruriam miſſus ad turbandam Italiam, 1389. IX. Indicta ad eum comprehendendum ab Urbano IV. militia, *ib.* Florentinos nititur corrumpere, ſed ejus conatus ab Angelo Accajolo eluſi, *ibid.* Vexat patrimonium B. Petri cum Raynaldo Urſino urbis veteris tyranno, *ibid.* Extincto Urbano ad Bonifacii IX. obſequium redit, & Cardinalatui reſtituitur, XIII. Peruſinos in concordiam redigit, 1393. III.

Piratæ: Intentatæ iis, eorumque participibus pœnæ, 1363. XVII.

Piſani cum Florentinis certant, 1364. VII. Urbani V. curæ pro iis conciliandis, *ibid.* Pacem conficiunt, *ibid.*

Pius II. repoſuit S. Catharinam Senenſem in Sanctarum virginum albo, 1380. XXVII.

Placentia erepta Bernaboni a Greg. XI. & ad imperium eccleſiaſticum traducta, 1375. XVI.

Pœnitentia: Pœnitentis animi inſigne exemplum editum a B. Petro Thoma, 1366. XVI. *Vid.* Contritio.

Pœnitentia publica: Quæ injuncta ſit ſacerdotum interfectoribus, 1391. IV. Quæ impoſita iconomacho pœnitenti, 1392. VIII. Et aliis Wicleffiſtis reſipiſcentibus, *ibid.*

Polonia: Poloni Epiſcopi deſignati ad ſedem Apoſtolicam adeundam obſtricti, 1365. XIV. Ab infidelibus proditione vaſtata Polonia, 1369. X. Indictæ ſubſidiariæ decumæ ad everſa caſtra inſtauranda, *ib.* Polonia divulſa ab Hungaria extincto utriuſque Rege Ludovico, 1382. XXVI. Juncta illi Lithuania conjuncto Jagellone duce Lithuaniæ Heduvigi Reginæ, *ibid.* & 1386. IV.

Pontifex Romanus: Tarraconæ ſupremum imperium ad Rom. Pontificem ſpectat, 1359. III. Rom. Pontificem exauthorari non poſſe ab Imperatore fatetur Ludovicus Bavarus, IX. Triumphavit Rom. Pontifex de iis, qui illum Cæſaribus obnoxium contenderant, 1362. XVI. Duo Imperatores ad ſtipandum Avenione Romam Urbanum V. paratos ſe offerunt, 1366. XXVI. Imperatores occidentis, & orientis, Reges Galliæ, Cypri, Daniæ, & Siciliæ illum adeunt, 1362. II. 1363. XIV. 1365. I. 1368. VIII. & X. 1369. I. Romanæ Eccleſiæ vetera jura a Carolo IV. inſtaurata, 1368. V. Stratoris munus ingredienti Romam Pontifici exhibet, *ibid.* Romanus Pontifex inter Joannam Siciliæ & Fridericum Trinacriæ Reges pacis arbiter, 1372. V. & *ſeq.* Quæ ſacramenti Pontifici nuncupandi formula concepta, VII. Quo caſu Trinacria ad Pontificem devolvenda, IX. Creat Fridericum Regem Trinacriæ, XXIV. Imperatæ a Greg. XI. de Sicilia citeriore ulterioreque diviſis leges a Joanna & Friderico admiſſæ, XXV. Aragonum leges contrarias juri eccleſiaſtico emendet, XXVI. Moldavus ad illius obſequium redit, XXXII. Decernit Gregorius in Anglum Gallumve quiſquis pacem detrectarit, leges eccleſiaſticas diſtringere, 1373. XXII. a Pontifice celebrandorum comitiorum pro creando Cæſare petita facultas, 1376. XIII. Et confirmatio cæſareæ electionis, XVI. Wenceſlaus ad præſtandam illi fidei ſacramentum, paratum ſe obtulit, XVII. *Vid.* Romana eccleſia. Quæ virtutes in Romano Pontifice requirantur, 1378. IV. §. Præterea. Principis manus & latus dextrum, qui manus primum immiſit in Urbanum Papam eodem anno exaruerunt, 1383. IV. Exequiæ in totius orbis Eccleſiis celebrari conſuetæ pro Pontifice vita functo, 1389. X.

Prædicatores in Armenia majori fidem amplificant, 1374. VIII. Intentatum anathema deterrentibus præcones evangelicos ab adeundo oriente, *ibid.* Privilegia iis conceſſa, *ibid.*

Prædonum ſociales turmæ vaſtant Gallias, 1357. IV. Et Italiam VI. Et Neapolitanum Regnum, 1359. VI. Circum Avenionem arma circumferunt, 1361. V. Conſcripta in eos juſſu Innocentii VI. crucesignata militia, *ibid.* De iis in Turcas avertendis actum, 1365. I. & *ſeq.* Quanta infligerent mala Gallis, III. Propoſitæ in eos leges, IV. Alſatiam, vaſtant, *ibid.* Propulſantur a Germanis, *ibid.* Eorum dux a ſuis trucidatus, V. Italia ab aliis vagis militibus vaſtata, VI. Cogunt Fœderati prædones Pontificem Avenione ad redimendam auro libertatem, 1365. VIII.

Præſagia: In Wenceſlao præſagium, omnia ſacra ſub eo Rege profanatum iri, 1361. III. Præſagia de religione ſub eodem Rege evertenda, 1376. XVIII. Vexillum S. Stephani Regibus Hungariæ præferri ſolitum illuſum eſt dum Carolus III. Rex Neapolitanus coronam acciperet, 1386. II. Paulo poſt cæſus, *ibid.* Caligo teterrima bellorum civilium index Neapolim ita operuit, ut alterius ora non dignoſceret, II. Cœleſtibus prodigiis clades Nicopolitana oſtenſa, 1395. XXIII.







Præſules ad Eccleſias ſuas abire juſſi, 1364. XXIII. 1365. XVI. 1367. XX. 1375. XXIII. Quanta ex eorum abſentia oriantur mala, *ibid.* Qui ab ea excepti, XXIV. Eccleſiaſtica munera ad principum vagas voluntates non conferenda, 1375. XXX. Negligentia præſulum pene attulit exitium Angliæ, 1381. XLI. *Vid.* Epiſcopi.

Preces publicæ pro victoria adipiſcenda a Pontifice decretæ, 1356. XXVIII. Indictæ toto orbe Chriſtiano pro felici belli ſacri ſucceſſu ab Urbano V. 1363. XVIII. Et a Gregorio XI. 1373. V. Dum B. Joannes Brylingtonienſis divinis precibus vacabat vaporem quendam hyeme quantumvis perſrigida ex ſummo capitis vertice emittebat, 1379. LV. Admoniti a S. Ethlreda Angli ut precibus iras divinas avertant, 1389. XIX.

Primiſlienſis Epiſcopatus inſtitutus in Ruſſia, 1375. XXVIII.

Principibus data monita ab Innocentio VI. Petro Regi Caſtellæ, 1356. XXXVIII. XXXIX. Petro Regi Luſitaniæ, 1357. XI. Ludovico Siciliæ Regi, 1358. IV. Joanni Francorum Regi, 1360. V. & *ſeq.* Petro Cypri Regi, 1360. XIII. & *ſeq.* Ab Urbano V. Carolo Francorum Regi, 1364. XVII. A Greg. XI. Petro Cyprio, 1372. XXX.

Prodigia cælo oſtenſa, 1361. V. Exercitus viſi in ætere concurrere, 1395. XXIII. Grando portentoſa humanam effigiem referens, *ibid.*

Prophetia: *Vid.* Vaticinia.

Providentia Dei in permittendo ſchiſmate, 1379. XLVIII.

Provincia: Ipſa, & Pedemontium, & Folkalquerium beneficiaria Romani imperii, 1366. XXVIII. Provinciæ jura cum Pedemontii & Folkalquerii comitatibus ad Ludovicum Andegavenſem a Roberto antipapa jura Cæſarea ſibi arrogante devoluta, 1380. XII. Provincialium triremes Joannæ Siciliæ Reginæ ferunt ſuppetias cum deditionem jam feciſſet, XXIV. Provincia a Ludovico Andegavenſi divellitur a Neapolitano regno, XXVI. In obſequium Ludovici II. ſchiſmatici redacta, 1384. III.

Prunæ ardentes ſine noxa in veſte a ſancto viro geſtatæ, 1375. XVIII.

Pruteni equites iniquum in Regem Poloniæ bellum ſuſcipiunt, 1390. XXI.

Purgatorium: Eduardus Angliæ Rex diebus octo ſacra pro iis, qui occubuerant in prælio, peragi jubet, 1356. VII. Cæleſte viſum de exiguo numero eorum qui ad purgatorium perveniunt, ſi cum iis, qui truduntur ad inferos, conferantur, XLII.


# R


RAphael Epiſc. Nebienſis ad gentes pro fide propaganda miſſus, 1364. XXIII.

Raſcii: Ludovicus Ungariæ Rex ad ipſos debellandos Innocentio VI. pluribus pactionibus ſe obſtringit, 1356. XXIV. Felicem in eos expeditionem conficit, 1359. I.

Raymundus Berengarius comes ſupremum Tarraconæ imperium in Pontificem confert, 1359. III.

Raymundus Berengarius Rhodiorum equitum magiſter creatus in Cypro apoſtolicus internuntius, 1371. IX. Tradita ei illius regni adminiſtratio, *ibidem.* Et Smirnæ tuitio, *ibidem.*

Raymundus Lullus: Plures libri illius nomine inſcripti, ob infandas hæreſes, exuri juſſi, 1372. XXXV.

Raymundus e Terraga neophytus dæmonum cultor: Ejus libri Raymundo ſeniori perperam adſcripti, 1372. XXXV.

Raymundus Alchimiſta: Ejus libri perperam Raymundo ſeniori attributi, 1372. XXXV.

Raymundus Capuanus mittitur ab Urbano VI. ad Regem Francorum, 1379. XXII. Excitatur a S. Catharina Senenſi, ut omnes labores alacriter pro Urbani cauſa ſubeat, *ibid.* Prohibetur a Schiſmaticis in Gallias ingreſſu, 1380. XXVII. Corripitur a Sancta Catharina non irrepſiſſe in Gallias cultu inopis, *ibidem.* Sanctæ Catharinæ defunctæ anima illi loquuta eſt Genuæ omnia, quæ ipſi dicenda præceperat, *ibid.* Juſſus a Bonifacio IX. Bononienſium, & Florentinorum fœdera in Mediolanenſem conſtringere, 1391. XIII.

Raymundus e Balzio ſtirpis Urſinæ Urbanum VI. liberat ex Lucerina obſidione, 1385. VII. Tuetur contra conjurationes Gallorum, *ibid.* Creatur a Bonifacio IX. ſignifer Romanæ Eccleſiæ adverſus Ludovicum Andegavenſem pro Ladiſlao, 1391. XII. Eregiam illi operam navat, 1398. XXXIX.

Raymundus Archiep. Arelatenſis veneno Ladiſlaum tentat, 1390. XVI. Traditus carceri a Cardinale legato, *ibid.* Juſſa in eum adhiberi judiciaria ſeveritas, *ibid.*

Raymundus Rogerius Gregorii XI. nepos Avenionenſem curiam graſſationibus infeſtat, 1394. I.

Raynaldus Urſinus decretoria ſententia ab Urbano perculſus, 1380. I. Immiſſus a Joanna ut Urbanum, caperet, II. Defendentibus Urbanum Romanis impium conſilium ad exitum perducere non potuit, *ibid.* Plures capit in excurſionibus hoſtilibus qui implorata B. Catharinæ ope divinitus vinculis ſoluti ſunt, *ib.* Patrimonium B. Petri vexat, VI. Crucesignata militia in eum indicta, *ibid.* Una cum Franciſco e Vico Urbanum VI. bello petit, 1383. I. Urbemveterem occupat & Urbanum iterum bello vexat, 1389. IX. Contrucidatur a ſuis in urbe Aquilana, 1391. XXV.

Raynaldus Brancatius abbas, creatus diaconus Cardinalis SS. Viti & Modeſti in Macello martyrum, 1385. III.

Reges: Fridericus Trinacrius regio nomine donatus a Greg. XI. 1372. XXIV. Reges quantumvis religioſi nullam de diſponendis rebus eccleſiaſticis authoritatem habent, 1391. XVIII.

Religio: Religioſi viri: Urbani V. conſtitutio circa vitam monaſticam ſeu fœminas ſeu mares profeſſuros, 1369. XV. Multæ corruptelæ abrogatæ, *ibid.* Religioſa vita ut imperfecta ab hæreticis traducta, 1382. XXXIV. Religioſi ordines ab Urbano VI. ad commune Epiſcoporum in diœceſanos jus reſciſſis priſtinis immunitatibus redacti, 1384. V. *Vid.* mendicantes religioſi.

Reliquiæ Sanctorum: E S. Valpurgis oſſibus oleum manat, 1359. XIV. Reliquiæ ſacræ a Carolo Imperatore magna pompa oſtenſæ, 1361. III. Daniæ Regi ab Urbano V. datæ, 1364. XIV. Ab infidelibus ipſis cultæ, 1370. XXVII. Ad Joannis Brylingtonienſis ſepulchrum plures virtutes divinitus editæ, 1389. XVIII. Et ad ſepulcrum B. Ethelredæ, XIX. S. Birgitta a S. Thoma Apoſtolo reliquiarum ipſius particula donata, 1391. XXXI. Ad reliquias S. Birgittæ plura miracula edita, *ibid.*

Rhemi fruſtra ab Anglo obſeſſi, 1360. I.

Rhodii equites deficiunt ad antipapam & cenſuris perculſi ab Urbano, 1386. X. Achajam a Ludovico II. Andegavenſi coemunt, 1387. VII. Germaniæ vectigalia Rhodio magiſtro debita ab Urbano ob ſchiſma pontificio fiſco addicta, X. In Caria arcem excitant & fugientes e Turcarum ſervitute Chriſtianos tuto aſylo excipiunt, V.

Richardus Archiep. Armachanus mendicantibus in parachorum gratiam litem intendit, 1358. VI. Quæ fuerint ejus argumenta, *ibid.* Moritur, *ibid.* Fertur coruſcaſſe miraculis, *ibid.* De iis Bonifacius IX. inquiri juſſit, *ibid.*

Richardus II. Angliæ Rex Eduardi Aquitaniæ principis filius, avo ſuccedit, 1377. VI. Monitus a Wenceſlao Romanorum Rege, & principibus imperii de Gallorum Cardinalium impoſturis, 1379. XL. Eorundem & antipapæ literas de canonica Urbani VI. electione in Cæſareis ſcriniis eſſe reconditas, *ibid.* Urbani cauſam defendendam ſuſcipit, XLII. Aragonum Regem admonet ut Urbano adhæreat, *ibid.* Expeditionem in Gallos ſchiſmaticos duce Thoma Leceſtrenſi decernit, 1380. IX. Plures provincias atterit, *ibid.* Ad Deum a Papa provocat Wicleffus, 1380. XXI. Contempta a Richardo ejus provocatio, *ibid.* Conſulunt illi proceres Wicleffiſtæ ut eccleſiaſticos cenſus in regium fiſcum inferat, 1389. XI. Malos conſultores repellit, *ibid.* Mittit Leyceſtriæ ducem ad Caſtellam invadendam irrito ſucceſſu, 1386. XIV. Parata a Carolo VI. expeditio in Angliam, ſed ventis prohibita claſſis, XV. Richardus Wicleffi, Nicolai Herefordii, & Joannis Aſtoni hæreticorum ſcripta jubet comburi, 1388. XII. Aquitaniam Joanni duci Lanclaſtriæ pileo & virga traditis jure beneficiario confert, 1391. I. Conferendorum ſacerdotiorum authoritatem ſibi arrogat, 1391. XIV. Impulſus eſt in flagitium a Wicleffiſtis, *ibid.* Obſiſtunt Cantuarienſis & Eboracenſis Archiepiſcopi iniquis ejus decretis, *ibid.* Reſcinduntur illa a Bonifacio IX. XIX. & *ſeq.* Arguitur ipſum a Sacrilegis veluti imperitum juris ſacri fuiſſe ſubornatur, XVII. Juſſæ eæ leges e codicibus eradi, XVIII. Intentatum non parituris anathema, XIX. Sollicitatur a Wicleffiſtis, ut monaſteriorum & Eccleſiarum vectigalia ad regium ærarium avertat, XX. Monetur a Bonifacio factas ab antipapa & Gallo Rege coitiones de ſubjicienda Italia, XXIII. Poſtulatur ne cum Gallo fœdus ineat, niſi Italiæ paci conſulat, *ibidem.* Denegat daturum Gallo pacem niſi eam Romano Pontifici dederit, XXIV. Novam & in aliquibus juri pontificio adverſam ab Eccleſiaſticis ſacramenti formulam exigit, 1394. XXII. Ea a Bonifacio reſciſſa, *ibid.* Hibernicam expeditionem conficit, *ibid.* Annæ Reginæ exequias Arundeliæ comitis cruore funeſtat, *ibid.* Inducias paciſcitur cum Gallis, *ibid.* Et cum Scotis agnoſcentibus ſupremum ejus in Scotiam imperium, *ibid.* Tentatur a Gallo Rege ut Bonifacium Papam deſerat, cum ipſe antipapam desereret, 1395. IV. Revocatur in Angliam ad comprimendos Wicleffiſtas, XVIII. Mortem iis intentat, niſi hæreſim abjecerint, *ibid.* Fœdus & affinitatem cum Gallo Rege jungit, 1396. II. Deficit a priore ſententia congregandi concilii œcumenici in quo lis dirimeretur, *ibid.* Suaſu Galli Regis inaniter ſpondentis antipapam gradu ceſſurum, in Pontificem ad eum cogendum ad abdicationem conjurat, *ibid.* Monetur a Bonifacio ut regia authoritate armet Epiſcopos ad delendos Wicleffiſtas, IX.

Robertus Gebennenſis poſtea antipapa accepto Clementis VII. nomine creatus Cardinalis a Gregorio XI. 1371. X. Et Legatus in Italia, 1376. XIII. Impie monomachiam permittit, IX. Cæſenates contrucidari jubet, *ibid.*

Robertus Rex Scotiæ: ejus obitus, 1390. XX. Inſigne ipſius æquitatis exemplum, *ibid.*

Rodericus Ruizius Minorita prophetiæ dono clarus teſtatus eſt divina ultione Carolum V. Gallorum Regem ob conflatum ſchiſma periiſſe, 1380. IX.

Rodulphus dux Auſtriæ Alberto patri ſuccedit, 1357. V. Promulgat, impetraſſe ab Innocentio VI. Albertum, ut Ludovicus Brandeburgenſis ſacrorum cœtui reſtitueretur, *ibid.* Erepta a patre Aquilejenſis Eccleſiæ jura reſtituere juſſus, 1359. XIV. Bellum gerit cum Stephano duce Bavariæ, 1364. XII. Tirolenſi comitatu ditionem auget, *ibid.*
Viennæ academiam inſtitui flagitat ab Urbano, *ibid.*

Roma: In eam Apoſtolica ſedes Avenione transferri juſſa a Chriſto, 1379. VIII. Monitus ea de re Clemens VI. a S. Birgitta, *ibid.* Monitus Urbanus V. a Petro Aragoniæ principe Minorita deque imminenti ſchiſmate funeſtiſſimo, IX. Prædicta eidem Urbano V. mors ſi Avenionem rediret a S. Birgitta, *ibid.* Eadem mandata a Chriſto per illam expoſita Gregorio XI. X. Dum Avenionem reverti parat Gregorius de vita decedit, XI. Prædictum quidquid molirentur Cardinales, Sedem Roma non tranſlatum iri, *ibidem.* Urbano expeditionem Neapolitanam ducenti denunciatum ab eremita etiam invitum in urbem rediturum, 1388. VIII. Sanctus Petrus urbis iter illi commonſtrat, *ibid.* Urbis baſilicæ quotidie luſtratæ a S. Birgitta, 1391. XX.

Romani urgent Urbanum ut ſedem urbi reſtituat, 1365. IX. Promulgat Urbanus Avenionem rediturus, honorifice curiam ab his habitam, 1370. XVIII. Urbis imperium Gregorio XI. venienti reſtituunt, 1376. XII. Ipſum magnificentiſſime excipiunt, 1377. I. Romani miſſo regionario denuntiant Cardinalibus in conclavi non contentos Italo Pontifice, Romanum depoſcere, 1378. IV. Si ſecus egerint ſeditionis periculum intentant, *ibid.* Generoſe repulſa eorum petita a Cardinalibus, *ibid.* Decretum a Cardinalibus non eligendum Romanum, ne electio vi extorta credatur, *ibid.* Ante Romanorum ſeditionem Urbani electio celebrata a Cardinalibus, *ibidem.* Cardinalis Urſinus conſulit fallendum populum Minorita Romano per ſimulationem in pontificatum intruſo, ſed reiicitur, V. Romanorum clamores ſpreti a Cardinalibus, VI. Ob inanes rumuſculos tumultuantur, IX. Cardinalis S. Petri eorum metu inſignibus pontificiis exornatus, *ibid.* Fictæ fabulæ certiores fiunt, X. Ubi ſe agnoſcunt illuſos Cardinalibus intentant necem, *ibid.* Aliquos fugientes reducunt in conclave ut per nefas Romanum deligant, *ibid.* Accipiunt reſponſum priorem electione reſcindi non poſſe, *ibid.* Moliuntur Urbanum VI. adigere ad pontificatum ponendum, XI. Gallos & Tranſalpinos Urbani odio diripiunt, *ibid.* Placati coronationis Urbani pompam cohoneſtant, XV. Ad Pontem Milvium proteruntur a Britonum & Vaſconum copiis, XXVII. Britones & Vaſcones fundunt, 1379. XXIV. Arcem Hadrianam e Gallorum manibus recuperant, XXV. Urbanum convitiis inſectantur, XXXIV. Viſi a S. Catharina a dæmonibus incitari, *ibid.* Ea debitas populo pœnas in ſe ſuſcipiente ſola Urbani voce coerciti, *ibid.* Immiſſo a Joanna Raynaldo Urſino, ut Pontificem caperet, eum tuentur, 1380. II. Plures ex iis ab hoſte capti implorata S. Catharinæ ope divinitus ejus precibus liberati, *ibid.* Urbanum rogant, ut in urbem redeat, 1388. VIII. Honorifice excipiunt, *ibid.* In Romanos Bonifacius IX. exercet liberum imperium, 1389. XIII. Schiſmaticos fundunt, 1393. II. Viterbium ad Bonifacii obedientiam reducunt, *ibid.* Rogant Bonifacium, ut in urbem redeat, V. Pactiones cum eo conficiunt, *ibid.* Tumultuantur adverſus ipſum, 1395. XVII. Inſtauratis arce Hadriana & Capitolina coerciti, *ibid.* Subornati ab internuntiis Petri e Luna in geminas factiones diſtracti, 1396. II. Conciliantur inter ſe a Bonifacio, *ibid.*





Romana Eccleſia: Intentatum Petro Regi Aragonum judicium ab Urbano V. ob Sardicum vectigal ab eo intermiſſum, 1364. XX. Petri ad Pontificem literæ, XXII. Avitas de Sardinia conventiones inſtaurat, *ibid.* De iis agitur etiam, 1365. XI. & *ſeq.* Angliæ & Hiberniæ cenſus repetitus, XIII. Rom. Eccleſiæ privilegia inſtaurata a Carolo IV. Imp. 1368. V. Et provinciæ juris eccleſiaſtici enumerantur ab ipſo, *ibid.* & VI. Rex Aragonum Sardiniam & Corſicam acceptas Pontifici refert, 1371. IV. & V. Exactum a vectigalibus ſedis Apoſtolicæ Regibus ſacramentum, 1372. IV. Ut Regina Joanna illud præſtiterit, *ibid.* Delphinatus pars fiduciaria Romanæ Eccleſiæ, 1375. XXIX.

Romanæ Eccleſiæ primatus: Illum profitetur Palæologus Imp. 1369. II. Et Joannes Cantacuzenus, 1375. II. Negatur ab impio Wicleffo primatus Pontificis, 1377. V. *Vid.* Pontifex Romanus.

Roſa aurea Daniæ Regi data ab Urbano V. 1364. XIV. Joanna Regina Neapolitana, præſente Rege Cyprio, roſa aurea ab Urbano V. donatur, 1368. X.

Rothomagum Archiepiſcopo veteri jure obnoxium, 1375. XXIX.

Rupella obſeſſa a Gallo, 1371. II. Ad eam Anglica claſſis mari fuſa a Caſtellanis, *ibidem.* Erepta Anglo cum aliis Urbibus, 1372. XXVI.

Ruſſia: In ea amplificata fides, 1375. XXVIII. Excitati in eadem quatuor epiſcopatus, *ibidem.*


# S


SAcerdotes: Nubendi facultatem ipſis tribuere Wicleffiſtæ, 1382. XXXV. Sacerdotes Wicleffiſtæ alios ſacrare præſumunt, 1389. XXIII. Sublatum a nonnullis Wicleffiſtis ſacerdotium, *ibid.* Sacerdotum interfectoribus quæ pœnitentia publica injuncta, 1391. IV. Sumptæ de ſimplici Sacerdote pœnæ, qui Sacerdotes conſecrandi munus invaſerat, *ibid.* Sacerdotium mulierculis delatum a Wicleffiſtis, 1391. XXII. Eorum argutiolæ, *ibid.* A Sacerdotibus ſimplicibus conferri poſſe ſacramentum confirmationis delirat Wicleffus, 1396. XII. Sacerdotes & diaconi tantum admiſſi a Wicleffo rejectis reliquis ordinibus ſacris, *ibid.*

Sacerdotia: Plura ab uno geri vetat Urbanus V. 1370. XXI. iis conferendis adhibita ab eodem Urbano diligentia, *ibid.* Ad principum voluntates non conferenda, 1375. XXX.

Sacerdotia ſeu beneficia eccleſiaſtica: Sacerdotiorum conferendorum auctoritatem ſibi uſurpat Richardus Rex Angliæ, 1391. XIV. Reſciſſæ a Bonifacio IX. ejus leges, XV. & *ſeqq.* Sacerdotiorum collationes eripi cœptæ antipapæ a Gallis ſchiſmaticis, 1395. XIV.

Sacramenta: Cardinales Galli conflandi ſchiſmatis colorem conquiſituri calumniis proſcindunt Urbanum, eo Pontifice ſacramenta fere deficere, 1378. L. Wicleffiſtæ negant ea confici vel adminiſtrari poſſe a Sacerdote noxæ lethalis reo, 1382. XXXI.

Sacramentalia: In ea declamant Wicleffiſtæ tanquam in magicas præſtigias ob vim pellendorum dæmonum, 1391. XX.

Sacrilegium: Sacrilegi: Divina in ſacrilegum ultio, 1376. IX. *Vid.* Peccata punit Deus. Sacrilegi Angli ſpectris dæmonum vexati male pereunt, 1379. LIII. Inſigne divinæ juſtitiæ exemplum in ſacrilegum Euchariſtiam indigne ſumentem, 1384. XIV. Ejuſdem exemplum in ſacrilegum iconomachum, 1383. X. Exemplum aliud in ſacrorum raptores, XI. Joannes Rex Caſtellæ Guadalupeo templo expilato, a Luſitanis maxima clade fuſus, 1385. XI. Aliud inſigne in Euchariſtiam tellure infodientes & ſacri ornatus direptores, 1386. VII. Petrus Rex Aragonum, dum jura Tarraconenſis Eccleſiæ diripit, a S. Tecla percuſſus alapa, regno & vita exuitur, 1387. X.

Samagitæ a Jagellone Wladiſlao Rege ad Chriſtum ab ignis, arborum, ſerpentumque cultu traducti, 1386. V.

Sancti: Eos orandos inſignibus miraculis ad ſepulchrum B. Joannis Brydlingtonienſis contra Wicleffiſtas demonſtratur, 1389. XIX. B. Ethelreda virgo & martyr revelat ſe orare pro Anglicano populo revelationemque duobus inſignibus miraculis confirmat, XIX.

E Sangro Cardinalis Urbani VI. legatus in Caroli Dyrrachini exercitu, 1381. XXIV. Schiſmaticos præſules exauctorat, *ibid.* Giffonium pſeudocardinalem ad purpuram in rogum ardentem coniiciendam adigit, *ibid.* Reginam Margaritam corona cingit, XXVI. Conjurat in Urbanum cum aliis Cardinalibus, 1385. II. Tormentis ſubiicitur, *ibid.* Clam necatur Urbani juſſu cum aliis quatuor, 1386. XI.

Sardinia: Ob vectigal ac ſacramentum intermiſſa Petrus Aragonum Rex in jus vocatus, 1365. XI.

Satalia a Petro Cypri Rege expugnata, 1361. VIII. A Turcis erepta Cyprio Regi, 1373. VIII.

Sauzes Amuratis filius: In eum conjurat, 1374. IV. Pater ipſum opprimit, & obcœcat, *ibidem.*

Scaligeri principatu Veronenſi a Joanne Galeatio Mediolanenſi pulſi, 1387. XIII.

Schiſma: Schiſmatis a Palæologo damnati formula, 1369. III. Propoſita Græcis ſchiſmatis ejurandi formula, 1370. XIII. Græcanicum ſchiſma damnatum a Valachis, 1374. IX. Schiſma ſub Urbano VI. prædictum triennio ante a S. Catharina Senenſi, 1378. XXII. Deſignat illius authores, *ibid.* Prædicta cauſa, *ibid.* Ejuſdem virginis de Schiſmate ſententia, *ibid.* Prædicta ab eodem bella ſecutura in agro Romano, ſed longe atrociora in Regno Neapolitano, *ibid.* Prædictum etiam a Petro principe Aragonio, *ibid.* Robertus Gebennenſis illius author maximus, *ibid.* Carpente Urbano acerbius Cardinalium, Epiſcoporum, & curialium mores concitata in eum omnium odia, 1378. XXIII. Triplex illius conflandi cauſa allata ab Anglis, LI. §. XV. Ratio illius cauſa ferendæ correptionis impatientiæ aſcripta a S. Catharina Senenſi, 1378. LV. Schiſmatici Cardinales appellati ab eadem S. Catharina dæmones humana carne induti, *ibid.* Carolus V. Francorum Rex ſchiſmatis propagator promulgatus a ſchiſmaticis, LXII. Schiſmaticorum literæ fundamentales ſchiſmatis, LXIII. & *ſeq.* Expoſitæ Regi Caſtellæ ab Urbano rei geſtæ hiſtoria, LXXIII. *Uſque ad* CIV. Schiſmatis authores, ac promotores ab Urbano in jus vocati, CV. Decretoria Urbani in eoſdem ſententia, *ibidem.* Triumphat Wicleffus de ſchiſmate una cum ſuis tanquam id exitium extremum ſit Eccleſiæ allaturum, CXVIII. Inde erigit ſe ad ſpargendas hæreſes, *ibid.* Schiſmatis cauſam negant ſchiſmatici cognoſcendam a Concilio œcumenico, 1379. III. Caſtellani in Toletanis conventibus decernunt concilii œcumenici ſequendam ſententiam, V. Schiſmatici a Petro Aragoniæ principe Minorita dicuntur Nicolai-

tæ, quia Eccleſiam primum electo deſponderint, dein adultero antipapæ tradiderint, VI. Oſtenſum eidem divinitus ſchiſma imminens, & prænuntiatum ſecundo electum futurum Herodem Chriſti perſecutorem, ſub cujus gladio millia, & millia innocentium ſint peritura, *ibid.* Henricus Rex Caſtellæ ob non ejectum Petrum e Luna ſchiſmatis propagatorem morte divinitus percuſſus, VII. Schiſma idem ante triginta annos prædictum a S. Birgitta, VIII. Prænuntiatum etiam fuit a Joanne e Rupeſciſſa, XII. Clades ab eodem ſchiſmate invehendæ prædictæ, & prædictus modus, quo conflandus eſſet, *ibid.* Prædictum Cardinales ſophiſmatibus phantaſticis electionem canonicam Pontificis impugnaturos, *ibid.* Chriſti providentia in permittendo ſchiſmate, XLVIII. Galli ſchiſmatis odio gravibus bellis attriti, 1380. IX. Carolum V. Regem ſchiſmatis conflati pœnituit in extremo vitæ actu, X. Divina ultione percuſſum periiſſe ob ſchiſmatis ſcelus teſtatus eſt Rodericus Ruizius prophetiæ dono clarus, *ibid.* Schiſmatis fundamenta impudentiſſima mendacia fuere, veluti Cardinales, quandiu Romæ egerint metu in conſtantes viros cadente fuiſſe perciros, & Urbanum evidenter intruſum; at non evidens eſſe orbi reſpondet Toletanus Archiep. ſi maxima pars orbis adhæreat Urbano, XVI. Deplorat conjectas ex ſchiſmate in maximos æſtus piorum conſcientias, XVII. Infideles Chriſtianis diſſidentibus inſultare, *ibid.* Ad evertendum Chriſtianum imperium armari audacia, *ibid.* Schiſmatis cauſam concilii judicio committendam negant ſchiſmatici, ut hæreſeos cauſam illi committendam negant hæretici, XVIII. Viſa numinis ira ſchiſmaticos urgere, 1381. XXV. Præſules ſchiſmatici in regno Neapolitano exauthorati, *ibid.* Pſeudocardinalis Giffonius purpuram in ignem coniicit, XXVI. Schiſmatis damnandi formula præſcripta ab Urbano, XXVII. Joannes Rex Caſtellæ ad antipapam deficit, 1381. XXX. A Florentino & Mediolanenſi Cardinalibus apoſtatis ſubornatus eſt, XXXI. Arrogat ſibi ſententiæ dicendæ authoritatem in cauſa, quæ non ad ipſum, ſed ad concilium œcumenicum ſpectabat, *ibid.* & XXXII. Deflexit ab æquitate ob politica commoda, XXXII. Prædicta illi divina ultio, *ibid.* Pactiones ab illo cum antipapa confectæ, XXXIII. Luſitani graviſſimis argumentis ſchiſmaticos repellunt, XXXIV. Petrus olim S. Euſtachii Cardinalis in extremo vitæ actu publicis tabulis ad ſchiſma confirmandum promulgat Urbanum factione Romanorum creatum, Clementem vero Pontificem juſtum eſſe, *ibid.* & XLIII. Anticardinales ſe ad ſchiſma propugnandum ſacramento devinciunt, *ibid.* Collapſa in Galliis ob ſchiſma diſciplina eccleſiaſtica, *ibid.* Animarum & corporum ſtrages ex ſchiſmate, XLVII. Armenia a Saracenis occupata nullam opem ob ſchiſma ferentibus Chriſtianis, XLIX. Trecenta ſchiſmaticorum Moſcovitarum millia in Livoniam irruunt, 1381. L. Divinitus cæſo duce pulſi Torpatho, *ibid.* Urbani decretoria ſententia in Joannem Caſtellæ Regem, 1382. XII. *& ſeq.* Schiſma auctum Urbani inclementia in puerum Ladiſlaum expoſito ſchiſmaticis regno Neapolitano dum illud affectat, 1387. II. Propoſitum a ſchiſmaticis concilium œcumenicum pro dirimenda controverſia ſchiſmatis, IX. Ob ſchiſma Afri Siciliam infeſtant, 1388. I. Turcæ in Græcos debacchati, III. Inſtitutum ab Urbano VI. Feſtum Viſitationis Sanctiſſimæ Virginis pro implorando ejus ad tollendum ſchiſma patrocinio, 1389. III. Confirmatum a Bonifacio IX. *ib.* Pro abolendo ſchiſmate Bonifacius antipapæ Gallicam & Caſtellanam legationem, & Cardinalatum anticardinalibus proponit, 1390. XII. Solicitati ab eodem Bonifacio Reges, ut ut ſchiſmati tollendo dent operam, VIII. Formula damnandi ſchiſmatis ab eo propoſita, IX. Cardinales deliberarunt Anagniæ an conflandum eſſet ſchiſma, & conflandum decrevere, 1391. XXIV. Pro ſchiſmate ſedando controverſiam in concilio œcumenico dirimendam oſtendit Joannes e Monteſono, XXVI. Sorbonici doctores exponunt Gallo Regi ingentia ſchiſmatis mala, 1394. III. Anticardinales fremente antipapa de ſchiſmate diſſolvendo agunt, IV. Irriſi ob ſchiſma a Mahometanis Chriſtiani, 1394. III. Argumenta quæ torſere ſchiſmaticos, 1394. X. Primo electum aliquandiu pacificam poſſeſſionem nactum, *ibid.* Secundo electum induxiſſe ſchiſma, & pacificam poſſeſſionem numquam nactum, *ibid.* Ex Urbani caſu evidentem eſſe ejus juſtitiam, *ibid.* Ex caſu ab ipſis Gallis enarrato controverti jus Clementis antipapæ, inter doctores, *ib.* Illius juſtitiam fundari in actu momentaneo & incerto, *ib.* Urbani juſtitiam fundari in facto ad quatuor menſes propagato, *ib.* Schiſmatis damnandi formula, XVII. Ex ſchiſmate in hæreſim eſt facilis lapſus, 1394. XVIII. Generale concilium ſuſpectum habent, 1395. V. Falſum dogma pro axiomate fidei ſtatuunt, nempe antipapam vel ambiguum Pontificem non poſſe judicari a concilio, *ibid.* & XIII. Schiſmatis propagati offendiculum vocant ſcandalum Phariſæorum, VI. Electionem Pontificis non eſſe judicandam ab Eccleſia an ſit vera, *ibid.* Petrum e Luna, quod diceretur ab ipſius ſectatoribus papa non habere judicem, XIII.

Schiſmatici Cardinales: Diſceptat Joannes e Lignano an Cardinalibus credendum ſit contra Urbanum, *in Append.* I. An promulgatio de impreſſione populari fuerit canonica, *ibid.* An potuerint ad electionem venire, *ibid.* Argumenta pro Cardinalibus, II. Soli videntur teſtari de iis, quæ ab ipſis acta ſunt, III. Aliæ eorundem argutiæ, *ibid. & ſeq.* Argumenta adverſus apoſtaſiam Cardinalium, X. Cur non ſit iis credendum, XI. Judiciarium ordinem non potuere exercere in Pontificem, XII. Si judicium exercendum fuit, illud ſpectavit ad concilium, *ibid.* Non fuere juridica eorum teſtimonia, *ibid.* Judices, teſteſque eſſe non potuere, XIII. Eorum narratio auctoritate caret, *ibid.* Argumentum de Epiſcopi teſtimonio non valet, ſi ſit adverſarius, XIV. Quodnam fuerit conflati ſchiſmatis fundamentum, XVI. Demonſtratur adverſum eos non fuiſſe factam impreſſionem, *ibid.* Tempore electionis aſſeruerunt pure & libere eligere: Ergo de contrario iis credendum non eſt, XVII. Non fuere adacti, ut eligerent animo & intentione, ut eſſet verus Papa, XVIII. Addidere hæc verba, quia aliqui dixerant Romanum, vel Italum fictione deligendum, *ibid.* Contrarii voluntatum motus fuere initio in Cardinalibus, XX. Poterant eligere transalpinum, aut electionem ſuſpendere, *ibid.* Inſtar nautæ proiicientis merces pontificatum Italo detuliſſe ajebant, XXII. At verba addita *Ut ſit verus Papa*, pronuntiata libere demonſtratur, *ibid.* Non facta eſt impreſſio ſi Romanum excluſere, XXIII. Romanum populo expetente, impreſſionis vim eluſere, *ibid.* Deliberatio de non eligendo Romano fuit maxime libera, *ibid.* Si voluiſſent eligere ad nutum imprimentium, non deliberaſſent, *ibid.* Excutitur an ſint teſtis omni exceptione majores, XXIV. Quæritur in quo judicio; & coram quo judice ſint teſtes inducti, *ib.* Ipſi actoris, teſtium, judicis advocati partes egere, *ib.* Omnem judiciorum ordinem pervertere, *ib.* Impreſſionem notoriam aſtruunt, quam negant catholici; Ergo non fuit notoria, XXV. Falſiſſimum aliud eorum, quod teſtentur ad utilitatem publicam, *ibid.* Non fuere judices deputati, *ib.* Quod nullo jure licere poteſt, ſibi Cardinales illud arrogarunt, XXVI. Falſo fundamento niſi ſunt ad ſchiſma conflandum, quod Cardinales ſint judices Pontificis, XXVI. Si vacabat ſedes: Ergo nullam habuere juriſdictionem, *ibid.* Effutierunt quod hæc cauſa non Cardinalium, ſed cauſa Eccleſiæ eſſet, XXVII. Non citarunt Urbanum, utque ſe defenderet denegarunt, *ibid.* Defenſio erat de jure naturali debita Urbano, *ibid.* Per tyrannidem omnia officia judicum, teſtium, partis, & advocatorum uſurparunt, XXVIII. Non fuiſſe factam impreſſionem contra ipſos demonſtratur, XXIX. Negatur iis credendum, quia colloquia ex mala fide procedunt, XXX. Negatur ex fama rebellandum adverſus Pontificem toto orbe agnitum, XXXI. Manarat illa ab adverſariis ſolis, *ibid.* Per electores etiam extra urbem in loco libero fuit approbatus, in quo poſtea contradixere, *ibid.* Exauctorare Pontificem toto orbe cultum non potuere ea ratione, qua ne quidem exauctorari clericus poſſit, *ibid.* Nunquam auditum ex ficta notorietate impreſſionis exauctoratum Pontificem, *ibid.* Contendere nullo ſervato juris ordine eiici potuiſſe, *ibid.* & XXXII. *Vid. titulos inſcriptos* Urbanus VI. Baldus. Joannes e Lignano. Cardinales Galli.

Schiſmatici principes divina ira percuſſi: Schiſmaticos Reges & antipapa divina ira plectendos prædicit Petrus princeps Minorita nepotibus ſuis Regibus, 1379. XLVII. *& ſeq.* Divina in Petrum Aragonum Regem ob ſchiſma vindicta, 1379. XLV. Henricus Rex Caſtellæ ob non ejectum regno Petrum e Luna e vivis ſublatus, 1379. VII. Divinam illi iram prædixerat Petrus princeps Minorita, *ibid.* Carolus V. Francorum Rex divina ira percuſſus exareſcit, 1380. IX. Petrus Aragonum Rex filium regni hæredem ingrediente Petro e Luna amittit, XLVII. Intentata illi divina ira, *ibid.* Neapolis Regina Joanna cum Othone viro e ſolio in carcerem conjecta deinde laqueo præfocata, 1381. XXIV. *& ſeq.* Prædictum illi fuerat a S. Catharina exitium, *ibid.* Ferdinandus Rex Luſitaniæ Petrum e Luna excipiens e vivis tollitur, XXXVI. Amedeus dux Sabaudiæ in expeditione Neapolitana periturus ſcelus deflet, 1383. IV. Ludovicus Andegav. maximis dotibus ornatus princeps ſuſcepto ſchiſmatis patrocinio infeliciter perit, 1384. II. *& ſeq.* Carolus III. Siciliæ Rex Urbani anathemata contemnens proditione cæſus, 1386. II. Leopoldus dux Auſtriæ ſchiſmaticus dum perſequitur catholicos Helvetios, trucidatur in prælio, VIII. Petrus Rex Aragonum, qui acephalum ſe conſtituerat, inflicta divinitus morte percuſſus, 1387. X. Angelus e Vico Urbani hoſtis ſchiſmaticus conciſus in fruſta, 1387. XII. Joannes Rex Caſtellæ aucti ſchiſmatis reus, ex equo in terram alliſus repente moritur, 1390. XX. Sæpius admonitus, XXX. A pio eremita, ut abolendo ſchiſmati operam navaret illum in carcere incluſit, 1390. II. Ejus mors cuidam eremitæ in carcere oſtenſa, *ibidem*. Raynaldus Urſinus ſchiſmatici exercitus dux Aquilæ a ſuis contrucidatus, 1391. XXV. Carolus VI. Francorum Rex cum in exitium Bonifacii IX. conſpiraſſet mania percuſſus, 1392. VII. Clemens antipapa ex ira & dolore apoplexia contracta perit, 1394. IV. Magna præſulum multitudo non curantium tollere ſchiſma caſtigata morte, 1394. XIV. Joannes Rex Aragonum qui ſententiam pro antipapa tulerat, ſibi caput illidit ex equo dejectus, 1395. XIX.

Schiſmaticorum conſecratio valida inſigni miraculo demonſtratur, 1392. IX.

Scoti ſubeſſe Anglicæ coronæ detrectant, quamvis Davide eorum Rege id paciſcente, 1358. IV.

Scriptura Sacra: Non quilibet illius ſenſus, ſed quem ab Apoſtolis accepit Eccleſia amplectendus, 1381. XLIII. Negat Chriſti fidem, qui verba Chriſti adulterat, 1382. XXIX. Id tantum credendum, quod in ſcriptura ſacra continetur effutiit Joannes Wicleffus, 1396. XV. Refellitur, *ibid.* & XVI. Ambiguarum propoſitionum ſcripturæ interpretatio petenda ab Eccleſia, XVI. Eliciunt Wicleffiſtæ ſabbatum obſervandum, non diem dominicum, eo quod Sabbatum in ſcriptura præcipiatur, *ibid.*

Seditio: Ante Romanorum ſeditionem celebrata Urbani VI. electio 1378. IV. & 1379. XIX. *& ſeq.* Ob inanes rumuſculos excitari cœpta, *ibid.* Vera illius auctæ cauſa, 1378. LXXXVII. Seditio in Urbanum a dæmonibus concitata, 1379. XXXIV.

Senenſes docentur, falſam eſſe calumniam impactam Gregorio XI. de affectata Etruria, 1371. VII.

Septentrio: In extremis ſeptentrionis oris dæmones coluntur, 1387. XVII.

Serpentes inſeſſi dæmonibus pro diis culti a Samagitis & Lithuanis, 1376. V, & 1387. XV. *& ſeq.*

Sicilia citerior: Ad temperandum illius ſtatum Ægidius Card. legatur, 1359. V.

Siciliæ inſula ad Gallici generis principum obſequium redit, 1356. XXXI. *Vid.* Trinacria. Divulſa a citeriori, 1372. V. Siciliæ inſula infeſtata a Mauris Afris, 1388. I. In eoſdem Siculi claſſem comparant, *ibid.* Gerbas ſubiiciunt, 1389. VI. Civili inter ſe bello certant, 1391. V. Miſſus a Bonifacio ad eos conciliandos internuntius, *ibid.* Diviſa in quatuor tetrarchias ſive præfecturas a Bonifacio IX. VI. Quibus pactis Friderico Regi fuerit conceſſa, VII. Ut Maria Regina illius jure exciderit, VIII. Si Maria ad Eccleſiam catholicam redierit, jus regni illi reſervatum, IX. Sacramenti a tetrarchis exigendi formula, X. Initum a tetrarchis fœdus ad Martinum Aragonium ſchiſmaticum ab inſulæ imperio arcendum, XII. Siculi in Mariæ & Martini fidem ac poteſtatem revocati, 1392. III. In eoſdem arma capiunt cum defeciſſet ad antipapam, *ibid.*

Sigiſmundus Caroli IV. Cæſaris ſecundus natu filius Marchio Brandeburgenſis poſtea Rex & Imperator deſponſa in uxore Maria Hungariæ Regina in regni poſſeſſionem vocatus, 1382. XXVI. Ab Eliſabetha Regina pro nuptiis cum Maria celebrandis accerſitus, 1385. IX. Carolum Regem Neapolitanum ab Hungaris excitum veritus ſecedit in Bohemiam, *ibid.* Cæſo proditione Carolo Rege in Pannonia redit, 1386. III. Mariam Reginam vinculis liberat, *ibid.* Conjuratis oppreſſis regnum capeſſit, *ibid.* & 1387. XIV. Ab Amurate vexari cœptus, 1394. XXIII. A Bajazete petitus bello, 1395. XXIII. Ad Nicopolim cruento prælio cæſus, 1396. XVIII. Rhodum uſque fugit, *ibid.*

Simon Buccanigra Genuenſium dux præturam Genuenſem, deturbato Mediolanenſi præfecto, corripit, 1356. XXX. Auget publicam rem, 1357. VIII. De Sardinia cum Aragonio certat, *ibid.* Poſtulatur de concordia a Pontifice, *ibid.*

Simon tit. S. Sixti presbyter Card. ad pacem

Anglicam promovendam legatus a Gregorio XI. 1371. I. Fruſtra labores conſumit, II.

Simon e Brouſano creatus Cardinalis a Gregorio XI. 1375. XXXI.

Simon Cardinalis Mediolanenſis una cum Cardinalibus Florentino & Urſino concilium œcumenicum Cardinalibus Gallis proponit, 1378. XLII. Pſeudopontificatus falſa ſpe ineſcatus Fundos accedit, LV. Illuſus ſpernitur, *ibid.* Objurgatur a S. Catharina Senenſi ignaviæ & ſuperbiæ, *ibid.* Præbita illi veniæ ſpes ab Urbano VI. CXIV. Metuens ejus ſeveritatem ad antipapam deficit cum Petro Florentino, 1380. XX. Veritatem electionis Urbani obſcurat mendaciis, *ib.*

Simon e Suberia Archiep. Cantuarienſis ſegnior in plectendo hæreſiarcha Wicleffo ſegnitiam cruore luit, 1380. XXIII. Trucidatur a Wicleffiſtis, 1381. XXXIX. *& ſeq.* Ejus interfector deluſus a dæmone perit, *ibid.* Claruiſſe miraculis fertur, *ibid.*

Simon Morinorum Epiſcopus ad antipapam deficit, 1391. IV.

Simon Archiep. Rhemenſis dictus Cramaudus Patriarcha Alexandrinus præeſt Synodo Pariſienſi habitæ pro cogendo Petro e Luna ad ponenda inſignia pontificalia, 1395. XIV.

Singulares pugnæ: Monitus Cypri Rex, ut a ſingulari pugna abſtineat, 1367. XIV. Impie permiſſa a Roberto Gebennenſi, eodemque poſtea Clemente VII. antipapa, 1376. VIII. *& ſeq.*

Smyrna Rhodiis equitibus ad quinquennium concredita, 1374. VII.

Somnus: Dum ad ſomnum ſe comparabat Urbanus VI. a cubiculario ſibi biblia perlegi jubebat, 1378. III.

Speculum Saxonum contaminatum erroribus, 1374. XII. Damnatum a Pontifice, *ibid.*

Stella: Exequias S. Catharinæ Suecæ illuſtrare viſa, 1381. XLVI. Alia ſtella cohoneſtare viſa tranſlationem capitis S. Dominici Bononiæ factam, 1383. X. Stellæ portentoſæ inter ſe concurrere viſæ, 1395. XXIII.

Stephanus dux Ludovici Bavari filius de paterna factione & hæreſi ſecuta veniam poſcit, 1362. XV. *& ſeq.* Profitetur, Rom. Pontificem a Cæſare exauctorari non poſſe, *ibid.* Bellum gerit cum Auſtriaco, 1364. XII. Delectus a Bonifacio IX. concordiæ cum antipapa interpres, 1390. VI. Inſtructus authoritate pro Cardinalatu ſpondendo anticardinalibus & Gallica Caſtellanaque legatione antipapæ, *ibid.*

Stephanus Alberti Epiſc. Carcaſſonenſis Innocentii VI. nepos creatus ab eo Cardinalis, 1361. IV.

Stephanus de Lanich Minorum affectus martyrio Jeroſolymis, 1391. XXXIII.

Stocholmenſes a Germanis immaniſſime cæſi, 1389. XXIII. Vindicata fulminibus eorum cædes, *ibid.*

Strazymirus princeps Albaniæ ad Rom. Eccleſiæ conjunctionem reverſus, 1368. XIX.

Suecia Daniæ & Norvvegiæ conjuncta, 1395. XXIV.

Suffraganei Epiſcopi: Præſtitum apud Sedem Apoſtolicam Sacramentum metropolitanis repetere debent, 1370 XX.

Superbia: Superbiæ turris evertitur, cum maxime aſſurgit in nubes, 1394. II. Gebennenſium principum ſtirps exciſa cum ex illato in domum antipapatu amplificanda putaretur, V.

Supplicatio ſolemnis nudis pedibus ab Urbano VI. peracta a S. Maria Tranſtyberina ad Baſilicam S. Petri, 1379. XXV. Poſt damnatas Wicleffi hæreſes in Londinenſi Synodo ſolemnis ſupplicationis pompa nudis pedibus agitata, 1382. XXXVI.

Supplicium: Ultimo ſupplicio afficiendis negabatur in Gallis pœnitentia, 1375. XXVIII. Sublata ea corruptela ad Gregorii XI. preces, *ibid.*

Suppolares gentes ethnica ſuperſtitione irretitæ, 1387. XVII.

Synodus: *Vid.* Concilium.

# T

Talayrandus Cardinalis ad Gallos cum Anglis conciliandos ab Innocentio VI. miſſus, 1356. I. Imminente pugnæ inter Gallos & Anglos diſcrimine, ad utraque caſtra commeat, VII. A Gallo Rege faceſſere jubetur, *ibid.* Divina in Gallum vindicta, *ibid.* Eo capto, Talayrandus curas ad pacem conciliandam juſſus intendere, X. Pro liberando Rege Gallo deſudat, 1357. I. *& ſeq.* Diu in Anglia moratus, re infecta redit, *ibid.* Ad pacem inter Delphinum & Regem Navarræ conciliandam incumbit, 1358. II. *& ſeq.* Creatus in exercitu cruceſignato legatus, 1363. XVI. Eo mortuo, ſubrogatur Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus, 1364. XXIV.

Tamerlanes Edigam ducem in Moſcoviam mittit, 1395. XXIII. A Moſcovitis ope Virginis propulſatus, *ibid.* Vitoldum ducem Lithuaniæ ultra Tanaim obvium fundit, 1390. VIII. Propulſatus Lituania ab Wladiſlao Rege Poloniæ, *ibid.* Diro comete prænuntiatæ ejus graſſationes, *ibid.*

Tarracona: ſupremum illius imperium a Raymundo Berengario comite, illius expugnatore, collatum Romanæ Eccleſiæ, 1359. III. Tarraconenſis Eccleſiæ privilegia inſtaurata, 1359. III. Tarraconenſis Eccleſiæ jura S. Tecla tuetur contra vim Petri Regis Aragonum 1387. X.

Tartari: Miſſi ad Tartaros Epiſcopi & Sacerdotes, 1370. IX. Pontificiæ ad eos literæ, IX. X. XI.

Tarviſium a Venetis partum, 1388. V.

S. Tecla Petrum Regem Aragonum vexantem Eccleſiæ Tarraconenſis ipſius clientelæ commendatæ jura alapa percutit, & vitam ei eripit, 1387. X.

Tempeſtas: Æſtuoſum mare, projecta in ipſum cruce, ſedatum a B. Petro Thoma, 1361. X.

Templa, *Vid.* Baſilicæ & Eccleſiæ.

S. Thomas Apoſtolus: Apud Orthonam reliquiarum ſuarum particula donat S. Birgittam, 1361. XXXI.

S. Thomas Aquinas: Illius reliquiæ Fundos, dein Toloſam tranſlatæ, 1368. XV. Sacrum ſpirant odorem, *ibid.* Ut de iis certatum fuerit inter Ciſtercienſes, & Prædicatores, *ibid.*

Thomas exepiſcopus Aquinas Fraticellorum caput, 1357. XII. Comprehendi jubetur ab Innocentio VI. *ibid.*

Thomas Ungarus Minorita pro fide cæſus a Mahometanis, 1358. VII.

Thomas Patriarcha Gradenſis ad Genuenſes a Cyprio bello retardandos miſſus, 1373. VIII.

Thomas Urſinus de Manupello creatus diaconus Cardinalis S. Mariæ in dominica, 1381. XXVI.

Thomas e Caſſato ordinis Prædicatorum ab antipapa in anticardinalium numerum aſcriptus 1382. II.

Thomas dux Glocestriæ deſerit Wicleffi patrocinium, 1380. XXI. Expeditionem ducit in Gallos ſchiſmaticos, 1382. XXXVIII. Plures provincias atterit, *ibid.*

Thomas Arundelius Archiep. Cantuarienſis ſynodum celebrat adverſus Wicleffiſtas, 1396. IX.

Ti-



Tiraſona capta & cruore fœdata a Rege Caſtellano, 1357. IX.

Tirolenſis comitatus Auſtriæ a Rudolpho adjunctus, 1364. XII.

Toloſa: Nova hæreſis, in ea urbe exoriens, ſtudio Gregorii XI. extincta, 1372. XXXV.

Tordo Epiſc. Stengrenenſis S. Catharinæ Suecæ fuit conjunctiſſimus, 1381. XLVI. Cum ejus defunctæ manum comprehendiſſet, viciſſim ſuam ab ea premi ſenſit, *ibid.*

Torpathum divinitus Moſcovitarum obſidione Sanctiſſimæ Virginis ope liberatum, 1381. L.

Tranſlatio reliquiarum S. Thomæ Aquinatis, 1368. XV.

Trinacria: Quis in hereditaria Trinacriæ ſucceſſione ſervandus ordo, 1372. IX. Quo caſu ad ſedem Apoſtolicam devolvenda, *ibid.* Illegitimi Trinacriæ regno excluſi, X. Cum Germania, vel Etruria, aut Inſubria non conjungi poſſe Trinacriam, decernitur, XII. *& ſeq.* Sacrorum uſus in Trinacriam revocatus, XIX. Creatur a Gregorio XI. illius Rex Fridericus, XXIV. Divulſa a Regno Neapolitano, XXV. Trinacria Sedis Apoſtolicæ vectigalis agnita a Friderico Rege, 1374. XIX. *Vid.* Fridericus junior Rex Trinacriæ.

Trincius Fulgenas, 1375. XVIII.

Tudertum ab Urbano deficit, 1382. XI. Solicitati ad officium Tudertini propoſita venia finitimos inficiunt, *ibid.* Ad Urbanum redeunt, 1387. XII. Cenſuris ſoluti, *ibid.* A Malateſtis Tudertum occupatum, 1392. IV. Traditum Biordo tyranno, 1394. XXI.

Tunetum a Gallis, Anglis, ac Genuenſibus oppugnatum, 1390. XXI.

Turcæ: Jo. Palæologus Imp. Conſtantinopol. reverſus ad Eccleſiæ obſequium auxilium in Turcas poſcit, 1356. XXXIII. De Turcis coercendis agitatum, XXXV. *& ſeq.* Turcæ in Græcos graſſantur, XXXVI. Victi ab hoſpitalariis, 1359. XV. Ad eorum coercendas graſſationes creatus legatus Apoſtolicus ab Innocentio VI. XVI. Victi a Genuenſibus in Ponto Euxino, 1361. VIII. Didymotichum ſibi ſubiiciunt, *ibid.* Achajam infeſtant, 1364. XXVI. Joannes Palæologus ſocialia in eos arma ſpondet, 1364. XXVII. Græciam depaſcunt duce Amurate, 1371. VIII. Italiæ minatur exitium, *ibid.* Anglus ad vertenda in eos arma ſolicitatus, *ibid.* Sataliam expugnant, 1373. VIII. Rhodii equites in Aſiam adverſum eos iterum ſedes transferre juſſi, IX. Græcos ſervituti ſubiiciunt ob ſchiſmatis ſcelus, 1374. IV. Ingenti molimine obſident Conſtantinopolim, & repelluntur, 1394. XXIII. Irrumpunt in Pannoniam, Dalmatiam, Serviam, & Achajam, *ibid.* Chriſtianos ad fidem damnandam cogunt, *ibid.* Indicta in eos ſacra militia a Bonifacio, XXIV. Bajazethe duce Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, & Atticam ſubigunt, 1395. XXIII. Bulgariam infeſtant, *ibid.* Ad Nicopolim cæſis viginti Gallorum millibus & ſuorum ſexaginta millibus amiſſis cruentam victoriam referunt, 1396. XVIII. Sæviunt in dedititios, *ibid.*

Turlupini, ſive Begardi graſſantur in Galliis, 1373. XIX. Solicitatus in eos Carolus Francorum Rex, *ibid.* Exuſti Pariſiis, XXI. De ipſorum hæreſibus, *ibid.*

Tyranni: Raynaldus Urſinus Urbis veteris tyrannus trucidatus a ſuis, 1391. XXV. Carolus III. dum regnum Ungariæ eripit Mariæ cæſus, 1386. I. Angelus e Vico in fruſta conciſus, 1386. XII. Biordus Peruſii tyrannus cæſus a ſocio, 1396. I.

# V

Valachia: Principis Valachiæ mater catholica, 1370. V. Filiam Imperatricem Bulgariæ ad fidem convertit, *ibid.* Fides catholica ibi amplificata, 1374. IX.

Valdenſes: *Vid.* Waldenſes

Valentinus Epiſcopus Quinqueccleſienſis creatus presbyter Cardinalis S. Sabinæ, 1379. XXXIX.

Valerannus hæreſim de Chriſto impanato induxit, 1381. XLIII. Illa a Wicleffo, deinde a Luthero ſuſcepta, *ibid.*

Vanitas rerum: Humana felicitas vitrea eſt, 1360. XVI.

Vaticana Baſilica: Jacobi Regis Aragonum in ea locupletanda munificentia, 1369. XVI. Et Regum Neapolitanorum, *ibid.*

Vaticinia: S. Birgittæ vaticinium de Græcis ob ſchiſma in barbaricam ſervitutem redigendis, 1374. IV. Vaticinia inter Syros & Afros Saracenos de ſuperſtitione Mahumetica excindenda, 1375. X. De iis Gregorius Reges certiores facit, *ibid.*

Ubaldinus electus Cortonenſis decretus a Bonifacio IX. in Germaniam internuntius, 1390. V.

Venatio: Joannes Rex Aragonum excuſſus equo in venatione perit, 1395. XIX.

Veneti: In Venetos bellum gerit Ungariæ Rex, rogaturque a Pontifice, ut arma vertat in Raſcios, 1356. XXIX. B. Petrus Thomas concordiæ interpres adhibitus, *ibid.* SS. Fortunati & Hermagoræ martyrum corpora a Patriarcha Aquilejenſi repetunt, XXXI. Fœdus cum Pontifice inſtaurant adverſus Turcas, XXXII. Pacem ſanciunt cum Ludovico Rege Ungariæ, & quibus legibus, 1358. I. Rebelles Cretenſes domant, 1364. VIII. Ad ipſos cum Patavino principe conciliandos incumbit Urbanus V. 1363. VI. Eorum laudes, *ibid.* Solicitati ad inſtruendam claſſem pro Cyprii Regis exercitu tranſportando, XXIII. Veneti edicta in ſchiſmaticos ſacerdotes proponunt, 1373. Id deinde non ſervatur, *ibidem.* Veneti cum Genuenſibus atrox bellum gerunt, 1378. CXIX. Genuenſium claſſem opprimunt, *ibid.* Famaguſtam oppugnant, *ibid.* Pacem petunt a Genuenſibus, & repulſam patiuntur, 1379. LIV. Fundunt Genuenſes, *ibid.* Calojoannem imperio Conſtantinopolitano reſtituunt, *ibid.* Genuenſes ſecundis ſucceſſibus elatos vincunt, 1380. XXVIII. Pacem cum ipſis inſtaurant, 1381. XXXVII. Pro navi inique expilata a Margareta Regina Neapolis Corcyram illi adimunt, 1385. IX. & 1386. VI. Argon & Neapolim a Maria Regina Siciliæ comparatas ſuæ ditioni adjungunt, 1388. V. Armorum ſocietatem ineunt adverſus principem Patavinum, ejuſque ditionem partiuntur, *ib.* Potiuntur Tarviſio, *ib.* Solicitati a Bonifacio IX. ad reprimendos Amuratis in Chriſtianos progreſſus, 1394. XXV.

Verona a Joanne Galeatio duce Mediolanenſi occupata, 1387. XIII.

Viaticum quam pie ſuſceptum a B. Petro Thoma, 1366. XVIII.

Vicentia occupata a Joanne Galeatio Vicecomite, 1387. XIII.

Victoria: Cæleſti vi debellati infideles, & capta Alexandria, 1365. XIX. *& ſeq.*

Viennenſis academia: Eam, Rodulphus dux Auſtriæ condi flagitat ab Urbano V. 1364. XII.

Vilna dæmonum ſuperſtitione liberata, 1387. XV.

Vilnenſes conventus: In iis decretum a Lithuanis ſuſcipiendam religionem Chriſtianam, 1387. XV.

Vil-

Vilnenſis epiſcopatus conditur, 1387. XV.

Vinricus cruciferorum equitum magiſter Lithuaniam populatur, 1357. VI. & 1360. XII. Keiſtutum capit, *ibid.* Lithuanos magnis cladibus afficit, 1366. XXIX. & 1370. XXVII.

Vindicta divina : *Vid.* Juſtitia divina.

Virginitas Deiparæ negata ab hæreticis, *Vid.* Deipara.

Viſa : Crux e cælo ſanguinea oſtenſa, 1361. V. Exercitus in aere viſi, *ibid.*

Viterbium in Bonifacii fidem ac poteſtatem revocatum, 1393. II.

Vitoldus dux Lithuaniæ : *Vid.* Witoldus

Umbræ efficiæ a dæmonibus ad danda in igne oracula, 1387. XVI.

Uncia auri : Ejus valor, 1372. XX. *& ſeq.*

Unctionis extremæ ſacramentum a Wicleffo oppugnatum, 1396. XIV.

Ungaria : *Vid.* Hungaria.

Voluntas : In quo conſiſtat Voluntatis actus libertas, XIX. *Tract.* Joannis e Lignano *in Append.* Poteſt admittere vel reſpuere aſſenſum vel diſſenſum, vel utrumque ſuſpendere, *ibid.* Actus primi complacentiæ vel diſplicentiæ non ſunt in noſtra poteſtate, XX. Voluntatis coactæ definitio, XXI. Actui interiori voluntatis vis inferri non poteſt, *ibid.* Actus externi & imperati poſſunt violentiam pati, XXII.

Urbanus V. ante pontificatum dictus Guillelmus Grimoaldus, abbas S. Victoris, miſſus ab Innocentio VI. Neapolim, 1362. II. Ait Florentinis, cum gaudio mortem ſe oppetiturum, ſi Apoſtolicam Sedem Italiæ reſtitutam videret, VI. Creatur Pontifex, *ibid.* Ejus patria & primitiæ, *ibid.* Divinæ providentiæ aſcripta ipſius promotio, *ibid.* Solemni ritu corona pontificia redimitur, VII. Encyclicæ ejus de accepto pontificatu literæ, VIII. Rogat Imperatorem & alios Reges, ut Eccleſiam Cæſarea potentia fulciant, IX. Convenitur a Joanne Gallorum Rege, X. Ad ejus preces ſuadet Joannæ Reginæ Siciliæ, ut ex Gallica ſtirpe virum accipiat, *ibid.* Confirmat conventa inter Joannam ipſam & Jacobum Balearem, XI. Judiciaria ſententia Bernabonem defigit, XII. Recenſet ejus ſcelera, *ibid. & ſeq.* Diſtringit in eundem arma, XIV. Stephanum ducem Bavariæ, & alios veteris factionis Ludovici ſequaces abſolvi jubet, XV. Convenitur a Rege Cypri, XVII. Nonnulla monaſteria condit, XIX. Tyrannos Italicos reprimendos ſuſcipit, 1363. I. Urget in Bernabonem judiciorum ſeveritatem, I. Damnat hæreſeos, *ibid.* Divinum præſidium ad ſententiam operi mandandam expetit, III. Partam de Bernabone victoriam marchioni Ateſtino gratulatur, III. Cruceſignatam expeditionem in Bernabonem indicit, IV. Sacrum bellum differt, donec Bernabos ſit redactus ad officium, *ibid.* Chriſtianos principes in eum fœdere conjungit, VI. Ad pacem demum illum adigit, *ib.* Patavinis & Venetis conciliandis dat operam, *ibid.* Et pacandis aliis principum diſſidiis, *ibid.* Conciliandis inter ſe Piſanis & Florentinis, *ibid.* Reſtituere urbi ſedem meditatur, *ibid.* Joannam Reginam Siciliæ cenſum intermiſſum perſolventem cenſuris liberat, VIII. Balearem de concordia cum ea ſervanda admonet, *ibid.* Intendente Baleari apud ipſum litem de regno Balearico, monet Aragonium, ut eam componat, IX. Cum Genuenſibus de Algucrio diſſidium conciliet, X. Jacta inter Germanum Ungarumque belli ſemina præfocat, XI. Caſimirum Regem Poloniæ ſolicitat, ut ex adulterii cœno emergat, XII. In bello contra impios morituris veniæ ſpem pollicetur, *ibid.* Sueco Rege plura adverſus Epiſcopum Lincopenſem obiicente, negat Urbanus, niſi probato crimine, exauctorandum transferendumve, XIII. Convenitur a Dano Rege, XIV. Creat Gallum Regem exercitus in orientem transfretaturi imperatorem, XV. Talayrandum Cardinalem legatum in Orientem decernit, XVI. Promulgat in Turcas cruceſignatam militiam, XVII. Imperatæ ſolemnes preces, XVIII. Præmittenda Regi Cyprio auxilia decernit, XIX. Imperatorem Carolum IV. ad promovendam eam ſacram expeditionem adhortatur, XX. Et Angliæ & Ungariæ Reges, *ibid.* Et alios principes, *ibid.* Venetos, & Genuenſes, *ibid.* Solicitat Venetos, ut claſſem pro tranſportando exercitu comparent, XXIII. Smyrnæ præfectum imponit, XXV. Fidei cenſores creat adverſus Waldenſes, XXVII. Ludovico Ungariæ Regi ſubſidiaria in Bernabonem arma promittenti, gratias agit, 1364. I. Bernabonem ad pacem adigit, III. Quibus legibus, *ibid. & ſeqq.* Etruriam pacare nititur, VII. Genuenſes monet, ne Cretenſium clientelam ſumant, VIII. Veneto duci de iis perdomitis gratulatur, IX. Et Imperatori & Regi Ungariæ de inita concordia, X. Advertenda in Saracenos arma ſolicitat, *ibid.* Imperator ad eum in Italiam ſtipandum paratum ſe offert, X. Ortum inter Auſtriacum & Bavarum bellum ſopire ſtudet, XII. Cracovienſem academiam inſtituit, XIII. Regem Daniæ Roſæ Aureæ munere exornat, XIV. Rebellantes illi cenſuris defigi jubet, *ib.* Ortam de Burgundia controverſiam inter Galliæ ac Navarræ Reges, componere nititur, XV. Indulgentiarum præmia adverſus fœderatos prædones pugnaturis proponit, eoſque diſſipat, *ibid.* Carolum Regem Francorum ad virtutes regias ſectandas ſolicitat, XVII. Ad Galliæ ac Navarræ Reges conciliandos internuntium mittit, XVIII. Tum ad Aragonium & Caſtellanum in concordiam reducendos, *ibid.* Aragonium judicio poſtulat ob ſacerdotales cenſus occupatos, XIX. Et ob intermiſſum Sardiniæ vectigal, nec preſtitam clientelarem ſponſionem, XX. Aragonius avitas conventiones cum eo inſtaurat, XXII. Aquitaniæ principem, ab eccleſiaſticis præter morem, ſacramentum fidei exigentem, corripit, XXIII. Petro Patriarchæ Conſtantinopol. orientalem legationem demandat, XXIV. Vagas turmas Anglicas ad transfretandum ſolicitat, XXV. Achainos ad Turcas propulſandos ſolicitat, XXVI. Promittit Palæologo Imperatori, Latinos Græcis nullum damnum illaturos, *ibid.* Carolus IV. imperiali cultu ſacra celebranti aſſiſtit, 1365. I. De vagis turmis in Turcas avertendis cum eo agit, *ibid.* Gallo Regi conſilium communicat Urbanus, II Fideles in prædabunda eadem Gallorum agmina concitat, III. *& ſeq.* Alios vagos in Italia exercitus a principibus Italis ac Germanis curat comprimendos, VI. A prædonum copiis circumſidetur Avenione, VII. Caſtellæ Rex arma auxiliaria illi offert, *ibid.* Solicitatur a Petrarcha, ut ingratas Gallias deſerat, VIII. Et a Romanis & a Carolo Imp. IX. Ægidium Cardinalem legatum in Siciliam mittit, X. Ejus opera a Joanna Regina fidei ſacramentum exigit, XI. Regi Aragonum in jus vocato Sardici regni privationem intentat, XI. Illum ad clientelarem ſponſionem præſtandam adigit, XII. Angliæ & Hiberniæ cenſum a Rege Eduardo repoſcit, XIII. Petrum Caſtellæ Regem de nimia ſævitia corripit, XIV. Polono Regi, ni uxorem thoro teſtituat, cenſuras, objicit, XV. Polonos Epiſcopos deſignatos adeundæ ſedis Apoſtolicæ labore liberare abnuit, *ibid.* Synodus provinciales indicit, XVI. Corruptiores mores emendat, *ibid.* In Beguardos inquiri jubet, XVII. Genuenſium controverſiam cum Cyprio Rege ſedare nititur, XVIII. B. Petrum Thomam patriarcham ad Genuenſes mittit pro ea componenda, *ibid.* Cyprium Regem admonet, ut Aſiaticam expeditionem ad divinam gloriam referat, XIX. Alexandria Ægypti ejus auſpiciis expugnata, XX. Implorat ab eo auxilia B. Petrus Thomas, *ibid.* Armenios ad excutiendum Saracenicum jugum ſolicitat, XXI. Græcorum Imperatorem ad Eccleſiarum conjunctionem revocare nititur, XXII. Spondet opem, *ibid.* Comparat ad Turcas reprimendos auxilia, XXIII. & 1376. I. Promittit illi Ungarica ſubſidia, *ibid.* Urget ad perficiendam Eccleſiarum conjunctionem, 1366. II. Retardat Ungarum a Turcica expeditione, ni prius Græci ad Eccleſiæ obſequium redierint, III. Proponit illis fidei orthodoxæ formulam, VI. Nuncupandi Sacramenti formulam ſuis conceptam verbis Palæologo proponit, VII. Item aliam damnandi ſchiſmatis, VIII. De contrahendo exercitu in Turcas multa decernit, IX. & X. Ungarum ad obeundam eam expeditionem exſuſcitat, *ibid.* Genuenſes & Venetos pro claſſe paranda Amedeo Sabaudiæ comiti in Turcas profecturo ſolicitat, XII. Vetat eum cum Soldano Ægyptio fœdus paciſci, *ibid.* Condolet Cyprio Regi, eum Alexandriam dimittere coactum fuiſſe, XIII. Fideles ad ferendam Cyprio opem concitare annititur, XIV. Dat eo argumento ad Reges ac principes literas, XV. Vetat iniri cum Ægyptiis commercia, XVI. Crudelia vagorum militum Sacramenta reſcindit, XIX. Nutantem rempublicam Genuenſem firmare nititur, XX. Edicta ſevera in vagas turmas promulgat, *ibid.* Non Italos modo, ſed etiam Cæſarem & alios Reges concitat, XXI. Petrarchæ ad eum hortatoriæ literæ, ut pro defendenda eccleſiaſtica ditione ſedem urbi reſtituat, XXII. *& ſeq.* Promulgat ſedem e Galliis transferendam in Italiam, XXVI. Certant in illum officii principes Itali, *ibid.* Duo Imperatores de illo ſtipando obſequia deferunt, *ibid.* Bernabonem retinere in officio nititur, XXVII. Alienata a Sicula corona ad eam revocat, XXVIII. Joannam admonet, ut Ægidii legati conſtitutiones ſervandas curet, *ibid.* Cruciferorum ordinem ob præclara in barbaros geſta commendat, XXIX. Hiſpanos Reges inter ſe conciliare ſtudet, XXX. Caſtellano eſt author, ut pacem amplectatur *ibid.* Recuperanti ſua Aragonio gratulatur, XXXI. Cardinalium numerum auget, XXXIII. Montempeſſulanum adit, ubi religioſas ædes collegiumque extruxerat, 1367. I. Galli Regis, retardare illum ab Italico itinere molientis, preces reſpuit, II. Ingreſſus mare a nonnullis effœminatis Cardinalibus proſcinditur maledictis, III. Inſignis ejus vox ad unum ex iis, qui ipſi reſtiterant, *ibid.* Genuam applicat, legatumque decernit pro controverſia cum Bernabone Vicecomite componenda, IV. Viterbium adit, ibique Italorum legationes excipit, V. Miſſi ad eum ab Imperatore Conſtantinop. oratores, *ibid.* Petrarchæ ad ipſum panegyrica oratio, VI. Romam ingreſſus Græcis ad Eccleſiæ ſinum traducendis curas impendit, VII. Principes Latinos admonet, ne Græcum ad Sedem Apoſt. accedentem lædant, VII. Joannis Palæologi filios, & Imperatricem ad conſtantiam excitant, IX. Et Joannem Cantacuzenum ad Eccleſiarum fœdus promovendum, X. Et patriarchas orientis, XI. Paulus patriarcha apud eum errores Cantacuzeni circa lumen Thaborium defert, XII. Catharenſes catholicos adverſus ſchiſmaticos tuetur, XIII. Cyprium Regem adulterio ſe contaminantem corripit, XIV. Et a monomachia cum Sparræ regulo deterret, *ibid.* Guillelmum Card. Ægidio in epiſcopatu Sabinenſi, & legatione Neapolitana ſubrogat, XVI. Sedando bello inteſtino ſtudet, *ibidem.* Adverſus tyrannos cum Imperatore & Ungaro fœdus percutit, XVII. Deferentem regia obſequia Ferdinandum Luſitanum ad virtutes hortatur, XIX. Paſtores ad Eccleſias ſuas redire jubet, XX. In Bernabonem diſtringit leges, 1368. I. Exponit ejus ſcelera, II. In auxilium Imperatorem vocat, III. Imperialia illi a Carolo delata obſequia, IV. Romanæ Eccleſiæ jura inſtauranda curat a Cæſare, antequam ingrediatur Italiam, V. Pacem ab eo Bernabos efflagitat, VIII. Convenitur Viterbii a Carolo IV. Imp. *ibid.* Ingredienti Romam idem Imperator ſtratoris munus exhibet, *ibid.* Imperatricem corona redimit, *ibid.* Franciſcum e Cecchano redigit ad officium, *ibid.* Cardinalium ſenatum auget, IX. Convenitur a Rege Cypri, & a Joanna Regina Siciliæ, X. Joannam Reginam roſa aurea donat, *ibid.* Gallum Regem monet, ne Provinciam affectet, *ibid.* Poſcit ab eo Ungariæ Rex, ut hereditariis in Siciliæ inſulam juribus ipſius conſulat, *ibid.* Prohibet ſanctorum honores cuiquam, niſi ex decreto Sedis Apoſt. deferri, XI. Religioſos contrarium præſumentes corripit, XII. Capita Apoſt. Petri & Pauli reperta argenteis ſignis includit, XIII. Harum reliquiarum direptores percellit anathemate, XIV. S. Thomæ Aquinatis reliquias Toloſam transferri a Prædicatoribus permittit, XV. Fraticellos comprimi jubet, XVI. Dionyſium Minoritam hæreſim, quæ negat Chriſtum habuiſſe dominium ullius rei, inſtaurantem revocare jubet, XVI. Ungariæ Regi ob fidem in Boſnia Bulgariaque amplificatam gratulatur, XVIII. Nonnullos Albaniæ principes in Eccleſiæ gratiam admittit, XIX. Promoveri in Creta inſula ad ſacros ordines quemquam vetat, niſi cum Romana Eccleſia ſentiat, XX. Convenitur Romæ a Palæologo Imp. Conſtantinop. 1369. I. Fidem orthodoxam profitentem Romanæ Eccleſiæ conciliat, II. *& ſeq.* Promulgat Græcorum Imperatorem eſſe catholicum, IV. Venetum Ducem hortatur, ut vires in barbaros vertat, V. Vagas turmas in eos traducere nititur, VI. A Bernabone tyranno Mediolanenſi vexatur, IX. Ludovicus Ungariæ Rex ei pollicetur, tandiu in Bernabonem bellum ſe geſturum, donec obtritus ſit, IX. Subſidiariam ſtipem Polono clero ad reficienda oppida everſa a Tartaris imperat, X. Ungarum hortatur, ut Banum Boſnenſem Manichæum comprimat, XII. Cenſuras obiicit cum Manichæis Boſnenſibus commercium habituris, XIII. Præcones evangelicos ad gentes mittit, XIV. Vetat ingreſſuros religioſos ordines, ſeu virorum ſeu mulierum, de pecunia vel muneribus quocumque modo paſciſci, XV. Dona a Regibus Vaticanæ baſilicæ collata confirmat, XVI. Illam veram Romanam & Catholicam Eccleſiam profitetur Palæologus, cui Urbanus præſidet, 1370. I. Græcos ad damnandum ſchiſma ſolicitat, II. Rediturum in Græciam Palæologum commendat principibus, ſacriſque afficit beneficiis, IV. Græcis ad Eccleſiæ gremium reverſuris ejurandi ſchiſmatis formulam proponit, IV. Walachiæ Principis vidua ſacris muneribus donatur, V. Ladiſlaum Wayvodam Valachiæ ad Schiſma damnandum ſolicitat, VI. Moldavo ad Eccleſiam revocato, epiſcopatum in ejus principatu erigit, VII. Minoritas ad Macedones convertendos mittit, VIII. Et Archiepiſcopum & Sacerdotes

dotes ad convertendos Tartaros, IX. Chamum illorum Imp. ad fidem amplectendam ſolicitat, *ibid.* Alias ad Tartaros dat literas, XI. Ligures ac Venetos ad ferendas Cyprio ſuppetias hortatur, XIII. Peruſinos revocat ad officium, XIV. Ungarum ad Bernabonem Vicecomitem comprimendum ſolicitat, *ibid.* Fœdus cum Bernabone inſtaurat, *ibid.* Reginam Siciliæ admonet, ut Caſſinenſibus monachis jura priſtina reſtituat, XV. Caſſinenſem epiſcopatum abrogat, diſciplinamque monaſticam Caſſinatibus reſtituit, XVI. Fraticellos inſectatur, *ibid.* Internuntios ad pacanda Hiſpaniæ bella mittit, XVII. Reditum apparat in Gallias, XVIII. Promulgat ſe a Romanis honorifice habitum, *ibid.* A quibus ſubornatus fuerit ad repetendas Gallias, XIX. Auget Cardinalium numerum, XX. Avenionem regreditur, *ibid.* Nonnulla edicta promulgat, *ibid.* De extructis ab eo templis, locupletatiſque, XXI. Integritas illius in conferendis ſacerdotiis, *ibid.* Ut conſanguineos paucis contentos eſſe juſſerit, XXII. Sacramenta pie ſuſcipit in morte, XXIV. Dicta ſua ſubmittit Eccleſiæ, *ibid.* Pie obit, *ibid.* Miraculis claret, *ibid.* De eo ſanctis annumerando actum, *ibid.* Cardinales de illius morte fratrem ejus Anglicum Card. certiorem faciunt, XXIV. Succedit Urbano Gregorius XI. XXV. Prædictum illi a Petro regiæ ſtirpis Aragoniæ principe Minorita divinitus ſe accepiſſe futurum ſchiſma, & Cardinales futuros Nicolaitas, qui Eccleſiam primum electo ſponſo traditam iterum viro adultero, ſcilicet antipapæ tradiderint, & ſecundo electum futurum Herodem, ſub cujus cladio millia & millia Innocentium eſſent peritura, 1379. VI. & IX. Prædictum etiam eidem a S. Birgitta ut tranſlata in Urbem ſede illud averteret, VIII. Prædicta etiam mors ſi Avenionem rediret, IX. Deceptus fraude diabolica Avenionem reverſus eſt, *ib.* Juſſus a Chriſto reſtituendæ in Urbe & Italia diſciplinæ eccleſiaſticæ operam dare, *ibid.* Intentata etiam eidem a S. Birgitta mors ſi rediret Avenionem, *ibid.* Pœnituit Urbanum V. ſui in Gallias reditus, ac votum concepit de repetenda Urbe, *ibid.* De eo in ſanctorum numerum referendo, Gallorum rogatu, egit antipapa, 1381. XLVIII. Miraculis claruiſſe fertur, *ibid.*

Urbanus VI. antea dictus Bartholomæus Archiep. Barenſis prænuntiatur a Roberto Gebennenſi poſtea antipapa futurus Pontifex, 1388. II. In eum conſentiunt Cardinales Galli, cum in geminam factionem eſſent diviſi, *ibidem.* Antequam conclave ingrederentur, eum creare decreverant, *ibidem.* & III. *& ſeq.* Geſta ab ipſo ante pontificatum munera, III. Ejus patria & parentes *ibid.* Mores & forma corporis, *ibid.* Dum ſe ad quietem componebat, ſcripturam ſibi perlegi a cubiculario jubebat, *ibid.* Diu noctuque macerabat ſe cilicio, *ibid.* Proponitur a Cardinale Lemovicenſi, ut ad Pontificatum idoneus, 1378. IV. Recenſitæ ejus virtutes, & patria Gallis Italiſque chara, *ibid.* Qua forma & quo ordine deſignatus ſit, *ibid.* Ante Romanorum ſeditionem creatus eſt a Cardinalibus, *ibid.* Cardinalis Urſinus creationem Urbani diſturbare conatus reiicitur, V. Eidem & Cardinalis Britannus obſtitit, quod non eſſet Barenſis Cardinalitia purpura decorus, *ibid.* Non auſi Cardinales populi metu ejus electionem promulgare, VII. Ante ſeditionem in conclave vocatus eſt, VIII. Propoſitum ipſi coram teſtibus electionis decretum, X. Spreta morte, ejus electionem confirmant, *ibid.* Moliuntur Romani illum vi adigere ad ſe pontificatu abdicandum, XI. Reſpondet intentato etiam cervicibus ferro ſe non abdicaturum, *ibid.* Famuli Cardinalis S. Petri vim illi inferre parant, ſed repreſſi, *ibid.* Cardinales pro eo ſervando ſoliciti fuere, *ibid.* Romanos metuens palatii receſſus quærit, *ibid.* Agitata ab iis ſæva conſilia, ni pontificatum poneret, *ibid.* Illius electio contra vim & furorem populi celebrata, XII. Cardinalis Gebennenſis concordibus votis electum profitetur, *ibidem.* Item Cardinalis Florentinus profitetur, *ibid.* Rom. Eccleſiæ camerarius carpit ejus electionem, & refellitur, a Cardinale Lemovicenſi, qui ſacramento eam confirmat, XIII. Petrus e Luna eam canonicam fuiſſe conteſtatur, *ibid.* Itidem Florentinus, *ibid.* De ipſo in Sacroſancto ſolio collocando deliberant Cardinales, *ibid.* Ex arce palatium adeunt, *ibid.* Solemni ritu in ſede componitur, *ibid.* Hymnus, *Te Deum*, decantatus, *ibidem.* Aliæ ejuſdem rei circumſtantiæ, XIV. Nullis valebat opibus, nullaque auctoritate, ut ad hæc Cardinales cogere poſſet, XV. Eo in ſede locato exultant Cardinales, *ibid.* Magnæ de eo conceptæ ſpes jactatæ, *ibid.* Solemni ritu thyara cingitur, *ibid.* Cum iis per urbem equeſtrem pompam agitat, *ibidem.* Encyclicas de pontificatu ſibi delato literas mittit, XVI. Pro pontificio ſymbolo hanc ſententiam accipit, *Judica Domine & diſcerne cauſam meam*, XVII. Nulla inter hæc ſiniſtra de ejus pontificatu ambiguitas mota, *ibidem.* A Gebennenſi & aliis Cardinalibus e fuga ſponte reverſis colitur, *ibidem.* Scribunt Cardinales ad principes Urbani electionem ſummo conſenſu factam, *ibid.* Robertus Gebennenſis ad Carolum Imperatorem & Belgii & Britanniæ principes de Urbano libere creato Pontifice ſcripſit, *ibid.* Univerſus Cardinalium cœtus de eodem fecit certiorem Imperatorem, XVIII. Scripſere ad ſex Cardinales, qui Avenione ſubſtiterant, XIX. Commendatæ Urbani virtutes, *ibid.* Colitur ut verus Pontifex a Cardd. Avenionenſibus, 1378. XX. Et a Geraldo Ambianenſi Piſis reverſo, *ibid.* Plura celebrat conſiſtoria cum Cardinalibus, *ibid.* Delata illi omnia obſequia Pontificibus deferri ſolita, *ibid.* Aliquot menſibus læta pace potitus, XXI. Fœdus ſancit cum Florentinis, *ibid.* Sacrorum uſum iis reſtituit, *ibid.* Diſſidia inteſtina in eum exorta, XXII. Prædictum a S. Catharina Senenſi triennio ante ſchiſma ſub Urbano futurum, *ibid.* Deſignati auctores & cauſa deſignata, *ibid.* De eodem ſchiſmate ejuſdem ſanctæ ſententia, *ib.* Prædicta etiam ſecutura mala, *ibid.* Ob nimiam acerbitatem multorum odia in ſe concitat Urbanus, XXIII. Perjurii notam Epiſcopis in aula agentibus publice inurit, *ibid.* Carpitur ipſum palam omnes præſules inique eo ſcommate perculiſſe, *ibid.* Incaute carpit mores Cardinalium, *ibid.* Arcem Hadrianam a præfecto Gallo repetit, XXIV. Eo in perduellione confirmato a Gallis Cardinalibus repellitur, *ibid.* Caſtigat nonnullis ſanctionibus Cardinalium licentiam, XXV. Simoniacas ſordes & penſiones inhibet, *ibid.* Anglo adverſus Gallum favere viſus, *ibid.* Solicitatus ut ſedem transferret Avenionem abnuit, *ibidem.* Iniqua Cardinalium vota de pontificia dignitate adimenda Italiæ aſpernatur, *ibidem.* Romanos ſibi conciliat, *ibid.* Cardinales Anagniam proficiſcuntur, *ibid.* In receſſu Anagnino agentibus Cardinalibus adhuc ut Pontifex ab illis colitur, XXVI. In Cardinalem camerarium pontificiam ſuppellectilem diripientem excandeſcit, *ibid.* Joannæ Reginæ oratores demiſſum obſequium deferentes excipit, *ibid.* Tentant eum Cardinales in inſidias Anagniæ paratas allicere, *ibid.* Comparata illi mors, *ibid.* Sine Cardinalibus Tibur ſe confert, *ibid.* Evocat Cardinales, ſed fruſtra, *ibid.* In eum concitatæ Britonum & Vaſconum copiæ protritis Romanis Anagniam provolant, XXVII. Plures libellos ſupplices a Cardinalibus agentibus Anagniæ excipit, XXVIII. Pro illo ab iiſdem inter ſacra fuſæ preces, *ib.* Urbani electio ex Petri de Luna teſtimonio concors fuit, XXX. Etiam propoſito a Cardinalibus ficto themate a Joanne e Lignano canonica demonſtratur, XXXI. ad XXXVI. Conſultus Baldus ex ficto themate pro eodem concludit, XXXVI. ad XXXIX. Cardinalis S. Peri morti proximus confirmat Urbanum rite electum figmentaque obtrudi a Gallis Cardinalibus, XLI. Poſtulatum ſe fuiſſe a Gallis ante conclavis ingreſſum, ut ſuffragia pro eo ferret confirmat, XLI. Proponit Urbanus Cardinalibus ſchiſmaticis concilium œcumenicum pro dirimenda controverſia, 1378. XLII. Repellitur quaſi concilium Cardinalibus exitiale ſit, XLIII. Solicitatur a S. Catharina, ut expeditionem in Mahometanos indicat ad inteſtina bella in eos avertenda, XLIV. Cur in eum Ambianenſis Cardinalis conjurarit, XLV. Cur Rex Francorum ad eum evertendum conſpirarit, XLVI. Joanna primum officiis eum coluit, deinde odio habuit, *ib.* Othonem Brunſvicenſem a ſe abalienat *ibidem.* Promotum a Joanna vindictæ in Urbanum ſtudio ſchiſma, *ib.* & XLVII. Temere a perduellibus in judicium vocatus, XLVII. Violatis omnibus juribus promulgatur intruſus, *ibid.* Adverſariorum conſilia, ut pontificatu ſe abdicet, aſpernatur *ibidem.* Decernit impia eorundem molimina frangere, XLVIII. Petitur calumniis apud fideles eo Pontifice ſacramenta fere deficere, L. In eum ſibi tyrrannidem arrogant Cardinales, *ibid.* Cur Honoratus Fundorum comes in Urbanum rebellarit, *ibid.* Angli Urbani cauſam tuentur LI. Eorumdem pro Urbano argumenta, *ibid.* Oſtenſum divinitus pio eremitæ, dum Sacra facit, Urbanum eſſe verum Pontificem, *ibid.* Pars orbis maxima adhæſit Urbano, LII. Pierius Colutius Florentinæ reipublicæ Cancellarius pro eo ad Cardinales literas ſcribit, *ib.* Cardinales Itali fallaci pſeudopontificatus ſpe a Gallis Anagniam pellecti, LV. Robertus Gebennenſis Urbano opponitur, *ibid.* Cur iis potiſſimum delectus, LVII. Excitatur Urbanus ad conſtantiam a S. Catharina Senenſi, LIX. Decernunt Carolus Imperator & Ludovicus Hungariæ Rex Urbani cauſam tueri, donec cauſa a concilio cognoſceretur, *ibid.* Plures alii Reges eundem venerati, *ibid.* Galli pro Urbano ſtabant niſi Carolus vim adhibuiſſet, LX. Decrevere in priore conventu ſtandum pro Urbano, *ibid.* Opponunt ſchiſmaticis Cardinalibus occupata ab ipſis, judicum, partis, & teſtium officia *ibid.* Concilium eſſe controverſiæ verum judicem, *ibid.* Cogendi concilii authoritatem ad poſſeſſorem papatus ſpectare, *ibid.* Conſultum Carolo Regi ne adhæreat Cardinalibus, *ibid.* Eos Urbanus provocat ad concilium œcumenicum, LXI. Pariſienſis Academia dum libertate potita eſt Urbani cauſam tutata eſt, *ibid.* Actæ illi ab Urbano gratiæ, *ibid.* Ab Urbani obſequio a Carolo Rege Galli divulſi, LXII. Solicitati ab eodem Principes ut ab Urbano deficerent, *ibid.* Belgæ, Britones, & Aquitani Urbano adhærent, *ibid.* Cardinalium ſchiſmaticorum literæ adverſus Urbanum ad fideles circumveniendos mendaciis refertæ, VI. Fatentur ſchiſmatici, compoſitum ab ipſis contra Urbanum caſum, maximus implicitum difficultatibus, ut eo ſuppoſito etiam pro Urbano ſtandum plerique doctores cenſeant, 1378. LXXII. Caſum vero Urbano traditum perſpicua juſtitia niti, *ibid.* Illum etiam niti conſpicuo jure poſſeſſorio, at Cardinalium cauſam fundari in actu, voluntatis de expedito Gallo Pontifice conceptæ inviſibili & momentaneo, *ibidem.* Urbanus ut verax expoſitum de ſuo pontificatu caſum numquam variavit, ut variarunt ſæpe Cardinales ſchiſmatici, utpote mendaces, LXXIII. Illius hiſtoria accurate ab Urbano recenſita, adjectaque bulla Pontificia miſſa ad Regem Caſtellæ, *ibid.* uſque ad CIV. Tibure reverſus Romam ob hoſtiles ex arce Hadriana eruptiones S. Mariæ Tranſtyberinæ ædes incolit, *ibid.* Sero imprudentes ſuos actus deflet, *ibid.* XXVI. Cardinales renuntiat, CIV. Aliqui reſpuunt honorem, aliqui etiam deficiunt ad antipapam, *ibid.* Legibus agit in ſchiſmatis authores promotoreſque, CV. Decretoriam in eos ſententiam pronuntiat, CVIII. Piacularem veniam eos comprehenſuris proponit, CXI. Servato judiciario ordine damnat contumaciæ CXIII. Clementiæ ſpem Cardinalibus Italicis & aliis Gallis minus reis oſtendit, CXIV. Urbano Wicleffus ſe ſubmittit, profeſſus ex illius nutu omnia emendaturum, CXVI. Nicolaus Herefordenſis Wicleffiſta provocans ad Urbanum ab eodem damnatur, *ibid.* Cardinales Itali neutralem factionem conflant, 1379. I. Vocati ab Urbano excuſant ſe aſſeruntque neceſſarium eſſe pro inſtauranda Eccleſiarum conjunctione œcumenicum concilium, *ibid.* Jacobus Urſinus imminente morte Urbanum eſſe verum Pontificem profitetur, II. Conſentit Urbanus, ut congregetur concilium, III. Schiſmatici ſophiſmatibus ſubdolis adverſantur, *ibid.* Prædictum a Petro regiæ Aragoniæ principe ac Minorita Regi Caſtellæ illum periturum infeliciter, ſi ab Urbano diſceſſerit, VII. Editus pro Urbano ab Alfonſo eremita olim Epiſc. Giennenſi commentarius, VIII. *& ſeq.* Ut Cardinalis e Luna ſuis conſuluerit ut Urbanum colerent, donec concilium adverſus eum ſententiam tuliſſet, XIX. Idem Alfonſus probat Urbanum verum eſſe Pontificem, *ibid.* Id teſtatur S. Catharina filia S. Birgittæ pro eodem Urbano, XX. Urbanus S. Catharinam Senenſem Romam vocat, *ibidem.* Geſtire gaudio viſi Cardinales cum honores Pontificios illi in Baſilica S. Petri detulerunt, XXI. Deliberat Urbanus mittere S. Catharinam Senenſem cum S. Catharina Sueca in regnum Neapolitanum pro revocanda in Eccleſiæ catholicæ ſinum Regina Joanna, 1379. XXII. Deliberat etiam mittere Raymundum Capuanum ad Francorum Regem, *ibid.* Hortatur S. Catharina Senenſis Urbani copiarum ducem, ut fortiſſime Eccleſiæ cauſam tueatur, XXIV. Victoria de turmis ſchiſmaticis reportata, *ibid.* Recuperat Urbanus Hadrianam arcem, XXV. Ex conſilio ejuſdem S. Catharinæ ſolemnem ſupplicationem ad Baſilicam principis Apoſtolorum nudis pedibus ducit, XXV. Neapolitani cauſam Urbani tuentur, XXVII. In antipapam ejuſque ſectatores renovata edicta ab Urbano, *ibid.* Reges & principes antipapæ faventes cenſuris percellit, XXVIII. Noxarum veniam proponit ſacram militiam profeſſuris in ſchiſmaticos, XXIX. Urbani metu antipapa Italiam deſerit XXX. Literas ad fideles de ſecundis ſuis ſucceſſibus ſcribit Urbanus, XXXI. Jordanus Urſinus ad ejuſdem obſequium redit, *ibid.* Decreti ad Urbanum a Joanna oratores pro redintegranda pace, XXXII. Othone Brunſvicenſi Neapolim reverſo revocati, *ibid.* Joanna ab Urbano regio jure privata, *ibid.* Antipapæ impia edicta in Chriſti

vicarium, XXXIII. Excitata in catholicos Urbanum colentes perſecutio ab antipapa, *ibid.* Convitiis proſcinditur Urbanus a Romanis, XXXIV. Inſtigatus ad eum trucidandum a dœmonibus populus, *ibid.* Sancta Catharina Senenſis Deum placat, ac in ſe debitas populo Romano pœnas ſuſcipit, *ibidem*. Ut ſeditioſi ad Urbani vocem perterriti a flagitio deſtiterint, *ibidem*. Bononienſium ab Urbano defectio, XXXV. Pro Urbano in Germanicis conventibus lata a Wenceſlao ſententia, XXXVI. Promulgat idem Wenceſlaus miſſas plures a Cardinalibus ad imperatorem literas de vera Urbani electione, *ibid.* Principes Germani paribus votis in Urbani obſequio conſenſere, XXXVII. Creat novos Cardinales, 1379. XXXIX. Monitus a Wenceſlao Angliæ Rex ut Urbani cauſam tueatur, XL. Maxima pars Regum & principum ſequuta Urbanum, XLI. Richardi Angliæ Regis ad Aragonum Regem literæ, XLII. Monet Urbanus officii Petrum Aragonum Regem, XLIII. Caveat a mendaciis Petri e Luna, *ibid.* Urbani Legatus miſſus in Hiſpanias undecim menſibus tentus in carcere, XLIV. Differt Urbanus in Gallorum Regem judiciariam ſeveritatem & cruceatam expeditionem illius convertendi ſpe, XLVI. Monitus Gallorum Rex a Petro principe Minorita, ut Urbano obſequatur, XLVIII. Et a S. Catharina Senenſi, XLIX. Pilei Cardinalis Ravennatis ad Francorum Regem pro Urbano literæ, LI. In Joannam Reginam, & Honoratum Fundorum comitem & Raynaldum Urſinum ſententiam fert, 1380. I. Ab eodem Raynaldo inſidiis, & bello appetitur, II. Joannam regno exauctorat, *ibid.* Neapolitanos fidei ſacramento ſolvit, *ibid.* Jubet Eccleſiæ eſſe fidos, *ibid.* Aliquandiu ultionem extraxit in Joannam, III. Carolum Dyrrachinum adverſus Joannam & Othonem evocat, IV. Neapolitani regni proceres illi adhærere jubet, *ibid.* Sacram in Raynaldum Urſinum militiam decernit, VI. Sacras indulgentias proponit, *ibid.* Neceſſitate adactus Eccleſiarum bona oppignerat, diſtrahitque, VIII. Rector Pariſienſis academiæ publice cauſam Urbani tutatus, 1380. XII. Ludovici Andegavenſis tyrannidem metuens fugere in Italiam compellitur, *ibid.* Aliquot millia eruditorum Urbano adhærentium, fugam corripuere, ne a Ludovico opprimerentur, *ibid.* Reſpondet Archiep. Toletanus Petro S. Euſtachii ſchiſmatico, cum Urbanus neget propoſita a Cardinalibus, proponatque probaturum contraria, audiendum in judicio etiam ſi diabolus inferni eſſet, XIV. Accuſatum Pontificem non deſerendum antequam de objectis conſtiterit, *ibid.* Definitionem controverſiæ non ſpectare ad Cardinales, ſed ad concilium, *ibid.* Electores, qui peccarant ſecundam electionem celebrare non potuiſſe, *ibid.* Vacante ſede illos nulla judicandi poteſtate pollere, XV. Non vocatum, non convictum pontificatus poſſeſſorem damnari non potuiſſe, *ibid.* Fundantibus uſurpatam auctoritatem judicandi Urbani in mendacio, quod Urbanus ſit evidenter intruſus, reſpondet id non eſſe evidens orbi dum orbis pars maxima illi adhæret, *ibid.* Si qua in tumultu impreſſio fuerit, eo ſedato notam fuiſſe Cardinalium conſenſionem, *ib.* Non per milites, ſed per Cardinales ipſum in ſolio collocatum fuiſſe, *ib.* Hanc cauſam tangere Eccleſiam univerſalem, ergo illius judicium ad eam ſpectare, XVII. Ut Hiſpani exiſtimarint Cardinales ex odio in Urbanum rebellaſſe, & diffidentes cauſæ concilium defugere, quo ſolo tamen Eccleſiæ vulnus curari poſſit, *ibid.* Accuſatur a Petro S. Euſtachii nolle concilium, ſed in regnis, quæ inclinant in partem adverſam, dolo obtrudere mentionem concilii, XVIII. Permittit Caſtellanis, ut teſtium dicta in urbe excipiant circa circumſtantias electionis ſuæ, XIX. Cur ab eo Cardinales deſciverint, *ibid.* Redigere ad modeſtiam Cardinalium faſtum voluerat, ut certo famulorum numero univerſi contenti eſſent, & unico in menſa ferculo, reſiderent ſinguli in Eccleſiis titularibus eaſque reficerent, XIX. Tum denuntiarat velle ex omnibus gentibus in Cardinalium ſenatum adſciſcere, ne univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio in unius vel duarum nationum poteſtate conſiſteret, *ibid.* Ab eo Florentinus & Mediolanenſis Cardinales veriti ejus acerbitatem deficiunt ad antipapam, XX. Wicleffi hæreſes ab Oxonienſi Academia damnari jubet, XXI. Ab eo ad Regem Anglorum provocare molitur Wicleffus, *ibid.* Deſertus Lancaſtrii patrocinio hæreſim fucis tegit, *ibid.* Miſſus ab Urbano Raymundus Capuanus in Gallias ad Carolum Regem pro collocanda in luce electionis veritate vix e ſchiſmaticorum cruentis manibus evaſit, XXVII. Regni Neapolitani jura a Joanna in Carolum Dyrrachinum transfert Urbanus, 1389. I. Amplam regni partem confert Franciſco Prignano nepoti, *ibid.* Ob Joannæ perduellionem regnum ad ſedem Apoſtolicam devolutum decernit, *ibid.* Jure fiduciario certis legibus imperatis tradit Carolo, *ibid.* Beneventum ejuſque agrum juri ſedis Apoſtolicæ reſervat, *ibid.* Fiduciariæ ſponſionis a Carolo præſtitæ Urbano formula, III. Ad pontificia decreta contra Joannam, & antipapam, & anticardinales conficienda obſtringit Carolum, IV. Devolutum iri regnum ad Romanam Eccleſiam, ſi fœdera violentur, declarat, V. Expreſſi alii caſus, in quibus ad eandem Eccleſiam devolvendum ſit, VI. Conjungi vetat Regnum Neapolitanum cum imperio vel majori parte Etruriæ, vel Inſubriæ, VIII. & XIII. Dat leges ſi Carolum vel heredes Reges Romanorum creari contigerit, IX. Ni monitus Cæſar imperio ſemeſtri flexu ceſſerit, regnum ad Romanam Eccleſiam devolvendum ſanxit, *ibid.* Annuum vectigal octo millium unciarum auri imperat, XIII. Non ſolventi Regi primum anathema, deinde Regni privationem intendit, *ibid.* Beneventanorum privilegiis cavet, XV. Occupantibus urbem vel terras Romanæ Eccl. regibus pœnam eandem proponit, *ib.* Eccleſiaſticis bona & jura reſtituenda edicit, XVII. De electionibus præſulum veteres leges inſtaurat, XVIII. Quos principatus nepoti contulerit, utque Carolum ad illum pro iis acquirendis Sacramento adegerit, XX. Expeditionis conficiendæ tempus deſignat, XXI. Forma Sacramenti, qua Urbanus ſibi vinxit Carolum, XXII. Cingit illum regio diademate, XXIV. Redigit illius opera ad ſuum obſequium Regnum Neapolitanum, *ibid.* Faviſſe divinum Numen Urbani cauſæ creditum eſt, 1389. XXV. Præſules ſchiſmaticos exauctorat, XXVI. Creat novos Cardinales, *ib.* Inimicitias adverſus Carolum Capuæ principatum nepoti Franciſco dare detrectantem ſuſcipit, VI. Damnandi ſchiſmatis formulam deſcribit, XXVIII. Prætermittit indictionem concilii œcumenici, quo ſedare ſchiſma poterat, XXIX. Ab eo Henricus Caſtellæ Rex ad antipapam deficit, *ibid.* & XXX. Gutterius Cardinalis eo deſerto ad antipapam tranſit, XXXII. Rodericus Robicius Minorita prophetiæ dono clarus Urbanum eſſe verum Pontificem profitetur, *ib.* Luſitani Urbano graviſſimis argumentis freti adhærent, XXXIV. Divina in Urbano tuendo con-





tra Ludovici Andegavenſis florentiſſimum exercitum providentia, 1381. II. Cruceſignatam adverſus Ludovicum militiam indicit Urbanus, III. Edicta adverſus ejus ſectatores proponit, IV. Andegavenſem, Sabaudum & Gebennenſem principes ſchiſmaticos pronuntiat, V. Noxarum veniam in eos arma capturis proponit, VI. Catholicos ad ferendas contra ſchiſmaticos ſuppetias ſolicitat, VII. Acutum Anglorum ducem in Gallos conducit, IX. Fernandus Hiſpalenſis arcis Anconitanæ præfectus eam prodit, X. Deficiunt ab eodem Tudertini, XI. Jubet concionatores innocentiam ſuam, & adverſariorum ſuorum ſcelera exponere, *ibid.* In Regem Caſtellæ judiciariam ſeveritatem adhibet, XII. Arguit primum ſibi, ut Pontifici adhæſiſſe, dein defeciſſe, & Hiſpanos compuliſſe ut fierent acephali, XIV. Coitiones iniverit cum ſchiſmaticis, XV. Garrulitate nimia ſeductus alios ſeduxerit, *ibid.* Præſules ad deferendum antipapæ obſequium compulerit, XVI. Ut intentata illi fuerit judiciaria ſeveritas, & privatio regiæ dignitatis, XVI. Non comparentem in judicio damnat ſchiſmatis & hæreſeos crimine, XVII. Regnorum jure exauctorat, *ibidem*. Infamiæ nota afficit, *ibidem*. Proſcribit libertate & fidelium commercio, *ibid.* Caſtellanos ad eum comprehendendum jubet conſurgere, XVIII. Fert cenſuras in detrectantes imperia, *ibid.* Solvit ſacramento fidei ſubditos, XIX. Indicit in eum ſacram militiam, XX. Jubet illum feſtis diebus anathemate ſolemni ritu affici, *ibid.* Sepulturæ ſacræ beneficio mulctat, XXI. Vocari in judicium jubet Wicleffum & ad hæreſim damnandam cogi, XXXVIII. Confirmat acta Londinenſis concilii adverſus Wicleffiſtas, XXXVIII. A ſchiſmaticis graviore petitur bello, 1383. I. Auxilia undique ex regnis catholicis accerſit, *ibid.* In perduelles vetera edicta inſtaurat, *ibid.* A Carolo Siciliæ Rege trecentos equites catafractos ſibi ſubmitti exigit, II. Eccleſiaſtici ordinis immunitatem aſſerit, *ibid.* Pro collatis a ſe nepoti principatibus aſſerendis Eccleſiæ univerſalis curas infeliciter abiicit, III. Proficiſcitur in Regnum Neapolitanum, *ibidem*. Cardinalium conſilia ſpernit, *ibidem*, Occurrit illi Carolus Rex, & ſtratoris munus exhibet, ſed in arcem Averſanam compingit, *ibid.* Pontifex percellit anathemate tyranni ſatellites, IV. Divina ultione percuſſus, qui primus in eum manus injecit, *ibidem*. Neapoli pompa ingenti excipitur, *ibidem*. Iterum in cuſtodiam officii ſpecie traditus, *ib.* Veniam flagitii ab eo poſcit Carolus, *ib.* Nepotem in principatus Capuæ poſſeſſionem inducit, *ibid.* Urbanus neptes viris principibus in Matrimonio locat, *ibid.* Aragonum Rex ejus cauſam ſuſcepturum pollicetur, ſi in ipſum Regnum Neapolitanum tranſtulerit, IV. Repulſam paſſus ad antipapam deficit, *ibid.* Joannem ducem Leceſtriæ vexilliferum Romanæ Eccleſiæ adverſus Caſtellæ Regem Pontifex creat, VII. Fideles adſequenda ejus ſigna excitat, *ibid.* Indulgentiarum cruceſignatis conceſſarum prærogativas explicat, VIII. Cruceſignatas copias ex Anglia in Gallos educendas curat, IX. Ad eum Leo Armeniæ Rex auxilia petiturus accedit, X. Nicolaum Herefordenſem Wicleffiſtam ad Sedem Apoſtolicam provocantem perpetuo carceri addici jubet, damnatque Wicleffi hæreſes, *ibid.* Vexillum Romanæ Eccleſiæ Carolo Siciliæ Regi adverſus Ludovicum Andegavenſem Solemni ritu tradit, 1384. I. Luceriam nepoti ex facta cum Carolo pactione comparat & contempta ſedis Apoſtolicæ dignitate curiam Romanam injuriis hoſtium exponit, *ibid.* Ab ea præ metu hoſtium deſeritur a compluribus ex ſuis, *ibid.* Divina ultione abſumptus Ludovicus Andegavenſis ejus hoſtis, III. Inimicitias priores gerit cum Rege Carolo, IV. Religioſos ordines ad commune Epiſcoporum in diœceſanos jus redigit, V. Obſtrictam Romanis & Carolo Regi fidem infringit, 1385. I. Cardinales & curiam trahit in pericula, *ibid.* De eo ut furioſo coercendo agi cœptum, *ibid.* Detecta illi a Cardinale Urſino conjuratorum conſilia, *ibid.* Sex Cardinales doctiſſimos in vincula conjicit, II. Nepote armatis ſuccincto delatos ſibi tormentis ſubjicit, *ibid.* Omni honore exauctorat, *ibid.* Alios Cardinales creat, III. Factæ in eum novæ conjurationes, quarum Carolus Siciliæ Rex & Margareta Regina participes fiunt, III. Regem Reginamque exauctorat decretoria ſententia, *ibid.* Vexati ejus propinqui & amici ab Rege, & Sacerdotes ad ſacra celebranda mortis propoſita pœna adacti, *ibid.* Regnum Neapolitanum affectat, *ibid.* Cardinales ſex in ciſterna vinctos tenet, *ibid.* Obſidione cinctus quater in die hoſtes cum face & campana ad feneſtram progreſſus percellit anathemate, *ibid.* Capta non ſine ſtrage urbe in anguſtias redactus, IV. Genuenſium opem implorat, *ibid.* Ejus nepos proditus Regi Carolo in carcerem conjectus, V. Pileus Cardinalis Ravennas de concordia inter Regem & Urbanum agit, *ibid.* Ad Urbanum ob ejus ſævitiam ſine obſidibus recuſans accedere ſuſpicionem de ſe concitat, *ibid.* Quinquemeſtri obſidione excurrente Nicolaus vir pius de auxilio divino eum certiorem facit, *ibid.* Edita conſtitutione fideles ad ferendam opem obſeſſo Pontifici obſtringit, VI. Sacerdotes pro eo defendendo in obſidione legibus canonicis ſolvit, *ibid.* Divina providentia Gallorum ſchiſmaticorum ope pro eo liberando utitur, VII. Soluta ab his obſidio nova in eum a Gallis de eo antipapæ debendo conflata conjuratio, *ibid.* Ab Italis Germaniſque ſociis diſcuſſa, *ibid.* Beneventum ægre ingreditur, *ibid.* Pacem cum Carolo reſpuit, *ibid.* Per varios itinerum circuitus Tranum evadit, *ibid.* Conſcendit triremes Genuenſes, *ibid.* Meſſanam applicat, exceptuſque honorificentiſſime, *ibid.* Edicta in Carolum exauctoratum promulgat, *ibid.* Cornetum ob ſumptus claſſicos Genuenſibus oppignerat, VIII. Genuam appellit, *ibid.* Ejus cubiculum valido motu præter rerum ordinem concuſſum, *ibid.* Non caſſa fuere illius in Carolum III. anathemata, 1386. I. Vetera Lithuanorum ad Eccleſiam redeuntium privilegia inſtaurat, VI. Auſtriacus ab eo deficiens antipapam ſecutus, VIII. Pſeudoeremita Gallus ad eum accedens fingit divinitus accepiſſe Clementem eſſe Papam, IX. Solicitatus ab eo Urbanus ut pontificatu ſe abdicet ſignum veræ revelationis ſibi dari expoſcit, *ibid.* Provocantem ad tormentorum tolerantiam impoſitum equuleo adigit ad fatendum ſuggeſtionem fuiſſe diabolicam, *ibid.* Et profitendum verum Urbani Pontificatum, *ibid.* In Rhodios equites ad antipapam deficientes adhibet ſeveritatem, X. Conjuratio pro liberandis Cardinalibus vinctis in eum conflata, *ibid.* Comparatæ ejus vitæ inſidiæ, *ibid.* In ſuſpectos inquirit, *ibid.* Nimiæ illius ſævitiæ odio duo Cardinales deficiunt ad antipapam, X. Pileus pileum Cardinalitium, ira fremens in Urbanum, publice incendit Papiæ, *ibid.* Anathemate percuſſus ab Urbano, *ibid.* Ad antipapam ſe confert, *ib.* Quinque Cardinales clam necat, & Adamum Anglicum exauctoratum libertate donat, XI. Diſcedit Genua, XII. Non cultus eſt a Genuenſibus quo par erat honore, *ibid.* Divina

in eoſdem ultio, *ibid.* Lucam ſe confert, *ibid.* Indulgentiarum præmia Leceſtriæ ducis ſigna ſequentibus adverſus Caſtellæ Regem proponit, XIV. Neapolitanum regnum ab eo ad antipapam deficit, 1387. I. Molitur illud ſibi ſubiicere Urbanus, III. Antipapam vocat ſculptile perpetuæ damnationis, *ibid.* Promulgat in eos ſententiam, *ib.* Sæpius indulgentias arma correpturis in ſchiſmaticos proponit, VI. Nimia in Ladiſlaum cæſi Caroli filium acerbitate patriæ & amicis exitium intulit, *ibid.* Inexorabilis ejus animus, *ibid.* Nec dimiſſo e carcere nepote Franciſco placari potuit, *ibid.* Achajæ ad Ladiſlaum puerum devolutæ jura ſibi arrogat, VIII. Ejus præfecturam Archiep. Patracenſi committit, *ibid.* Adverſus Turcas & ſchiſmaticos bellum geri imperat, *ibid.* Solicitatur a Germaniæ oratoribus, ut reſtituendæ Eccleſiarum conjunctioni det operam, IX. Negligit quod erat muneris Apoſtolici, ac reſpondet non expedire, ut controvertatur cauſa ipſius pontificatus, *ibid.* Cum ob Cardinales ipſius juſſu necatos multis inviſus factus eſſet, ad concilium œcumenicum provocatur ab antipapa pro diſcutienda cauſa, IX. Joannes Rex Aragonum ab eo ad antipapam deficit, X. Tudertinos ad officium redeuntes abſolvit, XII. Ejus hoſtis Viterbienſis tyrannus in fruſta conciſus, *ibid.* Luca contendit Peruſium, *ibid.* Nicolaum Urſinum Eccleſiæ hoſtem pronuntiat, XV. Lithuanos in Eccleſiæ gremium recipit, XV. Sacram militiam promulgat in Afros Siciliam infeſtantes, 1388. I. Et adverſus Turcas Græciam laniantes, IV. Ladiſlaum puerum regno Neapolitano exuere tentat, VI. Calabriæ præfecturam tradit comiti Catanzarii, *ibid.* Decem triremes ſubſidiarias a Rege Trinacriæ exigit, VII. Expeditionem conficit pro ſubiiciendo ſibi Regno Neapolitano, VIII. Oſtenſum non probari a Deo ejus conſilia, *ibid.* Romanorum, ut in Urbem redeat, preces aſpernatur, *ibid.* Diſſolutæ ſtipendiorum inopia ejus copiæ, *ibid.* Invitus in Urbem redire cogitur, *ibid.* Denuntiatum illi a pio Eremita in urbe moriturum, *ibid.* Objecta illi ſpecies S. Petri viam in urbem commonſtrantis, *ibid.* A Romanis excipitur honorifice, *ibid.* Judæos plures baptiſmum poſcentes initiari jubet, X. Jubileum annum ad triginta trium annorum numerum redigit, 1389. I. Quæ illum cauſæ ad id moverint, *ibid.* & II. Feſtum Viſitationis B. Mariæ inſtituit, III. Interdictum eccleſiaſticum die feſto Corporis Chriſti tollit, IV. Proponit indulgentias Euchariſtiam ſociaturis, *ibid.* & V. Gerbarum & Cherchinarum principatum jure fiduciario tradit Manfredo Claromontio, 1389. VI. Infeſtatur a ſchiſmaticis, VIII. Edicta in Pileum pſeudolegatum proponit, IX. Ejus mors & ſepultura, X. Sedis ejus tempus, XI. Revelatum pio eremitæ fuiſſe verum Pontificem, ſed tenuiſſe modum ſine modo, *ibid.* Divinæ in ejus nepotem, pro quo augendo opibus multa mala invecta ſunt, ultionis exemplum, 1389. XI. Ejus cenſuræ & acta in Margaretam Reginam & Ladiſlaum & Joannam lata reſciſſa a Bonifacio IX. 1390. X. Leodienſium ad Joannem Burgundiæ & Belgii principem de vero Urbani pontificatu literæ, IX. Cardinales ab eo ſine judicio deficere non poſſe, *ib.* Ita nullas principum vel Epiſcoporum electiones firmas futuras, *ibidem*. Joannes Rex Caſtellæ, qui in eum pro antipapa ſententiam tulerat, divina ultione percuſſus, XXX. Prædicta illa fuerat a pio eremita, *ibidem*. Ejus edicta in ſchiſmaticos a Bonifacio IX. inſtaurata, 1391. XIII. Joannes e Lignano pro eo tractatum ſecundum ſcribit *in Append.* Argumenta pro Cardinalibus ſchiſmaticis, II. *& ſequentibus*. Argumenta adverſus apoſtaſiam Cardinalium, X. Cur non ſit iis credendum, *ibid.* Concors electio, conſecratio, & inthronizatio celebratæ in Urbano fuere, XXXII. Narratio facti veriſſima tradita Joanni e Lignano ab oculatis teſtibus, XXXIV. Objectio de porrectis precibus a Romanis fuit leviſſima, XXXVI. Urbanus non ſe ingeſſit, ut deligeretur, XXXIV. Nulla potuit fieri exceptio contra Urbanum cur deligi debuerit, XXVI. Non fuit per ſeditionem electus, vel in ſolio collocatus, *ibid.* Libera & concors electio Cardinalium fuit, XXXVII. Ex narratione tradita a ſchiſmaticis Urbanum rite electum conſtat, XXXVIII. Servatæ in ejus electione conſtitutiones pontificiæ fuere, XXXIX. Cardinalibus ſolis non adhibendam fidem probatur, XL. Immo nec illis, ut adverſariis, XLI. Fuere plurimi teſtes graviſſimi celebratæ electionis, *ibid.* De iis in quibus Cardinales & pars contraria conſentiunt ambigi non poteſt, XLII. De iis, in quibus diſſentiunt tertiæ parti deferendum, *ibid.* Præſules & nobiles qui diſcurrebant per vicos, melius teſtari poſſunt de ſeditione, quam incluſi Cardinales, XLIII. An ex metu electus ſit Urbanus unus Cardinalis de alio teſtari non poteſt, XLIV. Licet forent vera, quæ narrantur a Cardinalibus, nihilominus ſtaret Urbani electio, XLV. De interiore actu, an voluerint eligere non poteſt judicare Eccleſia, *ibid.* Actus exteriores judicantur ab Eccleſia, *ibid.* Attentis illis cenſenda eſt vera Urbani electio, ſi voluiſſent quod non eſſet verus Papa, non dixiſſent: *Animo & propoſito quod ſit verus Papa*, XLVI. Non requirebantur ea verba, nec quiſpiam ea exegit, *ibid.* Si animo ſimularunt quomodo hæc verba protulere, XLVII. Si præceſſit ex metu electio, cur illa iterum celebrata, *ibid.* Si vis inferebatur, ſufficiebat prima electio, *ibid.* Secunda electio apertiſſimam expreſſionem voluntatis demonſtrat, XLIX. Cur hæc cauſa illius electionis iterum celebrandæ addita eſt, quod jam ceſſaſſet tumultus, *ibid.* Si prima non valuit, valet ſecunda, ſi valuit prima, ſecunda libertatem declarat, L. Si noluerunt eligere, cur actus conſecrationis & coronationis celebrarunt, LI. Quis coegit Cardinales, ut ſcriberent principibus Urbanum ſe elegiſſe, *ibid.* Quis coegit, ut dignitates & ſacerdotia peterent, *ibid.* Quis coegit ut Tibur mitterent ſua ſuffragia ad conſiſtorium? LII. Tot actus ſubſecuti aut ratam habent electionem, aut oſtendunt liberam fuiſſe, LIII. Si non erat verus Papa, cur illi ſupplices libellos porrigebant, *ibid.* Decernendi jus quis ſit verus Pontifex non ad Cardinales, ſed ad Concilium ſpectat, XLIV. *Vid. tit.* Schiſmatici Cardinales Galli, & *tit.* Baldus & *tit.* Joannes e Lignano.

Urbinum: Ejus toparchia conceſſa Antonio comitis Montisferetri, 1390. XVIII.

Urſinus Cardinalis admonet Urbanum agitatum fuiſſe de curatore illi dando ob Eccleſiam periculis objectam, 1385. I. In carcerem miſſus ab Urbano, cui in via occurrerat, 1378. XII. Viterbienſi præfectura non ceſſerat ad Urbani imperium, *ibid.* Ob multorum preces ægerrime dimiſſus, *ibid.*

Waldemarus Rex Daniæ Urbanum V. convenit, 1363. XIV. De Palæſtina recuperanda agit, *ibid.* Reliquiæ ipſi ab Urbano dono collatæ, 1364. XIV. Roſa aurea donatus, *ibid.* Rebellantibus in eum cenſuræ objectæ, *ibid.*

Waldenſes Delphinatum inficiunt, 1373. XX. In eos ſolicitatus Carolus Francorum Rex, *ibid.* Juſſu Pontificio, & Galli Regis ope in



in carceres conjecti, 1375. XXVI.

S. Walpurges: Oleum ex ejus oſſibus manat, 1359. XIV. Reliquiarum ejus tranſlatio, *ibid.*

Wenceſlaus Brabantiæ princeps fuſus prælio, principatuque depulſus, 1356. XII. A ſuis mox revocatus, cum Belga pacem init, *ibid.*

Wenceſlaus Caroli IV. Imperatoris filius magna pompa baptiſmo luſtratus, 1361. II. Perfundit lotio Baptiſmales fontes, *ibid.* Carolus pro eo creando Cæſare facultatem celebrandorum comitiorum efflagitat, 1376. XIII. De eo ſalutato Rege Rom. Caroli literæ, XIV. Petitum a Gregorio XI. ut eum confirmet, XVI. Ad præſtandum fidei ſacramentum Pontifici paratum ſe offert, XXII. Extracta a Gregorio ejus confirmatio, XVIII. Ut electores imperii, vectigalibus abalienatis, ſubornati ſint, XVIII. Triſtia de eo præſagia, *ibid.* Ut baptiſmales fontes lotio fædarit, *ibid.* Et aram ſtercore, cui coronandus impoſitus erat, *ibid.* Romanorum & Boemiæ Rex ab Urbano VI. confirmatus, 1378. XLI. Coemptis a patre ſeptemvirum ſuffragiis promotus fuerat, CXX. Egregiis monitis a patre morituro inſtruitur, *ibid.* Ea oblivione & contemptu proterit, *ibid.* Solemnes conventus pro excutienda ſchiſmatis cauſa cogit, 1379. XXXVI. Fert ſententiam pro Urbano, *ibid.* Anglorum Regem admonet de Gallorum Cardinalium impoſturis, XL. Antipapæ & Gallorum Cardinalium literas de Urbani canonica electione in cæſareis ſcriniis eſſe reconditas, *ibid.* Germanos & Hungaros in colendo primo electo conſenſiſſe, XLI. Bonifacio IX. de ſuſcipienda Eccleſiæ clientela dat ſpes, III. Poſcit imperialia inſignia, IV. Daturum ſe operam inſtaurando Eccleſiarum fœderi pollicetur, *ibid.* Miſſurum in Italiam marchionem Moraviæ cæſareum legatum, *ibid.* Conceſſæ eccleſiaſticæ decumæ Wenceſlao pro Italicæ expeditionis ſumptibus, V. Abjicit præclara conſilia, *ibid.* Diſſipat imperii jura in Italia, 1395. XIX. Confert ducales apices Joanni Galeatio Vicecomiti, *ibid.*

Wenceſlaus Epiſc. Wratiſlavienſis creatus Cardinalis ab Urbano VI. 1385. III. Dignitatem non admittit, *ibid.*

Wicleffiſtæ: Richardum Regem, principes, & ſacerdotes abolere annituntur, 1381. XXXIX. Simonem e Suberia Archiep. Cantuarienſem trucidant, *ibid.* Patefactis impiis conſiliis eorum duces conciſi, XL. Affectarunt principatus, qui bonorum æqualem partitionem ſuadebant, XLI. Poſt oſtentatam hypocriſim permittunt ſcortorum licentiam ſacerdotibus conjugii ſpecie, 1382. XXXV. Eorum hæreſes damnatæ in Londinenſi Synodo, XXXVI. Confutantur inſigni prodigio, *ibid.* Intentata iiſdem judiciaria ſeveritas, XXXVII. Wicleffiſtarum turpitudo, *ibid.* Imitati ſunt veteres, *ibid.* Sacras imagines expugnant, 1383. XI. Impingunt idololatriam catholicis, eorum argutiæ retuſæ, *ibid.* Hortantur Richardum Angliæ Regem ut cenſus eccleſiaſticos in regium fiſcum inferat, 1385. XI. Repelluntur ab eo, *ibid.* Religioſa inſtituta ut imperfecta damnant, 1387. XIX. Mentiuntur confeſſionem ab Innocentio III. inventam, *ibid.* Dum Wicleffiſmus in Anglia graſſatur viſus draco ardens in pluribus Angliæ locis, 1388. XIII. Varii Wicleffiſtarum errores, *ibid.* Confunduntur miraculis, 1389. XVIII. Miracula argutiis elevant, XX. Refelluntur, *ibid.* In ſuis hæreſibus veluti in idolis colunt dæmones, XXI. Wicleffiſta deridens Euchariſtiam divina repente vindicta percuſſus, XXII. Horrendæ eorum blaſphemiæ, *ibid.* Sacerdotes alios Sacerdotes ſacrare auſi, XXIII. Tollunt ſacerdotium, *ibid.* Impellunt Richardum Regem ad conferendorum ſacerdotiorum uſurpandam ſibi authoritatem, 1391. XIV. Tentant, ut monaſteriorum, & Eccleſiarum vectigalia in fiſcum regium inferat, XX. In ſacramentalia, ob vim qua pollent adverſus dæmones, veluti in magicas præſtigias declamant, *ibid.* Præficiunt mulierculas adminiſtrandis ſacris, XXII. Eorum argutiolæ refelluntur, *ibid.* Pœnitentia publica Wicleffiſtis reſipiſcentibus impoſita, 1392. VIII. Agente Richardo Rege in Hibernica expeditione eccleſiaſticum ordinem opprimere nituntur, 1394. XXII. Libellos Maledictis plenos in Eccleſiarum valvis contra eccleſiaſticum ordinem affigunt, 1395. XVIII. Repreſſi a Richardo intentata morte, *ibid.* Peccato amitti ſacerdotium contendunt, *ib.* Bella juſta geri poſſe negant, *ib.* Bonifacius, IX. urget eundem Regem Angliæ, ut Wicleffiſtas excindat, 1396. IX. Londinenſis ſynodus adverſus eos celebrata a Thoma Arundelio Archiepiſcopo, 1396. IX.

Wicleffus ſtimulatus ſuperbia, varias comminiſcitur hæreſes, 1377. IV. Marſilii Jandunique errores inſtaurat, *ib.* Jubet Gregorius XI. illum judicio comprimi, *ibid.* Joannis ducis Lancaſtriæ patrocinio ſeveritatem effugit, VI. Illius diſcipuli initio Lollardi dicti, *ibid.* Infandæ ejus hæreſes adverſus Euchariſtiam, primatum Romani Pontificis, & univerſum eccleſiaſticum ordinem, *ibid.* Aliæ ejus blaſphemiæ, *ibid.* In atheiſmum prolabitur, *ibid.* *Vid.* Joannes Wicleffus.

Willelmus pſeudoeremita Wicleffiſticæ hæreſeos diſſeminator, 1382. XXXIII. Ajebat Euchariſtiam eſſe verum panem & verum Chriſti corpus, *ib.* Damnabat decumas, *ib.* Contempſit canones tanquam eſſent pure traditiones humanæ, *ib.*

Willelmus Archiep. Cantuarienſis Leceſtrianos ad damnandam hæreſim Wicleffiſticam adigit, 1382. XXXIV. Congregat Londini Synodum, XXXVI. Damnat in ea Wicleffi hæreſes, *ib.* Ejus literæ adverſus Wicleffiſtas, *ib.* Intentat iis, ni reſipiſcant, anathema, XXXVII. In eoſdem judiciariam ſeveritatem adhiberi jubet, *ib.* Magnum ſibi defenſæ religionis decus parit, XLI.

Willelmus Windurbeyus hæreſim ejurat, 1382. XL. Præcipui ejus errores a Wicleffo hauſti, *ibid.*

Willelmus dux Gelriæ Brabantinos fundit, 1388. VIII. Bello petitus a Carolo Francorum Rege, *ib.*

Wladiſlaus ſive Jagello dux Lithuaniæ ducta in uxorem Heduvige Regina Poloniæ, Lithuaniam jungit Poloniæ, 1382. XXVI. & 1386. IV. Fidem Chriſtianam ſuſcipit, *ibid.* Lithuanos & Samagitas ad Chriſtum ab ignis & arborum & ſerpentum cultu traducit, V. Indicit publicos Vilnæ conventus, 1387. XV. In his Lithuanos ad deſerendam dæmonum ſuperſtitionem confirmat, *ib.* Extinguit ignem, in quo dæmon colebatur, *ibid.* Necat ſerpentes, lucoſque inſeſſos dæmonibus ſuccidit, *ib.* Nobiles alba veſte in Baptiſmo donat, *ibid.* Una die triginta millia Lithuanorum Chriſti ſanguine ablui procurat, *ibid.* Eccleſias Epiſcopales & parrochiales condit, *ibid.* Symbolum & orationem dominicam Lithuanicis verbis exponendo Apoſtoli, & veri Regis munere fungitur, *ibid.* Ad Urbanum VI. miſſis oratoribus illi obſequium defert, *ibid.* Catholicorum cum ſchiſmaticis vetat conjugia niſi abjecto ſchiſmate Græco, *ibid.* Eccleſiaſtica bona onerum immunitate donat, *ibid.* Cum templorum pinnas eminus conſpiciebat, detecto flexoque capite divinum Numen adorabat, *ibid.* Vitoldum & Pruthenos equites ſibi bellum inferentes edomat, 1390. XXI. Lithuaniam ſibi aſſerit, *ibid.*

Vulnera Chriſti: Vulnerum Chriſti memoriam ſibi impreſſura B. Margarita pedem clavo tranſfixum gerebat, 1395. XXI.

IN-

# INDEX
## ANIMADVERSIONUM
### In quo paginarum numerus indicatur.

## A

AEgidius Cardinalis Hiſpanus Urbanum V. ad reſtituendam Romæ pontificiam ſedem adhortatur, *pag.* 151. Ejus obitus quo die & menſe, *ibid.*
Amedei Sabaudiæ comitis obitus quo die, 469. In extremo vitæ actu ſchiſma damnat, *ibid.*
Andegavenſe concilium quando celebratum, 117.
Androinus Cardinalis, quo anno & cur a Flaminiæ legatione remotus, 160. Anglicus Cardinalis illi ſubſtitutus, *ibid.*
Androlinus Cardinalis tantum electus in conclavi admiſſus ad jus ſuffragii, 65.
Andronicus Calojoannis filius quoties a Patre rebellarit, 247.
Angelus Acciajolus S. A. L. & Cardinalis Ladiſlaum in Siciliæ Regem conſecrat, 531. Florentinam cathedram biennio tantum tenet, *ibid.*
Aptenſe Concilium celebratum, 117. Ejus patres & canones, *ibid.*
Anglos inter & Gallos pax ſancita, 47. Ejus pacis acta publica, *ibid.* S. Petri Thomæ dexteritate perfecta eſt, 95.
Arbogenſis in Suecia Synodus celebrata, 611. Ejus acta, *ibid.*
Armachanus (Richardus) Hiberniæ Primas in Mendicantes litem intentat, 33. Quando objerit, & ubi, *ibid.*
Artali duo diſtinguendi, 559.

## B

BAldus pro Urbano VI. ſcribit, 321. Deinde mutato conſilio Clementis VII. antipapæ partes ſcriptis tuetur, *ibid.*
Benedictus XIII. *Vid.* Petrus e Luna.
Bernabos a Pontifice magna clade profligatus, 79. Quo loco & die, *ibid.* Cum Florentinis pugnat proſpero ſucceſſu, 174. Gregorius XI. cum ipſo pacem init, & cur, 201. Bernabonis de copiis Eccleſiæ victoria, 206. Ejus nefaria edicta, *ibid.* Pontificis de Bernabone victoria quo die, 237. Hoſtium numerus, *ibid.* Bernabonem inter & Pontificem induciæ quibus legibus denunciatæ, *ibid.* & 254. Quando firmatæ & ad quantum temporis, 254. Bernabos cum Florentinis fœdus ſancit, 270. Bernabonis obitus quo die, 486. Ejus crudelitas in omnes etiam eccleſiaſticos viros, *ibid.*
S. Birgitta: Dies octobris ſexta S. Birgittæ memoriæ ſolemni ſacra ab omnibus haberi juſſa, 611.
Bonifacius IX. Romanus Pontifex in locum Urbani VI. eligitur, 117. Qua die coronam acceperit, 517. Pontificatus ſui epocham an ab electione, vel a coronatione exordiatur, 529.
Bononienſes a Bernabone magna clade affecti, 206. Guillelmum Legatum expellunt, 270.

## C

CAmeracenſis Synodus celebrata a Schiſmaticis, 409.
Caroli Navarræ Regis captivitas, 4. Illius tempus, & cauſæ, *ibid.*
Caroli V. Galliarum Regis obitus, 408. An a Clementis VII. obedientia receſſerit, *ibid.* Utrum a ſchiſmate excuſandus, 408.
Carolus VI. Francorum Rex mortis periculum adit, & quo anno, 563. Genuenſis urbis dominium Carolo delatum quibus conditionibus, *ibid.*
Carolus de Pace in Regem Neapolitanum coronatus quo die & menſe, 434. Urbis Senator a Pontif. renunciatus, *ibid.*
Carolus Siciliæ Rex ab Hungaris accitus, 484. Hungarici regni diademate inſignitus, *ibid.* Quo anno, menſe, & die, 485. Ejus cædes, 487. Quinam illius authores fuerint, *ibid.*
S. Catharinæ Senenſis ſanctitas ab Joannis Gerſonis calumnia vindicata, 299.
Cherchinæ inſulæ an a Manfredo Claromontano expugnatæ, 515.
Clemens VII. antipapa renunciatus qua die, 333. Clemens Florentinos ad ſuas partes allicere nititur, 498. Bis ab his repulſam paſſus, *ibid.* Aragonii ad Clementis obedientiam pertracti, *ibid.* Clementis Antipapæ obitus, 574. Ejus tempore plures in Eccleſiam abuſus irrepſere, *ibid.* Ejus in pſeudopontificatu ſucceſſor, *ibid.*
Clericis carnium eſus die ſabbati prohibitus, 169.
Conceptionis B. M. feſtum a Dominicanis ad ſedandam popularem ſeditionem adverſus ipſos concitatam celebratum, 501. Joannis de Monteſono ſententia de Concep. B. M. a Pariſienſi Academia damnata, *ibid.*
Concilium: Concilia provincialia celebrata, 117. 158. 169.
Conventus pro Italiæ pace reſtituenda indictus, & ubi celebratus, 298. Quinam illi interfuerint, *ibid.*
Cypriorum cum Genuenſibus bellum, 234.

## D

DAmianus Cattaneus quis fuerit, 234.
Dominicani omnes ab Academia Pariſienſi exploſi, & cur, 501.
S. Dominicus: Tranſlatio corporis S. Dominici celebrata, 473. Miracula illa occaſione patrata, *ibid.*

## E

EBoracenſe Concilium celebratum & ejus acta, 158.





## F

FAmaguſta a Genuenſibus obſeſſa, & capta quo die, 234.
Florentini cum Bernabone bellum gerunt, 174. Cum eodem fœdus ſanciunt, 270. In Eccleſiam arma movent, *ib.* Florentini interdicto ſubjecti a Pontifice Maximo, 280. Quando ſoluti, *ib.* De pace cum Pontifice agunt, *ib.* Eam Pontifex denegat, & quare, 293. Conventus ad Florentinos Eccleſiæ conciliandos indictus, & ubi coactus, 298. Pontificem inter & Florentinos pax an ante vel poſt ſchiſma exortum ſancita fuerit, 313. Florentini a Clemente VII. antipapa ad ſuam obedientiam bis ſolicitari, 498. Eorum in agnoſcendo Urbano VI. Pontifice conſtans religio, *ibidem*.
Fortanerus Patriarcha Gradenſis Cardinalis creatur, 60. Ejus obitus quo die, & loco, *ibidem*.
Franciſcus Carraria ab Joanne Galeatio bello petitus, 507. Ejus belli cauſa, *ib.* In Patavii principatu Franciſcus filium ſubſtituit, *ib.*
Fundanus comes Romæ ſeditionem excitat, 595. Romanos ad antipapæ partes trahere molitur, *ibid.*

## G

GAleatius, *Vid.* Joannes Galeatius.
Gallos inter & Anglos pax conciliata, 47. Illius pacis acta publica, *ibid. Vid.* Angli.
Galli cenſent Pontificatum Avenionenſem abolendum, 573. Quomodo hæc verba ſint intelligenda, *ibid.*
Gallicanum concilium in cauſa ſchiſmatis habitum quo anno, 582. Patrum numerus, 583.
Genuenſium civile prælium quo anno contigerit, 140. Eorum cum Vicecomitibus bellum, *ibid.* Pax confecta & quibus conditionibus, *ibid.* Genuenſium cum Cypriis bellum, 234. Genuenſes Famaguſtam capiunt, *ibid.* Genuenſium in barbaros Tunetanos expeditio, 506. Ejus expeditionis exitus, *ibid.* Gerbarum inſulam capiunt, *ibid.* Genuenſes urbis ſuæ dominium Carolo VI. Francorum Regi deferunt, 603. Quibus conditionibus, *ib.*
Græcarum rerum chronologia a Raynaldo deformata corrigitur, 247.
Gregorius XI. Urbano V. ſuccedit, 193. A Carolo IV. Imperatore & Rege Ungariæ adverſus Vicecomites opem fruſtra petit, 201. Cum Vicecomitibus pacem init, *ibid.* Ad Florentinos mittit Legatos, 280. Eoſdem Florentinos ſubjicit interdicto, *ibid.* Gregorii ad Carolum IV. literæ, 293. Cur pacem Florentinis denegat, *ib.* Gregorii XI. obitus, 299. Ejus elogium *ib.* Extrema Gregorii verba monentis fideles *ut caverent ab hominibus ſeu viris ſeu mulieribus loquentibus viſiones &c.* an vera ſint, & de S. Catharina Senenſi intelligenda, 299. Ejus ſolicitudo pro cleri reformatione, *ibid.* Schiſma poſt Gregorii obitum exortum, *ib.*
Guillelmus presbyter Cardinalis S. Euſebii a Guillelmo Patriarcha Hieroſolymitano diſtinguendus, 361.
Gutterus Cardinalis ad ſchiſmaticos defecit, 437.

## H

HEctoris Pignatelli Diaria, 333. De illorum veracitate judicium, *ibid.* Qua lingua ſcripta, & ad quem authorem pertineant, *ibid.* In Chronologia ſæpe decipiunt, 449.
Herefordius (Nicolaus) Wicleffianæ hæreſis princeps in concilio Londinenſi damnatus, 465.
Homicida: Pœnæ in homicidas inflictæ, 611.
Hungarorum cum Venetis pax quando conſtitit, 28. Hungari a Turcis victi, 569.

## I

INnocentii VI. Papæ obitus, 65. Ejus virtutes & vitia, *ibid.* Innocentius a calumnia vindicatur, *ibid.* Illi ſuccedit Urbanus V. *ibid.*
Joannes Urgellienſis Cardinalis renunciatus ab Urbano VI. 361. Idem eſt ac Joannes Fliſcus Genuenſis, *ibid.* Joannes iſte Fliſcus a Ludovico Fliſco diverſus, 361.
Joannes Rex Aragoniæ ad Clementem Antipapam deficit, 449. Ejus de hac re literæ quando datæ, 499.
Joannes Galeatius cum Venetis init fœdus, 507. Et cum Gonzaga Mantuæ principe, & Franciſco Eſtenſi Ferrariæ domino, *ib.*
Joannes a Monteſono: *Vid.* Monteſono.
Joannes Archiep. Rigienſis: Ejus cum Fratribus de domo Teutonica diſſidium, 565. Quomodo compoſitum, *ib.*

## L

LAdiſlaus Rex Siciliæ conſecratus quo die & menſe, 531.
Londinenſe Concilium a Simeone Iſlepio Cantuarienſi Archiepiſcopo celebratum, & cur, 5. Quid in ipſo ſit geſtum, *ibid.* Londinenſe concilium celebratum, 465. Quo die inceperit, & quando abſolutum fuerit, *ibid.* Cur in eo nulla de Wicleffo quæſtio ſit habita, *ibid.*
Ludovicus Andegavenſium dux Italiam ingreditur, 449. Militum Ludovici numerus, *ibid.* Ejus in Apuliam ingreſſus quo die, *ibid.* Ludovici Andegavenſis obitus quo die, & menſe, 476. Ejus ſupremæ tabulæ, & a quo vulgatæ, *ibid.*
Ludovici Hungariæ Regis mors quo anno, die & menſe, 459.
Ludovicus Fliſcus Cardinalis renunciatus, 361.

## M

MEndicantes. Litem in ipſos movet Armachanus Archiep. 33. Quo anno illa cœperit, & quandiu duraverit, 33.
De Monteſono (Joannes) Ejus opiniones quædam a S. Facultate Pariſienſi proſcriptæ, 501. Ejus de Conceptione B. M. Sententiæ ab eadem Academia damnatæ, *ibid.* A Clemente antipapa damnatus anathemate ad Urbanum deſciſcit, 519. Urbani partes ſcriptis tuetur, *ibid.*

## N

NIcolaus Herefordius Wicleffiſta a Londinenſi Synodo damnatus, 465.
Nuptiæ tempore a jure prohibito benedici vetitæ, 611. Irregularis declaratur Sacerdos illis aſſiſtens, *ibid* Peracta apto tempore nuptiali benedictione nuptias ad tempus vetitum differre nefas, 611.

## P

PAlæologi ( Joannis ) ad Romanum Pontificem legati, 18. Iidem etiam ad Carolum IV. Imperatorem diverterunt, *ibid.* Caroli ad ipſum literæ, quibus de inito cum Turcis & Rege Ruſſiæ fœdere increpatur, *ibid.*

Pariſienſis academiæ in Dominicanos diſſidium, 501. Qua occaſione exortum, *ibid.* Ejus de conceptione Deiparæ ſententia, *ibid.* Joannem de Monteſono damnat, *ibid.* Pariſienſis academia vindicatur, 566. Ejus in negotio ſchiſmatis acta, *ibid.*

Pariſienſe concilium in cauſa ſchiſmatis celebratum, 594. Ejus tempus & acta, *ib.*

Peſtis: Quot Cardinales peſte an. 1361. per Europam graſſante obierint, 59. *& ſeq.* Duo Matthæi Villani loca in ſpeciem pugnantia inter ſe conciliantur, 60.

Petrus Rex Cypri qua die regia corona redimitus, 226.

Petrus Rogerii Urbani V. in Pontificatu ſucceſſor, 193. *Vid.* Gregorius XI.

Petrus e Luna Clementi VII. in ſchiſmate ſub Benedicti XIII. nomine ſubrogatus, 574. Quo die electus & coronatus, *ibid.* Ablegatos ſuos Romam mittit, cur, & quando, 601.

S. Petrus Thomas Coronenſis Epiſcopus renuntiatur, 44. Ejus adverſus Turcas præclare geſta, *ibid.* S. Georgii patrocinio ex gravi morbo convaleſcit, *ibid.* S. Petri Thomæ in Italiam adventus ad quem annum revocandus ſit, 95. Ejus elogium, *ibid.*

Pignatelli [ Hectoris ] diaria; *Vid.* Hector.

Pilei Cardinalis ab Urbano defectio ad quem annum ſit revocanda, 491. Ejus defectionis cauſæ, *ibid.* Pileus unus fuit ex quinque Cardinalibus, qui ad Romanum Clerum literas dederunt, ut ab Urbani obedientia recederet, *ibid.* Pilei Cardinalis ad Pontificem reditus quo anno, 518.

Piratæ eccleſiaſtica ſepultura privati, 611.

FF. Prædicatores ab academia Pariſienſi extorres & quare, 501.

## R

REges ante coronam adeptam Reges electi nuncupabantur, 434. Mos iſte ſæculo XIV. jam obſoleverat, *ibid.*

Repingondon [ Philippus ] hæreſis Wicleffianæ princeps in concilio Londinenſi damnatus, 465.

Richardus Armachanus. *Vid.* Armachanus.

Rigienſis Archiepiſcopatus ad Fratres de domo Teutonica devolutus, 565.

Robertus Gebennenſis: *Vid.* Clemens VII.

Romani Pontificis cum Vicecomitibus diſſidia, *Vid.* Bernabos. Plures urbes a Pontifice deſciſcunt, 220. Romanus Pontifex cum Florentinis bellum gerit, *Vid.* Florentini.

S. Rufi concilium. Nomine concilii S. Rufi quid ſit intelligendum, 17.

## S

SAbbatum: Abſtinentia a carnibus die ſabbati XIV. ſæculo nondum ubique recepta, 169. Clericis tuntum imperata, *ibid.*

Schiſma in Eccleſia exortum, 299. Concilia in cauſa ſchiſmatis celebrata, 582. 591. 594.

Segobienſe concilium celebratum, 591. Ejus tempus & acta, *ibid.*

Sicilia: Siciliæ motus illuſtrantur, & chronologica ſerie diriguntur, 559.

## T

TAlairandus Cardinalis Petragoricenſis quando obierit, 106.

Theodoricus Niem. An duo Theodorici Niemii diſtinguendi, 101.

Tiara pontificia a quo tertia corona aucta, 193.

Trajectenſis ſynodus quo anno celebrata, 551. Ejus in Jacobum de Juliaco ſententiam, *ibid.*

Tunetani: Chriſtianorum in Tunetanos expeditio, 506. Ejus expeditionis exitus, *ibid.*

## V

VAurenſe concilium, 169. Ejus Patres & canones, *ibid.*

Venetos inter atque Hungaros pax quando coaluit, 28.

Vicecomites: *Vid.* Bernabos.

Vigiliæ nocturnæ in Anglia XIV. ſæculo adhuc ſervabantur, 158. Abuſus, qui in illis obeundis irrepſerant, correcti, *ib.*

Villani ( Matthæus ) Quo anno deſinat ejus hiſtoria, 79. Quando obierit *ib.* Philippus Villanus ejus hiſtoriam proſequitur, *ib.* De Villanis omnibus judicium, 79.

Urbanus V. in Romanum Pontificem eligitur, 65. Epocha annorum Urbani ab ejus coronatione incipienda, *ibid.* Vovet ſe Pontificiam ſedem Romam reducturum, *ibid.* Votum exequi meditanti reſiſtit Rex Galliarum cum Cardinalibus, 151. Urbani V. obitus, 193. Ejus elogium, *ibid.* Poſt mortem claret miraculis, *ibid.* A calumnia vindicatur, *ibid.*

Urbanus VI. Rom. Pontifex electus, 299. Pontificatus ejus initio ſchiſma exortum, 299. Baldus pro Urbano VI. ſcribit, 321. Cardinales ab Urbano creati qua die & quot numero, 361. Urbanus Genua diſcedit quo die, & cur, 492. Lucam ingreditur, *ibid.* Quandiu ibi ſubſtiterit, *ibid.* Florentinorum in Urbano quamvis adverſario agnoſcendo religioſa conſtantia, 498. Urbani VI. obitus, 1517. Ejus virtutes & vitia, *ibid.* Ejus in Pontificatu ſucceſſor, *ibid.*

Wenceſlai in Regem Romanorum electio, 285. Ejus coronatio qua die, 285.

FINIS.